Digitized by Google

77-V-9

21

BIBLIOTECA
COMPLUTENSE.
E.31.c.4. N.11.

Digitized by Google

D&L
A-9459

Digitized by Google

Digitized by Google

A. R. P. M.

F. THOMÆ DE LEMOS

21 T62

PANOPLIA GRATIAE

SEV

De rationalis Creaturæ in finem ſupernaturalem gratuita Diuina ſuaui-potente ordinatione, ductu, medijs, liberoque progreſſu.

DISSERTATIONES THEOLOGICÆ

AB AVTHORE IN IV. TOMOS DISTRIBVTAE

TOMVS I. ISAGOGICVS

De Pelagio & ſequacibus nimirùm extollentibus humanum arbitrium. Deq; alijs id nimirùm deprimentibus, maximè poſt vulnus peccati originalis. Item de infallibilitate Diuinarum Prædiffinitionum, ſalua rerum contingentia, & arbitrij libertate.



LEODII,
Ex officina Claudij Landas Impreſſoris publici.
M.DC.LXXVI.

20

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRISTO IESV
VNICO
Aeterni Patris, & Virginis Matris Filio.

TVIS pedibus prouolutus, ó CHRISTE sapientia Æterna, verbum, & ratio Patris, corruptæ, perditæque naturæ Dulcis per gratiam Reparator, Opus hoc vniuersum offero, vtpote in quo, & prædestinationis Arcana, & inestimabiles gratiæ Tuæ divitiæ explicantur; nam ad suam originem recurrere omnia necesse est, ac primitus suæ felicitatis primum Authorem demissè venerari: ne saltim ingrati animi reatus incurratur post liberale donum Gratiæ, quod nullis unquam meritis humana natura sibi potuit comparare. Quem uero suæ prædestinationis, & gratiæ fontem homines, suà sorte miseri, iræ Filij, & uitiata origine, ad miseriarum cumulum nati, nec alio quam Tuo beneficio fœlices, liberi, & ad parem cum Cœlestibus mentibus sortem, gloriamq; euecti prædicabunt, nisi Te unum ò secunde Adam de Cœlo Cœlestis, Te inquam Saluator, Te hominum, & Angelorum caput agnoscant? Offero igitur Tibi quod tuum est, nihil enim habeo, (nisi peccatum quod à Te non accepe-
rim,) & DE TE DOMINE SVPPLEO, QVOD MINVS HABEO IN ME. O DVLCISSIMA RECONCILIATIO, O SATISFATIO SVAVISSIMA, Nec alteri, quam Tibi, QVI TOTVS MIHI DATVS, ET TOTVS IN MEOS VSVS EXPENSVS, quantulum hunc laborem nuncupare debui, supplexque Tibi, ò CHRISTE in Cruce suffixe, Tibi lux uirtus, & iustificatio nostra, deniq; Tibi omnium Electorum uocatio, electio, salus Æternaque felicitas, qualescumque has lucubrationes consecro ex mente, uotoque Religiosissimi Scriptoris, qui dum uiveret, hoc unum in uotis habuit, hoc suis concertationibus tueri studuit, hoc elaboratis tot uoluminibus persuadere sategit; non partem Tuæ gratuitæ Bonitati, & partem uoluntatis indu-
triæ, sed totum Tuæ adscribendum Gratiæ, uelut quæ uoluntatem præparat adjuuandam, & adjuuat præparatam. Certus sum, & spondere ausim, hanc Divinæ Tuæ gratiæ

D. Bern. ser. 1. de Epiph.

Idem ser. 3. de Circumcis.

ſummariam Epitomen, niſi Tuo dulciſſimo inſcriberetur Numini, ac nomini, tam doctioribus hominibus, quam morioribus huius æui ingenijs minus placituram. Fateor enim SINE HOC NOMINE (SALVATORIS) QVAMVIS LITERATVM, ET EXPOLITVM, ET VERIDICVM NON METOTVM RAPERET, aut quemquam rapere poſſet; Hoc ergo nunc, ſupereſt, Bone IESV, quod ſaltim ob Nomen Tuum, laborioſam hanc opellam digneris placide intueri, atque protegere, vt fideles tui, ad quorum manus peruenerit, Myſterium gratiæ Tuæ impenſius colant, & plenius innoteſcant: quod gratia Dei ſit uita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui ſoli exinde omnis honor, ut Authori, & conſummatori fidei gratiæ, & ſalutis. Hæc tandem uotorum meorum eſt ſumma, in Te & per Te, IESV CHRISTE Redemptor mundi, qui es ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & Redemptio noſtra.

Aug. l. 3. Conf. c. 4

Digitized by Google

STVDIOSO LECTORI.

Mirari te non dubito erudite Lector, quod opus hoc doctissimi Viri, modo in lucem prodeat; sciebatur non periisse, sed dormire in scrinijs, at causa latendi me ipsum latet. Constat nihilominus, graues Theologos orthodoxæ fidei, & puræ veritatis amore egisse tanto vehementius, vt illud sibi compararent efferrentque in publicum. His ego felicior, tandem occasione potitus sum, qua tot bonorum desideria explerem; Typis aptando hanc lampadem, quæ tametsi oculis ægris fortasse odiosa, puris tamen amabilis fore videbatur. Doleham sanam, veterem, inconcussam, tutissimamque Doctrinam, vel ab incautis neglectam, vel à sciolis interpolatam, vix non despici, ac fastidiosè à multis calcari. Sanctissimorum Ecclesiæ Patrum Augustini, & Thomæ Aquinatis causam nescio qua modernorum ingeniorum vertigine pene desertam suscipere non pertimesco, & scriptis eruditi Auctoris, (qui cum omnium applausu Romæ duobus coram Pontificibus in 47. Congregationibus, palmam adeptus est) fulcire non metuo, eiusdem syncéritatem, cum antiqua Ecclesiæ traditione conformitatem his præsidijs Vallare non erubesco. Supersedeo hanc tibi operam sollicite commendare ipsosmet Sanctos inuoco Augustinum, & Thomam, quos iam in eo quo fruuntur statu, laruata, & fucata non fallunt; quis eorum sensum, ac mentem inuestigat accuratius? quis felicius assequitur? quis profundius penetrat? quis ardentius defendit præ Thoma Lemos his quatuor dissertationum Theologicarum libris? Iudicent sapientes, & sepositis affectibus sententiam dicant, eos enim, vt Iudices reuereor, & ijs probari exopto. Sat explicui benigne Lector, cur hunc laborem tot expensis, & difficultatibus obsitum susceperim. Insuper Aduertes facile Auctorem, vtpote oculorum senili caligine præditum conceptus suos dictasse amanuensibus, nec Grammaticæ, nec orthographiæ admodum peritis, vnde in hoc genere passim tibi occurrent menda, quæ oculatiorem exigant correctorem. Ea tamen intacta reliqui, nec voculam pro vocula vsquam substitui, ne quid in opere hoc meum esset. Denique erratis Typographicis tua dignabitur mederi amica manus; Ego enim ob itinera prælo vt plurimum absens, ijsdem Cominus aduigilare non potui. Vale interim atque ex hac Panoplia te aduersus oppugnatores vndique obloricare satagito.

SYNOPSIS
VITÆ AVCTORIS

IN Gallæciæ Regno quod nunquam Tyrannidi, nec Maurorum perfidiæ patuit, aut paruit, à parentibus genere Illustribus, Auitæque fidei retinentissimis ducta origine, natus est Thomas Lemos: puerilibus, & humanitatis literis sub cura fratris natu maioris, progenitoribus orbatus operam dedit. Numinis beneficio è seculo ereptus, vt Deo viueret, eiusq; obsequio mancipatus, sensit vim gratiæ Diuinæ, vocantemque mœruit habere Diuum Thomam, velut qui aliquando gratiæ, miram, sed veram efficaciam, & profundissimam de illa SS. Augustini, Thomæ Aquinatis doctrinam, tantis Theologorum huius Æui Sinnossis anfractibus latebrosam eruere, ac tueri, destinatus, & præelectus erat. Militiæ Christi in Ordine Fratrum Prædicatorum nomen dedit; ab initio virtutes omnes in sinum suum conuolantes sponte admisit, incredibiles exinde fecit cunctis mirantibus in schola progressus, seseque velut in Palestra exercens ad validiores sub oculis Pontificum obeundos congressus, quibus iam diu præluserat: erat quippe in D. Augustini, & D. Thomæ operibus adeo versatus, vt non modo eorum Argumenta; verum etiam Minimos librorum Apices memoriæ affixos habere videretur. Sileo luculentissimum exemplum, quo publica in Concione, assidente summo totius Hierarchiæ capite, in Theatro vrbis, & orbis irrefragabilem D. Augustini de Gratia sententiam defensurus, nec minimum Iota mutari permisit. Itaque Vir studiorum, & scholarum vmbris inutritus, ad publica disputationum certamina, Romę sub celeberrimis illis 47. Congregationibus, inter primos delectus est, qui & scientia, & intelligentia doctrinæ Augustini de gratia Christi Iesu Redemptoris armatus, tuto conferret pedem. Non memoro quæ acta sunt, ex quo silentium indicit summa erga Sanctam Sedem obedientia, & mea vtrique parti debita reuerentia, attamen citra inuidiam dixerim, his in disputationibus, tanta eminuit scientiæ profunditate, acumine, & viuacitate ingenij, vt omnibus copiosior, parem haberet neminem. Oblatas à Clemente VIII., & Paulo V. (quos suis in concertationibus arbitros, & & Iudices æquissimos habuit) Infulas recusauit, quin etiam Philippus III. Hispaniarum Rex, doctissimi viri fama permotus, Episcopatus duos successiuè obtulit, quorum splendore minime commotus, nihil innatæ mortalium Animis cupiditati dedit Vir humillimus. Hoc de prælio reuertentem, longo tempore venerata est Roma, ipsumque in peragendis Religiosi status exercitijs, in assiduo Diuino cultu, àc, & simul conscribendis his libris occupatum tacitè admirabatur. At vndequaque viri singulari eruditione exculti, & eximia pietate ornati crebrius ei calcar addiderunt, vt opus inchoatum deproperaret, & quæ palam, publicèque docuerat, scriptis mandaret, ne morte præuentus neminem inueniret, qui ad præscripta lineamenta auderet succedere: Disciplinæ Regularis tenacissimus Thomas, iugiter alternas vices, nunc orationi, nunc studio seruabat, & exsucca scholasticorum studiorum vepreta dulcissimis orationis aquis irrigabat,

Digitized by Google

gabat, vt in ieiunio; & in grato ſtudio vigilijs labore, quibus aliàs ſolet robur corporis, & vigor Animi carptim exhauriri, ac deuotio areſcere, etiam vires delicias vegetationem reperiret. Diebus ſingulis inpretermiſſe Sacrum faciebat, ac cœleſti hoc paſtu recreatus, nil mirum ſi Chariſmatibus ſpiritus abundabat. Porro neceſſe fuit Thomæ virtutem probari, cruce maturari ad præmium, vt dignior Cœlo euaderet ergo præ annoſa commentandi aſſiduitate, & continua Patrum lectione, tandem cœcutijt; dum verò alij illius plangebat orbitatem, ſolus ipſe reſignata in Dei beneplacitum conformitate, cum Tobia, ac Didymo in Cœlum attollebat mentis oculos, nil turbatus, illic reſidentem victricis gratiæ fontem tranquille contemplabatur, ſuauem illius fortitudinem, ac fortem ſuauitatem ruminando præguſtans; aggrauabat languida ſenectus, caligabant pupillæ, nutabat effata laſſitudo, ſed ſpiritui accreſcebat illa ſublimis alacritas, quæ in viſibilibus Mundi dedignatur, vel obiter oblectari, Denique Cœlo iam maturus ætatis ſuæ anno 84. & Chriſti Saluatoris 1624. mœrentibus omnibus, quibus ob ſummam pietatem, vitæ innocentiam, ac ſingularem eruditionem admirationi fuerat & amori die 23. Auguſti Romæ, perceptis Eccleſiæ Sacramentis Animam reddidit dulciſſimo Creatori, ac ſui deſiderium vnà cum his doctiſſimis lucubrationibus reliquit poſteritati.

Luſus anagrammaticus in Authoris Cognomen.

LEMOS

1. Solem. 2. Me Sol. 3. Moles, 4. Os mel. 5. Melos.

SOLEM amo Doctrinæ: ME SOL accedit Aquinas.
Stat MOLES. OS MEL imbuit; edo MELOS.

Digitized by Google

CENSVRA THEOLOGORVM
Ordinis Prædicatorum.

QVod maxime in votis mihi semper fuit, vt hocce sæculo præ cæteris operibus, lucis publicæ fierent doctissimi P. Fratris Thomæ de Lemos, qui olim in Congregationibus de auxilijs coram Summo Pontifice, Romæ habitis felicissimè disputauit, impulerat me fama sapientissimi viri, vt illius scripra viderem, & euoluerem, quæ tandiu in tenebris latitabant, & sane non superauit mœritum, nec fefellit expectationem; doctrinam inspexi, hereditario corruscantem splendore, quæque aduersantium ridet sophismata, spicula retundit, vanosque perstringit conatus, intricatasque Diuinarum prædefinitionum explicat difficultates, miro equidem stylo, etsi gentis suæ prolixitatem sapiat, genio tamen, & gustui Doctorum hominum accommodato, & callentibus condito Patrum sententijs. Sane hoc vnum hacce tempestate desiderari videbatur, vt dum multi in perdificilibus de homine ad vitam æternam ordinato, Quæstionibus Santi Augustini aut S. Thomæ sibi vendicant nomen, his quatuor libris omnino falsi conuincuntur. *Hanc igitur A R. P. M. Thomæ Lemos Panopliam Gratiæ, seu De rationalis Creaturæ in finem supernaturalem gratuita diuina suaui potente ordinatione ductu medijs liberoque progressu, & dissertationes Theologicas ab Auctore in IV. Tomos distributas.* Diligenter cum animi mei voluptate perlegi, & in illis, nihil fidei, nihil pietati, nihil probis moribus aduersum reperi, omniaque sacris Summorum Pontificum sanctionibus consona ac vt publicæ vtilitati quam primum consecrentur iudicaui. Datum Duaci die 14. Ianuarij 1676.

Fr. Hyacinthus Bossemær. Sac. Th. Doctor Ord. Prad.

VArijs summisque difficultatibus, quæ diu retardarunt, ne opera R. Ad. P. Fratis Thomæ de Lemos in lucem ederentur, improbo labore superatis. Tandem præter spem, & expectationem meam, in manus meas peruenerunt quatuor libri *Seu Panoplia gratiæ De rationalis Creaturæ in finem supernaturalem gratuita diuina suaui potente ordinatione, ductu medijs liberoque progressu. Dissertationes Theologicæ ab Auctore in IV. Tomos distributæ* vt eos euoluerem, quos loculenter ad Maiestatem Argumenti perlegi, opus equidem suo nusquam satis pretio æstimatum quodque spectabilius, & commendabilius per se ipsum, est, quam vt aliquam aliunde commendationem mutuetur, enim vero non vt in alijs scriptoribus fucata aut diminuta veritas, sed pura, & quæ vetustas non intellectum venerabatur per ipsum quod antea obscurius credebatur, ætas nostra gratuletur, perhibet enim passim fidei dogmata, sensa Patrum, sacrarum scripturarum intelligentiam, Conciliorum profunditatem, lucem, & veritatem locutum fuisse dixeris. Ipse enim tanta perspicuitate profundiora Diuinæ ordinationis prodijt Mysteria, vt peruia iam fiat abyssus illa studiosis viam veritatis perambulantibus.

Quisquis ergo pro veritate, gratiaque Diuina depugnaturus accedis, huic operi indubiè manum admoue, & circundabit te veritas. Intelligesque nihil fore vtilius Ecclesiæ Scholæ Theologicæ, & rei litterariæ quam vt opera huius eruditissimi viri prælo demandentur, omniumque manibus terantur. Ita censo. &c. Datum Duaci die 18. Ianuarij 1676.

Fr. Amandus Tarù Sac. Th. Doctor Ord. Prad.

Digitized by Google

AD LECTOREM

PRÆFATIO TOTIVS OPERIS.

MAGNAM illam de divinis auxiliis cauſam & eorum efficaci potentique virtute, qua Deus operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate: & quâ magis habet omnipotens in poteſtate ſua liberas hominum voluntates quam ipſi ſuas, toto orbe notiſsimam, ſupremo examine toties ventilatam, & quæ tanto tempore quaſi ſopita remanſit: jam miſerante Deo adamuſsim diſcuſſam cum objectorum aperta confutatione tibi conſiderandam proponimus candidiſsime Lector. Illam inquam ab omnibus deſideratam nos in lucem damus qui per viginti annos qualicumque ſed continuo labore pro ipſius defenſione in *hac alma Vrbe*, ſecundum tamen quod Dominus dedit laboravimus. Et magni poſt Apoſtolum defenſoris gratiæ Sancti Patris Auguſtini ductu veritas ipſa pugnavit & vicit: ſecundum quod etiam antiquitùs Sanctus Proſper in principio capitis primi contra collatorem affirmat dicens: viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies hujus viri, id eſt, Auguſtini ductu pugnavit & vicit. Non autem à nobis exquiras orationis artem quam, ut cum Irenæo dicam, non didicimus, neque vim conſcriptoris, quam non affectavimus; neque ornamentum verborum, neque ſuadelam, quam neſcimus, ſed ſimplicem veritatem ſecundùm quam univerſam hanc materiam in quatuor libros diviſam, illorum inſtar, qui ab Angelico Doctore contra gentes prænotantur, diſtribuendam putavimus, in quorum primo de Pelagianorum & Semipelagianorum erroribus, de divinis prædefinitionibus, & illius nuncupatæ mediæ ſcientiæ plena confutatione tractamus. In ſecundo de ſumma Dei providentia, & efficaciſsima prædeſtinatione Sanctorum ad priorem ſermo conjungitur. Tertius divinum prævium influxum in ſecundas cauſas naturalis ordinis, ut ſuas naturales operationes producant; tam neceſſarias quam liberas, ut omnes ſimul comprehendamus; pariter & ſimultaneum, quo cum ipſis earum efficit operationes continuo ſermone defendit. Quartus denique qui totius hujus operis præcipuus finis exiſtit, de prævenientis divinæ gratiæ mira efficacitate, quâ altiſsimus habens humanorum cordium quo voluerit inclinandorum omnipotentiſsimam poteſtatem, eadem per ipſam ita fortiter ac ſuaviter, quocumque placet inflectit ac vertit, ut divinæ excitationi ineffabili pietate & pleniſsima ſua libertate conſentiant, trium priorum doctrinam confirmans, huic inſigni materiæ deſideratum finem imponit: quia verò cauſa iſta & univerſa ejus materia tam difficilis & abſtruſa eſt ex parte una, quam inſignis & neceſſaria ex alia, utpote quæ ferè omnes alias Theologicas comprehendit: ob primum ſæpius de illa in Eccleſia actum eſt: & propter ſecundum ſemper Pontifices Summi eandem accuratiſsimè examinarunt, & quid de illa ſentiendum & tenendum eſſet Apoſtolicis ſuis decretis perpetuo Eccleſiæ tradiderunt. Innocentius I. Zoſimus, Bonifacius, Cœleſtinus, magnus ille

Digitized by Google

Præfatio.

Leo, Gelaſius, Hormiſdas, atque Ioannes IV. cum Conciliis plurimis Dioſpolitano, utroque Carthaginenſi, Arauſicano II. Valentino, & noviſsimè in generali ac inſigni Tridentino. Quorum omnium ut in proceſſu doctrinæ fiat manifeſtum una perpetua fixaque ſententia manet utrumque extremum æqualiter damnans errorem, & illorum qui hominis negabant arbitrium contendentes abſoluta neceſsitate in unum ferri, & eorum qui ut liberum in hominibus ſalvarent arbitrium ipſum divinæ efficaciæ ac poteſtati noluerunt eſſe ſubiectum. Qui proinde ut homines facerent liberos, ut Sanctus Doctor Auguſtinus de Cicerone dicit, fecerunt ſacrilegos: atque ut Innocentius primus definit, ut noſtram tuerentur libertatem, divinam omnipotentiam ſupra humanas voluntates abnegarunt. Verba Innocentij ſunt Epiſt. 32. inter decretales illius 1. tomo Epiſt. decretal. nam quid tam mortiferum tam præceps videatur ad caſum tam expoſitum ad omnia pericula, ſi hoc ſolum nobis putantes poſſe ſufficere, quod liberum arbitrium cum naſceremur accipimus, ultra jam à Domino niſhil curamus, id eſt, authoris noſtri obliti, ejus potentiam, ut nos oſtendamus liberos, abjuremus. Inter hunc igitur extremum errorem medium tenens Catholica veritas à relatis Summis Pontificibus & ſacris Conciliis tradita & prædicata, ſic liberum hominis defendit arbitrium ut tamen ipſum in ſuis humanis operationibus à divina cauſalitate, cui perfectè cognoſcitur eſſe ſubiectum, non dubitet eſſe præventum; quod in iſtis noſtris operibus ex divinis litteris, ſummorum Pontificum qui & modo relati ſunt plurimis definitionibus, ſacrorum Conciliorum multiplicatis decretis, unanimi patrum conſenſu, Auguſtini potiſsimè, cuius in hac materia ſententia ita eſt & fuit ſemper per Eccleſiam approbata; ut veriſsimè de illa Dominus Cardinalis Bellarminus protulerit ipſam eſſe fidem Eccleſiæ: ex antiquorum etiam Scholaſticorum omnium concordi doctrina, veriſque Theologicis ac Philoſophicis rationibus dabimus manifeſtum, cum plenaria omnium eorum quæ in contrarium obiecta ſunt, clariori reſponſione: quorum innumeræ fere allegationes prætenſæ nos impulerunt ut in relatos quatuor tomos opus diviſum diffuſius tractaremus, in hac tamen totius operis diviſione & totius doctrinæ progreſſu illud duximus obſervandum, & univerſos ad quorum manus hoc opus pervenerit ut ipſi obſervent, inſtantiùs obſecramus, ut quando in ipſo verborum ad invicem collationem invenerint, & eorum quorum iam olim per Eccleſiam damnata ſententia eſt, & aliquorum Catholicorum, qui his temporibus de hac eadem cauſa & materia ſcripſerunt, non id exiſtiment factum, ut noſtræ inventionis ſit, vel minimam præfatis authoribus iniuriam aut ſuſpicionem inferre; hoc enim à noſtra intentione quam alienum exiſtit! ſed potius id factum ipſi arbitrentur ut doctrinæ veritas omnibus apertiùs proponeretur. Nec enim vitanda aliqua ſententia efficacius poteſt denudari, aut clarius de falſitate convinci, quam ſi eadem eſſe cum olim iam reprobata monſtretur. Quod tamen facile prædictos authores potuit prætexire, vel ex inadvertentia (omnes enim homines ſumus & falli poſſumus) vel ex non tanta conſideratione, vel propter huius materiæ difficultatem non parvam, in cuius penetratione per annos plures (quod omnibus conſtat) inſudatum eſt. De doctrinæ itaque manifeſtatione ſolum tractamus quæ à quibuſcumque tradatur ſi veritati non conſonat, (& hoc clarius oſtendi non poteſt, quam ſi cum iam olim reiecta eadem eſſe pandatur:) à nullo veritatis amatore debet reprehendi, cum talis modus reprobandi doctrinam aliquam apud Sanctos Patres fuerit frequentiſsimus. Id enim primus Hieronymus epiſtola ad Cteſifontem fecit oſtendens in hac eadem materia Pelagii ſententiam Origenis ramuſculum eſſe: quod etiam de Rufino teſtatur. Similiter S. Pater Auguſtinus in libris contra Iulianum

Lib. 3. de civ. Dei cap. 9.

ſæpe. Ut

Digitized by Google

ſæpe, ut Iuliani ſententiam apertius convinceret, à damnata in Pelagio non recedere demonſtravit. Id ipſum S. Proſper contra collatorem. Hilarius epiſt. ad Aug. atque Fulgentius de Incarnatione & gratia Domini Ieſu Chriſti, contra Caſſianum & Fauſtum ac Maſsilienſes alios fecerunt, ut in illorum opuſculis eſt videre. Quod & nos, & id in veritate teſtamur, faceremus ſi talis vel ſimilis doctrina ab aliquibus ex noſtra familia traderetur. Sicut Durandum & Catharinum & utrumque ex ordine noſtro aſſumptum Epiſcopum in hac eadem materia & cauſa acrius impugnamus, & ab omnibus meritò reprobantur. Tandem ad ſic ad invicem conferendam doctrinam non parum nos impulit quod ut ex pietate eorum ſperamus, qui hucuſque illam ut veram amplexati ſunt: cum eam apertius deprehenderint ab alia olim ſæpius reprobata minus recedere, eandem pariter nobiſcum & ipſi reprobabunt, ut omnes uno corde & ore laudantes Dominum, eius ſupremum dominium ac poteſtatem ſupra liberas hominum voluntates, ac veram & propriam hic Domini gratiam ipſique prævenientem virtutem & efficaciam qua potenter & efficaciter liberum hominis arbitrium movet ad bonum unanimiter confitentes eiuſdem divinæ gratiæ ſemper in nobis ſentiamus augmentum, & ipſius uſque ad finem vitæ percipiamus perſeverantiſsimum complementum.

Ex ſummorum vero relatorum Pontificum litteris in fronte operis aliquas tranſcribendas putamus.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLA INNOCENTII
PAPÆ INTER AVGVSTINIANAS. 93.

INNOCENTIVS SILVANO SENI, VALENTINO, & cæteris, qui in Milevitana Synodo interfuerunt, dilectiſsimis Fratribus in Domino, Salutem.

INTER cæteras Romanæ Eccleſiæ curas, & Apoſtolicæ Sedis occupationes, quibus diverſorum conſulta fidelia modica diſceptatione tractamus, frater & coepiſcopus noſter Julius dilectionis veſtræ litteras, quas ex Milevitano Concilio cura fidei propenſiore miſiſtis, mihi inopinanter ingeſſit, Carthaginenſis etiam Synodi querelæ parilis ſcripta ſubjungens. Nimirum exultat Eccleſia tantam ſolicitudinem commiſſis gregibus exhibere paſtores, ut non ſolum ex his non patiantur errare, ſed ſi quas magis ovium obſcænæ delectationis herba ſeduxit, ſi in errore permanſerint, aut ſegregari penitus velint, aut illicenter dudum petita vetantes, cuſtodiæ priſtinæ circumſpectione tutari, in utraque parte videlicet conſulentes, ne vel ſuſcipiendo tales, ſimili cæteræ ducantur exemplo, vel ſpernendo redeuntes, luporum morſibus videantur ingeſtæ. Prudens admodum, & Catholicæ fidei plena conſolatio. Quis enim aut tolerare poſſit errantem, aut non recipere corrigentem? Nam ut durum arbitror conniventiam præbere peccantibus, ita impium judico manum negare converſis. Diligenter ergo & congruè Apoſtolico conſulitis honori, honori inquam illius, quem, præter illa, quæ ſunt extrinſecus, ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum ſuper anxiis rebus, quæ ſit tenenda ſententia, antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper ab orbe mecum noſtis eſſe ſervatam. Verum hæc miſſa facio, neque enim hoc veſtram credo latere prudentiam. Quid id etiam actione firmaſtis, niſi ſcientes quod per omnes provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent? Præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coepiſcopos noſtros, non niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris auctorem refferre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe. Fiant enim neceſſe eſt cautiores, cum inventores malorum ad duplicis relationem Synodi ſententiæ veſtræ ſtatutis viderint ab Eccleſiaſtica communione ſejunctos. Gemino igitur bono charitas veſtra fungitur. Nam & Canonum potiemini gratia ſervatorum; & beneficio veſtro totus orbis utetur. Quis enim Catholicorum virorum cum adverſariis Chriſti velit ulterius miſcere ſermonem? Quis ſaltem ipſam lucem vitæ communione partiri? Novi hæreſeos nimirum fugiantur authores. Quid enim acerbius in Deum fingere potuerunt, quam cum adjutoria divina caſſarent, cauſamque divinæ, ideſt, quotidianæ precationis aufferrent, hoc eſt dicere, quid mihi opus Deo? Meritò in hos dicat Himnidicus: *Ecce homines qui non poſuerunt Deum adjutorem ſibi.* Negantes ergo auxilium Dei inquiunt hominem ſibi poſſe ſufficere, nec gratia hunc egere divina, qua privatus neceſſe eſt diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitæ perficienda mandata, ſola tantummodo libertate contendat. O praviſſimarum mentium perverſa doctrina! adverte tandem quod primum hominem ita libertas ipſa decepit, ut dum indulgentius frenis ejus utitur in prævaricationem præſumptione conciderit, nec ex hac potuit erui, niſi ei providentia regenerationis ſtatum priſtinæ libertatis Chriſti Domini reformaſſet adventus. Audi David dicentem; *adjutorium noſtrum in nomine Domini, & adjutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me, Deus ſalutaris meus:* quæ in caſſum dixit, ſi tantum in ejus erat poſitum voluntate, quod à Domino flebili ſermone poſcebat. Quæ cum ita ſint, cum in omnibus divinis paginis voluntati liberæ niſi adjutorium Dei legamus eſſe nectendum, eamque nihil poſſe cœleſtibus auxiliis deſtitutam, quonam modo huic ſoli poſſibilitatem hanc pertinaciter, ut aſſeritis, deffendentes, ſibimet, imo, quod eſt dignius dolore communi, plurimis Pelagius Cæleſtiuſque perſuadent? Multifariis equidem ad deſtruendum tale magiſterium uti poſſemus exemplis niſi ſciremus ſanctitatem veſtram ad plenum Scripturas omnes callere divinas, preſertim cum veſtra relatio tantis, ac talibus teſtimoniis ſit referta, ut his ſolis valeat præſens dogma reſcindi, opuſque non eſſe reconditis, cum ex iis quæ facilè vobis occurrentia poſuiſtis, nec audeant obviare, nec poſſint. Ergo Dei gratiam conantur aufferre, quam neceſſe eſt etiam reſtituta nobis ſtatus priſtini libertate quæramus: quippe nec alias diaboli machinas, niſi eâdem poſſumus juvante, vitare. Illud verò quod eos veſtra Fraternitas aſſerit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari perfatuum eſt. Niſi enim manducaverint carnem Filij hominis & biberint Sanguinem ejus, non habebunt vitam in ſemetipſis. Qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum baptiſmum velle caſſare; cum prædicant hos habere, quod in eos creditur non niſi baptiſmate conferendum. Si ergo nihil volunt officere non renaſci, fateantur neceſſe eſt, nec regenerationis ſacra fluenta prodeſſe. Verum ut ſuperfluorum hominum prava doctrina celeri veritatis poſſit ratione diſcindi, proclamat hoc Dominus in Evangelio, dicens *ſinite infantes venioe ad me, & nolite eos prohibere talium eſt enim regnum cælorum.* Quare Pelagium, Cœleſtiumque, ideſt, inventores vocum novarum, quæ, ſicut dixit Apoſtolus,

Pſal. 51.

Pſal. 123. Pſal. 26.

Lucæ. 18.

2. Tim. 2.

Digitized by Google

ædificationis nihilum, ſed magis noviſſimas conſueverunt parere quæſtiones, Eccleſiaſticâ communione ptivari Apoſtolici vigoris auctoritate cenſemus, donec reſipiſcant de diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ſecundùm ipſius voluntatem: eoſque interim Dominico ovili non recipi, quod ipſi perverſę viæ ſequuti tramitem deſerere voluerunt. Abſcindendi ſunt enim, qui vos conturbant & volunt convertere Evangelium Chriſti. Simul autem præcipimus, ut quicumque id pertinacia ſimili defenſare nituntur, par eos vindicta conſtringat. Non ſolùm enim qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, quia non multum intereſſe arbitror, inter comittentis animum, & conſentientis favorem. Addo amplius; Plerumque dediſcit errare cui nemo conſentit. Hæc igitur, Fratres chariſſimi, in ſupra dictos maneat fixa ſententia: abſint atriis Domini, careant cuſtodia paſtorali, ne duarum ovium dira contagia ſerpant forſitan per vulgus incautum, rapacique lupus corde lætetur intra ovile Dominicum tantas ovium fuſas catervas, dum à cuſtodibus diſſimulanter habetur vulnus duarum. Proſpiciendum eſt ergo, ne permittendo lupos, mercenarij magis videamur eſſe quam paſtores. Jubemus ſanè, quoniam Chriſtus Dominus propria voce ſignificavit, nolle ſe mortem morientis, tantùm, ut revertatur & vivat, ſi unquam ſani, depoſito pravi dogmatis errore, reſipuerint, damnarintque ea, quorum ſe ipſi prævaricatione damnarunt, eis medicinam ſolitam, id eſt, receptaculum ſuum ab Eccleſia non negari: ne, dum eos redeuntes forſitan prohibemus, verè extra ovile remanentes, expectantis hoſtis faucibus glutiantur quos in ſemetipſis ſpiculis malæ diſputationis armavit. Bene valete. Datum ſexto Kalendas Februarias, Honorio & Conſtantio viris clariſſimis conſulibus.

EPISTOLA INNOCENTII

PAPÆ INTER AVGSTINIANAS 96.

Innocentius Aurelio, Alipio Auguſtino Evodio, Poſſidio Epiſcopis ſalutem.

FRATERNITATIS veſtræ litteras plenas fidei totoque Religionis Catholicæ vigore firmatas à duobus miſſas Conciliis per Fratrem & coepiſcopum noſtrum Julium pergrato ſuſcepimus animo, quod earum tenor omniſque contextio eſt in conſideratione quotidianæ gratiæ Dei & in eorum correctione, qui contra ſentiunt, integrâ ratione conſiſtit: ut & illis omnem tollere poſſit errorem, & idoneum dato cuivis noſtræ legis exemplo quem ſequi debeat dignum poſſint præbere doctorem. Sed de his jam ſatis, ut opinor, ſupra diximus, cum veſtris relationibus reſpondentes reſcripſimus quid vel de illorum perfidia, vel de veſtra ſententia ſentiremus. Sed ſubinde contra eos ſubvenit & ſuppeditat quod dicatur, nec poteſt aliquando eſſe quod vincat, cum tam miſerum, impiumque ſit quod noſtræ fidei virtute & ipſa plenius veritate vincatur. Qui enim omnem vitæ ſpem reſpuit atque contempſit, inimicâ damnabiliqué cor ſuum diſputatione confundens, cum credit nihil eſſe, quod à Deo accipiat, nec aliquid ſupereſſe, quod petat ad ſanandum ſe, qui ſibi hoc abſtulit, ulterius quid relinquit? Si ergo ſunt aliqui, quos in ſui defenſionem perverſitas tanta devinxit, qui huic ſe dogmati dedant atque conjungant, ſperantes hoc ad Catholicam pertinere doctrinam, quod abhorrens longius & penitus approbatur adverſum, infecti illorum & monitis & verbis ut laberentur inducti, quatenùs ad rectum viæ tramitem redeant, feſtinabunt, ne divinitus mentem obſidens velut eorum ſenſibus paſtus error invadat. Nam ſi Pelagius quocunque reſtitit loco eorum animos, qui facilè vel ſimpliciter crederent, diſputanti, hac affirmatione decepit: ſeu hac illi in Urbe ſint, quod neſcientes nec manifeſtare poſſumus, nec negare, cum & ſi ſunt lateant, nec aliquando audeant, vel illum prædicantem iſta defendere, vel talia aliquo noſtrorum præſente jactare, & in tanta populi multitudine deprehendi aliquis facile, nec alicubi poſſit agnoſci: ſive in quovis terrarum loco degant, Dei noſtri miſericordia gratiaque credimus, quod facile corrigantur, audita ejus damnatione, qui fuerit pertinax & reſiſtens hujus dogmatis auctor inventus: nec intereſt, ubi iſti fuerint, dum ubicumque inveniri potuerint, ſint ſanandi. Nobis tamen nec perſuaderi poteſt eum eſſe purgatum, quamvis ad nos à noſtris quibuſdam laicis ſint geſta perlata, quibus ille auditum ſe crederet & abſolutum: quæ utrum vera ſint dubitamus quòd ſub nulla illius proſequutione venerunt, nec eorum aliquas accepimus de hac re litteras, apud quos iſtius rei iſte præſtitit cauſas. Quod ſi de ſua ille potuiſſet purgatione confidere, hoc magis credimus quod egiſſet, quod multo verius eſſe potuerat, ut illos cogeret Epiſtolis ſuis quid judicaverunt judicare verum, cum ſint aliqua in ipſis poſita geſtis, quæ objecta partim ille vitando ſuppreſſit, partim multa in ſe verba retorquendo tota obſcuritate confudit, aliqua magis falſis argumentis quam vera ratione, ut ad tempus poterat videri, purgavit negando, alia falſâ interpretatione vertendo. Sed utinam quod optandum magis eſt, etiam ſe ille ad veram fidei viam ab illo ſui tramitis errore convertat, ut cupiat velitque purgari, conſiderans quotidianam Dei gratiam, adjutoriumque cognoſcens, ut videatur verum, & approbetur ab omnibus manifeſta ratione correctus, non geſtorum judicio ſed ad Catholicam fidem corde converſo. Unde non poſſumus illorum nec culpare nec approbare judicium, cum neſciamus utrum vera ſint geſta, aut ſi vera ſunt, illum conſtet magis ſubterfugiſſe, quam ſe tota veritate purgaſſe. Qui ſi confidit, novitque non noſtra dignum eſſe damnatione, quod dicat jam totum hoc ſe refutare, quod dixerat, non à nobis accerſiri ſed ipſe debet potius feſtinare ut poſſit abſolvi. Nam ſi adhuc taliter ſentit, quando ſe noſtro judicio, quibuſvis acceptis litteris cum ſciat damnandum eſſe, committet? Quod ſi accerſendus eſſet, ab iis melius fieret, qui magis proximi & non longo terrarum ſpatio videntur eſſe disjuncti: ſed non deerit cura ſi

medicina

Digitized by Google

medicinæ præbeat ille materiam. Potest enim damnare quæ senserat, ac datis litteris erroris sui; ut regressum ad nos decet veniam postulare. Librum sanè qui ejus esse diceretur, nobis à vestra charitate transmissum evoluimus: in quo multa blasphemia, nihil quod placeret, nihil quod non penitus displiceret, à quovis damnandum atque calcandum, cui similia nisi quia ista scripserat nemo alter in mentem reciperet atque sentiret. Nam hoc loco latius de lege disputare velut coram posito, repugnanteque Pelagio necessarium esse non duximus, cum vobiscum totum scientibus parique nobiscum assensione gaudentibus colloquamur. Tunc enim melius hæc exempla ponuntur, quando cum iis quos harum constat rerum imprudentes esse tractamus. Nam de naturæ possibilitate, de libero arbitrio, & de omni Dei gratia & quotidiana gratia, cui non sit rectè sentienti uberrimum disputare? Anathematizet ergo ista, quæ sensit, ut illi qui ejus sermonibus fierant, præceptisque collapsi, quid tandem habeat fides vera cognoscant. Facilius enim revocari poterunt, cum ista à suo senserint auctore damnari. Quod si ille pertinaciter in hac voluerit impietate persistere, agendum est qualiter vel iis possit subveniri, quos non scelus huc, sed magis error induxit: nec & illis hæc medicina pereat, cujus iste talem non admittit nec postulat curam. Deus vos incolumes custodiat, Fratres charissimi. Datum quinto Kalendas Februarias.

EPISTOLA PATRVM CONCILII CARTHAGINENSIS INNOCENTIO PONTIFICI Romano de actis adversus Pelagium & Cœlestium. Inter Augustinianas 90.

DOMINO beatissimo & honoratissimo Fratri Sancto Innocentio Papæ. Aurelius, Mundius, Rusticanus, Fidentius, Evagrius, Antonius, Palatinus, Adeodatus Vincentius, Publianus, Theasius, Tutus, Panthonius, Victor, Restitutus, Rusticus, Fortunatianus, alius Restitutus, Ampelius, Animus, Fœlix, Donatianus, Adeodatus, Octavius Serotinus, Majorinus, Posthumanus, Trispulus, Victor, alius Victor, Leucius, Macianus, Fructuosus, Faustinianus, Quodvult Deus, Candorius, Maximus, Megarius, Rusticus, Ruffianus, Provilianus, Thomas, Januarius, Octavianus, Prætextatus, Sextus, Quodvult Deus, Penthadius, Quodvult Deus, Cyprianus Servilius, Pelagius, Marcellus, Venantius, Dydimus, Saturnius, Tiazacenus, Germanus, Germanianus, Inventius, Majorinus, Inventius, Candidus, Cyprianus & Aemilianus, Romanus, Affricanus & Marcellinus: qui in Concilio Ecclesiæ Carthaginensis adfuimus.

Cum ex more ad Carthaginensem Ecclesiam solemniter veniremus, atque ex diversis causis congregata ex nobis Synodus haberetur, compresbiter noster Orosius nobis litteras Sanctorum fratrum, & consacerdotum nostrorum dedit Herodis & Lazari, quarum formam his constituimus esse subdendam His ergo lectis, Pelagium & Cœlestium auctores nefarij prorsus, & ab omnibus nobis anathematizandi erroris advertimus. Unde factum est, ut recensendum peteremus, quid ante fermè quinquennium super Cœlestij nomine hic apud Ecclesiam Carthaginensem fuerit agitatum. Quo recitato, sicut ex subsequentibus advertere poterit sanctitas tua, quamvis judicatio manifesta constaret, quia illo tempore Episcopali judicio excisum hoc vulnus tantum ab Ecclesia videretur; nihilominus tamen id communi deliberatione censuimus & hujusmodi persuasionis auctores, quamvis ad Presbiterium idem Cœlestius postea pervenisse dicatur, nisi hæc apertissimè anathematisaverint, ipsos anathematizari oportere, ut si ipsorum non potuerit, salutem eorum, qui ab eis decepti sunt, vel decipi possunt, cognitâ sententia, quæ in eos lata est, sanitas procuretur. Hoc itaque gestum, Domine frater Sancte, Charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, & quorundam perversitate etiam corrigenda. Id enim agunt isti damnabilibus disputationibus suis, ut non defendendo, sed potius in superbiam sacrilegam extollendo liberum arbitrium nullum relinquant locum gratiæ Dei qua Christiani sumus, qua & ipsum nostræ voluntatis arbitrium verè fit liberum, dum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur, dicente Domino; *Si vos Filius liberaverit tunc verè liberi eritis*, quod auxilium fides impetrat, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Isti autem asserunt, sicut à fratribus, qui etiam eorum libros legerunt, cognovimus, in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis instituit creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam. Eandem quoque legem ad gratiam pertinere, quod illam Deus in adjutorium hominibus dedit. Illam verò gratiam, quâ, ut dictum est, Christiani sumus, cujus Apostolus prædicator est, dicens; *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis: miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*: nolunt omninò cognoscere, sed nec apertè quidem oppugnare audent: sed quid aliud agunt, cum hominibus animalibus non percipientibus, quæ sunt Spiritus Dei, persuadere non cessant ad operandam perficiendamque justitiam, & Dei mandata complenda solam sibi humanam sufficere posse naturam, non attendentes quod scriptum est, *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, & non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Quod unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes donadiversa secundum gratiam, quæ data est nobis. Et gratia Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit,*

Joan. 8.

Rom. 7.

Rom. 8. Rom. 9. Rom. 12. 1. Chor. 15.

Digitized by Google

non fait, sed plus omnibus illis laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum. Et *gratias Deo qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* Et *quia non idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobis*
Ibid. 2. Chor. 4. *metipsis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut eminentia virtutis sit Dei, & non ex nobis.* Et innumerabilia, quæ de scripturis omnibus si colligere velimus, tempus non sufficit. Et veremur, ne apud te ista commemorando, quæ majore gratia de Sede Apostolica prædicas, inconvenienter facere videamur. Sed ideo facimus, quia eo quod infirmiores sumus, quaquaversum quisque nostrum verbo Dei prædicando putatur attentior, crebrius eos patimur & audacius insurgentes. Si ergo Pelagius Episcopalibus gestis, quæ in oriente confecta dicuntur, etiam tuæ veneratioui juste visus fuerit absolutus; error tamen ipse & impietas, quæ tam multos assertores habet, per diversa dispersos, etiam auctoritate Apostolicæ Sedis anathemizanda est. Consideret ergo Sanctitas tua, & Pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quam sit pestiferum & exitiale ovibus Christi, quod istorum sacrilegas disputationes necessariò sequitur, ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem quod Dominus & Discipulos monuit, & potuit in ora-
Matt. 6. Luc. 22. tione, quam docuit: aut ne deficiat fides nostra, quod pro Apostolo Petro se rogasse ipse testatus est. Si enim possibilitate naturę & arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non ea videat à Domino inaniter peti, & fallaciter orari, cum orando poscuntur quæ naturæ nostræ jam ita conditæ sufficientibus viribus obtinentur? Nec debuisse dicere Dominũ Jesum: *vigilate & orate*: sed tantummodo; vigilate ne intretis in tentationem; nec beatissimo Petro primo Apostolorum; *Rogavi pro te*: sed, moneo te, vel impero, ac præcipio, ne deficiat fides tua. Contradicitur etiam istorum contentione benedictionibus nostris ut incassum super populum dicere videatur, quicquid eis
Ephes. 3. à Domino precamur, ut rectè ac piè vivendo illi placeant: & illa quæ pro fidelibus precatur Apostolus, dicens: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis Paternitas in Cœlo & in Terra nominantur, ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum ejus.* Si ergo voluerimus benedicendo super populum dicere: Da illis Domine, virtute corroborari per spiritum tuum; istorum nobis disputatio contradicit, affirmans negari liberum arbitrium, si hoc à Deo poscitur, quod in nostra est potestate. Virtute enim corroborari si volumus, inquiunt, possumus ea possibilitate naturæ, quam nunc non accipimus, sed cum crearemur accepimus. Parvulos etiam propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandos negant, ac sic eos mortifera ista doctrina in æternum necant: promittentes, etiamsi non baptizentur, habituros vitam æternam; nec pertinere ad eos de quibus Dominus ait: *Venit enim Filius hominis quærere, & salvare quod perierat.* Quia isti, inquiunt, non perierant, nec est, quod in eis salvetur, vel tanto prætio redi-
Luc. 19. matur: quia nihil est in eis vitiatum; nihil tenetur sub diaboli potestate captivum, nec pro eis fusus est sanguis, qui fusus esse in remissionem legitur peccatorum: quamquam per baptismum Christi etiam parvulorum fieri Redemptionem libello suo Cœlestius in Cartaginensi Ecclesia jam confessus est. Sed multi, qui eorum perhibentur esse vel fuisse discipuli, hæc mala quibus fundamenta Christianæ fidei conentur euertere, quantumcunque possunt, affirmare non cessant. Unde etiam si Pelagius Cælestiusque correcti sunt, vel se ista numquam sensisse dicunt, & quæcunque scripta contra eos prolata fuerint, sua esse negabunt, nec est quemadmodum de mendacio convincantur: generaliter tamen quicumque dogmatizat & affirmat, humanam sibi ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda; sufficere posse naturam, & eo modo gratiæ Dei quæ Sanctorum evidentius orationibus declaratur, adversarius invenitur: & quicunque negat parvulos per baptismum Christi à perditione liberari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit. Quæcumque autem alia ab eis objiciuntur non dubitamus venerationem tuam cum gesta Episcopalia perspexerit, quæ in oriente in eadem causa confecta dicuntur, id judicaturam, unde omnes in Dei misericordia gaudeamus. Ora pro nobis, Domine beatissime Papa.

EPISTOLA INNOCENTII PAPÆ INTER AVGVSTINIANAS 91.

Innocentius Aurelio & omnibus sanctis Episcopis, vel cæteris qui in Concilio Carthaginensis affuerunt Ecclesiæ, dilectissimis Fratribus in Domino Salutem.

IN requirendis de iis rebus, quas omni cum solicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero, justoque & Catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla seruantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, vestræ religionis vigorem non minùs nunc in consulendo, quàm antea cum pronunciaretis verâ ratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium, scientes quid Apostolicæ Sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emersit. Quem sequentes, tam mala jam damnare novimus, quam probare laudanda: vel id verò, quod Patrum instituta Sacerdotali custodientes officio, non censetis esse calcanda, quod illi, non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid de disjunctis, remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret: ubi tota hujus auctoritate, justa quæ fuerit pronunciatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diversas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manerent, quid præcipere, quos abluere, quos velut in cœno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda vitaret. Gratulor igitur, Fratres charissimi,

Digitized by Google

tres charissimi, quod per Fratrem Coepiscopum nostrum Julium litteras ad nos destinatis, & cum illis curam geritis, quibus præsidetis Ecclesiis sollicitudinem vestram pro omni utilitate monstratis, & per cunctas totius orbis terrarum Ecclesias omnibus una quod prosit decernendum esse deposcitis: ut suis constabilita regulis Ecclesia, ex hoc, quod illos caveat pronunciationis justæ firmata decretalibus pavere non possit, qui perversis instructi verborum argutiis sub imagine Catholicæ fidei disputantes, velut pestiferum exhalantes virus, ut hominum rectè sentientium in deteriorem partem corda corrumpant, totam veri dogmatis quærunt evertere disciplinam. Sanandum ergo celeriùs ne longius execrandus animis morbus inserpat, ut, si medicus cum viderit hujus terreni corporis aliquem esse languorem, magnum suæ artis æstimat documentum, si citò quis illius interuentu desperatus evadat: vel cum putre vulnus aspexerit, adhibet fomenta, vel cætera, quibus illud possit, quod natum fuerat, vulnus obduci, ac si id manens sanari non poterit, ne corpus reliquum suâ tabe corrumpat, ferro amputat, quod nocebat, quod reliquum integrum est, servat intactum. Præcidendum id ergo est, quod velut puro sanoque nimirum corpori vulnus obrepsit, ne, cum tardius abstergitur, in ipsis penè visceribus hujus mali non exhaurienda post sentina considat. Nam quid nos de his posthac rectum mentibus existimemus, qui sibi se putant debere, quod boni sunt, nec illum considerant cujus quotidie gratiam consequuntur? Sed item isti, qui tales sunt; nullam Dei gratiam consequentur, qui sine illo tantùm se assequi posse confidunt, quantum vix illi, qui ab illo postulant & accipiunt, promerentur. Quid enim tam iniquum potest esse, tam barbarum, tam totius religionis ignarum, tam Christianis mentibus inimicum, quam huic te negare debere quicquid in quotidiana gratia consequeris; cui te ipse confiteris debere quod natus es? Ergo eris tibi in providendo præstantior, quam potest in te esse, qui te, ut esses, effecit? Et cui putes debere quod vivis, quomodo te non putas illi debere, quod quotidianam ejus consequendo gratiam taliter vivis? Et qui nos adjutorio negas indigere divino quasi ex nostra in totum possibilitate perfecti, quomodo verò adjutorium in nos, cum tales à nobis etiam esse possumus, provocamus? Qui enim adjutorium Dei negat, vellem interrogare, quid dicat, nos non mereri, an illum hoc non posse præstare? An nihil esse propter quod unusquisque hoc debeat postulare? Posse hoc Deum opera ipsa testantur: & adjutorio quotidiano nos egere negare non possumus. Hoc enim seu bene vivimus, precamur, ut melius, sanctiusque vivamus; seu prava sentientes, à bonis avertimur, ut ad rectam redeamus viam, ejus auxilio plus egemus. Nam quid tam mortiferum, tam præceps videatur ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quod liberum arbitrium cum nasceremur accepimus, ultra jam à Domino nihil quæramus? Id est, auctoris nostri obliti ejus potentiam, ut nos ostendamus liberos, abjuremus, quasi jam amplius quod possit dare, non habeat, qui te in tuo ortu liberum fecit: nescientes quod nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenæ labis, & mundani corporis vincere conemur errores, cum pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium. Nam si ille clamat adjutorio sibi opus esse divino, qui digne hoc non quæreret, si ei liberum arbitrium plus prodesset, quippè cum vir beatus & jam electus à Domino nihil egeret, tamen ita Deum deprecatur postulans: *Audi oratorem meum esto: ne derelinquas me neque despicias me Deus salutaris meus.* Nos nobis liberum arbitrium, ille Deum postulat adjutorem: quod nati sumus posse sufficere nos dicimus; ille Deum ne derelinquatur exorat? Nos ergo dicimus manifestè, quid oremus? Cum ille tantoperè beatus ut supradiximus, vir, ne despiciatur exorat. Illi enim necesse est ita arguant, qui ista confirmant. David enim orationis ignarus & suæ naturæ nescius accusetur: qui cum sciat tantum in sua inesse natura, adjutorem sibi Deum & assiduum adjutorem invocat; nec illi sufficit assiduum, sed ne aliquando illum despiciat orationibus pronus exoptat, & per corpus omne psalterio hoc & prædicat & clamat. Si ergo illi tam magnum sit, ut assiduè diceret, ita necessarium est confessis ut doceret quemadmodum Pelagius Cœlestiusque se posita omni responsione psalmorum, talique abdicata doctrina, suasuros se aliquibus esse confidunt nos adjutorium Dei nec debere quærere nec egere, cum omnes sancti se sine hoc agere posse testentur. Liberum enim arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis cadens in prævaricationis profunda demersus, (nihil quemadmodum exinde surgere posset, invenit, suaque in æternum libertate deceptus, hujus ruinæ jacuisset oppressu, nisi eum post Christi pro sua gratia relevasset adventus: qui per novæ regenerationis purificationem, omne præteritum vitium sui baptismatis lavacro purgavit. Et ejus firmans statum, quo rectius, stabiliusque procederet, tamen suam gratiam in posterum non negavit. Nam quamvis redemisset hominem à præteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum & post corrigere multa servavit: quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, ut, quo auxiliante, vincimus, eo iterum non adjuvante, vincamur. Sed possem plura dicere, nisi vos constaret cuncta dixisse. Quisquis ergo huic assentiens videtur esse sententiæ, qua dicat adjutorio nobis non opus esse divino, inimicum se Catholicæ fidei, & Dei beneficiis profitetur ingratum. Nec nostra communione sunt digni, quam prædicando taliter polluerunt, sic enim sua sponte dum sequuntur illa, quæ dicunt, longius à vera religione fugerunt. Cum enim hoc totum in nostra professione consistat, quotidianisque precibus agamus nisi quemadmodum Dei misericordiam consequamur quemadmodum ferre possimus ista jactantes? Quis rogo tantus illorum pectora error obcæcat, ut, si nullam gratiam sentiunt, quia nec digni sunt, nec merentur, nec de aliis considerent, quid quotidie singulis gratia divina largitur? Sunt quidem isti omni cæcitate dignissimi, qui nec hoc sibi reliquerunt, ut se auxilio credant revocari ab erroribus posse divino. Negantes enim adjutorium, non aliis, sed sibi hoc penitus abstulerunt, qui avellendi sunt longius & ab Ecclesiæ procul removendi visceribus, ne diutius multa occupans, insanabilis post error increscat. Si enim diu fuerint in hac impunitate versati, necesse est multos in hanc suæ pravitatem mentis inducant, decipiantque innocentes, vel potius imprudentes, qui fidem Catholicam non sequuntur. Putabunt enim eos rectè sentire, quos adhuc viderint in Ecclesia perdurare. Separetur ergo à sano corpore vulnus insanum, remotoque morbi sævientis afflatu, cautius quæ sunt sincera perdurent, & grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur. Sit totius corporis illa beata perfectio, quam vos sequi & tenere hac in illos pronunciatione cognovimus, & una vobiscum pari assensione servamus. Qui si tamen aliquod in se Dei adjutorium, quod hucusque negaverunt, provocaverint & opus sibi ejus auxilium esse cognoverint, ut de hac labe, in qua sui cordis incurvatione corruerant, liberentur, quasi in lucem de fœda tracti caligine, remotis abdicatisque omnibus, quibus totus ne verum aspiceret fædabatur & caligabat,

Psal. 26.

Digitized by Google

aſpectus, damnent hæc, quæ hucuſque ſenſerunt & aliquando animum rectis diſputationibus commodantes, ab hac aliquantulum labe correcti, veris ſe ſanandos Conciliis tribuant atque ſubmittant. Quod ſi fecerint, erit in poteſtate Pontificum, iſtis aliquatenus ſubvenire, & talibus aliquam curam præſtare viſ Ineribus, quam ſolet lapſis, cum reſipuerint, Eccleſia non negare: ut à ſuis revocati præcipitiis, intra ovile Domini rediganſtur, ne foris poſiti, & tanto præſidio à fide munitionis excluſi, periculis omnibus exponantur, devorandi luporum dentibus atque vexandi, quibus obſiſtere hac, qua illos in ſe irritaverant, doctrinæ perverſitate non poſſunt. Sed ſatis veſtris monitis, & ſic ſatis abundantibus noſtræ legis exemplis probatur eſſe reſponſum, nec quicquam ſupereſſe duximus, quod dicamus cum nihil prætermiſſum à vobis, nihil conſtet eſſe ſuppreſſum, quo illi refutati & penitus cognoſcantur eſſe convicti. Ideoque à nobis teſtimonia nulla ponuntur, quia & his plena relatio eſt, & ſatis conſtat ut doctiſſimos Sacerdotes cuncta dixiſſe, nec decet credere vos aliquid quod ad cauſam poſſit proficere præterjiſſe. *Et alia manu.* Bene valete Fratres. *Et ad latus.* Quinto Kalendas.

DECRETA CONCILII VALENTINI

CELEBRATI AB EPISCOPIS TRIUM. in Gallia provinciarum, Lugdunenſis, Viennenſis & Arelatenſis.

Caput primum.

1. Tim. 6. 2. Tim. 2. Ibid. Philip. 2. QUIA Doctorem gentium in fide & veritate fideliter commonentem obedienterque audimus: *O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans prophanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Et iterum. *Prophana autem & inaniloquia devita: multùm enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum ut cancer ſerpit.* Et iterum. *Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones devita, ſciens quia generant lites: ſervum autem Domini non oportet litigare.* Et iterum. *Nihil per contentionem: neque per inanem gloriam.* Paci quantùm Deus dederit, & charitati ſtudere cupientes, attendentes pium ejuſdem Apoſtoli conſilium, *ſolliciti ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis*, novitates vocum, & præſumptivas garrulitates, unde potius inter fratres contentionum & ſcandalorum fomes excitari poteſt, quàm ædificatio nulla timoris Dei ſuccreſcere, cum ſtudio omni devitamus. Indubitanter autem Doctoribus piè & rectè tractantibus verbum veritatis, ipſiſque ſacræ Scripturæ lucidiſſimis expoſitoribus, id eſt, Cyriano, Hilario, Ambroſio, Hieronimo, cæteriſque in Catholica pietate quieſcentibus, reverenter auditum, & obtemperanter intellectum ſubmittimus, & pro viribus quæ ad ſalutem noſtram ſcripſerunt amplectimur. Nam de præſcientia Dei, & de prædeſtinatione, & de quæſtionibus aliis, in quibus fratrum animi non parùm ſcandalizati probantur; illud tantùm firmiſſimè tenendum eſſe credimus, quod ex maternis Eccleſiæ uiſceribus nos hauſiſſe gaudemus.

Caput ſecundum.

Dani. 13. Pſal. 61. Rom. 2. 2. Theſſal. 1. Deum præſcire & præſciiſſe æternaliter & bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali ſunt geſturi, quia vocem Scripturæ dicentis habemus: *Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiant*, fideliter tenemus, & placet tenere, bonos præſciſſe omninò per gratiam ſuam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos: malospræſciſſe per propriam malitiam malos futuros, & per ſuam juſtitiam æterna ultione damnandos: ut ſecundum pſalmiſtam, *quia poteſtas Dei eſt, & Domini miſericordia, ut reddat unicuique ſecundum opera ſua.* Et ſicut Apoſtolica doctrina ſe habet. *His quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: his autem qui ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.* In eodem ſenſu idem alibi. *In revelatione*, inquit, *Domini noſtri Ieſu Chriſti de cœlo cum Angelis virtutis ejus, in igne flammæ dantis vindictam his qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pœnas dabunt in interitu æternas, cum venerit glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Nec prorſus ulli malo præſcientiam Dei impoſuiſſe neceſſitatem, ut aliud eſſe non poſſet, ſed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille ſicuti Deus, qui novit omnia antequam fiant, præſcivit ex ſua omnipotenti & incommutabili majeſtate. Nec ex præjudicio ejus aliquem, ſed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari. Nec ipſos malos ideo perire, quia boni eſſe non potuerunt, ſed quia boni eſſe noluerunt, ſuoque vitio in maſſa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanſerunt.

Caput tertium.

Rom. 9. Sed & de prædeſtinatione Dei placuit, & fideliter placuit, juxta auctoritatem Apoſtolicam, quæ dicit: *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ubi & ſtatim ſubjungit: *Quòd ſi volens Deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ aptata, ſive præparata in interitum, ut oſtenderet divitias gratiæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Fidenter fatemur, prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem: in electione tamen ſalvandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem perituroruм meritum malum præcedere juſtum Dei judicium. Prædeſtinatione autem Deum ea tantùm ſtatuiſſe, quæ ipſe vel gratuitâ miſericordiâ, vel juſto judicio facturus erat, ſecundùm ſcripturam dicentem

Digitized by Google

dicentem: *qui fecit quæ futura sunt.* In malis verò ipsorum malitiam præsciisse, quia ex ipsis est, non prædestinasse, quia ex illo non est. Pœnam sanè malum meritum eorum sequentem, uti Deum, qui omnia prospicit, præsciisse, & prædestinasse, quia justus est, apud quem est, ut S. Augustinus ait, de omnibus omnino rebus tàm fixa sententia, quàm certa præscientia. Ad hoc si quidem facit sapientis dictum, *parata sunt derisoribus judicia & mallei percutientes stultorum corporibus.* De hac immobilitate præscientiæ & prædestinationis Dei, per quam apud eum futura jam facta sunt, etiam apud Ecclesiastem bene intelligitur dictum: *Cognovi quòd omnia opera quæ fecit Deus perseverent in perpetuum.* Non possimus his addere, nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur. Verum aliquos ad malum prædestinatos esse divina potestate, videlicet ut quasi aliud esse non possint, non solùm non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausicana Synodus, illis anathema dicimus.

Isayæ. 45. Jux. 70. Prov. 19. Eccles. 3. Cap. 25.

Caput quartum.

Item de redemptione Sanguinis Christi, propter nimium errorem qui de hac causa exortus est, ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui æterna damnatione puniti sunt, effusum eum definiant, contra illud Propheticum: *Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne:* Illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, juxta Evangelicam & Apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam:* Et Apostolus: *Christus,* inquit, *semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.*

Osee. 13. Joan. 3. Hæbr. 9.

Porrò capitula quatuor; quæ â Concilio fratrum nostrorum minus prospectè suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati; sed & alia 19. Syllogismis ineptissimè conclusa, & licet jactetur, nulla sæculari literatura nitentia, in quibus commentum diaboli potiùs, quàm argumentum aliquod fidei deprehenditur, à pio auditu fidelium penitus explodimus; & ut alia & similia caveantur per omnia auctoritate Spiritus Sancti interdicimus: novarum etiam rerum introducturos, ne districtiùs feriantur, castigandos esse censemus.

Caput quintum.

Item firmissimè tenendum credimus, quòd omnis multitudo fidelium ex aqua & Spiritu Sancto regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata, & juxta doctrinam Apostolicam in morte Christi baptizata, in ejus *Sanguine* sit à peccatis suis abluta; quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret & vera redemptio: cum in Ecclesiæ Sacramentis nihil sit cassum, nihil ludificatorium, sed prorsus totum verum, & ipsa sui veritate ac sinceritate subnixum. Ex ipsa tamen multitudine fidelium redemptorum, alios salvari æterna salute, quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent, ipsius Domini sui vocem in corde ferentes: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit:* alios, quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemptionisque gratiam potiùs irritam facere prava doctrina vel vita, quàm servare, elegerunt, ad plenitudinem salutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire. In utroque siquidem doctrinam pij Doctoris habemus: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Et. *Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Et iterum: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei asperso corda à conscientia malæ, & abluti corpus aquâ mundâ teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.* Et iterum. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia:* Et iterum: *Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

Matt. 10. Rom. 6. Hæbr. 10. Ibid. Ibid.

Caput sextum.

Item de gratia,, per quam salvantur credentes, & sine qua rationalis creatura nunquam beatè vixit: & de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, sed per gratiam Domini Jesu fidelibus ejus redintegrato & sanato, idipsum constantissimè & fide plena fatemur quod Sanctissimi Patres auctoritate Sacrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt; quod Africana, quod Arausicana Synodus professa est, quod Beatissimi Pontifices Apostolicæ Sedis Catholica fide tenuerunt: sed & de natura & gratia, in aliam partem nullo modo declinare præsumentes. Ineptas autem quæstiunculas, & aniles penè fabulas, Sanctorumque pultes puritati fidei nauseam inferentes, quæ periculosissimis & gravissimis temporibus, ad cumulum laborum nostrorum, usque ad scissionem charitatis miserabiliter & lacrymabiliter succreverunt, ne mentes Christianæ inde corrumpantur, & excidant à simplicitate & castitate fidei, quæ est in Christo Jesu, penitus respuimus, & ut fraterna charitas cavendo à talibus auditum castiget, Domini Christi amore monemus. Recordatur fraternitas malis mundi gravissimis se urgeri, messe nimia iniquorum, & paleis levium hominum se durissimè suffocari. Hæc vincere ferveat, hæc corrigere laboret, & superfluis cœtum piè dolentium & gementium non oneret: sed potiùs certa & vera fide, quod à Sanctis Patribus de his & similibus sufficienter prosecutum est, amplectatur.

IN DECRETA PRÆFATAE SYNODI VALENTINÆ Brevis Annotatio.

CELEBRATI in Gallia &c. In Gallia Valentina esse, in qua hæc Synodus celebrata fuit, dubium non est ex subscriptione Episcoporum, qui in illa convenerunt. Fuit autem Concilium provinciale, non sub Benedicto Papa III. congregatum, ut in tertio tomo Conciliorum ponitur, sed sub Leone IV. ut rectè Cardinalis Baronius notavit in suis annalibus ad annum 855. mense Januario, & Leo hujus nominis quartus de-

Digitized by Google

functus sit die 17. mensis Julij ejusdem anni, patet sub Leone, & non sub Benedicto ejus successore fuisse celebratum.

In caput tertium annotatio alia.

Loqui prædictum Concilium de prædestinatione & reprobatione non solùm quoad ultimum effectum, verùm de toto progressu prædestinationis, & reprobationis à primo effectu usque ad ultimum, & verba ipsa, quibus absolutè de prædestinatione & damnatione (per quam intelligit reprobationem) fit sermo, non obscurè significant: intentio quoque Concilij (quæ erat errores damnare, qui circa prædestinationem & reprobationem grassabantur, qui potissimè contra primum utriusque effectum militabant) satis manifestat. Et tandem illa verba: prædestinatione autem Deum ea tantum statuisse, quæ, vel gratuitâ misericordiâ, vel justo judicio facturus erat &c. clarè ostendunt. Ideo enim loquendo de prædestinatione duo ipsi adscribit, alterum, gratuitam misericordiam, pro primo nempe effectu illius & aliis usque ad ultimum exclusivè; alterum verò justum Dei judicium pro ultimo nempe effectu illius, quo in executione prædestinatis datur corona justitiæ, ut ostenderet de toto progressu prædestinationis sermonem texuisse. Unde sequitur, ut etiam opposita reprobatione quoad omnem ejus effectum à primo usque ad ultimum sermonem faciat. Et cum damnationem illam vocat, illud etiam ostendit, primum ejus effectum (qui est voluntas excludendi à regno, vel potius voluntas circa finem antecedens formalem processum reprobationis) non nisi propter peccatum originale fieri, ut docet perpetuò S. Augustinus & nos in secundo libro dabimus manifestum. Cum enim reprobos à regno velit Deus propter peccatum originale excludere; rectè talis exclusio damnatio, saltem originaliter, à Concilio vocatur, sicut Apostolus iram, ideſt, justitiam vindicativam culpam nempe originalem supponentem, ipsam priùs nominavit.

Alia in caput quartum Annotatio.

In hoc capite damnat Concilium eos, qui contendebant, pro impiis, & propter peccata damnatis effusum fuisse Sanguinem Christi; quod intelligit quoad efficaciam; & hoc ex errore quem damnat satis liquet, & ex locis Scripturæ quibus illum expugnat apertè convincitur, quæ non nisi contra applicantes impiis & damnatis efficaciter & cum effectu redemptionem Sanguinis Christi, manifestè procedunt: Nam quòd pro illis quoad sufficientiam effusus etiam fuerit Sanguis Christi, docet Tridentina Synodus sess. 6. cap. 2. dicens quòd proposuit Deus Christum propitiationem per fidem in Sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solùm autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi, post quæ verba subjungit cap. 3. verùm, & si ille pro omnibus mortuus est; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed hi dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Ecce pro nobis dicit Christum mortuum, quoad sufficientiam scilicet, non tamen omnibus communicatur meritum passionis ejus, quoad efficaciam, sed sanctis tantùm.

Item in eodem capite quarto illis verbis. *Porro* capitula quatuor &c. rejicit Synodus Valentina non solùm errores seu hæreses Scotorum (quamvis has tantùm ibi refelli, sint qui dicant): sed etiam refutat capitula illa quatuor cum aliis 19. syllogismis, qui ineptè in Synodo Moguntina habita anni Domini 848. tradebantur; in qua Synodo licet Episcopi aliqui convenissent contra prædictos Scotorum errores, ineptè tamen prædicta capitula statuerunt. Quod ita esse, ex eo constare potest, quòd contra Scotos illos, & omnes eorum fabulas in capite sexto agit, in capite verò quarto de illis non tractat, potissimè quia Scotos hæreticos non nominaret, nec vocaret Synodus Valentina Concilium fratrum nostrorum, sicut damnando illa quatuor capitula, dicit se illa damnare, quæ à Concilio fratrum nostrorum minus prospectè susceptа sunt. Tandem cum hæc Moguntina Synodus in tomis Conciliorum non inveniatur, in quibus tamen aliæ tres Moguntinæ Synodi diversis aliis temporibus celebratæ reperiuntur, hoc suspicionem non minimam generat, hanc esse, quæ à Concilio Valentino damnatur: ob quam etiam causam meritò inter Concilia non numeratur.

EPISTOLA LXXXVI. B.

LEONIS PAPÆ I.

Mandat, ut Pelagiani sacris initiati ad communionem recepti fidei Catholicæ professionem emittant, eorumque hæresim refellit.

LEO EPISCOPUS ROMAE, NICETAE Aquileiensi Episcopo salutem.

RELATIONE sancti fratris & coepiscopi nostri Septimij, quæ in subditis habetur, agnovimus quosdam Præsbiteros, Diacones, ac diversi Ordinis Clericos, quos Pelagiana sive Cælestina hæresis habuerit implicatos, ita in vestra Provincia ad communionem Catholicam pervenisse; ut nulla ab eis damnatio proprij exigeretur erroris, & Pastoralibus excubiis nimium dormitantibus, lupus ovium pellibus tectus in ovile Dominicum, non depositis bestialibus animis introiret; & quod per auctoritatem canonum decretorumque nostrorum ne insontibus quidem conceditur, usurpare, ut relictis Ecclesiis in quibus clericatum aut acceperant, aut receperant, instabilitatem suam per diversa circunferant, amantes semper errare

Digitized by Google

per errare & nunquam in fundamento Apostolico permanere. Quoniam qui nullo discussi examine, nullo suæ præjudicio suæ professionis obstricti, hunc maximè expetunt fructum, ut sub velamento communionis plures domos adeant & per falsi nominis scientiam multorum corda corrumpant. Quod utique efficere non possent si Ecclesiarum Præsules necessariam diligentiam in talium receptione servarent, ne cuiquam eorum evagari in diversa licuisset.

Ne ergo hoc ulterius audeatur, neve per quorundam negligentiam introducta pernicies ad eversionem multarum tendat animarum, hæc nostri auctoritate præcepti, industriæ tuæ fraternitatis indicimus; ut congregata apud vos Synodo Provincialium Sacerdotum, omnes sive Præsbiteri, sive Diaconi, sive cujusque Ordinis Clerici, qui de Pelagianorum, Cælestianorumque consortio in communionem Catholicam ea imprudentia sunt recepti, ut non priùs ad damnationem sui coarctarentur erroris, nunc, saltem posteaquam hypocrisis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, quæ & ipsis prodesse, & nullis possit nocere, cogantur. Damnent apertis professionibus sui superbi erroris authores, & quidquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur: omniaque decreta Synodalia, quæ ad excisionem hujus hæreseos Apostolicæ Sedis confirmavit auctoritas, amplecti se, & in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum: quoniam novimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacunque particula dogmatis execrandi, qua se à damnandorum societate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum.

Cumque omnes diffinitiones suas ad subrependi facilitatem improbare se simulent atque deponere, hoc ibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt, ut gratia Dei secundum meritum dari accipientium sentiatur. Quæ nisi gratis detur, non est gratia, sed merces, retributioque meritorum, dicente beato Apostolo: Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est. Non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus, Ephes. 2. ut in illis ambulemus. Omnis itaque bonorum operum donatio, divina præparatio est, nec propria quisque justificatur virtute, quoniam gratia uniquique principium justitiæ, & bonorum fons, atque origo meritorum est. Sed ab istis ideo per naturalem industriam dicitur præveniri, ut quæ ante gratiam proprio data sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata; falsumque sit quod veritas ait. Quoniam filius hominis venit quærere & salvare quod perierat. Ideo etiam parvulos dicunt, si sine baptismo hinc Matt. 18. de seculo exierint, non posse damnari, neque reos in peccato Adæ teneri, sed ad regnum Dei, vel ad vitam Rom. 5. æternam sine ulla cunctatione venire, cum Apostolus dicat: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors & ita in omnes homines pertransiit, propter quod & ipsi parvuli baptizantur. Quamvis in illo uno possunt intelligi plura peccata, si unum ipsum in sua quasi membra singula dividatur. Nam & superbia est illic, quia in sua homo potius esse, quam in Dei potestate dilexit: & sacrilegium, quia Deo non credidit: & homicidium, quia se præcipitavit in mortem: & fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est: & furtum, quia prohibitus usurpatus est cibus, & avaritia, quia plus quam sufficere illi debuit, appetivit: & si quid aliud in hoc uno admisso diligenti consideratione poterit inveniri.

Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe sententia, reddam peccata in filios, tenet eos utique antequam per regenerationem ad Testamentum novum incipiant pertinere, quod Testamentum Prophetabatur, cum diceretur per Ezechielem, non accepturos filios peccata patrum suorum, nec ulterius, futuram in Israël parabolam illam, Patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Ideo enim quisque renascitur, ut solvatur in eo quicquid peccati est, cum quo nascitur. Nam peccata, quæ malè agendo postea committuntur, possunt & pœnitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri videmus. Ac per hoc non est instituta regeneratio, nisi quia vitiosa est generatio, usque adeo ut etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat: in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea in utero me aluit. Neque hic dixit, in iniquitate vel in peccato, cum hoc rectè dici posset, sed iniquitates & peccata dicere maluit quia & in illo uno, quod in omnes homines pertransivit quodque tam magnũ est, ut eo mutaretur & converteretur in necessitatem mortis humana natura (sicut supra diximus) reperiuntur plura peccata, & alia parentum, quæ licet non possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia & misericordia divina subveniat. A parvulo enim recens nato, usque ad decrepitum senem, quamlibet corporis ætatem gerant, sicut nullus prohibendus est à baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo. Sed parvuli tantum originali, majores autem his omnibus moriuntur peccatis, quæcumque malè vivendo addiderunt ad illud quod nascendo traxerunt.

Cavendum ergo dilectioni tuæ est, magnaque diligentia providendum, ne per hujusmodi homines extincta dudum scandala suscitentur: & de exciso olim dogmate aliquod in provincia tua ejusdem mali germen oriatur; quod non solum in radicibus suis crescat, sed etiam sanctæ Ecclesiæ sobolem veneno sui odoris inficiat. Qui correctos se videri volunt, ab omni suspitione se purgent: & obediendo nobis probent se esse nostros. Quorum si quisquam salubribus præceptis satisfacere detrectarit, sive ille clericus, sive sit laicus, ab Ecclesiæ societate pellatur ne perditor animæ suæ, saluti insidietur alienæ.

Illam quoque partem Ecclesiasticæ disciplinæ, qua olim à Sanctis Patribus, & à nobis sæpe decretum est, ut nec in Præsbiteratus gradu, nec in Diaconatus ordine, nec in subsequenti officio clericorum ab Ecclesia *ad Ecclesiam* cuiquam transire sit liberum, ut in integrum revoces, admonemus. Et unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ubi ordinatus est, perseveret: ita ut si quis sua quærens, non quæ Jesu Christi, ad plebem & Ecclesiam redire neglexerit, & ab honoris privilegio, & à communionis vinculo habeatur extraneus. Non autem dubitet dilectio tua nos, si (quod non arbitramur) neglecta fuerint quæ pro custodia canonum, & pro fidei integritate decernimus vehementius commovendos, quia inferiorum ordinum culpę ad nullos magis referendæ sunt, *quam ad desides negligentesque Rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.*

De quatuor autem Gelasij decretis, de quibus jam supra, illud visum est transcribere, quod habetur in Epistola ejus tertia, quæ est ad Honorium ubi monet ne Pelagianam hæresim à tot Pontificibus detestatam revi-

Digitized by Google

viscere sinat: quamvis & aliæ tres sequentes, quarta ultimo quinta & sexta omnino legendæ sint & considerandæ, in quibus multa inveniuntur contra istum errorem definita, detegunturque multiplices cavillationes: quibus illum colorare sui defensores contendebant. Ex quibus in processu doctrinæ efficaciora decerpemus, nunc autem præsentem tertiam ejus Epistolam referre sufficiet.

EPISTOLA III. B. GELASII PAPÆ. I.

Dilectissimo fratri Honorio Gelasius.

LICET inter varias temporum difficultates continuis occupationibus implicati, vix respirare valeamus; pro Sedis tamen Apostolicæ moderamine totius ovilis Dominici curam sine cessatione tractantes, quæ Beato Petro Salvatoris ipsius nostri voce delegata est, *Et tu conversus confirma fratres tuos.* Et item: *Petre amas me, pasce oves meas.* Discimulare nec possumus, nec debemus: quæ nostram solicitudinem forma perstringat cum Beato Paulo Apostolo sentientes atque dicentes; quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non uror? Ita quippe nos repente tristis, horrenda & vix credibilis confecit opinio, ut mentem nostram confunderet, sauciaret, affligeret. Nuntiatum nobis est enim in regionibus Dalmatiarum, quosdam recidiva Pelagianæ pestis zizania seminasse: tantumque illic eorum prævalere blasphemiam, ut simplices quosque mortiferi furoris insinuatione decipiant. Est quidem error ipse nefarius tanto perniciosior adsubripiendum, quanto ad fallendum verisimilitudinis colore versutior: præstante Domino adest fidei Catholicæ pura veritas, concordibus universorum patrum deprompta sententia, quæ & subtile virus funestæ pravitatis exponat, & humano generi salvando conferat de Scripturarum confectione medicinam. Nullatenus igitur discretionem rerum nondum abundantia corda contubet, donec & occultum vulnus appareat, & salvatio singularis eluceat: quoniam quantalibet arte fallaciæ spiritus perditionis armetur; Sancto gladio Spiritus principalis & detegitur, & necatur. Quapropter per dilectionem tuam cunctos ubidem Domini Sacerdotes fraterno commonemus affectu; ut qui cum erudiente vos Domino contra novitios pugnetis errores, olim perversitatem toto orbe damnatam nec ipsos recipere debeatis, aut quod temerè putatur, esse faciendum; quæ non hæresis major bus nostris convenienter extincta rursus provocare nos audeat, & palam novis resumptis viribus, aperteque confligat. Numquidnam licet nobis à venerandis Patribus damnata dissolvere, & ab illis exsisa nefaria dogmata retractare? Quid est ergo quod magnoperè præcavemus, ne cujusl bet hæresis semel dejecta pernicies ad examen denuo venire contendat? Si quæ antiquitus à nostris majoribus cognita, discussa, refutata sunt, restauranda nitamur, nonne ipsi nos (quod absit) & quod nunquam Catholica patietur Ecclesia, adversariis veritatis universis contra nos resurgendi proponimus exemplum? Ubi est quod scriptũ est. *Terminos Patrum tuorum non transgredieris; & interroga Patres tuos, & annunciabunt tibi. & seniores tuos, & dicent tibi?* Quid ergo tendimus ultra definita majorum, aut cur nobis non sufficit? Si quid ignorantes discere cupiamus, qualiter ab Orthodoxis Patribus & senioribus singula quæque vel vitanda præcepta sunt, vel aptanda Catholicæ veritati; cur non his probantur esse decreta? Numquid aut sapientiores illis sumus, aut poterimus firma stabilitate constare? Si ea quæ ab illis constituta sunt, subruamus, an fortasse nescitis hanc hæresim, de qua loquimur & ab Apostolica dudum sede per beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zozimum, Bonifacium, Cælestium, Sixtum, Leonem continuis & incessabilibus sententiis fuisse prostratam; nec tamen Ecclesiæ Catholicæ legibus, sed principum quoque Romanorum eo tenore damnatam, ut nec usquam terrarum vivendi locum sectatores ejus habere sinerentur? Quæ omnia tam gestis Ecclesiæ per singulas quasque Regiones de eorum pravitate confectis, quam censuræ publicæ sanctionibus ederentur? Ecce quorumlibet aures Catholicas audire doctrinam, quæstiones accipere, tractare tendiculas, & blasphemias patienter admittere. O si studerent adversus eos majorum nostrorum libros responsaque cognoscere, illic modis omnibus cerneretur, nihil esse prorsus quod non & abistis fuerit ventilatum, & ab illis magnifica veritate contritum. Sicque de cunctis eorum nequitiis refutandis fideles quique redderentur instructi, ut nihil amplius quereretur. Sed si forsitan ineruditos animos quædam de eorum sensibus proposita commoverunt, ita venerabilium Patrum doctrinis & omnis eorum publicatur insania, & quibus remediis curetur, ostenditur, ut ex his Deo præstante prævisis, cuncta, quæ de eorum serie texuerunt, & periculosa sectantibus, & stulta deprehendentibus esse videantur; ita ut si quis existimet reluctandum, non tamen veterum sententiis contradictor existat; sed humanæ saluti, Catholicæque doctrinæ palam se, aperteque profiteatur inimicum; quo magis attentius pervigil cura Pastorum à sacris gregibus luporum debet arcere sævitiam. Num quicquid ovibus sanctis acciderit detrimenti, præsulum (quod absit) clamet incuriam; sicut à regeneratis agminibus nocentium depulsio bestiarum custodum præmiis perpetuum procuravit augmentum? Certe si ut magis optamus, falsis hæc rumoribus sint relata, quantocius desideramus agnoscere, ut qui membrorum Christi vexatione trepidamus, multo magis de eorum stabilitate lætemur. Data V. Calend. August. Albino Fausto V. C. Consule.

Præterea idem Gelasius in Epistola sexta ita habet in principio.

De Pelagianis quidem sensibus blasphemiisque sacrilegis, & apud majores nostros tam divinis quam humanis legibus, justa discussione damnatis, nimis est copiosa materia, quia & illorum est multiplex perniciosa perversitas, eoque nocentior, quo verisimilitudinis colore subtilior, quam de ipsius humani generis principe, pravo funestoque commento non ritè conceptam rerum consequentium mendaciis texuerunt. Necesse est enim ut qui à principio deviarit ab integro tramite, vagus ubique progrediens, quantò se currere fortius putet, tanto plus erret; & in his ut competit refutandis disputatio prolixa debeat adhiberi: quoniam quidem profectæ medicinæ mos est originem vel intelligere prius, vel referare, morborum, eisque patefactis medelam conficere congruentem,

Digitized by Google

congruentem, quæ cuncta, si Dominus vitam facultatemque tribuerit, inquantum cœlesti rore vegetati valebimus, alias moliemur explicare.

Extat insuper insignis illa decretalis Cælestini contra omnes Simipelagianorum errores, quam & hic transcribere necessarium putamus, quia plenius in ipsa omnes confutantur, & argumento errantium, quo ex gratia Dei liberam auferri arbitrium pertinaciter contendebant, ipse Pontifex Summus expresse respondet, & quam fallax hoc argumentum sit, Apostolica auctoritate decernit, quæ & talis est.

CÆLESTINI PAPÆ PRO PROSPERO ET HILARIO DE GRATIA DEI EPISTOLA ad quosdam Galliarum Episcopos.

DILECTISSIMIS Fratribus Venerio, Mario, Leontio, Auxonio, Arcadio, Philtatio, & cæteris Galliæ Episcopis. Cælestinus Episcopus. Apostolici verba præcepti sunt: apud Judeos & apud Gentiles sine offensione nos esse debere, hoc quisquis Christianus est, tota animi virtute custodit. Quod cum ita sit, non parvum periculi illum manere poterit ante Deum, qui hoc detractat etiam fidelibus exhibere. Nam qualiter nos qui neminem perire volumus, ita contristent, quæ authoribus Christianis pereclitant animos Christianos, Dominus in Evangelio sermo testatur. Ait enim ipse salvator, quod expediat scandalizanti unum de pusillis, in maris profunda demergi. Et ideo quæ sit ejus jam pœna quæramus, cui tale supplicium legimus expedire.

Ex Cresconio.

Hujus Epistolæ mentionem faciunt Vincentius Lyrinensis in libro adversus hæreses circi serum, & Prosper in libro contra collatorem cap. 41.

Filij nostri præsentes Prosper & Hilarius, quorum circa Deum nostrum solicitudo laudanda est, tantum nescio quibus *Præbiteris illic* licere, qui dissentioni Ecclesiarum studeant, sunt apud nos prosecuti, ut indisciplinatas *quæstiones* vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adversantia ueritati: sed vestræ *dilectioni justius* imputamus, quando illi super vos habent copiam disputandi. Legimus supra Magistrum non esse discipulum, hoc est, non sibi debere quemquam ad injuriam Doctorum uindicare doctrinam. Nam & hos ipsos à Deo nostro positos novimus ad docendum, cum sit, dicente Apostolo, eis tertius locus intra Ecclesiam deputandus. Quid illic spei est, ubi magistris tacentibus, hi loquuntur, qui (si ita est) eorum discipuli non fuissent? Timeo ne connivere sit hoc tacere. Timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas si falsitas displiceret. Meritò namque causa nos respicit, si silentio faveamus errori. Ergo corripiantur hujusmodi. Non sit his liberum habere pro voluntate sermonem. Desinat, si ita res sunt, incessere novitas vetustatem, desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare. Conantur sæpè naufragio mergere, quos infra portum stantes, statio facit fida securos. Fida quippe est omnium statio, quorum perfectis gressibus vestigia non moventur. Recurrerunt ad Apostolicam prædicti sedem, hæc ipsa nobis, quæ tentat perturbatio, conquerentes. Habetote, fratres carissimi, pro Catholicæ plebis pace tractatum. Sciant se, si tamen censeantur, præsbyterij dignitate, vobis esse subjectos. Sciant omnes qui malè docent, quod sibi discere magis ac magis competat, quam docere. Nam quid in Ecclesiis vos agitis, si illi summam teneant prædicandi? Nisi fortè illud obsistat, quòd non auctoritate, non adhortatione colligitur, ut aliqui è fratrum numero, nuper de laicorum consortio in Collegium nostrum fortassis admissi, nesciant quid sibi debeant vendicare. Super his multa jam dicta sunt eo tempore, quo ad fratris *Tuendi dedimus scripta responsum. Nunc tamen repetentes sæpius admonemus; * Vetentur hujusmodi, qui laborant per terras aliud, quam ille noster jussit agricola, seminare. Nec tamen mirari possumus, si hæc erga viventes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare.

Matth. 18. Marci 9. Luc. 17. Luc. 6. 1. Cor. 14.

* Tuentis. * Ut videntur.

Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos, etiam ante à meis decessoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in communi senserunt, ut potè qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori. Unde resistatur talibus, quos male crescere videmus. Nefas est, hæc pati religiosas animas, quorum afflictione, (quia membra nostra sunt) nos quoque convenit macerari, quamvis maneat hos beatitudo promissa, quicunque probantur persecutionem propter justitiam sustinere. Quibus quid promittat Dominus in futurum, sequens sermo declarat. Non est agentium causa solorum, quando universalis Ecclesia quacunque novitate pulsatur. Intelligamus hæc ipsa vobis, quæ nobis non placent, displicere. Quod ita demum probare poterimus, si impositio improbis silentio, de tali re in posterum querela cessaverit. Dominus incolumes vos custodiat, fratres carissimi.

Matth. 5.

Hæc quæ sequuntur à Prospero potuis quam à Cælestino scripta esse videntur: ejus enim scriptis similia sunt, & in libro contra collatorem capita quædam attingit, quæ non dissimiliter atque hic leguntur.

Quia nonnulli, qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis hæreticorum sensibus seu pravitate, sive imperitia demorantes, pissimis disputatoribus obviare præsumunt. Et cum Pelagium atque Cælestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, eaque tantummodo sequi & probare profitentur, quæ sacratissima beati Apostoli Petri Sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium præsulum suorum sanxit & docuit. Necessarium igitur fuit, diligenter inquirere, quid rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, judicaverint, & contra nocentissimos liberi arbitrij defensores, quid de gratia Dei sentiendum esse censuerint, ita ut etiam Affricanorum Conciliorum quasdam sententias jungeremus, quas utique suas fecerunt Apostolici Antistites, cum illas probarunt. Ut ergo plenius, qui in aliquo dubitant, instruantur, constituttones Sanctorum Patrum compendioso; manifestemus indiculo. Quod si quis non nimium est contentiosus, agnoscat omnium disputationum connexionem

Adam omnes homines læsit, nec quisquá per liberum arbitrium consurgere potest, nisi eum Dei gratia erexerit. Epist. 31.

nexionem ex hac subditarum auctoritatum brevitate pendere, nullamque sibi contradictionis superesse rationem, si cum Catholicis credat, & dicat.

In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit, pronuntiante beatæ memoriæ Innocentio Papa, atque dicente in Epistola ad Carthaginense Concilium. Liberum enim arbitrium olim ille perpessus inconsultiùs utitur bonis, cadens, in prævaricationis profunda demersus est: & nihil, quemadmodum exinde resurgere posset, invenit, suaque in æternum libertate deceptus hic ruinæ jacuisset oppressus, nisi eum postea Christi per suam gratiam relevasset adventus, qui per novæ regenerationis purificationem præteritum omne vitium sui baptismatis lavacro purgavit.

Nemo bonus est suis viribus nisi participatione ejus qui solus est bonus. Epist. 31.

Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui illi donet, qui solus est bonus. Quod in eisdem scriptis ejusdem Pontificis sententia protestatur, dicens: Nunquid nos de eorum post hæc rectum mentibus æstimemus, qui sibi se putant deberi quod boni sunt, nec illum considerant, cujus quotidie gratiam consequuntur; qui sine illo tantum se asse qui posse confidunt?

Nisi Dei gratia cõtinuo juvemur, diaboli insidias vitare non possumus. Epist. 31.

Neminem etiam baptismatis gratiâ renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad evincendas carni concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit. Quod ejusdem Antistis in eisdem paginis doctrina confirmat, dicens: Nam quamvis hominem redemisset à præteritis illis peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi (quemadmodum posset illum & post ista corrigere) multa servavit, quotidiana præstans illi remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.

Per Dei gratiam bene utimur libero arbitrio. Epist. 31.

Quod nemo nisi per gratiam libero bene utatur arbitrio, idem Magister in Epistola ad Milevitanum Concilium data prædicat, dicens: Adverte tandem, ô pravissimarum mentium perversa doctrina, quod primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut dum indulgentius frenis ejus utitur, in prævaricationem presumptione conciderit: nec ex hac potuit erui, nisi ei, providentia regenerationis statum pristinæ libertatis Christi Domini reformasset adventus.

Omnia Sanctorũ merita ad Dei gloriam referenda sunt.

Quod omnia studia, & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudesque referenda sunt, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donaverit, in quam nos sententiam dirigit beatæ recordationis Papæ Zozimi regularis auctoritas, cum scribens, ad totius orbis Episcopos, ait. Nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad fratrum, & coepiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus. Hunc autem sermonem sinceriſſimæ veritatis luce radiantem, tanto *Afri Episcopi* honore venerati sunt: ita ut ad eundem virum rescriberent. Illud verò, quod in litteris, quas ad universas provincias curasti esse mittendas, posuisti, dicens: Nos tamen instinctu Dei &c. sic dictum accepimus, ut illos, qui contra Dei adjutorium extollunt arbitrij libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transiens, amputares. Quid enim tam libero feciſtis arbitrio, quam quod universa in nostræ humilitatis conscientiam retuliſtis? Et tamen instinctu Dei factum esse fideliter sapienterque vidiſtis, veraciter fidenterque dixiſtis. Ideo utique quia *præparatur voluntas à Domino*, & ut boni aliquid agant, Paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium. *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi Filij Dei sunt*, ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntates humanæ singuli, motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.

Prov. 21. Rom. 8.

Omnis sancta cogitatio & piæ volũtatis motus ex Deo proveniũt Ephes. 6. Rom. 7. 1. Cor. 16.

Quod ita in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus. Ad hanc enim nos professionem idem Doctor instituit, qui cum ad totius Orbis Episcopos de divinæ gratiæ capitulatione loqueretur: Quod ergo tempus, ait, intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adjutor & protector exorandus est. Superbum est enim, ut quicquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo, *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed contra principes & potestates aeris hujus, contra spiritualia nequitiæ in Cœlestibus.* Et sicut ipse iterum dicit. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et iterum. *Gratia Dei sum id quod sum; & gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi. Non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

In Milevitana Synodo cap. 3.

Illud etiam quod intra Carthaginensis Synodi decreta constitutum est, quasi proprium Apostolicæ Sedis amplectimur, quod similiter tertio capitulo definitum est, ut quicunque dixerit gratiam Dei, qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit: Et iterum quarto Capitulo ait: ut si quis dixerit gratiam Dei per Jesum Christum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus, anathema sit. Cum enim dicat Apostolus; scientia inflat, charitas verò ædificat: valde imperatum est, ut credamus, ad eam quæ inflat, nos habere gratiam Christi: & ad eam quæ ædificat, non habere, cum sit utrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus, ut ædificante charitate scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est: *qui docet hominem scientiam*, ita scriptum est etiam: *Charitas ex Deo est.* Item quinto capitulo: ut quisquis dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum arbitrium jubemur, facilius possimus implere per gratiam, tanquam etsi gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa divina implere mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, sine me difficilius potestis facere, sed ait, *sine me nihil potestis facere.*

Dei gratia non solum peccata dimittit, verum etiam ne committantur, adjuvat. Vbi supra in Milevitana Synodo. 1. Cor. 8. Psalm. 93. 1. Joan 4. Vbi supra in Milevitana Synodo.

Ptæter eas autem beatissimæ & Apostolicæ Sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi Patres, pestiferæ novitatis elatione dejecta, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum, & in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt, obsecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita, in toto mundo atque in omni Ecclesia uniformiter celebrantur ut legem credendi, lex statuat supplicandi. Cum enim Sanctarum plebium præsules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, & tota secum congemiscente Ecclesia postulant

ſia poſtulant & præcantur, ut infidelibus donetur fides, ut Idolatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus, ut judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione reſipiſcant, ut ſchiſmatici ſpiritum redivivæ claritatis recipiant, ut lapſis pœnitentiæ remedium conferatur, ut denique cathecumenis ad regenerationis Sacramenta perductis, cœleſtis aula miſericordiæ reſeretur. Hæc autem non perfunctoriè, neque inaniter à Domino, peti rerum ipſarum monſtrat effectus: quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos *eruos de poteſtate tenebrarum, transferat in regnum Filij charitatis ſuæ*, & ex *vaſis iræ faciat vaſa miſericordiæ*. Quod adeo totum divini operis eſſe ſentimus, ut hæc efficienti Deo gratiarum ſemper actio, laudiſque confeſſio pro illuminatione talium vel correctione referatur.

Oration ſi Eccleſiæ in die paraſceves âtiquitas & ſcopus. Coloſ. 1. Rom. 9.

Illud quod circa baptizandos in univerſo mundo ſancta Eccleſia uniformiter agit, non ocioſo contemplamur intuitu, cum ſive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quam exorciſmis, & exufflationibus clericorum, ſpiritus ab eis immundus abigatur: ut tunc verè appareat quomodo *princeps mundi hujus mittatur foras*, & quomodo *prius alligetur fortis*, & deinceps *vaſa ejus diripiantur*, in poſſeſſionem tranſlata victoris, *qui captivam ducit captivitatem*, & *dat dona hominibus*. His ergo Eccleſiaſticis regulis, & ex divina ſumptis auctoritate documentis ita adjuvante * confortati ſumus, ut omnium bonorum affectuum, atque operum, & omnium ſtudiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur auctorẽ: & non dubitemus ab ipſius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem fit ut aliquid boni & *velle incipiamus, & facere*: Quo utique auxilio & munere Dei non auferatur liberum arbitrium, ſed liberatur, ut de tenebroſo lucidum, de pravo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit providum. Tanta enim erga omnes homines eſt bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita quæ ſunt ipſius dona, & pro his quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus. Agit quippe in nobis, ut quod vult, & velimus & agamus. Nec ocioſa in nobis eſſe patitur, quæ exercenda, non negligenda donavit, ut & nos cooperatores ſimus gratiæ Dei. Ac ſi quid in nobis ex noſtra viderimus remiſſione langueſcere, ad illum ſolicitè recurramus, *qui ſanat omnes languores noſtros* & *eripit de interitu vitam noſtram*, & cui quotidie dicimus, *ne inducas nos in tentationem, ſed libera nos à malo*.

Baptizandi exorciſmus & inſufflationibus expiantur, immundi ſpiritus abigũtur. Ioan. 12. Matth. 12. Marc. 3. Epheſ. 4. Pſalm. 67.

* Informati.
* Confortati.

Philip. 2.

Profundiores verò, difficilioreſque partes occurrentium quæſtionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere: quia ad confitendum gratiam Dei, *cujus operi ac dignationi nihil penitus ſubtrabendum eſt*, ſatis ſufficere credimus, quidquid ſecundum *prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta* docuerunt: ut prorſus non opinetur Catholicum, quod *apparuit præfixis ſententiis eſſe contrarium*.

Dei gratiã fit, ut noſtra merita ſint ipſius dona.

Circa hanc decretalem *nihil* aliud occurrit conſiderandum, quam id quod primo noſtro libro præmiſimus advertendum, totam hanc decretalem Cœleſtini eſſe contra Semipelagianos in favorem ſententiæ quam, Sanctus Proſper & Hilarius ex Sancto Auguſtino defendebant. Quis enim putet poſt cauſæ hujus agitationem coram Cæleſtino, tantum ad Epiſcopos ſcripſiſſe præambulum illud, quo Auguſtinum laudat, nihil omnino de materia fidei agendo, nec controverſiam magnam determinando? Accedit quod tota illa Epiſtola ſemper ſicut Cæleſtini recepta fuit, illamque, ut talem Sanctus Proſper & Vincentius Lyrinienſis, nulla facta diſtinctione venerantur, & univerſæ Scholæ pari conſenſu recipiunt. Illam autem cavillare, præcipuam eſt Eccleſiæ determinationem contra Semipelagianos eneruare.

1. Cor. 3. Pſal. 102. Matth. 6. Difficiles quæſtiones nec contemnendæ, nec penitus aſſerendæ.

In omnibus iſtis decretis nihil aliud docent Pontifices ſummi, niſi quod priores, Innocentius, Zozimus, atque Bonifacius, hominem videlicet non prius ex ſe incipere naturæ viribus benefacere, & poſtea per Dei gratiam adjuvari, nec in hoc conſiſtere, aut conſiſtere poſſe humanam libertatem ſed potius in hoc quod ipſe Deus incipiat, & voluntas humana ſua libertate ſequatur. Quam Catholicam veritatem in hoc opere curavimus aperire, & multa quæ his temporibus opponuntur, argumenta ſolvere.

CONCILIVM ARAVSICANVM

SECUNDVM PROVT HABETVR IN FINE ſeptimi Tomi operum Sancti Auguſtini.

CANONES CONCILII ALTERIVS ARAVSICANI, à Leone Papa ejus nominis primo indicti.

Adverſus reviviſcentes per Gallias Pelagianæ hæreſeos errores.

CUM ad dedicationem Baſilicæ quam illuſtriſſimus Perfectus & Patricius Filius noſter Liberius in Arauſicana civitate fideliſſima devotione conſtruxit, Deo propitiante, & ipſo invitante convenißemus, & de rebus quæ ad Eccleſiaſticam regulam pertinent, inter nos fuiſſet ſpiritualis oborta collatio; pervenit ad nos, eſſe aliquos, qui de gratia & libero arbitrio minus cautè, & non ſecundùm fidei Catholicæ regulam, ſentire

Digitized by Google

velint. Vnde & nobis ſecundum authoritatem & admonitionem ſedis Apoſtolicæ, juſtum & rationabile viſum eſt, ut pauca capitula, ab Apoſtolica nobis ſede tranſmiſſa, quæ ab antiquis patribus de certis ſcripturarum voluminibus in hac præcipuè cauſa collata ſunt, ad docendos eos qui aliter quam oportet, ſentiunt, ab omnibus, obſeruanda proferre, manibus noſtris ſubſcribere deberemus. Quibus lectis, qui huc uſque non ſicut oportebat, de gratia & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei catholicæ conveniunt, animum ſuum inclinare non differat.

1. Si quis per offenſam prævaricationis Adæ non totum, ideſt, ſecundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, ſed animi libertate illæſa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus adverſatur ſcripturæ dicenti. *Anima quæ peccaverit ipſa morietur, & neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum ſervi eſtis ejus cui obeditis? Et à quo quis ſuperatur, ejus & ſervus addicitur.*

Exech. 18. Rom. 6.

2. Si quis ſoli Adæ prævaricationem ſuam, non & ejus propagini, aſſerit nocuiſſe, aut certè mortem tantum corporis, quæ pæna peccati eſt, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, per unum hominem in omne genus humanum tranſiſſe teſtatur, injuſtitiam deo dabit, contradicens Apoſtolo dicenti; *per unum hominem peccatum intravit in mundum. Et per peccatum mors in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.*

Ex lib. 4. con. duas Epiſt. Pelag. cap. 4. Rom. 5.

3. Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit poſſe conferri, non autem ipſam gratiam facere, ut invocetur à nobis; contradicit Eſaiæ prophetæ, vel Apoſtolo idem dicenti: *inventus ſum à non quærentibus me; palam apparui iis, qui me non interrogabant.*

Eſa. 65. Rom. 10.

4. Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit; non autem ut etiam purgari velimus per ſancti Spiritus infuſionem & operationem in nobis fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto, per Salomonem dicenti? *Præparatur voluntas à Domino; &* Apoſtolo ſalubriter prædicanti, *Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.*

Pro. 8. ſecundũ 70. Phil. 2.

5. Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei ipſumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui juſtificat impium, & ad regenerationem Baptiſmatis pervenimus, non per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritus ſancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem; ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus, adverſarius approbatur, beato Paulo dicenti; *Confidimus quia qui cæpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Et illud *vobis datum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini. Et, gratia ſalvi facti eſtis per fidem, non ex vobis; Dei enim donum eſt.* Qui enim fidem qua in Deum credimus, dicunt eſſe naturalem, omnes eos, qui ab eccleſia Chriſti alieni ſunt, quodammode fideles eſſe, definiunt.

Conſule Aug. lib. de præde. Sancto, uſque ad cap. 9. Phil. 1. Ibidem. Epheſ. 2. 1. Cor. 4. Ibidem. 15. Vide Aug. De gratia Chriſti cap. 26.

6. Si quis ſine gratia Dei, credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus, nobis miſericordiam dicit conferri divinitus; non autem ut credamus, velimus; vel hæc omnia ſicut oportet agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem S. Spiritus in nobis fieri confitetur; & aut humilitati aut obedientiæ humanæ ſubiungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes & humiles ſimus ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti; *quid habes quod non accepiſti? Et gratia Dei ſum id quod ſum.*

Ioan. 15. 2. Cor. 3 Hæc erat Ioannis Caſiani ſententia.

7. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ cogitare ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, ideſt Evangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo & credendo; hæretico fallitur Spiritu, non intelligens vocem Dei, in Evangelio dicentis; *ſine me nihil poteſtis facere.* Et illud Apoſtoli; *non quod idonei ſumus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex deo eſt.*

Ioan. 6. Math. 16. 1. Cor. 12.

8. Si quis alios miſericordia, alios verò per liberum arbitrium, (quod in omnibus qui de prævaricatione primi hominis nati ſunt, conſtat eſſe vitiatum) ad gratiam baptiſmi poſſe venire contendit, à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis aſſerit infirmatum, aut certè ita læſum putat, ut tamen quidam valeant ſine revelatione Dei, myſterium ſalutis æternæ per ſemetipſos conquirere. Quod quam ſit contrarium, ipſe Dominus probat, qui non aliquos, ſed neminem ad ſe poſſe venire teſtatur, niſi quem Pater attraxerit. Sicut & Petro dicit; *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt* Et Apoſtolus; *nemo poteſt dicere Dominum Ieſum Chriſtum niſi in Spiritu Sancto.*

Sentent. Proſp. 22.

De adjutorio Dei.

Phil. 2.

9. Divini eſt muneris, cum & rectè cogitamus, pedes noſtros à falſitate & injuſtitia tenemus. Quoties enim bona agimus Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur.

Ex Epiſ. 105.

10. Adjutorium Dei etiam renatis ac ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.

De obligatione votorum.

Ex lib. 4. de civit. Dei cap. 11.

11. Nemo quidquam Domino rectè voverit, niſi ab illo acceperit, ſicut legitur; *quæ de manu tua accepimus, damus tibi.*

Quales nos diligat Deus.

Ioan. 8.

12. Tales nos amat Deus, quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito.

Ex commen. in Pſal. 28.

De reparatione liberi arbitrij.

Conc. 1. Pſal. 78.

13. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam baptiſmi, non poteſt reparari. Quod amiſſum niſi à quo potuit dari, non poteſt reddi. Vnde ipſa veritas dicit; *ſi vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.*

Pſal. 58. Ex comment. in Pſal. 78.

14. Nullus miſer de quantacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia prævenitur, ſicut dicit Pſalmiſta. *Citò anticipet nos miſericordia tua Domine.* Et illud *Deus meus, miſericordia ejus preveniet me.*

Pſal. 76. Ex lib. de Spirit & litt. 8. cap. 28.

15. Ab eo quod formavit Deus, mutatur Adam, ſed in pejus, per iniquitatem ſuam, ab eo quod operata eſt inquitas, mutatur fidelis, ſed in melius, per gratiam Dei. Illa ergo mutatio, fuit prævaricatoris primi; hæc ſecundum Pſalmiſtam, *mutatio dextera excelſi.*

Galatas. 2. Epheſ. 4. Math. 25.

16. Nemo ex eo, quod videtur habere, glorietur, tamquam non acceperit; aut ideo ſe putet accepiſſe, quia littera extrinſecus, vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur, inſonuit, nam ſicut Apoſtolus dicit, *ſi per legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt*; porro autem ſi non gratis mortuus eſt. *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Inde habet quicumque habet. Quiſquis autem inde ſe habere negat, aut verè non habet, aut id quod habet auferetur ab eo.

Digitized by Google

De fortitudine Chriſtiana.

17. Fortitudinem Gentilium humana cupiditas, fortitudinem Chriſtianorum Dei charitas facit, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per voluntatis arbitrium, ſed per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis nullis meritis gratiam prævenientibus. Ex lib. de patient. cap. 17.

18. Debetur merces bonis operibus ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant. Rom. 5.

Neminem niſi miſerante Deo ſaluari.

19. Natura humana, etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret nullomodo ſeipſam, creatore ſuo non adjuuante, ſervaret: unde cum ſine gratia Dei, ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit: quomodò ſine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?: Apud Proſper ſentēt. 297. Exepi. 107.

Nihil boni hominem poſſe ſine Deo.

20. Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præſtet, ut faciat homo. Ex lib. 2. con. duas Epiſt. Pel. cap. 8.

De natura & gratia.

21. Sicut eis qui volentes in lege juſtificari, à gratia exciderunt veriſſimè dicit Apoſtolus; ſi ex lege juſtitia eſt, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, ſic & his qui gratiam quam commendat, & percipit fides Chriſti, putant eſſe naturam, veriſſimè dicitur: ſi ex natura juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, jam hic erat lex, non juſtificabat; jam hic erat & natura, & non juſtificabat. Ideo Chriſtus non gratis mortuus eſt, ut & lex per illum impleretur qui dixit; non veni legem ſolvere, ſed adimplere & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit, veniſſe ſe quærere & ſalvare quod perierat. Ex lib. de gra & lib. arb. cap. 13. Gal. 2.

De iis quæ hominum propria ſunt.

22. Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum. Siquid autem habet homo veritatis atque juſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, ut ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati non deficiamus in via. Matt. 5. Luc. 9. Ex trac. 5. in Joan.

De voluntate Dei & hominis.

23. Suam, voluntatem homines faciunt, non Dei quandò id agunt quod Deo diſplicet. Quando autem ita faciunt, quod volunt, ut divinæ ſeruiant voluntati; quamuis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas eſt à quo præparatur, & jubetur, quod volunt. Ex trac. 19. in Joā. Ex trac. 81. ſup. Joan.

De Palmitibus vitis.

24. Ita ſunt in vite palmites, ut viti nihil conferant, ſed inde accipiant, unde vivant. Sic quippè vitis eſt in palmitibus, ut vitale alimentum ſubminiſtret eis, non ſumat ab eis. Ac per hoc & manentem in ſe habere Chriſtum, & manere in Chriſto, diſcipulis prodeſt, & non Chriſto. Nam præciſo palmite, poteſt de viva radice alius, pullulare. Qui autem præciſus eſt, non poteſt ſine radice vivere. Ex tract. 102. ſup. Joan. Rom. 5.

De dilectione qua diligimus Deum.

25. Prorſus donum Dei eſt diligere Deum. Ipſe ut diligeretur, dedit, qui non dilectus dilexit. Diſplicentes, amati ſumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffundit enim charitatem in cordibus noſtris Spiritus Patris & Filij, quem cum Patre amamus & Filio. Ac ſic ſecundum ſupra ſcriptas ſanctarum Scripturarum ſententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante & prædicante debemus & credere, quod per peccatum primi hominis, & ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea aut diligere Deum, ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt poſſit, niſi gratia ejus & miſericordia divina prævenerit. Vnde Abel juſto & Noë & Abraham, & Iſaac & Iacob, omnique antiquorum Sanctorum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipſorum laudem prædicat Apoſtolus Paulus, non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum inerat, ſed per gratiam Dei credimus fuiſſe collatam: quam gratiam, etiam poſt adventum Domini, omnibus, qui baptizari deſiderant. Non in libero arbitrio habere, ſed in Chriſti novimus ſimul & credimus largitate conferri, ſecundum illud quod jam ſupra dictum eſt & prædicat Paulus Apoſtolus, vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis ſed etiam pro illo patiamini, & illud; Deus qui cæpit in vobis bonum opus perficiet uſque in diem Domini noſtri, Et illud; gratia ſalui facti eſtis per fidem & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt. Et quod de ſe ipſo ait Apoſtolus; miſericordiam conſecutus ſum ut fidelis eſſem. Non dixit, quia eram, ſed ut eſſem. Et illud; omne datum bonum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, & illud; nemo habet quidquam boni, niſi illud illi datum fuerit deſuper. Innumerabilia ſunt Sanctarum Scripturarum teſtimonia, quæ poſſint ad probandam gratiam proferri: ſed brevitatis ſtudio prætermiſſa ſunt quia & re vera, cui pauca non ſufficiunt, plura non proderunt. Hoc etiam ſecundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptiſmum gratia, omnes baptiſati Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem, pertinent poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos vero ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolum non credimus, ſed etiam, ſi ſunt, qui tantum malum credere velint cum omni deteſtatione illis anathema dicimus. Hoc etiam ſalubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adjuvamur, ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem ſui prius inſpirat, ut & baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus & poſt baptiſmum cum ipſius adjutorio ea quæ ſibi ſunt placita implere poſſimus. Vnde manifeſtiſſimè credendum eſt, quod & illius latronis, quem Dominus ad Paradiſi Patriam revocavit & Cornelij centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zachæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, ſed divinæ largitatis donum & quia definitionem antiquorum patrum, noſtramque quæ ſupra ſcripta eſt, non ſolum religioſis, ſed etiam laicis, medicamentum eſſe & deſideramus & cupimus; placuit ergo ut etiam illuſtres ac magnifici viri, qui nobiſcum ad præfatam feſtivitatem convenerunt, propria manu ſubſcriberent. Cæſarius in Chriſti nomine Epiſcopus, conſtitutionem noſtram relegi, & ſubnotans ſubſcripſi, quinto Nonas Iulij, Decio Iuniore viro Clariſſimo conſule. Iulianus Epiſcopus ſupſcripſi. Conſtantius Epiſcopus ſubſcripſi. Cyprianus Epiſcopus ſubſcripſi. Eucherius Epiſcopus ſubſcripſi. Eraclius Epiſcopus ſubſcripſi. Principius Epiſcopus ſubſcripſi. Prætextatus Epiſcopus ſubſcripſi. Aletius Epiſcopus ſubſcripſi. Lupertianus Epiſcopus ſubſcripſi. Vindemialis Epiſcopus ſubcripſi. Petrus, Marcellinus, Felix, Liberius viri clariſſimi & illuſtres, præfecti prætorij Galliarum atque patricii, conſentientes ſubſcripſerunt. Syagrius vir Clariſſimus conſul ſubſcripſit. Opiliò vir Clariſſimus Conſul ſubſcripſit. Panthagatus vir clariſſimus Conſul ſubſcripſit. Deodatus vir clariſſimus ſubſcripſit. Cariattho vir clariſſimus Conſul ſubſcripſit. Marcellus vir clariſſimus Conſul ſubſcripſit. Philagri Epiſcopus ſubſcripſi Maximus Epiſcopus ſubſcripſi

Digitized by Google

RESCRIPTVM A CLEMENTE VIII.

DATVM 9. IVLII 1603. VT A CONGREGATIONE Inſpiceretur an veram contineret de mente S. P. Auguſtini doctrinam.

ADSIT SPIRITVS SANCTI GRATIA.

§. 1. *Secundùm S. Auguſtinum datur duplex gratia adjutorium.*

S. AVGVSTINVS.

IPSA adjutoria diſtinguenda ſunt, aliud eſt adjutorium ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adjutorium quo aliquid fit de Corr. & grat. cap. 12.

Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret, ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò ſanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adjutorium perſeverantię, datur ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint: verum etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint, &c. fortiſſimo quippe Adamo dimiſit, atque permiſit facere quod vellet, infirmis ſervavit, ut ipſo donante, invictiſſimè, quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nolent. Ibidem.

Tale erat adjutorium, quod primus parens deſereret, cùm vellet; & in quo permaneret ſi vellet non quo fieret, ut vellet. Hæc prima eſt gratia quæ data eſt primo Adam, ſed hæc potentia eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit ut habeat homo iuſtitiam ſi velit: Secunda ergo plus poteſt qua etiam fit ut velit & tantùm velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat. In eodem libro cap. 11.

Ipſi autem (reprobi) vocati dici poſſunt, non autem electi, quia non ſecundùm propoſitum vocati. In eodem lib. cap. 13.

§. 2. *Duplex Vocatio.*

VOcat enim Deus prædeſtinatos multos filios ſuos ut eos faciat membra prædeſtinati unici filij ſui, non ea vocatione qua vocati ſunt, qui noluerunt venire ad nuptias, illa enim vocatione & Judæi vocati ſunt, quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt, & Gentes, quibus crucifixus ſtultitia eſt, ſed ea vocatione prædeſtinatos vocat, quam diſtinxit Apoſtolus, &c. Sic enim ait, ipſis autem vocatis, ut alios oſtenderet non vocatos, ſciens eſſe quandam certam vocationem eorum qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, quos præſcivit, &c. Dixit ergo, ſed ex vocante, non quacunque vocatione ſed qua vocatione fit credens. De prædeſt. ſanct. cap. 16. ſimiliter cap. 17.

§. 3. *Duplex gratia operans, & cooperans.*

S. AUGUSTINUS.

Et quis iſtam etſi parvam dare cœperat charitatem niſi ille, qui præparat voluntatem & cooperando perficit quod operando incepit? quoniam ipſe, ut velimus operatur incipiens, cui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apoſtolus, certus ſum quoniam, qui operatur in vobis, opus bonum perficiet, uſque in diem Chriſti Jeſu, ut ergo velimus ſine nobis operatur: Cum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur; tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De grat. & lib. arb. cap. 17.

§. 4. Gratia

Digitized by Google

Reſcriptum Clementis Papæ VIII.

§. 4. *Gratia Dei eſt quod quis habeat ſuaſores ad bonum.*

S. AUGUSTINUS.

Suſcitans nubes ab extremo terræ, quas nubes? Prædicatores Verbi veritatis ſuæ. De quibus nubibus alio loco iraſcens vineæ ſuæ dicit. Mandabo nubibus meis, ne pluant ſuper illam imbrem, &c. De ipſis autem nubibus quid operatur, fulgura in pluviam fecit. Minas ad miſericordiam flexit de terroribus irrigavit. Quomodo de terroribus irrigavit? Quando tibi minatur Deus per Prophetam & per Apoſtolum, & times, nonne corruſcatio tenuit te? Sed cùm pœnitendo corrigeris, & agnoſcis hoc miſericordia fieri, in pluviam vertitur, fulguris terror. In pſalm. 134. In expoſitione myſtica.

Nimis enim occulta Dei gratia eſt, qua hominum mentes quodammodo reviviſcunt, ut poſſint à quibuſlibet ejus miniſtris præcepta ſanitatis audire, &c. In pſalm. 87.

Propterea (inquit) dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me niſi fuerit ei datum à Patre meo, ut oſtenderet eam ipſam fidem, qua credit, & ex morte ſui cordis anima reviviſcit, dari nobis à Deo. Quantumlibet ergò exiſtant excellentes Verbi Prædicatores, & veritatis etiam per miracula ſua fortes tanquam magni medici agunt cum hominibus ſi mortui ſunt, & ſua gratia non revixerint, nunquid mortuis facies mirabilia aut medici exſuſcitabunt & ſi quos exſuſcitabunt confitebuntur tibi. Ibidem.

Secundùm S. Auguſtinum datur gratia efficax imò efficaciſſima, nec tamen per eam laditur libertas arbitrij humani.

S. AUGUSTINUS.

Reluctanti enim priùs aditus divinæ vocationis ipſa Dei gratia procuratur, ac deindè in illo jam non reluctante Spiritus veritatis accenditur. Veruntamen quæ quiſque agit ſecundum Deum, miſericordia eius prævenit eum. Lib. 4. ad Bonif. cap. 6.

Oramus non ſolùm pro nolentibus, verùm etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus. Quid ergò petimus, niſi ut fiant ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes. A quo niſi ab illo, de quo ſcriptum eſt, præparatur voluntas à Domino? in eodem lib. cap. 9.

Sed nos eam gratiam volumus iſte aliquando fateatur quæ futuræ gloriæ magnitudo non ſolum promittitur, verùm etiam creditur & ſperatur, nec ſolum revelatur ſapientia, verùm, & amatur; nec ſuadetur ſolum omne quod bonum eſt, verum, & perſuadetur. Quorum autem ſit fides, & perſuadetur ut ad Deum veniant ſatis ipſe demonſtravit, ubi ait, nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me traxerit eum. Lib. de gratia Chriſti cap. 10.

Hæc autem gratia qua virtus in infirmitate perficitur, prædeſtinatos, & ſecundum propoſitum vocatos ad ſummam perfectionem glorificationemque perducit. Qua gratia agitur non ſolùm ut faciendo noverimus, verum etiam, ut cognita faciamus, nec ſolum, ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus. De gratia Chriſti cap. 12.

Ut autem de Cœlo vocaretur (Paulus) & tam magna, & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola, quia merita eius erant magna, ſed mala, &c. De gratia & lib. arb. cap. 5.

Si dixerimus meritum præcedere orationis ut donum gratiæ conſequatur, impetrando quidem oratio quidquid impetrat donum Dei eſſe oſtendit, ne homo exiſtimet à ſeipſo ſibi eſſe, quod ſi in poteſtate haberetur non utique poſceretur. Quid enim oremus ait, Doctor gentium, ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe ſpiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid eſt autem interpellat, niſi interpellare nos facit? indigentis enim certiſſimum inditium eſt interpellare gemitibus. Nullius autem rei eſſe indigentem fas eſt credere ſpiritum Sanctum, ſed ita dictum eſt interpellat, quia interpellare nos facit, nobiſque interpellandi, & gemendi inſpirat affectum: ſicut illud in Evangelio, Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Neque enim & hoc ita fit de nobis tanquam nihil facientibus nobis. Adjutorium igitur ſpiritus Sancti ſic expreſſum eſt ut ipſe facere diceretur quod ut faciamus facit. Epiſtola 105.

Quod eſt ergo meritum hominis antè gratiam, quo merito percipiat gratiam, cum omne bonum meritum noſtrum non in nobis faciat niſi gratia & cum Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronet niſi munera ſua? Ibidem.

Sed neque ab illo, quod originaliter contrahitur neque ab his, quæ unuſquiſque in vita propria, vel intelligendo, vel volendo intelligere mala congregat, veletiam inſtructus ex lege additamento prævaricationis exaggerat, quiſquam liberatur, & iuſtificatur niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Non ſolùm remiſſione peccatorum ſed ipſius priùs inſpiratione fidei & timoris Dei, impartito ſalubriter orationis affectu & effectu, donec ſanet omnes languores noſtros, & redimat de corruptione vitam noſtram, & coronet nos in miſeratione & miſericordia. Ibidem.

Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem quiſquis ſuo corde credit in Deum, non niſi ſua libera credere voluntate, cùm potiùs illi oppugnent arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam. Quæ verè ad bona eligenda & agenda ſit liberum. Epiſt. 107.

Hæc enim voluntas libera tanto erit liberior, quanto ſanior, tanto autem ſanior, quanto Dominicæ miſericordiæ, gratiæque ſubjectior. Epiſt. 89.

Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur quia iuvatur, ſed ideo iuvatur quia non tollitur. Ibidem.

Deus eſt enim qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate. Nos ergò volumus, ſed Deus operatur in nobis, & velle. Nos ergo operamur ſed Deus in nobis operatur, & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit, & credere, & dicere, hoc eſt pium, hoc verum, ut ſit humilis, & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo. De dono perſev. cap. 16.

Scriptura divina ſi diligenter inſpiciatur oſtendit non ſolum bonas hominum voluntates, quas facit ex

Digitized by Google

malis, & à se factas bonas in actus bonos & in æternam dirigit vitam, ita esse in Dei potestate ut eas, quo voluerit quando voluerit, faciat inclinari vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas sicut ipse judicat occultissimo quidem judicio, sed sine ulla dubitatione justissimo. De grat. & lib. arb. cap. 20.

Quamvis non negetur Deum posse quem velit, etiam nullo homine corripiente corrigere, & ad dolorem salubrem pœnitentiæ occultissima & potentissima medicinæ suæ potestate perducere. Et sicut non est ab oratione cessandum pro eis, quos corrigi volumus, etiamsi nullo hominum orante pro Petro Dominus respexit eum, & fecit eum suum peccatum flere: ita non est negligenda correptio quamvis Deus, quos voluerit etiam non correptos facit esse correptos. De corrept. & gratia cap. 5.

Cùm autem homines per correptionem in viam justitiæ seu veniunt, seu revertuntur quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille, qui quolibet plantante atque rigante, & quolibet in agris, atque arbustis operante dat incrementum Deus, cui volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium. Sic non velle, & nolle, in volentis, aut nolentis est potestate ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. Le his enim quæ faciunt, quæ non vult facit ipse quæ vult. De correp. & gratia cap. 14.

Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in Cœlo, & in Terra omnia quæcunque voluit fecit, & qui etiam illa, quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quamvis faciat ipse, quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult facit. Ibidem.

Qui tamen hoc non facit nisi per ipsorum hominum voluntates; sine dubio habens humanorum cordium, quò placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem &c. Ibidem.

Quis autem non videat multò magis esse indignationem à contrario in lenitatem convertere, atque transferre, quàm affectione neutra præoccupatum cor, sed inter utrumque medium in aliquid declinare? Legant ergò & intelligant, intueantur, atque fateantur non lege, atque doctrina insonante forinsecus, sed interna, atque occulta mirabili atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solùm veras revelationes sed etiam bonas voluntates. De gratia Christi cap. 24.

Si ergò (Dominus omnipotens) cùm voluerit Reges in terra constituere magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas quis alius facit ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut cœlesti constituatur in regno? De corrept. & gratia cap. 14.

Si fides liberi est tantummodò arbitrij nec datur à Deo propter quid pro eis, qui nolunt credere, oramus, ut credant? Quod prorsus faceremus inaniter nisi rectissimè crederemus etiam perversas, & fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum ad credendum posse convertere? Liberum quidem hominis arbitrium pulsatur, ubi dicitur, hodie si vocem ejus audieritis nolite obdurare corda vestra. Sed nisi posset Deus etiam duritiem cordis auferre, non diceret per Prophetam auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum. De gratia & lib. arb. cap. 14.

Si ad liberum arbitrium hominis, quod non secundùm Dei gratiam, sed contra eam defendis, pertinere dicis ut perseveret in bono, quisque vel non perseveret, non Deo donante si perseveret, sed humana voluntate favente, quid moliturus es contra verba dicentis, rogavi pro te, ne deficiat fides tua? An audebis dicere etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petro defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam perseverare usque in finem noluisset, quasi aliud Petrus ullo modo vellet quam pro illo Christus rogasset, ut vellet. De corrept. & grat. cap. 8.

Tu in teipso non facis, quod vis, Deus autem noster in Cœlo, & in Terra omnia quæcunque voluit fecit. Ipse tibi dat gratiam ut in teipso facias, quod vis: nisi enim ipso adjuvante, nec in te facis, quod vis. In Psalm. 134.

Intelligite Deum, qui omnia quæcunque voluit fecit in Cœlo, & in Terra, ipse, & in vobis faciet quod vultis, ipso adjuvante voluntatem vestram implebitis, sed dùm non potestis confitemini, cum potestis, gratias agite &c. Ibidem.

Ergo & in Ecclesia sua, & in prædicationibus suis, & in plebibus suis tanquam in Cœlo & in Terra omnia quæcumque voluit fecit. Parum est in eis, in mari, & in omnibus abyssis omnia quæcunque voluit fecit. Mare sunt omnes infideles, omnes nondum credentes, & in eis omnia quæcunque voluit fecit & qui sunt abyssus? latentia corda mortalium profundæ cogitationes hominum &c. Latet cor bonum latet cor malum. Abyssus est in corde bono, & in corde malo: sed hæc nuda sunt Deo, quem nihil latet. Consolatur cor bonum, torquet cor malum. Omnino ergò quæcunque voluit fecit in Cœlo & in Terra, in Mari, & in omnibus abyssis. In Psalm. 134. In expositione mistica.

Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus, quicquid agimus, quod autem attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum non sumus idonei cogitare aliquid tanquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, non enim est in potestate nostra cor nostrum, & nostræ cogitationes. Unde idem, qui hoc ait, item dicit Ambrosius. Quis autem tam beatus, qui in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine divino auxilio quid fieri potest, nullo profectò modo, denique, inquit, super eadem scriptura dicit. Beatus vir, cujus est auxilium ejus abs te Domine ascensus in corde ejus. Non utique, ut diceret, non solum in literis sacris legebat, sed sicut de illo viro sine dubitatione credendum est, etiam in corde suo sentiebat Ambrosius. Quod ergo in Sacramentis fidelium dicitur, ut sursum cor habeamus ad Dominum, munus est Domini de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere à Sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur, & dignum, & justum esse respondent. Cùm n. non sit in nostra potestate cor nostrum, sed divino sublevetur auxilio, ut ascendat, & quæ sursum sunt sapiat, ubi Christus est, & in dextera Dei sedens, non quæ super terram, cui de hac tanta re agendæ sunt gratiæ nisi hoc facienti Domino Deo nostro qui nos per tale beneficium liberando de profundo hujus mundi elegit, & prædestinavit antè constitutionem mundi? De dono persev. cap. 13.

Digitized by Google

Reſcriptum Clementis Papæ VIII.

Hæc gratia habet ſuam efficaciam ab omnipotentia Dei, & à Dominio, quod divina Majeſtas habet in voluntates hominum, ſicut & in cætera omnia, quæ ſub cœlo ſunt, ſecundùm S. Auguſtinum.

S. AUGUSTINUS.

Quis autem non videat multò majus eſſe indignationem à contrario in lenitatem convertere, atque transferre, quam cor neutra affectione præoccupatum, ſed inter utrumque medium in aliquid declinare? Legant ergò & intelligant, intueantur, atque fateantur non lege, atque doctrina inſonante forinſecus, ſed interna atque occulta mirabili, atque ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolum veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates. De gratia Chriſti cap. 14. ſimiliter cap. 25.

Ipſam denique pœnitentiam, quam procul dubio voluntas agit, Domini miſericordia, & adjutorio fieri, ut agatur, in decimo ejuſdem operis libro, beatus dicit Ambroſius ita loquens. Bonæ lacrymæ, quæ culpam lavant, denique quos Jeſus reſpicit, plorant delicta. Negavit primò Petrus, & non flevit, quia non reſpexerat Dominus. Negavit ſecundò & non flevit, quia adhuc non reſpexerat Dominus. Negavit & tertiò, reſpexit Jeſus, & amariſſimè flevit: Legant iſti Evangelium, & videant Dominum Jeſum tunc intùs fuiſſe, cum à Sacerdotum Principibus audiretur. Apoſtolum verò Petrum foris & deorſum in atrio cum ſervis ad focum nunc ſedentem, nunc ſtantem, ſicut veraciſſima, & concordiſſima Evangeliſtarum narratione monſtratur. Undè non poteſt dici quod corporalibus oculis eum Dominus viſibiliter admonendo reſpexerit. Et ideò quod ibi ſcriptum eſt, *Reſpexit eum Dominus.* Intùs actum eſt, in mente actum eſt, in voluntate actum eſt: miſericordia Domini latenter ſubvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiori gratia ſua viſitavit Petrum, interioris hominis uſque ad exteriores lachrymas movit, & produxit affectum. Ecce quemadmodum Deus adjuvando adeſt voluntatibus, & actionibus noſtris. Ecce quemadmodum & velle, & operari operatur in nobis. De gratia Chriſti cap. 45.

Si ergò ita præpararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem ut tantummodò legem ſuam, atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta, atque ſecreta, ſic ejus ageret ſenſum, ut eidem legi atque doctrinæ accommodaret aſcenſum, procul dubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere, ac prædicare ſufficeret, nec opus eſſet orare, ut Deus ad fidem ſuam infidelium corda converteret, & converſis proficientem perſeverantiam ejuſdem gratiæ ſuæ largitate donaret. Epiſt. 107.

Inaniter igitur, & perfunctoriè potiùs quàm veraciter pro eis, ut doctrinæ, cui adverſantur credendo conſentiant, *Deo fundimus preces*, ſi ad ejus non pertinet gratiam, convertere ad fidem ſuam ipſi fidei contrarias *hominum voluntates.* Inaniter etiam, & perfunctoriè potiùs, quam veraciter, magna cum exultatione agimus *Deo gratias*, quando aliqui eorum credunt, ſi hæc in eis ipſe non facit. Non fallamus homines, nam Deum *fallere* non valemus. Prorsùs non oramus Deum, ſed orare nos fingimus, ſi nos ipſos, non illum credimus facere quod oramus. Prorsùs non Deo gratias agimus, ſed nos agere fingimus, ſi undè illi gratias agimus, ipſum facere non putamus. Ibidem.

Non enim eſt homo bonus ſi nolit, ſed gratia Dei etiam ad hoc adjuvatur, ut velit, quoniam non inaniter ſcriptum eſt. Deus eſt enim qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate & præparatur voluntas in Domino. Lib. 1. ad Bonif. cap. 18.

Jam ſequentia commemorare quid opus eſt, ubi Deum compleviſſe quod ille rogaverat divina ſcriptura teſtatur operando in corde Regis? Quid aliud, quàm voluntatem quam juſſit, & factum eſt &c. Qui cor Regis antequam mulieris ſermonem poſcentis audiſſet, occultiſſima, & efficaciſſima poteſtate convertit, & tranſtulit ab indignitatione ad lenitatem, hoc eſt de voluntate lædendi ad voluntatem favendi. Lib. 1. ad Bonif. cap. 20.

Quibus meritis bonæ voluntatis Deus illum (Saulum) ab his malis ad bona mirabili, & repentina vocatione convertit? Lib. 1. ad Bonif. cap. 19.

Quàm multi inimici Chriſti quotidie ſubitò Dei occulta gratia trahantur ad Chriſtum &c. Trahitur ergò miris modis, ut velit ab illo, qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, volentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant. Ibid.

Oramus non ſolùm pro nolentibus, verùm etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus. Quid ergo petimus, niſi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo, niſi ab illo de quo ſcriptum eſt, præparatur voluntas à Domino. Lib. 4. ad Bonif. cap. 9.

Dicit Dominus ad Jeſum Nave. Non poterant filij Iſraël ſubſiſtere à facie inimicorum ſuorum. Quid eſt, non poterant ſubſiſtere? Quare non ſubſiſtebant per liberum arbitrium; ſed per timorem turbata voluntate fugiebant, niſi quia Deus dominatur, & voluntatibus hominum, & quos vult in formidinem concertit iratus? Nunquid non hoſtes Iſraëlitarum adverſus populum Dei, quem ducebat Jeſus Nave, ſua voluntate pugnarunt? Et tamen dicit ſcriptura quia per Dominum factum eſt confortari cor eorum, ut obviam irent ad Iſraël ad bellum ut exterminarentur. De gratia & lib. arb cap. 20.

Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat quod per eos agere ipſe voluerit, qui omninò injuſtè aliquod velle non novit. cap. 21.

Quomodo virtus Dei alios juvat in bello dando eis fiduciam alios immiſſo timore vertit in fugam, niſi quia ille qui in Cœlo, & in Terra omnia quæcumque voluit fecit, etiam in cordibus hominum operatur. Ibid.

Non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt corde pacifico, & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum quod voluerit operatur. De corrept. & grat. cap. 14. Quod etiam diſertè tradit in cap. 45.

Ac per hoc Dominus omnipotens erat cum illo (David) adduxit iſtos, ut eum Regem conſtituerent. Et quomodo adduxit? Nunquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, atque voluntatibus eorum, quas ipſe in illis operatus eſt, traxit

Per hanc gratiam ſecundùm S. Auguſtinum agit Deus omnipotens in cordibus hominum motum voluntatis eorum, faciendo ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes.

S. AVGVSTINVS.

Certum eſt enim nos mandata ſervare ſi volumus, ſed quia præparatur voluntas à Domino ab illo petenda

Digitized by Google

dum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit ut volendo faciamus. Certum eſt nos velle cùm volumus, ſed ille facit ut velimus, bonum de quo dictum eſt, quod paulò antè poſui, præparatur voluntas à Domino, de quo dictum eſt, à Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet, de quo dictum eſt, Deus eſt, qui operatur in vobis, & velle. Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit, faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis, & faciatis. Cum dicit faciam ut faciatis, quid aliud dicit, niſi auferam à vobis cor lapideum, unde non faciebatis, & dabo cor carneum; unde faciatis. De gratia & lib. arb. cap. 16.

His, & talibus teſtimoniis divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum eſt ſatis quantum exiſtimo manifeſtatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, ſive ad bona pro ſua miſericordia, ſivè ad mala pro meritis eorum, judicio utique ſuo aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper autem juſto. De grat. & lib. arb. cap. 21.

Si autem potens eſt, ſivè per Angelos vel bonos, vel malos, ſivè quocunque alio modo operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum, quorum malitiam non ipſe fecit, ſed aut originaliter tracta eſt ab ipſo Adam, aut crevit per propriam voluntatem, quid mirum eſt, ſi per Spiritum Sanctum operetur in cordibus electorum ſuorum bona qui operatus eſt, ut ipſa corda eſſent ex malis bona? Ibidem.

Hæc gratia ſi doctrina dicenda eſt, certè ſic dicatur, ut altius, & interius eam Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere, non ſolum per eos, qui plantant, & rigant extrinſecus, ſed etiam per ſeipſum, qui incrementum ſuum miniſtrat occultus, ita ut non oſtendat tantummodò veritatem, verum etiam impertiat charitatem, ſic enim docet Deus eos qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, ſimul donans, & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere. De gratia Chriſti cap. 13.

Legant ergo, & intelligant, intueantur, atque fateantur non lege, atque doctrina inſonante forinſecus, ſed interna, atque occulta mirabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolum veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates. De gratia Chriſti cap. 24.

Filij ſunt Dei profectò ut agant quod bonum eſt ab illo aguntur, qui bonus eſt: quomodo dicit Pelagius, quod benè loqui poſſumus, Dei eſt, quod bene loquimur, noſtrum eſt, cum dicat Dominus, Spiritus Patris veſtri eſt, qui loquitur in vobis? De gratia Chriſti cap. 25.

Quamvis *non negetur.* Deum poſſe quem velit etiam nullo homine corripiente corrigere, & ad dolorem ſalubrem penitentiæ occultiſſima & potentiſſima medicinæ ſuæ poteſtate perducere. De corr. & gra. cap. 5.

Tunc autem correptione proficit homo cum miſeretur, & adjuvat, qui facit quos voluerit, etiam ſine correptione perficere; ſed quare iſte ſic, ille aliter, atque alij aliter diverſis, & innumerabilibus modis vocentur, ut reformentur abſit, ut dicamus judicium luti eſſe debere, ſed figuli. Ibidem.

Noſtrum eſt enim credere, & velle, illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum per quem charitas diffunditur in cordibus noſtris, verum etiam quidem, ſed eadem regula, & utrumque ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem, & utrumque noſtrum quia *non fit niſi* volentibus nobis. De prædeſtinatione Sanctorum cap. 3.

Credere vel non credere eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas à Domino. De prædeſtinatione Sanctorum cap. 5.

Agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum, vel adjuvando, vel inclinando, ut etiam per eos impleatur, quod manus ejus, & conſilium prædeſtinavit fieri. Fruſtra itaque etiam illud quod Regnorum, & Paralipomenon ſcriptura teſte probavimus, cum Deus vult fieri quod non niſi volentibus hominibus oportuit fieri, inclinavit eorum corda, ut hoc velint, eo ſcilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur, & velle ad cauſam de qua diſſerimus non pertinere dixerunt. De prædeſt. Sanct. cap. 20.

Hæc itaque gratia quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur. De prædeſt. Sanct. cap. 8.

Quando enim cum Spiritu Dei operante, ſpiritus hominis cooperatur, tunc quod Deus juſſit, impletur, & hoc non fit niſi credendo in eum, qui juſtificat impium. Quam fidem non habuit generatio prava, & amaricans, & ideò de illa dictum eſt, non eſt creditus cum Deo Spiritus ejus. Multò enim hoc expreſſius dictum eſt ad ſignificandam gratiam Dei, quæ non ſolum operatur remiſſionem peccatorum, ſed etiam cooperantem, ſibi facit hominis ſpiritum in opere bonorum factorum. In Pſalm. 77.

Hæc Dei gratia efficax ſecreta eſt ſecundùm S. Auguſtinum.

S. AVGVSTINVS.

Si enim omnis qui audivit à Patre, & didicit, & venit, profectò omnis qui non venit non audivit à Patre, nec didicit, nam ſi audiſſet, & didiciſſet, veniſſet. Valde remota eſt à ſenſibus carnis hæc ſchola, in qua Pater auditur, & docet, ut veniatur. De prædeſt. Sanct. cap. 8.

Valdè inquam remota eſt à ſenſibus carnis hæc Schola in qua Deus auditur, & docet. Multos enim venire videmus ad filium, quia multos credere videmus in Chriſtum, ſed ubi, & quomodo à Patre audierint hoc, & didicerint non videmus. Nimirum gratia iſta eſt ſecreta, gratiam vero eſſe quis ambigat? Ibidem.

Quantæ enim gentes credendo venerunt? Quanti fundi, quanta loca deſerta modo veniunt? Veniunt inde neſcio quanti credere volunt & dicimus eis, quid vultis? Reſpondent noſſe gloriam Dei. Credite fratres mirari nos, & gaudere ad talem vocem ruſticanorum. Veniunt neſcio unde, excitati à neſcio quo? Quid dicam à neſcio quo, imò ſcio à quo, quia nemo venit, inquit, ad me, niſi quem Pater traxerit. Veniunt ſubito de ſylva de deſerto, de remotiſſimis, & arduis montibus ad Eccleſiam, & hanc vocem habent plerique, & penè omnes eorum, ut videamus verè intus docentem Deum. In Pſalm. 134. in expoſ. myſtica.

Nimis enim occulta Dei gratia eſt, qua hominum mentes quodammodo reviviſcunt, ut poſſint à quibuſlibet ejus Miniſtris præcepta ſanctis audire. In Pſam. 87.

Digitized by Google

Reſcriptum Clementis Papæ VIII.

Hæc gratia efficax ſecundùm S. Auguſtinum eſt prævia non pediſſequa ; datur enim non quia volumus , ſed ut velimus ; atque adeo per ipſam efficit Deus, nedum ut operemur, ſed etiam ut velimus.

S. AUGUSTINUS.

Quæſtio quæ inter nos agitur de Dei gratia eſt,utrum præcedat hæc gratia, an ſubſequatur hominis voluntatem, hoc eſt ut planius id eloquar,utrum ideò nobis detur, quia volumus,an per ipſam Deus etiam hoc efficiat, ut velimus epiſt. 170.

Quomodo Deus expectat voluntates hominum, ut præveniant eum, quibus det gratiam, cum gratias ei non immeritò agamus de iis quibus non ei credentibus , & eius doctrinam voluntate impia perſequentibus miſericordiam prorogavit, eoſque ad ſeipſum omnipotentiſſima facilitate convertit , ac volentes ex nolentibus fecit ? Ut quid ei indè gratias agimus , ſi hoc ipſe non fecit. Ut quid tanto magis eum magnificamus, quanto magis nolebant credere , quos credidiſſe gaudemus , ſi gratiâ divinâ voluntas in melius non mutetur humanæ ? Ibidem.

Quomodo autem magnificum eum prædicabant , ſi magnum illud factum de Pauli converſione ipſe non fecerat ? Nempè manifeſtum eſt ex illis duodecim ſententiis, quas pertinere ad Catholicam fidem negare non ſinetis , non ſolum omnibus , verùm etiam ſingulis id confici , ut confiteantur gratia Dei præveniri hominum voluntates , & per hanc eas præparari potius quam propter earum meritum dari. Ibidem.

Hæc, & alia teſtimonia divina, quæ commemorare longum eſt, oſtendunt Deum gratiâ ſuâ conferre infidelibus cor lapideum, & prævenire in hominibus bonarum merita voluntatum ; ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur. Hoc & gratiarum actio indicat , quod oratio pro infidelibus, gratiarum actio pro infidelibus. Ibidem.

Oportet ſine dubitatione fateri voluntates hominum Dei gratia præveniri , & ut bonum velint homines quod nolebant , Deum facere, qui rogatur , ut faciat, & cui nos novimus agere gratias dignum, & juſtum eſſe cum fecerit. Ibidem.

Cum ergo fides impetrat juſtificationem, ſicut unicuique Deus partitus eſt etiam ipſius menſuram fidei non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani: ſed ipſa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante, non decente, *pediſſequa*, non prævia voluntate. Epiſt. 106.

Sed ſi vocatio iſta ita eſt effectrix bonæ voluntatis , ut omnis eam vocatur ſequatur. Libro 1. ad Simplic. quæſt. 2.

Si autem ſic intelligerent quod dictum eſt , ſi volueritis , ut etiam ipſam bonam voluntatem illum præparare confiterentur, de quo ſcriptum eſt, præparatur voluntas à Domino, tanquam Catholici uterentur hoc teſtimonio, & non ſolum hæreſim veterem , Manichæorum vincerent , ſed novam Pelagianorum conterentur ſed intelligerent, & confiterentur etiam ipſum bonum propoſitum, quod conſequens adjuvat gratia , non eſſe potuiſſe in homine , ſi non præcederet gratia. Quomodo enim eſt hominis bonum propoſitum ſine miſerante prius Domino, cum ipſa ſit bona voluntas,quæ reparatur à Deo. L b.4.ad Bonif. cap.6.

Reluctanti enim prius ædibus divinæ vocationis ipſa Dei gratia procuratur , ac deinde in illo iam non reluctante Spiritus virtutis accenditur. Verumtamen in omnibus quæ quiſque agit ſecundum Deum, miſericordia eius prevenit eum. Ibidem.

Poſtremò nec propoſitum bonum , nec ſtudium virtutis , nec mentes bonas ſine gratia Dei incipere & eſſe in hominibus confitentur (Cyprianus) cum dicit in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit. In eodem lib. cap.9.ſimiliter docuit lib.2.ad Bonif. cap.8.9. & 10.

Prævenit ergo, & fidem gratia , alioquin ſi fides eam prævenit proculdubio prævenit & voluntas, quoniam fides ſine voluntate non poteſt eſſe. Si autem gratia prævenit fidem , quoniam prævenit voluntatem , profectò hæc omnia gratia obedientiam, prævenit etiam charitatem , quæ una Deo veraciter , & ſuaviter obeditur , & prævenit omnem in eo, cui datur, & cuius hæc omnia prævenit operatur. De dono perſever. cap. 16.

Quid aliud dicit ? Sicut ros Hermon , qui deſcendit ſuper montem Sion. Hoc voluit intelligi , fratres mei, gratiam Dei eſſe, quod fratres habitant in unum, non ex ſuis viribus , non ex ſuis meritis, ſed ex illius dono, ſed ex illius gratia, ſicut vos de Cœlo. Tum enim terra ſibi pluvit ? Aut non quicquid genuerit, areſcit, niſi pluvia de Cœlo deſcendat ; dicit quodam loco in Pſalmo, pluviam voluntariam ſegregans Deus hæreditati ſuæ. Quare dixit voluntariam ? Quia non meritis noſtris , ſed illius voluntate. Quid enim boni meruimus peccatores ? Quid boni meruimus iniqui ? Quas quis naſcitur, Adam naſcitur, damnatus de damnato, & addidit malè vivendo ſuper Adam. Quid ergo boni meruit Adam ? Et tamen miſericors amavit , & ſponſus dilexit, non pulchram , ſed ut faceret pulchram. Ergo gratiam Dei dixit rorem Hermon. Ergo lumen exaltatus exaltatum Chriſtus ; Inde eſt ros Hermon. Sed quicumque vultis habitare in unum, optate rorem iſtum , compluvimini inde. Alioquin non poteritis tenere quod profitemini , nec profiteri audere poteritis , niſi ille intimuerit, nec permanere poteritis , niſi eius ſagina non deſit vobis, ipſa enim ſagina deſcendit ſuper montem Sion. In Pſalm. 132.

Effectus huius gratiæ efficacis ſecundùm S. Auguſtinum eſt certus, & infallibilis.

S. AUGUSTINUS.

Non ſolum enim dixit ſine me nihil poteſtis facere verum etiam dixit. Non vos me elegiſtis , ſed ego elegi vos, & poſui vos ut eatis , & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Quibus verbis eis non ſolum iuſtitiam, verùm etiam in illa perſeverantiam ſe dediſſe monſtravit Chriſto enim ſic eos ponente, ut eant , & fructum afferant, & fructus eorum maneat , quis audeat dicere, forſitan non manebit ? ſine pœnitentia ſunt enim dona , & vocatio Dei. Sed vocatio eorum qui ſecundum propoſitum vocati ſunt. Pro his ergo interpellante Chriſto ne deficiat fides eorum , ſine dubio non deficeret uſque in finem , ac per hoc perſeverabit uſque in

Digitized by Google

finem, neque enim niſi manentem vitæ hujus finis inveniet. De corrept. & gratia cap. 12.

Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò poſſint, quia ſic volunt, ideò ſic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtute oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent, inter tot, & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideò perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ità vellent infirmitate voluntatis ut poſſent: ſubventum eſt igitur infirmitate voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur, & ideò quamvis infirma, non tamen deficeret neque adverſitate aliqua vinceretur. Ibidem.

Infirmis ſervavit (Deus) ut ipſo donante invictiſſimè, quòd bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent. Ibidem.

Quando Deus docet non per legis litteram, ſed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quippe didicerit, non tantum cognoſcendo videat, ſed etiam videndo apetat, agendoque perficiat. Et iſto divino dicendi modo, etiam ipſa voluntas, & ipſa operatio non ſola volendi, & operandi naturalis poſſibilitas adjuvatur. Si enim ſolum poſſe noſtrum hac gratiâ juvaretur, ita diceret Dominus; omnis qui audivit à Patre, & didicit poteſt venire ad me. Non autem ita dixit, ſed omnis, inquit, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me. Venire poſſe in natura poſuit. Pelagius vel etiam, ut modo dicere cæpit in gratia, quamlibet eam ſentiat, qua ipſa, ut dicit poſſibilitas adjuvatur; venire autem jàm in voluntate, & opere eſt. Non eſt autem conſequens, ut qui poteſt venire, etiam veniat, niſi id voluerit, atque fecerit, ſed omnis qui didicit à Patre, non ſolum poteſt venire, ſed etiam venit, ubi jàm, & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt. De gratia Chriſti cap. 14.

Ego dixi in abundantia mea non movebor in æternum. Putaverat enim ſuum fuiſſe bonum quod ei ſic abundabat, ut non moveretur, ſed ut oſtenderetur illi cujus eſſet illud bonum, de quo tamquam, ſuo cooperat gloriari paululum gratia Dei deſerente admonitus dicit Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem, avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Ideò neceſſarium eſt homini, ut gratiâ Dei non ſolum juſtificetur impius, id eſt ex impio fiat juſtus cum redduntur ei bona pro malis, ſed etiam cum fuerit jam juſtificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, & incumbat ſuper ipſam ne cadat. Propter hoc ſcriptum eſt in Canti. Cantic. de ipſa Eccleſia, quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata incumbens ſuper fratrelem ſuum? Dealbata eſt enim, quæ perſe ipſam alba eſſe non poteſt. Et à quo dealbata eſt, niſi ab illo qui per Prophetam dicit. Quando ergo dealbata eſt, nihil boni merebatur. Jam verò alba facta bene ambulat; ſed ſi ſuper eum, à quo dealbata eſt perſeveranter incumbat. De gratia & lib. arb. cap. 6.

Quomodo enim poteſt amitti per quod fit, ut non amittatur, etiam quod poſſet amitti? De dono perſev. cap. 6.

Imperavit autem Deus ut ei ſancti ejus dicant orantes, ne inferas nos in tentationem, quiſquis igitur exauditur hoc poſcens, non infertur in contumaciæ tentationem, qua poſſit, vel dignus ſit perſeverantiam ſanctitatis ammittere. At enim voluntate ſua quiſque deſerit Deum, ut meritò deſeratur à Deo. Quis hoc negaverit? Sed ideò petimus, ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat, & ſi exaudimur, utique non ſit, quia Deus non permittit, ut fiat. Ibidem.

Ut enim non dicam quam ſit poſſibile Deo averſas, & adverſas in fidem ſuam hominem convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adverſitatibus cedant, nec ab ipſo aliqua ſuperati tentatione diſcedant. De dono perſev. cap. 9.

Hæc gratia efficax ſecundùm S. Auguſtinum non inducit fatum, nec efficit propterea Deum acceptorem perſonarum; nec tollit prædicationem, & correptionem, ſed cum libertate humanæ voluntatis optimè conſiſtit.

S. AVGVSTINVS.

Nunquid homines Dei qui hæc ſcripſerunt, imò ipſe Spiritus Dei, quo authore per eos iſta conſcripta ſunt, oppugnavit liberum hominis arbitrium? Abſit; ſed omnipotentis in omnibus, & juſtiſſimum judicium, & auxilium Dei miſericordiſſimum commendavit. Lib. 1. ad Bonif. cap. 20.

Nec ſub nomine gratiæ fatum aſſerimus, quia nullis hominum meritis gratiam dicimus antecedi. lib. 2. ad Bonif. cap. 5.

Nunquid ſub nomine gratiæ fatum aſſerit (Cyprianus) quamvis dicat in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit lib. 4. ad Bonif. cap. 9.

Nunquid quoniam hæc dicit vir ſanctus Ambroſius, & gratiam Dei, ſicut Filio promiſſionis congruit, grata pietate commendat, ideò deſtruit liberum arbitrium. In eodem lib. cap. 11.

Atque ut oſtenderet liberum arbitrium mox addidit, & gratia ejus in me vacua non fuit; ſed plus omnibus illis laboravi. Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur, & aliis quibus dicit. Rogamus ne in vacuum, gratiam Dei ſuſcipiatis; ut quid enim eos rogat ſi gratiam ſic ſuſceperunt, ut propriam perderent voluntatem. De gratia, & lib. arb. cap. 5.

Semper eſt autem voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona, aut enim à juſtitia libera eſt, quando ſervit peccato, & tunc eſt mala, aut à peccato libera eſt, quando ſervit juſtitiæ, & tunc eſt bona. Gratia verò Dei ſemper eſt bona, & per hanc fit, ut ſit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. cap. 15.

Satis me diſputaſſe arbitror adverſus eos, qui gratiam Dei vehementer oppugnant, qua voluntas humana non tollitur, ſed ex mala mutatur in bonam, & cum bona fuerit, adjuvatur. cap. 20.

Quis autem non videat, & venire quemquam, & non venire arbitrio voluntatis; ſed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum ſi non venit, non autem poteſt niſi adjutum eſſe ſi venit; & ſic adjutum, ut non ſolum quid faciendum, ſit ſciat, ſed quod fecerit, etiam faciat. De gratia Chriſti cap. 14.

Et Spiritus Domini induit Abiſai Principem inter triginta, & dixit tui ſumus David & tecũ futuri filij Jeſſe. Nunquid ille poſſet adverſari voluntati Dei, & non potius ejus facere voluntatem, qui in ejus corde operatus eſt per ſcriptum ſuum, quo inductus eſt, ut hoc vellet, diceret, & faceret. Item Paulò poſt ait eadem ſcriptura.

Digitized by Google

puta. Omnes hic viri bellatores dirigentes aciem corde pacifico, venerunt in Hebron, ut conſtituerent David ſuper omnem Iſraël ſua voluntate, utique iſti conſtituerunt Regem David, quis non videat? Quis hoc neget? Non enim hoc, non ex animo, aut non ex bona uoluntate fecerunt corde pacifico, & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum quod voluerit, operatur. De corr. & grat. cap. 14.

Quando rogavit, ergo ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberimam fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem. Ecce quemadmodum ſecundum gratiam Dei, non contra eam libertas deffenditur voluntatis; voluntas quippè humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratia potius libertatem, & ut perſeveret delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem. De corr. & gratia cap. 8.

Neque velle poſſumus, niſi vocemur, & cum poſt vocationem voluerimus, non ſufficit voluntas noſtra, & curſus noſter, niſi Deus, & vires currentibus præbeat, & perducat, quo vocat de prædeſt. Sanct. cap. 3.

Quod enim putant auferri ſibi liberum arbitrium ſi nec ipſam bonam voluntatem, ſine adjutorio Dei, hominem habere conſenſerint, non intelligunt, non ſe firmare humanum arbitrium, ſed impellere, ut per inania feratur non in Domino, tanquam in inſtabili petra collocetur Epiſt. 105.

Sic, & Dei gratia non negatur, ſed ſine ullis humanis præcedentibus meritis, vera monſtratur, & liberum ità deffenditur, ut humilitate ſolidetur, non elatione præcipitetur arbitrium, & qui gloriatur non in homine, vel quolibet alio, vel ſe ipſo, ſed in Domino glorietur Epiſt. 107.

Proinde arbitrium voluntatis humanæ nequaquam deſtruimus, quando Dei gratiam, qua ipſum adjuvatur arbitrium, non ſuperbiâ negamus ingratâ, ſed gratiam potius pietate prædicamus. Noſtrum enim eſt velle, ſed voluntas ipſa etiam movetur, utſurgat, & ſanatur, ut valeat, & dilatatur, ut capiat, & impletur, ut habeat de bono viduitatis cap. 17.

Nec ideò (Beati) liberum arbitrium non habebant, quia peccata eos delectare non potuerunt; magis quippe erit liberum à delectatione peccandi, uſque ad delectationem non peccandi, indeclinabilem liberatum; nàm primum liberum arbitrium quod homini datum eſt, quando primum creatus eſt rectus, potuit non peccare, ſed potuit, & peccare; hoc autem noviſſimum eo potentius erit, quod peccare non poterit. Verum hoc quoque Dei munere non ſua poſſibilitate naturæ. Servandi autem erant gradus divini muneris, ut primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare poſſet homo, noviſſimum quo peccare non poſſet, atque illud ad comparandum meritum; hoc ad recipiendum præmium pertineret, ſed quia peccavit iſta natura, cum peccare potuit largiore gratia liberatur, ut ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non poſſit de civit. Dei, lib. 22. cap. 30.

Hæc gratia efficax cur uni detur, & non alteri, occultioris judicij Dei eſt.

S. AVGVSTINVS.

Quare autem illos velit convertere, illos pro averſione punire, quamquam, & in beneficio retribuendo nemo juſtè reprehendat miſericordem, & in vindicta exercenda nemo juſte reprehendat veracem, ſicut in illis Evangelicis operariis, aliis placitam mercedem reddentem, aliis etiam non placitam largientem, nullus juſtè culpaverit, conſilium tamen occultioris juſtitiæ penes ipſum eſt lib. 20. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 18.

Sed cur inquit gratia Dei non ſecundum merita hominum datur?

Reſpondeo, quoniam Deus miſericors eſt. Cur ergo, inquit, non omnibus? Et hic reſpondeo quoniam Deus iudex juſtus eſt, ac per hoc, & gratis ab eo datur gratia, & juſto ejus in aliis judicio demonſtratur, quid eis, quibus datur, conferat gratia &c. De dono perſev. cap. 8.

Ex duobus itaque parvulis ex originali peccato paritet obſtrictis, curi iſte aſſumatur, ille relinquitur, & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iſte ita vocetur, & vocantem ſequatur, ille autem, aut non vocetur, aut non ita vocetur, inſcructabilia ſunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi autem non donetur, inſcrutabilia ſunt judicia. De dono perſev. cap. 9.

Sed quare illos potius, quam illos. Iterum, atque iterum dicimus, necnos piget. O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Inſcrutabilia ſunt iudicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus; & hoc adjiciamus. Altiora te ne queſieris, & fortiora te non ſcrutatus fuerit. De don. perſev. cap. 12.

Iam quomodo iſta diſpenſet faciens alios ſecundum meritum vaſa iræ alios ſecundum gratiã vaſa miſericordiæ quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conciliarius eius fuit &c. lib. 2. ad Bonif. cap. 20.

Hæc Dei gratia neceſſaria eſt ad ſingulos actus.

S. AVGVSTINVS.

Quod gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quod fides vera, & catholica ſemper tenet Eccleſia *puſillos* cum magnis à morte primi hominis, ad vitam ſecundi hominis transfert; non ſolum peccata delendo; verum etiam ad non peccandum, recteque viuendum eos qui jam uti poſſunt voluntatis arbitrio, ſic adjuvando, ut niſi adjuvet, nihil pietatis, atque juſtitiæ ſive in opere, ſive, in ipſa voluntate habere poſſimus Epiſt. 106.

Præter illa enim quæ quo quomodo potuit, anſus eſt (Pelagius) qualicunque ratione deffendere, objecta quædam ſunt, quæ niſi remota omni tergiverſatione anathematizaſſet, ipſe anathematizatus eſſet. Obiectum eſt enim eum dicere &c. & gratiam Dei, atque adiutorium non ad ſingulos actus dare, ſed in libero arbitrio eſſe vel in lege, atque doctrina ibidem.

Faceatur gratiam Dei, & adjutorium etiam ad ſingulos actus dari, ſed in libero, eamque non dari, ſecundum merita noſtra, ut vera ſit gratia, ideſt gratis data per eius miſericordiam, qui dixit miſerebor, cui miſertus ero, & miſericordiam præſtabo, cui miſericors fuero. Ibidem.

Scimus gratiam Dei, nec parvulis, nec majoribus ſecundum merita noſtra dari, ſcimus majoribus ad ſingulos actus dari. Scimus non omnibus hominibus dari, & quibus datur, non ſolum ſecundum merita operum non

Digitized by Google

dari, ſed nec ſecundum merita voluntatis eorum quibus datur, quod maximè apparet in parvulis. Scimus eis quibus datur, miſericordia Dei gratuita dari, Scimus eis quibus non datur, iuſto iudicio Dei non dari. Epiſt. 107.

Hæc gratia nullis meritis noſtris redditur, ſed gratuita bonitate donatur, nullum enim noſtrum bonum meritum illam antecedit.

S. AVGVSTINVS.

Quod autem perſonarum acceptorem Deum ſe credere exiſtiment, ſi credant, quod ſine ullis præcedentibus meritis, cuius vult miſeretur, & quos dignatur vocat, & quem vult religioſum facit; parum attendunt, quod debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille ſe indignum quæratur, nec dignum ſe iſte glorietur; atque ibi potius acceptionem nullam fieri perſonarum, ubi vna eademque maſſa damnationis, & offenſionis involuit, ut liberatus de non liberato diſcat quod etiam ſibi ſupplicium conveniret, niſi gratia ſubveniret, ſi autem gratia, utique nullis meritis reddita, ſed gratuita bonitate donata. Epiſt. 105.

Nolunt autem, ut ſit ipſi Deo gloria in iuſtificandis impiis gratuita gratia, qui eius ignoranter iuſtitiam ſuam voluit conſtituere, vel iam conclamantium religioſorum, & piorum vocibus preſſi ita ſe fatentur ad habendam, vel faciendam iuſtitiam divinitus adiuvari, ut ſui præcedat aliquid meriti, quaſi priores volentes dare, ut retribuatur eis ab illo, de quo dictum eſt; quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Et ſuo putantes præire merito, illum de quo audiunt, aut potius audire volunt, quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia &c. Et ideo percipiendæ hujus gratiæ merita nulla præcedunt, quoniam meritis impii, non gratia, ſed pœna debetur, hæc iſta eſſet gratia, ſi non daretur gratuita, ſed debita redderetur. Ibidem.

Quærimus autem meritum miſericordiæ, nec invenimus, quia nullum eſt, ne gratia euacuetur, ſi non gratiæ donatur, ſed meritis redditur ſi enim dixerimus fidem præceſſiſſe, in qua eſſet meritum gratiæ, quid meriti habebat homo ante fidem? Quid enim habet quod non accepit? Si dixerimus meritis præcedere orationis, ut donum gratiæ conſequatur impetrando quidem gratia, quicquid impetrat evidenter donum Dei eſſe oſtendit, ne homo exiſtimet à ſe ipſo ſibi eſſe, quod ſi in poteſtate habetur, non utique poſceretur. Verumtamen ne ſaltem orationis putaretur precedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, ſed jam nec gratia eſſet, quia debita redderetur etiam ipſa oratio inter gratiæ munera reperitur. Ibidem.

Quod eſt ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cum omne bonum meritum noſtrum non in nobis faciat, niſi gratia, & cum Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronet, niſi munera ſua. Ibidem.

Calumniaris me dicere nihil ſtudij expectari ab humana voluntate debere contra illud Evangelij, quo ait Dominus, petite, & accipietis, ibi enim vos ut uideo, ponere jam cæpiſtis merita gratiam præcedentia, quod eſt petere, quærere, pulſare, ut his meritis debita illa reddatur, ac ſic gratia inaniter nuncupetur, tamquam gratia nulla preceſſerit, & cor tetigerit, ut beatificum donum peteretur à Deo, ut quæreretur Deus, ut pulſaretur ad Deum, fruſtraque ſit ſcriptum, miſericordia ejus præveniat me, fruſtra etiam pro inimicis noſtris jubeat orare, ſi non eſt ejus averſa, & adverſa corda convertere. Contra Julianum Pelagianum lib. 4. cap. 8.

Fortaſſis ergo ipſi eo modo ſaltem ſervant locum gratiæ, ut ſine ulla putent hominem poſſe habere boni, ſed imperfecti cupiditatem, perfecti autem non facilius per illam poſſe, ſed niſi per illam omninò non poſſe. Verum, & ſic gratiam Dei dicunt ſecundum merita noſtra dari, quod in oriente Pelagius Eccleſiaſticis geſtis damnari, timendo damnavit. Si enim ſine gratia per nos incipit cupiditas boni, ipſum cœptum erit meritum, cui tamquam ex debito gratiæ veniat adjutorium, ac ſic gratia Dei non gratis donabitur, ſed ſecundum meritum noſtrum dabitur. Libro 2. ad Bonif. cap. 8. ſimiliter etiam in cap. 10.

Et ipſum igitur initium fidei noſtræ ex quo niſi ex ipſo erit? Neque enim hoc excepto ex ipſo ſunt cætera, ſed ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Quis autem dicat eum, qui jam cæpit credere ab illo in quem credidit nihil mereri? Unde fit, ut jam merenti, cætera dicantur addi retributione divina, ac per hoc gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari. Quod objectum ſibi Pelagius ne damnaretur ipſe damnavit.

Donum perſeverantiæ eſt ſingulare quoddam Dei donum, non omnibus commune, per quod fit ut perſeveret in bono quiſque uſque in finem.

S. AVGVSTINVS.

Natura humana etiamſi in illa integritate in qua condita eſt permaneret, nullo modo ſeipſam creatore ſuo non adjuvante ſervaret. Cum igitur ſine Dei gratia ſalutem non poſſet cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine dei gratia poteſt reparare, quam perdidit? Epiſt. 106.

Cur non permitteret ut ab illo (Angelo malo) primus homo qui rectus, hoc eſt bonæ voluntatis creatus fuerat tentaretur? Quandoquidem ſic erat inſtitutus, ut ſi de adjutorio Dei fideret, bonus homo malum Angelum vinceret: ſi autem creatorem, atque adjutorem Deum ſuperbè ſibi placendo deſereret vinceretur, meritum bonum habens in adjuta divinitus voluntate recta: malum vero in deſerente Deum voluntate perverſa, quia & ipſum confidere de adjutorio Dei, non quidem poſſet ſine adjutorio Dei, nec tamen ideo ab his divinæ gratiæ beneficiis ſibi placendo recedere non habebat in poteſtate. Bene vivere ſine adjutorio Dei etiam in Paradiſo non erat in poteſtate; erat autem in poteſtate male vivere, ſed beatitudine non permanſura, & pœna juſtiſſima ſecutura. De civitat. Dei lib. 14. cap. 27.

Bina iſta quid inter ſe differant, diligenter, & vigilanter intuendum eſt poſſe non peccare, & non poſſe peccare, poſſe mori, & non poſſe mori, bonum poſſe non deſerere, & bonum non poſſe deſerere. Potuit enim non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deſerere. Nunquid dicturi ſumus non potuit peccare, qui tale habebat liberum arbitrium? Aut non potuit mori, cui dictum eſt, ſi peccaveris, morte morieris? Aut non potuit bonum deſerere, cum hoc peccando deſeruit, & ideò mortuus ſit? Prima ergo libertas voluntatis erat poſſe non peccare, noviſſima erit multo major non poſſe peccare. Prima immortalitas erat

poſſe

Digitized by Google

poſſe non mori, noviſſima erit multo major non poſſe mori. Prima erat perſeverantiæ poteſtas, bonum poſſe non deſerere, noviſſima erit felicitas perſeverantiæ bonum non poſſe deſerere. De correp. & gra. cap. 12.

Itemque ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt. Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret, ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantum tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam, ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint. Non ſolum enim dixit ſine me nihil poteſtis facere. Verum etiam dixit non vos me eligiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat: quibus verbis non ſolum juſtitia verum etiam in illa perſeverantiam ſe dediſſe monſtravit. Chriſto enim ſic eos ponente, ut eant, & fructum afferant, & fructus eorum maneat, quis audeat dicere forſitan non manebit? ſine penitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei, ſed vocatio eorum, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt. Ibidem.

Ac per hoc nec de ipſa perſeverantia boni voluit Deus Sanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari, qui e isnonſolum dat adjutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare ſi velint; ſed in eis etiam operatur, & velle, ut quoniam non perſeverabunt, niſi & poſſint, & velint, perſeverandi eis poſſibilitas, & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò poſſint, quia ſic volunt, ideò uelint, quia Deus operatur, ut velint. Nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur virtus ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent, inter tot, & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideò perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut poſſent. Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur, & ideò quamvis infirma non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur fortiſſimo quippe dimiſit, atque permiſit facere quod vellet, infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent. Ibidem.

Jam vero cum dicunt *Sancti* ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo, quid aliud, quam ut in Sanctitate perſeverent precantur? Nam profectò conceſſo ſibi iſto dono Dei ne inferantur in tentationem, *nemo Sanctorum eſt, qui non* teneat, uſque in finem perſeverantiam Sanctitatis, neque enim quiſquam in *propoſito Chriſtianitatis* perſeverare deſiſtit, niſi in tentationem primitus inferatur. Si ergo concedatur, ei quod orat, ut non inferatur in tentationem in ſanctificatione utique quam Deo donante percepit, Deo donante perſiſtit. De dono perſev. cap. 5.

Perſeverantiam uſque in finem quoniam non habet quiſquam, niſi qui perſeveraverit uſque in finem, multi eam poſſunt habere, nullus amittere. De dono perſev. cap. 6.

Quomodo enim poteſt amitti per quod fit, ut non amittatur, etiam quod poſſet amitti. Ibidem.

Potens ergo eſt, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapſum pronas convertere, ac dirigere in ſibi placitum greſſum. Ibidem.

Poſt caſum hominis non niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo. Hanc gratiam poſuit in illo quo ſortem conſequuti ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui univerſa operatur, ac per hoc ſicut operatur ut accedamus, ſicut operatur ne diſcedamus. Propter quod ei per Prophetam dictum eſt; fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi, & non diſcedimus à te. De dono perſev. cap. 7.

Cum ergo fit ſuper eum manus Dei, ut non diſcedamus à Deo, ad nos utique pervenit opus Dei. Hoc eſt enim manus Dei quoniam opere Dei fit ut ſimus in Chriſto permanentes cum Deo, non ſicut Adam diſcedentes à Deo. Ibidem.

Prorſus in hac re non operoſas diſputationes expectet Eccleſia, ſed attendat quotidianas orationes ſuas, orat ut increduli credant. Deus ergo convertit eos ad fidem. Orat ut credentes perſeverent, Deus ergo donat perſeverantiam uſque in finem. Ibidem.

Ex duobus autem piis cur huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi autem non donatur, inſcrutabiliora ſunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe. Nam ſi fuiſſent ex nobis, ait unus prædeſtinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc ſecretum, manſiſſet utique nobiſcum. De dono perſeverantiæ cap. 9.

Ut enim non dicam quam ſit poſſibile Deo averſas, & adverſas in fidem ſuam hominum convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adverſitatibus cadant, nec ab ipſo aliqua ſuperati tentatione diſcedant. Ibidem. Idem confirmat cap. 11.

An quiſquam dicere audebit Deum non præſciſſe, quibus eſſet daturus, ut crederent? Aut quos daturus eſſet filio ſuo non perderet ex eis quemquam? Quæ utique ſi præſcivit profectò beneficia ſua, quibus nos dignatur liberare præſcivit. Hæc prædeſtinatio Sanctorum nihil aliud eſt, quam præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur. Cæteri autem ubi niſi in maſſa perditionis juſto divino judicio relinquentur? Ubi Tyrij relicti ſunt, & Sydonij, qui etiam credere potuerunt, ſi mira ille Chriſti ſigna vidiſſent. Sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent eſt negatum. Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantut ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant: & tamen ſi Dei altiori judicio à perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti nec ipſis adhibentur vel dicta divina vel facta per quæ *poſſent* credere ſi audirent utique talia vel viderent. In eadem perditionis maſſa relicti ſunt etiam Judæi, qui *non potuerunt* credere factis in conſpectu ſuo tam magnis clariſque virtutibus, &c. Sed nec illis profuit quod poterant credere, quia prædeſtinati non erant ab eo cujus inſcrutabilia ſunt judicia & inveſtigabiles viæ, nec iſtis obfuiſſent quod non poterant credere, ſi ita prædeſtinati eſſent ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre. Audiunt enim hæc & faciunt, quibus datum eſt; non autem faciunt, ſive audiant ſive non audiant, quibus non datum eſt lib. de dono perſev. cap. 14.

Digitized by Google

Reſcriptum Clementis Papæ VIII.

A Domino enim greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet, non dixit, & viam ejus diſcet aut tenebit, aut ambulabit aut aliquid hujuſmodi, quod poſſet dicere à Domino quidem dari, ſed homini jam volenti ut ſcilicet beneficium Dei, quo greſſus hominis dirigit, ut viam ejus diſcat, teneat gradiatur, ſua homo voluntate mereatur. Sed ideo dixit. A Domino greſſus hominis diriguntur & viam ejus volet ut intelligeremus ipſam voluntatem bonam, qua incipimus velle credere, quoniam Dei via quid eſt, niſi fides recta, illius eſſe donum qui greſſus noſtros propterea dirigit primitus, ut velimus non enim ait ſcriptura, à Domino greſſus hominis diriguntur, quia viam ejus voluit, ſed diriguntur inquit, & volet. Non igitur quia voluit diriguntur, ſed quia diriguntur voluit. Hic tu rurſus fortaſſe dicturus es hoc fieri à Domino, dum doctrina ejus legitur & auditur ſi homo veritati, quam legit vel audit ſua conſentiat voluntate. Cui ſi conſentit, inquis, quod ejus libero arbitrio conſtitum eſt, rectè utique dicuntur ab illo dirigi greſſus ejus ut viam ejus velit cujus doctrinam ſuaſione præcedente ſubſequenti conſenſione ſectatur, quod libertate naturali ſi vult facit pro eo quod fecerit præmium vel ſupplicium recepturus. Hæc eſt illa Pelagianorum mala, male diffamata, meritòque reprobata, & ab ipſo Pelagio timente damnari, in Orientalium Epiſcoporum judicio damnata ſententia, qua dicunt gratiam Dei non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina. Epiſtola 107.

Sed neque ab illo quod originaliter contrahitur neque ab his quæ unuſquiſque in vita propria vel intelligendo vel nolendo intelligere mala congregat quiſquam liberatur & juſtificatur, niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrũ non ſolum remiſſione peccatorũ, ſed prius ipſius inſpiratione fidei, & timoris Dei impartito ſalubriter orationis affectu, & effectu donec ſanet omnes languores noſtros & redimat de corruptione vitam noſtrã, & coronet nos in miſeratione, & miſericordia. Verum iſti qui perſonarum acceptorem fieri exiſtimant Deum ſi in una eademque cauſa ſuper illos veniat miſericordia ejus ſuper alios vero maneat ira ejus, nempe totas vires argumentationis humanæ in parvulis perdunt. Quid hic dicturi ſunt, qui ut gratia dari poſſit, nonnulla præcedere merita humana contendunt, ne ſit perſonarum acceptor Deus. Sinant filium hominis in qualibet ætate quærere & ſalvum facere quod perierat. Nec de inſcrutabilibus judiciis ejus audeant judicare cur in una eademque cauſa ſuper alium veniat miſericordia ejus, ſuper alium maneat ira ejus. Epiſt. 105.

An iſta ſit doctrina Sancti Auguſtini in materia gratiæ. CLEMEES PAPA VIII.

Pro prima Congregatione.

MONITIO AD LECTOREM.

AVCTOR veritus ne nimium Tomi excreſcerent, quæ ſuper poſuimus Concilia, & ſummorum Pontificum Epiſtolas per ſingulos libros diſtribuerat, quæ hic ſimul apponenda cenſuimus, ut primâ veluti facie videre licet, quænam fuerit ſemper de hac re Eccleſiæ Catholicæ doctrina & Summorum Pontificum ſententia, præſertim fœlicis recordationis Clementis VIII. qui hunc tractatum verè aureum edidit. Vt facilè agnoſci poſſet quęnam eſſet S. P. Auguſtini in hac difficillima quçſtione mens, immo Eccleſię doctrina. De hoc tractatu ita ſcribit huius operis Author. *Hunc egregium tractatum de efficacia prævenientis gratiæ, cum iſta cauſa Romæ tractaretur, fœlicis recordationis Clemens VIII. proprio labore conſcripſit, totam doctrinam, quæ de efficacia prevenientis gratiæ à S. P. Auguſtino diverſis in locis tradita fuit, magno ſtudio, aptißimo ordine, ac mira perſpicuitate in breve compendium redigens. Quamvis in illo non de fide definiat, tamen ex eo definitionem, quam niſi morte fuiſſet præventus, promulgare præparaverat, educere diſponebat.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX RERVM

QUÆ IN PRIMA PARTE PRIMI TOMI CONTINENTVR.

Primus numerus paginam: ſecundus columnam deſignat.

ACADEMIA.

LOVANIENSIS Academia inſignis, & in doctrina S. Auguſtini plurimùm verſata. 32. 1 bonarum artium Magiſtra. 124. Profeſſores Societatis Jeſu amicè hortata eſt ne doctrinam Molinæ defenderent. 126. 2. ſcripſit contra illam. ibid. & 138. 1. & 146. 1. & 150. 2. librum. *De Eccleſiaſticis Dogmatibus* qualificavit. 118. 1. docuit Pelagium admiſiſſe revelationes internas eſſe ſimpliciter neceſſarias. 32. 1. & 39. 2.

Academia Lovanienſis & Duacenſis ſimul, cenſurant aſſertiones recentiorum Lovanij erga peccatum originale. 144. 2.

Academia Duacenſis egregia Schola. 32. 1. & 39. 2. docuit Pelagium admiſiſſe ſupernaturalem excitationem voluntatis objectivam. ibid. contra doctrinam P. Molinæ acerrimam compoſuit cenſuram. 127. 1. eamque impugnavit. 138. 1.

Academia Salmanticenſis dividit auxilium in ſufficiens & efficax. 36. 1.

ACTVS.

Actum à gratia præveniente & libero arbitrio procedentem, non eſſe liberum, aut capacem rationis, & virtutis, & laudis, & honoris prout eſt à gratiâ, ſed prout eſt à libero arbitrio, perperàm affirmant quidem recentiores. 155. 2. & 156. 1. & 2.

Actus quem Semipelagiani ponebant initium fidei; quatuor modis fieri intelligi poteſt. 110. 2.

ADAM.

Adamo ſolùm, peccatum originale nocuiſſe docuit Pelagius. 8. 2. Vide. *Originale Peccatum.*

ADJVTORIVM.

Adjutorium veræ & propriæ gratiæ Chriſti dat efficaciter velle & operari 35. 1. & 38. 1. & 41. 1.

S. Auguſtini ſententia eſt quòd Pelagius etiamſi admitteret gratiæ adjutorium tamen hoc non erat admittere veram gratiam Chriſti, nec recedere à ſuo errore damnato; quia dicebat tale adjutorium dari tantùm ad poſſe. 35. 2. & 37. 2. & 40. 1. nullum verum adjutorium Pelagius admiſit. 48. 2.

Adjutorium ſimultaneum tempore, & ſubſequens ratione & naturâ explicatur. 67. 1. debet dici abſolutè conſequens. ibid. eidem tria nomina conveniunt. 68. 1. tota quæſtio Catholicorum contra Pelagium de adjutorio gratiæ, in eo ſita erat, quòd ille negabat prævenientis gratiæ adjutorium efficax. 23. 1. magnum gratiæ adjutorium eſt auxilium efficax. 25. 1. & 26. 1. & ſeq.

Pelagium deſtruere liberum arbitrium dum adjutorium negat apertè convincitur ex SS. Auguſt. & Hyero. 52. 2.

ÆSTIVS.

Guillelmus Æſtius primarius Profeſſor Univerſitatis Duacenſis, duo valdè notanda dicit, circa errores Pelagij 32. 1.

AGERE.

Agi plus eſt quam regi. 7. 2.

ALBIGENSES.

Negarunt liberum arbitrium. 51. 1.

ALBINA.

Albina monet Pelagium ut à ſua hæreſi deſiſtat & eam damnet. 4. 1.

S. ALCHIMVS.

Vir eloquentiſſimus contra Fauſtum ſcripſit. 85. 2.

ALTITVDO.

Deum altitudine ſui intellectus cognoſcere certò quòd de ſe incertum eſt, in rebus futuris; docuit P. Molina. 144. 2.

ANIMA.

Explicatur locus in quo S. Auguſtinus videtur dubitaſſe an animæ rationales aliorum hominum, ab anima Adæ propagentur. 73. 1.

APOCHRIPHVM.

Nomen hoc *Apochryphum* variè uſurpatur 88. 2. ſæpe pro hæretico & erroneo ſumitur. ibid.

ARBITRIVM.

Liberum arbitrium ſemper firmum & forte ad non peccandum ſine gratia, imò & ad operandum poſuit & ſemper defendit Pelagius. 23. 2. & 45. 2.

Liberum arbitrium poſt Adæ peccatum, non fuit extinctum, ſed vulneratum & læſum. 57. per tot.

ASSERTIO.

Septem fundamentales aſſertiones doctrinæ novæ PP. Societatis, referuntur. 133. per tot.

ASSERTORES.

Scientiæ mediæ aſſertores conſtituentes certitudinem prædeſtinationis in ſola ſcientia media conditionata mutaverunt ſententiam & illam certitudinem conſtituerunt in prævisione abſoluta futurorum ope-

Digitized by Google

rum. 144. 2. admittunt conditionem & rationem ex parte actus liberi arbitrij & cooperationis liberæ prædestinatorum, sine quâ illa scientia non præexisteret in Deo. 142. 1. & 2.

AVCTOR.

Hujus operis auctor dicit se minimum esse Sancti Augustini discipulum. 69. 1. in multis disputationibus coram Summo Pontifice Clemente VIII. habitis acerrimâ conflictatione contra plures PP. Societatis ad hoc electos & deputatos materiam de gratia propugnavit. 160. 2.

Auctores moderni negantes gratiam efficacem in quo differant à Pelagio. 35. 2.

Auctor modernus qui scripsit, Synodos contra Pelagium congregatas nihil contra Pelagium de Prædestinatione statuisse: refutatur. 11. 2.

Moderni auctores etiamsi voce publicent se admittere veram gratiam sufficientem, reipsâ non admittunt. 103. 1. & seq.

S. AVGVSTINVS.

Eminentissimus Ecclesiæ Magister. 72. 1. supremus post Apostolos gratiæ defensor. 69. 1. egregia ejus encomia. ibid. & sequentibus. à Sancto Thomâ vocatus *lingua Christi, Vox Cœlorum, lux Doctorum &c.* 71. 1. Vide ibi multa ejus encomia. Obiit anno 430.

Sanctus Augustinus calliditatem & mentem Pelagij aperuit in libro *de gratia Christi.* 25. 1. monet nos debere esse cautos contra Pelagiũ & quoscunque alios docentes dari auxilium quo possimus tantùm & non quo velimus aut operemur. 34. 1. illudque esse totum dogma Pelagij asseruit. ibid. nomine inspirationis aliquando intellexit gratiam efficacem prævenientem. 65. 2.

S. Sedes Apostolica non suffert irreverenter loqui de S. Aug. 138. 2. Codex S. Augustini, *De gestis Pelagij contra adversarios gratiæ Domini nostri Jesu Christi*, de novo inventus. 5. 2. & 73. 2. quo fine illum S. ille Pater composuit. 6. 1.

S. Augustini argumenta, contra Semipelagianos dicentes quosdam parvulos non baptizari quia præviſi sunt à Deo malè operaturi; & alios baptizari quia prævidit Deus quod si viverent benè essent operaturi. 106. 2.

Non est liberum recedere à Sancti Augustini doctrinâ in materia Prædestinationis. 11. 2. 105. & 123. 1.

AVXILIVM.

Auxilium verè sufficiens quid sit. 36. 2. & 37. 2. & seq. supernaturale sufficiens ad salutem, nemini negari probare conantur quidam recentiores admittentes scientiam mediam. 151. 2.

Auxilium verè & propriè efficax quid sit. 37. 2. & 41. 1. & 45. 2. illud semper Pelagius & Pelagiani & Semipelagiani negarunt. ibid. est nobilissimum gratiæ auxilium. 38. 1. de hoc potissimùm fuit semper quæstio inter S. Aug. & Pelagium. ibid. & sequentibus.

Auxilij excitantis totam causalitatem moralem & methaporicam esse asserunt Suarez & alij. 152. 2.

Omne auxilium quod esset principium movens voluntatem ad credendum negaverunt primi Pelagiani. 49. 1. Pelagius verò negavit omne auxilium præter beneficium creationis & conservationis. 16. 1. sed maximè semper negavit auxilium gratiæ efficax ne tolleret libertatem. 22. 1. & seq. & 24. 1. & 25. 1.

Ex hoc potissimè damnatus fuit Pelagius, quòd negavit auxilium prævium. 13. 1. illudque magis negavit quàm simultaneum. 14. 1. Tria auxilia interna distinguntur. 37. 2.

Cujusdam recentioris placitum asserentis quosdam in gratia confirmatos, necessariò & non liberè producere in hac vita actum bonum existente Dei auxilio. 157. & 158.

BÆDA.

Venerabilis Bæda dixit Julianum hæreticum posuisse gratiam prævenientem sufficientem ex parte voluntatis, ad facilius, & non ex necessitate requisitam. 67. 2.

BECANVS.

Publicavit tres libros in favorem doctrinæ Patris Molinæ. 130. 1.

BELLARMINVS.

Cardinalis Bellarminus, docet nullam esse causam in damnatis reprobationis negativæ, bene tamen positivæ. 144. 1. admittit concursum indifferentem. 147. & 148. dicit tamen opinionem illam quæ asserit gratiam Dei expectare voluntatem vel concursum ejus ut liberè consentiat, manifestè incidere in errorem Fausti & Cassiani. 156. 1. asserit S. Prosperum præclara pro gratiâ Christi scripsisse contra Pelagianos. 84. 1.

CELESTINVS.

Cœlestinus Summus Pontifex, miratur quod Nestorius, peccatum originale admitteret cum Christi Incarnationem negaret. 79. 2.

CALVINVS.

Duplici titulo negavit liberum arbitrium. 54. 2. in quo cum Pelagio conveniat, & in quo cum eodem differat. 55. 2.

CANON.

Octo canones de gratia contra Pelagianos qui referuntur in primo tomo Conciliorum, non sunt primi, sed secundi Concilij Milevitani. 76. 2.

CARPOCRATIANI.

Peccatum originale negarunt dicentes se naturâ filij Dei & sine peccato esse. 53. 2.

CASSIANVS.

Cassianus natione Scitha, Massiliæ præsbiter. 82. 1. ejus persona non est condemnata; bene tamen ejus sententia in materia de gratiâ & libero arbitrio 86. 1. & 87. col. 1.

Cassiani collatio decima tertia excusari non potest ab errore Pelagianorum. 86. 1. & 2. observationes interpretes & veluti conciliatrices illius impugnantur. 90. 1. & 2.

Opuscula Cassiani Romæ excusa anno 1588. circa quam excusionem multa notantur. 88. 2. & seq. inter Apocripha numerantur. 89. quamvis à quibusdam, etiam Sanctis; laudentur, quantùm ad ea quæ ad vitam monasticam pertinent. ibidem.

CELESTIVS.

Celestius hæreticus non contemptibilis sed acerrimi ingenij. 62. . in omnibus secutus est Pelagium. 17. 1. hujus omnes hæreses tenuit pertinacius illo 63. 1. ex Urbe expelli mandatur. 80. . finxit se emendandum. 62. .

CHARTAGO.

Totius Affricæ caput. 76. 1. Cartaginensis Concilij Patres dixerunt Pelagium & Celestium negasse illam gratiam quà Christiani sumus. 41. 2. & 44. 1.

CHRISTIANVS.

S. Augustinus dicit Christianum non esse qui negat gratiam ex Deo ipso efficacem, quia hæc est gratia Redemptoris. 38. 2.

CHRISTVS.

Christum per sua merita non fuisse causam nostræ Prædestinationis quoad integrum effectum supernaturalem, asserunt quidam scientiæ mediæ defensores. 145. 2. nec passionem ejus aut crucem fuisse æternâ

Dei

Digitized by Google

Dei voluntate præordinatam, ſed tantùm ex præviſione Judaïcæ malitiæ præviſam & permiſſam. 146. 1.

Chriſti propria gratia mentem intus reformat. 45. 1.

CLEMENS.

Clemens VIII. voluit controverſiam de gratiâ, ex doctrinâ S. Auguſtini terminandam. 72. 1.

COGITATIO.

Congrua cogitatio immiſſa per internam revelationem ſe habet tantum ut lex & doctrina. 42. 2. & 48. 2.

CONCILIVM.

Concilium Milevitanum contra Pelagium celebratum. 24. 1. & 28. 2. & 31. 2. definivit contra eundem gratiam interiorem dari, ut non ſolùm cognoſcamus, ſed etiam ut faciamus que congnoſcimus. Ibid.

Concilium magnum Epheſinum ſub Cœleſtino Papa congregatum damnavit Pelagium, Celeſtium & Neſtorium. 121. 1.

Concilium Valentinum tertium ſub Lothario Imperatore approbat S. Auguſtini doctrinam, & Pelagianorum ac Semipelagianorum doctrinam contrariam reprobat in materia de gratia & prædeſtinatione. 123. 1.

Duo Concilia Carthaginenſia contra Celeſtium. 75. 2.

Concilium *Dioſpolitanum* in Paleſtina anno 415. *celebratum fuit.* 74. 2.

Varia concilia & ſummi Pontifices qui approbarunt & commendarunt doctrinam S. Auguſtini, & Pelagianos damnarunt recenſentur. 49. 1. & 2. 71. & 72. & 75.

In Concilio Affricano plenario erant. 217. Patres. 77. 1.

Concilium Arauſicanum. 2. ſub Leone magno celebratum. 122. 1. præcipuè contra Semipelagianos. Ibid. definivit Deum non expectare hominis voluntatem, ut vocet & miſereatur. 88. 1.

Concilium Tridentinum errores Pelagianorum & Semip. paucis efficaciſſimè confutat. 123. 1.

Milevitanum Concilium in quo damnata fuit hæreſis Pelagiana non fuit celebratum anno. 402. ſed anno. 416. 76. 1. illi ad fuit S. Auguſtinus. Ibid.

CONCORDIA.

Concordia inter Sanctum Proſperum, & Poſſidium in computatione annorum, quibus S. Auguſtinus diſputavit contra Pelagianos. 7. 2.

CONCVRSVS.

Concurſum Dei generalem non eſſe influxum in cauſas ſecundas quo moveantur, nec aliquid diſtinctum aut prævium ad actionem cauſæ ſecundæ; neque aliquo influxu cauſæ primæ egere cauſam ſecundam, quo juvetur ad agendum, aut inclinetur, aut confortetur multis probare conantur. P. Molina, & P. Suarez. 146. 1. illumque concurſum generalem eſſe ejuſdem rationis reſpectu omnium effectuum naturalium & ſupernaturalium, bonorum & malorum, aſſerunt. 147. 1. & 148. 1. imò contendit P. Molina per ſolum illum generalem concurſum poſſe hominem in ſtatu naturæ lapſæ, ſolis libertatis viribus aſſentiri rebus fidei ut à Deo revelatis, actu qui ſit naturalis ordinis: & facere opus virtutis, etiam dilectionis Dei ſuper omnia, & ſimilia per actum naturalis ordinis. 149. per tot. concurſus vocatus ſimultaneus voce tantùm ponitur. 14. 2. reipsâ ſimultaneus non eſt, ſed ſubſequens ad arbitrij influxum. Ibid.

CVICHIVS.

Henricus Cuichius ſine cauſa excuſat Caſſianum. 84. 1. & 86. 1.

DECRETVM.

Decem decreta in Epiſtola Cæleſtini Papæ contra Manichæos. 120. 2. Cæleſtini eſſe probantur. Ibid.

DEFINITIO.

Uiginti octo definitiones contra hæreſim Pelagianam ab Eccleſia prolatæ & publicatæ. 123. 2.

DEVS.

Deum impoſſibilia præcipere dixerunt Julianus, Pelagius, & Celeſtius. 68. 2.

Petimus à Deo non ſolùm quod neceſſarium, ſed etiam quod melius eſt. 31. 1. Petere à Deo quod non eſt neceſſarium, ſed tantùm facilius, Eccleſiam non decet. Ibid.

Fruſtra Deus poneret illuſtrationem ſupernaturalem in intellectu niſi ſupernaturali excitatione voluntatem excitaret. 39. 1.

Deum non concurrere cum cauſis ſecundis duplici concurſu prævio ſcilicet & ſimultaneo contendunt PP. Molina & Suarez. 146. 2. ſed ſolùm influxu indifferenti. Ibid. qui influxus determinetur quoad ſpeciem actionum & effectuum à concurſu particulari cauſarum ſecundarum. Ibidem

Deum ſuo concurſu aut auxilio generali, vel ſpeciali gratuito, eſſe cauſam partialem; potiſſimum eſt Molinæ & Sectatorum ejus fundamentum. Ibid.

Deum definiviſſe peccatum illiuſque auctorem eſſe, blaſphemarunt Marcion, Luther, Calvinus, Melanthon: Zuinglius, & alij hæretici. 54. 1. quamvis verbis hoc occultare voluerit Calvinus. 56. 1. & 2.

DIABOLVS.

Mon poteſt efficaciter ſed ſolùm moraliter voluntatem hominis movere ſuggeſtionibus ſuadendo. 66. 1. non poteſt excitare ſed incitare. Ibid.

DIOSPOLIS.

Dioſpolis civitas eſt in Paleſtina, ubi compulſus fuit Pelagius ſuos abjurare errores. 74. 2.

DISTINCTIO.

Diſtinctio de ſenſu diviſo & compoſito quomodo explicatur à Patribus Societatis Jeſu. 133. 2.

DOCTRINA.

Doctrinam Semipelagianorum non intelligunt aut intelligere nolunt ut ſuam ab illa monſtrent alienam. 108. 2.

Doctrina vera & propria dividitur in interiorem & exteriorem. 43. 2.

DOGMA.

Totum dogma ſuum firmavit Pelagius in hoc, quod dentur revelationes internæ, adjuvantes poſſibilitatem noſtram, & dantes voluntati tantùm poſſe bene operari. 35. 1.

Dogma principale Pelagianorum fuit negare concurſum prævium quaſi libertatis deſtructivum. 16. 1.

Nimis à veritate alienus eſt qui contendit non eſſe Pelagianum dogma, ponere vocationem, quæ in ſua efficacia pendeat à conſenſu Arbitrij liberi. 23. 1.

DOMINICVS.

S. P. Dominicus collationes Caſſiani præ manibus habebat. 89. 2. diſcernens prætioſum à vili & Catholicum à damnato. Ibid.

DONVM.

Donum gratuitum quid ſit 13. 1. & 2. & 15. 1.

Magnum perſeverantiæ donum conſtituunt recentiores in protectione Dei & auxilio tali tempore dato, & tali homini accommodato; ut in eo infallibiliter habeat effectum. 158. & 159. ad quod duo neceſſaria eſſe dicit P. Molina. 158. 2. Vide. *Perſeverantia.*

Digitized by Google

Index Rerum.

EPISTOLA.

Epistola Pelagij ad Demetriadem falsissimè attribuitur S. Augustino. 18. 1.

Epistolæ S. Augustini & libri in quibus contra Pelagianos scripsit enumerantur. 73. 2.

ERROR.

Error in fide est, constituere meritum etiam de congruo in conatibus naturæ, quibus infallibiliter reddatur. 98. 1.

Errores tredecim Fausti Semipelagiani. 115. & seq.

Errores Pelagij qui referuntur à S. Thoma. 7. 2.

Error Pelagij circa gratiam totus in hoc consistit, quòd illud adjutorium divinæ gratiæ negavit, quod verè adjuvat ut velimus & verè efficit ut agamus. 41. 1. & seqq.

Errores omnes Pelagianorum & Semipelagianorum ad tria capita principalia reducuntur. 117. 2.

Epilogus errorum Calvini circa peccatum originale, & liberum arbitrium. 53. 2.

Indiculus errorum quibus semper adhæsit Pelagius in materia prædestinationis & gratiæ. 50. 1. & 2.

Quindecim errores Pelagij qui citantur à S. Aug. in libro *De gestis Pelagij* implicitè continentur in illis tribus quos idem S. refert libro. *De dono Perseverantiæ*, cap. 2. 6. 2.

EVSEBIVS.

Dicit S. Augustinum inter egregios Doctores Ecclesiæ esse majorem. 71. 1.

EXEMPLVM.

Pulcherrima exempla ad explicandum auxilium sufficiens. 37. 1. & 2.

EXCITATIO.

Supernaturalem excitationem ad actum liberum distinctum à revelatione & quæ vires supernaturales sufficientes tribueret voluntati concedere noluit Pelagius. 39. & 40.

EXPOSITIO.

Expositiones diversæ illius loci Sancti Pauli. *Iacob dilexi Esaü autem odio habui.* 137. per tot. & seq.

FAMILIARE.

Familiare est errantibus & hæreticis, contradictionibus abundare. 53. 1.

FAVSTVS.

Episcopus Reghiensis Semipelagianus. 82. 1. & 86. 1. & 88. 1. imò & Pelagianus. 86. 2. fuit unus ex præcipuis qui S. Augustinum impugnando hæresim Juliani defendit. 114. 1. ejusdem astutiâ aperitur. Ibid. 2. primus ejus error, peccatum originale non esse culpam in parvulis, sed pœnam. Ibid. & 117. 2. aliis ejus errores. Ibid. & seq. in omnibus convenit cum Cassiano, excepto uno, quòd iste posuit duos ordines hominum qui salvantur: aliorum qui ex viribus naturæ incipiunt salvari; aliorum verò qui nihil efficientes recipiunt Dei gratiam absque libertate. 116. 2. & 119. 1. qui Faustum excusant, novâ arte Pelagianam doctrinam in ejus libris contentam iterum intromittere laborant. Ibid. mirâ calliditate Catholicos videri volebat. 87. auctores qui contra illum scripserunt. Ibid. versutissimus Pelagianorum Patronus. 87. 1. convictus fuit cum Cassiano à Sancto Prospero revelationes & excitationes quas admittebat, non recedere à lege & doctrinâ, officio & munere. 44. 2. & seqq. & 100. ejus doctrinam damnavit Hormisda. 122. 2.

FERDINANDVS.

Ferdinandus de las infantas Presbiter Cordubensis finxit se idiotam, & per revelationem accepisse à Deo, quæ scripsit in libro erroribus Pelagianorum pleno. 129. 1. fuitque de secta Illuminatorum. Ibid

FIDES.

Fidei non solùm augmentum, sed etiam initium donum Dei esse, nec posse naturæ viribus obtineri definitum est, à Concilio Arausicano secundo. 110. 1. quomodo initium Fidei esse ex nobis asserebant Semipelagiani, & augmentum seu perfectionem esse à Deo. 111. 1. & 112.

P. FONSECA.

Non fuit scientiæ mediæ inventor. 134. 1.

FVNDAMENTVM.

Commune fundamentum inter defensores scientiæ mediæ est, Deum non movere causas secundas, aut in eas influere. 146. 2.

Fundamenta varia quæ assertores scientiæ mediæ inferunt ex concursu Dei generali indifferenti. 147. per tot. præcipua fundamenta negantium prædeterminationem physicam referuntur & explicantur. 148. per tot.

FVTVRVM.

Futura non ideo futura esse quia Deus ea prævidet; sed Deum ea prævidere quia futura sunt asserunt scientiæ mediæ defensores & citantur. 135. 1. & 2.

GELASIVS.

Gelasius Papa approbavit doctrinam S. Augustini de prædestinatione & gratia. 71. 2. Pelagianos damnavit. 122. 1. & 2. Cassianum vituperat & ejus opuscula declarat Apocripha. 84. 1. & 2.

Senex miserabilis Gelasio Papæ oblatus in Pelagianæ voraginis cœno veluti rana submersus. 122. 1.

GENNADIVS.

Pelagianorum amicus. 84. 2. perperam Cassianum & S. Prosperum damnat. Ibidem. in errore Semipelagianorum involutus. 85. 1. ipsius est liber *de Ecclesiasticis dogmatibus*, quem falsò Molina tribuit S. Augustino. 84. & 85.

Gennadij duo libri vitandi. 117. 2.

Gennadius non fuit Episcopus, sed Præsbiter. 118. 2. de factione Gallorum, id est Massilienssium. Ibid.

GRATIA.

Gratia quæ priori merito tribuitur, gratia non est. 25. 1. In Scripturis & à S. Paulo prædicata, ita est gratuita, ut nullâ vel minimâ ratione naturæ operibus sit debita. 98. 1. excludit omne meritum de congruo, vel connaturalitatis, vel connexionis cui infallibiliter debeatur Ibid. exemplis probatur. Ibidem.

Gratia præveniens quare dicatur excitatio? 66. 2.

Gratiam qualem admitterent, & qualem non admitterent Semipelagiani explicatur. 101. 1. & 2.

Tria sunt de ratione gratiæ excitantis. 66. 2.

Quomodo intelligatur gratia Christi in his verbis Scripturæ sacræ contenta *omnis qui audivit à Patre & didicit venit ad me.* 35. 1.

Gratiam habitualem & dona supernaturalia, solùm ad facilius operandum nobis dari: contendebat Pelagius. 24. 1. & hoc potissimè in illo damnavit Concilium Milevitanum. Ibid.

Ex eodem principio quo Pelagius peccatum originale negabat ad statuendum firmum liberum arbitrium: omnia quæ contra divinæ gratiæ efficaciam faciunt, deducebat. 10. 1. & seqq.

Singulare fundamentum Pelagij negandi gratiam fuit, quia *non est liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio.* 13. 2.

Gratia verè sufficiens quid sit? 103. 1.

Ex Deo efficax est, nec emendicat efficaciam ab homine. 41. 1. illam solùm negavit Pelagius quæ voluntatem moveat. 32. 2. adjuvans verè distinguitur in operantem & cooperantem. 103. 1. cooperans quomodo intelligenda? 49. 2.

Digitized by Google

Gratia Dei & Christi Salvatoris liberat à concupiscentiis & peccatis. 44. 1. verè & activè & efficaciter efficit quod faciamus. 41. 2.

Gratia prævenies, solùm moraliter excitans non potest dici gratia sufficiens nec dat verum posse. 36. 1. in negandâ gratiâ prę veniente ex parte voluntatis, potissimè consistebat Pelagianorum & Semipelag. error. 100. 2.

Gratiam prævenientem, cooperantem & adjuvantem eandem esse asserunt Molina & alij 153. 1. & 2. & seqq. varioſque motus gratiæ prævenientis explicant. 151. 2 & 152. 1.

Recentiores quidam conveniunt in negando auxilium gratiæ quod sit efficax independenter à libero arbitrio. 155. 1. asserunt gratiam efficacem nihil aliud esse quam suasionem; quæ non determinat, sed inclinat voluntatem per modum proponentis objectum. Ibid. 2. dependentiam datorum Christo Domino à Patre, in libero arbitrio constituunt. 156. 2. æqualem gratiam duobus collatam posse efficacem esse in uno & non in alio, ex libello de ratione studiorum. P P. Societatis tradunt. 157. 1.

GREGORIVS.

Gregorius de Valentia admittit duo genera prædestinatorum, quorundam sine meritis prævisis; aliorum verò non sine prævisis meritis. 143. 1.

HÆRESIS.

Hæresis primorum Pelagianorum in substantia consistebat in hoc quod gratia datur secundùm merita nostra, ita quod ipsa sit debita. 18. 1. & 119. 2. Plena & integra hæresis Pelagij in quo consistebat. 21. 2. est gratiæ inimica. 2. 1. est hæresis Pharisæorum. Ibid. 2. & 74. 1. & 79. 2. constituit homines Deo æquales. Ibid. quo tempore incepit. 3. 1. in primo suo statu admisit legem & doctrinam. 17. 1. & seqq. in secundo statu concessit gratiam aliquam internam, ad faciliùs operandum & implenda præcepta tantùm necessariam. 19. 1. & 2. & 26. 1. & seqq. in tertio statu admisit gratiam internam revelantem ex parte intellectus, & internam ex parte voluntatis: illam necessariam simpliciter; istam verò ad faciliùs tantùm. 26. & 27. & seqq.

Hæresis Pelagiana veluti mortua, ad annum. 1538. iterum in Gallia revocatur. 124. 2.

Hæreses septem Lutheranorum & Calvinistarum, circa liberum arbitrium, item aliæ tredecim hæreses eorundem circa prædestinationem & gratiam. Ibidem. prima illorum hæresis & Basis aliarum erat liberum arbitrium post Adæ peccatum esse extinctum, & titulum sine re. 53. 1.

HÆRETICVS.

Hæretici facies habent diversas; sed caudas habent ad invicem colligatas. 55. 1.

Hæreticorum proprium est in suis dictis constantes non esse. 33. 1. & latebris obscuritatis se se occultare. 101. 2.

Hæretici vulgi opinione sancti. 3. 1. & 82. 1. quadruplici via processerunt ad negandum liberum arbitrium. 53. 1.

HENRIQVEZ.

Henricus Henriquez dicit quòd in libello de ratione studiorum PP. Societatis habetur, quod ad honorem familiæ pertinet ut cum libertate ingenij componatur nova Theologia. 126. 1. graviter censurat librum P. Molinæ *de concordia* asserens ipsum purgari non posse ab erroneis doctrinis. 128. 1.

S. HYERONIMVS.

S. Hyeronimus Doctor Ecclesiæ splendidus Pelagianæ hæresis impugnator invictissimus. 69. 1. S. Augustini laudator. Ibid perpetuò docuit Pelagium gratiam dixisse liberum arbitrium, legem, atque doctrinam. 26. 1.

IOANNES.

Joannes IV. Summus Pontifex hæresim Pelagianorum damnatam esse scribit ad Scotos referente Bæda. 123. 1. & 2. Joannes Maxentius dixit Faustum callidè sententiam Pelagianorum refutasse; cum eam potiùs novis coloribus variatam teneret atque doceret. 122. 2.

INNOCENTIVS.

Innocentius I. Summus Pontifex multa præclara dixit contra Pelagianos illos damnans. 78. 1. & 2.

INSPIRATIO.

Nomine inspirationis quam Julianus hæreticus negabat S. August. intelligit excitationem activam, quæ gratiam efficacem prævenientem includit. 66. 1. Vide. *Gratia, Revelatio.*

ISYDORVS,

Isydorus Peluſiota & alij notant Cassianum. 84. 1.

IVLIANVS.

Julianus hæreticus Episcopus in magnæ penuriæ tempestate omnes suas facultates pauperibus erogavit. 63. 1. & sic multos nobiles & Religiosos in suam hæresim traxit. Ibid. asseruit peccatum nullum, sed mortem tantùm, ab Adamo in posteros transire. 64. 1. fuit auctor sectæ Semipelagianorum. 68. 2. & 82. 1. & 91. 2. & 118. 1. quo sensu dixerit Christum nascendo ostendisse, omnia crimina morum & non seminum esse. 64. 1. & 2. docuit in infidelibus veras fuisse virtutes morales. Ibid. nullam dari gratiam efficacem contendebat, imò illam fatum & fatalem necessitatem inducere dicebat. 64. 2.

Julianus posuit gratiam adjuvare hominem in eodem opere bono jam ab homine ipso incepto. 15. 1. nosque habere posse cupiditatem boni imperfecti, sine auxilio gratiæ; sed non boni perfecti. 23. 2. quomodo in hoc à Pelagio differebat. Ibid.

Julianus & complices Episcopi dicebant gratiam esse simpliciter necessariam ad complendum bonum propositum à sola libertate inceptum. 65. 1. & seqq. in quo conveniebat cum Pelagio, & in quo ab illo dissentiebat. 68. 2. de aliis Juliani erroribus. 67. & 68.

IVSTITIA.

Splendorem justitiæ divinæ non potuisse esse finem sufficientem nec præcipuum, propter quem Deus voluerit permittere peccata contendit perperàm P. Molina. 143. 2. & opinionem id asserentem esse nimis duram, indignamque Dei bonitate, & Clementia; & facere Deum crudelem. Ibid. docet tamen idem Pater, Deum justè permittere damnationem æternam filiorum, ut puniat peccata parentum. 144. 1.

P. LAYNEZ.

Suadere voluit Concilio Tridentino, ut canon. 4. sess. 6. qui sic habet. *Si quis dixerit liberum arbitrium hominis à Deo motum & excitatum non posse, &c.* Sic formaretur *si quis dixerit mentem à Deo motam & excitatam, &c.* 126. 2.

LESSIVS.

Triplicem exponit suppositionem consequentem quæ non tollit libertatem. 133. 2. adeò facilem constituit prædestinationem ut eam penitùs de medio tollat. 145. 2. admittit scientiam mediam non tamen pro prædestinatione necessariam. 135. 1. rejectis duabus viis prædefinitionum & scientiæ mediæ, tertiam statuit ad explicandam prædestinationem; ex prævisione bonorum operum. 145. 1.

LEO.

Leo Magnus Summus Pontifex funditùs Pelagianorum & Semipelagia. reliquias evertit, & Massilien-

Digitized by Google

ſes denuò pullulantes damnavit. 121. 2. & ſeq.

LEX.

Lex mentis naturalis & ſupernaturalis explicatur. 44. 1.

Tres humanæ leges contra Pelagianos promulgatæ. 80. 1. & ſeqq.

LIBELLVS.

Libellus aureus Vincentij Lirinenſis. 118. & 128. 2.

Libellus de ratione ſtudiorum PP. Societatis Jeſu. Romæ impreſſus. 146. 2.

LIBER.

Liber S. Aug. *de gratia Chriſti* hoc titulo notatur; quia contra Pelagium propriam Chriſti gratiam non admittentem eſt compoſitus. 48. 1.

Liber *de dono perſeverantiæ*, S. Auguſtini contra Semipelagianos conſcriptus. 101. 2.

Libri *de prædeſtinatione Dei*, & *de prædeſtinatione & gratia* qui Sancto Auguſtino tribuuntur, non ſunt ejus, ſed ſuſpecti auctoris. 73. 2.

Libri *de vocatione gentium* qui circunferuntur inter opera S. Ambroſij, ſunt S. Proſperi. 93. 2.

Libri in defenſionem P. Molinæ publicati. 129. 1. & 130.

Paulus Benius fecit librum Clementi VIII. Summo Pontifici dedicatum, in favorem doctrinæ P. Molinæ qui liber fuit damnatus propter. 24. & plures aſſertiones Pelagianas. 129. 2. illius auctor tamen non utitur ſcientiâ mediâ, ſed illam impugnat. 134. 2.

Liber Tripartiti operis *de gratia*, impugnatur. 9, 2. & 30. 2. & 30. 1.

LIBERTAS.

Prætextu conſervandæ libertatis Pelagius negavit omne auxilium & omnem Dei concurſum. 12. 2.

Libertatem tolli exiſtimant aliqui, ſi res ſint Deo præſentes in æternitate. 135. 2.

LOCVS.

Quemdam locum medium inter cœlum & infernum pro infantibus ſine baptiſmo decedentibus poſuit Pelagius. 78. 1.

Loca multa in quibus S. Thomas conciliat libertatem cum præmotione Dei; aſſerendo ita voluntatem moveri à Deo, ut ſeipſam moveat. 126. 1.

LVLLVS.

Raymundus Lullus Pelagium ſecutus eſt in potiſſimo ejus hæreſis fundamento. 50. 2.

LVPVS.

Pelagiani erant lupi manifeſti: Semipelagiani lupi occulti. 120. 1.

LVTHERVS.

Lutherus & ſequaces prætextu fugiendi Pelagium, iterum Manichæum introduxerunt. 53. 1.

MANICHÆVS.

Manichæus ſicut & Pelagius, diverſa tamen via; negat Dei auxilium, & tollit liberum arbitrium. 51. 1. poſuit duo æterna principia. Ibidem. ejus errores referuntur. Ibid. in quo cum Pelagio conveniat & in quo cum eodem differat. Ibid. 2. & ſeqq.

MARCIO.

Fidem eſſe naturalem tradebat. 2. 1.

MASSILIENSES.

Maſſilienſes cum nominantur in materia de gratia intelliguntur Fauſtus, Caſſianus & iſtorum conſortes. 82. 1. tredecim præcipua convitia ſeu maledicta olim contra doctrinam S. Auguſtini promulgaverunt; quæ Cœleſtinus Papa æterno ſilentio damnanda decrevit. 117. quænam fuerint hæc convitia ſeu maledicta. 116. & ſeq. ſumma errorum eorundem. Ibid. quare dicti Semipelagiani. 119. propter quatuor rationes. Ibid.

Maſſilienſes non negarunt concurſum Dei indifferentem & ſimultaneum omnibus oblatum: ſed ſolùm influxum Dei prævium efficaciter moventem, quem putabant eſſe libertatis deſtructivum. 97. 1.

MERITVM.

Quid ſit meritum de congruo. 100. 1. naturæ opus cui infallibiliter debeatur gratia tanquam merito de congruo vel connaturalitatis, damnatur à Concilio Arauſicano 2. contra Semipelagianos. 99. 2.

Quatuor dicenda circa dogma Pelagij de merito operum naturalium. 9. 2.

MOLINA.

Molina *de inſtructione Sacerdotum* reprehenditur eo quod dixerit S. Auguſtinum ad refutandos Pelagianos plura dixiſſe, quæ modò dicere non auderemus. 72. 2.

Ludovicus Molina confitetur ſe ſequi doctrinam Fauſti ipſumque inter Patres nominat. 122. 2. multa contra S. Auguſtinum & S. Thomam, ipſorum doctrinam parvipendens pronunciat. 128. 1. haud ſatis modeſtè de Sanctis Patribus ac Theologis loquitur. Ibid. 2. dixit Bædam & S. Thomam non ſolùm falſum affirmare, imò & erroneum in fide, dum aſſerunt ordinem divinæ providentiæ eſſe certum; niſi admittant ſcientiam mediam. 136. 1. docet effectus fortuitos non eſſe à providentia Dei intentos. 137. 1. impugnat S. Aug. 138. 1. & 2. graviter reprehendit ſententiam illorum qui docent Deum elegiſſe aliquos ad gloriam, ante prævisionem uſus liberi arbitrij 139. 1. & 140. contendit illam ſententiam eſſe nimis duram & libertatis deſtructivam. Ibid.

Ludouicus Molina putat *habitus Fidei, Spei*, & Charitatis ſupernaturalis habere rationem gratiæ operantis, nec aliam requiri. 154. 1. imò & gratiæ cooperantis. Ibid. ſententiam quæ defendit auxilium ex Deo efficax, eſſe errorem in fide contendit. Ibid. 2. & vult illud eſſe efficax vel inefficax ex effectu & ſolo libero arbitrio. Ibid.

Lud. Molina auſus eſt dicere ſe neſcire an penitùs explicata ſit ratio integra conciliandi libertatem cum gratiâ, præſcientiâ & prædeſtinatione; & an concertationes ante mille annos obortæ in hac materia inter viros Catholicos ſint compoſitæ. 159. 1. illam verò totam conciliandæ libertatis rationem ſe ſe tradidiſſe affirmat. Ibid. 2. aſſerit ante prædeſtinationem Chriſti Deum prævidiſſe futura omnia contingentia. 145. 1. imò & animas Chriſti Domini & Beatiſſimæ Matris ejus ad tantam dignitatem potiùs quàm alias fuiſſe electas, quia Deus prævidit ipſas meliùs pro innata ſua libertate, ſuo arbitrio uſuras. Ibid. Duo principia in quibus fundatur tota nova P. Molinæ doctrina. 130. 1. 2. & 131.

MOTIO.

Quid intelligat S. Aug. per motionem moralem òbjectivam, quid verò per motionem phyſicam ſeu quoad exercitium. 31. 2. moralis & Phyſica quomodo diſtinguantur. Ibid. & 39. 2.

Quid interſit inter motionem Dei quoad exercitium & motionem quoad ſpecificationem. 66. 1.

Motio ſufficiens & efficax. Ibid. quæ eſt ſufficiens reſpectu unius actus, eſt efficax reſpectu alterius. Ibid. motio quæ movet quoad exercitium, eſt verè effectiva. Ibid. 2.

Duplex motio Dei prævia requiritur ad ſervanda omnia mandata. 13. 2.

NOVVM.

Nova placere ſolent. 127. 2.

OPINIO.

Opinionem dicentium gratiam prævenientem movere ſolùm moraliter, ab hæreſi Juliani, Fauſti & Caſſiani

Digitized by Google

Index Rerum.

Cassiani non discrepare demonstratur. 67. 2.

ORIGENES.

Origenes multis erroribus implicatus. 1. 1. posuit ova Pelagio ut pullos educeret. Ibid. 2. ab eo Cassianus & alij sumpserunt pessimam doctrinam. 102. 1. &. 2.

ORIGINALE PECCATVM.

Peccatum originale plures negaverunt. 53. 2. maximè Semipelagiani. 92. 1. multò apertiùs illud negavit Celestius, quàm Pelagius. 59. 1. qui verè & non fictè illud admittunt Incarnationem Christi Domini minimè negant. 79. 2.

Contra peccatum originale quatuor dicit Pelagius. 5. 2. dicere peccatum originale non lædere animam in scientia boni & mali, & aliis naturæ bonis est negare peccatum originale. 92. 2. de quo valde notandum D. Prosperi testimonium. Ibid. & seq.

PELAGIANI.

Pelagiani solo nomine Christiani. 2. 1.

PELAGIVS.

Pelagius natione Britannus. 2. 2. ingratissimus gratiæ hostis. Ibid. non fuit primus ejus inpugnator. 1. 1. gratiam in libero arbitrio & lege & doctrina constituit. 2. 1. vir acutus, circumspectus & cavillationibus plenus. 3. 2. acer ingenio. 4. 1. superbus elator arbitrij. 1. 1. & 22. 2. Palæstinam fefellit, sed non Romam. 4. 1. qui ejus errores? Ibid. 2. differentia inter Pelagium Julianum & Celestium. 3. 1.

Pelagius suscitavit hæresim Joviniani. 74. 2. damnatus est quia veram gratiam negavit. 49. & 50. quomodo hoc intelligatur. Ibid. initio suæ hæresis posuit gratiam ex merito naturæ dari. 18. 1. sed hoc damnatur in Conciliis Milevit. & Trid. 19. 1. & 20. 1. duo contra adjutorium divinæ gratiæ evomuit. 25. 1.

Fraus prima Pelagij fuit admittere voce tenus gratiam esse necessariam, subdolè arbitrium, legem & doctrinam intelligens. 18. 2 & 20. 1. hæresim suam fictè abjuravit in Sinodo Palæstina. 18. 2. & 75. 1. Tres status suæ hæresis. 17. 1. & seqq.

Tria semper distinxit Pelagius scilicet posse, velle & operari: primum tantùm, Deo tribuit, alia duo libero arbitrio. 24. 2.

Revelationes internas in fine suæ hæresis tandem ad opus perficiendum simpliciter necessarias esse dixit. 29. 1. & seqq. nec propterea recessit à commendatione legis & doctrinæ; nec agnovit veram Christi Domini gratiam. 41. & seqq. & 46. 1.

PERSEVERANTIA.

Perseverantiæ donum faciens perseverare Semipelagiani non admittebant: sed solùm dans posse perseverare. 107. per tot. & seq. dicebantque posse homines illud abjicere, vel retinere si vellent. Ibid.

Magnum discrimen inter posse perseverare & initium perseverandi. 108. 2. in quo consistat error Semipelagianorum damnatus circa donum perseverantiæ. Ibid. Vide *Donum.*

PETRVS.

Petrus Diaconus vixit circa annum. 846. 121. 1. contra Fausti doctrinam pronunciat. 122. 2.

Petrus de Rivo quædam dogmata hæresis Pelagianæ renovavit tempore Sixti. IV. Summi Pontificis, anno 1476. 123. 2.

Petrus de Soto infensissimus hæresis Pelagianæ hostis; laudatur. 224. 2.

PONTIFEX.

Sixtus III. Summus Pontifex errores Semipelagianorum refutavit. 121. 2.

Sixtus V. Summus Pontifex contentiones inter vniversitatem Lovaniensem & Professores Societatis, super doctrina P. Molinæ decreto compescuit. 127. 1.

Summi pontifices qui damnarunt Pelagianorum hæresim. 78. & 79. 2.

Quadraginta septem disputationes pro materia de gratia habitæ coram Summis Pontificibus Clemēte VIII. & Paulo V. & totidem Congregationes Censorum coram eisdem, ubi assertiones admitentium scientiam mediam exagitatæ fuerunt. 160. 2.

PRÆDEFINITIO.

Prædefinitiones divinas tanquam libertatem humanam destruentes negarunt PP. Molina, Suares, Lessius & alij. 132. 2.

PRÆDESTINATIO.

Prædestinatio est gratiæ præparatio. 123. 1. gratia autem ipsa donatio. Ibidem.

Prædestinationis punctum & abissus quàm malè explicetur à Molinâ. 142. 2. qui inter prædestinationem parvulorum & adultorum, multum interesse admonet. 144. 1. idque explicat. Ibid. & 2.

Prædestinationis nomine fatalem induci necessitatem contendebant Semipelagiani, ut faciunt modò recentiores. 103. 1. in naturæ operibus ejus initium collocabant. Ibid. numerumque certum prædestinatorum præscitum asserebant; sed non prædefinitum. 104. atque prædestinationem secundùm propositum contrariam esse exhortationi, & correctioni fidelium. Ibid. illamque firmam esse solùm ex præscientiâ boni usus liberi aabitrij & gratiæ. Ibid. in quo ipsos Semipelagianos errasse & damnatos fuisse demonstratur. 105. per tot.

Pelagius pònebat bona nostra opera esse meritum & causam primi effectus & totius negotij prædestinationis. 11. 1. & 12. 1.

Prædestinationis definitio tradita à Molinâ, quam dicit aptiorem esse illâ quæ traditur à SS. Aug. & Thomâ. 141. 1. ad ejus rationem duo requirit Mol. Ibid. rationem mediorum, & eorundem prævisionem non esse Deo liberam contendens. Ibid. totam certitudinem prædestinationis ponit in sola præscientia, & non in decreto Dei. Ibid. 2.

PRÆDETERMINATIO.

Ad destruendam prædeterminationem physicam omnem suamdoctrinam ordinant PP. Societatis Jesu. 148. 2.

Prædeterminatio phisica & Scientia media ad invicem & ex diametro pugnant; ita ut una alteram penitùs eradicet. 148. 2.

PRISCILIANVS.

Negavit liberum arbitrium. 51. 1.

PROPOSITIO.

Propositiones aliquæ ex PP. Molinâ & Suarez, quæ sunt fundamenta novæ doctrinæ, in quibus conveniunt quotquot Molinæ doctrinam sequuntur. 132. 1.

Sex propositiones cujusdam Thomæ Pius nuncupati, in Hispaniæ Inquisitione generali censuratæ tanquam falsæ, temerariæ, erroneæ in fide & hæresis Semipelagianæ fautrices. 87. 2. & seq.

Propositiones Molinæ quibus nimiùm extollit vires liberi arbitrij in statu naturæ lapsæ. 149. & seqq. Aliæ propositiones, quas pro explicando divinæ gratiæ concursu Lovanij publicarunt scientiæ mediæ deffensores. 151. per tot.

S. PROSPER.

Secundus post S. Augustinum eximius gratiæ defensor. 82. 2. eleganti discursu detegit Semipelagianorum doctrinam 83. damnat Cassianum ut Semipelagianum,

Digitized by Google

pelagianum, hypocritam &c. 83. 84. & 85. Valde notandum ejus teſtimonium contra Semipelagianos 92. 2. & ſeq.

PROVINCIA.

Provincia Hiſpaniæ ordinis Prædicatorum doctiſſimis abundat Magiſtris in Theologia. 128. 1. novæ P. Mol. doctrinæ de concordia ſe variis modis oppoſuit. Ibidem.

QVINQVE.

Quinque actus fidei ſine auxilio gratiæ homini attribuebant Semipelagiani. 110. 1. Quinque Summi PP. damnarunt Pelagianos. 78. & 79.

REGVLA.

Regula optima à S. Thomâ tradita, Sanctos patres ſemper eſſe reverenter explicandos, numquàm impugnandos. 73. 1.

REVELATIO.

Interior eſt ſecundum quid gratia, ſed non ſimpliciter & propriè; quia non tribuit animæ vires ſufficientes ad operandum. 48. 1. revelationem internam cum libero arbitrio ex ſeipſo conſentiente cooperantem: non conceſſit de facto Pelagius. 40. 2. Aliud eſt revelationem eſſe in nobis ex virtute Spiritus Sancti: & aliud illam inſpirare nobis ſubminiſtrationem veræ virtutis. 45. 2.

Quomodo aſſerat S. Aug. Deum revelationibus operari in nobis intrinſecùs ut velimus. 41. 2.

Revelationes internæ oſtendentes tantùm, non ſunt vera gratia Chriſti præveniens. 49. 2. nihil aliud tribuunt, quàm quod tribuunt lex & doctrina exterior. 42. 1. & ſeqq. quomodo ex Aug. intelligendum ſit, illas non recedere à commendatione legis & doctrinæ. 43. & ſeq. & 46. 1. & 90. 1. & 100. 1. & ſeqq.

ROMA.

Roma caput omnium Eccleſiarum, columna & firmamentum veritatis. 4. 1.

RVFFINVS.

Pelagij præcurſor priùs illo Romæ damnatus. 74. 1. malè de divina gratia locutus. 118. 1.

SANCTVS.

Sanctos viros fallere facillimum eſt: quia de nullo malè ſentiunt. 93. 2. & 113. 1. & 2.

SCIENTIA.

Scientiam mediam negavit ſemper S. Auguſtinus & impugnavit. 38. 2. illâ ſub nomine præſcientiæ uſi ſunt Semipelagiani. 106. & ſeq. hujus ſcientiæ mediæ authores publicarunt Lovanij, omnes infideles habere ſemper & vbique auxilium ſufficiens ex parte Dei; ita ut ſi facerent quod in ipſis eſt, ſecundùm præſentem diſpoſitionem, Deus illos illuminaret. 150. 2. item induratos & excæcatos habere ſemper auxilium ſufficiens ex parte Dei ut cõvertantur. 151. 1. Vide *Auctor Auxilium.*

Scientia media explicatur à. P. Molina. 134. 1. illam ſicut refugium vnicum ad omnia ſua dicta & componenda & concilianda tradit Profeſſoribus Societatis, libellus de ratione ſtudiorum. 134. 1.

SCRIPTVRA.

Scriptura ſacra prædicat Deum immediatè & per ſeipſum interius operari in nobis ipſum velle. 28. 2.

SEMIARRIANI.

Sic dicti quia convenientes in dogmate cum Arrianis, aliquo modo ab illis diſſentire videntur. 119. 2.

SEMIPELAGIANI.

Semipelagiani quare ſic dicti? 105. 2. quomodo differebant à Pelagianis in materia de gratia. 101. 2. & quomodo in materia de prædeſtinatione. 105. 1. quomodo differebant inter ſe circa initium fidei in homine. 109. & ſeq. verè Pelagiani dici poſſunt. 120 1.

Semipelagiani diſtinguntur à primo & ſecundo ſtatu hæreſis Pelagij: ſed non à tertio. 12. 1. contendebant ſemina virtutum naturaliter inſita eſſe animæ. 111. & 112. ex quibus inferebant deſiderium ſalutis, orationem, attritionem & dilectionem Dei eſſe ex viribus naturæ. Ibidem. etiam prout pertinent ad ſalutem; quamvis id verbis non auderent declarare. 113. per tot. qomodo initia quædam ſalutis & ſemina virtutum admittebant. 94. & ſeqq.

Sicut S. Auguſtinum contra Pelagianos, ita & S. Proſperum Aquitanicum Epiſcopum, & S. Hylarium Arelatenſem illius diſcipulos, contra Semipelagianos; providentia divina præparavit. 82. 1.

Semipelagiani ſæpiſſimè aliud verbis, aliud reipsâ affirmabant ut ſe ſe occultarent. 92. 1. & 93. negarunt revera peccatum originale. 93. per tot.

SENTENTIA.

Sententia cui ſemper Pelagius pertinaciter adhæſit breviſſimis dictis abſoluitur & declaratur. 45. 1. & 2.

SILLOGISMVS.

Ponderandus ſillogiſmus, ex quo Pelagius & Calvinus ſuas principales hæreſes, inter ſe oppoſitas diverſis conſequentiis traxerunt. 55. 2.

SIMON.

Simon Magus negavit liberum arbitrium. 51. 1.

SOCIETAS.

Societatis PP. ſemper maximam curam adhibuerunt circa rationem, inſtitutionemque ſtudiorum. 125. 1.

Nomina ſex PP. Societatis qui compoſuerunt librum de ratione ſtudiorum ejuſdem Romæ impreſſum. anno 1586.. 146.. Vide *Libellus.*

SVARES.

Exponit ſuo modo hanc propoſitionem: *Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam.* 150. 2. aſſerit quòd omnes ferè Patres attribuunt Deo ſcientiam mediam. 134. 2. Impugnat ſententiam S. Auguſtini & aliorum Patrum, dicens illam non eſſe firmam ſuper locum Pauli. *Iacob dilexi, Eſaü autem odio habui.* 138. 2.

TEMPVS.

Tempora diſtinguendo diverſa Pelagij placita concordantur. 33. 1. & 48. 1.

S. THOMAS.

Tempore S. Thomæ in multis locis floruit ſcholaſtica doctrina. 123. 2. S. Thomas non docuit cauſas ſecundas eſſe propriè & vnivocè inſtrumenta Dei; ſed lato modo & impropriè; quatenùs ab ipſo recipiunt motum & influxum. 125. 2.

S. Thomas legebat aſſiduè Caſſianum *de gratia & libero arbitrio*, & ideo ipſum mirabiliter expugnavit. 89. 2. Compoſuit ſequentiam Miſſæ pro die feſto S. Auguſtini, quæ incipit. *De profundis, &c.*

VASQVES.

Dicit ſtultum eſſe aſſerere Deum eligere aliquem ad gloriam abſque reſpectu ad futura bona opera. 139. 2. malè conjungit S. Chriſoſtmum in materia de gratia cum Caſſiano & Fauſto Semipelagianis damnatis à Con. Arauſicano. 102. 2.

VERITAS.

Veritates Catholicæ circa liberum arbitrium mediæ inter hæreſes Pelagianam & Calvinianam. 57. & ſeq. veritates aliæ Catholicæ circa efficaciam gratiæ mediæ inter errores Pelagianorum & Calviniſtarum ſeu Lutheranotum. Ibid.

VIA

Digitized by Google

Index Rerum.

VIA.

Via regia est media inter Manichæum & Pelagium ut confiteamur liberum arbitrium contra Manichæum, illudque Dei indigere auxilio contra Pelagium. 52. 1.

VINCENTIVS.

Vincentius quidam ignotus sententiæ S. Augustini impugnator. 118. 1.

Vincentius monachus Lirinensis à notâ Semipelagianorum vindicatus. 118. 2.

VOCATIO.

Vocationem Dei internam à Ministris Ecclesiæ & à libero arbitrio ejus qui vocatur pendere asserit Molina. 162. 1. & 2.

VOLVNTAS.

Voluntas Dei absoluta quâ vult quo homo benè operetur & prædefinitio divinæ voluntatis idem sunt. 132. 2.

Voluntatem excitare moraliter, & voluntatem excitare per modum legis & doctrinæ, idem sunt. 39. 2.

ZOZIMVS.

Zozimus Summus Pontifex Concilia Africana contra Pelagium celebrata confirmavit. 76. 2. machinas Pelagianorum fregit. 77. 1. attrivitque eorundem blasphemias. 79. 1.

ZVINGLIVS.

Calvino antiquior in materia gratiæ cum Pelagio consensit. 56. docet Catonem & Scipionem esse salvatos. Ibidem.

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA.

NOTABILIA PRIMÆ PARTIS TOMI PRIMI.

Pagina.	*Columna.*	*Linea.*	*Erreatum.*	*Emendatum.*
9.	2.	58.	agete.	agere.
Ibid.	ibid.	71.	lege	prævenientis adjutorij divinam efficaciam humanam non lædere libertatem.
11.	2.	2.	Auguſto	Auguſtino.
13.	1.	67.	lege	pro dono naturali condiſtincto, &c.
17.	1.	29.	atquem	atque.
24.	2.	26.	perfecto	profectò.
37.	1.	18.	ſufficiens	ſufficientes.
38.	2.	65.	conſtituam	conſtitutam.
59.	2.	55.	moraliter excitare per modum legis &c.	quia moraliter excitare, & excitare per modum legis &c.
41.	2.	32.	approbata	approbatas.
57.	2.	2.	tenes	tenens.
62.	1.	48.	factam	fictam.
69.	1.	15.	Paris	Patris.
70.	2.	55.	conjugas	conjungas.
79.	2.	46.	Ciaconi	Diaconi.
80.	2.	5.	clerius	clericus.
93.	2.	57.	ammo	animo.
99.	2.	19.	natura	naturæ.
101.	2.	43.	antedentem	antecedentem.
105.	2.	50.	prædeſtinatorem	prædeſtinationem.
106.	2.	3.	utebatur	utebantur.
110.	1.	12.	Epiſcopalis	Epiſtolis.
113.	2.	40.	ad aliquibus	ab aliquibus
126.	1.	18.	doctrinat	doctrinam.
Ibid.	2.	47.	fonte	fronte.
129.	1.	10.	Pater	Patris.
132.	1.	20.	primis	primi.
134.	2.	14.	defenſore	defenſor.
Ibid.	ibid.	42.	dixinæ	divinæ.
145.	2.	14.	differere	differre.
149.	1.	27.	præſcientia	præſentia.
151.	1.	45.	cotam	coram.
153.	2.	51.	quidam	quidem
156.	1.	6.	ſpiritualibus	ſuper naturalibus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATVS PRIMVS DE PELAGIO ET IPSIVS ERRORIBVS.

CAPUT I.

De Pelagianæ hæresis origine, deque ipsius Pelagij natalibus, ingenio, & moribus.

1. SUPERBUS elator arbitrij, Divinæ omnipotentiæ, & causalitatis blasphemus inimicus, Christi gratiæ ingratissimus hostis, atque accerrimus impugnator, qui horrendam illam hæresim Divinæ gratiæ infestissimam, & totius boni funditus destructivam superseminare conatus est, fuit Pelagius hæresiarcha ille notissimus, cujus vitam, statum, conditionem, & ab eodem evulgatos errores, atque damnatas per Ecclesiam hæreles breviter descripturi sumus.

2. Ingratissimum hostem; & acerrimum gratiæ impugnatorem diximus, non primum; quia priores divina gratia inimicos habuit, quos secutus Pelagius eorum dogmata fermentando extendit, & pertinaciùs defendit. Ipso enim prior Origenes malè de divina gratia sensit, & priùs contra illam linguam armavit maledicam. Undè Pelagium alloquens D. Hieronymus Epistola ad Ctesiphontem ait: *Vis adhuc & alium nosse tui erroris Principem? Doctrina tua Origenis ramusculus est.* Ramusculum vocat, quia multis aliis erroribus licet implicatus Origenes, utpotè Arrianismo, & similibus; specialiter tamen contra divinam gratiam ejusque virtutem atque potentiam invectus est; & vano defendendæ libertatis arbitrij prætextu, usque ad præcipitium ipsum extulit, contendens hominem in hac vita posse esse sine peccato, ut ex Hieronymo citato habetur.

3. Similiter non intelligens, qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque humanæ libertatis præjudicio, conatus est, omnes scripturæ veritates, quæ hoc apertissimè tradunt, malè exponere, ut diceret, quod Deus causat in nobis velle, & perficere in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem quod faciat nos velle hoc vel illud; quemadmodum de Origine S. Thomas refert 3. contra Gent. cap. 89. quem tandem secutus fuit Pelagius, ut refert S. P. Augustinus lib. de gratia Christi cap. 4. 14. & sequentibus; sed potissimè cap. 47. quod summoperè debet attendi. Per quam sententiam, ut in modò relato testimonio S. Thomas ostendit, authoritatibus scripturæ resistitur evidenter; parique ratione ostendit Origenes, gratiam Dei hominibus dari secundùm merita præexistentia in alia vita (sicut de eo narrat idem S. Thomas 1. p. q. 23. art. primò) quem secutus Pelagius in substantiali ejus dogmate, dixit gratiam Dei secundum priora hominum merita dari, non quidem alterius, sed præsentis vitæ; ut tùm citato loco, tùm alibi sæpè S. Thomas affirmat, S. P. Augustinus frequentiùs docet, & pari communique consensu Doctores omnes fatentur. Qua ratione de Origene meritò illud profertur, quod nimirùm futuro Pelagio ova ipse posuerit, ex quibus ille pertinaciùs insistens, iniquos pullos eduxerit.

4. Eodem modo Ruffinus Origenis sectator, & Doctrinæ illius ex græco translator malè de divina gratia, & arbitrij libertate sensit, ut post S. Hieronymum ubi supra & in libris contra ipsum Ruffinum, Gelasius Pontifex in Concilio Romano cap. 1. Decreto de Apocryphis scripturis dicit. *Ruffinus vir Religiosus plurimos Ecclesiæ Dei edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est; sed quoniam S. Hieronymus in aliquibus eum de arbitrij libertate notavit, illa sentimus quæ B. Hieronymum prædictum sentire cognoscimus.* Idem de Ruffino testatur Anastasius in Epistola ad Joannem Hierosolymorum Episcopum, quæ habetur primo tomo Epist. decret. parte secunda pag. 50. Quod verò Ruffinum vocat *Religiosum* Gelasius, id arbitror, eum asserere propter alia, in quibus non erravit; vel quia licet malè de gratia, & arbitrij libertate senserit, tamen persona damnata non est; vel tandem (& fortè præcipuè) quia ejus tempore materia de divina gratia, & arbitrii libertate non ità apertè, sicut postea contra Pelagium, fuerat per Ecclesiam definita. Fuisse autem

Digitized by Google

Ruffinum in isto errore Pelagii priorem, citatâ Epist. ad Ctesiph. refert S. Hieronymus. Insuper & hoc manifestat in præfatione libri primi in Hieremiam, ubi Ruffinum sub nomine Grunii, (quo ipsum S. Hieronymus appellare solebat) præcursorem appellat Pelagii dicens: *Quod non videns præcursor ejus Grunius olim nisus est carpere.* Undè & de Pelagio statim subdit: *Nec recordatur stolidissimus, & Scotorum pultibus prægravatus.* Pelagii etiam collega Celestius, cùm in Carthaginensi Concilio hæresis negantis peccatum originale argueretur, se sequi Ruffinum libera est voce protestatus dicens: *S. Presbyter Ruffinus, Romæ qui mansit cum S. Pamnachio id dixit;* ut refert S. August. lib. 2. de peccato orig. cap. 3.

5. Alios etiam fuisse Divinæ gratiæ impugnatores Ruffino, & Origene priores refert idem Hieronymus in citata Epistola ad Ctesiphontem; ubi Pelagianæ hæreseos principes, & Pelagii in errore socios exponens, recensitis Manichæo, Priscillano, Evagrio Pontico, Ruffino, & Origene cum Joviniano, concludit, & Pelagium alloquens ait: *Nec erubescas de societate talium renuens eorum nomina, quorum blasphemiis jungeris. Joviniani secunda quæstio tui ingenij disciplina est.* Similiter Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum in principio tradit, Basilidem, Valentinum, & Marcionem posuisse hominem per naturam posse salvari, dùm fidem, naturalem esse tradebant, quos redarguens ex illorum sententia sequi convincit, eos admittere non fuisse necessarium hominibus Christi Domini adventum, si homines per se ipsos ex suis naturalibus viribus possunt salvari.

6. Hos omnes secutus Pelagius, gratiam Dei in libero hominis arbitrio constituit, & in lege, atque Doctrina; de cujus hæresi, atque de ejus cavillationibus plurimis, infra dicemus. Ab isto, sicut ab omnium pertinacissimo, hæresis Divinæ gratiæ inimica, *Pelagiana* nominata est.

7. Pelagium secuti sunt Celestius, Julianus, & alii Semipelagiani nominati, ut Cassianus, Faustus, & similes, de quorum erroribus infrà dicemus: undè sicut relatus Clemens Alexandrinus de Basilide, Valentino, & Marcione effatus est, ità S. P. August. de Pelagianis ait Epist. 95. *Quam etiam nunc quidam* [idest Pelagiani] *sicut tunc de Judæis dictum est, ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti: per legem quippe & illi justificari arbitrantur, sufficiente sibi ad eam custodiendam libero arbitrio, hoc est justitia sua, prolata ex natura humana, non donata ex gratia divina, propter quod justitia Dei dicitur.* Et antè inducens contra Pelagium illud Apostoli ad galatas 2. *si ex lege esset justitia, ergo Christus gratis mortuus esset*; id ex ejus sententia sequi innuit, post multa ità concludens: *Si ergo ad faciendam, perficiendamque justitiam jàm erat natura possibilitas per liberum arbitrium, jàm erat legis Dei sanctum, & justum, bonumque mandatum, jàm erat promissum præmium sempiternum; ergo Christus gratis mortuus est.* Et paulò superiùs: *Non enim si non moreretur propter delicta nostra, & resurgeret propter justificationem nostram, nec ascenderet in altum captivans captivitatem, daret dona hominibus, ista naturæ possibilitas, quam defendit* [nempè Pelagius] *in hominibus non esset*: Undè ipse S. Augustinus non semel contra Julianum Pelagianum agens dicit: *Novi hæretici Pelagiani inimici gratiæ Christi, & solo vocabulo Christiani.* Solo vocabulo Christianos vocat, quia reipsa Christi Domini adventum in carne minùs necessarium ponebant.

8. Qua ratione etiam S. Thomas ad 2. cap. Apostoli in Epist. ad Galat. lec. 6. in fine sic dicit: *Si sufficiens est lex, ideſt si opera legis sufficiunt ad justificandum hominem, Christus sine causa mortuus est, & frustrà, quia ad hoc mortuus est, ut nos justificaret* 1. *Petri* 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, &c. Quod si hoc per legem fieri posset, superflua esset Christi mors; sed non gratis mortuus, nec in vacuum laboravit.* Et opusc. 1. cap. 32. sic ait: *Pelagius dicens gratiâ nos non indigere ad capessendam salutem, adventum Filij Dei in carne frustravit.* Est enim hæresis Pelagionorum, & Pharisæorum jactantium se de lege, atque Doctrina, ut ex inductis verbis sancti Patris Augustini apertè convincitur.

9. Tandem de eadem Pelagii hæresi S. Pater Augustinus in enchiridio cap. 95. inquit, *quòd oppugnat* illud primum nostræ confessionis initium, quo confitemur, nos credere in unum Deum Patrem omnipotentem; quod & Innocentius primus, in sua decret. Epistola 2. quæ est ad Patres Concilii Chartha. & habetur in tom. 1. Epist. decret. sub his verbis, confirmat *nam, quid tam mortiferum, tam præceps videatur ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere quod liberum arbitrium (cum nasceremur) accepimus ultra jam à Domino nihil quæramus; id est authoris nostri obliti, ejus potentiam ut nos ostendamus liberos abjuremus.*

10. Et S. Hieronymus in principio cit. Epist. ad Ctesiphontem ita Pelagianos qualificat, *ut per simulatam humilitatem superbiam discerent & dicerent cum diabolo, in Cœlum ascendam, super sidera Cæli ponam Thronum meum, & ero similis Altissimo, quæ enim potest alia major esse temeritas, quàm Dei sibi non dicam similitudinem, sed æqualitatem vindicare? Et brevi sententia omnium hæreticorum venena complecti?* Hæc Hieronymus; Quibus dicit Pelagianam hæresim Deo homines æquales constituere, propterea eandem esse, (ut etiam S. Prosper clariùs exponit ad Demetriadem) cum ea quam Diabolus à principio sibilavit, cum dixit, *ascendam in Cœlum & similis ero altissimo.*

11. Itaque, ut omnia, quæ sancti Patres de hæresi Pelagiana dixerunt, nos brevi sententia concludamus, per illam vera Christi Domini gratia negatur, ejus adventus in carne, sicut minùs necessarius frustratur: Divina omnipotentia supra liberas hominum voluntates esse, negatur: Deo hominem æqualem facit, & cum Diabolo dicit, ascendam, & similis ero altissimo ac tãdem omnium hereticorum venena complectitur.

12. Licet enim in hac publicanda tam horribili hæresi, qui relati supra sunt, inueniantur authores, præ omnibus tamen in hac Cathredra pestilentiæ, firmiùs sedit Pelagius, illam ampliùs ostendendo, cavillosè occultando, pertinaciùs defendendo, ut ab ipso sortita nomen sit, ac dicatur Pelagiana, qui ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos, ut de Cicerone, (qui ut salvaret libertatem divinam providentiam negavit) docet S. August. de Civitate lib. 5. cap. 9.

Fuit Pelagius natione Britannus, ut post D. Hieronymum loco citato asserit S. P. August. Epistola ad Bonifacium 106. his verbis: *Pelagium, quem credimus, ut ab illo distinguexetur qui Pelagius Tarenti dicitur, Britonem fuisse cognominatum,* & S. Prosper Prosa de ingratis ita Pelagium metro descripsit.

Dogma, quod antiqui satiatus felle Draconis,
Pestifero vomuit coluber sermone Britannus.

Similiter & Ven. Beda in Eccles. histor. gent. Anglorum lib. 1. cap. 10. ita dicit: *Anno ab Incarnatione Domini trecentesimo nonagesimo quarto, Arcadius Filius Theodosii, cum fratre Honorio, quadragesimus tertius ab Augusto, regnum suscipiens tenuit annos tredecim, cujus temporibus Pelagius Brito contra axiliun gratiæ superna venenum suæ perfidiæ longè latèque dispersit, utens cooperatore Juliano de Campania, quem dudum amissi Episcopatus intemperans cupido exagiabat; Quibus Sanctus Augustinus sicut & cæteri Patres Orthodoxi multis sententiarum Catholicarum*

Digitized by Google

Catholicarum millibus resſponderunt, & libro de ætatibus Mundi ita de Pelagio dicit: *Pelagius Brito Dei gratiam impugnat.*

Quo autem anno cæperit Pelagius gratiam Dei impugnare ſcire non multùm refert. Quidam ex eis, qui annorum computationi inſudarunt, dicunt fuiſſe Pelagium notum anno poſt natum Chriſtum 415. ita S. Proſper in Chronico. *Hac tempeſtate* (inquit) *Pelagius Brito Dogma ſui nominis contra gratiam Chriſti, Cæleſtio, & Juliano adjutoribus exercuit, multoſque in ſuum traxit errorem, prædicans, unumquemque ad juſtitiam voluntate propria Regi, tantumque accipere gratiæ quantùm meruit, quia Adæ peccatum ipſum ſolum læſerit, nèc poſteros ejus obſtrinxerit, unde & volentibus poſſibile ſit carere peccato, omneſque parvulos, tam inſontes naſci, quàm primus homo ante prævaricationem fuit, & ideo Baptizandos, non ut peccato exuantur, ſed ut Sacramento adoptionis honorentur.* Cardinalis autem Baronius affirmat cœpiſſe ejus hæreſim divulgari, (licet non ſub ejus proprio nomine) anno 411. & eo tempore adversùs illam ſcripſiſſe S. Hieronimum Epiſtolam ad Cteſiphontem citatam, & S. P. Auguſt. libros illos de pecca. merit. & remiſſ: ſed idem Dominus Cardinalis geſta anni 405. deſcribens, refert eo tempore ſcripſiſſe Chryſoſtomũ Epiſtolam quartam ad Olimpiadem, in qua ſic dicit: *De Pelagio Monacho magno dolore affectus ſum.* Jam ergo illo anno ejus prava Doctrina ab aliquibus cognoſcebatur. S. Auguſt. etiam lib. 2. retract. cap. 33. affirmat, ſe primò adversùs Pelagianos, illos tres libros de pecc. merit. & remiſſ. ſcripſiſſe (anno videlicet 411) ubi pariter docet, quòd jam antea ſermonibus & locutionibus eas acta erat: Quare auctor Theſauri dicit fuiſſe Pelagium notum, videlicet anno 400. quod intelligi poteſt de primo ſuæ perfidiæ exordio, quo ab aliquibus deprehendebatur & ſic paulatim magis, ac magis innotuiſſe anno 411. ut Cardinalis Baronius affirmat, & anno 415. ut S. Proſper nos docet, ſed quicquid in hac parva quoad annorum differentiam, computatione ſit, parùm omnino noſtro inſtituto deſervit.

Fuit Pelagius profeſſione Monachus, ut teſtatur in primis S. Chryſoſtomus relatis modò verbis, & S. P. Auguſtinus lib. de hæreſib. hæreſ. 88. & lib. 2. de pecca. merit. & remiſſ. cap. 16. Iſid. Peluſiota lib. 1. Epiſt. 314. quæ eſt de Pelagio Monacho; ubi eum Migrantem de uno Monaſterio in aliud perſcrutandi & explorandi menſas causâ his verbis deſcripſit: *Cani effuſi ſunt in Ephraim, & ipſe ignoravit, vitioſis nimirum affectionibus juveneſcens. Eodem modo tibi quoque ingens annorum turba canitiem invexit, & tamen rigidum, atque inflexum animum habes; ex alio Monaſterio ad aliud ſubinde migrans, atque omnium menſas perſcrutans, & explorans.* Monachum etiam fuiſſe ex illis qui in Ægypto morabantur refert Cardinalis Baronius ubi ſupra, & DD. Lovanienſes in Scholio ad libros D. Auguſtini de pecca. merit. & remiſſ.

Fuit Pelagius vulgi opinione (ſicut & alii hæretici, atque hypocritæ triſtes ſolent apparere) vir bonus, & ſanctus, & reputatus ut egregiè Chriſtianus propter propoſitum nimirum & profeſſionem caſtitatis & paupertatis. Unde S. P. Auguſtinus lib. 3. de pecca. merit & remiſſ. cap. 1. in princ. ipſum hac laude extollit: *Verùm poſt paucos dies*, inquit, *legi Pelagij quædam ſcripta, viri (ut audio) ſancti, & non parvo profectu Chriſtiani*; & cap. 3. vocat illum egregiè Chriſtianum dicens: *Hæc ergo, & alia, quæ hunc ſequuntur errorem, nimium perverſa, & Chriſtianæ veritati repugnantia credo quod vir ille tam egregiè Chriſtianus omnino non ſentiat.* lib. 2. retract. cap. 16. eundem tacito nomine laudat. Item lib. 2. retract. cap. 33. affirmat Pelagij vitam à multis prædicatam. Hæc S. P. Auguſtinus de Pelagio protulit à Principio, quando pelle ovium deſuper veſtitus, nondum apertè plurimos dentes exemerat; poſtquàm autem belluina ejus ferocitas cognita fuit, ipſum peſtiferum hæreticum nominat, ut ex multis S. Doct. Teſtimoniis conſtat apertè. Pro omnibus illud unum ſufficiat ex 2. lib. retract. cap. 33. citato: *Pelagij ipſius nomen non ſine laude aliqua poſui, quia vita ejus à multis prædicabatur, & ejus illa redargui, quæ in ſuis ſcriptis non ex perſona ſua poſuit, ſed quid ab alijs diceretur expoſuit quæ tamen poſtea jam hæreticus pertinaciſſima animoſitate defendit.* Fuit ingenio acutus Pelagius, circunſpectus & cavillationibus plenus. Ingenii acumen monſtrant ejus argumenta quibus Divinam gratiam impugnavit: Vnde contra ipſum ad illiuſque ſolvenda ſophiſmata acutiſſimum Auguſtinum Divina Providentia non ſine ſpeciali Beneficio deſtinavit. Circumſpectum fuiſſe docet ipſe S. Auguſtinus lib. 3. de pecca. remiſſ. & merit. cap. 10. ubi ait. *Attende obſecro te quemadmodum circumſpectus vir Pelagius, ſenſit &c.* Ejus autem cavillationes, & tergiverſationes denudat idem S. Doctor lib. 1. de gratia Chriſti & orig. pecc. c. 2. in quo docet, quòd quiſquis Pelagii verba audiebat, & ſenſum ejus ignorabat, hoc putabat eum dicere quod veritas habebat, & in cap. 3. affirmat, quod poſt Pelagii abjurationem in Synodo Palæſtina, omnes ejus tergiverſationes putabantur eſſe conſumptæ, & in cap. 9. ait, quòd Pelagius diverſis verbis gratiam ſubdolè nominabat, ut non intelligeretur illam ponere in lege atque Doctrina; & tandem in cap. 47. concludit, quòd Pelagius latebris obſcuritatis ſe ex induſtria involvebat, & lib. 2. de pecc. merit. & remiſſ. cap. 8. teſtatur, Pelagium dolo ſe felliſſe Paleſtinam Synodum, in qua videbatur eſſe purgatus. Vener. & Beda tom. 3. cap. de luminar. Eccleſ. dicit: *Pelagium aureum colorem ſuper nigrum venenum compoſuiſſe*, & iterum alibi ita de ipſo habet: *Sic Pelagius in Concilio Paleſtino hæreſim ſuam, qua gratiam Dei acerrimè impugnabat, confeſſione & ſcripto, non ex animo anathematizavit, ne ipſe à Catholicis Saterdotibus anathematiſatus locum docendi in Eccleſia ac ſuum errorem ſeminandi facultatem amitteret, ob quam cauſam ita verbis utebatur æquivocis, ut de illo S. Auguſtinus dixerit* lib. 2. de gratia Chriſti cap. 33. *Sed quid prodeſt, quòd eiſdem verbis in parvulis, quibus & in majoribus celebrari dicit Baptiſmi Sacramentum, cum res à nobis, non ſola verba quærantur;* Et Hieronymus Epiſtola ad Cteſiphontem illius detegens calliditatem. *Noſti enim* (inquit) *quid intrinſecùs Diſcipulos tuos doceas, aliud ore commemorans, & aliud celans conſcientia, nobiſque alienis, & indoctis loqueris per parabolas, tuis autem myſteria confiteris, & hoc juxta ſcripturam te facere jactas, quia dictum eſt turbis Jeſus in parabolis loquebatur; & ad Diſcipulos in domo dicit, vobis datum eſt ſcire myſteria Regni Cœlorum, illis autem non eſt datum.* Et iterum prope finem illius Epiſtolæ. *Loquere quod credis, publicè prædica quod ſecretò Diſcipulis loqueris: Qui dicis te habere arbitrij libertatem, quare non liberè quod ſentis loqueris? Aliud audiunt cubiculorum tuorum ſecreta, aliud roſtrorum populi.* Et Paulò infra ſubdit: *Eunomiani, Ariani, Macedoniani, nominibus ſeparati, impietate concordes, nullum nobis laborem faciunt; loquuntur enim quod ſentiunt: Sola hæc hæreſis eſt quæ publicè erubeſcit loqui, quod ſecretò docere non metuit. Magiſtrorum ſilentia profert rabies Diſcipulorum, quod audierunt in cubiculis in tectis prædicant, ut & ſi placuerint auditoribus, quod dixerint, referatur ad gloriam Magiſtrorum; ſi diſplicuerit, culpa ſit Diſcipuli, non Magiſtri:* Hæc S. Hieronymus, quibus & Pelagii aſtutiam & hæreſis ejus proprias cavillationes patefecit, ut de præteritis admoniti, circa futuras conſimiles nos redderet cautiores.

Pelagius acutus circunſpectus & cavillationibus plenus.

Digitized by Google

Fuit Pelagius ingenio acer, & non minimam habens facundiam ut patet ex ejus Epistola ad Demetriadem (quam non esse S. Augustini ut falsò illi tribuitur, sed Pelagii, vel Juliani, ex S. P. Aug. apertè ostendemus inferiùs) adversùs quam S. Aug. aliam, videlicet centesimam quadragesimam tertiam, quæ est ad Julianam matrem Demetriadis, in qua illam informat contra priorem Pelagii Epistolam, ad ejus filiam scriptam, & in ipsa ita sanctus Doctor affirmat: *Satis enim dici non potest quantum cupiamus in eorum hominum scriptis, qui propter atrimoniam, atque facundiam leguntur à plurimis; apertam confessionem illius gratiæ reperiri.* Eam Epistolam quæ est 142. ad Demetriadem, dicit Ven. Beda lib. 1. in cant. cap. 5. esse Juliani; itaque non Augustini est, sed vel Pelagii, ut aliqui volunt, vel Juliani, non sancti Augustini, ut diximus, nec S. Hieronymi, ut fatetur Beda ubi supra: Quamvis autem venerabilis Beda dicat illam Epistolam esse Juliani, veriùs videtur illam Pelagii esse, quod rectè notarunt Doctores Lovanienses in scholio, sive censura ad illam Epistolam, quod & constare videtur, (ut recte dicunt) ex libro S. Patris Augustini de gratia Christi cap. 22. 27. 37. 38. & 40. unde Cardinalis Bellarm. lib. de scriptoribus Ecclesiasticis Romæ excusso sub anno 1613. pag. 93. inquit. *Epistola ad Demetriadem Virginem, quæ incipit: si summo ingenio & Pelagiana est,* & à S. Augustino tribuitur ipsi Pelagio, & confutatur in lib. de gratia Christi cap. 22. 27. 37. 38. & 40. in qua Epistola Pelagius venenosam facundiam ostendit. Quare Gelasius Epist. ad Episc. Picœnos ita dicit. *Pelagium, Celestium, Julianum, cæterosque quamplures oratoria facundiæ viros in hac assertione probavimus fuisse convictos.*

Veneno pestifero Pelagius Monasteria aliqua in Ægypto primùm infecit; ex quibus deinde Romam veniens (in qua nulla nunquam potuit hæresis prevalere) Urbem pervertere tentavit; Romam enim pervenisse, & in illa diù vixisse, & illam fallere procurasse S. P. Augustinus affirmat lib. 2. de peccato originali cap. 8. sic dicens: *Fefellit enim judicium Palæstinum, propterea ibi videtur esse purgatus: Romanam verò Ecclesiam, ubi eum esse notissimum scitis, fallere usquequaque non potuit, quamvis & hoc fuerit utcumque conatus.* Et Epistola 95. ad Innocent. sic habet: *Audivimus enim esse in urbe Roma, ubi ille diù vixit, nonnullos, qui diversis causis ei faveant.* Et lib. de Dono perseverantiæ cap. 20. referens illa verba sua, quibus Dominum in suis confessionibus orabat; *Da quod jubes, & jube quod vis,* ità affirmat: *Quæ mea verba Pelagius Romæ, cùm à quodam fratre Coëpiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquantò commotiùs, penè cum eo, quî illa commemorarat litigavit.*

Videns autem Pelagius Romanam urbem (ut potè, quæ caput est omnium Ecclesiarum, columna, & firmamentum veritatis) ab ejus perfidia abhorrere, sicut semper consimiles doctrinas exhorruit; indè pulsus, Palestinam, ut ipsam turbaret perrexit. Commoratum etiam fuisse Hierosolymis refert Concilium Milevitan. in Epist. ad Innocentium, in qua ait, S. Hieronymum contra Pelagium Hierosolymis disputasse. Hoc ipsum rectè notant Doctores Lovanienses in scholio super 1. cap. lib. de gratia Christi, & peccato originali, ubi dicunt, Albinam matrem Piniani, & Melaniæ, Hierosolymis sedem fixisse, & cum Pelagio, qui ibi habitabat notitia contracta egisse, eumque admonuisse, ut damnaret quæ contra divinam gratiam malè diffamaverat: Vndè & S. Augustino scripserunt, qualiter Pelagius coram ipsis suam hæresim anathematizaverat. Imò hoc manifestè insinuat S. P. Augustinus in cap. 4. libri illius de gratia Christi. Id etiam apertè constat, quia in civitate Diospoli Palestinæ Provinciæ fuisse Pelagium in Concilium vocatum, ibique, licet fictè, suam hæresim abjurasse, dicemus inferiùs.

CAPVT. II.

De erroribus, quos primò asseruit, & vulgavit Pelagius & fictè in Diospolitana Palæstinæ Synodo, ne anathematizaretur, anathematizavit.

UNUM ex potissimis intentionis nostræ est veraciter aperire quinam fuerint Pelagii, cæterorumque Pelagianorum errores; quidam enim multò aliter illos exponunt, atque interpretantur, quàm reipsa fuerint. Vt autem in referendis ejusmodi erroribus rectè, sincerèque procedamus, eum ipsum tenebimus in referendo ordinem, quem ipse in errando servavit. Errores ergo, quos primò evomuit Pelagius, illi sine dubio censendi sunt, qui in Diospolitana Palestinæ Synodo ipsi objecti fuerunt, quos & ipse ibi, ne damnaretur, damnavit, ut refert S. Aug. lib. 2. de pecc. orig. cap. 11. verba autem Synodi sunt: *Quod ad Hierusalem volentem colligere Filios suos Dominus clamat. hoc nos clamamus adversùs eos, qui Filios volentes Ecclesiæ colligi nolunt. Nec saltem post judicium, quod de ipsò Pelagio factum est collegerunt, de quo damnatus exiisset, nisi objecta sibi contrà Dei gratiam dicta, quæ obscurare non potuit, ipse damnasset. Præter illa enim, quæ quoquomodo posuit, ausus est qualicumque ratione defendere, objecta sunt quædam, quæ nisi semota omni tergiversatione anathematizasset, ipse anathema sit factus*: Objectum est enim eum dicere.

1. Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non, moriturus esset.

2. Quod adæ peccatum ipsum solum læserit, & non genus humanum.

3. Quod infantes nuper nati in illo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.

4. Quòd per mortem, vel prævaricationem Adæ non omne genus humanum moriatur, nec per Resurrectionem Christi omne genus humanum resurgat.

5. Quod infantes, etiamsi non baptizentur, vitam æternam habere possunt.

6. Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuncient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, nec haberè eos posse Regnum Dei.

7. Gratiam Dei, atque adjutorium non ad singulos actus dari, sed de libero arbitrio esse, & in lege atque Doctrina.

8. Et Dei gratiam secundùm merita nostra dari.

9. Et Filios Dei non posse vocari, nisi omninò absque peccato fuerint effecti.

10. Non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate uniuscujusque est, facere aliquid, vel non facere.

11. Victoriam nostram non ex Dei adjutorio esse, sed ex libero arbitrio.

12. Quod petentibus veniam, non detur secundùm gratiam, & misericordiam Dei, sed secundùm meritum, & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia.

Hos igitur omnes errores, quos primò rectarat Pelagius, in Palestina Synodo damnavit, ut refert S. Augustus ubi supra, & eosdem iisdem verbis refert Cresconius Decretorum collector in manuscripto, quod habetur in Bibliotheca vaticana, loquens de Actis contra Palagium in prefata Sydono Palestina. Similiter, postquàm ipse Cresconius supradictos errores à Pelagio ipso rejectos, & anathematizatos (licet ficto animo, ut posteà dicetur) ibidem retulisset, Canones alios eis oppositos, quos ibi Pelagius fateri compulsus fuit, apponit ex Synodo dicente, sub his verbis: *Hæc omnia Pelagius sic anathematizavit. quod satis gesta ipsa testantur, ut nihil ad ea quoquomodo defendenda disputationis*

Digitized by Google

disputationis attulerit: unde sit consequens, ut quisquis sequitur illius, Episcopalis authoritatem judicij, & ipsius Pelagij confessionem, hæc tenere debeat, quæ semper tenuit Catholica Ecclesia.

1. Quod Adam nisi peccaret, non fuisset moriturus.

2. Quod peccatum ejus non ipsum solum læserit, sed & genus humanum.

3. Et quod infantes nuper nati non sint in illo statu, in quo Adam fuit antè prævaricationem.

4. Ut ad ipsos pertineat etiam quod breviter ait Apostolus, Per unum hominem mors, & per unum hominem resurrectio mortuorum; sicut enim in Adam omnes moriuntur ita & in Christo omnes vivificabuntur.

5. Quod Infantes non baptizati, non solum regnū cœlorum, verùm etiam vitā æternam haberenon possunt.

6. Confiteatur divites baptizatos, etiamsi divitiis suis non careant, & sint tales, quales ad Timotheum describit Apostolus dicens: Præcipe divitibus hujus mundi non superbè saperè, nec sperare in incerto divitiarum suarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum, divites sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternā non eos, regno Dei posse privari.

7. Fateatur gratiam Dei, & adjutorium etiam ad singulos actus dari, eamque non dari secūdùm merita nostra.

8. Vt revera sit gratia, id est gratis data per ejus misericordiam, qui dixit, misereberor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero.

9. Fateatur, Filios Dei vocari posse illos, qui quotidie dicunt dimitte nobis debita nostra, quod utique veraciter non dicerent, si essent omnino sine peccato.

10. Fateatur esse liberum arbitrium, etiam si divino indiget auxilio.

11. Fateatur, quando contra tentationes, concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adjutorio Dei nostram provenire victoriam; non enim aliter verum erit quod Apostolus ait, non volentis non currentis, sed miserentis est Dei.

12. Fateatur, secundùm gratiam, & misericordiam Dei veniam petentibus dari, non secundùm merita eorum, quandoquidem ipsam etiam pœnitentiam donum Dei dicit Apostolus, ubi ait de quibusdam, ne fortè det illis Deus pœnitentiam. Hæc omnia simpliciter sine ullis fateatur ambagibus.

Si quis contra authoritatem Catholicam, & ipsius Pelagii expressa Ecclesiastica gestis verba consentit: Neque enim illa quæ his sunt contraria, veraciter anathematizasse credendum est, nisi hæc quibus contraria, fideli corde teneantur, & aperta confessione promantur. Hæc Synodus Palæstina. Et D. August. infrà citandus, hæc eadem Cresconius locis citatis.

Igitur prædictos duodecim errores modò relatos primò omnium Pelagius superseminasse convincitur. Sed ad præsens omissis aliis, quæ ad institutum nostrum minus pertinent circa illos, qui adjutorium Dei impugnant, erit apertiùs declarandum, quæ fuerit illius damnata sententia. Quia verò omnia, quæ malè circa Divinam gratiam diffamarat, ex illo suo primo errore, quo peccatum originale negavit in parvulis, deducebat, ideo breviter, & primò quid de parvulorum peccato dixerit, aperiatur.

Errores Pelagii circa peccatum originale.

Peccatum originale negasse Pelagium convinicunt gesta Palæstinæ Synodi modò relata; hanc enim hæresim pertinaciter tenuit, & ficto animo subdoleque abjuravit, ut docet sæpius S. P. Augustinus, potissimè lib. 2. de pecc originali à cap. 2. usque ad 6. & alibi frequentiùs: *in summa hæc contra peccatum originale ipse dixisse reperitur.*

Quatuor contra

Primò, peccatum originale, nec quoad culpam, nec quoad mortem temporalem in homines propagatione trāsisse, ut ex modò relatis actis Palæstinis aperte cōstat.

pecc. orig. dicebat Pelagius.

2. Contendebat, quòd solùm exemplo, & imitatione Adam suo peccato hominibus nocuit; Refert S.P. August. lib. 1. de pecc. merit. & remiss. cap. 9. & seq.

S. August.

Affirmabat 3. Decedentibus parvulis absque regenerationis Sacramento, extra Cœlorum Regnum dari locum quendam, ubi æternam vitam obtinebunt. Sic refert S.P. August. lib. 2 de pec. orig. cap. 21. dicens: *Sed postea non defuerunt fratres qui nos admonerent, hoc ideo dicere Pelagium potuisse, quia de ista quæstione*, ita perhibetur solitus respondere quærentibus, ut diceret: *Sine baptismo parvuli morientes quò non eant, scio, quò eant nescio: id est non ire in Regnum cœlorum scio: quò verò eant, se nescire dicebat; quia dicere non audebat in mortem illos ire perpetuam, quos, & hìc nihil mali commisisse sentiebat, & originale traxisse peccatum non consentiebat*, & lib. 1. contra duas Epistolas Pelag. cap. 22. Pelagianos alloquens ait: *Datis eis extra Regnum Dei locum salutis, & vitæ æternæ, etiam si non fuerint baptizati.*

Quartò dicebat Pelagius, parvulos omnes, etiam filios parentum baptizatorum debere baptizari non propter remissionem maculæ, & peccati originalis; (quam nullam esse in illis contendebat), sed tantùm propter ingressum in Regnum cœlorum. Ita sæpius refert S.P. Augustinus, sed sufficiat illè insignis locus ex primò textu contra duas Epistolas Pelagianorum, in cujus cap. 22. sic dicit: *Gratiam Christi, (inquiunt) omnibus necessariam, & majoribus, & parvulis confitemur, & eos qui dicunt de duobus baptizatis natum non debere baptizari, anathematizamus*, & statim subdit Aug. *Novimus, quomodo non secundùm Paulum Apostolum, sed secundùm Pelagium hæreticum ista dicatis, parvulis videlicet baptismum necessarium, non propter remissionem peccatorum sed tantummodò propter regnum cœlorum.* Hæc quatuor contra peccatum originale dicebat Pelagius.

Ratio autem ob quam inter alia negabat Pelagius originale peccatum in hominibus, illa erat, ut sic affirmaret gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Ad hunc enim finem negationem peccati originalis ordinabat, quia SS.DD. ex peccato orignali manifestissimè convincebant, gratiam Dei non secundùm merita nostra dari, quod apertè docet S. P. Augustinus lib. de don. persev. cap. 12. sic dicens. *Frustra itaque mihi de illius libri mei vastatione præscribitur; nè agam causam sicut debeo agere parvulorum, & inde gratiam Dei non secundùm merita hominum dari perspicuæ veritatis luce convincam.* En quomodo testante S. August. evidenter demonstretur gratiam Dei secundùm merita nostra non dari, quia verè est in parvulis peccatum originale.

Ex peccato originali manifestatè convincitur gratiam Dei secundùm merita non dari.

Dixi ex peccato originali id manifestissimè convinci, quia etiam id aliunde convinci potest; sed non ita evidenter atque manifestè: cum peccatores saltem ob originale peccatum gratia reddantur omninò positivè indigni. Qui amplius desiderat edoceri de gestis contra Pelagium, in prædicta Palæstina Synodo, (ut crediderim) facile poterit; nam temporibus istis, anno videlicet 1609. Divina ordinante providentia, alius liber S. Augustini inventus est in Bibliotheca Abbatiæ S. Bartholomæi Fesulanæ Diœcesis, ordinis Canonicorum regularium, qui huc usque latuerat, cujus tamen ipse S. Doctor mentionem facit, & se illum scripsisse testatur lib. 2. retract. cap. 47. & lib. de peccat. origin. cap. 14. & ut speratur, typis mandabitur quantocius, quem & ipse, manuscriptum legi; duo autem in prædicta Abbatia manuscripti codices reperti sunt, per omnia in substantia, doctrina, numero capitulorum, & sententiarum veritate persimiles, exceptis quibusdam paucis, dissimilibus vocibus quæ sensum literæ non variabant; fuit autem typis mandatus Augustæ anno 1611.

Codex de novo invenitur qui est liber S. P. Aug. de gestis Pelagii contra adversarios gratiæ D. N. Jesu Christi.

Digitized by Google

Titulus autem libri talis est. Sancti Augustini Hipponensis Episcopi liber de gestis Pelagij, contra adversarios gratiæ Domini nostri Jesu Christi, ad sanctum Aurelium Episcopum. Unde non rectè hic liber à possidio in indice Tabulæ suæ inscribitur, *contra gesta Pelagij liber unus*, non enim est contra gesta Pelagij, sed de gestis Pelagij. Et sic à S. P. Augustino prænotatur. Defecisse etiam in aliis libris sancti Patris Augustini enumerandis possidium infraad finem fusè satis ostendemus. Initium autem istius libri hoc est: *Postquam in manus vestras*, &c. & triginta quinque capitibus absolvitur, quibus omnia quæ in supradicta Palestina Synodo acta sunt memorantur, tùm in objectionibus à quatuordecim Episcopis, qui Synodo præsidebant Pelagio oppositis, tum in responsionibus fallacibus ipsius Pelagij, qui pro inde pro tota ista materia magnam affert claritatem, & ad perfectam intelligentiam aliorum librorum sancti Augustini, potissimè illius, qui de gratia Christi inscribitur, (ante quem, & compositus fuit) maximè conducit.

Hunc autem esse quem S. P. Augustinus scripsit, præterquàm quòd Stylus, & sententiarum Doctrina per omnia aliis sancti Doctoris operibus conformis manifestè ostendit, titulus & initium ejus apertè declarant, sub hoc enim titulo, & initio se prænotasse librum hunc testatur idem August. citat. lib. 2. de peccato originali cap. 14, dicens. *Quod autem scitis, & quod in eo etiam libro posui, quem de gestis Palestinis ad Venerandum senem nostrum Aurelium scripsi:* Super quem locum DD. Lovanienses in libris, & Doctrina sancti Patris Augustini assiduè versatissimi, ita habent *Dolendum est hunc librum non stare*, Et 2. lib. retract. cap. 47. id iterum per hæc verba confirmat. *Sed cum in manus nostras eadem gesta venissent, scripsi de eis librum, ne illo veluti absoluto eadem quoque dogmata putarentur judices approbasse, quæ ille nisi damnasset, nullo modo ab eis nisi damnatus exiisset. Hic liber sic incipit. Postquàm in manus nostras.* Quibus ultimis verbis necessitatem scribendi librum hunc S. Doctor exponit, ne videlicet absoluto Pelagio in Concilio illo, & pro Catholico reputato, ob fictam ejus confessionem, illius perversa dogmata, quæ in suis libris evomuerat, & etiam post abjurationem publicaverat (quæ satis superque fictam illius abjurationem produnt) à Synodo viderentur fuisse approbata; sicut & Pelagius ipse in quadam Epistola post illam abjurationem scripta, & in alia cartula sua gloriabatur, ut idem Augustinus est testis in hoc eodem libro cap. 30. & 32. In hoc ergo libro absolutionis sententiam pro Pelagio ab Episcopis justè fuisse pronunciatam attenta confessione ipsius Pelagij, & ejus abjuratione defendit, & aliter Pelagium sua Dogmata vel negasse, vel explicasse, quàm reipsa in suis libris exposuerat, aperit, nec de hoc potuisse convinci affirmat, ex eo quòd illi qui eum accusabant, & contra ipsum libellum dederant, absentes erant: Nec illius libri ex quibus convinci posset, tunc habebantur aut aderant, Etsi ad manus habiti, tamen sanctos illos Episcopos, utpote qui Græci erant, & Latini sermonis minùs periti; quibus medio interprete Pelagius respondebat, facilè potuit ipse temperatis verbis fallere, sicut de facto fefellit, unde & tandem ostendit non eo ipso quòd ille fuit absolutus, & Catholicus pronunciatus, attenta præcisè confessione, & abjuratione sua, illius prava dogmata fuisse approbata. Et in his denudandis totus ille liber versatur, qui potissimè temporibus illis, ne multi deciperentur maximè utilitatis fuit.

Duo fine composuit S. August. lib. de gestis Pelagij

Composuit autem S. Augustinus librum hunc ante librum de gratia Christi, & de peccato originali, ut ex prælegato cap. 14. testimonio apertè constat: Sed post illos tres de peccat. merit. & remiss. ad Marcellinum; quemadmodum in hoc eodem libro cap. 11. S. Augustinus testatur; & etiam post illum alium de natura, & gratia, ut facilè deducitur ex lib. 2. retract. cap. 42. Et expressiùs habetur in hoc libro cap. 23.

Referuntur ex lib. S. August. de gestis Pelagij.

In hoc itaque libro quædam Pelagio in Palæstina Synodo objecta narrantur, quæ ipsum in suis disputationibus, & libris asseruisse palam erat; quæ referuntur usque ad cap. 11. exclusivè. Deinde alia ipsi objecta fuere, sicut magistro, quæ in Doctrina ipsius Pelagij, sociis relicta habentur, ut patet ex cap. 11. & seq. sed hæc ipse sua esse negavit, & sub anathemate abjuravit. Ista, sicut & illa duodecim, quæ supra in hoc capite relata sunt, copiosiori sermone ibi capite ultimo, aliquibus additis referuntur sub his verbis. *Hæc sunt quibus hæresis illius, dum eum quotidie pullulare, imò jam silvescere, dolebamus*, &c.

1. Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret mortuus esset.

2. Quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum.

3. Quòd lex sic mittat ad regnum, quemadmodum Evangelium.

4. Quòd infantes nuper nati in illo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem.

5. Quòd nec per mortem, nec prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, nec per Resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat.

6. Quòd infantes, etsi non Baptizentur, habent vitam æternam.

7. Quòd divites Baptizati, nisi omnibus renuntiaverint si quid boni visi fuerint facere, non eis reputetur nec regnum Dei possunt habere.

8. Quòd gratia Dei & adjutorium non ad singulos actus detur, sed in libero arbitrio sit, & in lege, atque Doctrina.

9. Quòd Dei gratia secundùm merita nostra detur, & propterea & ipsa gratia in hominis sit posita voluntate, sive dignus fiat sive indignus.

10. Quòd Filij Dei non possunt vocari, nisi omnino absque peccato fuerint effecti.

11. Quòd oblivio & ignorantia non subjacent peccato, quoniam non eveniant secundùm voluntatem, sed secundùm necessitatem.

12. Quòd non sit liberum arbitrium si indiget auxilio Dei, quoniam propriam voluntatem habet unusquisque facere aliquid, aut non facere.

13. Quòd victoria nostra ex Dei non sit adjutorio, sed ex libero arbitrio.

14. Quòd ex illo quod ait Petrus, nos Divinæ esse consortes naturæ, consequens sit, ut ita possit esse anima sine peccato, quemadmodum Deus.

15. Quòd pœnitentibus venia non detur secundùm gratiam, & misericordiam Dei, sed secundùm meritum & laborem eorum qui per pœnitentiam digni fuerint misericordiâ. Hæc omnia & si quæ argumentationes ad ea confirmanda interposita sunt, sua negantem & anathematizantem Pelagium judices approbarunt. Huc usque S. P. August. in citato libro.

Ex quibus constat quàm sine fundamento, & causa moderni quidam authores pro citandis Pelagij erroribus, prætendant, illum tantummodo asseruisse tria illa quæ S. P. August. refert lib. de dono perseverantiæ cap. 2. dicens: *Tria sunt ut scitis, quæ maximè ad versus eos* (scilicet Pelagianos) *Catholica defendit Ecclesia: Nimirum gratiam Dei non secundum merita nostra dari, nec aliquem esse sine aliquo peccato in hac vita, atque nasci infantes cum originali peccato:*

Digitized by Google

peccato: Cum ibi ista alia quindecim modò relata; non referantur. Hæc quidem tacentes, sivè occultantes, & illa tria tantùm in confuso proponentes; quasi cum illis tribus hæc alia quindecim non contineantur; & ista quindecim non illa tria, quæ implicitè & in virtute habent, non clariùs exponant atque distinctius, cum in ista ultima ex tribus, quæ de originali peccato est, alia quæ expressiùs refert S. P. August. citato nunc loco contineantur, & in secunda, alia quæ addit ad probandum, hominem esse posse sine peccato, quæ & relata sunt modò, atque in prima ex istis tribus, omnes alias assertiones Pelagij, quas malè contra Dei gratiam publicavit comprehendat. Tertiò D. Aug. cit. loco de dono perseverantiæ, quas inducto nunc loco in quo ex professo de referendis ejus erroribus agebat; propterea clariùs, & distinctiùs expressit.

Constat etiam ex inductis, hos errores quindecim Pelagium à principio hæresis suæ protulisse, seu illorum plures, cum ipse aliquos suos esse, negaverit; sed Celestij ipsius socij & collegæ, omnes tamen compulsus est abjurare. Unde sive ipse, sive Celestius, vel ut formaliorem sermo sit; tum ipse tum ille à principio hos quindecim errores publicaverunt. Etenim postea supra relatos voce duntaxat temperans, alios Pelagius expressit, qui in illis 15. expressè non habentur, sicut fuit ille alius quo dixit: Gratiam Dei (qualem sentiret, & quam ipse intellexerit infra commodiùs explicabimus) ad faciliùs esse requisitam; quem ipsius errorem S. P. August. refert ad Quodvult hæresi 88. lib. de gratia Christi, non semel ac alibi sæpe; de quo & in Concilio Milevitano secundo Pelagius damnatur Can. 5. Similiter postmodùm interiorem revelationem admisit nomine gratiæ, qua dicebat adjuvari hominis possibilitatem, ut infra dabimus manifestum, per quam cum officio & munere sit lex, atquè Doctrina, sive non recedat à lege, atque doctrina, ut infra ostendetur, ipse à supra relato suo primo errore superiùs citato, quo gratia dixit esse liberum arbitrium, & legem atque doctrinam non recedit, ut S. P. docet August. lib. de gratia Christi cap. 41. qui error etiam expressè videtur damnatus in Concilio Milevitano Can. 4. Unde qui asserunt omnes errores Pelagij damnatos in Concilio Milevitano; quare & istum & alium immediatè relatum non referunt. Similiter quod ex S. P. August. lib. 2. ad Bonif. cap. 8. lib. 4. cap. 6. conantur suadere, dogma Pelagij fuisse, quòd prius homines dent Deo, ut retribuatur eis, ad quem finem inducunt? An putant solum illum fuisse errorem Pelagij, cum inter relatos nonum locum obtineat? Verùm est ergo, illud fuisse potissimum dogma Pelagij, quòd gratia Dei in merita naturæ detur, quòd S. P. Augustinus docet citatis ejus locis in cap. 3. illius libri de gestis Pelagij.

Parique ratione nec inter illos quindecim nunc relatos errores expressè habetur ille alius quem posteà expressit, nimirum *posse* ex Deo esse, id est possibilitatem ad bene operandum, velle autem & operari ex nobis, in quo S. P. Augustinus lib. de gratia Christi cap. 4. docet totum consistere dogma Pelagij, non quòd iste inter illos quindecim relatos habeatur expressè, licet in aliquibus ex ipsis reipsa virtualiter, & implicitè contineatur, de quibus tamen infra dicemus.

Ex quibus etiam redditur satis notum, in Epistola supra ex S. Doctore Augustino cit. duodecim tantùm errores referri, sed in libro de gestis Pelagij præter illos duodecim alios tres addit, ut visum est, cum enim in illo libro ex professo de erroribus damnatis in Pelagio à Synodo Palæstina ageret: Ideò expressiùs omnia in Pelagio damnata retulit S. P. & Doctor; in aliis verò libris, quia principalis intentio ejus non erat omnia illius dogmata numerare, potissima errata retulit, nec addidit illa solùm in ipso fuisse rejecta.

Notandum tamen circa hunc librum de gestis Pelagij supra relatum, dixisse Authorem operis tripartiti in scholio ad secundum caput, idem esse apud Sanctũ Augustinum *Regi*, & *Agi*, cum in ipsa litera libri illius totum oppositum inveniatur expressum, in qua apertissimè S. Doctor affirmat, plus esse sine dubio *Agi*, quam *Regi*, verba ejus sunt: *Nam procul dubio plus est Agi, quam Regi, qui enim regitur aliquid agit, & à Deo regitur, ut rectè agat, qui verò agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur, & tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere, quòd qui, spiritu Dei aguntur hi filij sunt Dei*, quod, ut alibi explicat; *Aguntur, ut agant, non ut ipsi nihil agant*: Et quidem plus esse ratio ipsa suadet, qui enim suasionibus tantùm invitatur, regi dici potest, non Agi, Agi enim in suo conceptu importat, quod verè, ac activè, propriè & efficaciter moveatur, quod etiam importat verbum *Traho*, ut etiam alibi sanctus Doctor exponit. Supradictos autem errores Pelagij à S. P. Augustino relatos in substantia S. Thomas, atque reipsa in plurimis suæ doctrinæ locis etiam refert, quos & nos hìc breviter apponemus.

1. Error, quòd pueri non contrahant originale peccatum, sed baptizantur propter regnum Dei. Ita refert quæst. 4. de malo quæst. 5. art. 2. 4. cont. gent. cap. 50. & 51. Rom. 3. lect. 3. 1. 2. quæst 81 art. 1.

2. Quòd Pueri baptizati erunt in domo Dei, non autem in regno Dei, Ioan. 14. lect. 1. qui est idem cum sexto errore ex S. P. Augustino supra relato; sicut prius modò ex S. Thom. inductus, alios ex S. Augustino relatos comprehendit.

3. Quòd homo vivere potest sine peccato Math. 6.

4. Quòd homo se possit præparare ad gratiam sine auxilio gratiæ quòd lib. 1. art. 7.

5. Quòd omnia divina precepta servare potest homo sine gratia in 2. dist. 28. art. 3. dist. 35. art. 6. q. 2. de malo art. 5. Quolib. 1. art. 7. 3. cont. gent. cap. 155. Rom. 2. lect. 3. 1. Corinth. 12. lect. 2. 1. 2. quæst. 100. art. 10. q. 109. art. 4.

6 Quòd potest homo mereri sine gratia. In 1. dist. 17. q. 1. art. 1. in 2 dist. 28. art. 1. dist. 30. q. 1. art. 2. quolib. 1. art. 7. Rom. 3. lect. 3. & 3. cont. gent. cap. 50. & 52. & alibi.

7. Quòd principium boni operis est ex nobis; consumatio ex Deo. Rom. 7. lect. 3. Roma. 8. lect. etiam 3. 2. Corinth. 3. lect. 1. ad Ephes. 1. lect. 1. Philippens. 1. lect. 1. quolib. 1. art. 7. 3. cont. gent. cap. 149. 1. p. quæst. 23. art. 5. 2. 2. quæst. 6. art 1.

8. Quòd gratia Dei secundùm merita nostra datur. Locis nunc in mediatè citatis, hac brevitate D. Thomas errores Pelagij comprehendit prædictos.

CAPUT III.

Quod Prædictos errores, & alios circa divinam prædestinationem, ex negatione originalis peccati seu putido fonte Pelagius deduxerit.

EX negatione peccati originalis, quia nempe naturam sanam, & suis viribus integram in hominibus constituebat, deducebat Pelagius errores alios contra divinæ gratiæ adjutorium, jam supra relatos præcedenti capite, & à se in Palæstina Synodo abjuratos: quinque videlicet, qui hoc ordine ibi recensentur.

Digitized by Google

1. Gratiam Dei & eius adjutorium non esse necessarium ad singulos actus, sed in libero arbitrio esse, & in lege, atque doctrina.

2. Et Dei gratiam secundùm merita nostra dari.

3. Et non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate habet unusquisque facere aliquid, vel non facere.

4. Et victoriam nostram non ex Dei adjutorio esse sed ex libero Arbitrio.

5. Et quòd pœnitentibus venia non datur secundùm gratiam & misericordiam Dei, sed secundùm meritum, & laborem qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia.

Errores itaque hos contra Divinæ gratiæ adjutorium ex negatione peccati originalis Pelagius inferebat: Cum enim ipse illud in hominibus negaret, ex consequenti contendebat liberum hominis arbitrium non læsum nec infirmum in suis naturalibus viribus, sed sanum in illis & integrum. Ex quo rursus deducebat non indigere aliquo gratiæ adjutorio vires ipsi tribuente ad divina servanda mandata, ad bonos mores habendos perficiendamque justitiam, sed posita eorum cognitione, ea omnia efficere posse suis sanis, & integris viribus arbitrium ipsum. Unde negavit omne auxilium gratiæ, sive efficax, sive sufficiens, quod vires aliquas, sive efficaces, sive sufficientes arbitrio daret: sufficientes enim, imò efficaces vires habere arbitrium hominis ad divina servanda mandata contendebat, illasque sanas, & integras in illo esse dicebat.

Sic igitur ille philosophabatur ex illo pravo principio, quo originale peccatum negabat: In homine non est originale peccatum: Ergo liberum ejus arbitrium læsum non est, aut infirmum in suis viribus naturalibus, sed in illis firmum, ac forte: Ergo hac virium firmitate, & fortitudine, cognita sic divina mandata, servare, & sibi proposita facere absque aliquo gratiæ adjutorio ipsi vires tribuente poterit: Et sic gratia Dei, & illius adjutorium ad singulos actus necessaria non est, sed in libero arbitrio est, & in lege atque doctrina. Quæ fuit illius prima assertio relata supra contra divinæ gratiæ adjutorium: Sic inquam inferebat non est necessarium Dei adjutorium ad singulos actus, quia potest arbitrium singulos facere illa sua naturali firmitate, ac fortitudine: Unde gratia posita erit in eodem libero hominis arbitrio gratis à Deo creato, cum illa ipsius donata firmitate, & virium fortitudine, simulque posita erit in lege atque doctrina ostendente arbitrio quid ipsum facere debeat.

Sicut autem ex negatione originalis peccati necessitatem gratiæ negabat Pelagius modo explicato, ita negationem originalis peccati inter alia ex priori alio deducebat principio, ex libertate videlicet arbitrij, quam intelligere non valebat, nisi eam sanam, firmam, & fortem; & sine læsione aliqua originalis peccati constitueret, sicut fuerat in primo parente ante peccatum. Vnde inferebat extinctū fore, liberum arbitrium ad bonum, si infirmum ac læsum diceretur per originale peccatum ad divina servanda mandata, & justitiam peficiendam. Qua ratione tum ipse, tum Julianus ejus discipulus S. P. Augustino opponebant quòd liberum hominis negaret arbitrium ad bonum, & extinctum constitueret. Vnde prætextus iste servandæ humanæ libertatis ejus fuit primarius finis inter rationes alias, tum ad originale peccatum negandum, tùm ad divinæ gratiæ necessitatem de medio tollendam. Est libertas arbitrij dicebat: Ergo potest omnia divina servare mandata: ergo ad illa servanda læsionem à peccato originali non habet: ergo posita mandatorum cognitione, ea facultate & possibilitate sua potest implere, & sic gratia alia necessaria non erit nisi lex, atque doctrina, & ipsum arbitrium liberum. In isto discursu videtur minùs attendisse, quòd optimè stet adhuc libertas Arbitrii, cum infirmitate, & læsione arbitrii ex originali peccato proveniente. Aliud est enim libertatem in arbitrio esse ad bonum operandum, aliud esse sanam: libertas quidem in arbitrio est, sed non sana, libertas vera, sed infirma, libertas inquam sed non se sola potens ad omne bonum implendum, nisi sanetur, & adjuvetur à gratia. Sicut aliud est, quòd quis habeat virtutem progressivam, & aliud valde diversum quòd illam habeat sanam, & se sola potentem ad ambulandum; quia potest quis veram potentiam progressivam habere, sed infirmam, ita quod sine alterius adjutorio ambulare non possit; benè autem cum adjutorio alterius.

Diximus eum in libertatis humanæ gratiam, negasse originale peccatum, inter rationes alias quibus illud negavit, & ex negatione illius, constituisse liberum arbitrium potens & forte ad omne bonum implendum posita boni cognitione: & ex hoc intulisse illas tres propositiones: gratiam Dei in libero arbitrio esse, & in lege, atque Doctrina.

Ex quibus fit manifestum, posuisse Pelagium liberum hominis arbitrium sanum, & integrum in suis naturalibus viribus, quæ sunt naturę conditę; & istum fuisse unum ex potissimis erroribus ejus. Ipse enim primum hominem sine gratia, & justitia originali sanum asserebat in suis naturalibus viribus: unde inferebat, quòd sive peccaret, sive non peccaret moretur, quia mors naturalis erat homini sic condito in solis naturalibus suis. Inferebat etiam, quòd Adæ peccatum illi soli nocuit, & tandem dicebat, quòd tale modò est liberum arbitrium in hominibus, quale fuit in Adam ante prævaricationem, videlicet sanum, & integrum in illis viribus suis naturalibus naturæ debitis, sicut fuerat in Adam ante prævaricationem; ut hinc attendant, cum quo nunc ij conveniant qui contendunt, liberum hominis arbitrium hodie sanum adhuc & integrum esse in suis naturalibus viribus, sicut esset si in puris naturalibus conderetur.

Quia verò attendebat non omnes habere legem, atque doctrinam, quæ illis omnia ostenderet Divina mandata, ut patet de Barbaris & infidelibus, consequenter asserebat, quòd si ipsi bene uterentur arbitrio, in ordine ad ea quæ naturali cognitione cognoscebant, Deus illis daret sine dubio illud aliud legis, atque doctrinæ perfectius adjutorium, ostendens eis omnia Divina mandata, qua doctrinâ eis propositâ & cognitâ poterat liberum hominis arbitrium, iisdem suis firmis & integris viribus omnia ea facere & adimplere, ita de Pelagio refert S. P. Augustin. lib. de gratia Christi cap. 31. ubi introducit Pelagium sic dicentem: *Illi*, videlicet infideles, *ideo judicandi atque damnandi sunt; quia cum habeant liberum arbitrium per quod ad fidem venire possent, & Dei gratiam promereri, malè utuntur libertate concessa: hi verò remunerandi sunt qui bene libero utentes arbitrio merentur Domini gratiam, & ejus mandata custodiunt.* Quibus verbis constituebat hæreticus ille secundam supra relatam assertionem, nimirum gratiam Dei secundùm merita nostra dari; quia illud adjutorium legis, atque doctrinæ (quod ipse gratiam Dei appellabat, ut dicemus inferiùs) redditum à Deo dicebat ex illo priori merito naturæ, quo homines affirmabat bene suo uti arbitrio, & sic asserebat quòd quia homines ex suo solo libero arbitrio solisque naturæ viribus bene volunt beneque operantur Deus illos adjuvat, dando illis ulteriùs adjutorium legis, atque doctrinæ, ut meliùs & perfectiùs possint, si velint operari. Postquam verò habebat homodatum

Digitized by Google

modatum sibi ex priori merito suo prædictum adjutorium legis atque doctrinæ, si voluntas solis suis naturæ viribus, sicut poterat, omnia divina servabat mandata, & de peccatis dolebat, etiam ex merito omnium operum naturalium justificans gratia & remissio peccatorum ipsi dabatur. Unde est, quòd adjutorium legis, & ipsam peccatorum remissionem, ac gratiam justificantem ex priori merito naturæ constituebat, & sic omnem gratiam secundùm merita naturæ ponebat: quæ fuit illius hæresis omnibus notissima.

An verò judicaret, illa naturalia hominibus opera esse respectu gratiæ merita de condigno, seu de vera & propria justitia, sunt qui affirment, ut per hoc ipsum Pelagium à Semipelagianos distinguant, qui in illis naturæ operibus meritum de congruo, seu secundùm pietatem constituebant: sed DD. aliis ut sunt Vega, Medina, Zumel videtur, non adeo desipuisse Pelagium, ut sentiret nos posse nostris solius naturæ operibus facere Deum simpliciter debitorem primæ gratiæ, & illam mereri de condigno, sive ex vera, & propria justitia, sed tantùm ex lege sua infallibili; quoniam ad rationem meriti sufficere videtur, quod merces debeatur, non tam ex natura operis, quàm ex pacto, lege, & conventione divina. Item si meritum de congruo sive secundùm pietatem, (cui tamen infallibiliter correspondeat gratia) tempore Pelagij fuisset inventum, illudque Pelagio S. PP. concessissent, profectò nec ipse aliud postularet, vel malè persisteret; quia per illud obtineret finem omnem, quem intendebat; tale enim meritum respectu primæ gratiæ ille ponebat, ne Deus videretur personarum acceptor, & ut per illud in manu hominis poneret salutem ipsius, ita ut quia homo inciperet, Deus ipsum adjuvaret. Si verò ei semel concederetur meritum secundùm pietatem ab aliis vocatum, sive de congruo, cui tamen infallibiliter gratia redderetur, jam per hoc in ejus mente cessaret, quod Deus acceptor esset personarum, jam cessaret illud aliud, quod reputabat inconveniens, quòd salus non esset posita in manu hominis; & jam daretur, quod incipiente homine semper infallibiliter eum Deus adjuvaret. Præterea Pelagius numquam expressit esse in illis naturæ operibus meritum de condigno, sive ex vera, & propria justitia, unde in illo altero satis quiesceret. Confirmari idem potest, quia S. P. August. Epist. 107. in hoc dicit positam Pelagii hæresim, quòd voluntas nostra præcedat, & quòd gratia sequatur, ideſt, quòd ideo gratia detur, quia volumus: si hoc ergo Pelagio per meritum secundùm pietatem concederetur, aliud ipse non requireret.

Confirmatur tandem, quia Semipelagianos, qui post Pelagium meritum, secundùm pietatem invenerunt S. P. August. dicit lib. de prædestinatione S. cap. 1. & 2. in hoc Pelagianam sententiam tenere, licet ibi in aliis dicat eos multùm à Pelagio distare: de quo infra dicemus agentes ex professo de vocatis Semipelagianis. Similiter & S. Prosper contra collatorem ipsum in tali merito Pelagianum vocat: quem tamen optimè noverat meritum illud secundùm pietatem expressè constituere: De quo proinde dicit, quòd in hoc totum Pelagianum dogma confirmatur. Unde in hac materia & causa, quatuor dicenda videntur: Primum non posuisse Pelagium in illis naturæ operibus meritum, & justitiam rigorosam, ita quòd per illud simpliciter homo faceret Deum debitorem, quod esset plusquam stultum, ille autem satis acutus erat. Secundum non explicasse Pelagium illud meritum esse de congruo seu secundum pietatem, sicut postea Semipelagiani illud secundùm pietatem expressè vocarunt. Tertium, quòd si semel Pelagio illud meritum secundùm pietatem fuisset concessum, totum suum ipse dogma in substantia obtineret, nec aliud postularet. Quartum, quòd re ipsa, & de facto posuit Pelagius in illis naturæ operibus meritum secundùm aliquam justitiam, & condignitatem, cum contenderit quòd aliàs Deus esset acceptor personarum, quod contra justitiam est, imò Semipelagiani voce illud meritum temperantes & secundùm pietatem appellantes, etiam in illo aliquam rationem justitiæ cui gratia esset debita, constituebant.

Nec aliquem moveat, quòd dicitur à S. P. August. lib. de gratia Christi cap. 4. illud adjutorium gratiæ, quo Pelagius dicebat nostram possibilitatem adjuvari, ab ipso Pelagio poni ex Deo ipso, & non ex nobis, dum asserebat quòd velle & operari ex nobis est; posse autem bene operari ex Deo, & in hoc posse bene operari, annumeret non solam naturæ possibilitatem, sed etiam adjutorium quo ipsa naturalis possibilitas adjuvatur; quodcunque illud ipse statueret, unde etiam illud ex Deo esse dicebat.

Ad hoc enim dicendum, tria ibi Pelagium relatum à S. P. Augustino posuisse distincta. Primum est, possibilitas naturalis qua homo secundùm ipsum poterat bene operari. Secundum est adjutorium aliquod gratiæ, quodcunque ipse putaret, sive legem, & doctrinam exteriorem, sive internas revelationes, quibus asserebat naturalem illam possibilitatem adjuvari ut perfectiùs valeret operari. Tertium erat, ipsum nostrum actuale velle, & operari. Ex quibus illud primum nimirum naturalem possibilitatem à solo Deo esse dicebat; & nullo modo pendere ex homine. Secundum scilicet adjutorium illud quo possibilitas juvabatur, dicebat dari quidem à Deo, & ab ipso fieri efficienter, sed propter priora hominis merita à quibus proinde ut daretur, pendebat. Tertium verò, nempe ipsum velle, & operari solùm ab homine effici contendebat, & originaliter solùm esse à Deo, quatenus possibilitatem ad illud homini dabat. Unde verba Pelagij relata in citato cap. 4. inducti libri, numquam sonant ipsum sensisse illud adjutorium quo possibilitas adjuvabatur esse totaliter à Deo independenter ab homine: Imò hoc in cap. 31. expressè negavit, constituendo dari illud secundùm priora hominis merita. Tantùm ergo in illo cap. 4. habetur quòd possibilitas naturalis ad bene operandum est totaliter à Deo, & ab homine non pendet. Quæ autèm ibi dicit de vocato ab ipso adjutorio gratiæ, intelligenda sunt per illa verba ipsius quæ referuntur cap. 31. ejusdem libri; ubi clariùs, & apertiùs constituit illud adjutorium à priori hominis merito dependere.

Sed veniamus ad aliam tertiam assertionem qua asserebat, non esse liberum arbitrium si Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate habet quis facere vel non facere: in qua potissimè, & ex principaliori intentione auxilium efficax divinæ gratiæ intendit negare, ut illius inducta ratio suadet: quia, inquit, in propria voluntate habet quis agere & non agere, se ad operandum movere aut non movere, se ad agendum applicare aut non applicare, quod si in sua voluntate non haberet, sed Dei indigeret adjutorio ipsum efficaciter movente, & ad agendum applicante, liberum non haberet arbitrium. Unde quòd modò quidam prætendunt negare prævenientis adjutorij divinam efficaciam, & illam constituere à libero hominis consensu pendentem, id non esse dogma Pelagij; ex hac propositione inter plura alia quæ intendimus apertissimè revincuntur. Nihil enim in illa magis negavit Pelagius, (quod & compulsus fuit abjurare) quàm prævenientis adjudorij divinam efficaciam humanam lædere libertatem.

Digitized by Google

Ex his aliam quartam assertionem costituebat, contendens victoriam nostram non ex Dei adjutorio esse, sed ex libero arbitrio. Negato enim Divino adjutorio, quod vires voluntati potissimè efficaces tribueret, consequenter ex errore errorem deducens, victoriam nostram non ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio dixit provenire.

Parique ratione aliam quartam consequenter etiam astruxit, quod nempè pœnitentibus venia non detur secundùm gratiam & misericordiam Dei, sed secundùm meritum & laborem nostrum, qui per pœnitentiam digni fuerunt: misericordia, quæ assertio eodem modo ex prædestinationis principio originem trahit, ex ipsoque consequitur; quo, sine gratiæ adjutorio firmum, forte, ac validum constituebat arbitrium ad victoriam ex se ipso reportandam, & similiter ad ex se ipso pœnitendum, ex hoc enim consequenter inferebatur, quòd pœnitentibus venia donatur non secundùm gratiam, & Dei misericordiam, sed secundùm laborem, & meritum ipsorum: in quo iterum astruebat, gratiam Dei secundùm merita nostra dari.

Sic eum discurrisse, & ex priori errore explicato errores alios consequenter deduxisse Pelagium omnibus erit manifestum, qui attentiùs ejus concatenatam errantem doctrinam voluerint considerare. Ex uno enim eodemque pravo funestoque principio, quo ad astruendam libertatem originale peccatum negabat, liberum hominis arbitrium firmum, ac forte constituendo, consequenter alia supradicta contra Divinæ gratiæ adjutorium astruebat. Quod & S. P. Augustinus docet in allegato cap. præcedenti testimonio illo ex lib. de dono perseverantiæ cap. 12. in quo, ut iterum id repetamus, si ait: *Frustra itaque mihi de illius libri mei vetustate præscribitur ne agam causam, sicut debeo parvulorum, & inde gratiam Dei non secundùm merita hominum dari, perspicua veritatis luce convincam*: Si enim manifesta luce convincitur, gratiam Dei secundùm hominum merita non dari ex confessione originalis peccati, ut inductis verbis S.P. Augustinus affirmat, per oppositum ex contrario principio quo Pelagius originale peccatum negabat, ipse deducebat gratiam Dei secundùm merita nostra dari & aliàs quatuor assertiones inferebat, jam supra relatas, ac per consequens omnes illas quinque, quas contra Divinæ gratiæ adjutorium Pelagius evomuit, ex originalis peccati negatione deducebat. Idem etiam constat ex alio S. P. & Doctoris Testimonio in Epistola 106. in qua totam Pelagii hæresim in uno principio comprehendit; ita habet: *Nec in istis libris recentioribus, quos idem Pelagius post illud judicium dicitur edidisse, quamvis in adjutorium gratiæ consentire videatur, quid de hac re sentiat satis evidenter apparet. Aliquando enim ita paribus momentis potestatem voluntatis æqua lance perpendit, ut aliquantulùm etiam ad non peccandum valere definiat quod si ita est, nullus locus adjutorio gratiæ reservatur, sine qua nos dicimus ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere. Aliquando autem quotidiano gratiæ Dei muniri nos confitetur auxilio, quamvis habeamus ad non peccandum forte, ac firmum liberum arbitrium, quod utique invalidum, & infirmum debuit confiteri, donèc sanentur omnes languores animæ nostræ*; Et post pauca: *Videtur ergo auxilium gratiæ tanquam ex abundanti putare concedi, ideſt, ut etiam si non concedatur, habeamus tamen ad non peccandum forte, ac firmum liberum arbitrium.* Quod ita esse de illius mente sequentibus verbis probat cum addit: *Alio loco quid diceret, vel quid putaret ostendit, ubi ait, ideo gratiam hominibus dari, ut quod facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.* Ex quibus omnibus S. P. Augustini verbis manifestatur, fundamentum totius hæresis Pelagii ad negandam necessitatem adjutorii Divinæ gratiæ, sicut in illis quinque relatis assertionibus negavit, hoc fuisse, quòd liberum hominis arbitrium non fuerit læsum, & infirmum, seu attenuatum viribus per peccatum originale, sed quòd integrum sit & sanum, firmum, & forte, ad peccata vitanda, & servanda mandata, & justitiam perficiendam.

Ex hoc eodem principio liberum hominis arbitrium sine originali peccato Pelagius constituebat, & ex consequenti non læsum & infirmum, sed viribus firmum & forte sine Dei adjutorio ad peccata vitanda, servanda mandata, & justitiàm perficiendam, ascendendo ad divinam prædestinationem, sicut ex effectibus ad causam; consequenter in assignanda divina prædestinatione errabat dicens: Deum prædestinare ex previsis operibus futuris, ex naturali illa firma potestate arbitrii potente omnia mandata servare perficereque justitiam, ut S. P. Augustinus refert de prædestinatione sanct. cap. 18. dicens: *Præsciebat ergo, ait Pelagius, qui futuri essent sancti, & immaculati, per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, quia tales futuros esse præscivit elegit.*

Qualiter autem hoc posuerit Pelagius, tum S. Augustinus, tum S. Thomas exponit Rom. 7. lect. 3. 2. ad Corinth. cap. 3. lect. 1. ad caput 1. Ephes. lect. 1. super primum cap. ad Philippenses lect. prima 3. contr. gent. cap. 149. in fin. & prima part. quæst. 23 art. 5. 22. quæst. 6. art. 1. quibus locis docet, posuisse Pelagium initium boni operis esse ex nobis, & propter illud boni operis initium ex solis nostris naturalibis viribus factum, Deum dare de facto in tempore, & ab æterno præordinasse dare nobis effectum prædestinationis. Verba ultimi loci citata ex prima parte sunt: *Fuerunt autem alij qui dixerunt, quòd merita præexistentia in hac vita, sunt ratio, & causa effectus prædestinationis; posuerunt ergo Pelagiani, quòd initium bene faciendi sit ex nobis consummatio autem ex Deo, & sic ex hoc contingit quòd alicui datur prædestinationis effectus, & non alteri; quia unus initium dedit se præparando & non alter.* Ex quibus constat posuisse Pelagium initium boni operis, ex sola nostra voluntate productì, esse causam effectus prædestinationis, & meritum verè, & propriè esse illius dixit: putabat enim, tale bonum opus ex solis nostris viribus naturæ factum, esse dignum & meritorium effectuum prædestinationis, & hoc est primum quod circa prædestinationem asseruit Pelagius. Videatur inter alia locus S. Augustini lib. de gratia Christi cap. 31. ubi hoc idem meritum posuisse Pelagium respectu gratiæ refert apertè; posuit autem meritum non de congruo, ut aliqui dicunt, sed de condigo; putabat enim dignum & justum, ut benè operanti homini, & bene incipienti ex naturæ viribus Deus gratiam daret, sicut veritas constituit justum esse, & dignum, ut bene operanti homini ex gratia, Deus det gloriam quia nempe ita præordinavit se daturum: ita ille dicebat præordinasse Deum dare gratiam bene incipienti homini ex naturæ viribus, quia justum erat, & quia id homo bene operando ex naturæ viribus merebatur, non autem ponebat perfectam, & absolutam justitiam inter hominem sic operantem, & Deum retribuentem gratiam, quia videbat hanc absolutam, & perfectam justitiam non posse dari inter hominem & Deum, cum sint inæquales, & in infinitum Deus hominem excedat, sicut nec talis perfecta, & absoluta justitia est inter hominem merentem ex gratia, & Deum præmium reddentem.

Con-

Digitized by Google

2. Ponebat Pelagius, nostra bona opera esse meritum totius effectus prædestinationis.

Contendebat 2. non solùm illud primum initium nostri boni operis relatum, esse causam & meritum primi effectus prædestinationis, sed bona opera alia merè naturalia ex nostris naturæ viribus facta, esse meritum totius prædestinationis, hoc enim de ipso S. Augustinus refert lib. de prædest. Sanct. cap. 18. dicens: *Præsciebat ergo, ait Pelagius, qui futuri essent Sancti & Immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideò eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua tales futuros esse præscivit, elegit.* Quòd autem per ista verba posuerit Pelagius totum prædestinationis negotium ex puris naturalibus nostri arbitrii operibus bonis, & verba ista ostendunt, & quæ sequntur cap. 19. manifestant: Cum enim hanc Pelagii Doctrinam refutasset S. Augustinus ex illo Apostoli, *sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus Sancti, & Immaculati; non ergo quia futuri eramus sed ut essemus*, subdit statim: *Sed hi nostri, de quibus, vel pro quibus nunc agimus, forsitan dicunt, Pelagianos hoc Apostolico Testimonio refutari, ubi dicit, ideo nos electos in Christo, & prædestinatos ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti, & Immaculati in conspectu ejus in Charitate. Ipsi enim putant, acceptis jam per nos præceptis, ipsos fieri liberæ voluntatis arbitrio, Sanctos & Immaculatos in conspectu ejus in Charitate, quod futurum Deus quoniam præscivit, inquiunt, ideo nos ante mundi constitutionem elegit, & prædestinavit in Christo, cum dicat Apostolus, non quia futuros tales nos esse præscivit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ, qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, cum ergo nos prædestinavit opus suum præscivit, quo nos Sanctos & Immaculatos facit: Vnde rectè hoc testimonio Pelagianus error arguitur. Nos autem dicimus, inquiunt, nostram Deum non præscisse, nisi fidem, qua credere incipimus, & ideò nos elegisse ante mundi constitutionem, ac prædestinasse, ut etiam Sancti, & Immaculati gratia atque opere ejus essemus.* Quibus verbis S.P. Augustinus apertè docet, posuisse Pelagium totum negotium prædestinationis, à principio usque ad finem vitæ, propter opera naturalia, quæ nos ex sola facultate naturæ faceremus, adimplendo mandata, quæ posuit ipse ex sola facultate naturæ nos posse implere sine gratia, à quo proinde Semipelagiani se longiùs abire dicebant, cum ipsi solùm assererent prædestinationem fieri quoad primum ejus effectum ex fide, quam ponebant ex nobis sine gratia. Cæterùm alios effectus prædestinationis usque ad perseverantiam in bono, (ut ajebant) constituebant habere hominem sub adjutorio ipsius gratiæ.

Quidam autem modernus author, qui tractatum composuit anno 1621. asserit, nec Synodos contra Pelagium congregatas, nec Innocentium, aut Cœlestinum aliquid contra Pelagium de prædestinatione statuisse, imò Cœlestinum in illa sua notissima epistola cum docet necesse non alias profundiores quæstiones tractare seu definire, per illas profundiores quæstiones quas omittit ut minùs necessarias, intelligere illas quæ de prædestinatione sunt, ex quo infert satis defendi gratiam Dei, etiam si de prædestinatione aliter Hieronymus sentiat, aliter Augustinus seu Prosper.

Dicit secundo, quòd in scriptoribus Augustino antiquioribus nulla alia prædestinatio invenitur, & ab ipsis agnoscitur, quàm quæ est ex præscientia veræ fidei: Unde in his, inquit, liberum est recedere ab Augustino. Quod verò hæc de prædestinatione sententia ex præscientia veræ fidei non sit Pelagianum dogma, probat, quia illa est, ut dixit, omnium antiquorum ante Augustinũ. Dogma verò Pelagianum ubique ab Augustino, à Lirinensi, & aliis novum, & recens dogma vocatur. Quòd verò illa de prædestinatione sententia ex præscientia fidei sit Antiquorum probare laborat illam tribuendo Ambrosio, Hieronymo, imò ipsi Augusto in prioribus quæstionibus ad simplicianum. Hæc ille.

Verùm ut omittamus modò ostendere, falsò talem de prædestinatione sententiam tribui vel Ambrosio, vel Hieronymo, vel Augustino etiam in quæstionibus ad simplicianum, quod copiosè ostendemus favente Deo in nostro secundo libro, agentes ex professo de prædestinatione, ad presens, quantùm ad Pelagianum dogma spectat, ostendamus hanc de prædestinatione ex præscientia veræ fidei sententiam, unicum fuisse Semipelagianorum fundamentum, & in hoc Pelagianum dogma illos secutos fuisse.

Et quidem circa primum hujus authoris dictum, quòd Synodi contra Pelagium Congregatæ nihil contra Pelagium de prædestinatione stabilierint; si intelligat expressè & clarè, & sub nomine predestinationis ita est; si verò intelligat implicitè, & de re ipsa non fuisse illius de prædestinatione sententiã damnatam, falsum est, & contra se ipsum ille author procedit. Cum enim ipse expressè fateatur, ad illa tria quæ expressè agnoscit damnata in Pelagio, videlicet quod in parvulis non sit originale peccatum, & quòd homo potest esse sine peccato, & quòd gratia Dei secundùm priora nostra merita datur, esse reducendum sicur Dogma Pelagii, istud nempe prædestinationem fieri ex prævisis bonis operibus, ex solis naturæ viribus factis; ad illa inquam tria, vel ad illorum aliquod, nempe ad hoc quòd gratiam secundam merita nostra datur, jam expressè fatetur in illo priori errore expressè damnato in Pelagio, damnatam manere ejus de prædestinatione sententiam, si enim gratia non datur secundùm merita nostra, etiam prædestinatio, quæ prima gratia est, non datur secundùm merita nostra priora, aut ex prævisis operibus nostris, quod idem est omnino.

Parique ratione cum ipse author fateatur, Pelagianum esse dogma damnatum, quòd nos priores demus Deo, ut ipse retribuat nobis, quomodo non videt damnatam in hoc ipso, omnem de prædestinatione sententiam quæ fiat ex præscientia alicujus boni operis nostri, aut veræ fidei, quam habeamus ex solis nobis. Cum ergo in Pelagio Concilia damnant gratiam Dei secundùm priora merita dari, nec agnoscunt nos aliquid priores dare Deo ut retribuatur nobis, pariter in hoc ipso condemnant predestinationem (quæ prima gratia est) dari ob priora nostra merita, aut secundùm priorem fidem nostram; quia jam daremus nos priores Deo fidem ex solis nobis habitam, ut ex se retribuat nobis prædestinationem: damnatum est ergo in Pelagio, prædestinationẽ fieri etiam ex præscientia fidei habitæ in nobis, ut dicemus etiam, quia potissimè in eo damnatur prædestinationem fieri ex bonis operibus solùm naturæ viribus factis. Vtrumque itaque ad Pelagii dogmata spectat & hoc modò ultimò relatum, quod hic modernus author admittit, ut visum est, & etiam quòd prædestinatio fiat ex fidei præscientia, quia illa fides esset ex nobis, ut propter illam nobis daretur prædestinatio, & sic initium salutis esset ex nobis, consumatio per prædestinationem ex Deo, in quo consistit dogma Pelagii, & similiter initium fidei esset ex nobis, quod esse Pelagianum S. Thom. affirmat 2.2. quæst. 6. a. 1. & omnes fateri tenentur: sed de hoc copiosùs infrà dicemus, agentes de erroribus illorum qui Semipelagiani vocati sunt, concludendo nimis falsum esse, quod in materia prædestinationis liberum sit ab Augustino recedere. Hæc autem libertas nisi ad libertatem Pelagianorum aut Semipelagionem accedat nulla alia poterit assignari, ut infra agentes de erroribus eorum, qui Semipelagiani vocati sunt & in nostro secundo libro tractantes

de prædiſt. apertiſſimè oſtendemus. Igitur Pelagius, & primum effectum prædeſtinationis, ut diximus à principio, ponebat ex naturæ merito, & totum proceſſum prędeſtinationis, uſque ad perſeverãdum in bono coſtituebat ex ſolis naturæ viribus abſque aliqua neceſſitate gratiæ. Hoc ipſum de illo refert S. T. lib. 3. cont. gent. cap. 147. in fine dicens: *Per hoc autem excluditur error Pelagianorum, qui dixerunt quòd per ſolum liberum arbitrium homo poterat gloriam Dei promereri.* Si enim per ſolum arbitrium homo poterat mereri gloriam, ergo per ſolum liberum arbitrium poterat in bono perſeverare, & mereri totam ipſam prædeſtinationem.

Totum negotium prædeſt. quoad omnem ejus effectum Pelagius ponebat ex operibus factis ex ſola naturæ facultate.

Quod etiam ipſa ratio manifeſtat, ſi quæ Pelagius dixit conſiderentur; ipſe enim poſuit poſſe hominem ſolis naturæ viribus ſervare omnia mandata, ut notum eſt ex Sancto Hieronymo Epiſtola ad Cteſiphontem, & in tribus libris contra Pelagianos, atque ex S. P. Auguſtino ſæpiùs. Notiſſimus eſt locus ille ad Quodvult. quæſt. 88. & ex Concilio Milevitano, in quo hæc ejus hæreſis condemnatur. Sed nec ipſe ignorabat ſufficere ad ingreſſum Regni celorum ſervare mandata, juxta illud Chriſti Domini, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Senſit ergo ex ſolis naturæ viribus, quibus poſſumus, ut dicebat, ſervare mandata, poſſe nos conſequi regnum celorum, & ex conſequenti ex ſolis naturæ viribus aſtruebat nos mereri totam noſtram prædeſtinationem.

Quod ſi quis dicat, hanc ipſius fuiſſe hæreſim à principio, ut etiam S. P. Auguſtinus docet citato loco ad Quodvult. non autem poſtquàm fuit correctus à fratribus. Dicendum eſt, nec poſtea ab hac hæreſi re ipſa diſceſſiſſe, ſed novis cavillationibus eam occultaſſe, vel dicendo legem, & doctrinam eſſe neceſſariam, & gratiam ad faciliùs, vel conſtituendo ſupernaturalem internam revelationem, quæ objectivè tantùm ſtupentem ſuſcitaret voluntatem, de qua Sanctus Auguſtinus aſſerit, quod nec in hoc receſſit à lege, atque doctrina. Vnde, cum numquam gratiam ex parte voluntatis poſuerit neceſſariam ad vitam æternam, etiamſi legem admitteret & doctrinam manifeſtè convincitur, quòd ſemper retinuit, hominem ſine gratia ex ſolo libero arbitrio poſſe conſequi æternam vitam, & per bona opera naturalia mereri totum negotium prædeſtinationis ſuæ. Sed de adjutorio gratiæ, quod dicebat ſe Pelagius admittere, infra copioſè dicemus. Semipelagiani autem licet à primo, & ſecundo ſtatu hæreſis Pelagii diſtinguantur in conſtituenda prædeſtinatione ex ſolis naturæ viribus, adhibitis tantùm exterioribus præceptis legis atque doctrinæ: tamen à tertiò ipſius ſtatu quo neceſſariam admittebat interiorem revelationem (quæ non diſtinguitur à lege atque doctrina, ut Auguſtinus probat) non diſtinguntur, cum nomine gratiæ eandem admittant.

Error Pelagii contra prædeſtinationem & reprobationem parvulorum.

Tertius ipſius error circa prædeſtinationem fuit circa infantes; cum enim ex una parte in illis non agnoſceret peccatum originale, nec auſus fuiſſet negare ritum Eccleſiæ, quo omnes baptizantur, dicebat baptizari quidem, non ut à peccato mundarentur, ſed ad ingreſſum regni cœlorum. Rurſus, quia in illis non poterat invenire aliqua opera propter quæ aliqui ingrederentur regnum cœlorum, alii verò non, hanc differentiam provenire dicebat, vel ex merito diverſo parentum, vel ex diligentia aut negligentia miniſtri, vel ex aliquo ſimili, quas omnes rationes ſæpiùs S. P. Auguſtinus efficaciter expugnat, ut ex dicendis conſtabit apertiùs, potiſſimè ex noſtro 2. libro, in quo in ſpecie de prædeſtinatione tractamus

CAPUT IV.

De erroribus Pelagij circa concurſum Dei cum libero arbitrio ad naturales operationes.

EX eodem erroneo principio; & prætextu ſervandæ humanæ libertatis, quo liberum hominis arbitrium non per peccatũ originale læſum & infirmum, ſed integrum ac ſanum forte & firmum viribus aſſerebat, negabat ſimiliter Pelagius indigere arbitrium hominis Divino concurſu ad ſuas operationes exercendas, ſed ſine ipſo liberum arbitrium illas operari contendebat, in hoc idem ad ſua erronea principia conſequenter locutus, ut explicatum eſt. Imò ut erat natura aſtutus, ideo hæc erronea in naturalibus liberæ voluntatis actionibus fundamenta jaciebat, ut ſic ad ordinem gratiæ proportionaliter aſcendendo, ejus verum adjutorium de medio tolleret ad opera pietatis, & ad ſalutem pertinentia; callidiſſimè judicans omnes, quibus priora iſta fundamenta pro liberis merè naturalibus actionibus, à ſe conſtituta placerent, conſequenter alia, quæ in ordine gratiæ contra ejus adjutorium proponeret, fore recepturos.

Quo fine negavit Pelagius concurſũ Dei pro actionib' naturalibus & cõmunibus liberi arbitrii.

Qua præconcepta impia intentione negavit concurſum Dei neceſſarium in libero arbitrio pro quotidianis actionibus efficiendis, contendens per illum hominis ledi arbitrium liberum, nec cum illo ſtare hominis libertatem: Vnde illa fuit ejus aſſertio: *Non eſt liberum arbitrium, ſi Dei indiget auxilio, quoniam in ſua poteſtate habet quis facere, vel non facere,* (qui error eſt unus ex quinque ſupra relatis) cum enim univerſaliter procedat, & univerſalem ſermonem contineat, non ſolùm de adjutorio gratiæ ad opera pietatis, (quamvis non ſit dubitandum quòd de hoc principaliter illam protulerit), eſt intelligenda, vel ad id ſolùm reſtringenda, ſed ut jacet; de omni Dei adjutorio, ſive concurſu ad opera naturalia intelligi debet. Ita quòd prætenderit ipſe in illa univerſalier aſſerere, non eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indigeat ad quælibet opera auxilio; quia, ut ait, in ſua poteſtate habet quis aliquid facere, vel non facere. Vnde ſi non ex ſua ſola poteſtate, ſed ex Dei auxilio, ſive influxu hoc vel illud faceret, contendebat, quòd liberum hominis peribat arbitrium.

In illa propoſitione non eſt liberum arbitrium ſi Dei indiget auxilio Pelagius univerſaliter omne auxiliũ negavit etiã Dei concurſum pro actionibus naturalib' & communibus.

Et quòd ſic illam univerſaliter ipſe potulerit, apertè conſtat ex S. Hieronymo Epiſt. ad Cteſiphontem, ubi hunc damnatum errorum Pelagii referens ſub iſtis eiſdem verbis. *Non eſt liberum arbitrium ſi Dei indiget auxilio*, illum contra Dei generalem concurſum, quem Pelagius negabat, docet procedere, illumque Dei concurſum in illis negaſſe affirmat. Vnde, & ſic ibi introducit Pelagium dicentem, *ſi inquit voluero curvare digitum, movere manum, ſedere, ſtare, ambulare, diſcurrere, ſputa jacere, duobus digitis nariũm purgamenta decutere, relevare alvum, urinam egerere, ſemper mihi auxilium Dei neceſſarium erit?* Rurſus lib. 1. adverſus Pelagium paulò poſt principium tomo 2. iterum Pelagii verba talia refert: *Si in ſingulis rebus quas gerimus, Dei utendum eſt adjutorio, ergo & calamum temperare ad ſcribendum, & temperatum pumice terere, manumque aptare literis, tacere, loqui, ſedere, ſtare ambulare, currere, comedere, jejunare, flere, ridere, & cætera hujuſce modi, niſi Deus juverit, non poterimus?* Cui reſpondet Hieronymus Epiſtola citata ad Cteſiphontem: *Audi ingrate, imò ſacrilege Apoſtolum prædicantem, ſive manducatis, ſive bibitis, ſivè aliud quid agitis, omnia in nomine Domini agite.* Et iterum ibi: *Ipſum liberum, ut diximus, arbitrium Dei innititur auxilio, illiuſque per ſingula ope indiget, quod vos non vultis, ſed id vultis, ut qui ſemel*

Negavit Pelagius, concurſus generalẽ pro naturalibus actionibus

mel habet liberum arbitrium, Deo auditore non egeat.

Constat ergo apertè ex verbis Pelagii à Hieronymo relatis & expugnatis, Pelagium, cum dixit, non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio, negasse etiam concursum Dei naturalem pro liberis operationibus naturalibus.

Negavit Pelagius prævium Dei naturalem cõcursum.

Nec potest dubitari, negasse Pelagium concursum Dei actioni prævium, & influxum in liberum arbitrium, quod est maximè advertendum contra aliquos qui dicunt negasse Pelagium concursum generalem simultaneum indifferentem, & immediatè influentem in actionem ipsam naturalem arbitrii liberi, & ob hoc solum fuisse damnatum.

Concursum Dei prævium negavit Pelagius.

Imò negavit Pelagius illum prævium concursum agentem in liberum ipsum arbitrium, & de hoc potissimè fuit damnatus, & à SS. DD. convictus. Quod ex eo fit manifestum, quia Pelagius illud auxilium, sive concursum negavit, quod sibi videbatur tollere libertatem, ut apertè in suo relato errore ipse expressit; sed concursus simultaneus, & indifferens voluntati oblatus, ut ipsa pro sua innata libertate, vel agat, vel non agat, vel operetur hanc actionem, vel aliam, ut placuerit, nulla apparenti ratione poterat, vel ab insano judicari quòd libertatem destrueret, cum ab ipsa potiùs penderet: Igitur non loquebatur Pelagius de isto concursu simultaneo, & indifferenti, quando dixit quòd non est liberum arbitrium, si tali indiget auxilio. Igitur non est damnatus Pelagius (quando abjuravit errorem istum) propterea quòd negaverit concursum istum simultaneum, & indifferentem qui ab humana voluntate dependet, & ab ipsa determinatur.

Unde sustineri non potest quod dicit author illius de gratia tripartiti operis lib. 1. pag. 280. §. *mihi*, cum ait, quòd si Pelagius negavit generalem Dei concursum pro causis naturalibus, & potissimè pro humana voluntate, illum simultaneum, quem vocant, negavit, quod enim primò sub dubio relinquit, negasse Pelagium illum generalem Dei concursum pro naturalibus operationibus à voluntate faciendis: sine causa id sub dubio relinquit, cum verba Sancti Hieronymi allata id apertissimè testentur, de quo damnatus à PP. fuit: in illa assertione (non est liberum arbitrium si Dei indiget auxilio) & in alia damnata, non est necessarium Dei adjutorium ad singulos actus, quæ cum verba generalia sint omne sine dubio adjutorium Dei negant, etiam pro actionibus naturalibus voluntatis, nec hoc debuit vertere in dubium author prædictus, cum ex dictis sit manifestum, idque doceant Abulens. Math. 19. quæst. 178. Bellarm. lib. 4. de gratia cap. 4. Paulus Rostius Apologia de libero arbitrio circa med. S. Thom. clarissimè in 2. dist. 28. quæst. 1. & 3. etenim in articulo primo ad 1. expresse loquitur de concursu Dei generali, ubi distinguit, quòd gratia dupliciter accipitur; primò pro dono gratuito, illud verò dicitur propriè gratuitum, quod naturalibus superadditur, ut ibi exponit; alio modo pro Deo ipso gratis dante, & hoc secundo modo accipiendo gratiam nihil boni potest facere homo sine gratia Dei, id est sine ejus voluntate gratis dante, & sic ait intelligendum quod dicitur, *sine me nihil potestis facere*, in qua acceptione gratia non dicit quid supernaturale. In secundo verò art. condistinguit gratiam contra habitum infusum, ut sumitur pro ipsa Divina voluntate, per quam omnia bona causantur, & mala repelluntur; ubi sumit gratiam non pro naturali condistincto contra gratuitum, sicut acceperat in primo articulo; sed pro actuali dono gratiæ condistincto contra habitum, sine qua, ut ibi ait, non potest homo futurum omne vitare peccatum, & hoc modo etiam accipit gratiam in articulo tertio cum docet, quòd sine gratia gratis data, & gratum faciente potest homo divina servare mandata quantùm ad substantiam actus, per gratiam id est per bonam voluntatem, gratis in nobis causantem: ubi nomine gratiæ intelligit actualem motionem supernaturalem, vel utramque simul, & naturalem, & supernaturalem, quæ requiritur ad servanda divina mandata quoad substantiam actus in natura lapsa, & hanc dicit negasse Pelagium, quia omnem gratiam negavit, sive primo modo sive secundo acceptam; quòd autem utramque S. Thomas intelligat, ex eo constat, quia ad omnia servanda mandata utraque est requisita; ad servanda enim facilia sufficeret Dei motio prævia naturalis; ad servanda verò dificiliora & graviora necessaria est actualis divina supernaturalis motio gratiæ: Vnde Pelagius utramque negavit ad divina servanda mandata.

Hoc ipsum S. P. Augustinus indicat lib. 1. de gratia Christi contra Pelagium, & Celestium cap. 3. & 6. ubi refert Pelagium possibilitatem tantùm dixisse nos habere ex Deo, non voluntatem, vel actionem: Non ergo admittebat Pelagius, Deum in nobis atque nobiscum operari aliquo suo concursu potissimè prævio, quia hunc repugnare voluntatis libertati contendebat, quam hæresim Pelagius ex Origene didicit, ut supra cap. 1. ostenditur, de ipso enim Origene sic S. Thom. ait: *Quidam verò non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis possit causare absque præjudicio libertatis, conati sunt has authoritates malè exponere, ut scilicet dicerent, quòd Deus causat in nobis velle & perficere, inquantum dat nobis virtutem volendi, non autem sic quòd faciat, nos velle hoc vel illud, sicut Origenes exponit in 3. Periarchon liberum arbitrum defendens contra authoritates predictas.* 3. contra gent. cap. 89. Quod verò idem Doctor, & gloriosius P. Augustinus in specie non referat errasse Pelagium in negando hunc generalem concursum, nec etiam Concilia contra Pelegianos celebrata in particulari id non damnaverint, nullum penitus movere debet: Primò quia id satis impugnant atque condemnant, cum adversùs eundem illam ipsius assertionem damnarunt: *Non est liberum arbitrium si Dei indiget auxilio*, quæ de omni Dei auxilio à Pelagio negato planè procedit.

Magis principaliter condemnant Pelagium quia Dei gratiam negavit.

Secundo quia magis principaliter contra illum versabantur in defendenda gratia Christi Domini, quæ vera, & propria gratia est ad salutem necessaria, cujus Pelagius ille potissimè infestissimus erat. Similiter quòd S. P. Augustin. lib. de Genes. ad lit. cap. 20. hunc errorem referat, non tamen sub nomine Pelagii, minùs his quæ dicta sunt contradicit, quia ibi contra eos agebat qui dicebant, supremam hujus Mundi partem à Deo moveri, regi, & gubernari, non autem hanc infimam, qui alius error distinctus est ab errore Pelagii, & quando expresè tractaret contra eos qui dicebant Deum nihil operari in rebus jam conditis, etiam à Pelagio aliquo modo distinguerentur, primò quia id expresè de omnibus creaturis dicerent, quod in Pelagio ita universaliter dictum non invenitur expressum. Secundò quia non id negabant ob illud Pelagii singulare fundamentum, quòd non esset liberum arbitrium si Dei indiget auxilio. Non obstat etiam quòd Durandus id tenuit, nec tamen dicitur Pelagianus, quia omnes asserunt in eo circa fidem errasse Durandum, nec in particulari explicant quo genere erroris: Quod si explicarent, non dubium quin ad errorem Pelagii illum reducerent, vel ad illos alios nunc à S.P. Augustino relatos. Minùs tandem subsistit, quòd aliàs non haberemus veræ gratiæ necessitatem ex definitionibus Conciliorum contra Pelagium, quia ut ajunt quidam, omnes possent eas eludere, ipsas interpretando de auxilio Dei per concursum generalem: Minùs, inquam, subsistit, quia in

Digitized by Google

Conciliis Cartaginenſibus notiſſimum eſt definitiones haberi; quæ in particulari, & expreſsè de auxilio particulari gratiæ procedunt, & de vera gratia, qua Chriſtiani ſumus, quæ proinde ad Dei generalem concurſum trahi nullo modo poſſunt.

Præterea in omnibus S. P. Auguſtini libris contra Pelagium, & alios illius erroris conſortes, id invenitur ſæpiùs repetitum, & ita expreſſum, ut nullus iſtud valeat inficiari, ut infrà dicetur copioſiùs.

Prævium Dei naturalem concurſum magis negavit Pelagius, quàm ſimultaneũ.

Negavit ergo Pelagius, Deum ſuo prævio concurſu movere liberum hominis arbitrium ad naturales operationes liberas, quia dicebat libertatem impediri, & propterea de illo etiam dixit; *Non eſſe liberum arbitrium ſi Dei indiget auxilio;* & contendebat concurſum iſtum moventem arbitrium ad agendum non eſſe in poteſtate arbitrii, ſed ejus lædere libertatem; imò ratio ipſa quam Pelagius adhibuit ad probandum non eſſe liberum arbitrium ſi Dei indiget auxilio, ſatis apertè demonſtrat procedere contra prævium Dei influxum, quo Deus movet arbitrium ad operandum. Sic enim habent Pelagii verba: *Non eſſe liberum arbitrium ſi Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate habet uniſquiſque facere aliquid vel non facere.* Quis autem non videat errorem iſtum Pelagii, & ejus fundamentalem rationem, non contra ſimultaneum & indifferentem concurſum omnibus oblatum, (ut aliqui ponunt) aliqua ratione procedere, ſed contra prævium, nam ſimultaneus ille & indifferens, cunctis communis, omnibuſque oblatus, ut cum voluntate hominis concurrat, à propria voluntate uniuſcujuſque dependens, ipſam ille, ut ajunt, expectat, & in propria voluntate cujuſcunque eſt, ità ut quilibet in ſua libera poteſtate habeat facere vel non facere, ſecum nimirum trahendo illum concurſum, ut ſecum concurrat ſi voluntas operari vult, vel ſi non vult operari ab operatione ceſſando, illum ſecum non trahere: quod ſicut omnibus notiſſimum & evidentiſſimum eſt, ita Pelagio erat ſatis notum. De iſto generali concurſu ſic à libero hominis arbitrio dependẽte, ut voluntas ſi velit operetur, qua ratione quæſo poterat Pelagius dicere: *Tollitur arbitrium ſi Dei indiget auxilio*: cum concurſum haberet ipſe homo, ſeu auxilium dum vellet, & quando vellet? Quomodò tollebat arbitrii libertatem auxilium quod ſic à libera hominis voluntate pendebat? Aut quomodo id Pelagius affirmaret, cujus oppoſitum poterit ſtatim lumine naturali cognoſci. Quod, & hoc exemplo monſtramus: ſi aliquis eſſet infirmus, qui per ſe ipſum ambulare minùs poſſet, bene tamen alterius auxilio, qui ſemper infirmo eſſet præſentiſſimus & ad illius nutum, hac conditione firmata, quoties ambulare volueris, ego præſto ero, & te ſemper juvabo, numquid poterit aliquis niſi merè ſtultus, affirmare quòd infirmus talis, qui alterius illius indiget auxilio non haberet libertatem ad ambulandum? Aut quòd alterius auxilium quo indiget ejus læderet libertatem? Cum potiùs ab illius libertate dependeat, qua poterat quoties ambulare vellet, alterius applicare ſibi oblatum auxilium.

Quod ſi aliqui contendant hanc ſtultitiam Pelagium affirmaſſe, & in illa tanta contentione perſtitiſſe, quòd nempe tollebatur arbitrium ex eo quòd indigeret illo ſimultaneo concurſu ita à voluntate ipſius hominis pendente; quomodo S. Patres hanc illius ſtultiſſimam contentionem evidenti rationis lumine non refutarunt, & omnibus ridiculam oſtenderunt, ita ut talis error nec ad horam contra veritatem militaretur, evidentiſſima ſunt iſta procul dubiò, & convincunt, Pelagium cum dixit: *Non eſt liberum arbitrium ſi Dei indiget auxilio*, locutum planè fuiſſe de auxilio, ſive concurſu prævio, & movente liberum arbitrium ad operandum, de hoc enim potuit pertinaciter Pelagius contendere cum apparentia aliquali, non eſſe liberum arbitrium, ſi tali prævio indiget auxilio. Præterea quòd prævium negaverit, patet ex illis Pelagii verbis à S. Hieronymo relatis in Epiſtola ad Ctefiphontem: *Dediſti mihi ſemel arbitrij libertatem, quid rurſus te ingeris, ut nihil facere poſſim, niſi tu in me tua dona compleveris.* Quæ oſtendunt ipſum negaſſe concurſum Dei in liberum arbitrium influentem, ipſumque ad operandum complentem, atque moventem. Idem ex verbis aliis S. Hieronymi citata Epiſtola convincitur: *Unde, & audes,* inquit, *lingua proferre temeraria, unumquemque ſuo arbitrio Regi*: Quibus ſatis liquet negaſſe Pelagium influxum, quo Deus regit hominis arbitrium, qui non eſt niſi prævius. Item conſtat ex aliis Pelagii verbis inductis à S. Hieronymo lib. 1. adversùs Pelagianos: *Si in omnibus ille cooperatur, non eſt meum ſed ejus qui adjuvat, imò qui in me cooperatur.* Quod de prævia cooperatione planè intellexit, quia de illa ſimultanea ſeu conſequenti ab humana voluntate pendente intelligi nequeunt. Manifeſtum eſt ergo, negaſſe Pelagium influxum Dei prævium in liberum arbitrium influentem, & illud ad operandum moventem, quo dicebat tolli arbitrii libertatem.

CAPUT V.

Quod ad operationes naturales nec veram concurſum ſimultaneum admiſerit Pelagius, oſtenditur.

AN verò prævio negato admiſerit concurſum ſimultaneum; ſunt qui dicant ipſum non negaſſe generalem influxum; qui ſi nomine generalis influxus intelligant illum, quo cum omnibus rebus aliis ab homine concurrit, de hoc certum ex dictis Pelagii relatis à S. Patribus nihil habemus; quia de hoc nihil expreſsè ipſe dixit. Si verò nomine generalis influxus intelligant ſimultaneum illum nominatum concurſum, præterquam quòd minùs certum eſt illum admiſiſſe Pelagium, timendum ne qui ſic illos loquentes audiunt, & hoc inferant eos ſentire prævium influxum, generalem non eſſe, ſed illum ſimultaneum, cum reverà tam prævius quàm ſimultaneus generalis influxus ſit: imò realiter unum cum duplici illa formalitate diverſa, ut copioſè in noſtro tertio libro oſtenſuri ſumus.

Vocatus ſimultaneus concurſus vocè ponitur re autem ex ſuperfluo conſtituitur.

De re autem ipſa an Pelagius admiſerit vocatum illum ſimultaneum concurſum, dicendum primò dato quod illum admiſerit, in nihilo per hoc dogmati ſuo præjudicaſſet. Primo quia ille vocatus ſimultaneus concurſus, voce ſolùm ponitur re autem ipſa nullo modo, ſi enim ut S. P. Auguſt. lib. 1. de prædeſtinatione ſanctorum concludit, poteſt homo ſine Dei auxilio incipere ſuam bonam determinationem, & actionem, ipſam poterit ſine Dei auxilio perficere, & conſummare, cum magis requiratur ad reducendum ſe de potentia in actum, incipiendo agere, quàm ut reductus jam homo in actum illum inceptionis, eundem perficiat.

Vocatus ſimultaneus concurſus, eſtre ipſa ſubſequens ad arbitrii influxum.

Deinde vocatus ille ſimultaneus concurſus, re ipſa ſimultaneus non eſt, ſed ſubſequens, & conſequens priorem hominis determinationem; datur enim, ut illius authores dicunt, conſentiente jam libero arbitrio: Unde datur quia priùs ratione homo ſe determinat, & ſic datur quia volumus, & ex conſequenti ex priori illo bono hominis conſenſu ab homine incepto, & ex merito illius. Et per hoc magis fundaret Pelagius principale ſuum dogma, quòd gratia datur ex priori merito bonæ hominis voluntatis: Illum ergo vocant ſimultaneum quia nempe ſimul

Digitized by Google

simul tempore in eadem instantanea actione cum arbitrio concurrit, non autem ponitur simultaneus, simultate rationis vel naturę imò, econtra dicitur, non simultaneus ratione & natura, sed posterior natura & ratione, ipsa determinatione arbitrij, & illius incepti boni consensus; quam Julianus reipsa patenter admisit, cum posuit adjuvari hominem in eodem opere bono jam ab homine incepto, ut infra agentes de erroribus Iuliani apertissimè ostendemus. Quemadmodum clarissimè S. P. Augustinus refert de Iuliano lib. 1. ad Bonif. cap. 19. & lib. 2. cap. 8. Cum itaque illud adjutorium posuerit Iulianus hominem adjuvare in eodem bono opere jam ab homine incepto, manifestè illud constituebat consequens priorem bonam hominis voluntatem, & ex merito priori illius, simulque ponebatur simul tempore concurrere cum homine in eadem instantanea actione, & operatione, sed priùs ratione præcedere hominis voluntatem, & sic reipsa ponebatur posterius ratione, & natura.

De Pelagio verò (quod ad præsens declarare intendimus.) Dicendum secundo ipsum simultaneum illum concursum non admisisse. Omnem enim actualem Dei concursum negavit necessarium ut velimus & operemur, ut ex relatis de ipso per S. P. Aug. st. non obscurè deducitur. Asserere enim Pelagium hunc appellatum simultaneum concursum admisisse, nec in S. D. Augusl. fundamentum habet, nec in S. Hiero. Prospero, vel Hilario, seu Fulgentio, vel in alio SS. PP. qui ex professo errores ipsius, ut impugnarent recensuerunt, semper enim ipse posuit adjutorium, ut velle, & agere possimus; qualecumque illud adjutorium tribuens posse ipse admiserit, quod in sequentibus clariùs patefiet, non autem admisit adjutorium aliquod, ut velimus, & operemur, sed velle, & operari non ex Deo, sed solùm ex nobis esse contendebat.

Præterea manifestum est, pro actionibus supernaturalibus non admisisse Pelagium aliquod gratiæ adjutorium, quo Deus adjuvaret hominem in ipso bono opere jam ab homine incepto, quod tamen nominatum adjutorium gratiæ Iulianus constituit, ut jam diximus, & apertiùs dicemus. Imò utrumque S. P. Augusl. docet lib. 2. ad Bonif. cap. 8. Ubi ait Iulianum illud adjutorium admisisse, quod tamen Pelagius negavit: Unde & proportionabiliter idem etiam pro actionibus naturalibus negasse dicendum est, & quidem si pro naturalibus actionibus illud ipse admisisset, id Sancti PP. qui eum expugnarunt aliquando dixissent, quod tamen numquam ipsi expresserunt. Et quis sibi persuadeat, quòd cum ille esset satis acutus, pro actionibus naturalibus admiserit simultaneum naturalem illum vocatum concursum, & pro supernaturalibus actionibus, tùm difficilioribus tum altioris ordinis adjutorium simultaneum gratiæ non constituerit. Legatur deinde S. Hieronymus lib. 1. contra Pelagi cap. 1. in quo diligenter Pelagium examinat de adjutorio, quod ille admiserit, & apparebit, quòd gratiam creationis & conservationis tantùm admittebat, necessariam ad ad operandum. Qui autem argumentis oppressus, tam accuratè distinguit concursum, seu adjutorium creationis, & conservationis tantùm, nec aliud pro communibus operationibus admisit, planè omnem alium actualem Dei influxum, sive prævium, sive simultaneum negavit.

Nec obstat, quòd ibi S. Hieronymus refert, Pelagium ita dicentem: *Quid quid in me boni habeo, illo suggerente, & adjuvante completur.* Vbi concursum illum saltem simultaneum adjuvantem, & complentem actionem ipsam, statuere videtur, & clariùs interrogante S. Hieronymo, *quod agis bonum, tuum est an Dei?* Pelagius respondisse refertur, *Meum est & Dei, ut ego operer, & ille adjuvet;* Quibus verbis simultaneum illum nuncupatum concursum astruere videtur.

His aliqui moti videntur, ad asserendum, illum simultaneum concursum admisisse Pelagium, sed sine stabili fundamento; etenim ipse Pelagius ibi relatus statim se explicavit, quid intelligeret per illud adjutorium, quo dicebat Deum operantem adjuvare, asserens id dixisse propter beneficium creationis, quo à Deo libertatem accepimus, & hoc modo contendebat quod semper nos Deus per singula opera adjuvet, quia nempe ad singulas actiones liberam dedit facultatem, quam, & semper conservabat, ut ibi ex S. Hieronymo constat, eò vel maximè: quia cum S. Hieronymus instaret, ut ista verba fateretur: *Non sic donata est liberi arbitrij gratia, ut Dei per singula tollatur adminiculum.* Pelagius respondit: *Non tollitur Dei adjutorium cum creaturæ ex semel data liberi arbitrij gratia conserventur.* Constat ergo ex his verbis clarè, Pelagium solum adjutorium creationis, & conservationis concessisse, & omnem alium Dei influxum actualem, sive prævium, sive simultaneum negasse: Quod iterum patet ex eodem S. Hieronymo Epistola ad Ctesiphontem ita contra Pelagium dicente: *Fraudulenter prætendis, ut Dei gratiam ad conditionem hominis referas, & non in singulis operibus auxilium Dei requiras.* Igitur auxilium Dei pro communibus operationibus, non aliud admittebat Pelagius, nisi illud quod ad conditionem hominis referebat. Idem constat ex S. P. Augusl. lib. de gratia Christi cap. 6. ubi sic habet, *Neque Pelagius hinc incautos fallat & simplices, vel etiam se ipsum, quoniam cum dixisset: ergo in voluntate, & opere bono laus hominis est, velut correxit, atque addidit: imo, & hominis, & Dei, non enim hoc propterea dixit, quia secundùm sanam Doctrinam intelligi voluit, quòd & velle & operari Deus operetur in nobis; sed cur hoc dixerit satis evidenter ostendit, continuò subjungendo, qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit, hanc autem possibilitatem in natura eum ponere ex verbis ejus superioribus clarum est* Hæc S. P. Augusl. Pro operibus ergo merè naturalibus, & non pertinentibus ad salutem dicebat Deum adjuvare, quia naturalem possibilitatem dedit, ipsamque conservat, pro actionibus verò pertinentibus ad salutem dicebat, in bono opere laus hominis & Dei est, quia illam possibilitatem adjuvabat auxilio legis, vel doctrinæ, vel revelatione de quibus infra, nullum demum concursum in eadem operatione subsequenter admittebat vocatum ab aliis simultaneum, cum ille manifestè subsequens sit priorem homines voluntatem, & determinationem ut diximus.

Sed opponunt contrarium sensum tenentes illam videri expressam S. Hieronymi mentem in Epistola ad Ctesiphontem sub illis verbis. *Quod autem sursum deorsumque jactitant liberum à nobis destrui arbitrium; audiant econtrario eos arbitrij destruere libertatem, qui eo malè abutuntur adversùs beneficium largitoris. Quis destruit arbitrium, ille qui semper Deo agit gratias, & quodcunque in suo rivulo fluit ad fontem refert? An qui dicit, recede à me quia mundus sum, non habeo te necessarium? Dedisti enim mihi semel arbitrij libertatem ut faciam quod voluero, quid rursum te ingeris, ut nihil possim facere nisi tu in me tua dona compleveris?* Ex his verbis, atque ex eo quòd S. Hieronymus dicit, Pelagium illud Dei auxilium negasse quo prætendebat arbitrii tolli libertatem, & quo virtus ad operandum completur, inferunt ipsum solum Dei auxilium negasse prævium, non simultaneum, cum non potuerit, inquiunt, in mentem ejus venire, quòd per concursum vocatum simultaneum,

Digitized by Google

neum (qui ponitur ab hominis voluntate dependere) libertas tolleretur arbitrii, quod & confirmant: quia à S. Patribus qui Pelagium impugnarunt non invenitur ſimultaneus impugnatus, quem utique ſi ille negaſſet, & ipſi darnarent.

His tamen non obſtantibus perſiſtendum eſt in jam ſupra probata ſententia, quòd nimirum Pelagius etiam ſimultaneum concurſum negavit; licet enim præcipuè & principalius magis negaverit prævium, quaſi libertatem auferentem, ex conſequenti etiam ſimultaneum negavit quaſi minùs neceſſarium, ut dictum eſt ſupra. Diſtinguendum eſt enim de præcipuo & principali ejus dogmate, & de adæquato ſive totali: principale fuit omnem prævium, ſive pro naturalibus actionibus, ſive pro ſupernaturalibus negare, quaſi libertatis deſtructivum: Adæquatum verò ſeu totale fuit omnem Dei concurſum negare, etiam ſimultaneum, tam pro ſupernaturalibus actionibus quàm pro naturalibus, utrumque enim concurſum & prævium, & ſimultaneum, tam in ordine gratiæ quàm in ordine naturæ ipſe negavit, ſed fundamento rationeque diverſis; prævium quidem quia per illum libertatem aufferri contendebat, ſimultaneum verò, quia illum minùs neceſſarium ad operationem putabat, ſed ſine illio ſufficere vires arbitrii dicebat. Hoc enim ex aliis verbis poſt ſupra inducta S. Hieronymus videtur aſſerere, cum de Pelagio hæc refert: *Numquid ſi voluero curvare digitum, movere manum, ambulare, eſt ſemper mihi auxilium Dei neceſſarium?* Quæ verba magis de ſimultaneo quàm de prævio videntur procedere, non enim dixit illum libertatem auferre, ſed dixit non eſſe neceſſarium, quia nimirum putabat ſufficere liberi arbitrij vires, quod conſtat apertiùs ex aliis ſupra adductis verbis S. Hieronymi, quibus refert Pelagium ſolùm poſuiſſe, Deum adjuvare hominem ad operandum, quia poſſibilitatem quam homini dedit ad operandum ipſe conſervabat; conſtat ergo nullum concurſum admiſiſſe Pelagium ſive prævium, ſive ſimultaneum, præter ſolum beneficium creationis, & conſervationis. Quod etiam in verbis quæ opponuntur ſatis inſinuat, dum dicit Pelagium Dei gratiam ad conditionem hominis referre: quæ immediatè poſt adducta verba proponit, id eſt ad hominem conditum ſeu creatum, & inde conſervatum. Parique ratione, ut manet oſtenſum, docuit S. P. Auguſt. verbis ſupra relatis, totum dogma Pelagij fuiſſe quod poſſe, id eſt poſſibilitas ad operandum ex Deo eſt, non ex nobis, velle autem & operari ex nobis, non ex Deo aliquo modo ad id concurrente, ſive prævie ſive ſimultanee: ſi enim ſimultaneum admiſiſſet, dixiſſet utique velle & operari noſtrum, ex Deo eſſe, & non ſolùm ex nobis.

Tandem cum idem S. P. Auguſtinus ſupra relatus dicat, poſuiſſe Julianum, in bono opere jam ab hominem incepto Deum adjuvare, & in hoc ſua libertate ab ipſo etiam Pelagio liberum fuiſſe, (quibus verbis ſimultaneum concurſum ſupernaturalem non in ordine gratiæ conſtituit, ut infra clariùs oſtendemus) conſtat manifeſtè illum in ordine gratiæ Pelagium non admiſiſſe. Quis autem dicat, quòd illum negando pro operibus ſupernaturalibus & deficilioribus illum pro facilioribus operibus naturalibus admiſerit.

Ad argumentum ergo dicendum, quod ſi in illis verbis prævium concurſum tantùm in ordine gratiæ negavit (de hoc enim expreſsè illa verba procedunt) ſimul & in ordine naturæ re ipſa Pelagius negavit: quia nempe tolli arbitrij libertatem per illum dicebat; & tamen in aliis verbis modò relatis conſtat ipſum etiam ſimultaneum negaſſe, fundamento tamen & ratione diverſa, (ut dictum eſt) ſimiliter ad confirmationem dicendum, quòd licet quæſtio principalis cum Pelagio apud ſanctos Patres fuerit de prævio concurſu, quem ille principaliter negabat, ut libertatis deſtructivum; in aliis tamen locis Sancti Patres tradunt Pelagium etiam ſimultaneum negaſſe, ut manet oſtenſum, non enim in hac materia ad unum tantùm teſtimonium ſanctorum PP. attendendum eſt, ſed ad omnia ſimul; nam quod in uno uel altero non apponitur, in aliis non obſcurè ſatis exprimitur.

Hoc autem minùs putant authores, cum quibus diſputamus, ſe à Pelagio longiùs ire admittendo vocatum concurſum ſimultaneum, quem ille negavit. Tum quia licet Pelagius illum admiſiſſet, à ſuo principali dogmate non recederet: tum etiam quia cum eo conveniunt in negando prævio ſicut libertatis deſtructivo, de quo ille principaliter damnatus eſt: Ac tandem quia licet in hoc minimo à Pelagio differant; in eo tamen cum Juliano primo hujus vocati concurſus inventore, manifeſtè conveniunt prout infra clariùs oſtendemus.

Quod autem aſſeritur errorem Pelagianorum fuiſſe, quia nos volumus, Deus operatur, non dubium quin Pelagianorum error iſte ſit, ſed in duplici ſenſu & utroque damnato, ab illis admittebatur. Julianus enim & ipſum ſequentes qui plures fuere dicebant ut viſum eſt, quòd in eodem opere à nobis incepto Deus operatur, quia nempe nos incepimus, & iſti illum ſimultaneum, ſeu potiùs ſubſequentem concurſum admittebant, de quibus verificatur quod priorem dicerent hominis voluntatem, poſteriorem Dei, & quòd aſſererent, quia nos volumus Deus operatur. At Pelagius etiam admiſit, quia nos volumus Deus operatur, ſed in diverſis actibus, ita quod bene utenti libertate conceſſa, Deus ex merito dabat fidei prædicationem vel majorem doctrinam ſeu revelationem, ut dictum eſt; ſimiliter ex ſe dolentibus de peccato, Deus peccata remittebat ex priori illo merito. Secundùm quòd optimè etiam verificabatur, quòd priorem noſtram voluntatem conſtitueret, poſteriorem Deum, & quòd quia nos volumus Deus operatur. Advertendum tamen, non minorem eſſe Pelagianorum errorem, unum quàm alterùm: quomodolibet enim ſive in uno eodemque actu, ſive in diverſis prior ſit voluntas hominis, poſterior Dei, itaut Deus operetur, quia nos volumus, eadem omnino injuria divinæ motioni fit cum ſive uno, ſive alio modo debita, merito priori reddatur, & iſta ſufficiant circa generalem Dei concurſum, quem in hominibus negavit Pelagius.

CAPUT VI.

De variis ſtatibus Pelagianæ hæreſis circa divinæ gratiæ adjutorium.

QUAMVIS ſupra cap. 3. relati ſint errores, quos Pelagius contra divinæ gratiæ adjutorium evomuit, relati tamen quaſi in genere ſunt, ad oſtendendum qualiter ex ipſis ipſe aſcenderit ad malè de divina prædeſtinatione ſentiendum; nunc autem, quia non ita apertè illius errores comprehenduntur ob ſupremam hominis aſtutiam & calliditatem, eos apertiùs curabimus denudare.

Ut autem clariùs procedamus, prænotare oportet, tres quaſi diverſos ſtatus habuiſſe Pelagium in ſua hæreſi defendenda & publicanda, & tria quaſi diverſa paulatim ſucceſſu tempotis de adjutorio divinæ gratiæ dixiſſe, & in poſterioribus quaſi rigorem ſuæ hæreſis voce ſaltem temperaſſe. (Quaſi diverſa, dixerim) quia re ipſa ſemper in illa hæreſi quam à principio protulerat perſeveravit, ut ex dicendis conſtabit:

Digitized by Google

constabit. Neque hos quasi status hæresis Pelagij ex nobis sed ex apertis S. Augustini testimoniis, & dictis Conciliorum deducemus. Nec etiam quartum multiplicamus, quia nec ab his doctoribus, qui illum addunt sub Pelagij persona superadditur, sed sub persona aliorum Pelagianorum, ad quos si hæresim extendamus plura alia essent multiplicanda, quæ illi dixerunt, ut infra patebit, cum deventum fuerit ad explanandum quæ Julianus & alij protulerunt. Nunc ergo solum ad Pelagium sermonem restringendo, de quo tantum agimus, tres asserimus habuisse quasi status suæ hæresis.

Cum autem de Pelagio loquimur in hac parte, etiam Celestium intendimus comprehendere, nam iste ita in omnibus secutus fuit Pelagium, ut hæresis hęc Pelagiana, Celestina vocaretur nec Celestius hæresim Pelagij temperavit, imò liberiùs defendit, ut ex S. August. dicemus, sed Julianus id præstitit.

Omnium primò universaliter affirmavit Pelagius (idemque Celestius asseruit) nullum adjutorium interioris gratiæ esse necessarium, non solùm ad bene incipiendum, sed etiam ad piè sanctèque vivendum imò ad peccata vitanda, ad servanda omnia mandata, perficiendamque justitiam, quia contendebat sufficere liberum hominis arbitrium, præsupposita præceptorum cognitione & propositione; sive ista propositio & intimatio præceptorum per naturalem rationem fieret, sive per positivam aliam exteriorem legem atquem doctrinam. Cum enim ipse in omnibus *in universum hominibus* firmum, & forte constituisset arbitrium, ut dictum est, & ex alia parte in *hoc esset fundamento*, quòd salus deberet esse posita *in manu arbitrij nostri*, omnes in universum homines dicebat posse sua naturali facultate omnia servare divina præcepta, dummodò sibi proponerentur: Et quia videbat quòd infideles & Barbari, nec omnia præcepta divina cognoscebant, cum plurimi illorum aliqua ignorent, ut patet de illis (qui & plurimi sunt) qui putant fornicationem simplicem non esse peccatum, & alia similia ignorant divina mandata, asserebat, quòd si ipsi bene uterentur libertate concessa circa illa quæ per naturalem rationem sibi proponebantur, merebantur ut Deus daret illis legem atque doctrinam circa omnia alia divina mandata, quæ sic cognita poterant sua naturali facultate adimplere.

Hęc fuit hæresis ipsius Pelagij à principio publicata, in qua simul cum arbitrio potente servare omnia mandata ipse ponebat id quod necessarium erat, nempe omnium divinorum præceptorum cognitionem & propositionem, sivè per naturalem rationem id fieret, sive per legem & doctrinam superadditam, unde conjungebat sine dubio in hoc primo statu cum libero arbitrio, legem seu doctrinam proponentem, & tam liberum arbitrium quàm legem atque doctrinam nominabat, quęcumque esset illa lex atque doctrina, exterior scilicet vel interior naturaliter in corde scripta. Quia verò aliqui DD. fatentur posuisse Pelagium in primo statu, posse homines omnia divina mandata servare, & liberum tale arbitrium gratiam nominasse, non autem tunc admisisse, ut necessariā legem aliquam atque doctrinam, sed hanc admisisse in secundo statu, non tam illud primum quod concedunt, quàm secundum quod negant, venit comprobandum. Primo Pelagius hoc habuit pro fundamento, ad tenendum posse hominem servare omnia mandata, quòd Deus non præcipiat impossibilia, sed possibilia: ergo supponebat legem *jubentem* & præcipientem divina mandata, quando à *principio* dixit posse hominem illa omnia servare, nec apparet quomodò potuerit tunc legem præcipientem excludere. Vnde S. August. lib. de prædest. sanct. cap. 19. referens hęresim Pelagianam asserit illos posuisse: *Acceptis præceptis nos per nos ipsos libere voluntatis arbitrio fieri sanctos, & immaculatos.* Acceptis, inquam, præceptis quæ sine dubio per legem atque doctrinam præcipiuntur.

Secundo SS. PP. qui primitùs hęresim Pelagij impugnarunt, ejus hæresim referentes hæc, duo simul conjungunt: dixisse scilicet illum, liberum arbitrium, & legem sive doctrinam sufficere ad divina mandata servanda. Nec potest dici quòd solùm secundum statum illius hęresis referant nulla mentione facta de primo. Quis enim dicat, vel quis affirmet, sic illos diminutè, & retulisse & refutasse illius hęresiarchę perfidiam? Ergo in primo statu legem & doctrinā conjungit cum libero arbitrio ad omnia divina præcepta servanda. Major ex qua tota ratio dependet cōstat ex S. Hieron. epist. ad Ctesiphontem, qui primus Pelagiū impugnavit, sic enim habet. *Ita enim Dei gratiam ponunt, ut non per singula opera ejus nitamur & regamur auxilio, sed ad liberum arbitrium referunt & ad præcepta legis, ponentes illud Isaiæ: legem enim Deus in adjutorium posuit.* Quod si quis dicat præmisisse S. Hieronymū: *Illud verò quod ad decipiendos homines postea huic sententiæ coaptarunt (non absque gratia Dei)* quod aliquos movit, ut sic sentirent; quia si postea hoc coaptarunt: ergo à principio id non dixerunt. Respondetur quod postea hęc verba coaptarunt (*non sine gratia Dei*) ad decipiendum, quæ verba à principio non posuerunt, sed tantùm posuerunt à principio necessariam legem atque doctrinam cum libero arbitrio. Vnde illa verba (*non sine gratia Dei*) quæ postea coaptarunt referebant ad liberum arbitrium, & legem atque doctrinam, referebant inquam illa verba ad id quod à principio dixerant, & hoc docet ibi S. Hieronymus.

Ampliùs, Concilium Cartaginense Epist. ad Innocent. 1. ita de Pelagio & Celestio refert: *Isti autem asserunt, (sicut à fratribus qui eorum libros legerunt, cognovimus) in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis instituit creavitque naturam, qua per propriam voluntatem legem Dei possit implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive literis datam:* Manifestum est ergo admisisse in primo initio hæresis suę Pelagium necessariam legem; imò in hoc ejus error consistebat quòd viribus suis posset arbitrium servare legem, sive literis datā, sive naturaliter in corde scriptā.

Præterea certum est, primam hęresim Pelagij fuisse in Concilio Palęstino damnatam, quod primū contra ipsum celebratū est. Sed in illo Concilio ut constat ex actis ipsius supra relatis cap. 2. hęc ejus assertio damnatur: *gratiam Dei, atque ejus adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, & in lege atque doctrina;* vbi illa copulativa (*in libero arbitrio & in lege, atque doctrina*) valde notanda est, quia à principio utrumque copulativè ille gratiam dixit. Sed etsi disjunctivè legatur, ut aliquando legit S. August. nihil retulerit, quia sonat, quòd per opera liberi arbitrij ex superaddita positivā lege atque doctrina poterat homo omnia divina mandata cognita facere, sine alio adjutorio gratię; imò ut constat ex libro citato de gestis Pelagij cap. 1. prima omnium objectio Pelagio opposita hæc fuit: *Nullus potest esse sine peccato nisi qui scientiam legis habuerit.* Cum autem illa omnium prima contra ipsum fuerit opposita, non dubium quòd prima ejus hæresis fuerit, in qua intantùm conjungit necessitatem legis, atque doctrinę, ut dicat quòd solus ille potest carere peccato, qui scientiam legis habuerit. Ille autem est sine peccato, qui divina servat mandata: ergo cum Pelagius dixit, posse hominem servare omnia mandata, intantùm ponebat legem & scientiam, ut sine ipsa diceret non posse hominem illa servare, vel non posse esse sine peccato. Vnde S. P. August. in principio libri de gratia Christi cap. 2. & 3. satis clarè exordium primum hujus hęresis narrans, hanc fuisse à principio damnatam illius sententiam docet: *Gratiam Dei non ad singulos*

Digitized by Google

gulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege, atque doctrina.

Idem etiam conſtat ex Epiſtola Pelagij ad Demetriadem falſiſſimè S. Auguſtino tributa, in qua nihil aliud intendit, niſi poſſe hominem per ſolam legem, & doctrinam inſtructum habere bonos mores, ſervare omnia divina mandata. Tandem certum eſt Pelagium à principio hæreſis ſuæ poſuiſſe gratiam ex merito naturæ dari, quod nullus poteſt negare. Certum eſt etiam, ideo id poſuiſſe, quia dicebat, quòd ſi quis bene utatur libertate conceſſa merebatur Domini gratiam, ut perveniat ad finem, ut expreſsè docet S. P. Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 31. ergo certum eſſe bebet eum admiſiſſe in illo primo ſtatu neceſſariam eſſe præter liberum arbitrium aliam gratiam ad perveniendum in finem, ideſt, ad perficiendam juſtitiam, quam ex merito dari dicebat illis initiis naturæ; ſed nullam tunc aliam gratiam potuit intelligere, niſi legem atque doctrinam: ergo illam tunc neceſſariam dixit ad perficiendum. Minor nota eſt, & ab omnibus debet concedi, quia in primo ſtatu, ſi convincatur illum poſuiſſe præter liberum arbitrium aliam gratiam, non poteſt alia admitti, niſi lex, & doctrina. An verò primum concludatur rationes factæ oſtendunt.

Sed opponi contra hoc poteſt S. Auguſt. lib. de Hæreſib. ad Quodvultd. hæreſi 88. ubi duos manifeſtè tradens hujus hæreſis quaſi ſtatus, in primo ponit hæc verba; *Hi* (ſcilicet Pelagiani) *Dei gratia, qua prædeſtinati ſumus in tantùm inimici ſunt, ut ſine hac poſſe hominem credant facere omnia divina mandata, cum ſi hoc verum eſſet, fruſtra Dominus dixiſſe videretur, ſine me nihil poteſtis facere.* Quibus id quod à principio Pelagius protulerat, concludens protinùs dixit: *Denique Pelagius à fratribus increpatus quòd nihil tribueret adjutorio gratiæ ad ejus mandata facienda, correctioni eorum tatenus ceſſit, ut non eam libero arbitrio præponeret, ſed infideli calliditate ſupponeret, dicens ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, facilius poſſint implere per gratiam: dicendo utique, ut facilius poſſint, voluit credi etiam ſi difficilius, tamen poſſe hominem ſine gratia divina facere juſſa divina. Illam verò gratiam Dei, ſine qua nihil boni poſſumus facere, non eſſe dicunt niſi in libero arbitrio, quod nullis ſuis præcedentibus meritis ab illo accepit noſtra natura, ad hoc tantùm exiſtimantes ipſum adjuvantem per ſuam legem atque doctrinam.* En quomodo S. Auguſtinus aſſerit in ſecundo ſtatu Pelagium poſtquàm fuit correctus à fratribus poſuiſſe gratiam ad facilius, & neceſſitatem legis, atque doctrinæ. Igitur hoc non ad id quod à principio dixit Pelagius pertinere dicendum eſt.

Ad hoc dicendum S. Auguſtinum in illis prioribus verbis; quibus id quod primò S. Pelagius dixerat refert, implicitè docuiſſe id quod neceſſariò ibi continebatur, nimirum divina mandata propoſita & juſſa eſſe debere per legem, ſeu per doctrinam aliquam. Unde poſtea in ſequentibus verbis docet, poſt correctionem addidiſſe Pelagium gratiam ad facilius. Quod autem inſuper addidit illam gratiam, ſine qua nihil boni facere poſſumus, Pelagium dixiſſe eſſe illam, qua Deus adjuvat ut ſciamus quid faciendum ſit, in hoc S. Auguſtinus exponit, Pelagium admiſiſſe in tertio ſtatu neceſſariam divinam internam revelationem, quam tamen non recedere à lege atque doctrina docet Auguſtinus. Quapropter illam nominat legem atque doctrinam, & hanc eſſe mentem S. P. Auguſtini in fine hujus capitis oſtendemus. Unde ibi tertium, non ſecundum ſtatum hæreſis Pelagij refert, vel in illis ultimis verbis explicat id quod in primo & ſecundo ſtatu ſemper dicebat Pelagius gratiam, quæ non ſolum ad facilius ſed omnino neceſſaria erat, eſſe liberum arbitrium, atque legem & doctrinam; quæ etiam ſecundâ explicatio de mente eſt S. Auguſtini.

Non eſt igitur propter hunc ſolum locum, qui tam facilem habet explicationem, contra tot allata dicendum, à principio non poſuiſſe Pelagium neceſſariam legem ſeu doctrinam aliquam ad omnia mandata ſervanda, quia revera utrumque ad id à principio dixit eſſe neceſſarium.

Imò addendum, quòd dato Pelagius à principio non expreſſerit legem atque doctrinam, re ipſa tamen illam tunc neceſſariam eſſe intellexit: Tum primò, quia aliud noverat inopinabile, ut ſupradicta oſtendunt, tum etiam quia S. P. Auguſtinus in præfato libro de geſtis Pelagij cap. 23. dicit, quòd poſt abjurationem Pelagij in Synodo Palæſtina liber ipſius ei datus eſt in quo gratiam dicebat liberum arbitrium, & addit hæc verba: *Non apertè ei conjungens, vel legis adiutorium.* Quaſi dicat, quòd implicitè ſemper id intelligebat, etſi aliquando minùs expreſſiſſet.

Et iſta fuit prima fraus Pelagij admittere quidem voce gratiam eſſe neceſſariam, quia videbat eam multipliciter in ſcriptura commendari; ſed ſubdolè arbitrium & doctrinam atque legem gratiã intelligebat.

Poteſt ſecuudo opponi, quòd S. P. Auguſt. explicans primum ſtatum hereſis Pelagij aliquando ſub disjunctione dicit ipſum poſuiſſe gratiam (quam neceſſariam ad ſalutem admittebat) in libero hominis arbitrio, ſive in lege atque doctrina, ut patet ex libro de gratia Chriſti cap. 2. jam ſupra citato, & idem dicit ſupra inductum Concilium, quod primam hæreſim Pelagij damnavit; hoc etiam tradit ſacrum Tridentinum Concilium ſeſſ. 6. de juſtificatione Canone 1. in quo primum errorem Pelagij condemnans, illum ſub his verbis disjunctivè refert: *Si quis dixerit hominem ſolis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires vel per legis doctrinam facit, abſque divina per Jeſum Chriſtum gratia poſſe juſtificari &c.* Quibus verbis ſub disjũctione propoſitis duplex ſtatus prioris hereſis Pelagij videtur denotari, alter, quòd homines per naturæ vires ſuppoſita lege tantùm naturali ſalvari poſſunt alter verò quòd poſſunt ſalvari per eademnaturę opera, ſuperaddita inſuper exteriori alia lege atque doctrina.

Ad hoc dicendum, quòd tam S. P. Auguſt. quàm priora Concilia, quæ primam hæreſim Pelagij damnarunt, aliquando primam illius hæreſim copulativè referunt, dicendo poſuiſſe Pelagium gratiam in libero arbitrio, & in lege atque doctrina, ut conſtat ex teſtimoniis ſuperiùs inductis; aliquando verò eandem primam hereſim ſub disjunctione referunt, ut patet exmodò dictis, ſed utrobique non duos ſed unum tantùm primum ſtatum hereſis illius tradunt, quo ipſe gratiam in libero arbitrio, & in lege atque doctrina ponebat. Ideo autem illum aliquando copulativè aliquando disjunctivè exponunt, ut oſtendant, quòd Pelagius in illo primo ſtatu hæreſis ſuæ de omni homine loquebatur, ſive in lege ſoliùs naturæ conſtituto, ſive in lege ſuperaddita, ſive tandem in lege Evangelica, de omni enim tali homine dicebat, poſſe juſtificari per opera naturæ viribus facta, ſuppoſita tamen vel ſola lege naturæ, in illis nempe qui tantùm ſub illa erant, vel inſuper ſuperaddita lege atque doctrina exteriori Judęis in lege ſcripta tradita, vel Chriſtianis in lege & doctrina Evãgelica promulgata, qua ratione illam primam hereſim ſub diſjunctiõe referunt, ſingula ſingulis coaptando. Certum eſt enim quod de exiſtentibus ſub ſola lege naturæ ſolùm dixit Pelagius, quòd ſalvari poterant per opera ſolius naturæ viribus facta cum ſola naturali lege, nec pro eis admiſit exteriorem aliam legem atque doctrinam; de aliis autem conſtitutis vel ſub lege ſcripta vel ſub lege Evangelica dicebat, poſſe ſalvari per ſolius

naturæ

Digitized by Google

naturæ viribus opera facta, superadditâ insuper, sive scriptâ lege, sive Evangelicâ: hac ratione aliquando illa illius prima hæresis sub disjunctione proponitur.

Secundus quasi status hæresis hujus in suis erroribus seminandis, ille est, qui modo ex S. P. August. relatus est ex citato loco ad Quodvultd., quòd videlicet admiserit correctus jam à fratribus Pelagius, gratiam dari ad faciliùs & ex superabundanti, ita ut quod homines facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam, quàmvis ea implere sine gratia possint, sed difficiliùs.

Eundem secundum hæresis vomitum sæpè S. August. refert Epist. 106. de gratia Christi cap. 7. 27. 28. 29. & 40. in quo (sicut & in citato loco ad Quodvult) S. Augustnus docet Pelagium gratiam libero arbitrio non prætulisse, sed infideli calliditate supposuisse nec à priori suo errore, quo tantùm dixerat necessarium ad salutem liberum arbitrum, ac legem atque doctrinam, ullatenus recessisse: bene enim utrumque cohæret, & quòd solum arbitrium dixerit necessarium ad vitam, cum lege atque doctrina, & quòd liberum arbitrium id quod sine gratia facere potest, faciliùs implere possit per illam.

Hunc suum errorem novo hoc colore palliatum S. Augustinus & Hieronymus impugnant semper S. quidem Augustinus citatis locis S. verò Hieronymus in tribus *libris contra Pelagianos.*

Damnatur etiam expresè in Concilio Milevitano *Canone 5. & in Tridentino* Canone 2. in sess. 6. de *justificatione. Ubi* & illud videtur considerandum, *prædictum Concilium* Milevitanum, quod contra *Pelagium* atque Celestium celebratum fuit, non damnare illum priorem ejus errorem, quod gratia sit in libero arbitrio & lege atque doctrina, quia ista ejus prima sententia damnata præsupponebatur in Synodo Palæstina. Unde damnat id quod post a Pelagius protulerat, quòd videlicet gratia sit tantùm requisita ad faciliùs, in quo etiam hoc damnatur Canone 3. *Nimirum gratiam esse recordationem remissionis peccatorum, non autem adjutorium ut non peccemus*, quod etiam Pelagius post primum errorem asseruit. Damnatur id etiam in Canone 5. *Nempe gratiam esse solùm revelantem, & ostendentem quid facere debeamus, non autem præstare, ut quod noverimus, etiam faciamus*, quod ut statim dicturi sumus, & copiosè probaturi, fuit id quod ultimò quasi in suo tertio statu Pelagius asseruit. Et ista fuit secunda fraus Pelagij admittere velut necessariam legem scriptam sub nomine gratiæ, & gratiam ex parte voluntatis ad faciliùs.

Quid autem intelligeret per gratiam, quam ad faciliùs admittebat, nec est difficile cognoscere, illam enim efficacem, quæ facit verè & propriè nos facere, evidentissimum est numquam admisisse, quia per eam tolli arbitrij libertatem, quam ipse defendere instituerat, & cujus ocasione in istam hæresim inciderat, semper publicabat. Similiter per gratiam hanc à se ad faciliùs admissam, non intelligebat puram exteriorem legem atque doctrinam, quia hanc in omnium sententia saltem in secundo statu, simpliciter necessariam astruebat (dico in omnium sententia, præter paucos quosdam modernos qui ut dicemus inferiùs, oppositum sine fundamento opinantur) restat ergo ut per gratiam tunc intellexerit interiorem revelationem ostendentē tantùm ex parte intellectus, & objectivè stupentem voluntatem suscitantem, quam tandem in tertio statu posuit necessariam, ut erit aperiendum. Itaque illam, quam in tertio statu dixerat necessariam revelationem, in secundo admisit ad faciliùs, & quia erat aliquid interiùs immissum, illam ipse gratiam nominabat.

Similiter quia (ut dicemus) justificationis gratiam admisit necessariam ad solam peccatorum remissionem, ut constat ex Concilio Milevitano Canone 3. hanc asseruit non esse necessariam ab bene posteà operandum, & ad adimplendum mandata: sed ad id dari tantum ad faciliùs, ut patet ex prædicto Concilio Canone 5. & de hac potissime loquebatur, cum gratiam ad faciliùs admittebat. Itaque, ut uno verbo dicam, gratia quam ad faciliùs Pelagiùs jam correctus admisit, erat gratia ex parte intellectus, & ex parte voluntatis, quæ tantùm ei daret posse faciliùs operari. Unde fallitur Becanus, qui in prima parte Theologiæ Scholasticæ cap. 16. quæst. 5. *Hoc etiam addebat*, (ait) *quod per gratiam, quam ad faciliùs admittebat, putabant Catholici illum intelligere internam gratiam: At ille loquebatur de externa, quæ in lege atque doctrina consistit. Dicebat enim* (inquit) *Pelagius, hominem per liberum arbitrium & naturalem cognitionem boni atque mali posse bene vivere seclusa lege scripta & ab alio tradita, tametsi fateretur legem scriptam & doctrinam ab alio traditam multùm prodesse ad bene vivendum.*

Cæterùm hoc verum esse posset, si fiat sermo de primo illius statu, non de secundo, ut probatum est. In quo est manifestum, ut patet ex dictis, ipsum præter legem atque doctrinam exteriorem, quam dicebat necessariam simpliciter, admisisse aliam gratiam ad faciliùs tantùm. Unde quia hic author hos status non distinguit, in confuso procedit, & malè asserit, per gratiam quam ad faciliùs admittebat Pelagius, intellexisse solam exteriorem legem atque doctrinam. Becanum sequitur author operis de gratia tripartiti, sub nomine Francisci Suarij excussi anno 1619. (de quo infra) pag. enim 246. asserit, gratiam quam ad faciliùs admittebat Pelagius esse legem atque doctrinam, quod, (ut alia plura omittam) est expresè contra verba S. P. Augustini ad Quodvultd. ab authore illius libri inducta. Etenim Augustinus ibi apertis verbis dicit: *Illam verò gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non dicunt esse nisi in libero arbitrio quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura ad hoc tantùm existimantes ipsum adjuvantem per suam legem atque doctrinam.* Ubi totum hoc, ait, ut necessarium posuisse Pelagium Quomodo ergo dicitur quòd legem & doctrinam solùm posuerit Pelagius ad faciliùs? Sed quod magis est, quomodo tribuitur in præfato libro Francisco Suarez, quod Pelagius posuerit legem atque doctrinam tantùm ad faciliùs, cum ipsemet in libro suorum opusculorum (ut infra cap. 9. dabimus manifestum ex apertis ipsius verbis) clariùs teneat, admisisse Pelagium ut necessarias internas divinas revelationes? An forte ille liber Suario attributus, cum excussus fuerit post ejus mortem illius non est sed alterius, qui illum Suario tribuit? Quod plurimi Theologi non sine magno fundamento sentiunt, quia stylus ab eo, qui Suario est familiaris, est valde diversus. Insi per. author illius operis primo tomo cap. 7. prologomeno 6. apponit quædam verba, quæ ipse fatetur Suarij non esse. Unde ergo constare poterit, alia similiter esse illius cui opus tribuitur, & non alterius? Imò author illius libri, quisquis ille sit, fatetur, posuisse Pelagium necessariam divinam revelationem, in pag. 255. vers. *Quod ut intelligatur*, num. 16. Unde sibi videtur esse contrarius, sed in illo loco sermonem facere S. P. Augustinum de interiore revelatione, quæ quia non recedit à lege atque doctrina, legem & doctrinam nominavit, ut dictum est supra.

Digitized by Google

Ad istum primum Pelagij statum in sua hæresi defendenda reduci debet alia fraus ipsius, qua dicebat necessariam esse gratiam: sed hanc esse illam, qua Christus nobis proponitur ut exemplum imitandum. Hoc autem ideo admittebat, quia urgebant contra ipsum Catholici, Apostolum commendare velut necessariam gratiam, quæ datur per Christum non autem legem scriptam, aut doctrinam, quæ per Moysem data est. Unde compulsus fuit, admittere gratiam per Christum: sed subdolè, non enim concedebat internam gratiam per Christum datam (de qua loquitur Apostolus) sed externam, quæ consistit in exemplo Christi. Tertiò & ultimò magis correctus & convictus Pelagius apertissimis scripturæ testimoniis, quæ internam gratiam simpliciter ad salutem, atque ad omnia servanda mandata testantur esse necessariam, admisit ad id necessarias internas quasdam supernaturales revelationes, ostendentes tantùm ex parte intellectus, & objectivè suscitantes voluntatem, per quas sciremus quid agendum sit. Parique ratione admisit sicut simpliciter necessariam justificationis gratiam ad remissionem peccatorum, ut diximus, licet eam ex priori labore & merito hominis ex solis naturæ viribus contriti dari dicebat, ut patet ex S. P. Augustino Epistola 106. At gratiam internam in voluntate seu libero arbitrio receptam, quæ ipsum adjuvaret, eique vires tribueret ad opera pietatis exercenda numquam admisit ut simpliciter necessariam, sed tantùm ad faciliùs: semper in dogmte suo illo principali perseverans, quo firmum, & forte liberum arbitrium posuerat ad quodcumque bonum opus faciendum, supposita illius cognitione, seu revelatione illa divina, & hoc fuit ultimum cavillosissimi hominis dictum. In quo quasi addens ad id, quod dixerat gratiam requiri ad faciliùs; cum in secundo statu gratiam internam, sive ex parte intellectus, sive ex prrte voluntatis tantùm poneret ad faciliùs, in tertio statu magis se declarans distinxit de interiori gratia: & illam, quæ ponitur in voluntate vires tribuens, dixit ut antea, solùm esse requisitam ad faciliùs: Illam verò, quæ se tenet ex parte intellectus revelans atque ostendens, asseruit esse simpliciter necessariam ad omnia servanda mandata, & justitiam perficiendam, quæ fuit ultima fraus Pelagij.

Quod autem iste fuerit hujus hæresiarchæ tertius & quasi ultimus status hæresis suæ, infra, quia de hoc aliqui dubitant, ut speramus, dabimus satis notum. Damnatur hoc ultimum dictum Pelagij à S. August. ferè per totum librum de gratia Christi, ut probabimus infra. Damnatur, & à Concilio Milevitano Canone 4. cujus verba infra referenda sunt. Imò hos tres status hæresis Pelagij Concil. Trident. omnia antiqua Concilia recapitulans damnat sess. 6. Can. 1. 2. & 3. de justificatione. In primo namque damnat asserentes gratiam esse ex operibus liberi arbitrij, aut ex lege atque doctrina, qui fuit, ut diximus, primus error quem Pelagius divulgavit. In secundo damnat dicentes gratiam requiri ad facilius tantum & hic fuit secundus status. In tertio requirit ultra inspirationem, adjutorium ad credendum, sperandum, & pœnitendum prout ad salutem opportet: ubi illam inspirationem sive revelationem sine adjutorio propriæ gratiæ non sufficere manifestè docet, & contra Pelagium & potissime contra Semipelagianos ipso posteriores.

Quod si quis dicat, quòd cùm Concilium Tridentinum illo Can. 1. disjunctivè damnet errorem Pelagii, dicens non sufficere opera facta ex libero arbitrio aut ex lege atque doctrina, satis ostendit posuisse aliquando Pelagium opera facta à solo libero arbitrio etiam sine lege atque doctrina sufficere, alioquin non disjunctivè, sed copulativè utrumque convingeret, si copulativè utrumque Pelagius semper posuit, & à principio hæresis suæ, quod est contra primum dictum.

Ad hoc dicendum, quod quia Pelagius posuerat à principio posse hominem servare mandata cognita, & intimata sibi; vel per naturalem tantum rationem, vel per positivam aliam legem, atque doctrinam, ut à principio hujus explicavimus: ideo Concil. Trident. ut utrumque simul comprehenderet, illam apposuit disjunctivam, comprehendens per opera facta ex naturæ viribus opera facta ex sola propositione, & intimatione naturalis legis, totum enim hoc comprehenditur per opera facta ex solis naturæ viribus, ut est manifestum: Per illa autem alia verba, vel per legem, atque doctrinam intellexit opera facta à libero arbitrio per intimationem positivè cujuscunque legis atque doctrinæ. Et sic solùm concluditur quod dictum est supra, posuisse utrumque Pelagium in illo suo primo statu esse necessarium; liberum videlicet arbitrium cum lege atque doctrina, sive illa fuerit lex naturalis, sivè lex, & doctrina superaddita positiva.

Priùs autem hos tres status hæresis Pelagij S. Augustinus comprehendit in citato loco ad Quodvultdeum. Primum, cum refert dixisse Pelagium hominem naturæ viribus posse omnia servare mandata, ut dictum est. Secundum cum asserit quod increpatus à fratribus Pelagius admisit gratiam ad facilius. Tertium cum protinus subintulit. *Illam vero gratiam Dei sine qua nihil boni possumus facere non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantum existimantes ipsum adjuvantem per suam legem, atque doctrinam, ut discamus quæ facere, & quæ sperare debeamus, non autem ad hoc per donum Spiritus sancti, ut quæ didicerimus facienda, faciamus, ac per hoc divinitus nobis dari scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur.*

Quibus verbis, ut latius, & clarius exposuit lib. de gratia Christi, Pelagius admittebat, ut necessariam ad perficiendam salutem interiorem quandam divinam revelationem docentem & ostendentem tantùm, quæ cum non recedat officio & munere à lege atque doctrina, ut ex S. August. clariùs ostensuri sumus, ideo à S. D. dicitur, quod Deus adjuvet per legem atque doctrinam. Vocatur etiam scientia divinitus data: scientia autem divinitus data, cognitionem seu revelationem significat interiorem. Eandem interiorem scientiam à Deo datam significant illa alia inducta verba: *Existimantes ipsum* (Deum videlicet) *adjuvantem per legem & doctrinam.* Dum enim dicit ipsum Deum sic adjuvare illuminando, non vero dilectionem inspirandò clarè ostendit se loqui de illuminatione seu de scientia immediatè à Deo data non autem de inspiratione Charitatis immediatè ab ipso inspirata.

Et tandem hoc constare potest ex contextu ipso. Nam primo exposuit S. August. asseruisse Pelagium hominem posse servare omnia mandata sibi proposita. Quibus verbis ut diximus primum statum Pelagij astruxit, dicentis sufficere arbitrium & legem proponentem mandata ad illa omnia servanda. Secundo posuit secundum statum Pelagij constituentis gratiam ad faciliùs: Ergo in aliis subjunctis verbis modo relatis, necesse est quod aliud tertium exponat, scilicet id quod ultimo Pelagius dixit, revelationem interiorem esse sine qua non poterimus omnia divina servare mandata.

Præterea illum tertium statum hæresis Pelagii, (nam duos priores admisisse omnes sine contradictione fatentur) refert S. P. Augustinus, & impugnat per

Digitized by Google

per totum librum de gratia Christi, potissimè cap. 7. 9. 10 & seq. ac etiam apertissimè cap. 14. ubi sic dicit. *Venire posse, in natura* posuit Pelagius *vel etiam ut modo dicere cepit, in gratia, qualemlibet eam sentiat, qua ipsa* (ut dicit) *possibilitas ad uvatur* (ut modò dicere cepit inquit Augustinus) Quod sonat tertium, & vltimum statum expositum, in quo nomine gratiæ dixit supernaturales revelationes necessarias esse ad perficiendam justitiam, seu quod idem est, ad obtinendam salutem, & servanda divina mandata; Vnde penitus evanescit, quod novissimè in 1. tomo prænotati operis de divina gratia tripartiti, sub nomine Francisci Suarez anno 1619. publicis typis mandati dicitur pag. 252. Sententiam nempe modernorum Theologorum esse condistinguere illos tres status hæresis Pelagij: cum manifestum sit apertissimis verbis S. P. August. duos distinguere ad Quodvult. hæresi 88. tertium autem apertissimè deduci ex lib. de gestis Pelagij, & de gratia Christi.

Vnum tantùm superest adnotare, per supradictum tertium statum, non recessisse Pelagium à commendatione legis, atque doctrinæ, ut semper S. P. August. contra illum convincit. Nam illa interior revelatio quam ut necessariam admisit, officio atque munere, nihil aliud faciebat quam lex atque doctrina exterior quam à principio necessariam dixerat, facere possit: de quo tamen cum S. P. Augustino infra copiosè.

Advertendum præterea hunc quasi tertium statum *hæresis Pelagij* retinuisse postea semipelagianos circa adjutorium gratiæ quod dicebant necessarium ad salutem, addendo supra revelationem supernaturalem excitationem, sicut necessariam ad perficiendam salutem, addendo inquam magis verbis, quem reipsa, ut de ipsis clariùs infra aperiemus.

Quod si eandem excitationem dicebant cooperari cum arbitrio jam ipso consentiente, nec illa talis cooperans gratia prout ab illis ponebatur, recedere poterat à lege atque doctrina: qua ratione S. Prosper semper illos Semipelagianos convincit, quod gratiam dicerent magistram per modum legis, atque doctrinæ, seu operari instar legis, seu habere normam legis; quod tamen infra, cum de Semipelagianorum erroribus agemus plenius apparebit.

Ex isto ergo quasi statu triplici, quo se magis, vel minùs Pelagius occultabat, plenam, atque integram ejus hæresim in his dictis consistentem colligere oportet.

1. quod gratia Dei non sit necessaria ad singulos actus, quia ad illa initia naturæ supra relata, gratiam non ponebat necessariam, nec etiam ad opera alia quæ post justificationis gratiam redditam ex priori illo merito, facturus homo erat: quia ad hæc solum gratiam justificationis dicebat dari ad faciliùs, non autem ut simpliciter necessariam ad illa efficienda.

2. Quod gratia Dei secundùm merita nostra detur, quia illa initia merita gratiæ constituebat, & quia ex se solùm pœnitentibus, gratiam Dei dicebat conferri, ex merito talis pœnitentiæ habitæ ex sola arbitrii libertate.

3. Quod nulla datur gratia ad velle & operari, quia libertatem sua efficacia auferret.

4. Quod in voluntate, & arbitrio non est necessaria simpliciter & absolutè gratia ad perficiendam justitiam, quia firmum & forte erat liberum arbitrium semel suppositâ scientia de eo quod agere debeat.

5. Quod gratia in voluntate & libero arbitrio est ad faciliùs, sive illa sit interior revelatio actualis, sive habitualia dona gratiæ quæ verè dant posse faciliùs operari.

6. Quod ex parte intellectus necessaria est simpliciter revelatio objectivè stupentem suscitans voluntatem, sed quia ista non recedebat à lege atque doctrina convincitur quod etiam in ultimo statu solum posuerit liberum arbitrium, & aliquid non recedens à lege atque doctrina necessarium ad salutem, & sic verissimè de Pelagio dicitur quod semper tenuerit gratiam esse liberum arbitrium, & legem atque doctrinam, sive exteriorem, sive interiorem, & quod gratiam secundum merita nostra dari dixerit & ad facilius.

Ex dictis in isto capite & præcedenti constat, manifestè omnia prorsus circa errores Pelagij, quasi ex industria velle ignorare, qui contendunt errorem Pelagij fuisse in materia divinæ gratiæ; scilicet inchoationem boni operis ex nobis esse, consummationem ex Deo reddendam secundùm illa prioria naturæ merita, quasi solum iste fuerit error Pelagij. Legi enim cujusdam opuscula quæ prælo prætendebantur mandari: in quibus illius author hoc quasi pro fundamento proponebat; si enim ille tantum fuit error Pelagij ergo illius error non fuit gratiam in libero arbitrio esse seu in lege atque doctrina, nec gratiam dari ad facilius, nec negare arbitrium si Dei indiget auxilio, nec gratiam esse necessariam ad singulos actus, nec posse esse ex Deo, velle & operari ex nobis, quos tamen errores in Palestina Synodo & Pelagius suos agnovit, & ne damnaretur, damnavit: Verum ergo est fuisse illum errorem Pelagij, sed non illum solum: quod autem S. P. August. & D. Thomas frequentiùs illum nominant: illum solum illius errorem non dicunt, cum alios etiam ipsius errores exponant, ut ex S. P. August. visum est supra, & ex S. Thom. in plurimis locis poterat demonstrari: sed ideo eum frequentius referunt, quia unus fuit ex potissimis erroribus ipsius, & quasi caput cæterorum. Cum in illo gratia Dei secundùm merita nostra dari dicatur.

Nec obstat quod ipse S. P. Augustinus lib. de gratia Christi cap. 4. & sequentibus apertè dicat totum fuisse dogma Pelagij: *Quod posse sit ex Deo, velle autem & operari ex nobis*; licet enim asserat in hoc situm fuisse dogma Pelagij totum, non tamen negat expressisse Pelagium errores alios, & potissimè illum, quòd inchoatio ex nobis sit, consummatio verò ex Deo, ut visum est supra: Quis enim dicat Doctorem sanctum sibi esse contrarium, & quod sepe aliàs de Pelagio ex professo retulit tunc negasse. In illo ergo suo dicto quo docuit totum dogma Pelagij in illo relato errore situm fuisse, quasi in capite brevi sententia omnes alios Pelagij errores comprehedit. Ex eo namque quod posse, Pelagius ex Deo esse dicebat, ideſt naturæ seu arbitrij possibilitatem datam à Deo per creationem, quam sustinebat adjuvari per gratiam, ideſt per legem atque doctrinam, exteriorem, seu internam revelationem ostendentem, quam gratiam apellabat: cum illa interior revelatio officio & munere non recedat à lege atque doctrina (ut S. P. August. demonstrat citat. lib. de gratia Christi) & ex eo quod contendebat velle & operari ex nobis solùm esse, re ipsa totum suum dogma quod in aliis locis expresserat, stabiliebat; quia eo concesso jam gratiam ponebat in arbitrio, & in lege atque doctrina, ut alibi expressiùs Pelagius explicavit. Similiter jam gratia alia simpliciter necessaria non erat præter talem legem atque doctrinam, sed tantùm ad facilius, ut alibi proposuerat: parique ratione ideo illam possibilitatem tantùm ex Deo admittebat, ne tolleretur arbitrium si Dei alio indigeret auxilio, ut alibi affirmarat. Ac tandem si velle & operari ex nobis est in hoc ipso ponebat inchoationem boni operis ex nobis, & dandam consummationem per legem atque doctrinam ex Deo, secundùm illa priora merita & initia naturæ; & simul asserebat non esse gratiam

Digitized by Google

necessariam ad singulos actus, quia ad illa initia necessaria nulla erat: unde in illo uno ut ait sanctus Augustinus totum consistebat dogma Pelagij

CAPUT VII.

Quod semper Pelagius efficax auxilium gratiæ negavit, nullumque adjutorium gratiæ ex parte voluntatis, ut simpliciter necessarium ad perficiendam salutem admisit.

ILLVD omnes pro comperto semper habuerunt potissimam Pelagii hæresim fuisse, quod gratia Dei secundum priora naturæ merita detur; quod & relata ex Pelagio per S. P. Augustinum verba reddunt manifestum, quæ licet ex parte inducta sint supra, nec erit superfluum illa ex integro reassumere: sic ergo Pelagius in Epistola quadam ad Innocentium (referente S. P. Augustino libro de gratia Christi cap. 31.) dicebat: *Ecce ad beatitudinem tuam Epistola ista me purget, in qua purè & simpliciter ad peccandum & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divina semper adjuvatur auxilio: Quam liberi arbitrij potestatem in omnibus dicimus esse generaliter, in Christianis, Iudeis, atque gentilibus, In omnibus est liberum arbitrium æqualiter per naturam, sed in solis Christianis juvatur à gratia. In illis nudum & inerme est conditionis bonum, in iis verò qui ad Christum pertinent, Christi munitur auxilio. Illi ideo judicandi, atque damnandi sunt; quia cum habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire possent, ac Dei gratiam promereri, malè utuntur libertate concessa. Hi verò remunerandi sunt, qui bene libero utentes arbitrio merentur Domini gratiam, & ejus mandata custodiunt.* Quamvis autem, ut S. P. Augustinus advertit, nominet gratiam & adjutorium illius quo dicit adjuvari arbitrium, tamen nec explicat quam intelligat gratiam, poterat enim, ut alibi declaravit, ipsam intelligere legem, atque doctrinam. Et quamlibet gratiam intellexerit, ipsis Christianis secundùm merita dari dicit quòd tamen in Palæstina Synodo subdolè sua illa abjuratione damnavit, postquam prædictam Epistolam ad Innocentium misit, in qua abjuratam hæresim iterum publicavit. Manifestum est ergo, quod & omnes concedunt, Pelagium semper sensisse gratiam Dei secundùm priora naturæ merita dari.

Cum autem, ut ex toto libro S. Augustini de gratia Christi constat, sit manifestum ipsum nullam aliam gratiam admisisse nomine adjutorij gratiæ, nisi internam illam revelationem, sit quoque palam intelligentiæ quòd etiam illam dixit ex priori merito dari: Item in cap. 41. ejusdem libri dicit necessarias orationes, ut nobis detur talis revelatio, quasi illa ex merito orationum reddatur.

Nec videtur satisfacere quod quidam putant, hoc pertinere ad primum Pelagianæ hæresis statum, quia illa Epistola ad Innocentium, in qua hæc initialia merè naturalia merita ponit, fuit ex postremis ejus scriptis, ut patet intuenti Historiam. Unde etiam in ultimo statu hanc hæresim habuit, quam supradictis verbis expressit.

Deinde semper Pelagius asseruit firmum & forte esse liberum arbitrium, nec indigere auxilio dante vires. Rursus semper affirmavit, quod pœnitentibus ex viribus naturæ præsupposita illa revelatione ostendente, gratia dabatur: semperque asseruit gratiam dari ex merito illius pœnitentiæ habitæ ex solis naturæ viribus.

Præterea. Quod Pelagius posuerit merita naturæ præcedentia illam revelationem, quam adjutorium gratiæ ipse appellabat, patet ex eodem libro de gratia Christi cap. 23. ubi de Pelagio sic refert: *Qua qui bene utitur, id est, libertate arbitrij qui bene utitur, ita se totum tradit Deo, omnemque suam mortificat voluntatem, ut cum Apostolo possit dicere, vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus; ponitque cor suum in manu Dei, ut illud quo voluerit Deus ipse declinet, magnum profectò* (inquit Augustinus) *adjutorium divinæ gratiæ, ut cor nostrum, quò voluerit, Deus ipse declinet, sed hoc tam magnum adjutorium, sicut iste desipit, tunc meremur cum sinè ullo adjutorio nonnisi de arbitrij libertate ad Dominum currimus.* Quomodo autem præter hoc adjutorium nullum alium posuerit Pelagius nisi interiorem revelationem explicabimus infra. Nec rem apertissimam oportet amplius comprobare.

Similiter & illud est indubitatum, quòd ex his primò, & manifestè deducitur, videlicet non admisisse Pelagium gratiam necessariam ad singulos actus, cum ad illa initia & priora merita gratiæ illam non posuerit necessariam.

Secundum autem illud, quod videlicet prævenientis divinæ gratiæ auxilium efficax semper Pelagius impugnaverit, etiam obscurum non est, sed omnibus debet esse conspicuum: quia ad hoc potissimè negandum omnis ejus prava constructio, sicut ad finem ordinabatur. Superbus enim elator arbitrij auxilium illud, quia cum arbitrij libertate pugnare ignoranter & pertinaciter arbitrabatur, de medio auferre, & penitus negare totis viribus contendebat. Quapropter & dicebat. *Non est liberum arbitrium si Dei indiget auxilio.* Quod præcipuè de prævenientis gratiæ auxilio, quemadmodum supra tetigimus, opponebat, ut à S. Hieronymo Epistola ad Ctesiphontem, & in illis tribus libris adversùs Pelagianos sæpiùs ex Pelagio refertur, quod licet supra cap. 3. ex parte dictum sit, ad præsens oportet clariùs & efficaciùs aperire. Ipsius enim illud fuit singulare fundamentum his verbis explicatum, & à S. Augustino prædicto libro cap. 4. expressum. *Nos sic tria ista distinguimus, & certum velut in ordinem digesta partimur, Primo loco posse statuimus, secundo velle, tertio esse: posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud, id est posse, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit: duo verò reliqua, hoc est velle & esse ad hominem referenda sunt, quia de arbitrij fonte descendunt.* Nihil enim clariùs, quàm ipsum ex hoc fundamento negare auxilium efficax quod nobis det velle & operari: Et hoc ipsum per totum librum de gratia Christi ex multiplicatis Pelagij verbis S. P. Augustinus demonstrat: Quorum plurimis omissis, quæ ibi sunt inspicienda, unum vel alterum iterum inducamus.

Igitur cap. 10. ita de illo S. Doctor affirmat. *Et alio quippe loco, cum diù asseruisset non adjutorio Dei, sed ex nobis ipsis in nobis effici voluntatem bonam, opposuit sibi ex Apostoli Epistola quæstionem atque ait. Et quomodo, inquit, stabit illud Apostoli, Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere? Deinde, ut hanc oppositionem veluti solveret, quam videbat dogmati suo vehementer esse contrariam, secutus adjunxit: operatur in nobis velle quod bonum est.* Explicando nempe illud de internis suasionibus & revelationibus, quibus dicebat operari Deum in nobis velle & perficere, verè efficax prævenientis gratiæ auxilium illis verbis impugnavit (*non ex adjutorio Dei, sed ex nobis ipsis in nobis effici voluntatem*,) quibus veram efficientiam & efficaciam auxilij negat, ut etiam illud negat, asserendo Deum suasionibus & interioribus revelationibus operari

in

Digitized by Google

in nobis velle: non autem verè, & activè, propriè ac efficaciter faciendo, & operando quod velimus. Unde nimis à veritate est alienus, qui contendit nuper in libello prælo mandato non esse Pelagianum dogma ponere vocationem quę in sua efficacia pendeat à consensu arbitrij, cum nihil aliud tamquam finem posuerit & desiderarit Pelagius, ut manet ostensum, nisi negare divini adjutorij prævenientem efficaciam.

Imò ipse S. Augustinus in fine illius libri præcipuam intentionem concludens, & præcipuam, quæ contra Pelagium tractabatur, quæstionem denudans, atque illius obscuritatis latebras detegens, inquit: *Qua propter quantùm attinet ad istam de divina gratia, & adjutorio quæstionem, tria ista, quæ apertissimè distinguit attendite, posse, velle, esse; idest possibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo consenserit nobis non solam possibilitatem in homine, etiam si nec velit, nec agat benè, sed ipsam quoque voluntatem, & actionem, idest ut benè velimus & benè agamus quæ non sunt in homine, nisi quando benè vult, & benè agit; si ut dixi consenserit, etiam ipsam voluntatem, & actionem divinitùs adjuvari; & sic adjuvari ut sine ipso adjutorio nihil benè velimus & agamus, eamque esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra justitia justos facit, ut ea sit vera nostra justitia, quæ nobis ab illo est, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantùm arbitror, inter nos controversiæ relinquetur*

Quibus notissimum redditur totam Catholicorum contra Pelagium quæstionem de adjutorio gratiæ in eo sitam, quod ille negabat prævenientis gratiæ efficax adjutorium, quod & ille vocabat adjutorium adjuvans voluntatem & actionem: & S. Augustinus explicat adjutorium, ut bene velimus, & bene agamus; ne aliquis putaret quæstionem esse contra Pelagium, quia ipse negavit adjutorium quod concomitanter volitionem & actionem adjuvaret, quod etiam oportet advertere. Sunt enim viri docti qui dicant hoc concomitans adjutorium sub nomine adjutorij gratiæ admisisse Pelagium ad facilius, quod verum reputamus. Imo omne aliud pretèr preveniens efficax adjutorium ad facilius ipse admisit, ut ostendendum erit inferius.

Diximus omne aliud preter preveniens efficax adjutorium, quia hoc nec ad facilius admisisse supra inducta, & inferius dicenda probant. Vnde nec placet, quod quidam ex S. Thomæ discipulis, ait, ipsum admisisse ad facilius adjuvantem gratiam, qua Deus verè efficienter facit nos velle; nisi velimus dicere quod ad facilius admiserit efficax præveniens adjutorium, quo posito cohtendebat hominis auferri libertatem, qnod nullus poterit ei ascribere. Quamvis enim controversia S. P. Augustini cum Pelagio fuerit non de gratia excitante moraliter, sed de adjuvante, qua Deus verè efficienter facit nos velle, (ut constat ex toto libro de gratia Christi, potissimè ex immediatè nunc relato testimonio) numquam tamen Pelagius talem gratiam admisit ad facilius, sed aliam quam ipse nomine adjutorij gratiæ intelligebat, videlicet tribuentem tantùm posse benè operari voluntati; ut semper velle & operari humano tribueret arbitrio.

Alia etiam sunt expresissima S. Augustini testimonia, alterum Epistola 107. ad vitalem, ubi sic habet. *Recognoscis me, ut puto, in his quæ nos scire dixi, non omnia, quæ ad fidem Catholicam pertinent, commemorare voluisse; sed ea tantùm, quæ ad istam, quæ inter nos agitur, de Dei gratia quæstionem, utrum præcedat hæc gratia, an subsequatur hominis voluntatem, hoc est ut planiùs id eloquar, utrum ideo nobis detur, quia volumus, an per ipsam Deus etiam hoc efficiat ut velimus.* Ecce tota quęstio cum Pelagio cęteriśque Pelagianis ac Catholicis erat, quia Pelagius & Pelagiani cęteri negabant Deum per suam gratiam in nobis efficere ut velimus, negantes efficax Dei auxiliū in nobis operans & velle, & tantùm concedebant quòd gratia datur nobis, quia volumus. At Catholici adversus eos pugnabant, deffendentes Deum per suam prævenientem gratiam in nobis efficere ut velimus.

Explicatis his duobus quæ de mente Pelagij apertissima sunt, aliud erit denudandum, quod diximus Pelagium, cum asseruit gratiam necessariam esse ad facilius (in qua sententia finaliter perstitit) locutum fuisse de gratia in voluntate & libero arbitrio posita, non de revelatione interna se tenente ex parte intellectus. Id igitur sic aperitur.

Primò, quia ut præmisimus, & infra cap. sequenti probaturi sumus, ipse tandem admisit Pelagius interiorem revelationem ex parte intellectus esse simpliciter necessariam ad bonum opus perficiendum: ergo cum etiam semper adhæserit quod gratia non est necessaria nisi ad facilius, necesse est, ut ista adinvicem non opponantur & quòd nomine gratiæ in hoc secundo suo dicto non intelligat revelationem tenentem se ex parte intellectus, sed gratiam pertinentem ad voluntatem, & arbitrium.

Deinde quia cum ipse semper defendit liberum arbitrium firmum ex se, & forte ad mandata servanda, perficiendamque justitiam, ut S. Augustinus manifestè ex illo refert Epistola 106. & libro de gratia Christi cap. 28. hæc illius sententia fuit, quod posita revelatione ostendente ex parte intellectus, nihil aliud erat simpliciter necessarium ex parte voluntatis ad bene quodcunque opus efficiendum, sed gratiam in voluntate ad facilius operandum, à Deo donari.

Vnde ipse S. D. citato nunc cap. 28. postquam illius verba retulit, quibus forte & firmum ad non peccandum contendebat arbitrium, quod tamen dicebat quotidiano pro Dei benignitate muniri auxilio, protinus subjungit. *Quid opus est hoc auxilio, si tam fortè, tam firmum est ad non peccandum liberum arbitrium? Sed etiam hic vult intelligi ad hoc esse auxilium, ut facilius fiat per gratiam, quod etsi minùs facile, tamen putat fieri prater gratiam.* Vbi cum de voluntatis arbitrio sermo procedat, etiam de auxilio gratiæ in voluntate recepto sermo fit, quod videlicet Pelagius ad facilius constituit.

Præterea hoc S. P. Augustinus in libro de gratia Christi sępius docet præsertim cap. 7. ubi hæc ipsius verba proponit. *Hic nos imperitissimi hominum putant iniuriam divinæ gratiæ facere, quia dicimus eam sine voluntate nostra nequaquam in nobis perficere sanctitatem; quasi Deus gratiæ suæ aliquid imperaverit, & non illis, quibus imperavit, etiam gratiæ suæ auxilium subministret, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possent implere per gratiam.* Idem de illo refert cap. 28. & cap. 40. ubi hęc de ipso statuit sicut ejus firmam perpetuamque sententiam, omisso loco illo ex cap. 88. lib. ad Quodvultd. Clarissimè id ipsum tradit lib. 2. ad Bonif. cap. 8. ubi differentiam constituit inter sententiam Pelagij, & opinionem Juliani, & aliorum, qui cum illo communem scripserunt Epistolam (cui ibi S. Augustinus respondebat) docet apertè in hoc sistere quòd Julianus, & sequaces defenderint nos boni imperfecti cupiditatem sine gratiæ auxilio habere posse, perfecti autem boni cupiditatem, non sine gratia: quia ad hoc necessariam simpliciter gratiam asserebant, quamcumque ipsi putarent: at verò Pelagius etiam ad perfecti boni cupiditatem non dixit simpliciter gratiam necessariam, sed ad facilius tantum, à quo propterea Julianus & socij in hoc dissidebant. Verba

ejus

Digitized by Google

ejus sunt. *Ipsi enim* (scilicet Julianus & Socij) *volunt in homine incipere cupiditatem boni, ut huius cœpti meritum etiam perficiendi gratia consequatur, si tamen hoc saltem volunt. Pelagius enim facilius dicit impleri quod bonum est; si adjuvet gratia. Quo additamento, id est addendo facilius, utique significat hoc se sapere, quod etiam si gratia defuerit adjutorium, potest, quamvis difficilius, implere bonum per liberum arbitrium, sed istis quid in hac re sentiant, non de illo authore hujus hæresis præscribamus, permittamus eos cum suo libero arbitrio esse liberos, & ab ipso Pelagio &c.* Cum ergo dicat eos à Pelagio liberos, quia ipsi ad perficiendum bonum opus necessariam simpliciter gratiam dicebant, Pelagius autem tantum ad facilius, necesse est dicere, hanc fuisse ultimam & firmam Pelagij sententiam; nam si aliquando eam habuisset ultimò, aut mutasset, atque sensisset ad perficiendum bonum opus gratiam simpliciter necessariam, nec diceret Augustinus posse eos in hoc à Pelagio differre; cum quo potiùs in ultima voluntate, & sententia consensissent.

Ubi iterum venit observandum, quod supra diximus, Pelagium non admisisse etiam ad facilius prævenientis gratiæ efficax adjutorium, quia illud adjutorium gratiæ Pelagius ad facilius admisit, quod Julianus, & Socij admiserunt simpliciter ad perfecta opera esse necessarium, ut excitato nunc constat testimonio. Sed Julianus, & Socij numquam admiserunt ut necessarium, ad perfecta opera facienda, prævenientis gratiæ efficax ex Deo adjutorium quo verè & propriè faceret nos facere, quia semper illud impugnarunt, sicut & nunc quidam impugnant, quod sit libertatis impeditivum: ergo nec Pelagius illud admisit ad facilius.

Tandem Milevitanum Concilium contra Pelagium celebratum Canone 5. ita statuit. *Item placuit, ut quicumque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam etiam si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata. Anathema sit.* Quod Concilium post primum illud Palæstinum contra Pelagium congregatum (in quo ipse primò damnatus erat) celebratum fuit, & in ipso ultimo illius sententia perpetuo anathemate, ut patet, fuit condemnata.

Vbi & illud non omittendum, nedum Concilium in Pelagio damnasse quod actuale auxilium gratiæ ad facilius tantum admitteret, sed potissimè quod justificationis gratiam, habitualem videlicet, quæ in essentia animæ collocatur, sicut charitatem, quæ ad illam consequitur, & in voluntate reponitur, contenderet impius ille ad facilius nobis donari, nec necessariam simpliciter esse ad bona opera perficienda. Cujus Concilij verba etiam de auxilio gratiæ, quod in voluntate & arbitrio reponitur, & non de illuminatione, & revelatione intellectus videntur procedere: tum quia loquitur de gratia quæ datur libero arbitrio, & voluntati: tum quia præcedenti Can. 4. de auxilio revelante & ostendente sermonem fecerat. Itaque Pelagius habitum supernaturalem gratiæ justificantis, & cæteros habitus supernaturales infusos ad facilius tantùm admisit, non de necessitate; quia ex necessitate contendebat, quòd sicut liberum arbitrium est forte & firmum ad actum quemlibet salutare efficiendum suppositâ ostensione, ita eisdem multiplicatis actibus naturalibus ponebat similes habitus naturales acquiri & generari, qui ad credendum, sperandum, diligendum, & pœnitendum, sufficerent.

Nec huic contradicit quod in parvulis ad ingressum Regni cœlorum necessarium baptismum asserebat, quia per illum non dari supernaturales habitus contendebat, sed quandam supernaturalitatem quasi ab extrinseco, quæ vix ab ipso, quid esset, poterat positivè explicari.

Quibus omnibus attentiùs consideratis ex fine ipsius Pelagij ex ejus fundamento, & ex relatis à S. Augustino & Concilio prædicto, hanc sine dubio asserimus Pelagij sententiam fuisse, quam & ultimatè sustinuit, quod voluntas sive liberum arbitrium, cum ab ipso ad operandum forte & firmum diceretur, non indiget ex necessitate, sed ad melius & faciliùs tantùm auxilio, gratiæ ad mandata servanda, justitiamque perficiendam.

CAPUT VIII.

Quod Pelagius verè auxilium efficax nunquam admiserit, contrariorum argumentis satisfaciendo amplius declaratur.

SED adversus illud quod diximus, semper pertinaciter negasse Pelagium prævenientis gratiæ efficax adjutorium, quo Deus vere efficiat nos facere, posset quis opponere ex S. Augustino ita de Pelagio referente libro de gratia Christi cap. 23. *Sequitur enim* (videlicet Pelagius) *& dicit. qua qui bene utitur, id est arbitrij libertate qui bene utitur, ita se, inquit, totum tradit Deo omnemque suam mortificat voluntatem, ut cum Apostolo possit dicere, vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus, ponitque cor suum in manu Dei, ut illud quo voluerit Deus ipse declinet.* Postquam verò hæc ex Pelagio retulit, protinus addit: *Magnum perfecto adjutorium divinæ gratiæ, ut cor nostrum, quo voluerit Deus ipse declinet. Sed hoc tam magnum adjutorium sicut iste desipit, tunc meremur, cum sine ullo adjutorio, non nisi de arbitrij libertate ad Dominum currimus.* Quibus verbis apparet confessum fuisse Pelagium illud magnum gratiæ adjutorium, quo Deus quo voluerit corda nostra inclinet, quamvis illud admiserit ex priori merito arbitrij. Etenim nisi ipse ex priori merito daret, nec impugnaret S. Augustinus. Siquidem illud adjutorium magnificans S. Doctor de hoc solùm illum reprehendit, quod illud ex priori merito tribueret, quod adjutorium sine dubio efficax est; tum quia eo Deus inclinat quo placet hominum corda; tum quia magnum à S. Augustino vocatur, quod non nisi efficaci adjutorio potest convenire.

Verum quamvis in apparentia testimonium prædictum id videatur significare; si tamen omnia alia plurima, quæ in illo libro de gratia Christi habet S. Augustinus, considerentur; minimè hoc potest stare. In toto enim illo libro perpetuò docet Pelagium tria ista distinxisse, posse, velle, esse; seu posse, velle, & operari: ex quibus solum Deo, posse tribuit, duo alia non nisi de arbitrij dicebat provenire libertate: cum qua perpetua doctrina quæ de omni velle & de omni operari sine dubio procedit, cohærere non potest ista positio, quod videlicet admiserit post aliquem priorem actum arbitrij efficax adjutorium prævenientis gratiæ in ordine ad alios sequentes actus, quo Deus efficaciter cor hominis inclinet quocunque voluerit. Vnde in fine totius illius libri admonet S. Doctor, ut quidquid Pelagius verbis dicat, nemo fallatur, putans eum verè gratiæ adjutorium confiteri, quia attendenda sunt, inquit, tria illa, quæ apertissime distinxit, posse, velle, & esse, seu operari, quorum duo ultima libero ascribit arbitrio, & primum, id est posse, solùm Deo, quæ fundamentalis Pelagij doctrina omnes ejus latebras, quibus, verbis se abscondebat, detegit, aperitque nullum efficax gratiæ

Digitized by Google

tiæ adjutorium admisisse, ad aliquod velle, & operari.

Præterea si tale adjutorium gratiæ efficacis, & prævenientis respectu alicujus boni actus admisit Pelagius, quamvis illud gratia non esset, cum priori merito tribueretur; tamen illud non posset vocari lex, atque doctrina, vel non recedens à lege, atque doctrina; quod tamen Pelagio in toto illo libro S. August. semper ad scribit, ut visum est supra.

Postremò quia si tale efficax adjutorium admisit Pelagius, planè contra suum potissimum ageret principium & fundamentum, quo contendebat per tale efficax adjutorium libertatem nostram penitus tolli, hanc enim in omni actu defendere fategebat: nec in aliquo actu constituebat efficax præveniens adjutorium per quod dicebat libertatem auferri. Se ipsum ergo in suo principali intento oppugnaret, quod non est dicendum. Nec valet dicere ipsum sensisse hominem liberè operari in tali actu in virtute prioris actus liberi: quia prior actus liber non poterat aufetre ab aliquo secundo actu necessitatem, quæ illi infallibiliter proveniebat à tali auxilio omnino necessitante voluntatem. Solùm enim sequeretur quòd per priorem actum liberum mereretur homo habere illud efficax auxilium, & actum necessarium qui ex illo infallibiliter juxta illius fundamenta sequeretur.

Supereſt ergo, ut prædictum oppositum testimonium in sensu vero intelligamus. In illo enim tantum S. Augustinus intendit quod verbis quidem Pelagius, non tantùm in illo singulari loco, sed alibi frequentius astruebat, nimirum quod gratiam & verum adjutorium gratiæ publicabat, sed re ipsa nihil tale admittebat. Vnde illa verba (*ut illud quò voluerit Deus ipse declinet*) ex se efficax adjutorium gratiæ significabant: ad quæ magis attendens S. Augustinus, quam ad æquivocationem proferentis, dixit illud quidem magnum esse gratiæ adjutorium, sed quòd non poterat poni priori merito redditum.

Mirificè hoc confirmat quod ex S. Augustino retulimus cap. præcedenti ex eodem libro de gratia Christi cap. 5. cum ait: *Quandocunque legimus vel audimus divinæ gratiæ adjudorium confiteri* (nempe Pelagium,) *ut à malo declinemus bonumque faciamus, sive in lege, atque doctrina, sive ubilibet constituat, sciamus quod loquitur, nec erremus aliter eum intelligendo, quam sentit; scire quippe debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, sed solum possibilitatem voluntatis atque operis.* Per hunc locum, præfatum quòd objicitur testimonium, manifestè declaratum manet, si enim quandocumque Pelagius nominat divinæ gratiæ adjutorium, ut à malo fugiamus, bonumque faciamus, non prædicat nisi legem atque doctrinam, vel quodlibet aliud, quod possibilitatem tantùm adjuvet, & posse tribuat; & ne erremus, hoc debemus ex Augustini monitione intelligere: Ergo quando in objecto ex Pelagio testimonio refert adjutorium, quo Deus, quo voluerit cor nostrum declinet, non aliud adjutorium debemus intelligere, quàm id quod possibilitatem tantùm adjuvat, non quod efficaciter actionem tribuat nisi errando eum aliter velimus intelligere quàm sentit.

Sed dices quare si Pelagius in illis verbis non confitebatur re ipsa efficax adjutorium, quo verè, & activè propriè faceret Deus nos illos actus efficere. S. P. Augustinus, qui utique ejus calliditatem optimè noverat *id ibi non explicavit?*

Ad hoc dicendum primò quod minùs de hoc S. P. Augustinus curavit, cum videret, quòd dato, id Pelagius in vero sensu admitteret, illud ponebat ex priori merito dari, per quod, adjutorium gratiæ quodcumque illud esset, negabat: Vnde ad principale hoc attendendo, aliud necesse non erat explicare; sic ergo processit S. Augustinus: Dato quod illis verbis, quæ secundum se verum adjutorium gratiæ indicare videntur, tu illud intelligas, adhuc gratia non est, quam priori merito tribuis. Vnde si Pelagius illa verba proponeret, & non priori merito daret procul dubio S. Augustinus tunc ejus calliditatem, & mentem aperiret, sicut in plurimis aliis ex ipso Pelagio allatis testimoniis fecit ut clarius patet ex toto illo libro de gratia Christi. Itaque hoc dicit S. Augustinus in isto loco. Magnum quidem à te verbis istis prædicatur adjutorium, sed hoc qualecumque tu intelligas, gratiæ adjutorium non est, quia sub priori merito naturæ ponis. Vnde ex duplici defectu quem habebat illud adjutorium principale, impugnavit S. Augustinus non faciens ibi mentionem de alio, sed alibi explicavit, quod nec in se verum esset gratiæ adjutorium etiam si meritis non daretur. Non enim omnia in eodem loco refutantur, sed ad principale attenditur, sicut etiam in eodem libro cap. 27. ita de Pelagio refert.. *Divinam mereamur gratiam, & facilius nequam spiritui, Sancti Spiritus auxilio resistamus.* Contra quem August. *Ut quid enim hoc verbum posuit, id est facilius? An verò non erat integer sensus, ut nequam spiritui, Sancti Spiritus auxilio resistamus?* Duo certè contra adjutorium divinæ gratiæ Pelagius in illis verbis evomuerat, alterum, quod illam meremur, alterum quod per illam faciliùs demoni resistimus, & tamen S. Augustinus in illo loco tantum impugnat illud quod pertinet, ad *facilius*, & de alio errore, quia jam ipsum impugnaverat, ibi nihil dicit; imo cum dicat esse integrum sensum ablato verbo *facilius*, non intendit quod sit integer Catholicus sensus absolutè quia etiam illo ablato manet sensus damnatus, quod gratiam mereamur, sed tantum intendit, quod quantum ad id quod impugnabat, sine *faciliùs*, manet integer sensus.

Secundo dicendum quod in fine illius libri hoc satis aperuit, & explicavit S. Doctor. Postquam enim in cap. 46. ad Pelagium convincendum S. Ambrosium ab eodem Pelagio eximiè laudatum induxisset, inter illa alia verba proferentem. *Deus quem dignatur vocat, & quem vult religiosum facit* quæ utique verum efficax adjutorium prædicant, hæc verba cap. 47. habet. *Potest Pelagius ita se latebris obscuritatis huius involuere, ut etiam his quæ à S. Ambrosio scripta posuimus, consentire se dicat, & ea se quoque sentire proclamet, semperque sensisse, atque ita singula conetur exponere, ut etiam ejus sententiæ convenire credantur. Quâ propter quantum attinet ad istam de divina gratia, & adjutorio quæstionem tria ista, quæ apertissimè distinxit, attendite: posse, velle, esse, id est possibilitatem, voluntatem, actionem.* Quibus satis aperte declarat, quod licet ipse verbis proferret, seu prolata à S. Ambrosio admitteret, (*Deus quem vult Religiosum facit*) poterat conformiter ad suam doctrinam explicare, quod id faceret per revelationem, suasionem, invitationem &c. quibus adjuvaret hominis possibilitatem, & per hunc modum contenderet, Deum quem vult facere religiosum: vbi similiter nos admonet, quod cum audimus eum dicentem, quod Deus cor hominis quo vult inclinat, intelligamus eum non aliud adjutorium admittere quàm revelationem, & excitationem illam suam per quam possibilitatem naturæ dixit adjuvari, ut clariùs supra ostensum est. Nam & his etiam temporibus admittunt quidam prævenientem gratiam, quatenus præveniens est, esse solam excitationem invitantem, & suadentem, & tamen verbis dicunt per illam Deum facere, ut faciamus, & quodcumque vult nostras

Digitized by Google

ſtras inclinare voluntates. Quare ergo id ipſum non intelligamus contendiſſe Pelagium, & hac ratione illa verba poſuiſſe, *& quocunque voluerit, Deus ipſe declinet.*

Sanctus etiam Hieronymus perpetuò docuit Pelagium gratiam dixiſſe liberum ipſum arbitrium, & legem, atque doctrinam, ſic enim habet Epiſtola ad Cteſiphontem; quam adverſus ipſum Pelagium potiſſime ſcripſit. *Ita enim Dei gratiam ponunt, ut non per ſingula opera, ejus nitamur & regamur auxilio, ſed ad liberum referunt arbitrium, & ad præcepta legis ponentes illud Iſaiæ, legem enim Deus in adjutorium poſuit, ut in ea Deo referenda ſint gratiæ, quod tales nos condidit, qui noſtro arbitrio poſſumus, & eligere bona, & vitare mala & non intelligunt iſta dicentes, quòd per os eorum intolerabilem blaſphemiam Diabolus ſibilet.* Non ergo cognovit Pelagius aliam gratiam præter arbitrium, & legem atque doctrinam, ſeu purè exteriorem, ſeu internam revelationem tantùm, quæ à lege, & doctrina exteriori munere non recedat, ut explicatum eſt. Et iterum libro primo adverſus Pelagianos. *Qua ſententia temeritate* (ait de Pelagio) *aufers Dei omne præſidium, qui quod in alio loco fruſtra conaris adjungere, non abſque Dei gratia, quomodo ſentire velis ex hoc loco intelligitur, dum gratiam ejus non ad ſingula refers opera, ſed ad conditionis, ac legis, & liberi arbitrij poteſtatem.*

Itaque non admittit Pelagius ſicut neceſſarium ſimpliciter ad perficiendam juſtitiam aliquod præveniens efficax adjutorium reſpectu operum ſequentium, quod ex priori merito redderetur. An verò illud ad facilius admiſerit ſunt qui arbitrentur dicentes poſuiſſe per illud præveniri voluntatem ut ſuppoſito quod ipſa vellet ſubſtantiam actus elicere, efficaciter adjuvaretur, ut faciliùs id faceret, & ſic ſalvabat (inquiunt) libertatem quoad operis ſubſtantiam: Unde illud auxilium ſubderetur uſui voluntatis quoad ſubſtantiam actus, ſed non quo ad illam facilitatem, & modum, & hoc totum dicunt: quia, ut ajunt. S. Auguſtinus dicit ipſum admiſiſſe magnum illud auxilium quo Deus inclinet quo voluerit noſtram voluntatem vel ex priori merito, vel ſaltem ad facilius, quod magnum auxilium, eſt præveniens efficax reſpectu ſequentium operum: & etiam quia S. Auguſtinus illud auxilium dixit admiſiſſe Pelagium ad faciliùs, quod ipſe admittebat ad ſimpliciter, ſed illud auxilium quod ad ſimpliciter admiſit ſanctus Auguſtinus, eſt efficax præveniens: ergo illud Pelagius admiſit. Majorem ex aliquibus teſtimoniis S. Auguſtini colligunt potiſſime ad Quodvultd. cap. 88. & lib. de gratia Chriſti, & ſerm. 13. de verbis Apoſtoli.

At ſi omnia attentiùs conſiderentur, conſtabit numquam hoc admiſiſſe Pelagium; tum quia, quodcunque auxilium gratiæ admiſit in voluntate ad facilius, illud ſubdebat quantùm ad omnia uſui libertatis. Unde in illius ſententia non potuit eſſe præveniens cum efficacia, quia uſui libertatis non ſubderetur. Tum quia licet in aliquibus habitibus poſſimus ita Philoſophari, quòd concurrant ad ſolum modum actus, non ad ſubſtantiam illius, tamen id admittere in auxilio actuali efficaciter præmovente voluntatem minus intelligitur, quia ſi præmovet efficacirer illam, eam præmovet ut ſubſtantiam actus majori cum facilitate efficiat. Vnde illius efficacia caderet ſupra actus ſubſtantiam factam majori cum facilitate, & ſic in ſententia Pelagij libertatem, quam ipſe defendere procuravit, auferret. Tum quia, ſaltem ille modus, ut ſcilicet fieret cum facilitate, neceſſarius eſſet & non liber ſecundùm ipſum, quod abſque dubio nec ipſe admitteret. Tum (& hoc videtur efficax argumentum,) quia ſecundùm S. Auguſtinum, illud auxilium admiſerunt Julianus, & ſui ſequaces, ut neceſſarium ad perficiendam juſtitiam, quod Pelagius ad eam perficiendam admiſit ad faciliùs; ſed Julianus, & ſequaces ad perficiendam juſtitiam non admiſerunt ut neceſſarium ſimpliciter efficax prævenientis gratiæ auxilium, imò id ſemper negarunt ut libertatis deſtructivum: ergo nec id Pelagius admiſit ad facilius. Minor eſt evidens, & Major conſtat ex S. Auguſtino lib. 2. ad Bonif. cap. 8. Item his temporibus, quibus videntur aliqui ad hos errores proximè accedere, nihil tale audimus: nec enim ad ſimpliciter, nec ad faciliùs admittitur efficax præveniens adjutorium, quia dicunt quod quomodocunque ponatur tollit libertatem reſpectu actus, quem efficaciter prævenit, unde vel à poſteriori colligimus numquam tale illos priores ſenſiſſe.

Ad fundamentum autem oppoſitæ ſententiæ dicendum ut ſupra S. Auguſtinum vocaſſe magnum adjutorium gratiæ id quod verbis, magnum dicebatur; per quod videlicet, ut Pelagius ipſe ajebat, Deus quò volebat, voluntatem inclinabat. Hoc quidem quod verbis dicebatur, magnum erat gratiæ adjutorium, ſed re ipſa minimum; tum quia dabatur ex priori merito, tum quia in ſe efficaces vires voluntati non præſtabat, ſicut ſi modo magnum ſola voce dicamus auxilium, quo aliqui dicunt per excitationem, Deum inclinare voluntatem quo velit.

Ad ſecundum reſpondemus ſanctum Auguſtinum numquam dixiſſe illudmet adjutorium quod ipſe ut ſimpliciter neceſſarium dicebat, Pelagium admiſiſſe ad faciliùs; ſed tantùm dixit quod adjutorium admittebat ad faciliùs, illud videlicet, quod ille adjutorium gratiæ nominabat.

CAPUT IX.

Quod Pelagius tandem internas ſupernaturales admiſerit revelationes ſuadentes, & oſtendentes tantùm.

Quicumque in doctrina S.P.Arguſt. fuerit vel mediocriter verſatus, & attentione aliqua egregium illius librum de gratia Chriſti, contra Pelagium, & Celeſtium perlegerit, minùs poterit dubitare, quòd Pelagius tandem argumentis oppreſſus, quæ ex divinis literis ei SS. Patres opponebant, admiſerit interiores quaſdam ſupernaturales revelationes à Deo homini immiſſas, quæ oſtenderent, & revelarent quid homini eſſet agendum; ex quo illud quintum, & ultimum quod in fine capitis quarti præmiſimus redditur manifeſtum.

Sed antequam teſtimonia ex iſto libro de gratia Chriſti inducamus, egregium teſtimonium petendum venit ex libro de geſtis Pelagij relato ſupra cap. 2. in hoc enim cap. 14. cum referret anathematizaſſe Pelagium qui diceret adjutorium gratiæ in libero eſſe arbitrio aut in lege, atque doctrina, inquit S. Doctor, quod antea metuebat, ſed jam hac audita ejus confeſſione non metuit eum veram illam confiteri gratiam quam Eccleſia Chriſti prædicat. Hæc autem S. Doctor verba ſunt in prædicto cap. 14. *Dicam etiam aliquid latius. Superius metuebam, cum diceret Pelagius adjuvante gratia Dei poſſe eſſe homines ſine peccato, ne fortè eandem gratiam, poſſibilitatem diceret eſſe naturæ à Deo conditæ cum libero arbi-*

trio

Digitized by Google

trio, sicut in libro est, quem tanquam ejus accepi, cui respondi, ut eo modo nescientes iudices falleret. Nunc verò cum anathematizet eos, qui gratiam Dei, & adjutorium non ad singulos actus dicunt dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina, satis evidenter apparet eam illum dicere gratiam, quæ in Christi Ecclesia prædicatur, quæ subministratione sancti Spiritus datur, ut ad nostros actus singulos adjuvemur. Nec illum iam metuo, ne forte ubi dixit non posse sine peccato esse nisi qui scientiam legis habet, atque id ita exposuit, ut ad non peccandum in legis scientia poneret adiutorium, eandem legis scientiam, Dei gratiam velit intelligere. Ecce anathematizat qui hoc sentiunt, ecce nec naturam liberi arbitrij, nec legem, nec doctrinam vult intelligi gratiam, qua per actus singulos adiuvamur. Quid ergo restat, nisi ut eam intelligat quam dicit Apostolus subministratione Spiritus sancti dari? Hæc Augustinus. Constat ergo necessariam posuisse Pelagium aliquam interiorem gratiam, aliàs nec Augustinus hæc de ipso dicere potuisset quod videlicet, jam non metuebat Pelagium ponere possibilitatem arbitrij, vel legem, atque doctrinam esse adjutorium gratiæ, cum præter hæc duo aliam gratiam admisisse Pelagium dicat expressè, illamque posuisse ut simpliciter necessariam, alias adhuc ejus sententiam metueret: Imò docet, satis evidenter aparere, Pelagium præter legem atque doctrinam aliam gratiam astruere, quæ ad singulos actus nostros necessaria sit.

Hoc ergo sit primum, & efficax argumentum, quòd agnoverit Pelagius aliud internum gratiæ adjutorium præter exteriorem legem, atque doctrinam, supposito quod S. Augustinus putavit eum verum gratiæ adjutorium posuisse. Manifestum est enim quod si tantum legem atque doctrinam exteriorem diceret Pelagius gratiam, quod numquam putasset Augustinus admisisse Pelagium verum gratiæ adjutorium: similiter certum est, quod si tantum ad facilius illud diceret necessarium, quodcunque illud esset, quòd non diceret Augustinus eum verum gratiæ adjutorium admittere.

Sed hinc alia oritur difficultas, quòd videlicet secundum S. Augustinum admiserit Pelagalius verum adjutorium gratiæ, quod tamen dici non potest.

Ad hoc dicendum S. Augustinum, visa à principio anathematizatione Pelagij supradicta, putasse quidem illum verè fuisse correctum, verumque admisisse adjutorium gratiæ, & hoc dicit in præcitato libro; at postea attentius omnia dicta, & scripta Pelagij considerans, & ejus fictam confessionem deprehendens; illud internum, in quo præter legem, atque doctrinam ponebat Pelagius adjutorium gratiæ, esse tantum internam revelationem ostendentem solùm; de ea dicit quod non recedebat à lege atque doctrina, & ad hoc copiosiùs ostendendum composuit post illum librum de gestis Pelagij, illum mirabilem de gratia Christi, in quo proinde cap. 2. ait. *Quisquis hac audit, & sensum eius ignorat, omnino eum putat sentire quod veritas habet.* Et cap. 3. audita prædicta confessione Pelagij, & anathematizatione, ait. *Ubi putabamus eum de hac re omnes tergiversationes esse consumptas.* Putabamus, inquit, quia sic putaverat priùs cum librum illum de gestis Pelagij scripsisset: Unde ad detegendum illius Pelagij fallaciam in prædictis suis verbis involutam, composuit hoc fine librum de gratia Christi, in quo id ipsum S. Augustinus ita patenter ex plurimis Pelagij verbis, quæ ibi refert, ostendit, ut non interpretatione, sed pura, & nuda lectione indigeamus.

Imò non solùm sanctus Augustinus hoc dicit, sed quod magis est, ipse Pelagius expresè confitetur. Cum enim post Palæstinam abjurationem, qua sub anathemate damnarat, qui dicerent gratiam Dei esse in libero arbitrio, in lege, atque doctrina, ne in id ipsum semper in suis verbis, & scriptis relabi videretur, & hoc ei per Catholicos esset oppositum, ipse ut se ab hac objectione purgaret, ita ait apud S. Augustinum præfato libro de gratia Christi. *Hinc nos imperitissimi homines putant injuriam divinæ gratiæ facere, quia dicimus eam sine voluntate nostra nequaquam in nobis perficere sanctitatem; quasi Deus gratiæ suæ aliquid imperaverit, & non illis quibus imperavit, etiam gratiæ suæ auxilium subministret, & quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possent implere per gratiam, quam nos, non ut tu putas in lege tantummodo sed & in Dei esse adjutorio confitemur.* Hæc Pelagius, ut vel ex ipso discant, qui modo contendunt eum numquam aliud adjutorium admisisse præter puram & solam exteriorem legem atque doctrinam, quod & ipsi renitenti imponunt; atque ex ipsius apertissimis verbis relatis modò, se nomine gratiæ non tantùm legem intelligere, sed aliud adjutorium, quod statim ipsemet subjunctis verbis explicavit.

Unde sanctus Augustinus hac audita Pelagij protestatione ita ibi dicit. *Quis hìc non desideret ut ostendat quam velit intelligi gratiam? Propter hoc enim maximè de illo expectare debemus, ut dicat hoc quod dicit, non in lege tantummodo, se gratiam confiteri, sed nobis hac expectatione suspensis, quid addiderit intuemini. Ad uvat enim nos, inquit, per doctrinam & revelationem suam dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum Diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ Cœlestis illuminat.* Hæc iterum Pelagius dixit explicando illud adjutorium, quod præter legem confiteri publicarat, cujus verba explanans S. Augustinus; quamvis & illa ex se ipsis satis aperta reddantur, ita subdit. *In his omnibus non recessit à commendatione legis atque doctrinæ, hanc esse adjuvantem gratiam diligenter inculcans, & hoc exequens, quod proposuerat cum diceret, sed in Dei esse adjutorio confitemur.* Manifestum est ergo atque notissimum admisisse tandem Pelagium internas divinas revelationes quas adjutorium gratiæ dicebat, & non solùm puram legem atque exteriorem doctrinam, quamvis supradicto loco per Augustinum convincatur, quòd nec per hoc recedat à commendatione legis atque doctrinæ, quod & ibi S. Augustinus ostendit, & infra nos copiosè suo loco pandemus.

Quamvis autem tam aperta Pelagij confessio ista, quod intendimus manifestet, ut non nisi fortè ex superfluo alia inducenda videantur, libet tamen id ipsum aliis ipsius Pelagij verbis confirmare; nam & alio quoque loco, ut verbis S. Augustini utar, cum diu asseruisset non adjutorio Dei, sed ex nobis ipsis in nobis effici voluntatem bonam, oppositit sibi ex Apostoli Epistola quæstionem, atque ait; *Et quomodo*, inquit, *stabit illud Apostoli. Deus est enim qui operatur in nobis, & velle, & perficere?* Deinde ut hanc oppositionem veluti solueret, *quam videbat dogmati suo vehementer esse contrariam, secutus adjunxit. Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei, stupentem suscitat volun-*

Digitized by Google

voluntatem, dum nobis, (quod tu alibi negare non metuis) suadet omne quod bonum est. Alia litera emendatior in codice Vaticano sic habet: *Quod alibi negare non metuit.* Ita quod ista sint verba Augustini, quibus post relata verba Pelagij docet admisisse jam Pelagium interiorem revelationem, quam alibi, id est à principio suæ perfidiæ non timebat negare; & sic consonantior, & correctior apparet litera; & admisisse tandem Pelagium aliquid interius quòd à principio non admittebat. Quòd si litera illa sic legatur, (*quod tu alibi negare non metuis*) ut communiter habetur, sic legatur, ut tamen ista verba non tanquam à Pelagio dicta intelligantur, sed post relata verba Pelagij, intelligantur dicta à S. Augustino contra Pelagium, ac si dicat, hanc gratiam revelantem, & suadentem omne bonum jam concedis, quam tu alibi id est à principio negare non metuis: vel tertio si illa sint verba Pelagij, dicta ab eo sint contra S. Augustinum, qui non metuebat negare Deum solis suasionibus nostram voluntatem excitare, aut nos tantum sic adjuvare.

Admittebat ergo Pelagius tandem internas divinas revelationes, quas à principio negabat. Quæ verba etiam ex more expendens ibi S. Augustinus, id quod in illis non obscurè continetur, exponit; ipsum videlicet per illa, internam revelationem fateri; licet, ut supra, S. Augustinus eam à lege atque doctrina non recedere manifestè patefaciat, & per totum illius libri contextum copiosissimè probet, præsertim cap. 11. & 13. in quorum primo inquit: *Quid enim dicam de revelatione sapientiæ, neque enim facilè quisquam speraverit in hac vita posse pervenire ad magnitudinem revelationum Apostoli Pauli, & utique in eis quid aliud credendum est ei revelari solere, nisi quod ad sapientiam pertinet?* Et post pauca. *Tunc autem mens ejus adhuc erat ubi inflaretur magitudine revelationis, donec impleretur solido ædificio charitatis.* Ubi altissimas illas Apostoli revelationes inducit ad probandum quod in illis tantùm non consistebat vera gratia Christi, quia si aliud non adesset, inflare Apostolum poterant, multominus in aliis revelationibus non ita sublimibus, tantùm Christi gratia consistere poterat. Quòd si Pelagius interiores revelationes non admittebat, quorsum S. Augustinus interiores Apostoli revelationes contra ipsum objiciebat, à fortiori ab illis, ad has quas Pelagius astruebat, arguendo?

Deinde in cap. 3. ad ostendendum admisisse Pelagium interiores illas revelationes, ait. *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certè si dicatur, ut altiùs, & interiùs Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos qui plantant, & rigant extrinsecus, sed etiam per se ipsum qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, sed etiam impertiat Charitatem.* Quibus docet S. Doctor non solum Deum per se ipsum ministrare occultum ostendendo veritatem, ut Pelagius admittebat, verum etiam impertire charitatem, quod ille negabat. Hæc enim hujus testimonij Augustini vera intelligentia est, quam & verba declarant, & finis quem prætendebat ostendit; & præcedentia, ac subsequentia in contextu illius operis manifestant.

Et cap. 24. contra Pelagium, atque Celestium ita procedit: *Legant ergo & intelligant, intueantur, & fateantur non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna atque occulta mirabili, atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solùm veras revelationes sed etiam bonas voluntates.* Quibus verbis, duo quæ ab hæreticis illis admittebantur, recipiens, tertium quod semper negarunt, admittendum esse suadet: Admittebant illi quidem legem atque doctrinam sonantem forinsecus. Admittebant etiam præter illam Deum sua potestate internas immittere revelationes, sed negabant Deum eadem potestate bonas efficere voluntates, quod tertium contra illos sanctus Doctor constanter defendit.

Unde in cap. 14. illius libri hæc verba præmiserat: *Venire posse in natura ponit Pelagius, vel etiam ut modò dicere cœpit in gratia, quamlibet eam sentiat.* Notanda sunt illa verba. *Vel ut modò dicere cœpit in gratia*: per quæ manifestat, quòd cum à principio solam legem, & doctrinam astruerat; atque naturam; postea cœpit, præter legem, & doctrinam, aliam gratiam admittere, quamcumque illam sentiret, quam & supra explicaverat, esse videlicet interiorem revelationem ostendentem tantùm & illuminantem.

Insigne est etiam illud testimonium, quod ex cap. 41. desumi potest, ubi S. Doctor affirmat dixisse Pelagium, orationes ad hoc adhibendas ut petamus à Deo, ut revelatio divinæ doctrinæ nobis aperiatur, verba sunt. *Itaut ipsas quoque orationes, ut in scriptis suis apertissimè affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione, & actione perficiat.* Quid clariùs quàm admisisse Pelagium interiores revelationes à Deo immissas, quas dicit nos postulare debere, ut per ipsas doctrina nobis aperiatur?

Insuper admisisse Pelagium revelationes has interiores clariùs habetur in Concilio Milevitano contra ipsum celebrato, in quo ita in Canone 3. definitur. *Item placuit, ut quicumque dixerit gratiam Dei qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur, anathema sit.* Ubi sermonem fieri de gratia interiori dubium non est, & statim Canone 4. eandem interiorem gratiam exponens Concilium ita statuit: *Item quisquis dixerit eandem gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus anathema sit*: Ubi contra Pelagium firmatur, interiorem gratiam non solum nobis revelare, & aperire intelligentiam mandatorum, ut ille malè diffamabat, verùm & præstare nobis, ut quod cognoscimus, faciamus.

Tandem si rationi locus datur, & finis quem intendebat Pelagius consideretur, apparebit non renuisse Pelagium admittere internas revelationes. Nam ex una parte videbat manifestissima scripturæ testimonia quæ prædicant Deum immediate, & per se ipsum interiùs operari in nobis, ipsum Velle, ut est illud. *Omnia opera nostra in nobis operatus es Domine.* & illud. *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere, pro bona voluntate*, & pleraque similia, quæ propterea negare minùs poterat. Ex alia autem parte, ut erat astutus, considerabat quòd admissa illa interiori revelatione, nihil vel in minimo errore suo detrahebat, quo ut arbitrium defenderet, efficaciam gratiæ negabat. Unde ut se occultaret & aliquid interius, quod gratia Christi posset apparere fateretur, ut sic incautos deciperet, illas interiores revelationes ponebat.

Sic etiam sentire insignem Lovanienſium scholam in his materiis valde versatam, imò principaliores ex his

Digitized by Google

his authoribus cum quibus controversia est, sequenti capite commodius ostendemus.

CAPUT X.

Quod prædictas supernaturales revelationes internas tandem dixerit Pelagius simpliciter necessarias ad opus perficiendum, ostenditur ex D. Augustino.

ILLUD præterea oportet in hac materia attentiùs considerare Pelagium tandem concessisse easdem internas & supernaturales revelationes, esse simpliciter ad bonum opus perficiendum necessarias, licet in primo statu suæ perfidiæ illas pœnitus negaverit, & in secundo eas tantum ad *faciliùs* admiserit. Licet enim id non expressè concesserit, sicut expressè sæpiùs dixit illas ad faciliùs necessarias esse, tamen ex verbis ipsius satis colligitur, ut illico denudabimus. Qua ratione, quia *ad faciliùs*, clariùs sæpè protulit, non autem hoc per verbum *simpliciter* dixit, pleriq; putant eum tantùm illas in omni suo statu ac semper, ad faciliùs necessarias posuisse, & numquam ut necessarias simpliciter. Sed iam id aperiamus. Hoc enim constat primò ex libro illo de gestis Pelagij supra relato capite præcedenti, in quo S. P. Augustinus docet Pelagium aliam gratiam admisisse præter liberum arbitrium, & legem atque doctrinam, quæ alia esse non potest nisi illa interior revelatio, quam proinde ipse S. Doctor clariùs denudat libro de gratia Christi quem postmodum scripsit, in quo secundo & tertio cap. refert Pelagium in Palæstina Synodo eos damnasse, qui dicunt gratiam Dei, & adjutorium non ad singulos actus dari; sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina, ex qua confessione illud. Primò constat Pelagium præter legem, atque doctrinam aliam intelligere gratiam. Secundò, illam necessariam posuisse ad singulos actus, cum sanctus P. Augustinus dicat quod illa sua confessione omnes eius tergiversationes videbantur esse consumptæ. Etenim confessione illa sua, ut S. P. Augustinus notat lib. eodem de gratia Christi ubi supra id apparebat eum confiteri, quod veritas habet: Nam ex una parte gratiam verbis publicabat, à libero arbitrio, lege, atque doctrina distinctam; & ex altera illam ad singulos astruebat, nimirum necessariam. Si enim eam tantùm ad faciliùs diceret, nec viderentur eius tergiversationes consumptæ, nec apparere posset id eum asserere quod veritas habet. Necessariam ergo illam gratiam dicebat, & sic videbatur veram gratiam confiteri, cum præter legem atque doctrinam, aliam diceret gratiam, eamque necessariam fateretur. Quodlibet enim horum, si saltem in verbis deficeret, non diceret S. Augustinus, quòd apparebat eum fateri quod veritas habet, & quòd omnes eius tergiversationes illa sua confessione videbantur esse consumptæ. Necesse est ergo dicamus in hac confessione Pelagij præter legem atque doctrinam aliud ipsum intellexisse nomine gratiæ, quod ad singulos actus simpliciter esse necessarium sentiebat.

Item: quia, ut præcedenti capite dicebamus, in illo libro de gestis Pelagij cap. 14. inquit S. Augustinus, quod audita Pelagij abjuratione iam non metuebat eum illam gratiam admittere quæ in Christi Ecclesia prædicatur, quæ est aliquid præter legem exteriorem atque doctrinam, & est simpliciter ad singulos actus necessaria: ergo ut S. Augustini verba salventur, utrumque tandem Pelagius admisit & aliquam interiorem, quam vocaret gratiam, & illam esse simpliciter necessariam ad singulos actus.

Verùm denudans lib. de gratia Christi cap. 3. S. Doctor hanc eius confessionem ex libris eius (quos postea Romam misit) ostendit illum nihil aliud postea sentire, quàm id quod damnasse videbatur, dicens eum nomine gratiæ quam ad singulos actus necessariam esse dicebat, & quam; nec in libero arbitrio, nec in lege atque doctrina consistere verbis publicabat, intellexisse, quòd Deus adiuvat revelando, & ostendendo quid facere debeamus, non autem cooperando, & dilectionem inspirando, ut id quod faciendum esse cognovimus, faciamus: Verba sunt. *Nam gratiam Dei, & adiutorium, quo adiuvamur ad non pecandum, aut in natura & libero ponit arbitrio, aut in lege, atque doctrina; ut videlicet cum adiuvat Deus hominem ut declinet à malo, & faciat bonum, revelando, & ostendendo quid fieri debeat, adiuvare credatur, non etiam cooperando & dilectionem inspirando, ut id quod faciendum esse cognoverit, faciat.* Igitur secundum S. Augustini expressam sententiam, cum fatebatur Pelagius in illa confessione sua necessariam esse gratiam ad singulos actus; per gratiam, quam necessariam publicabat; Subdole intelligebat, ut postea se declarauit, revelationem, qua Deus interiùs quid faciendum est, ostendit. Ista ergo fuit Pelagij astutia magna, damnare legem, atque doctrinam purè exteriorem, esse gratiam, & admittere postea revelationem & doctrinam interiorem quam dicebat necessariam gratiam ad perficiendam iustitiam. Per quam tamen, ut S. Augustinus demonstrat in toto illius libri contextu non recedebat à lege atque doctrina, quam sufficere, anathemate condemnarat.

Hoc igitur secundùm S. Augustinum firmum debet esse, Pelagium necessariam simpliciter gratiam ad singulos actus fuisse confessum, sed nomine gratiæ non intellexisse gratiam in voluntate receptam; hanc enim ut dictum, & explanatum est supra, ad faciliùs tantùm constituit, sed revelationem ex parte intellectus tantùm ostendentem, & illuminantem.

Et quidem cum à principio Pelagius posuisset requiri simpliciter ad bonum opus perficiendum, non solùm liberum arbitrium, sed etiam legem, atque doctrinam; ab hoc, ut S. Augustinus in illo libro ostendit, re ipsa numquam discessit; quia revelatio, quam postea admisit, à commendatione legis atque doctrinæ non distat. Si ergo à suo primo errore, cum postea admittit revelationem, quæ à lege, & doctrina non distat, non recedit Pelagius, Augustino testante, & in suo primo errore ad bonum opus perficiendum, necessariam simpliciter fatebatur legem atque doctrinam simul cum arbitrio libero: consequens est ut postea revelationem, per quam etiam legem atque doctrinam intelligebat, simpliciter necessariam diceret ad opus perficiendum.

Deinde si Pelagius non admisit internam illam revelationem esse simpliciter ad perficiendum necessariam, sed tantùm ad faciliùs, qua ratione tantùm laborat S. Augustinus ad ostendendum illam non recedere à lege atque doctrina, cum uno verbo sufficeret dicere, illam tantùm ab eo poni ad faciliùs, & sic non confiteri ipsum gratiæ necessitatem. Tantus ergo Labor S. Augustini in ostendendo illum non recedere à lege atque doctrina, patefacit illum necessariam dixisse illam revelationem, quam tamen non recedere à lege atque Doctrina sanctus Doctor demonstat. Præterea in eodem libro de gratia Christi cap. 6. ita de Pelagio dicit S. Augustinus: *Sed ne nihil de gratia dixisse videretur adiunxit, dixitque possibilitatem, gratiæ adiuvari semper auxilio, non autem ipsam voluntatem, vel ipsam operationem. Quod si dixisset, non abhorrere à doctrina Apostolica videretur.* Vt autem non abhorrere videretur Pelagius à doctrina Apostolica in illo suo dicto,

Digitized by Google

duo necesse erat ipsum confiteri;& Deum interiùs in nobis ipsum velle operari, & tale internum adiutorium semper ad id necessarium esse, & non tantùm ad faciliùs. Licet autem primum fatetetur, si tamen hoc secundum negabat, omnibus sine dubio videretur ab Apostolica doctrina abhorrere. Sentit ergò S. Doctor illum hoc secundum confessum, videlicet illud quod dicebat adjutorium necessarium absolutè, posuisse; & illud primum negasse, quod videlicet adjuvabat ipsam voluntatem, & ipsam operationem, quod tamen si pariter confiteretur, à vera doctrina non esset alienus, nec alicui ab ea alienus posset videri, ut apertiùs ipse sanctus Augustinus concludit cap. 47. ubi tradit hæc duo, quæ Pelagius fateri tenebatur, ut nulla cum ipso quæstio de adiutorio Divinæ gratiæ relinqueretur.

Id ipsum S. P. Augustinus ostendit cap. 10. de gratia Christi illius præcitati libri. Ibi refert Pelagium ita explicasse illud Apostoli, quod dogmati suo maximè videbat esse contrarium: *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere. Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis, quod alibi negari non metuit* (ut ex correctiori Codice vaticano præcedenti capite diximus) *suadet omne quod bonum est.*

Ex quibus Pelagij verbis duo certè convincuntur. Alterum est, & ipsum aliquid interius admisisse quo Deus operatur in nobis velle. Alterum, id necessarium simpliciter, & non tantum ad facilius, fuisse confessum. Tum quia prædictum Apostoli testimonium, quod dogmati suo erat adversum, utrumque ita apertè proponebat, quod nec ipse aliqua ratione poterat inficiari. Unde ipso convictus illud internum adiutorium simpliciter necessariũ ad velle, revelationẽ tantùm ostendentem interpretabatur, ut sic semper suum perversum dogma defenderet, quo veram Christi gratiam, efficientem nos facere abnegabat, & de hac interna tantùm revelatione procedere prædictum Apostoli testimonium contendebat. Tum etiam, quia constat ipsum iam fateri quod antea negaverat; sed revelationem ad facilius non negavit, sed tantum quod esset necessaria simpliciter; ergo huius necessitatem postea admisit. Deinde testimonia in præcedenti capite inducta hoc ostendunt, quòd necessariam tandem admiserit ad perficiendam Divinam voluntatem, ad hoc enim inducit Augustinus revelationem Paulo factam, ut à fortiori ostendat eas non sufficere, quas Pelagius necessarias admittebat. Ad hoc inducit in cap. 13. & 14. de gratia Christi, quòd Deus interiùs non solùm operatur veram revelationem, ut Pelagius admittebat ad salvandam Divinam causalitatem, sed etiam bonas voluntates. Si enim Pelagius illas revelationes non dicebat simpliciter necessarias, frustra hæc contra ipsum adhiberentur.

Idem magis ostenditur ex cap. 14. de gratia Christi, illis verbis. *Venire posse, in natura posuit Pelagius, vel etiam, ut modò dicere cœpit, in gratia, qualemlibet eam sentiat: qua ipsa, ut dicit, possibilitas adiuvatur;* Si à principio venire posse, statuit Pelagius in natura adjuncta exteriori legi atque doctrina (hanc enim semper necessariam astruxit) & postmodum venire posse, in gratia constituit, qualemlibet eam sentiat: necesse est dicamus necessariam postmodum admisisse aliquam, quam ipse dicebat gratiam, nempe illam interiorem revelationem & suasionem, in qua constituit posse hominem venire ad Deum nempe: ergo sine illa revelatione, ab ipso vocata gratia, tandem fatebatur non posse hominem ad Deum venire; postquam sic posse venire, in illa revelatione constituerat: Unde verum non est quod habet citatus liber operis de gratia tripartiti; videlicet numquam dixisse Augustinum Pelagium admisisse gratiam, quæ tribuat posse; sed solum quæ juvet voluntatis possibilitatem, quod diversum est: hoc enim habet liber ille pag. 252. num. 7. ex allato enim testimonio, quod etiam affert liber prædictus, poterat videre contrarium, ut manet expositum: Si enim cœpit iam Pelagius dicere, posse venire, in gratia esse; ergo cœpit iam dicere ipsam gratiam dare posse venire; quod cumque tale posse ipse intelligeret. Quod quale ipse intellexerit sequenti capite aperiemus.

Item cum dixit S.P. Augustinus cap. 5. de gratia Christi posuisse Pelagium gratiam, quæ tantummodo adiuvet, ut velle, & agere valeamus: ergo admisit gratiam ut velle, & agere possimus, quod idem omninò est, si adiuvat, vt possimus: ergo adiuvat dando posse, sine quo adiutorio, nec poteramus: per gratiam ergo, qualem libet eam ponat: tandem admisit dari posse bene operari.

Deinde idem constat ex aliis eiusdem Pelagij verbis in libro quem de sua fide Romam misit à S. Augustino relato, eodem libro de gratia Christi cap. 33 *Liberum* (inquit) *sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos indigere Dei semper auxilio.* Ubi & sanctus Pater Augustinus ita commentatur. *Ecce iterum quærimus quo nos auxilio indigere fateatur; & iterum invenimus ambiguum; quoniam potest respondere, legem se dicere, atque doctrinam Christianam.* Intelligit ergo S. P. Augustinus Pelagium per illa verba, etiam ut ipsa sonant, necessarium semper fateri auxilium, sed quod vel lex sit, atque doctrina, ut hìc exponit, vel revelatio interiùs tantùm ostendens, quam à lege, atque doctrina non differre supra copiosè explicaverat. Certè hæc Pelagij verba (*nos indigere semper auxilio*) necessitatem auxilij videntur prædicasse, nec de illo, quod ponitur tantùm ad facilius, possunt explicari commodè; quia de eo quod tantum ad faciliùs requiritur non potest absolutè verificari quòd homo illo indigeat, sicut nec verum esset hominem indigere equo ad iter faciendum: nisi addatur, indigere eo, ut commodiùs, & faciliùs iter perficiat.

Postremò adhuc clariùs hoc ipsum ipse Pelagius expresè præfato illo libro (quem Romam misit) exposuit, sic dicens: *Legant illam epistolam, quam ad sanctum virum Paulinum Episcopum ante duodecim fere annos scripsimus, qua trecentis fortè versibus nihil aliud quàm Dei gratiam, & auxilium confitetur; nosque nihil omnino boni posse facere sine Deo.* Referuntur à S. Patre Augustino eodem libro c. 35. ubi S. Doctor affirmat Christianam gratiam brevitate magna ibi Pelagium perstrinxisse, nec explicasse quam intelligeret, cum ait, nos sine Deo nihil omnino boni facere posse: an videlicet intelligat aliquid, per modum legis, atque doctrinæ, an inspirationem flagrantissimæ charitatis. Quibus S. Augustinus non dubitat illum, in illis verbis, quæ satis aperta sunt, videlicet (nihil omnino sine Deo facere possumus) non solum ad faciliùs, sed simpliciter necessarium constituere auxilium divinum. Si enim illam à se vocatam gratiam tantùm ad facilius intelligebat, nec dicere poterat, sine illa nihil omnino boni nos facere posse: cum sine illa possemus absolutè, licet non ita facilè. Unde verba illa (nihil omnino illa boni facere possumus) satis apertè necessariam esse simpliciter illam gratiam, quam ipse intelligebat, testantur.

Non ergo dubitat S. Doctor Augustinus Pelagium

Digitized by Google

gium illis verbis necessariam simpliciter gratiam ad benè operandum dixisse, sed de hoc dubitat, an præter legem, atque doctrinam, seu revelationem, quæ à lege, & doctrina non distat, aliquod aliud fortius auxilium admittat. Quid clarius? Ecce apertè Pelagius pronuntiat clarèque fatetur, nos nihil omnino posse facere boni sine Deo. Et S. Augustinus audita hac eius confessione dicit: quòd Christianam gratiam brevitate videtur perstringere, quæ absque dubio necessaria est ad bene operandum. Illa enim quæ poneretur ad faciliùs, quæcumque illa esset, profectò gratia Christiana, nedum magno doctori Augustino; sed & nemini alteri, Christiana gratia videretur. Unde solùm idem S. Doctor contra Pelagium sic confitentem instat, non de necessitate gratiæ; (hanc enim illum fuisse confessum apertè supponit) sed quam dicat hanc, quam necessariam gratiam ponebat, S. P. Augustinus requirit; an aliquid solùm per modum legis, atque doctrinæ, id est prædictam revelationem, an verò veram Christi gratiam fateatur.

Præterea Pelagius ipse referente eodem S. P. Augustino lib. eodem de gratia Christi cap. 41. affirmabat orationes ad nihil aliud adhibendas, *nisi ut nobis doctrina, etiam divina revelatione aperiatur*: ex his duo habemus. Alterum præter prædictam revelationem *nullum aliud* adiutorium ipsum confiteri, ut verba *declarant*. Alterum, illam revelationem posuisse, ut simpliciter necessariam. Quod *ex eo patet*: ipse namque admittebat necessarias esse *orationes, quia* hoc apertissimum in scripturis videbat, & asserebat tantùm esse adhibendas, ut nobis fieret revelatio: ergo necessarias dicebat orationes, ut nobis revelatio daretur; igitur necessariam etiam dicebat revelationem: Quomodo enim poneret necessarias orationes ad istum finem obtinenda revelationis si revelatio ipsa, quæ erat finis, necessaria non erat? Notentur illa verba Pelagij, nunc à S.P. Augustino relata, *ut doctrina, etiam Divna nobis revelatione aperiatur*, quæ apertissimè ostendunt Pelagium, ut necessariam admisisse internam revelationem, quâ Deus interiùs doctrinam nobis aperiat, nisi quis contendat Pelagium necessarias orationes admisisse ad impetrandam internam revelationem ad faciliùs & ad meliùs, necessariam. Petimus enim à Deo non solùm quod necessarium est, sed etiam quod melius est. Verum petere à Deo per orationes necessarias id quod necessarium non est, sed facilius, Ecclesiam non decet, quæ necessitatem orationis ad necessitatem finis obtinendi declarat. Licet ergo aliquando à Deo petamus id quod melius est, & commodius; nullus tamen, nec Pelagius potuit asserere, quod omnes Ecclesiæ orationes, quæ simpliciter necessariæ sunt, non petant aliquid nobis simpliciter necessarium, sed tantùm id quod facilius est.

Sed notanda sunt sancti Augustini verba alia quæ id manifestant. Postquam enim dixit quod orationes posuerit necessarias, ut nobis doctrina, divina revelatione aperiatur, subdit. *Ab illo enim suo manifestissimo dogmate non recedit omnino, ubi tria illa constituit. Possibilitatem, voluntatem, actionem, & solum possibilitatem divino semper adjuvari auxilio, voluntatem autem & actionem nullo Dei adiutorio existimat indigere, ipsum vero auxilium quo possibilitatem naturalem perhibet adiuvari in lege constituit, atque doctrina, quam nobis fatetur etiam spiritu sancto revelari.* Ecce qua ratione coniunxit S.P. Augustinus illam interiorem revelationem, quam tandem ut necessariam Pelagius admisit, non recedere à lege, atque doctrina; quia videlicet ordinabatur sicut ad finem ad aperiendam doctrinam, & sic à doctrina non recedebat.

Confirmatur apertè ex cap. 26. eiusdem libri de gratia Christi, ubi contra Pelagium sic ait: *Cogitationem & electionem sicut sunt discernenda, discernat, quia scientia inflat, charitas ædificat. Et cum sit utrumque donum Dei, sed unum minus, alterum maius; non hic iustitiam nostram super laudem iustificatoris nostri extollat, ut horum duorum, quod minus est divino tribuat adiutorio, quod autem maius est, humano vsurpet arbitrio.* Quibus verbis pro eodem sumit Augustinus cogitationem, & scientiam, sicut pro eodem charitatem, & electionem; asserens illud primum, nempe bonam cogitationem & scientiam, quæ inflat, ex Deo esse, confiter Pelagium, non autem charitatem & electionem. Manifestum est ergo docere sanctum Augustinum, quod Pelagius internam revelationem admisit. Cogitatio enim nihil aliud sonare potest, sicut & scientia quæ inflat, nisi internam revelationem, seu suasionem. Ecce auxilium quo semper dicebat adjuvari possibilitatem, & ex consequenti necessarium ad id ponit. Quod tamen affirmabat esse revelationem, per quam doctrina aperitur, ut dictum est.

Vnum autem considerandum pro vera intelligentia S. P. Augustini in citatis locis, imò in omnibus libris, quos contra Pelagianos scripsit. Ipsum per revelationem, ostensionem, excitationem, legem, doctrinam, scientiam, atque sapientiam (quam refert admisisse Pelagium, & quam non sufficere ipse probat ad Christi Domini gratiam prædicandam) intelligere motionem objectivam, seu ex parte obiecti se tenentem, & suadentem, atque invitantem, & ad cognitionem tantùm pertinentem. Per motionem autem, per dilectionem, per charitatem, per inspirationem, per cooperationem Dei, quam necessariam esse ostendit contra Pelagianos, intelligere motionem ex parte potentiæ, sive motionem quo ad exercitium actus, quæ sicut à solo Deo fit, & non ab alio in nostra voluntate; ita inseparabiliter habet quòd efficaciter nostrã voluntatem quoad exercitium moveat.

CAPUT XI.

Quod Pelagius præfatas revelationes supernaturales internas tandem asseruit simpliciter necessarias ad opus perficiendum, multis probatur.

TANDEM id efficaciter confirmatur ex Concilio Milevitano contra Pelagium celebrato, si quis consideret tertium, quartum & quintum Canonem. In tertio enim damnantur asserentes *gratiam Dei in qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum valere*: Qui fuit unus ex erroribus Pelagij. In quarto autem damnantur, dicentes: *Eandem gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit*: Vbi de gratia interiori revelante quid facere debeamus, non autem præstante ut faciamus sermo fit: & illa sententia qua adstruitur interior illa gratia tantùm revelans ut sciamus, non autem tribuens ut faciamus, damnatur: Ergo posuit Pelagius, contra quem celebratur Concilium, illam interiorem tantum revelationem, & aperientem intelligentiam mandatorum. Quòd autem eam admiserit, non ad faciliùs tantum, sed ut necessariam simpliciter, ex eodem Canone quarto, constare videtur, adjuncto,

Digitized by Google

adjuncto & quinto: quia in illo Canone quarto non apponitur illa particula, vt faciliùs, ſed abſolutè dicitur: *Si quis dixerit gratiam per hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum:* ergo abſolutè & non ad faciliùs, talem revelationem admittebat Pelagius, ſi enim tantùm ad faciliùs illam ſtatuiſſet, utique & Canon ille exprimeret. Secundò & efficaciùs, quia in Canone quintò ſequenti damnatur, qui poſuerit gratiam ad faciliùs: cum ergo in quinto Canone verbum (ad faciliùs) ponatur, & non in quarto manifeſtè oſtenditur quod revelatio interior, de qua Canon ille procedit, non ponebatur à Pelagio ad faciliùs, ſed ut neceſſaria: gratia autem ex parte voluntatis ſolum ad faciliùs ponebatur, de qua agitur in Canone quinto: Concilium namque prius in Canone quarto id quod Pelagius prius ex parte intellectus ponebat expreſſit, atque damnavit; & poſtea in Canone quinto id quod ipſe aſſerebat de gratia requiſita pro voluntate.

Sed & Lovanienſis inſignis ſchola in doctrina S.P. Auguſtini plurimum verſata, & in his controverſiis valde perdocta, in ſua quadam cenſura inferius à nobis citanda, pro comperto habet admiſiſſe Pelagium ut ſimpliciter neceſſarias, prædictas interiores revelationes, verba illius ſunt in præfatione ad prædictam cenſuram, quibus quandam excuſationem quæ prætendebatur revincunt. *Tandem vt quod ſentimus dicamus ingenuè, nec in illa parte multùm videmus diſcriminis: nam fidem quidem illi* (Maſſilienſes ſcilicet) *ex poſſibilitate volebant exiſtere naturæ, ita tamen, vt non ſolum externæ prædicationis beneficium, ſed nec internam quidem illuminationem, ac revelationem divinæ veritatis, nec propoſitis præmiis nec pœnis, excitationem ac pulſum excluſum voluerunt, quando ea negare, nec Pelagius potuit.* Si ergo Pelagius (hoc teſtante ſchola doctiſſima) nec interiorem revelationem negare potuit, ipſam ſine dubio ſimpliciter dixit neceſſariam, & non tantum ad facilius.

Conſentire videtur & alia Duacenſis egregia univerſitas: Nam Guillelmus Eſtius primarius illius profeſſor ſatis eruditus in hac parte ita habet in quodam ſuo pro efficaci gratia ſcripto, ſine dubio doctiſſimo, in ſecunda ratione. *Nam ad legem ſpectat notitia agendorum, & fugiendorum: Per legem enim inquit Apoſtolus, cognitio peccati. Eodem pertinent omnes illuſtrationes, inſpirationes, exhortationes, conceptiones, terrores, ſuaſiones, tam interna, quam externæ, quamdiu non tangunt affectum, nec cor emolliunt. Proprius autem effectus gratiæ eſt amor, obedientia, voluntas bona, cor novum, & ſpiritus novus; unde Pelagius conſtituens gratiam Chriſti in lege, atque doctrina, quamvis ab ea non excluderet inſpirationes, & ſuaſiones Divinas, haud quaquam Patribus viſum eſt rectam, & ſinceram gratiæ confeſſionem tenere.* Quibus duo dicit notanda. Primum quod intendimus, admiſiſſe Pelagium internas Dei revelationes, & ſuaſiones, imò inſpirationes. Secundum per illas non receſſiſſe à commendatione legis, atque doctrinæ.

Ut autem ad hominem, quod magis eſt, concludamus contra authores, cum quibus diſputatio eſt, qui conati ſunt negare, Pelagium tales internas revelationes admiſiſſe, legant ipſi & intelligant, intueantur & fateantur quod Doctores ex ipſis, in ſuis libris, quod dicimus, expreſsè fatentur. Franciſcus enim Suarez lib. 3. opuſculorum cap. 2. ita habet. *Eſt autem circa veritatem hanc inprimis conſideradum, hîc non ſolum eſſe ſermonem de auxilio externo, quod in ſola prædicatione, & mandatorum, vel conſiliorum propoſitione conſiſtit, ſed maximè de interiori auxilio, quo Deus interiùs animam illuminat, & ad ſe trahit, & convertit, & adiuvat ut convertatur. Pelagius enim non negavit priora auxilia, imò Divinam revelationem eſſe neceſſariam aſſeruit.* Idem habet lib. 2. de cauſa prædeſt, cap. 16. §. 4. *ſententia.* Dicens quod Pelagius quidem admittebat gratiam eſſe neceſſariam ad credendum, & bene operandum; poſtea verò explicabat gratiam illam nihil aliud eſſe, quam prædicationem, ſeu revelationem, vel Chriſti exemplum. Ecce dicit admiſiſſe Pelagium ſicut neceſſariam revelationem internam, imo ibi dicit illam admiſiſſe ſub illa media præſcientia per quam congrua fieret, quæ nunc inſtanter defenditur. Verba illius ſunt citato 2. lib. de cauſa prædeſt. cap. 16. n. 10. §. 1. *Quod ſi quis dicat,* ait, *illam cogitationem non habere rationem gratiæ, niſi quatenus congrua eſt, certè Pelagius non negaret quin ſimilis congruitas poſſit inveniri in propoſitione legis, vel prædicatione fidei. Quia Pelagius non ignoravit, Deum præſcire, ſi hîc prædicetur Evangelium cum his ſignis, &c. qui ſunt crediturí, necne.* Et poſt pauca: *Fatebatur ergo Pelagius,* inquit, *quibus ſit, vel non ſit futura prædicatio congrua*: hæc ille. Cum ergo manifeſtè dixerit admiſiſſe Pelagium nomine gratiæ internam revelationem, nec ignoraverit quibus illa futura ſit congrua, convincitur manifeſtè, nec illam revelationem, nec illam congruitatem à Pelagij Doctrina recedere.

Similiter Gregorius de Valentia 1. 2. quæſt. 3. de gratia punct. 3. col. 978. ita dicit: *Eſt enim non modò intellectus, ſed etiam voluntas noſtra imbecillis ad reſpondendum ſicut oportet, quod eſt definitum contra Pelagium in Concilio Arauſicano Canone 4. & Milevitano can. 4. & à Divo Auguſtino lib. de dono perſev. cap. 15. & lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 19. rectè probatum. Cum enim Pelagius arbitraretur intellectum tantummodo indigere auxilio, voluntatem autem poſſe per ſe, illuſtrato iam intellectu bene operari, obiicit Auguſtinus: quid eſt ineptius, & ab ipſa veritate alienius quam confiteri ex Deo eſſe ſcientiam, quæ ſine charitate inflat, & ex nobis eſſe charitatem, quæ facit, ut ſcientia inflare non poſſit?* Per quæ verba iterum ex S. Auguſtino quod ſupradictum eſt confirmatur, quod videlicet ex parte voluntatis, quam firmam Pelagius eſſe dicebat, non admiſit auxilium gratiæ, niſi ad faciliùs; ex parte autem intellectus, quem imbecillem fatebatur neceſſariam ponebat revelationem, ut etiam hi authores nobiſcum fatentur.

Accedat vltimo quod liber non ſemel relatus operis de gratia tripartiti, noviſſimè nomine Suarij publicatus, etiam concedit pag. mihi 248. quod licet fortè Pelagius aliquando confeſſus fuerit Deum iuvare, vel etiam excitare voluntatem aliquo particulari modo providentiæ ſuæ, numquam intellexiſſe videtur illud fieri per internam excitationem, elevantem voluntatem ſuper ſuas vires naturales. In quo quidem bene dicit, non admiſiſſe Pelagium talem excitationem elevantem voluntatem ſupra vires ſuas, alias neceſſariam diceret talem excitationem voluntatem elevantem ſupra proprias naturales ſuas vires: Et poſtmodum pag. mihi 255. veſ. *quod ut intelligatur*, internam revelationem neceſſariam poſuiſſe Pelagium fatetur. Vnde nimis à veritate recedunt qui dicunt Pelagium negaſſe illam interiorem gratiam præſertim excitantem voluntatem; quia, ut clariſſimè manet oſtenſum, ſolam illam negavit, quæ voluntatem moveat, illam autem aliam interiorem oſtendentem, & revelantem, non negavit, ſed admiſit.

Nec aliquem moveat quod in cap. 7. illius libri de gratia Chriſti poſtquam S. Doctor Auguſtinus verba Pelagij retulit, quibus manifeſtè adiutorium gratiæ ad faciliùs tantum ſe admiſiſſe teſtabatur, ſtatim, & illa alia verba apponit, quibus ille immediatè ſe-

quutus

Digitized by Google

quitus explicavit quam dicebat gratiam necessariam ad faciliùs, dicens : *Quam non nos ut tu putas in lege tantummodo sed in Dei adiutorio confitemur. Adiuvat enim nos Deus per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat :* ergo gratia quam necessariam ad faciliùs dicebat Pelagius, erat divina illa interna revelatiò ostendens ; & sic non admittebatur ab ipso sicut simpliciter necessaria, sed tantùm ad facilius.

Ad hoc enim duplex solutio est, nec multum difficilis : Prima hoc dixisse Pelagium in illo suo secundo statu iam à nobis supra explicato, & postea tandem illam revelationem dixisse simpliciter necessariam, ut inducta probant testimonia, & sic distinguendo tempora huius hæretici concordabimus diversa placita. Sanctus autem Pater Augustinus illius utriusque status verba refert. Vel si magis placet, dicatur Pelagium sibi in suis dictis minus fuisse constantem, quod hæreticorum est proprium. Vnde aliquando illas internas revelationes ad faciliùs posuisse, ut ex inducto testimonio videtur deduci. Aliquando verò argumentis Catholicorum oppressum illas divinas,& internas revelationes dixisse simpliciter necessarias,nec ab hac contradictione,& varietate eum necesse liberare. Potissimè quia S.P.Augustinus cap. 37. præcitati libri ita de illo ait. *Istam sane legi* (videlicet Epistolam quandam) *mihique pene persuaserat hanc illum gratiam, de qua quæstio est, confiteri, quamvis in multis eius opusculi locis sibi ipse contradicere videatur.* Adjuvat, quod idem S. P. & Doctor de illo refert cap. 40. illius libri sic dicens : *Quod tamen qualecumque, & quantulumcumque adjutorium eum credibile est in hoc constituere, quod nobis additur scientia, revelante spiritu per doctrinam, quam vel non possumus, vel difficilè habere possumus per naturam.* Notanda sunt hæc verba sub hac disjunctione præposita. *Quam vel non possumus, vel difficile habere possumus*, quibus apparet, quod Pelagius aliquando unum, aliquando aliud sua confessione admittebat, vel quod prius dixit esse difficile, postea quod non poteramus per naturam adstruxit.

Dicatur secundo prout supra, quod ex parte voluntatis numquam Pelagius admisit gratiam ut simpliciter necessariam, sed tantùm ad faciliùs, & hoc sonant illius illa verba priora ex cap.7. libri de gratia Christi : ex parte verò intellectus illas revelationes dixit necessarias ad perficiendum,& hoc probant omnia alia inducta testimonia. Quomodo autem per hoc pateat differentia, quam sanctus Pater Augustinus statuit inter ipsum, & Iulianum, & Celestium lib. 2. ad Bonif. cap. 8. quod isti admittebant gratiam aliquam necessariam ad perficiendam iustitiam, ut ex illo citato loco constat. Pelagiùs verò nullam posuit gratiam necessariam etiam ad perficiendum ; sed tantùm ad perficiendum tandem admisit revelationes illas necessarias, commodiùs infra explicabimus agentes de erroribus Iuliani, & in quo à Pelagio differat.

Ex dictis sequitur authorem libri de efficacia gratiæ impressi Antuerpiæ anno 1610. (quem melius contra efficaciam gratiæ inscripsisset, cum in illo illam penitus neget,& in arbitrio ponat) sinistrè mentem Pelagij intellexisse ut ab illo suam doctrinam diceret longe ire, cum ait cap. 17. §. 2. cum sequentibus, Pelagium solam exteriorem legem, & doctrinam admisisse, & non interiorem revelationem, & quamvis in §. *hinc patet* videatur asserere etiam legem & doctrinam exteriorem admisisse tantum ad faciliùs : Vnde minus hoc consonat cum his quæ præmiserat in §. 3. *Pelagius*, vbi ait. Pelagium aliquam gratiam internam admisisse ad faciliùs. Si autem aliquam internam admisit ad facilius, nec poterat non admittere interiorem revelationem, seu suasionem, quæ omnium minima, & prima est, sed hac dissonantia omissa ex dictis constat quantum à veritate deviet, negando admisisse tandem Pelagium revelationem internam necessariam ad perficiendam salutem.

Aliud etiam ibi dicunt, quod gravius multo videtur, quod si Pelagius admisisset tantùm ex parte gratiæ prævenientis illuminationem interiorem, & gratiam adjuvantem immediatè agentem non in voluntatem, sed in actum ipsum, nulla Augustino cum eo quæstio esset. Hoc enim sustineri nequit, nam illa interior revelatio nihil supernaturale in voluntate poneret,ut etiam hic author fatetur. Rursus illa cooperatio, quæ vocatur adjuvans gratia nihil etiam in voluntate poneret quia non in illam, sed tantum in actum agit : ergo sola & nuda voluntas nullis supernaturalibus viribus,sed suis tantum naturalibus opera salutis efficeret, qui est in substantia error Pelagij. Omitto quod illa revelatio non recederet à lege,atque doctrina,officio & munere, ut dictum est : Vnde non recederet Pelagius à commendatione legis, atque doctrinæ, imò illam revelationem de facto necessariam Pelagius posuit, nec per illam ut S. Augustinus ostendit recedit à lege, atque doctrina. Quamvis autem non admiserit de facto Pelagius gratiam cooperantem, si tamen illam sic, non in voluntate collocaret, sed in actione; illum expugnaret Augustinus ; quia nihil in voluntate supernaturale poneret, quod vires daret voluntati, sicut de hoc semper illum expugnavit. Rursus illum refutaret, quia illam adjuvantem, seu cooperantem gratiam daret ex priori merito virium naturalium voluntatis bene ex sua innata libertate vtentis illa revelatione,ut Deus illam cooperantem gratiam redderet. Tunc enim hæc causalis esset vera. Ideo Deus cum illo homine cooperatur, quia ipse homo ex pura, & nuda voluntate operatur, posita revelatione tantùm ex parte intellectus ostendente, & revelante. Tandem illam vocatam cooperantem, aut adjuvantem gratiam immediatè agentem in opus ipsum, seu in ipsum actum Iulianus expressè constituit, à quo omnes illam postea, sicut à primo authore acceperunt, licet id fortè minus adverterint, & tamen, ut dicemus infra agentes de erroribus Juliani illum S. P. Augustinus expugnavit, quòd per hoc illam vocatam adjuvantem, seu cooperantem gratiam sub prioris merito bonæ voluntatis incipientis sine gratia poneret Iulianus.

Igitur ut concludam si Pelagius illa duo admisisset, & revelationem ex parte gratiæ prævenientis ; & cooperationem, illum ex tribus S. Augustinus expugnaret. Primo, quia gratiam prævenientem non poneret recedere à lege, atque doctrina, de quo semper Pelagium damnavit. Secundo, quia in voluntate nullas vires supernaturales ad salutis opera admitteret. Tertio quia gratiam cooperantem ex priori merito voluntatis constitueret : sed ista sic breviter dicta circa istum authorem sufficiant, quoad Pelagij mentem, nam de eius doctrina copiosiorem sermonem postea faciemus. Vnum solum advertentes, quod iste author gratiam prævenientem nullas dare vires sufficientes voluntati affirmat in illo suo dicto, sed tantum se tenere ex parte intellectus objective illuminando, dicit.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Quod Pelagius admiserit hoc revelans adiutorium adjuvare hominis voluntatem ei tribuendo aliquod extrinsecum posse bene operari.

SI prædicta doctrina sancti Augustini inspiciatur in præcitato illo libro de gratia Christi contra Pelagium, & Celestium, & illud apertè constabit, statuisse Pelagium Deum per illas internas suas revelationes hominis possibilitatem adiuvare, adiuvando eum, videlicet, ut velle, & operari possit, non autem, ut defacto velit, & operetur. Imò in hoc situm fuisse totum dogma Pelagij idem sanctus Ecclesiæ Doctor similibus verbis manifestat, hæc ex ipso Pelagio referendo. *Nos, inquit,* (scilicet Pelagius) *sic ista tria distinguimus, & certum velut in ordinem digesta partimur. Primo loco posse statuimus, secundo velle, tertio esse, posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud, id est posse, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit, duo verò reliqua, hoc est velle, & esse, ad hominem referenda sunt.* Et post pauca, alia Pelagij verba refert in hunc modum. *Et ut generaliter universa complectar quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare illius est, qui hoc posse donavit, qui hoc posse adiuvat; quod verò bene agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est, qui hæc omnia vertere etiam in malum possumus.* Et infra contra hanc doctrinam talem sanctus Augustinus sententiam profert: *Ecce est totum dogma Pelagij in libro eius tertio pro libero arbitrio, his omnino verbis diligenter expressum; quo tria ista, unum quod est posse, alterum quod est velle, tertium quod est esse, id est possibilitatem, voluntatem, actionem; tanta subtilitate curavit distinguere, ut quodcumque legimus, vel audimus divinæ gratiæ adiutorium confiteri, ut à malo declinemus, bonumque faciamus, sive lege atque doctrina, sive ubilibet constituat, sciamus quod loquitur, nec erremus aliter eum intelligendo quam sentit. Scire quippe debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem, Divino adiuvari credit auxilio, sed solum possibilitatem voluntatis atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo tamquam hoc sit infirmum quod ipse Deus posuit in natura, cætera verò duo, quæ nostra esse voluit, ita sint firma, & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigeant auxilio, & ideo non adiuvet ut velimus, non adiuvet ut agamus, sed tantummodo adiuvet ut velle, & agere valeamus. Contrà autem Apostolus, cum timore,* inquit, *& tremore vestram ipsorum operamini salutem, & ut sciret, quia non tantùm in eo quod operari possent, hoc enim in doctrina, & in natura iam acceperant, sed etiam in eo quod operantur divinitùs adjuventur, non ait, Deus est enim qui operatur in vobis posse, tanquam ipsi iam velle, & operari per se ipsos habeant, nec in his duobus adiutorio eius indigeant, sed ait, Deus est enim qui operatur in vobis, & velle, & perficere,* vel sicut in aliis, & maxime græcis codicibus legitur, *& velle, & operari. Videte si non Apostolus gratiæ Dei futuros adversarios sancto spiritu tantò ante prævidit, & hæc duo, id est velle, & operari, quæ iste ita nostra esse voluit, tamquam ipsa divinæ gratiæ non adjuventur auxilio, Deum in nobis dixit operari.*

Quibus verbis S. Augustinus tria in summa, sed clarissimè docet. Primum cautos nos esse debere contra Pelagium, & quoscumque alios, qui, cum negent Deum verè in nobis efficere ut operemur, tantùm concedunt ipsum dare auxilium, quo voluntas potens reddatur ad operandum, si ipsa tamen voluerit: Cum, inquam, ista distinguant, ubicumque alibi dicant Deum adiuvare nos, ut velimus, & operemur, ne erremus eos ita reipsa sentire, intelligendo, sed sciamus non eos per hoc fateri auxilium, quod verè nobis tribuat velle, & operari, sed tantùm, vt velle, & operari possimus. Secundum est Pelagium non tantùm admisisse legem, atque doctrinam purè exteriorem: quod satis indicant verba nunc relata, *sive in lege, atque doctrina, sive ubilibet gratiam ponat*, per quæ declarat sanctus Doctor, ipsum non solum legem purè exteriorem admisisse, si enim hoc ita esset, sufficeret dicere quod gratiam ponebat Pelagius in sola lege atque doctrina exteriori, nec adderet, *sive in lege atque doctrina, sive ubilibet*, per quod & doctrina præcedenti capite fundata magis confirmatur. Tertium, & ultimum est, per hanc internam revelationem, quam vocabat gratiam Pelagius, quamque ipsum ut necessariam admisisse ostensum reliquimus supra, asseruisse tantùm Deum adjuvare possibilitatem naturæ dando ei posse operari, id est ut operari possimus, non autem ut de facto velimus, & operemur, quod esse totum ipsum dogma Pelagij ex ipso sancto Patre Augustino didicimus.

Notentur verba sancti Patris Augustini relata, & erit manifestum non solùm asserere posuisse Pelagium Deum adiuvare hominis naturalem possibilitatem, ut quidam exponunt, ut ab illo se ostendant alienos. Sed clarius asserere admisisse Pelagium Deum adjuvare ut valeamus, & possimus, ut ipsa aperta verba testantur: quomodolibet intelligat Deum adjuvare ut valeamus, & ut possimus, sive dando intrinsecum posse: sive extrinsecum per modum legis atque doctrinæ, illuminando interius, suadendo, invitando, & alliciendo: sine quo adjutorio dicebat nos non posse iustitiam perficere, & omnia divina servare mandata, omnesque tentationes superare.

Itaque non solùm posuit Pelagius Deum adiuvare hominis possibilitatem: ita quod sine illo adiutorio posset illa possibilitas naturæ bene operari. (Sic enim authores cum quibus agimus exponunt.) Sed manifestè posuit ita adjuvare Deum hominis possibilitatem, ut sine illo adiutorio non posset ipsa sola hominis possibilitas. Ad quod ostendendum exponens Sanctus Pater Augustinus, quomodo Pelagius posuerit adjuvare Deum hominis possibilitatem, dixit, *quod adiuvat, ut agere valeamus, id est ut agere possimus: & quod venire posse, cœpit ponere in gratia.*

Sed dubitabis, quomodo S. P. Augustinus relatis verbis dicat, quod posse operari homines in natura, & doctrina iam acceperant, cum posse bene operari opera pietatis, nec à natura habeatur, nec à sola lege, sed auxilio gratiæ dante sufficientes vires potentes ad sic operandum? Ad hoc dicendum, vel loqui sanctum Augustinum in illis verbis ex concessis à Pelagio contra ipsum: cum enim ipse constitueret hominem posse bene operari ex natura, & doctrina, quas iam homo acceperat: ex illo Apostoli testimonio probat S. Augustinus, quod non loquatur Paulus de hac possibilitate; sed de auxilio faciente ipsum hominem de facto velle, & operari. Vel secundò dicatur loqui ibi S. Doctorem generaliter de auxilio requisito ad operandum opera ordinis naturalis facilia, ad hæc enim potentiam habet homo, illaque operari potest per naturam, & doctrinam, de quibus propterea dicit quod posse illa operari iam homo accepit in natura, atque doctrina. Sed ad propositum revertamur.

Hoc ipsum S. Doctor confirmat cap. 14. eiusdem libri de gratia Christi sic dicens; *& isto divino docendi modò, etiam ipsa voluntas, & ipsa operatio, non sola volendi, & operandi naturalis possibilitas,*

Digitized by Google

adjuvatur. Si enim solùm posse nostrum hac gratia iuvaretur, ita diceret Dominus, omnis qui audivit à Patre, & didicit, potest venire ad me: non autem ita dixit: Sed omnis, inquit, *qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me. Venire posse, in naturæ ponit Pelagius, vel etiam, ut modò dicere cœpit, in gratia, qualemlibet eam sentiat; qua ipsa, ut dicit, possibilitas adiuvatur. Venire autem iam in voluntate & opere est. Non est autem consequens, ut qui potest venire iam veniat, nisi id voluerit, atque fecerit. Sed omnis qui didicit à Patre non solum potest venire, sed venit, ubi iam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est.*

Ex quo scripturæ testimonio constat Pelagium posuisse Deum adiuvare dando aliquod posse naturæ, alias contra eum illud non induceret: *Omnis qui audivit patre & didicit, venit ad me.* Imò ex hoc eodem testimonio convincitur, quod licet Pelagius admisisset verum posse tributum per gratiam, quæ daret homini veram supernaturalem possibilitatem, cum qua verè possit, & sine qua non possit, bene operari, adhuc veram Christi gratiam non cognosceret; Quia Christus Dominus in allato testimonio non dicit quod omnis qui audit à Patre, & didicit potest venire ad me, sed dixit venit ad me: nisi ergo detur adiutorium gratiæ; quod verè faciat venire, non salvatur Christi Domini gratia, in eo testimonio expressa: Itaque adiutorium gratiæ Christi. Distinguitur primo à lege, & doctrina exteriori: quod sine contradictione omnes admittunt. Distinguitur secundò ab interioribus revelationibus, & suasionibus moraliter tantum invitantibus quæ officio, & munere non recedunt à lege, atque doctrina quod sæpe S. P. Augustinus demonstrat. Distinguitur tertio à gratia primæ conditionis; seu primæ institutionis quæ dabit verum posse intrinsecum ad operandum. Quartò adiutorium veræ & propriæ gratiæ Christi super hæc tria dat efficaciter ipsum velle, & operari.

Non igitur est dubium quin dixerit Pelagius adiuvare Deum per illam internam, quam admittebat sapientiæ revelationem; possibilitatem nostram; videlicet; ut velle, & agere possimus; & admiserit internam illam revelationem dare homini posse tantum bene operari. Et ut similia multa testimonia omittantur; in fine totius libri de gratia Christi cap. videlicet 47. ita contra Pelagium concludit: *Quapropter quantùm attinet ad istam de Divina gratia, & adiutorio quæstionem, tria ista quæ apertissimè distinxit attendite, posse, velle, esse, ideſt possibilitatem, voluntatem; actionem; si ergo consenserit nobis non solam possibilitatem in homine, etiam si nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem & actionem, ideſt, ut bene velimus, & bene agamus; quæ non sunt in homine, nisi quando bene vult, & bene agit; si ut dixi consenserit etiam ipsam bonam voluntatem & actionem divinitus adiuvari, & sic adiuvari; ut sine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra iustitia iustos facit, ut ea sit vera nostra iustitia, quæ nobis ab illo est, nihil de adiutorio gratiæ, quantum arbitror, inter nos controversia relinquetur.*

Manifestum est ergo admisisse Pelagium internas illas revelationes, quas constituebat adiuvare possibilitatem, dando videlicet voluntati tantum posse bene operari; & in hoc totum suum dogma firmabat. Ex hoc etiam vltimo sancti Patris Augustini testimonio manifestum est, quod quia Pelagius non admisit adiutorium gratiæ, ut bene velimus, & bene agamus, quæ non sunt in homine nisi quando bene vult, & bene agit, sine quo nihil bene vult de facto homo nec bene agit; quia, inquam, hoc adjutorium non admisit, sed solam possibilitatem posuit adiuvari quomodolibet illam possibilitatem astrueret, Christi Domini gratiam non fuit confessus, & de hoc fuit principalis quæstio cum ipso.

Quod ut plenius intelligatur; & perfecta consonantia doctrinæ S. Augustini in illo citato libro de gratia Christi comprehendatur; nec aliquid sit quod contra hanc apertam doctrinam ex S. Augustino possit opponi, duo attentiùs oportet considerare. Primum est sanctum Doctorem numquam docuisse illas internas revelationes, à Pelagio de facto admissas, dare verum & intrinsecum posse, veraſque & sufficientes vires voluntati; sed tantùm dixisse per illas dari posse bene operari, sive illud sit propriè & verè posse, sive sit posse quoddam extrinsecum, vt statim aperiemus. Alterum est quod licet Pelagius reipsa admisisset internum adiutorium gratiæ; quod verè & propriè daret intrinsecum posse, & veras proprias sufficientes vires voluntati, adhuc veram Christi gratiam non fateretur, nec à suo damnato errore recederet. Hoc secundum satis notum est, & manifestum, illudque apertè declarant repetita illa sancti Augustini verba: *ubilibet, & ubicumque, & quantumlibet, & qualemlibet gratiam ponat, ponit ad posse.* Quibus demonstrat, quod vbicumque & quamcumque gratiam ipse admitteret, sive in lege atque doctrina, sive in intellectu, & voluntate, quæ daret quodcumque posse, sive verum, & intrinsecum, sive extrinsecum tantùm, à suo damnato errore non recederet, nec veram Christi gratiam fateretur; quæ secundum Divinas scripturas non solum posse adiuvat, sed verè & propriè tribuit velle, & operari, licet tunc admitteret non solam legem, atque doctrinam, sed gratiam primæ conditionis, quæ verum posse tribuat.

Non sunt ergo audiendi authores quidam moderni, qui suadere laborant gratiam prævenientem tantum dare posse proximum supra posse remotum, quod ex nostra habemus libertate: quo posse proximo arbitrium, ut placet, aliquando bene, aliquando malè utitur; nec putant hoc ad Pelagij dogma pertinere cum tamen totum oppositum ex dictis convincatur. Qualemlibet enim, & quamcumque gratiam admisisset Pelagius, ut S. Pater Augustinus ostendit; quæ tantùm daret posse venire ad Christum: cum ipse neget gratiam, quæ det ipsum velle venire ad Christum; gratiam Christi non confiteretur. Vnde à S. P. Augustino, imò ab Ecclesia damnatur, quia non admisit gratiam qua velimus; & operemur; quamcumque admittat, ut velle, & operari possimus: & in hoc eius substantialis error consistit, ut per totum librum de gratia Christi S. Doctor Augustinus demonstrat.

Duo ergo distinguenda sunt in Pelagio. Primum quod ipse negavit gratiam, qua velimus, & operemur, ideſt facientem nos vere velle & operari. Secundum quod tandem admisit gratiam dare posse, sed nec verum posse proximum admisit, sed illud, quod non recedit à lege, atque doctrina. In primo moderni authores cum illo conveniunt pariter negantes gratiam ad velle, & operari id est quæ vere faciat. In secundo ab illo forsitan distinguntur, cum ipsi, ut dicant, verum posse proximum admittant tribuens veras vires voluntati, quod Pelagius non admisit. Diximus forsitan, quia cum ipsi tantum admittant prævenientem gratiam excitatione solùm moraliter suadendo, invitando, & aliciendo, seu objectivè tantùm proponendo, & hoc videatur officio, & munere non recedere à lege, atque doctrina, nec per talem prævenientem, seu excitantem gratiam, veras vires tribuunt voluntati,

Digitized by Google

nec verum posse proximum reipsa constituunt, nisi voce dumtaxat, ut in his nostris operibus ostendemus, vbi & sanctos PP. quos pro sua sententia inducunt nihil eis favere apertissimè demonstrabimus : Si enim ipsi admittunt gratiam prævenientem dare verum posse, quare frequenter dicunt gratiam prævenientem, quatenus præveniens est, solum movere moraliter suadendo, invitando, & alliciendo : quod non recedere à lege atque doctrina est manifestum ; nec dat verum posse.

Ista enim duo adinvicem sibi contradicunt : gratia præveniens, quatenus præveniens solum excitat suadendo moraliter, alliciendo, & invitando ; & gratia præveniens est verum auxilium sufficiens dans voluntati verum posse & veras sufficientes vires. Si enim præveniens gratia, quatenus præveniens solum moraliter, & objective excitat, suadendo, & invitando, cum hoc, ut manet ostensum, non recedat à commendatione legis, atque doctrinæ; verum posse, & veras sufficientes vires animæ tribuere non potest nec verum est auxilium sufficiens : parique ratione, si gratia præveniens verum posse tribuit voluntati, & veras ac sufficientes vires præstat, vereque est auxilium sufficiens ; gratia præueniens quatenus præveniens non erit solum moraliter, & objective excitans.

Unde, qui pro fundamento proponunt gratiam prævenientem, quatenus prævenientem, esse tantum moraliter & objectivè excitantem, illam reipsa solùm ex parte intellectus constituunt ; & cum postea dicunt se excitantem gratiam prævenientem ex parte voluntatis constituere, & hoc repugnet illi suo primo fundamento, verbis potius quam reipsa hoc eorum videtur assertum : vel excitantem gratiam ex parte voluntatis constituunt, ut solum illam excitet ad actum indeliberatum, respectu autem actus ulterioris liberi nullas sufficientes vires voluntati tribuat, sed quod respectu actus liberi tantùm sit objectivè, & moraliter excitans, quare veram prævenientem excitantem gratiam non admittunt. Verum enim auxilium sufficiens, quod in vera excitante gratiæ consistit non solum se tenet ex parte intellectus objectivè proponendo, & moraliter suadendo, nec solum voluntatem ut naturam efficaciter excitat ad actum indeliberatum, sed etiam veras sufficientes vires tribuit voluntati, ad ulteriorem actum liberum, ut rectè Salmanticensis Academia in quadam sua doctissima censura docuit, dicens : quod dividitur auxilium gratiæ, in sufficiens, & adjuvans, sive in excitantem gratiam, quæ est auxilium sufficiens, & adjuvantem, quæ est auxilium efficax : cum ergo sola [illegible]ce, & non reipsa auxilium verè sufficiens videantur admittere, nec verum posse voluntati dare suis principiis convincatur, sed solum morales excitationes, quæ non recedunt à lege, atque doctrinæ ; nec in hoc à sententia Pelagij videntur alieni.

Conditionaliter dixi, quamvis Pelagius admisisset adjutorium internum, quod daret verum, & intrinsecum posse ; quia defecto tale adjutorium non admisit, sed illud tantùm quod posse quoddam xtrinsecum præbet per modum ostendentis, & revelantis, ut jam prænotavimus : quod esse in doctrina S. Augustini certissimum, ut omnia ejus consonent dicta, aperiendum est modò ex ejusdem sancti Doctoris aperta sententia.

Primo S. Augustinus in præcitato libro de gratia Christi frequentissimè docet Pelagium per illas internas, quas admittebat revelationes, non recedere à commendatione legis atque doctrinæ, nec à suo primo errore, quo dixerat priùs gratiam esse in libero arbitrio vel in lege, atque doctrina, distare. Quæ testimonia esse in S. Augustino frequentissima nullus est qui non videat, & nos illa sequenti capite commodiùs inducemus; sed si de facto Pelagius admisisset internum adjutorium tribuens verum, & intrinsecum posse verasque & sufficientes vires voluntati, non diceret S. Doctor non recedere Pelagium, à commendatione legis, atque doctrinæ : Ergo non sentit S. Augustinus illud adjutorium quod admisit Pelagius dare verum, & intrinsecum posse, verasque & intrinsecas sufficientes vires voluntati. Minor, in qua tota difficultas consistit, ex eo probatur, quod de adjutorio dante voluntati verum & intrinsecum posse, & veras ac sufficientes vires, dici non potest, quod non recedat à lege atque doctrina ; quia illud esset verum auxilium sufficiens, ut notum est. Auxilium autem sufficiens, verum auxilium gratiæ vocatur, & est; quia auxilium verum gratiæ, in sufficiens & efficax dividitur. Unde sufficiens licet non sit ita perfectum sicut efficax, tamen verum auxilium gratiæ est recedens à sola commendatione legis atque doctrinæ. Nec enim auxilium vere sufficiens solum dat posse, per modum proponentis, & ostendentis, & revelantis, vel ad normam legis ; sed insuper veras vires sufficientes ad operandum homini submministrat : Vnde de illo non videtur dicendum quod non recedat à commendatione legis atque doctrinæ, sicut nec de habitibus virtutum, qui tribuunt homini habituale quoddam verum & intrinsecum posse, concedi potest quod non recedant à lege, atque doctrina : Quapropter auxilium internum tribuens hoc verum, & intrinsecum posse, & non solum per modum revelantis extrinsecè proponendo, potissimè si habituale sit ; licet non sit vera Christi gratia, quia hæc facit de facto bene operari, & non solum posse adjuvat, ut dictum est modo, tamen est vera gratia similis gratiæ primæ conditionis primo parenti à Deo collatæ, quæ illius voluntati verum & proprium posse tribuebat, ut apertè docet idem S. Augustinus lib. de Corr. & grat. cap. 11. 12. & 13. quæ proindè primæ conditionis gratia non fuit solum per modum legis, atque doctrinæ, nec de illa dici poterat quod non recederet à lege, atque doctrina. Cum ergo S. Augustinus sæpissimè doceat Pelagium per illud internum auxilium gratiæ, quod constituebat, non recedere à commendatione legis atque doctrinæ, concludendum est ipsum non intendere illud dare humanæ voluntati verum & intrinsecum posse, verasque & intrinsecas sufficientes vires, sed solum ostendere, & ostendendo tantùm aliquo modo posse, donare.

Præterea notum est illud auxilium internum à Pelagio admissum, & à S. Augustino ex verbis ipsius relatum, nihil aliud esse quàm internam quamdam revelationem sapientiæ ostendentem, monstrantem proponentem, & suadentem tantùm ut bonum faciamus, ut idem S. Doctor multoties in prædicto libro de gratia Christi manifestat. Manifestum est etiam hoc auxilium, licet homini tribuat posse quoddam extrinsecum, proponendo videlicet & ostendendo, non tamen tribuere veras vires ipsi voluntati nec ei conferre verum posse operari. Cum ergo S. Augustinus apertè doceat Pelagium tantùm admisisse internas illas revelationes ostendentes, & monstrantes tantùm ; cum de illis doceat quod posse tribuunt, necesse est intelligatur quod tribuant posse sibi proportionatum id est per modum tantùm extrinsecè proponentis & ostendentis, non per modum tribuentis veras sufficientes vires, verè effectivum posse ipsi voluntati. Imò hoc in terminis exprimit idem S. Doctor, citato libro cap. 9. ait. *Quid enim juvat Pelagium, quia diversis verbis eandem rem dicit ut non intelligatur in lege atque doctrina gratiam constituere, qua possibilitatem naturæ asserit adjuvari.*

Igitur asserebat Pelagius adjuvari possibilitatem naturæ,

Digitized by Google

naturæ, non per verum posse veras sufficientes vires tribuens, sed per aliquid quod daret posse per modum legis atque doctrinæ, & cap. 41. ipsum confirmat dicens: *Ipsum vero auxilium, quo possibilitatem naturalem perhibet adjuvari, in lege constituit, atque doctrina.* Igitur non verum posse supernaturale tributum à gratiæ auxilio fatebatur, sed posse quoddam extrinsecum per modum legis atque doctrinæ immissum. Et in cap. 6. ejusdem libri præmiserat: *Hanc autem possibilitatem naturalem, quam adjuvari Dei gratia confitentur non est hîc apertum, vel quam dicat gratiam, vel quatenus ea naturam sentiat adjuvari, sed sicut aliis locis, in quibus evidentiùs loquitur intelligi potest, non vult aliud accipi quàm legem, atque doctrinam, qua naturalis possibilitas adjuvatur.* Nullo ergo modo sentit S. Augustinus admisisse Pelagium illud adjutorium dare verum posse & veras sufficiens vires ad operandum, sed posse tantùm extrinsecum per modum revelationis, & suadentis, seu exhortantis.

Hoc deindè tali exemplo suadetur. Si dormiens jaceret pedibus omnino claudus, & qui se solo movere nullo modo posset, & in magno esset periculo constitutus nisi fugeret, & alius quidam ipsum excitaret, eum tangendo; & à somno liberato ostenderet periculum, & suaderet efficaciter, ut fugiendo se liberaret: certum est quod si nihil aliud faceret, nec homo fugeret, nec per hoc eidem sufficientes & proprias vires quibus ambularet, tribueret; quia tota illa; ostensio, excitatio, & suasio bene quidem proponerent, atque suaderent, & quoddam posse extrinsecum ostendendo conferrent, sine quo homo fugere minus posset, & ad id suo modo etiam esset necessarium; cæterum veras sufficientes vires per hoc non tribueret, quibus miser ille claudus evadere posset periculum. Instar hujus ergo oportet considerare internas revelationes à Pelagio admissas stupentem suscitantes voluntatem, posse quoddam extrinsecum, & per modum ostendentis, seu excitantis homini tribuere, non autem verum posse, & veras vires sufficientes claudæ hominis tribuere voluntati; & de hoc extrinseco posse à Pelagio admisso, dixisse S. Augustinum quod non recedit à lege atque doctrina, sine quo ut dictum est, non posset hominis voluntas bene operari, sed non per ipsum solum bene operari posset. Aliud est enim aliquid ita esse necessarium, ut sine illo homo non possèt aliquid efficere, & aliud valde diversum, ita esse necessarium ut per illud solum homo posset facere opus illud, quod allatum exemplum rem efficit clariorem, & alia similia plurima, quorum unum tantum, sed notissimum subjiciemus, quod de oculis, & luce se statim omnibus offert. Certum est enim necessarios esse oculos, ut homo possit videre, vel saltem oculum, nec sine oculo hominem posse videre; certum est etiam quod oculo solo, sine luce homo videre non potest: sic in præsenti sine illa interiori revelatione & ostensione non poterat homo, dicebat Pelagius, bene operari, omnia divina implere mandata, & justitiam perficere, illamque proinde necessariam ad ista dicebat, & per illam, posse voluntatem, si vellet, omnia prædicta operari contendebat; sed reverà & illa necessaria erat, & aliquod extrinsecum posse conferebat, sed nec vires voluntati dabat nec verum posse, nec ex consequenti sufficiebat.

CAPUT XIII.

Quod Pelagius auxilium verè sufficiens, & verum tribuens posse reipsa non admiserit.

QUOD autem de hoc revelante auxilio verè dicatur quod aliquod tribuat posse præter allata exempla ex eò constare poterit, quod de hominibus habentibus revelationem talem, imò habentibus purè extrinsecam Evangelij prædicationem, dicere solemus, quod possunt credere, quod tamen posse negamus illis, qui nihil penitus, vel interiùs, vel exteriùs de fide perceperunt. Hac ergo ratione dicebat Pelagius illud revelans auxilium dare quoddam posse, vel adjuvare possibilitatem quia sine illo, sola potentia voluntatis non poterat, & cum illo poterat, sicut si dicamus, ut aliud sit exemplum, quod potentia quælibet perfecta posito objecto sibi proportionato potest circa illud actum habere, non posito vero objecto non potest: ita cum firmum, ac potens Pelagius affirmaret arbitrium hominis ad omne pietatis opus solis suis naturalibus viribus efficiendum, asserebat, quod repræsentato sibi objecto quolibet per intellectus revelationem & ostensionem, poterat voluntas bene operari, sine autem tali revelatione, & ostensione dicebat quod voluntas non poterat, & hoc modo necessariam illam revelationem affirmabat.

Auxilium autem vere sufficiens, & verum tribuens posse (quod Pelagius de facto non admisit) ultra prædicta, veras insuper & sufficientes voluntati tribuit vires, quas ipsa sine illo non habet ad pietatis opera efficienda, & per ipsam voluntatem stat, cum possit bene operari, quod non bene operetur, ut in istis operibus potissimè in quarto libro, ubi de hoc agemus ex professo, ostendendum, & explicandum, erit copiosiùs: Ad modum quo, ut in primo persistamus exemplo, si ille qui claudum excitat, ei periculum ostendit, ut fugiat hortatur, invitat, suadet, insuper illum à terra elevaret, & sufficienter adjuvaret ad fugam capiendam, verè eum adjuvando, & illi veras vires tribuendo, ille tali adjutorio resisteret, & fugere recusaret.

In summa tria interna auxilia distinguenda sunt: duo quidem, quæ simpliciter, & absolutè auxilia gratiæ sunt; aliud quod tantum secundum quid, & cum addito auxilium gratiæ dicendum est; hoc tertium est auxilium intrinsecum, revelans, suadens & ostendens tantùm, & quasi ab extrinseco proponens, extrinsecumque posse voluntati tribuens, quod tandem in tertio suæ perfidiæ statu admisit Pelagius, & quod non recedere officio, & munere, à lege, atque doctrina ostensum est.

Secundum est verum auxilium sufficiens, & verum ac intrinsecum posse voluntati tribuens, quod Pelagius non admisit; esse necessarium, sed tantùm ad faciliùs. Licet autem illud, ut necessarium admisisset veram Christi Domini gratiam facientem nos facere non concederet, quod rationes superius inductæ satis probant.

Tertium autem, & dignitatis ordine primum, ac nobilissimum est auxilium, quod verè & efficienter, atque activè propriè seu verè efficaciter tribuit homini ipsum velle, & operari, ipsumque efficaciter movens, & applicans, ut de facto infallibiliter velit & operetur, quod efficax ex Deo ipso est, & ut venit à Deo nullatenus in sua efficacia ab humana voluntate dependens; in quo vera actualis Christi redemptoris gratia consistit, quod semper & Pelagius, & Pelagiani, ac Semipelagiani omnes negarunt.

Digitized by Google

Unde consulto librum illum, in quo S. P. Augustinus contra Pelagium, & Celestium hujus efficacis auxilij necessitatem demonstrat, de gratia Christi prænotavit, ostendens per hoc hanc negari, nisi illud efficax ex Deo auxilium admittatur, tribuens homini ipsum velle, & operari, id est ut velimus, & operemur, & non solùm ut velle & operari sufficienter possimus.

Nec mirandum quod triplex internum auxilium distinguamus, cum Theologi duplex solùm distinguant, quia illi de auxilio gratiæ, quod veras voluntati vires tribuit, quodque absolutè, & simpliciter auxilium gratiæ dicitur, & est; quodque per hoc verè recedit à lege, atque doctrina, loquuntur, ut dictum est. At verò hoc tertium à Pelagio admissum interiùs revelans, & ostendens solùm, ac proinde non recedens à lege, atque doctrina, simpliciter, & absolutè auxilium gratiæ non est, sed tantùm dicendum est auxilium gratiæ secundùm quid, seu cum addito, vocando nempe illud auxilium tantùm revelans, ostendens & interiùs solùm proponens. Vel dicatur, & melius solum esse duplex. Unum auxilium sufficiens nempe, & aliud efficax: etenim sufficiens non solum ex parte intellectus objectivè & moraliter movet, sed veras suffitientes voluntati vires tribuit: unde illa moralis excitatio ex parte intellectus objectivè movens auxilium dicendum non est, sed pars auxilij sufficientis.

CAPUT XIV.

De quo auxilio potissima fuerit quæstio inter D. Augustinum, & Pelagium.

CONCLUDENDUM itaque ultimò præcipuam quæstionem à sanctis Patribus, ab Augustino potissimè cum Pelagio de efficaci Dei auxilio fuisse, quod ex Deo ipso efficaciam haberet, quod & nobilissimum gratiæ auxilum est, ut diximus, & ex relatis ex S. P. Augustino constat; Quod tandem admittunt authores, cum quibus agimus in illo ultimo suo libro operis tripartiti, in quo pag. 153, ajunt: *Quod licet daremus quæstionem S. Augustini cum Pelagio fuisse de auxilio efficaci, & hanc fuisse Augustini mentem, non tamen, vel Pelagium vel Augustinum in illo sensu fuisse locutum, quem illi moderni intelligunt de efficacia gratiæ de se inducentis, & determinantis voluntatem, quia nec de hoc erat controversia, nec Augustinus cum fundamento diceret non posse aliquem esse Christianum, nisi gratiam illam confiteretur, sed quæstionem fuisse de modo efficaciæ gratiæ, & quale illud auxilium sub hoc novissimè in illo suo ultimo libro tradiderunt.*

Circa quorum verba illud prius considerandum, ideo eos dixisse; *licet daremus*, quia jam vident illud negari non posse, sed illud cum illo modo concedunt, ne videantur totaliter à sua antiquiore sententia recessisse. Quo ab eis, jam dato, quæstionem fuisse de efficaci auxilio gratiæ ex Deo efficacis, & per illud inducente & determinante, seu efficaciter inclinante voluntatem, ut libere bene velimus, & bene agamus. S. P. Augustinus in omnibus suis libris contra Pelagianos demonstrat, signanter illo jam relato de gratia Christi.

Isti enim authores volunt jam nunc de modo, quo auxilium est efficax quæstionem fuisse, sed quis iste modus obsecro erat, de quo controversia versabatur. An Pelagius secundum aliquem modum auxilium gratiæ efficax esse dicebat? Procul dubio, si aliquem efficacitatis modum admisisset; non alius quam ille erat, qui per mediam illam scientiam exponitur, in quo & modo efficax auxilium non ex Deo, sed ex homine habere efficaciam constituitur, nam efficaciam auxilij prævenientis gratiæ ex Deo ipso, & non ex homine efficacem, ille semper negavit, imò hoc principaliter semper impugnavit, sicut libertatem tollens, quod & modò etiam propugnatur. Si ergo illum modum priorem efficacitatis admittebat Pelagius, & illum semper S. D. August. impugnavit: manifestum est docuisse S. August. efficaciam divini auxilij ex Deo ipso, & non ex homine provenientem; & inducentem ac determinantem, seu efficaciter inclinantem voluntatem ad operandum. Idem enim est voluntatem à Deo determinari ad operandum, & efficaciter ad operandum inclinari in actu primo, sicut idem est determinatio, qua se voluntas determinat in actu secundo; & inclinatio, qua se in actu secundo inclinat in tale, vel tale objectum. Maximo autem cum fundamento dicit S. P. Augustinus non esse Christianum, qui gratiam ex Deo ipso efficacem negat, quia hæc est gratia Redemptoris, sicut illa prior quæ dat tantum posse, & à Deo præscitur, quod ex homine habeat efficaciam, vocatur potius gratia primæ conditionis. In quo dicto S. P. August. poterant videre authores hi gravitatem hujus materiæ. Nec hic disputamus modò utrum illa gratia primæ conditionis sit data primo parenti ex meritis Christi, quod nostro tertio libro tractabimus, sed dicimus illam gratiam formaliter redemptoris non fuisse, cum per illam primum parentem non redemerit.

Quod si dicant controversiam ad hunc sensum de modo efficacis gratiæ fuisse, quia nempe Pelagius gratiæ efficaciam per illam mediam vocatam scientiam, seu præscientiam non admittebat, illam verò sic S. P. August. per talem mediam scientiam contra illum statuisse, & de hoc Pelagium impugnasse, quia efficacem talem non admittebat, hoc in primis nullo modo P. Suarez qui author illius operis tripartiti perhibetur intendere potest, quippe qui alibi in libro nempe de prædestinatione planè asserit Pelagium nullo modo negasse Deum præscire, quid liberum arbitrium facturum est posita vocatione, quæ congrua vocatur: Ergo secundum hunc authorem vocationem illam congruam factam efficacem ex libero hominis arbitrio prævisso per illam mediam scientiam non negavit Pelagius, sed potius admisit: Cum ergo contra illum semper insistaret S. P. Augustinus admittendam esse efficaciam auxilij gratiæ. De efficacia gratiæ ex Deo ipso & non ex homine proveniente, cum illo quæstio fuit, quam semper admisit & docuit S. D. Augustinus.

Adeo autem est manifestum S. P. Augustinum negasse, & impugnasse semper illam mediam præscientiam per quam prævideretur gratia ex homine ipso reddi efficax, ut nihil magis in omnibus suis libris contra Pelagianos negaverit, ut infra agentes in particulari contra hanc mediam scientiam dabimus manifestum, quod & hic brevitèr tangimus. Si enim S. P. August. efficaciam gratiæ ex Deo ipso, & non ex homine, non admittebat, sed illam efficacem factam ex homine, & prævisam per illam mediam scientiam, quare Pelagius, & alij ipsi opponebant, quòd libertatem arbitrij per talem gratiam negaret cum illi nullo modo negari per efficaciam factam ab homine, & prævisam per illam mediam scientiam semper affirmarent. Aut quomodo si talem efficaciam constituam per illam mediam scientiam Augustinus admisit, potuit Ludovicus Molina infra citandus tot ac tanta proferre contra S. Augustini doctrinam in hac materia. Manifestum ergo est Pelagium ab August. fuisse impugnatum, quia ipse Pelagius non admittebat efficax auxilium gratiæ ex Deo ipso proveniens cum efficacia.

An verò ipse admiserit ex parte voluntatis ut necessa-

Digitized by Google

cessariam supernaturalem aliquam excitationem, non ita apertè ex verbis ipsius aut ex relatis à S. P. August. potest convinci, etenim ex parte una videtur, Pelagium supernaturalem excitationem in voluntate constituisse. Cum enim ex revelatione, & illuminatione supernaturali posita in intellectu necessariò consequatur excitatio aliqua supernaturalis in voluntate, & Pelagius, ut manet ostensum, revelationem ex parte intellectus, ut necessariam admeserit; utique, & excitationem ex illa resultantem, etiam necessariam videtur admisisse. Quod verò excitatio supernaturalis in voluntate ex supernaturali revelatione posita in intellectu sequatur, ex eo constat quod cum Deus supernaturali illuminatione, & revelatione intellectum illustrat; & practicè per eandem, objectum, voluntati proponit intellectus, consequenter etiam voluntatem excitat supernaturali excitatione illi supernaturali illustrationi proportionata. Aliàs voluntas nullo modo posset se sola & solis naturalibus viribus suis actum elicere respectu supernaturalis objecti, per illam supernaturalem revelationem, & illustrationem propositi: Unde nisi Deus simul proposita illustratione supernaturali in intellectu voluntatem ipsam excitaret supernaturali excitatione, non nisi ex superfluo, & sine causa aliqua illam supernaturalem revelationem ex parte intellectus adhiberet Hanc autem connexionem & consecutionem, cum inseparabilis sit inter intellectum, & voluntatem, & inter objectum practicè propositum voluntati per intellectum, & actum seu affectum voluntatis in omnibus suis operationibus naturalibus, & proportionabiliter in omnibus supernaturalibus, apparet, quod id Pelagius non potuerit ignorare, sed quod sicuti admittebat posita illustratione naturali ex parte intellectus voluntati, excitationem naturalem in voluntate eidem proportionatam; etiam proportione seruata, admissa ex parte intellectus supernaturali illustratione, & revelatione, consequenter admiserit ex parte voluntatis correspondentem, & proportionatam excitationem supernaturalem; & sicut revelationem, uti necessariam ex parte intellectus constituebat, etiam consequenter supernaturalem excitationem necessariam ex parte voluntatis posuerit. Quod ipse videtur illis verbis apertius pronuntiare apud sanctum Patrem Augustinum. Dum revelationem, inquit, sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitare voluntatem.

Verum ex alio capite supernaturalem excitationem ex parte voluntatis non apparet admisisse Pelagium. Tum quia, ut dictum est supra nullam gratiam actualem ex prate voluntatis, ut necessariam concessit, tum sine illa semper firmum ac forte liberum arbitrium ad operandum posuerit; posita revelatione ostendente ex parte intellectus.

Dicendum est ergo quod, cum Pelagius, ut necessariam admiserit revelationem stupentem suscitantem voluntatem, ut illius aperta verba testantur; posuit sine dubio quod per illam Deus objectivè; proponendo nempe objectum; voluntatem excitabat: Vnde per eandem revelationem sic objectivè excitantem voluntatem, posuit ex consequenti voluntatem excitatam. Quod manifestissimum est, quia si Deus revelatione excitat voluntatem, eadem revelatione excitata voluntas est; sed sic esse voluntatem excitatam, non distinguitur à revelatione objectivè excitante, nec ponit in numero cum illa, nec est excitatio realiter distincta à revelatione intellectus, quæ in voluntate sit posita, nec aliquas alias vires voluntati tribuit, magis quam revelatio ipsa objectivè excitans tribuat: Vnde nec illa recedit à commendatione legis, atque doctrinæ, sicut S. P. Augustinus de illa revelatione concludit: Idcirco hoc modo esse voluntatem excitatam Pelagius revera admisit, sicut illam revelationem objectivè excitantem apertè proposuit, licet non ita expressè sicut revelationem ipsam excitantem: Et hoc modo rectè docet Lovaniensium Schola doctissima, cum alia egregia Duacensi admisisse Pelagium supernaturalem excitationem; qua voluntas ipsa, objectivè nempè, sit supernaturaliter excitata à revelatione prædicta, quod & ratio à principio hujus proposita satis ostendit. Illud enim quod naturali sequela oriebatur ex revelatione objectivè voluntatem excitante, quod est ipsam voluntatem esse excitatam, admisit sine dubio Pelagius, nec id negare aliqua ratione potuit.

CAPUT XV.

Quod Pelagius non admiserit aliam excitationem supernaturalem à revelatione distinctam, quæ voluntatem excitaret ad actum supernaturalem liberum.

Dicendum secundo aliam excitationem supernaturalem à revelatione distinctam, quæ voluntatem excitaret ad actum supernaturalem liberum Pelagius non admisit; nec illam posuisse ex relatis illius verbis per S. P. Augustinum vel ex dictis ejusdem Doctoris Sancti potest convinci aut cum fundamento deduci, licet enim ita sit quod cum Deus supernaturali illustratione, & revelatione intellectum hominis illustrat; & facit ut intellectus per talem revelationem supernaturale objectum voluntati practicè proponat, etiam excitatione supernaturali realiter ab illa revelatione distincta, & in ipsa voluntate posita ipsam excitet voluntatem; hanc tamen Pelagius non admisit necessariam; quia posuit liberum hominis arbitrium firmum, forte, & potens sua naturali facultate, & viribus propriis ad volendum quodcumque objectum etiam supernaturale, sibi per intellectum semel propositum; nec ad id aliquod gratiæ adjutorium ex parte voluntatis ut necessarium admisit; hoc enim habuit pro fundamento in erroribus suis, firmum, & forte esse liberum arbitrium semel admissa ex parte intellectus illustratione ad divina mandata servanda, & ad perficiendam justitiam, ut sæpe docet gloriosus Pater Augustinus.

Licet autem, quod attentius venit considerandum, hanc excitationem realiter à revelatione distinctam ipse admitteret, & nihil aliud in voluntate poneret, à suo damnato errore non discederet; quo convictus fuit per illam interiorem revelationem non recessisse à commendatione legis, atque doctrinæ. Cujus ratio est; quia excitatio illa tantùm moraliter excitaret ad actum liberum, suadendo, invitando, & allicendo, sicut & modo ab aliquibus admittitur; hoc autem moraliter excitare etiam non recedit à commendatione legis, atque doctrinæ. Quia moraliter excitare per modum legis, atque doctrinæ, sive ad normam legis, atque doctrinæ, idem prorsus est: cum excitare moraliter, ut sui authores exponunt, sit excitare solùm suadendo, alliciendo, invitando, quod lex potest facere atque doctrina. Unde officio & munere talis moralis excitatio non recedit à commendatione legis, atque doctrinæ.

Diximus quod illa solùm moraliter excitaret ad actum liberum, etiam in voluntate collocata, quia ad actum indeliberatum, verè efficienter & physicè voluntatem efficaciter moveret, sicut communiter omnes, & verè admittunt: sicut qui dormientem excitat physicè & activè, propriè ac efficaciter ipsum excitat: cumautem ulterius illi jam excitato periculum ostendit, & suadet, ut fugiat, hoc secundum officium est suasoris, & moralis tantum excitantis.

Dicendum

Digitized by Google

Dicendum tertio quod multo minus admisit Pelagius aliquam supernaturalem excitationem ex parte voluntatis, quæ veras vires supernaturales ipsi voluntati tribueret sufficientes, ad posse bene operari, quæ necessaria esset ad bene operandum, & prout ad salutem oportet. Hoc certissimum est quia semper ipse, ut dictum est, forte, ac firmum constituit arbitrium ex solis suis naturalibus viribus ad bene operandum. Quamvis autem hanc admitteret necessariam excitationem, sufficientes solùm vires voluntati tribuentem, gratiam Christi verè, & activè propriè facientem nos facere non admitteret, sed tantùm ad summùm diceret posse bene operari ex Deo, velle autem & operari ex nobis, quod Sanctus Doctor Augustinus in libro de gratia Christi passim ostendit.

An verò hanc eandem excitationem ex parte voluntatis eidem sufficientes tantùm, & potentes vires tribuentem ad faciliùs Pelagius admiserit, non multum retulerit perserutari: quia nec sic à sua damnata doctrina recederet, qua necessitatem gratiæ negabat. Unde, etiam illà ad faciliùs admissà, in duobus erraret. Primo quia veram Christi gratiam, verè facientem nos facere, & operantem in nobis ipsum velle, & operari non admitteret. Secundo quia etiam illam potentem, & efficentem gratiam dantem nimirum posse bene operari, non ex necessitate admitteret, sed tantum ad faciliùs. Certum videtur autem, quod illam ad faciliùs admittere non recusaret, cum per hoc in nullo à sua damnata sententia recederet.

Si verò ille ulterius admisit cooperantem gratiam consentiente jam ex se ipso libero arbitrio illi revelationi, quam necessariam tandem admisit, ita ut revelatio illa primò objective voluntatem excitaret ad consensum, & consentiente jam ex se solo libero arbitrio cum ipsa simul cooperaretur, ita quod diceretur gratia cooperans.

Dicendum quarto quod Pelagius illam sic vocatam cooperantem gratiam non negaret. Probatur quia per illam in nihilo à sua damnata sententia recederet, etiam si illam admitteret: Talis enim nominata gratia cooperans reverà gratia subsequens est, & pedisseq qua ad priorem bonum consensum à solo libero arbitrio inceptum. Unde illa sic cooperaretur, quia arbitrium ex se revelationi voluit consentire, & per consequens daretur quia homo voluit, & ex priori merito voluntatis humanæ bene ex se solæ incipientis, revelationi consentire. Quare daretur vel cooperaretur secundum priora merita nostra, per quam proinde Pelagius à suo damnato errore non recederet, quo contendebat gratiam secundum merita nostra dari.

Et quidem, quod Pelagius talem cooperantem gratiam non negaret expresse nobiscum fatetur Franciscus Suarez libro secundo de causa prædestinat cap. 16. §. quarto sic dicens: *Pelagius enim non negaret cogitationem illam, quæ ex prædicatione, & doctrina, vel alio bono objecto occurrente profecta est, esse gratiam, eo modo quo ipsam doctrinam gratiam appellabat. Nec dubitaret illam etiam vocare gratiam excitantem voluntatem ut vellet; & adjuvantem ipsam cum vult, & nihilominus ab Augustino reprehenditur Epistola 106. & sæpe aliàs, quod dolose necessitatem gratiæ adjuvantis in Concilio Palæstino confessus fuerit, & internam gratiam adjuvantem non agnosceret.* Quibus verbis (si alia ipsius addamus quæ prædictus author lato nunc loco adjungit, & lib. 3. opusc. cap. 2. habet, quod videlicet admisit Pelagius internam supernaturalem revelationem, quam ut necessariam gratiam constituebat, quæ ipsius verba relata sunt supra cap 9.) satis erit notum in sententia hujus authoris, & in sententia omnium debet esse certissimum, quod non negaret Pelagius, nec recusaret illam interiorem revelationem appellare gratiam excitantem voluntatem ut velit, cum hoc ipsum apertis verbis Pelagius jam expresserit, ut visum est supra, nec negaret illam esse adjuvantem, seu cooperantem gratiam cum voluntas jam vult.

An vero de facto hanc cooperantem gratiam admiserit Pelagius sunt qui affirment, quod & sibi videntur deducere ex S. Hieronymo primo libro cont. Pelag. non procul à principio, cum ita de Pelagio refert nomine Critobuli: *Non autem ita est, ut autumas, sed si quid in me boni habeo, illo* (scilicet Deo) *suggerente, & adjuvante completur.* Et iterum ibi eundem Pelagium sub nomine Critobuli introducit ita dicentem: *Meum est & Dei* (nempe quod facio bonum) *ut & ego operer, & ille adjuvet.* quibus verbis, & suggerentem sive excitantem gratiam, & adjuvantem, seu cooperantem, cum jam homo operatur; astruere videtur apertè Pelagius.

Nihilominus dicendum est quinto Pelagium non admisisse de facto illam interiam revelationem quam admittebat, esse cooperantem cum libero hominis arbitrio jam ex se ipso consentiente. Nec id ex relatis nunc testimoniis sancti Hieronymi convinci. Primò quia illi libri sancti Hieronymi non sunt contra solum Pelagium scripti, sed ut titulus habet contra Pelagianos, contra videlicet Pelagium ipsum, Celestium atque Julianum, & nomine Pelagianorum horum introducit Critobulum, illa pronuntiantem. Verum est, quòd potissimè contra Pelagium scribit Hieronymus, quæ propterea possint de Juliano verificari, qui admittebat, ut suo loco monstrabimus, adjuvantem, seu cooperantem gratiam operante jam arbitrio, & incipiente sine aliqua priori gratia, licet ipse veram excitantem non admiserit, sed solam illam revelantem ex parte intellectus, quam nec Pelagius negavit; ut visum est.

Deinde dato quod contra solum Pelagium scriberet tunc Hieronymus, adhuc non concluditur ex inductis testimoniis Pelagium cooperantem illam gratiam admisisse, arbitrio jam incipiente, & consentiente, ut supra cap. 4. manet expositum; quia, ut ibi ex eodem S. Hieronymo, & S. P. Augustino præmisimus, non admittebat Pelagius Deum adjuvare, nisi quia possibilitatem dedit ad operandum, ipsamque interiori revelatione seu interiori doctrina adjuvabat. Nec ulteriùs dixit illam revelationem, consentiente jam arbitrio, ipsum arbitrium in opere à se incepto adjuvare, & multò minùs aliam distinctam cooperationem, seu cooperantem gratiam ex parte voluntatis admisit, etiam prius consentiente arbitrio libero: Unde verba illa; *Si quid in me boni habeo, illud Deo suggerente & adjuvante completur*, & illud aliud: *Ut ego operer & ille adjuvat*, si semel detur Pelagium illa dixisse sic intelligebat quod per interiorem tantum illam revelationem Deus suggerebat, & suggerendo adjuvabat, ut dictum est supra. Itaque illud verbum, *& ipse adjuvet*, non ad cooperantem gratiam consentiente jam libero hominis arbitrio ipse reducebat, sed ad prævenientem, qua contendebat tantùm Deum suggerere, & suggerendo adjuvare voluntatem, ut velit, & hanc revelationem sic suggerentem vocabat ipse adjuvantem gratiam.

CAPVT

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Per illas internas revelationes non fuisse confessum Pelagium veram Christi Domini gratiam, nec recessisse à commendatione legis atque doctrinæ.

Licet ostensum sit supra admisisse Pelagium interiores illas supernaturales revelationes ostendentes tantum, quibus possibilitatem naturæ dicebat adjuvari: tamen cum per illas veram Christi gratiam non fuisse confessum primo demonstremus oportet, deinde nec à commendatione legis atque doctrinæ recessisse, utrumque enim venit modo ex apertis S. P. Augustini testimoniis aperiendum.

Et quidem primum horum ita ex doctrina sancti Doctoris Augustini clarè innotescit, ut nihil clarius toto ejus Doctrina proclamet in libris contra Pelagianos, & potissimè in illo celebri de gratia Christi, in quo passim arguitur Pelagium numquam veram Christi gratiam fuisse confessum, quæ non solum possibilitatem adjuvat interius, sed etiam adjuvat ut faciamus, vere efficiendo non solum ut possimus sed etiam ut velimus, & agamus: Unde consultò S. P. prædictum librum contra Pelagium & Cœlestium, ut supra jam diximus de gratia Christi præscripsit; ut hoc ipso ostenderet Pelagium atque Cœlestium hanc semper ita aperte negasse, ut de hoc nulla prorsus sit difficultas in ipsorum verbis relatis & impugnatis à S. P. Augustino; licet ipsi latebris obscuritatis se involverent, ne ab omnibus intelligerentur. Sic enim S. Doctor ait cap. 5. libri citati: *Quamcunque legimus, vel audimus divinæ gratiæ adjutorium confiteri* (scilicet Pelagium) *ut à malo declinemus, bonumque faciamus, sive in lege atque doctrina, sive ubilibet constituit, sciamus quid loquitur; nec erremus aliter eum intelligendo, quàm sentit, scire quippe debemus, quod nec voluntatem nostram nec actionem divino adjuvari credat auxilio, sed solum possibilitatem voluntatis, atque operis.* Et post pauca: *Et ideo non ait adjuvet ut velimus non adjuvet ut agamus, sed tantummodo adjuvat ut velle, & agere valeamus.* Igitur hoc in sententia Pelagij debet esse certissimum ipsum semper negasse gratiam verè facientem & adjuvantem, ut velimus & agamus, quæ ut dictum est modò propria gratia Christi Domini est.

Deinde in cap. 10. ejusdem libri ex eodem Pelagio refert ipsum asseruisse: *Non adjutorio Dei sed ex nobis ipsis in nobis effici voluntatem bonam.* Manifestum est ergo Pelagium illud adjutorium semper negasse quod verè efficit in nobis bonam voluntatem, quod ad veram & propriam Christi gratiam spectat, & ut plura omittamus, in cap. 47. libri ejusdem, versùs finem expressè docet idem sanctus Doctor Augustinus. *Quod si Pelagius concedat non solum possibilitatem nostram divinitus adjuvari, sed ipsam quoque voluntatem & actionem id est, ut bene velimus, & bene agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando bene vult, & bene agit: eamque esse gratiam Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum; de adjutorio gratiæ Dei nulla controversia relinquitur.* Negavit ergo Pelagius, & in hoc totus ejus circa gratiam error consistit, illud divinæ gratiæ adjutorii, quod, cum homo agit & facit verè adjuvat, ut velimus, & verè efficit quod agamus. Hæc autem gratia ex Deo ipso efficax est, nec efficaciam suam mendicat ab homine siquidem non tantum adjuvat ut possimus velle si volumus, nec tantum dat ut velimus si nos volumus & cum hac dependentia à nostra voluntate, sed adjuvat vere efficiendo quod de facto velimus dando vires efficacissimas voluntati ut velimus, sicut alibi propriis verbis idem S. P. Augustinus explicavit, & in hoc negavit veram, & propriam Christi Domini gratiam; quæ in hoc differt & à lege atque doctrina, & à gratia primæ conditionis, quod verè & activè propriè seu efficaciter efficit quod faciamus, quod nec interior lex atque doctrina, nec gratia primæ conditionis præstare poterant; cum gratia primæ conditionis solùm tribueret posse bene operari, seu quod idem est, ut bene operemur, si nos tamen vellemus & hoc fuisse totum dogma Pelagij ex eodem S. P. Augustino relatum est supra.

Quod & PP. Concilij Carthaginensis Innocentio I. scripserunt, dicentes Pelagium, atque Cœlestium illam gratiam negasse, qua Christiani sumus, & cujus Apostolus prædicator existens dicit: *Miser ego homo; quis me liberabit à corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Itaque hanc Christi Redemptoris gratiam quæ de facto, & cum effectu atque efficacia liberat, Pelagius Cœlestiusque negarunt: sed nec aperte quidem illam oppugnare ausi sunt, eodem Concilio, citato loco, testante. Cum igitur sit manifestum illas internas revelationes ostendentes & suadentes tantum non verè & propriè efficere ut velimus, nec efficaciter adjuvare ut agamus, sic etiam apertissimum per illas non confiteri Pelagium propriam, & veram Christi Domini gratiam, imò illam semper negasse, dum solùm illas internas revelationes, & suasiones ostendentes admisit. Verùm has internas revelationes ostendentes & suadentes à Pelagio tandem admissas, & à S. Aug. st. tanquam non veram gratiam Christi, nec recedentes à commendatione legis atque doctrinæ, reprobata ut statim probabitur, quidam recentiores S. Augustino attribuunt, & non agnoviſſe, nec defendisse aliam gratiam contendunt probare ex libro ipsius de Spiritu & litera cap. 34. ubi docet, quod Deus agit ut velimus visorum suasionibus, sive per exteriorem legem, atque doctrinam, sive interiùs, & intrinsecus immittendo ubi nemo habet in potestate quid ei in mentem veniat. Ex hoc dicunt illum per interiores revelationes, & suasiones operari interiùs ut velimus. Liber autem ille de Spiritu & litera est contra Pelagianos conscriptus ad Marcellinum, & est de posterioribus libris S. Augustini.

Ad hoc breviter hic dicendum existimamus (quia copiosè de hoc agemus in 41 libr.) Sanctum Doctorem Augustinum asserere quidem Deum interioribus revelationibus, & suasionibus operari intrinsecùs ut velimus, sed non solis illis, quia post pauca cap. 35. quasi huic objectioni respondens hæc verba apponit: *Si æme quæratur utrum homo sine peccato possit esse in hac vita confitebor posse per Dei gratiam & liberum ejus arbitrium, ipsum quoque liberum arbitrium ad Dei gratiam hoc est ad Dei dona pertinere non ambigens: nec tamen ut sit, verum ut bonum sit, id est ad faciendam mandatam Domini conversationem.* Et explicans per quam gratiam convertatur, subdit; *Atque ita Dei gratia non solum ostendat quid faciendum sit, sed adjutor etiam ut fieri possit, quod ostenderit:* Ubi adjutorium gratiæ admittit supra ostensiones internas, & suasiones, seu revelationes.

Illud etiam secundum, quod videlicet per internas illas revelationes, & excitationes non recedat Pelagius à commendatione legis, atque doctrinæ, Sanctus Pater Augustinus apertissimè, & in terminis docet. Postquam enim in cap. 7. Pelagium introduxit dicentem se præter legem, aliud gratiæ adjutorium confiteri, quod cordis nostri oculos aperit, futura demonstrat, diaboli pandit insidias, & multiformi, & ineffabili dono gratiæ Cœlestis illuminat. (Quod adjutorium præter legem, & doctrinam purè exteriorem admissum, nequit aliud esse, etiamsi fingendi detur licentia, præter illud interius

revelans

Digitized by Google

revelans, tantùm, atque suadens (ut ostensum est supra,) statim subdit S. Augustinus: *In his omnibus non recessit à commendatione legis, atque doctrinæ hanc esse adjuvantem gratiam diligenter inculcans, & hoc exequens quod proposuerat, cum diceret:* sed in Dei esse adjutorio confitemur. *Denique Dei adjutorium multipliciter insinuandum putavit, commemorando doctrinam, atque revelationem, & oculorum cordis adapertionem, & demonstrationem futurorum, & apertionem diabolicarum insidiarum, & multiformi, & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminationem, ad hoc utique ut divina precepta, & promissa discamus. Hoc est ergo gratiam Dei ponere in lege atque doctrina.* Et in cap. 9. *Quid enim juvat Pelagium, quia diversis verbis eandem rem dicit, ut non intelligatur in lege atque doctrina gratiam constituere, qua possibilitatem naturæ asserit adjuvari.* Igitur secundum sanctum Augustinum internæ illæ revelationes, ostendentes tantùm, non recedunt à lege atque doctrina.

Et in cap. 10. postquam retulit illa Pelagij verba, quibus explicans illud Apostoli, *Deus est qui operatur in nobis & velle, ita dicebat. Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet omne quod bonum est.* Postquam, inquam, hoc retulit sanctus Pater Augustinus, quæ, ut explicatum est supra, de interioribus revelationibus, & suasionibus manifestè procedunt) ita subjungit: *Quid manifestius nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quam legem, atque doctrinam? In lege namque, & doctrina sanctarum Scripturarum, futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo; ad doctrinam pertinet etiam quod sapientia revelatur, ad doctrinam pertinet, cum suadetur omne quod bonum est. Et si inter docere, & suadere vel potius exhortari distare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibuscumque sermonibus, vel literis continetur, nam & sanctæ Scripturæ, & docent & exhortantur, & potest esse in docendo & exhortando, etiam hominis operatio.*

Quibus verbis ex eo probat sanctus Doctor nihil esse manifestius, quam Pelagium non recedere à commendatione legis atque doctrinæ per illas internas revelationes, & suasiones ostendentes tantùm, quia revelare, suadere, & exhortari, potest fieri etiam per doctrinam exteriorem, quæ quibusque literis continetur, atque adeò illæ internæ revelationes ostendentes tantùm, officio & munere non recedunt à lege atque doctrina, nec aliud tribuunt, quàm quod lex, & doctrina purè exterior tribuere potest; & iste est hujus loci sancti Augustini planissimus sensus, quod ex dicendis adhuc erit manifestius: Vnde ad literam, intentum, & rationem sancti Augustini minus attendunt, qui ex isto loco conantur deducere, quod dixerit sanctus Augustinus tantùm admisisse Pelagium, legem atque doctrinam exteriorem, non autem internas illas revelationes sæpe declaratas, ex eo quod sacrarum literarum, quæ literis formantur, facit mentionem; cum potiùs, si sensus penetretur, totum oppositum colligatur, ut declaratum est modo.

Præterea in cap. 41. Pelagium introducit referentem lectorem ad quoddam opusculum suum, in quo perfectè & liberum Arbitrium se confiteri testatur, & gratiam, & adversus eundem immediatè subdit. *Quatuor sunt libri operis hujus, & hos legi,* & post parca, *sed in his etiam quatuor libris quacumque pro gratia videtur dicere qua juvamur, ut declinemus à malo, bonumque faciamus, ita dicit ut nullo modo à verborum ambiguitate discedat, quam discipulis sic possit exponere, ut nullum auxilium gratiæ credant qua naturæ possibilitas adjuvetur, nisi in lege atque doctrina: itaut ipsas quoque orationes, ut in scriptis suis apertissime affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione & actione perficiat.* In quo testimonio duo simul aperte traduntur. Alterum admisisse Pelagium internam revelationem, quam homo orationibus postulat, ut eâdem, doctrinam, legem, & prædicationem intelligat, per quod mirum in modum confirmatur doctrina supra tradita cap. 5. 6. & 7. Alterum verò; quod modo intendimus, per tales internas revelationes ostendentes atque monstrantes seu suadentes non recedere Pelagium à lege atque doctrina, qua asseruit adjuvari hominis possibilitatem.

Hoc ipsum clarius concessit, & explicavit Franciscus Suarez libro primo de causa prædest. cap. 16. in illo §. 4. *Sententia*, semel & iterum in superioribus allato. Ubi & ipse mentem Pelagij denudans, postquam dixit illum admisisse internam revelationem quam dicebat esse gratiam necessariam, & postquam asseruit, quod non dubitaret Pelagius eam revelationem apellare gratiam excitantem voluntatem, ut velit, & adjuvantem eum jam vult, statim agens de quadam congrua cogitatione naturæ viribus habita hæc verba subjungit. *At profectò sola cogitatio congrua eo modo quo superius explicata est perinde se habet ac lex & doctrina, quæ nihil est aliud, quam quædam proposito objecti, & dictamen conscientiæ, quod est quasi privata lex, juxta illud Apostoli. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Et quod magis est, illa congrua cogitatio naturæ viribus habita, etiam sub scientia media posita, vel per illam habita, ut ibi exponit, rectè ab ipso vocatur non recedere à lege atque doctrina. Ex hoc irrefragabile sumitur argumentum, quod etiam congrua cogitatio immissa per internam Dei revelationem, cum ex objecto proposito supernaturali habeatur, etiam si efficiatur sub cognitione scientiæ mediæ congruæ, non recedat à lege atque doctrina in ordine suo supernaturali, sicut illa alia in ordine naturali. Et ratio est manifesta quam inducit, quia nihil est aliud quàm quædam proposito objecti supernaturalis immissi à Deo: ergo se habet per modum legis atque doctrinæ supernaturalis, sicut illa prima, quæ viribus habetur naturæ, est se habens ut lex & doctrina naturalis.

Plura alia similia omittimus testimonia quæ in illo libro de gratia Christi sunt frequentissima, quibus edocemur semper sanctum Patrem Augustinum docuisse per illas internas supernaturales ravelationes à Deo immediatè menti immissas & à Pelagio constitutas non recessisse ipsum à commendatione legis atque doctrinæ quia quæ modo allata sunt efficaciter illud ostendunt.

CAPVT

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Quomodo interna illa revelationes à Pelagio admissæ verè dicantur non recedere à commendatione legis atque doctrinæ.

QUIA illa duo ex apertis S. Augustini testimoniis redduntur satis conspicua, videlicet per internas divinas revelationes à Pelagio admissas non confiteri ipsum propriam Christi Domini gratiam, imò per eas non recedere à lege, atque doctrina, illud tertium insuper expendamus: quomodo scilicet ista duo in veritate cohæreant, & quod admiserit Pelagius internas à Deo immissas revelationes, & quod de illo; & illis vere dicat S. Augustinus ipsum per illas non recedere à lege atque doctrina, si hoc enim fuerit semel clarius explanatum totus contextus doctrinæ S. Augustini in hac materia intelligetur perfectè, & innumeræ æquivocationes quæ multiplicantur, præscindentur, veritasque ipsa manifesta erit.

Vt ergo hoc Theologus non obscurè comprehendat, illud imprimis advertat, quod jam diximus supra S. P. August. propriè & formaliter loqui, dicendo Pelagium per illas internas revelationes non recedere à lege atque doctrina, quæ literis formatur. Non enim affirmat revelationes illas esse verè & propriè legem; & doctrinam exteriorem, sed quod non recedunt à lege, & doctrina exteriori: & si aliquando dicit Pelagium solum admisisse legem, & doctrinam, non dicit illam esse purè exteriorem, sed non recedere à lege, & doctrina exteriori, ut alibi expressè declaravit.

Quod quomodo sit intelligendum, ita S. Doctor exponit: officium legis, atque doctrinæ exterioris, est docere, ostendere, illuminare quid faciendum sit, ad id suadere, & exhortari, non autem dare veras vires ut faciamus; cum ergo illa interior revelatio supernaturalis, solum à Pelagio constituatur ut doceat, ostendat, illuminet quid faciendum sit & id solum suadeat; ad idque exhortetur; non autem det veras vires voluntati ut agat, procul dubio non recedit officio, & munere à lege atque doctrina exteriori. Illud enim quod per exteriorem doctrinam, vel literæ vel prædicationis fieri potest; necesse est quod tandem ad legem & doctrinam exteriorem reducatur; cùm solùm id exerceat quod litera vel prædicatio exercere potest. Parique ratione si lex & doctrina purè exterior potest facere totum id quod illa interior revelatio facit, convincitur quòd sola lex & exterior doctrina sit necessaria. Quamvis ergo callidè Pelagius procuraret evadere oppositionem quòd gratiam diceret legem, atque doctrinam; cum hoc jam anathematizasset, & ad invidiam frangendam legis, atque doctrinæ in ultimo suæ perfidiæ statu, ut diximus; admiserit interiores illas supernaturales revelationes ostendentes tantùm & exhortantes, ejus temen latebras S. Augustinus detegens, convincit; nec ipsum per hoc recessisse à commendatione legis atque doctrinæ exterioris, cùm tamen illud interius admittat; quod nihil aliud faciat, quàm lex & doctrina exterior facere potest. Hac enim ratione appellare S. Augustinum illas interiores revelationes à Pelagio admissas legem atque doctrinam, non alius quam ipse S. Pater declarat in libro de gratia Christi cap. 10. ubi postquam Pelagium introducit exponentem illud Apostoli, *Deus est qui operatur in nobis, & velle*, de revelatione sapientiæ, quæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, & de suasione qua Deus nobis suadet, quod bonum est (ubi revelatione sapientiæ, ut monstratum est supra, plane interiorem revelationem intelligit) statim ut ostenderet S. Augustinus hanc interiorem sapientiæ revelationem non recedere à lege atque doctrina ita subjungit. *Quid manifestius nihil aliud eum dicere gratiam, quâ Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quam legem, atque doctrinam.* Et ut probaret nihil esse manifestius, quam per revelationes illas non recedere à lege atque doctrina protinùs addit. *In lege namque atque doctrina sanctarum Scripturarum, gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo, ad doctrinam pertinet etiam quod sapientia revelat, ad doctrinam pertinet cum suadetur omne quod bonum est.* Ac si clarius diceret; omne id, quod illa revelatio interior à Pelagio constituta facit, pertinet ad doctrinam, & legem exteriorem, illudque ipsa lex & doctrina exterior facere potest: Ergo illa interior revelatio à lege & doctrina non recedit, sed munere & officio lex & doctrina est. Si enim per illam revelationem promittitur futuræ gloriæ, & præmiorum magnitudo, etiam hoc per legem, & doctrinam exteriorem promittitur, & si revelatio illa ostendit, etiam doctrina exterior ostendit, & si suadet, etiam hoc ipsum exterior doctrina facit. Et addit S. D. *Etsi inter docere, & suadere, vel potius exhortari distare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ generaliter concluditur, quæ quibuscunque sermonibus vel literis continetur, nam & sanctæ Scripturæ, & docent, & exhortantur, & potest esse in docendo & exhortando etiam hominis operatio.* Quibus verbis apertissimè iterum docet exhortationem, atque suasionem illam interiorem, qua Pelagius effi gere procurabat oppositionem legis atque doctrinæ contineri ex generalitate doctrinæ exterioris, quæ vel literis legitur, vel prædicatione percipitur, & posse hominis operationem in docendo, & exhortando ad id pertingere, quod illa interior revelatio ostendit, atque suadet. Ex quo proinde concludit, quod revelatio atque suasio non recedat officio & munere à lege, atque doctrina. Sine dubio apertissima est S. Augustini mens si attentè consideretur.

Itaque illa interior revelatio absolutè & propriè interior doctrina est, sicut simpliciter & propriè doctrina interior est, qua Deus Angelum instruit & docet, vel qua superior Angelus inferiorem illuminat; sed munere, & officio ut declaratum est illa non recedit à lege atque doctrina exteriori. Sicut ergo, cum Deus Angelum docet, verissimè illa est doctrina interior, doctrina autem interior verè & propriè doctrina est (dividitur enim vera & propria doctrina per doctrinam interiorem, & exteriorem) ita cum Deus interiùs hominem illuminat, & hortatur, ipsumque ad bonum invitat, vera doctrina interior est non recedens à lege, & doctrina exteriori.

Alia etiam ratione, quæ fortè non multum à præcedenti differt, dicit Sanctus Augustinus illam interiorem revelationem, non recedere à commendatione legis, atque doctrinæ, quam exprimit eodem libro de gratia Christi cap. 41. ubi postquam retulerat Pelagium dixisse necessarias esse orationes tantùm, ut nobis doctrina divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione, & actione perficiat; & postquam docuerat quod Pelagius à suo illo errore non recedebat, quo dixerat solam possibilitatem divino adjuvari auxilio, non autem voluntatem & actionem, hæc verba addit: *Ipsum verò auxilium, quo possibilitatem naturalem perhibet ad juvari in lege constituit, atque doctrina, quam nobis fatetur etiam Sancto Spiritu revelari.* Cum ergo Pelagius illam interiorem revelationem dicat tantùm esse necessariam, ut nobis doctrina aperiatur, constat quod divinam revelationem dicat necessariam,

Digitized by Google

ut medium precisè ad aperiendam doctrinam, & ex consequenti finis quem per revelationem statuere pretendebat, solum erat apertio doctrinæ, & illius manifestatio. Quare manifeste convincitur quod illa revelatio à lege, & doctrina non recedat: Siquidem ad apertionem legis, & doctrinæ sicut ad finem intentum ordinabatur.

Præterea appellasse sanctum Augustinum interiorem illam revelationem ostendentem & suadentem tantùm, legem atque doctrinam, officio videlicet & munere, ut dictum est sæpè, aliud insigne ipsius probat testimonium lib. 4. ad Bonif. cap. 5. ubi adversus Iulianum, & sui erroris consortes, de quibus nullus dubitat, quod interiores illas revelationes, & excitationes admiserint, ut supponimus modo infra clarius ostendendum, ita dicit: *Legem quippe diversis loquutionum modis, & varietate verborum in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam, ut scilicet à Domino Deo adiutorium cognitionis habeamus, quo ea quæ facienda sint, noverimus, non inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus.* Ecce adiutorium Dei, quo tantùm cognitionem habemus, quodcumque Iulianus, & alij sui erroris sequaces à Deo interius dari dicebant, appellat Sanctus Augustinus legem quia videlicet officio, & munere à lege & doctrina purè exteriori minus recedit.

Amplius hæc Sancti P. Augustini sententia vocantis interiorem revelationem ostendentem, & suadentem tantùm, seu objectivè tantùm moventem, legem atque doctrinam, seu non recedentem à lege atque doctrina in Apostolo fundatur, & in ipso continetur ad Rom. 7. illis verbis: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem in legem peccati quæ est in membris meis: Infœlix homo, quis me liberabit de corpore mortis huiu, gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Vbi apertè condistinguit Dei gratiam, quæ est per Christum à lege mentis interius à Deo menti impressa; lex autem mentis est lex naturalis, quæ dicitur lex mentis, inquantum naturaliter menti indita est, de qua cap. 2. eiusdem Epistolæ præmiserat: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis,* Sicut autem lex naturalis ideo dicitur lex mentis, quia naturaliter menti à Deo indita est, ita dicitur lex supernaturalis mentis, illa quæ circa rem supernaturalem à Deo menti imprimitur. Illa autem interior ostensio, seu revelatio invitans atque suadens tantùm, proponit rem supernaturalem menti non aliter quam lex naturalis proponit bonum rationis: ergo vtraque dicitur lex menti à Deo menti indita, hac solâ differentiâ inventâ, quod altera naturalis est, utpote rem naturalem dictans, altera supernaturalis dictans rem supernaturalem. Igitur illa revelatio ostendens & suadens, seu proponens tantùm, lex mentis est. A qua proinde secundùm Apostolum condistinguitur gratia Dei & Christi Redemptoris, quæ liberat à concupiscentiis & peccatis, quod lex mentis non facit.

In hoc Apostoli testimonio crediderim, quod fundatus potissimè S. P. Augustinus, semper illam interiorem revelationem à Pelagio admissam, vocavit, vel legem, vel non recedere à lege atque doctrina: Vnde Concilium Carthaginense Epistola ad Innoc. hoc ipso vtitur Apostolico Testimonio, ad ostendendum Pelagium admisisse tantùm legem, non verè gratiam, sic dicens: *Isti autem asserunt (sicut à fratribus, qui eorum libros legerunt, cognovimus) in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis instituit creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere, sive nuturaliter in corde conscriptam, sive in literis datam, eandem quoque legem ad gratiam pertinere, quod illam Deus in adiutorium hominibus dedit. Illam verò gratiam, quæ (ut dictum est) Christiani sumus, cuius Apostolus pradicator est, dicens. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, nolunt omnino cognoscere, nec apertè quidem oppugnare audent.*

Vltimò, & sit argumentum omnino demonstrans, rectè dixisse interiores illas revelationes ostendentes, atque suadentes tantùm, non recedere à lege atque doctrina. Certum est enim, & indubitatum posteriores illos Pelagianos Cassianum, & Faustum, qui & communiter Semipelagiani dicti sunt, de quorum erroribus infra dicendum erit copiosiùs, admisisse expresse internas illas revelationes, & excitationes suadentes & invitantes tantùm; de hoc enim nullus, qui eorum opuscula legat, poterit dubitare; nec de hoc etiam isti authores cum quibus disputamus, dubitant. Certum est enim atque manifestum Sanctum Prosperum eosdem, Cassianum & Faustum convicisse, illos per has revelationes non recedere à lege, atque doctrina: ergo secundum Sanctum Prosperum certum est, & indubitatum illas interiores revelationes & excitationes ostendentes, & suadentes, sive invitantes solùm, non recedere à lege atque doctrina, officio videlicet & munere, ut declaratum reliquimus, verba Sancti Prosperi audiamus, sic enim habet Epistola ad Ruffinum de Cassiano, & Fausto. *Cum ergo, ut dixi, totam iustitiam hominis ex naturali vellent rectitudine, & possibilitate subsistere, atque hanc diffinitionem doctrina sana respueret, damnatum à Catholicis sensum, & multis postea haretica fraudis varietatibus coloratum, hoc apud se ingenio servaverunt, ut ad incipiendum, & ad perseverandum in bono necessariam in homine Dei gratiam profiterentur. Sed in hac professione quomodo vasa iræ molirentur irrepere, ipsa Dei gratia vasis misericordiæ revelavit. Intellectum est enim saluberrimèque perspectum, hoc tantùm eos de gratia confiteri, quod quædam libero arbitrio sit magistra, seque per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creaturam, per contemplationem, per miracula, perque terrores extrinsecùs iudicio eius ostendat, quo unusquisque secundùm voluntatis suæ motum, si quæsierit, inveniat, si petierit, recipiat, si pulsaverit, introeat: Quia scilicet gratia ipsius vocatio hoc primum circa nos agat, ut nostræ voluntatis facultatis arbitrium admoneat, nec aliud sit gratia, quam lex quam Propheta, quam Doctor.*

Quid manifestius? docet apertè Semipelagionos illam gratiam interiorem quam admittebant, quam & nominabant vocationem gratiæ, reipsa esse solam mentis magistram, docentem, ostendentem, & suadentem, seu invitantem precisè, & esse legem Prophetam, atque Doctorem ratione à nobis sæpius repetita, quia in officio, & munere, à lege & exteriori doctrina non recedebat, & contra collatorem cap. 2. ita affirmat. *Ad perfectionis autem incrementum semina hæc pervenire non poterunt, nisi opitulatione Dei fuerint excitata.* In carmine præterea de ingratis sic adversus eosdem Semipelagianos dictat.

Non hoc Consilio tantum, hortatuque benigno
Suadens, atque docens, quasi normam legis haberet
Gratia.

Quibus verbis redditur apertissimum illam interiorem, quam dicebant Semipelagiani gratiam ostendentem, suadentem, exhortantem, invitantem, & excitantem, precisè à sancto Prospero rectè dici habere normam legis, à lege & doctrina non recedere, sed officio

Digitized by Google

officio & munere legem esse, atque doctrinam, ut S. P. Augustinus præcitatis locis docuerat priùs. Et quod amplius est considerandum, admittere videbantur Cassianus, & Faustus, non solum revelationes se tenentes ex parte intellectus, verum etiam excitationes in voluntate receptas, & tamen adhuc S. Prosper de illis dicit, quod non recedunt à lege atque doctrina. Quantò ergo magis solæ revelationes in intellectu tantum existentes, secundùm Sanctum Augustinum, rectè dicuntur non recedere à lege atque doctrina? Dicimus quòd admittere videbantur sed id sola voce erat, nam re ipsa, & in veritate excitationem ex parte voluntatis distinctam reipsa ab illa, quæ ex parte intellectus erat, non admittebant, ut infra agentes de Cassiani & Fausti erroribus ostendemus: Vnde de illis præter modo relata verba ita S. Prosper dicit in carmine de ingratis, seu contra ingratos.

Quid prodest verbis commentum Pelagianum,
Respuere, & sola damnatos plectere voce
Cum paucis squalida sublatis de cute nervis
Vltima viperei fovantur viscera sensus.

Ex hac doctrina illud primò aperte deducitur, quod vbicumque sanctus Augustinus docet Pelagium tantùm admisisse legem, & doctrinam, vel ab ea non recessisse; nomine legis & doctrinæ intellexisse, & has interiores revelationes ostendentes tantùm, quæ officio & munere à lege & doctrina non recedunt.

Ex quo & illud intelliges, qua etiam ratione Sanctus Prosper *illas* interiores revelationes appellat extrinsecus ostendere mentis arbitrio: quia videlicet intellectum, & animam exteriùs pulsant, non animam intrant, ut in præcitato poëmate de ingratis idem sanctus Prosper exposuit. Cum enim officio & munere à lege & doctrina exteriori non recedant, ad modum illius extrinsecus animam pulsant invitant & excitant.

Parique ratione constat quare S. P. Augustinus sæpè dicat de illa, quæ verè, & proprie gratia Christi est, quod per illam intùs actum est in mente, intùs actum est in voluntate: per illas enim revelationes à Deo solum immissas, cum ipse non intrent mentem, ut dictum est modo, sed extrinsecus pulsent, non verificatur, quod intus actum est in mente, aut in voluntate, nec illas nomine gratiæ Christi intelligit sanctus Doctor: Itaque illæ revelationes, si comparentur ad doctrinam purè exteriorem, possunt dici revelationes interiores, si autem comparentur ad propriam Christi gratiam, quæ intus mentem reformat; censentur, & à SS. Prospero & Augustino dicuntur extrinsecus animam tangere; sicut accidens quarto modo, si communibus accidentibus comparetur, quæ omnino extrinseca sunt, vocatur intrinsecum; si autem conferatur cum hominis essentia vocatur extrinsecum.

Similiter ex hac doctrina cognoscitur, quare S. P. Augustinus negat has revelationes à Deo solùm menti hominis immissas suadentes tantùm, esse inspirationem, qua homo adjuvatur per submministrationem virtutis; hoc enim, tum alibi, tum libro de gratia Christi cap. 2. & 3. dicit in terminis: Non enim per hæc verba negare intendit talem revelationem à Deo in mente infundi, seu inspirari, sed notanda sunt omnia illius verba, quibus negat esse *inspirationem* homini infusam qua voluntas adjuvetur, aliqua submministratione virtutis. Nam illa revelatio tantùm ostendens, non adjuvat voluntatem veram virtutem submministrando, ut voluntas operetur: quod alibi clarius exposuit, cùm dixit: *Non esse inspirationem dilectionis, ut cognita faciamus, sed tantum, ut cognitionem habeamus.* Itaque inspiratio est cognitionis, non dilectionis, ità enim expressè distinguit citato loco ex lib. 5. ad Bonifi Vnde de omni statu hæresis Pelagianæ verificantur; quia Pelagius cum semper posuit liberum hominis arbitrium firmum, & forte ad operandum quidquid sibi per revelationem esset propositum, vere negavit gratiam quæ homini cooperetur per submministrationem virtutis, quia omnem gratiam submministrantem voluntati hanc virtutem negavit. Itaque licet illa divina revelatio sit à spiritu sancto, ut etiam ipse Pelagius relatus ab Augustino libro de gratia Christi cap. 41. ait, & ostendat quid facere debeamus, non tamen submministrat voluntati virtutem, ut faciamus, imò nec ut facere valeamus, & sic S. P. Augustinus negat illam esse inspirationem per submministrationem virtutis voluntati præstitæ, non autem negat, quod illa revelatio sit in nobis per virtutem spiritus sancti. Aliud est enim illam revelationem esse in nobis ex virtute spiritus sancti, quod sicut est verum, ita numquam fuit à sancto Augustino negatum, & aliud per illam inspirari nobis, vel tribui nobis submministrationem veræ virtutis, ut faciamus; quod de illa revelatione tantùm ostendente verissimè negavit sanctus Pater Augustinus: & quod ista sit ipsissima sancti Augustini mens patet, quia eodem libro de gratia Christi cap. 2. sic refert de Pelagio, quod nos salvemur adjùti non aliqua submministratione virtutis, sed viribus propriæ voluntatis, in quo etiam sensu cap. 34. eiusdem libri docet quod non solum possibilitas, ut putabat Pelagius, sed etiam ipsa voluntas & actio submministratione sancti spiritus adjuvatur, & clariùs epistola 95. inquit, *sive enim dixerit gratiam esse remissionem peccatorum, sive gratiam esse legis præceptum, nihil eorum dicit, quod per submministrationem Spiritus Sancti pertinet ad concupiscentias, tentationesque vincendas.* Ex quibus constat per submministrationem Spiritus Sancti, vel per submministrationem virtutis eum intelligere gratiam, quæ vires & virtutem animæ tribuit ad superandas tentationes, quam semper docet negasse Pelagium.

Et eodem modo plenè intelligitur quod sanctus Augustinus sæpè docet, & præcipuè epistola 106. quod Pelagius constituit liberum arbitrium firmum & forte ad non peccandum, quod tamen infirmum & invalidum debuit confiteri. Quantumvis enim admiserit prædictas revelationes, cum ille doceant tantùm, & exhortentur, nec veras vires animæ tribuant, planè arbitrium fortè & firmum constituitur ad operandum, & ad, illis suasionibus & exhortationibus ex se ipso consentiendum, de illoque verè dicitur quod à Pelagio firmum, & forte constituitur. Circa quas illuminationes à Pelagio admissas, quidam ex eis, qui gratiæ efficaciam impugnant, ait, *tandem sunt, qui putant postea Pelagium concessisse internam revelationem, de qua re*, ait, *dubito, quia qua de revelatione dixit Pelagius possunt ad legem exteriorem pertinere, sed uteumque*, inquit, *ea res se habeat, non admisit Pelagius talem Dei operationem, qua voluntas moveatur, talis autem est sine dubio interna suasio*, hæc ille.

Sicut verò ipse dubitat de eo, quod certissimum est; admisisse nimirum Pelagium internas revelationes, ut manet ostensum, ita quòd asserat non admisisse Pelagium internas suasiones, nec ad expressa verba Pelagij attendit, nec ad doctrinam sancti Patris Augustini, qui hoc, libro de gratia Christi cap. 10. & sequentibus apertissime docet. Ad verba quidem Pelagij non advertit, quippe qui inter alia quæ docet explicãs quomodo Deus operetur in nobis velle, & operari, hæc verba habet: *Operatur in nobis, &c. dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis, quod*

Digitized by Google

tu alibi negare non metuis suadet omne quod bonum est. Ita refert sanctus August. lib. de gratia Christi cap. 10. Quomodo ergo negat admisisse Pelagium suasionem internam, qua Deus operatur in nobis velle, cum illam tam expresè, ac revelationem admittat.

Ad doctrinam verò sancti Patris Augustini, penitus non attendit, qui de illis etiam internis suasionibus, sicut & de revelationibus à Pelagio admissis, in citato libro, docet, per illas non admisisse Pelagium veram Christi gratiam; sed tantùm internum aliquid, quod tamen à lege atque doctrina purè exteriori, quæ auribus corporeis percipitur, munere & officio non distat, quod & ibi satis apertè demonstrat. Unde quod prædictus auctor Africanos Episcopos in Synodo Carthaginensi congregatos inducit, scribentes ad Innocentium, posuisse Pelagium, ut non incidamus in peccatum in nostra esse positum voluntate seu potestate absque gratiæ adjutorio, ex quo infert non admisisse Pelagium internas suasiones; non advertitt, quod id sancti illi Episcopi retulerunt de Pelagio secundum eius primum statum, in quo tantùm cum libero Arbitrio puram legem exteriorem, & doctrinam necessariam dicebat. Quod etsi de vltimo eius statu dicerent, in quo prædictas admisit internas revelationes, etiam verum esset, quòd veram gratiam non admiserit, cum illæ internæ suasiones, officio & munere, ut dictum est, à purè exteriori lege atque doctrina non differant. Imò cum ille author admittat modo dicto posuisse tandem Pelagium internas revelationes, cum hoc debet concordare, quòd veram gratiam non constituit, ut illi relati ab ipso Sancti Episcopi ad Innocentium scribunt.

Vnum solùm est considerandum, quod supra iam retulimus, ipsum Pelagium eas interiores revelationes, quas gratiam esse dicebat, etiam posuisse secundùm priora merita naturæ dari, ut manifestè S. P. Augustinus dicit libro de gratia Christi cap. 31. sub his verbis: *Deinde quamlibet sentiat gratiam, ipsis Christianis secundum merita dari dicit, cum eos qui hoc dicunt, iam in Palæstina sicut supra commemorauimus illa praclara purgatione damnauerit. Nam verba eius ista sunt: Illi ideo iudicandi atque damnandi sunt, quia cum habeant liberum arbitrium, per quod ad finem venire possent, & Dei gratiam promereri, malè vtuntur libertate concessa. Hi verò remunerandi sunt, qui bene libero utentes arbitrio merentur Domini gratiam, & eius mandata custodiunt.* Primum de non Christianis dicit, secundum de Christianis, quibus illas revelationes, quas gratiam vocabat, secundum priora merita naturæ dari dicebat. Hoc ipsum clarè ex ipso refert S. P. Augustinus citato testimonio supra cap. 9. ubi narrat dixisse Pelagium, quòd qui benè utitur libertate concessa, ponit cor suum in manu Dei, ut quocumque voluerit, Deus ipse declinet, pro meritis videlicet prioris boni vsus libertatis concessæ. In summa ergo, ut cum Pelagio, eius erroribus, latebris, & cavillationibus semel concludamus, huic semper ipse pertinaciter adhæsit sententiæ, quæ istis brevissimis dictis absolvitur. Primò dicebat gratiam Dei secundùm merita nostra dari, propter videlicet illa prima initia naturæ, propter quæ dari contendebat, & quæ merita gratiæ appellabat. Secundò gratiam Dei non esse necessariam ad singulos actus quia ad illa priora merita non requirebatur. Tertiò ad perficiendam iustitiam esse necessariam internam quandam revelationem docentem, & ostendentem, quam gratiam ipse vocabat. Sed quia hæc teste Sancto Augustino non recedit officio & munere à lege atque doctrina, nec per illam recessit à commendatione legis atque doctrinæ; ut verè, atque communiter de illo publicatur. Quartò etiam admittebat iustificationis gratiam esse necessariam ad remissionem peccatorum, non tamen necessariam esse in ratione adiutorij ad bene operandum, & ad implendum mandata; sed tantùm ad facilius nobis dari: vtrumque constat ex Concilio Milevitano Canone tertiò & quintò superiùs inducto. Rursus hanc remissionis gratiam ex priori merito naturæ astruebat, quo homo ex solis viribus suis de peccato conterebatur, & propterea, illi Deus illam remissionis gratiam conferebat, ut refert S.P. Augustinus epist. 106.

Quintò pertinaciter semper negavit illam Christi gratiam, qua Deus verè & activè propriè det nobis velle & operari, quæ aliis æquivalentibus verbis efficax gratia appellatur. Imò sexto, & ultimo, nullam gratiam ex parte voluntatis sufficientem admisit sicut necessariam, quia liberum hominis arbitrium forte firmumque constituebat, sed gratiam ex parte voluntatis sufficientem videlicet ad facilius tantum admittebat. Vnde ista quinque sicut communiter ita verissime de Pelagio affirmantur, etiam in ultimo suæ perfidiæ statu. Qua ratione S.P. Augustinus libro de gratia Christi per totum ista principaliter de Pelagio demonstrat. Pelagium videlicet, etiam post abjurationem in Concilio Palæstino in libris quos postea Romam misit, nihil aliud sensisse quàm id quod damnasse videbatur, nec à priori suo errore recessisse quo legem dicebat gratiam, illamque secundum merita dari, nec esse necessariam ad singulos actus, & ad facilius tantùm requiri, quæ sunt quatuor ex commemoratis. Quintum, videlicet ipsum veram Christi gratiam negasse qua verè Deus facit nos facere, per totum librum demonstrat, potissimè cap. 47.

CAPUT XVIII.

Eorum proponuntur argumenta qui negant Pelagium illas internas revelationes admisisse.

PLVRIMI temporibus istis, ut doctrinam suam à damnata Pelagij distare monstrarent, nimis laborarunt in suadendo Pelagium internas illas revelationes numquam admisisse, quod & sequentibus argumentis ostentare procurarunt.

Primò: Concilia quæ Pelagium damnarunt, docent, ipsum veram gratiam non admisisse, sed tantùm legem, atque doctrinam, de illis autem internis revelationibus, & excitationibus non potest dici, quod vera gratia non sint: ergo Pelagius illas internas revelationes non admisit: Hoc est potissimum ipsorum argumentum.

Secundò id ipsum ita confirmant: Sanctus Augustinus per totum librum de gratia Christi præsertim cap. 3. 4. 5. 7. & 10. Epist. 107. ad Vitalem, sæpissimè docet Pelagium nomine gratiæ nihil aliud statuisse, quam legem, atque doctrinam, sed si ipse admisit interiores illas revelationes, non posset S. Augustinus docere illum tantum legem, atque doctrinam statuisse quia ille internæ revelationes vera gratia sunt: ergo illas interiores revelationes non admisit, testimonia in quibus S. Augustinus docet Pelagium legem tantùm admisisse atque doctrinam in ipso sunt frequentissima.

Tertiò ad illud probandum adducunt Sanctum Hieronymum epistola ad Ctesiphontem, & S Thom. quodlibet 1. in art. 7. dicentem Pelagium asseruisse non indigere hominem auxilio gratiæ, nisi quantum ad hoc quod sciret quid faceret, & 2. 2. quæst. 6. art. 1. affirmantem Pelagianos negasse causam interiorem moven

Digitized by Google

inventem hominem interius ad assentiendum eis quæ fidei sunt, ponentes solum liberum hominis arbitrium ad hoc sufficere: ergo testante sancto Thoma negarunt Pelagiani omnem causam supernaturalem interius etiam revelantem, & ostendentem.

Quartò opponunt Scholasticos plures, qui errorem Pelagij recensentes perpetuò docent ipsum veram gratiam numquam admisisse, sed tantùm legem atque doctrinam; non ergo potest affirmari ipsum interiores illas revelationes admisisse, de quibus dici non potest, quod non sint vera gratia, sed tantùm lex & doctrina. Ex scholasticis autem potissime inducunt. Cardinalem Toletum super Ioan. 15. Cardinalem Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 1. Cast. de hæresibus hæresi secunda. Vega de necessariis ad iustificationem. Med. in 1. 2. quæst. 109. art. 4. & alios plures. Inducunt præterea Cardinalem Baronius tom. 5. fol. 75. & Platinam in vita Innocentij.

Quintò, idem rationibus sic persuadent. Eam gratiam esse necessariam negavit Pelagius, quam summi Pontifices Innocentius, Zozimus, Cœlestinus, & Leo Primus; Concilium Milevitanum, Arausicanum, & Tridentinum, & Sancti P.P. Augustinus & Hieronymus necessariam esse diffinierunt contra Pelagium, sed gratiam quam esse necessariam diffinierunt Concilia & Pontifices summi contra Pelagium est gratia supernaturalis interna præveniens, & cooperans: ergo omninò negavit Pelagius omnem interiorem gratiam prævenientem, & solùm posuit legem atque doctrinam exteriorem. Hoc argumentum ita magnificant, & ita reputant Achilem, ut nihil illi posse responderi contendant, si iam non volumus totam Ecclesiam temeritatis & erroris accusare, quod videlicet imposuerit Pelagio quod ipse non dixit, & immeritò ob hoc ipsum damnaverit.

Sextò, Pelagius damnatus fuit (ut aiunt) quia veram & propriam Dei gratiam negavit, si autem ipse concessit internam Dei supernaturalem illuminationem & suasionem, sequitur hanc non esse veram & propriam gratiam per subministrationem Spiritus Sancti immissam; sed hoc dici non potest: ergo vel hanc internam revelationem negavit Pelagius, vel si propterea damnatus fuit à Conciliis, quod hanc internam & supernaturalem illuminationem gratiam negavit, cum tamen illam admiserit, falsò illi impositum est à Conciliis quod gratiam negaverit, quod sine maxima temeritate dici non potest.

Vltimò: si ex eo quod Pelagius dixit necessariam gratiam, qua Deus illuminat & succendit cor, & quæ possibilitatem nostram adiuvat, & quæ operatur in nobis quod sanctum est, & quæ est necessaria ad singulos actus, infertur ipsum concessisse internam supernaturalem gratiæ illuminationem & suasionem; etiam liceret inferri ipsum omnem gratiam prævenientem, etiam efficacem concessisse, cum in prædictis verbis ipsius, & ipsa efficax præveniens gratia possit designari in illis videlicet: *Operatur in nobis quod sanctum est.* Cum ergo ex prædictis verbis hæc præveniens efficax non intelligatur ab ipso fuisse concessa; ita nec illa interna revelatio ab eodem concessa fuisse potest deduci; ex quibus tandem concludunt nihil aliud esse asserere Pelagium admisisse internas illas revelationes & suasiones, quam Pelagium Catholicum constituere, dum laboratur doctrinam Pelagianam appellare, quæ illas internas revelationes & suasiones pro vera gratia constituit. Hæc sunt aliquorum recentiorum argumenta.

Mirum est autem quòd propter modò inducta argumenta, quæ apud doctos apertam habent solutionem, ut constabit statim, tam manifestè doctrina sancti Augustini negetur, vel illi apertè contradicatur, quæ iam à nobis supra manet aperte monstrata, vbi ex notoriis, & ad literam inductis sancti Doctoris testimoniis deducimus manifestum, Pelagium in illo tertio & ultimo suæ perfidiæ statu se latebris obscuritatis involventem, ut incautos falleret, illas internas revelationes & suasiones ostendentes tantùm posuisse, & nomine gratiæ eas nuncupasse. Itaque apud eos, qui vel nesciunt, vel nolunt hæc duo componere, quæ in sancto Augustino, sicut frequentissima, ita sunt apertissima (quod videlicet internas illas revelationes admiserit Pelagius, & quod per hoc propriam Christi gratiam confessus non sit, sed aliquid minime recedens à lege atque doctrina) dum hoc secundum in sancto Augustino, & Conciliis inveniunt, illud primum quod similiter à sancto Augustino traditur, quia illi secundo putant esse contrarium, omnino negant: apertam contradictionem in doctrina sancti Augustini quasi procurantes. Quòd si de hoc meritò debet Theologus mirari, multo magis mirandum est quod ipsum Pelagium publice confitentem, se preter legem atque doctrinam aliud admittere gratiæ adiutorium quod revelet, ostendat, suadeat; oculos cordis adaperiat, &c. Etiam non velint audire, & contranitentem; & repugnantem inducant, quod tantùm legem & doctrinam purè exteriorem admiserit. Verùm si iam tam apertam Pelagij confessionem non audiunt; quomodo saltem seipsos non vident? supra enim retulimus, eos, qui ista opponunt, & modo laborant ostendere Pelagium non admisisse internas revelationes prædictas; in terminis fuisse confessos cognovisse & admisisse Pelagium illas. Vnde, & veritati, & sancto Augustino, & Pelagio, & sibi ipsis, quod magis est, contradicunt.

Ne autem quis dicat ex recentionibus, quosdam asserere Pelagium illas admisisse internas revelationes, & hæc argumenta modo objecta non opposuisse, sed ex ipsis esse alios qui aliorum sententiæ non adhærent, ut sic à contradictione immunes habeantur, ne inquam hoc quis dicat, consulto induximus supra duo, quorum alter, sicut illa verba protulit prius Pater Valentia, ita & eundem in istis argumentis insistentem audivimus postea. Quod si tandem pretendant ipsum sententiam mutasse, nec inficiabimur, sed in peius mutasse, ut aliorum adhæreret doctrinæ non diffitemur; quod & ipsi publicè aliquando sub his verbis objectum est; dereliquit proprium iudicium, &c.

Cum igitur vera, firma, & rata maneat illa sententia præcedentibus capitulis patefacta, quod Pelagius tandem admisit internas illas revelationes & suasiones tantùm ostendentes, quod præterea ex manifestissimis & multiplicatis verbis Pelagij, sancti Augustini testimoniis, & horum recentiorum propriis dictis, convincentibusque rationibus reliquimus satis clarum, supraductis argumentis oportet satisfacere, quamvis ex supra inductis, & patefactis, omnia illa iam soluta remaneant; sed ad abundantiorem doctrinam in specie ad illa dicamus.

CAPUT XIX.

Eorum argumenta, qui negant Pelagium internas illas revelationes admisisse dissoluuntur.

PRIMVM ac fundamentale argumentum, quo prædicti authores nituntur, illud est, quod Antiqua Concilia, quæ Pelagium damnarunt, docent ipsum nullam veram gratiam admisisse, sed tantùm legem atque doctrinam, quod tamen de illis internis revelationibus dici nullo modo potest; cum ipsæ sint

vera

Digitized by Google

vera gratia, & non lex atque doctrina. In tantumque hunc argumento insistunt, ut publicent graviter qualificandam esse doctrinam, quæ asserat illas internas revelationes veram gratiam non esse. Respondemus primò, non doctrinam nostram, sed expressam Sancti Augustini, & Sancti Prosperi temerè, qualificari, seu damnari. Ipsi enim sub expressis terminis prædictas revelationes tantùm ostendentes, appellant legem, atque doctrinam, officio videlicet & munere, ut explicatum est supra, de aliisque clariùs affirmant illas à commendatione legis atque doctrinæ non recedere. Qui Sancti Patres non dicunt illas revelationes esse legem atque doctrinam exteriorem, sed non recedere officio & munere à lege & exteriori doctrina, nec per illas recedi à commendatione legis atque doctrinæ. Inducta sunt supra multiplicata ex Sancto Augustino & S. Prospero testimonia hoc ostendentia, & ista sit prima responsio.

Respondemus secundo omnia Concilia damnasse Pelagium, quia propriam Christi Redemptoris gratiam non admisit; de hac enim vera & propria Christi Redemptoris gratia quæstio adversus ipsum erat, ut patet ex toto libro de gratia Christi, sæpius citato, qui propterea hoc titulo prænotatur. Constat etiam ex Epistola Concilij Carthaginensis, ad Innocentium, ubi Pelagium negasse gratiam, qua Christiani sumus, apertè monstratur. Unde licet illæ internæ revelationes ostendentes tantùm essent vera gratia ad primam hominis conditionem pertinens, hoc tamen certum est, illas non esse veram & propriam Christi Redemptoris gratiam, quam scriptura prædicat, unde verissimè concilia dicunt Pelagium hanc veram Christi Redemptoris gratiam negasse.

Respondemus tertiò distinguenda esse tempora secundum diversos status Pelagiani erroris: Primò enim, cum in Concilio Palæstino litigaretur, cùmque fuisset oppositum, quod tantùm gratiam diceret liberum arbitrium, & legem atque doctrinam, abjurasse & anathematizasse qui diceret gratiam esse legem atque doctrinam. Itaque ante abjurationem hujus Concilij tantùm admittebat gratiam esse liberum arbitrium, & legem atque doctrinam, ut dictum est supra. Cæterum postea in Concilio Milevitano can. 3. & 4. ut manifestavimus supra, non obscurè affirmatur Pelagium illam admisisse gratiam, quam Deus menti immittit, ut doceat tantùm & ostendat, cum definit, quod Christi gratia non tantùm adjuvat hoc modo revelando, sed etiam præstando, ut faciamus. Unde licet in primo suo hæresis statu nullam veram gratiam admisit Pelagius, ut ex primo Concilio Palæstino contra ipsum congregato constat, ita & postea illam veram Christi gratiam negasse, admissa illa interiori revelatione tantùm ostendente Concilium Milevitanum demonstrat, & utrumque in utroque Concilio est satis conspicuum.

Respondemus quarto ex supràdictis copiosè deductis, illas internas revelationes tantùm suadentes, & ostendentes, cum officio & munere non recedant à lege atque doctrina, nec aliud tribuant quam lex & doctrina, seu exterior prædicatio tribuere potest, non esse absolutè & simpliciter veram & propriam gratiam, sive efficacem, sive sufficientem, cùm ostendere & suadere, seu exhortari, veras voluntati vires non tribuat etiam sufficientes, ut ostendimus supra. Verè autem & propriè gratia, sive efficax, sive simpliciter sufficiens non solum ostendit, sed etiam veras vires animæ tribuere debet, saltem sufficientes; sicut gratia primæ conditionis tribuebat. Vocatur autem cum addito & secundùm quid illa interior revelatio, gratia revelans seu gratia docens: vocatus & excitatio, illa gratia excitans, vocatur & tribuens aliquod posse extrinsecum, ut dictum est supra, dicitur & secundùm quid sufficiens. Unde si in hoc suo ordine sit dicenda gratia parum retulerit, sic loqui, dummodo dicatur illam non esse veram gratiam, nec sufficientem, quia veras vires animæ non tribuit, ut dictum sæpe. Nam etiam mittere prædicatores dicitur gratia, quia quod prædicatores mittantur gratia est, sed non est gratia illa, quæ vocatur propria, & quæ veras animæ tribuat vires ad operandum, quod ita esse dicendum ostendimus supra c. 16. ex Francisco Suarez, qui ibi inductus ritè probat illam congruam cogitationem revelantem, etiam posita sub cognitione scientiæ mediæ, non recedere à lege atque doctrina, & ex consequenti, nec veram esse Christi Domini gratiam.

Unde etiam secundùm hunc modum verificatur quod à Conciliis dicitur, & communiter à doctoribus & Scholasticis, quod nullam veram gratiæ adjutorium Pelagius admisit, cum semper sit de gratiæ adjutorio, quod simpliciter & absolutè sit adjutorium gratiæ, quod illis revelationibus non convenit.

Quinto & ultimo, quod magis plenariè satisfacit, respondemus verissimè Concilia, Sanctos PP. & Scholasticos asserere Pelagium nullam veram gratiam admisisse, quia hæ interiores revelationes, gratis admisso, quod secundùm se essent vera gratia, asseruit tamen ipse secundùm priora merita naturæ dari, ut ex Sancto Augustino ostensum est supra, ac proinde nullatenus veræ gratiæ ratione gaudere poterant. Quia gratia, quæ meritis redditur, secundùm Apostolum gratia nullo modo est. Imò licet gratiam tribuentem animæ veras vires, nedum sufficientes, sed etiam efficaces, hoc modo admitteret, reddita videlicet priori merito naturæ, nullam veram gratiam admitteret, cessante Apostolo, quod si ex operibus iam non est gratia, esse autem hoc necessario dicendum ab omni Theologo ex eo redditur manifestum, quia ex Concilio Milevano canone 3. constat admisisse Pelag. unam necessariam esse justificationis gratiam ad remissionem peccatorum tantùm, sic enim contra illum definit: *Item placuit: ut quicunque dixerit gratiam Dei in qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt: non etiam ut ad auxilium, ut non committantur, anathema sit.* Cum autem hoc contra Pelagium definiat, constat ipsum admisisse justificationis gratiam necessariam ad solam remissionem peccatorum. Quod cum ita sit, quomodo verissimè dicitur Pelagium nullam veram gratiam admisisse? An justificationis gratia, vera gratia non est? Est quidem, sed quæ nullis meritis redditur; nam quæ à Pelagio ex merito priori ponebatur, vera gratia non erat.

Per quamlibet ergo existis solutionibus, & præcipuè per omnes simul sit apertissimum nullum esse istorum argumentum ad negandum Pelagium admisisse internas illas revelationes, ex eo quod Concilia dicant ipsum non admisisse veram gratiam. Imò multipliciter constat evidenter solutum. Et per hoc patet ad secundum, qua ratione S. Augustinus in inductis locis & aliis plurimis docuerit Pelagium veram Christi gratiam non fuisse confessum, sed tantùm aliquid non recedens à lege atque doctrina, vel legem & doctrinam ipsam interiùs videlicet ostendentem, & suadentem tantùm.

Ad tertium ex Sancto Hieronymo, & Sancto Thoma, etiam patet ex dictis. Ideo enim Sancti DD. affirmant Pelagium tantùm admisisse auxilium gratiæ ad hoc quod sciret homo, quid facere deberet, quia illæ internæ à Deo immissæ illustrationes, & revelationes hoc tantùm præstabant, ut videlicet sciret homo quid deberet facere.

Ad aliud S. Thomæ inductum testimonium, dicendum

cendum sanctum Doctorem per auxilium internum movens ad fidem, quod negasse Pelagianos asserit, intellexisse planè auxilium internum verè efficiens, movens ad fidem, hoc enim verbum (movens) in sua proprietate significat, quod semper à Pelagianis negatum fuit. Negaverunt etiam primi Pelagiani, utpote Pelagius ipse, atque Celestius omne auxilium, quod esset principium movens voluntatem ad credendum, tribuens voluntati aliquas vires, sive efficaces, sive sufficientes, & totum hoc comprehendit Sanctus Thomas, dicendo ipsos non admisisse internum principium movens sua virtute ad fidem. Imò etiam ipsi Semipelagiani respectu initij fidei, quam dicebant ex nobis, nullum interius principium movens ad illam tribuendo virtutem animæ ad credendum admiserunt; quia nostra virtute proposita fidei prædicatione nos ex nobis credere contendebant, ut infra patebit. Et propterea omni cum proprietate docuit S. Thomas Pelagianos nullum interius principium movens ad fidem posuisse, nisi solum liberum hominis arbitrium; non autem docet ipsos negare illud aliud, quod interius tantùm ostenderet, hoc enim posteriores Pelagianos admisisse respectu aliorum operum perfectorum à fide, omnibus est conspicuum, illudque ipsum Pelagium etiam fuisse confessum latè ostensum est supra.

Quod si ex S. Thoma opponas 2.2. quæst. 2. art. 9. solutione ad tertium dicente quod qui credit propter *authoritatem divinæ doctrinæ miraculis confirmatæ, habet interiorem instinctum Dei invitantis*: ergo *secundum sanctum Thomam illud internum auxilium, quod ad credendum Pelagiani negarunt, fuit auxilium invitans, & sic negavit Pelagius internas illas revelationes invitantes.* Ad hoc respondetur, sanctum Thomam asserere quod movetur homo ad credendum interiori auxilio invitante, quod verum est, sed non ait, quod tale auxilium, quo homo movetur ad fidem, solùm & præcisè sit invitans: Imò in plurimis aliis suæ doctrinæ locis non esse tantum invitans, manifestè docuit. Pelagiani autem errarunt, quia illud auxilium invitans solùm constituerunt, & non quo Deus verè efficeret ut homo crederet.

Ad quartum ex dictis patet, ideo Scholasticos citatos dixisse Pelagium tantum legem, & doctrinam admisisse, nomine auxilij gratiæ; quia, ut ex S. Augustino ostensum reliquimus, revelationes illæ internæ à Pelagio constitutæ, officio & munere à lege & doctrina minimè recedebant, cùm solum ostenderent, suaderent, & exhortarentur, quod exterior lex atque doctrina facere potest.

Ad quintum, quod pro magno opponunt, respondetur ita esse quod negavit Pelagius illam gratiam, quam Concilia, Pontifices summi, & Sancti Doctores, ut necessariam contra illum definierunt: ac perinde maior verissima est, sed minor, quæ subsumitur, falsissima, videlicet, sanctos Ecclesiæ Pontifices, & Concilia diffinisse tantùm esse necessariam gratiam prævenientem, & cooperantem, quam isti recentiores admittunt, imò illam non esse veram Christi gratiam, apertè determinarunt. Nam præveniens gratia, quæ ab his authoribus modò asseritur, est ostendens, docens, & suadens, exhortans, seu invitans, aut alliciens tantùm, ut copiosiùs erit in *isto opere ex propriis ipsorum verbis demonstrandum. Hæc autem vera gratia præveniens faciens facere non est*, sed à lege & doctrina non recedens, ut *ex Sancto Patre Augustino*, & Prospero ostensum est. *Nec ista præveniens gratia ostendens, seu excitans moraliter tantùm*, à Conciliis traditur esse præveniens, ut patet ex Milevitano modò relato, & copiosè ex Arausicano secundo, & tandem ex sacro Tridentino sess. 6. de Iustificatione cap. 5. ubi manifestè docet, prævenientem gratiam, qua de facto iustificamur, esse simul excitantem, & adjuvantem. Et canone tertio definit non solum præveniente Spiritus sancti inspiratione, sed etiam adjutorio, scilicet præveniente, hominem credere, sperare, & in canone 4. (inquit) *Liberum arbitrium à Deo esse motum & excitatum*, vtrumque ad prævenientem gratiam pertinere docens, & excitationem, & motionem physicam, seu ad modum causæ physicæ, quæ verè, & activè propriè faciat hominem Deo vocanti consentire, licet possit dissentire, si velit. De cujus sacri Concilij litterali, & vera intelligentia, copiosè acturi sumus nostro quarto hujus operis libro. Nunc ad præsens dicimus Concilia sacra non admittere, ad pervenientem gratiam tantum pertinere excitationem illam moralem, quam isti authores vocant esse prævenientem gratiam, sed excitantem, & adjuvantem, seu moventem simul. Et ratio est manifesta quia idem est movere Deum moraliter tantùm, & movere objectivè tantùm, movere autem tantùm objectivè, est movere ostendendo tantùm, seu per modum proponentis legem, atque doctrinam, ut ex professo in fine secundi nostri libri damus manifestum, & in quarto sæpissimè aperimus, & statim magna brevitate tangemus.

Similiter gratia cooperans, ut cooperans modò ab his authoribus constituitur, ut nempe sit illa, quæ consentiente iam nostro libero arbitrio nobiscum cooperatur, pedissequa est, & pedissequa in terminis collocatur, ut erit ex professo aperiendum suo loco, & secundum priora merita consentientis ex se arbitrij dari, est manifestum: Vnde nec vera gratia est, nec Concilia, & Pontifices, Sanctique DD. gratiam cooperantem, quam necessariam esse definiunt, illam intellexerunt, sed eam quæ post prævenientem excitationem, etiam præveniendo adjuvat, & verè cooperatur, verè efficiens ut homo illi liberè consentiat. Quod copiosè ostendendum erit inferiùs, in hoc enim tota substantia hujus magnæ controversiæ consistit; vbi etiam dabimus manifestum illam cooperantem gratiam, voce ab his authoribus poni, re autem ipsa nihil cooperantis gratiæ affirmari. Si enim sine illa homo potest incipere suum consensum, & ex suis solis naturæ viribus morali excitatione consentire: poterit eisdem solis viribus naturæ, quod incepit perficere & consummare, ut Sanctus Pater Augustinus demonstrat libro de prædest. sanct. Vnde non nisi ex superfluo, & sola voce videntur gratiam cooperantem admittere.

Pelagius ergo illas supradictas revelationes ostendentes tantùm, & suadentes, seu extrinsecè tantùm excitantes admisit, quas & prævenientem gratiam errando vocabat; sed à Conciliis, summis Pontificibus, & Sanctis Patribus damnatus est, quod nec Christi gratiam fuerit confessus, nec veram prævenientem. Gratiam autem illam pedissequam cooperantem non admisit, sed licet admitteret, à suo potissimo errore quo dicebat gratiam secundum priora merita dari non recessisset ut dictum est supra.

Vnde hoc quod reputant Achile, & insolubile argumentum attendant quanta facilitate solvatur, & quomodo ipsi sub æquivocatione verborũ versentur, dum verbis quidem prævenientem gratiam, & cooperantem, quam Concilia, & Pontifices summi necessariam esse dixerunt, necessariam dicant, re autem ipsa, omnis illa manifestè negetur. Ecclesia ergo nihil imponit Pelagio, quod ipse non dixerit, sed docet admisisse ipsum internas illas revelationes ostendentes tantùm, quæ vera Christi prævenientes gratia non sunt.

Ad sextum dicẽdum damnatũ fuisse Pelagium, quia

Digitized by Google

veram, ac propriam Christi gratiam negavit: At verò vera & propria Christi gratia non est revelatio interiùs ostendens tantùm suadens, & intrinsecè excitans, sed est illa quæ facit ut faciamus, operatur ut operemur, & quæ dat efficaces vires ut facta velimus, non ostendendo, revelando, & exhortando solùm, sed etiam verè & propriè efficiendo, ut faciamus, velimus, & operemur, quo nihil est clarius in antiquis Conciliis, summis Pontificibus, sanctisque Doctoribus: Vnde licet illa interior revelatio à Pelagio admissa à spiritu sancto interius immittatur, non tamen est gratia à Deo immissa per submministrationem virtutis ad operandum, sed ad ostendendum præcisè, ut supra manet declaratum. Vel secundo dicatur prout supra, damnatum fuisse Pelagium, quia veram gratiam negavit, nam internæ illæ revelationes, cum ab ipso constituerentur hominibus dari ex priori naturæ merito, nullo modo vera gratia erant. Vnde quantumvis sit verum Pelagium admisisse internas illas revelationes, non imponitur illi à Conciliis, quod veram negaverit gratiam, sed verissimè illi tribuitur, quod veram gratiam potissimè Christi Redemptoris non agnoverit, vt à principio huius capitis dedimus manifestum, ubi etiam aliæ solutiones sunt inspiciendæ.

Ad septimum & ultimum negandum omnino est, quod sicut ex verbis Pelagij infertur, imò convincitur ipsum admisisse illas internas & supernaturales revelationes à Deo immissas; ita ex eisdem verbis inferatur, vel possit inferri, ipsum admisisse auxilium efficax gratiæ prævenientis; imò planè ita totum contrarium ex illius verbis apparet, ut mirandum sit quod istorum authorum ingenia, non contemptibilia, talia sibi persuadeant, vel aliis persuadere posse confidant. Quod enim convincatur admisisse Pelagium internas illas revelationes ex supradictis verbis Pelagij relinquitur satis apertum. Quod autem ex illius verbis non possit deduci illum constituisse verum prævenientis gratiæ efficax auxilium, ex eo patet, quia nihil magis ipse expressiùs negavit, quàm adjutorium dans velle, idest ut defacto velimus, ut sæpissimè S. P. Augustinus demonstrat per totum librum de gratia Christi. Sanè cum Pelagius expressè dicat Deum operari in nobis, quod sanctum est, per revelationem, & oculorum apertionem, suasionem, & futurorum ostensionem, non autem efficiendo nos operari, quia bonam voluntatem ex nobis effici bonam affirmavit (testante sancto Augustino citato libro de gratia Christi cap. 10.) Vnde possunt isti authores sibi suadere id quod in argumento proponunt, cum alterum expressè affirmetur à Pelagio de intrinsecis illis revelationibus, alterum verò de auxilio efficiente ut nos faciamus tam apertè ab isto negetur? Certè hoc ab aliis dici non potest, nisi ab illis qui putant veram Christi gratiam in illis revelationibus ostendentibus tantùm sitam esse, quod quàm sit contra Concilia, potissimè contra Milevitanum can. 4. nullus est, qui non sciat.

Concludendum est igitur nihil omnino obstantibus argumentis inductis, quæ tam manifestam habent solutionem, verissimum esse quod diximus Pelagium illas internas revelationes ostendentes suadentes, invitantes, & exhortantes tantùm admisisse; nec tamen per illas veram Christi gratiam fuisse confessum, imò per illas non recessisse à commendatione legis atque doctrinæ, ut ostensum est.

Errores ergo, quibus semper pertinaciter adhæsit Pelagius in materia prædestinationis & gratiæ hoc breui indiculo continentur.

Dixit primo: In parvulis nullum esse originale peccatum, quod ad sui mundationem lavacro regenerationis egeret.

Secundo Prædestinationem fieri ex præscientia bonorum operum, quæ ex sola arbitrij naturali facultate sine aliquo auxilio dante ei vires (posita tantum supernaturali revelatione ex parte intellectus ostendente solùm quid facere debeamus) homines facturi essent, vel posita gratia iustificationis, ut necessaria ad remissionem peccatorum, licet non necessaria ad bene operandum, quam tamen ex priori merito naturæ constituebat, ut dictum est supra.

Tertio, nullum esse Divinum concursum, quo Deus homines moueret ad opera merè naturalia; puta ad loquendum, ambulandum, comedendum; quia alias nostrum tolleretur arbitrium.

Quarto, nullum auxilium gratiæ esse necessarium ad singulos actus, quia ad quædam bona opera necessarium non est, imò illis homo gratiam meretur.

Quintò, gratiam Dei secundum merita nostra dari, ut ex præcedenti assertione patet.

Sextò, nullum posse esse auxilium gratiæ, quod det ipsum velle, & operari, ideſt quod efficaciter faciat nos velle, & operari.

Septimo, ex parte voluntatis admisit necessariam iustificationis gratiam, quantum ad solam remissionem peccatorum, licet eam ex priori naturæ merito constitueret, ut dictum est sæpe.

Octavo, imò ex parte voluntatis humanæ nullam esse simpliciter gratiam necessariam, quæ illi vires tribuat etiam sufficientes, quia ad salutem efficiendam & perficiendam, firmum ac forte est liberum arbitrium.

Nono, talem gratiam dantem sufficientes vires, seu posse bene operari requiri, ut faciliùs possit homo implere Divina mandata perficereque iustitiam; sed hanc non posuit actualem ex parte voluntatis etiam ad faciliùs, sed habitualem, puta iustificationis gratiam, & habitus infusos.

Decimo & ultimo ex parte intellectus necessariam esse simpliciter divinam revelationem ostendentem tantùm quid agere debeamus, & aperientem intelligentiam mandatorum, quæ, ut sanctus Augustinus probat, non recedit à lege atque doctrina.

Hic vltimò adnotaverim hanc Pelagij hæresim in illius potissimo fundamento sequutum fuisse Raymundum Lullum qui refente Eymerico in directorio inquisit part. 2. quæst. 9. §. de Raymundo Lull. & eius erroribus, hunc, qui ibi signatur septuagesimus quartus, evomuit. *Quod in faciendo bonum non oportet expectare quod Deus incipiat, quia iam incepit quando nos creavit, & pro conservatione nostra mundum nobis dedit ut ei serviamus, & eum honoremus.* Sic habet Raymundus, ille lib. de oratione, & in lib. de Philosophia amoris in qua propositione cum aliis adjunctis quæ omittuntur ipsissimam asseruit Pelagij hæresim recurrens ad creationem sicut primitùs Pelagius. Quod autem defensores Lulli prætendunt illas assertiones, quæ ab Eymerico illi tribuuntur, Lulli non esse, sed illi imponi, alterius iudicij est, quod & ipsi debent probare, sed huc vsque minùs probarunt. A quibus abstrahentes modo hoc tantùm dicimus, quod relata ab Eymerico propositio, sive sit Lulli, sive cujuscumque alterius, cum Pelagio convenit manifestè, sed & defensores eiusdem Lulli in memoriali ab his mandato, quod Paulo V. pro defensione eiusdem Lulli tradiderunt inter propositiones quas esse Lulli fatentur, & hanc concedunt, quæ est ibi 64. in ordine.

Digitized by Google

TRACTATVS SECVNDVS.

DE MANICHÆORVM, ET ALIORVM SECTARIORVM erroribus circa libertatem arbitrij.

CAPVT I.

Quòd Manichæus eiusque sectatores in homine liberum arbitrium non admiserint; & unde ad hoc moti fuerint.

QVIA oppositâ iuxta se posita magis elucescunt, errores Manichæorum, Lutheranorum, & Calviniſtarum, vt tam isti, quàm illi superius relati apertius cognoscantur, recensendi sunt, sed brevitate maxima; quia iam à viris eruditis, qui ante nos scripserunt, satis doctè & copiosè numerantur. Quamvis nec omnino oppositi isti errores sint. Vterque enim tam Manichæus, quam Pelagius, licet diversa via, & Dei negat auxilium, & tollit liberum arbitrium. Manichæus quidem expresse negans arbitrium, divinum etiam tollit auxilium, quod certè nullum est, si non esset arbitrium. Pelagius autem expresse negans auxilium, etiam se ipsa liberum tollit arbitrium, quod per tale adiutorium fit actualiter liberum, ut sæpè Sanctus Augustinus ostendit.

Negarunt etiam arbitrium Simon Magus, Priscillianus, Albigenses, & alij qui nec numerandi sunt, quia de omnibus eadem ratio est. De Simone Mago id dicit Clemens Romanus lib. 3. recog.

Sed iam clariùs Manichæorum errores pandamus. Posuerunt illi primò duo esse æterna, seu sibi coæterna principia, bonum alterum, assejum verò malum, vt S.P. Augustinus latè prosequitur; ex hoc inferebant secundò duas esse in homine naturas alteram bonam & ad bonum determinatam ex illo bono: alteram malam, & determinatam ad malum ex malo alio principio; utrumque Sanctus Augustinus docet tum alibi, tum primo lib. ad Bonif. cap. 8. *Manichæi*, inquit, *quod etiam te satis nosse iudicasti, duas naturas alteram boni, alteram mali, ex diversis atque inter se adversis, coaterniſque principiis vanitate sacrilega nefandi erroris inducunt.*

Ex quo tertiò deducebant concupiscentiam carnis adversùs spiritum, non ex peccato originali, quod nullũ admittebant, nec Baptismum ad illius emundationẽ recipiebant, sed ex illa mali natura esse dicebant.

Quartò, dicebant quod quando liberamur & purgamur, per illam naturam boni ad bonum determinatam, separabatur à nobis illa alia substantia mali.

Ex hoc inferebant quinto quod tantùm poterat homo ex illa natura determinata ad bonum operari, & ad tale perfectionis culmen pervenire, ut nec cogitatione quidem peccare posset.

Sextò, ex hoc asserebant hominem nullo modo libertatem habere, sed omnia, sive bona, sive mala ex necessitate naturæ operari, vel ex natura illa boni & ad bonum determinata, vel ex natura mali etiam determinata ad malum. Hi sunt Manichæorum errores qui hanc materiam tangunt.

Ex quibus constat in quo cum Pelagio conveniant, & in quo ab illo dissentiant: conveniunt quidem, quia peccatum originale cum illo negant, vel potiùs negationem illius ab illo Manichæo priori Pelagius accepit, sed ratione causaque diversa. Vnde Sanctus Augustinus lib. 2. ad Bonif. cap. 2. ait. *Manichæi dicunt lavacrũ regenerationis, ideſt, aquam ipsam dicunt esse superfluam, nec prodesse aliquid prophano corde contendunt. Pelagiani autem quod in sacro Baptiſmate ad expianda peccata dicitur nihil opitulari infantibus nullum peccatum habentibus asserunt, ac per hoc in parvulis Baptizandis, quantum ad remiſſionem attinet peccatorum, Manichæi visibile destruũt elementum, Pelagiani autem, etiã inviſibile sacramentũ*

Conveniunt secundo, quia Manichæos Pelagius sequutus asseruit posse hominem esse sine peccato, & illud perfectionis culmen, quod Manichæi astruebant, obtinere; licet non ex determinatione naturæ, sed ex arbitrio proprio, qua ratione Sanctus Hieronymus epistola ad Ctesiphontem in hoc errore Pelagium Manichæi socium nominat.

Imò in hoc eodem errore statuisse Pelagium hæresim Ioviniani, ipse S. Hieronymus asserit in proœmio ad dialogum adversùs Pelagianos dicens: *Iovinianus cuius, ô Pelagi, à te hæresis nunc suscitatur.* Cum autem secundum S. Thomam quæst. 24. de verit.

Digitized by Google

verit. art. 12. Iovinianus negaverit arbitrium voluntatis, ex hoc principio ipsi Pelagio oppositio, deducebat homines peccare non posse; cujus hæresim suscitavit Pelagius dicendo posse hominem esse sine peccato. Ita quod semper Manichæus, Iovinianus, atque Pelagius ex causa rationeque diversa eadem hæreses publicarint.

Convenit tertio Pelagius cum Manichæis in neganda Dei gratia, quam dicebat dari ex meritis, sed hoc etiam ratione causaque diversa, quod sic S. P. Augustinus exponit lib. 2. ad Bonif. cap. 2. *Iam verò gratiam Christi simul oppugnant, Baptismum eius simul evacuant, carnem eius simul exhonorant, sed etiam hac modis causisque diversis. Nam Manichæi meritis naturæ bonæ; Pelagiani autem meritis voluntatis bonæ perhibent divinitus subveniri. Illi dicunt: debet hoc Deus laboribus membrorum suorum; isti dicunt, debet hoc virtutibus servorum suorum: utrisque ergo merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Et sic intelligitur quod Sanctus Hieronymus in proœmio ad Dialog. adversus Pelagianos ait; *Negasse Manichæum adiutorium gratiæ.* Quia videlicet, ut modò ex sancto Augustino constat, illud sub merito naturæ bonæ ponebat, qua ratione adiutorium gratiæ negabat. Igitur, ut summatim dicam, in his tribus Pelagius cum Manichæis conveniebat. Quòd non erat peccatum originale. Quod homines poterant esse sine peccato. Quòd gratia erat debita, sed ex causis omnino diversis, quæ & explicatæ sunt. Eædem ergo conclusiones erant circa tria, & Manichæis & Pelagio communes, sed causa principiaque distincta.

In aliis verò erroribus Manichæis Pelagius oppositus erat, illa enim duo coæterna principia negabat, similiter duas ex illis principiis in homine inesse naturas inficiabatur, & non esse in homine liberum arbitrium oppugnabat. Vt autem errores istos effugeret, nesciens tenere medium in alios extremos, supra à nobis copiosè expositos, incidit, *est enim errantium consuetudo*, inquit S. Thomas, opusc. 19. cap. 2. *ut quia in medio veritatis non possunt consistere, unum errorem declinantes in contrarium dilabantur.* Quod ibi de Arrio, & Sabellio, Nestorio, & Eutiche, imò in nostra hac materia de Pelagio exemplificat, & Manichæo. In 2. etiam sent. dist. 28. art. 1. docet contrarias istas hæreses, scil. Iovinianì, Manichæorum, & Pelagij circa liberum hominis arbitrium procedere, quod & ibi satis exponit, & concludit. - *Et ideo secundùm fidem Catholicam in medio contrariarum hæresum intendendum est*: & alij correctiores codices habent *incedendum*: Et Sanctus Augustinus citato loco expressiùs denudat, & dicit vtrosque hos errores contrarios, & Manichæorum & Pelagianorum æqualiter per Ecclesiam damnari, & lib. 4. cap. 3. *Ista nefaria*, inquit, *& damnabilia dogmata in hac tripartita divisione, quisquis mente Catholica exhorret, illius quinque partita latebras insidiasque devitet, atque ita inter utrumque sit cautus, ut sic declinet Manichæum, ne se inclinet in Pelagium, rursusque ita se seiungat à Pelagianis, ne coniungat Manichæis, quia utrique Catholicæ veritati adversantur:* quæ in medio illorum extremorum consistit. Quam mediam securam, & Catholicam viam Sanctus ipse Doctor Augustinus, tum citato loco, tum alibi sæpe multipliciter docuit, videlicet ita confitendum esse liberum arbitrium contra Manichæum, quod fateatur Dei indigere auxilio contra Pelagium.

Sanctus Hieronymus hanc etiam mediam securam viam ostendit in proemio Dialogi adversus Pelag. dum ait: *Manichæorum esse hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium, & adjutorium Dei tollere. Rursumque apertissimæ insaniæ hoc dicere hominem esse quod Deus est, & sic ingrediendum via regia, ut nec ad dexteram nec ad sinistram declinemus, appetitumque propriæ voluntatis, Dei semper credamus auxilio gubernari.* Hæc Sanctus Hieronymus quam mediam viam, quia Pelagius, cum oppugnavit Manichæum negantem liberum hominis arbitrium, non tenuit, sed ad sinistram inclinavit & homines volens facere liberos fecit sacrilegos, vt Augustlib. 5. de civit. cap. 8. Ciceronem, cuius Pelagius errorem sequutus fuit, priùs docuisse affirmat.

Sed & illud oportet considerare, etiam in hoc ipso (in quo tam expressè apparet Pelagius contrarius Manichæo) quod est liberum arbitrium defendere, cernitur reipsa contrarius non esse, sed in re, quidquid sit de voce, & de prætentione etiam liberum arbitrium negare, dum Divinum negat adiutorium, quo actualiter fit liberum, licet ex ratione causaque diversa, ut dictum est, hoc inferatur. Quia Manichæus ex illa natura ex se determinata ad bonum, & ex alia ex se determinata ad malum, planè deducebat non esse in homine liberum arbitrium; Pelagius verò aliud negat principium ex quo etiam liberum negatur arbitrium, negando Dei auxilium, quod satis latè in hoc opere erit ostendendum, & ex mente Sancti Augustini probandum: Nunc sufficiat, quod Sanctus Augustinus sæpe Pelagianos vocat, elatores, destructores, lapidatores, & præcipitatores liberi arbitrij. Destruunt ergo ipsi arbitrium, atque illud præcipitant, dum nimis adversus Deum contra propriam naturam extollunt. Vnde idem Sanctus Doctor lib. 1. cõtra Iulianum cap. 1. *Deinde monstrabo.* (inquit) *quod tu ipse sic adjuvas Manichæorum damnabilem, & nefandæ impietatis errorem, ut nullum talem Patronum nec in suis dilectoribus valeant invenire*, & iterum lib. 4. ad Bonif. cap. 6. *Quid mihi obtendit liberum arbitrium, quod ad faciendam iustitiam liberum non erit, nisi ovis fueris! qui facit igitur oves homines, ipse ad obedientiam pietatis humanas liberat voluntates.* Iam ergo convincitur Pelagius negando adjutorium gratiæ negare liberum arbitrium, liberum esse ad facienda pietatis opera. Vnde aliàs clamat Sanctus Doctor. *Si verè volunt defendere liberum arbitrium, non oppugnent unde fit liberum.* Quibus si adiungas, quod negant Pelagiani Deum illum movere etiam ad opera naturalia, etiam convincitur liberum arbitrium ab eis poni numquam operari, cum sine tali Dei motione incompossibile sit operari. Nulla ergo efficaciori via hominis negatur arbitriù, quam negando adjutorium, sine quo non operatur. Vnde Sanctus Hieronymus epistola ad Ctesiphontẽ. *Quod autem*, inquit, *sursum deorsumque iactitant liberum à nobis arbitrium destrui, audiant è contrario eos arbitrij destruere libertatem, qui malè eo abuntur adversùs beneficium largitoris. Quis destruit liberum arbitrium? ille qui semper Deo gratias agit, & quodcumque in suo rivulo fluit ad fontem refert? An qui dicit recede à me, quia mundus sum, non habeo te necessarium, dedisti mihi semel arbitrij libertatem, ut faciam quod voluero, quid rursus te ingeris ut nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleveris?* Convincit ergo Augustinus, convincit & Hieronymus, quod Pelagius, qui Dei adjutorium negabat, ex consequenti arbitrij libertatem, quam defendere laborabat, destruebat. Sanctus etiam Thomas 1.2. quæst. 109. art. 1. pro comperto habet, quod nulla potentia licet perfectissima, potest exire in opus, sine divina motione. Cum ergo hanc Pelagius blasphemet, consequens est ut velit nolit, numquam arbitrium exire in operationem constituat. Sed de hoc puncto sat fuerit hæc tetigisse, quia in hoc libro, & sequenti copiosè ea ostendemus.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT. II.

De erroribus Lutheranorum & Calviniſtarum contra libertatem arbitrij.

SATIS notum eſt, quod ſicut Pelagius volens evitare Manichæum ad aliud extremum declinans, ſuam hæreſim ſupra à nobis relatam propinavit, ita Lutherus, Calvinus & ſequaces, ut Melanchton, Beza & ſimiles, prætextu effugiendi Pelagium, iterum Manichæum introduxerunt, quantum ad negationem arbitrij; licet illam non ex illa duplici natura determinata reſpectivè ad bonum vel malum, ſed ex alia diverſa cauſa deduxerint, ut ex ſerie & narratione errorum eorundem jam oſtendere properamus.

In quibus ſi Theologus veritates & repugnantias invenerit, nec debet eſſe ſollicitus, quia familiare errantibus eſt contradictionibus abundare, cum ab omni vento doctrinæ huc illucque circumferantur, quamvis quibus ipſi pertinaciter adhæreant, nec difficile ſit invenire.

Prima ergo hæreſis aliarum quaſi baſis, & fundamentum quam in hac materia liberi arbitrij & gratiæ per Os Lutheranorum, & Calviniſtarũ diabolus ſibilavit, hæc eſt: *Liberum arbitrium poſt Adæ peccatum fuit in hominibus extinctum & amiſſum, ita quod manſit res de ſolo titulo, vel titulus ſine re.* Ita Lutherus *in aſſertion. Articulorum ad Leon X. art. 36. & libro qui inſcribatur* operationes in Pſalmos ſuper *Pſalm. 5. & lib. de ſervo arbitrio.* Calvin. lib. 1. Inſtitut. cap. 15. num. 8. & lib. 2. cap. 3. §. 7. Quamvis autem in hac Calvinus cum Luthero conſentiat ipſumque ſequatur, in modo tamen quo liberum hominis arbitrium extinctum poſt peccatum aſſerũnt, & rem de ſolo titulo, differentia eſt; quia Lutherus ita aſſeruit extinctum arbitrium liberum, ut contendat etiam contra omnem Philoſophiam, illud merè paſſivè ſe habere, recipiendo videlicet motum ſeu actum à ſolo Deo productum. Cœterum Calvinus non aſſerit liberum arbitrium ita extinctum, ut merè paſſivè ſe habeat, ſed activè dicit actionem efficere, ſponte quidem ad modum brutorum, ſed ſine aliqua libertate. Contra quos Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. de juſtificat cap. 1. & Can. 5.

Secunda hæreſis illorum eſt: liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum, niſi per Dei gratiam inflectatur, naturaliter eſt determinatum ad malum. Ita Calvin. lib. 2. inſtit. cap. 3. num. 8. ubi dicit. *Ex mera gratia eſt, ubi velle bonum incipimus qui ad malum toto animo ſumus naturaliter propenſi*: Et nu. 9. idem dicit in explicatione illius 1. Reg. 8. *Inclinet cor noſtrum ad ſe Dominus*, inquit, *pervicaciam cordis noſtri oſtendit, quod in legis divinæ revelationem naturaliter inſultet, niſi flectatur.* Hæreſis iſta ex priori deducitur, ſi enim liberum arbitrium poſt originale peccatum Adæ extinctum eſt, & ex alia parte habet peccatum originale, per illud naturaliter erit in malum inclinatum. Cum autem per Dei gratiam, ut ajunt, inflectitur in bonum, etiam ſine libertate (quia libertas in eo extincta ab eis ponitur) in bonum inflecti ab iſtis dicitur.

In ſumma omnes qui liberum arbitrium negarunt, aliqua ex quadruplici via ad illud negandum, proceſſerunt. Quidam enim primò illud negabant, quia omnia ex ſyderum fatali quadam neceſſitate provenire dicebant. Alij ut Manichæi ex illa duplici jam relata natura, ſive bona ſive mala, ad bonum ſeu malum determinata, libertatem humanam auferebant. At tertiò Lutherani, & Calviniſtæ arbitrium per originale peccatum extinctum affirmant; & tandem, & Calvinus & alij etiam per efficacem Dei præmotionem illud negari contendunt.

Omnia autem quaſi in Epilogum reducendo, quæ Calvinus de originali peccato & ablatione libertatis aſſeruit, hæc ab eo ſequuntur inventa. Primò, omnes concipi cum originali peccato, in quo Pelagio contrariatur, qui nullum concipi cum originali peccato contendit. Secundo omnes filios infidelium cum originali paccato naſci. Tertio per baptiſmum originale peccatum non verè auferri aut tolli, ſed tantùm radi, ita quod baptizatis non imputatur. Quartò fidelium filios etiam antequam naſcantur, ſine imputatione illa originalis peccati eſſe, & ita naſci ſine tali imputatione. Quinto per peccatum originale, quod in omnibus re ipſa dicit manere, nec re ipſa auferri; extinctum poſuit liberum hominis arbitrium, & determinatum ad malum, ſine viribus ac libertate aliqua ad bonum. Aſſeruit ſexto efficaciter homines à Deo moveri, ſive ad bonum, ſive ad malum (poſuit enim, quod ſicut Deus ad bonum, ita movet efficaciter ad malum) Septimo & ultimò ſtatuit, quod illi efficaci Dei motioni, homo refragari non poteſt, nec aliud agere, ita quod ſi Deus efficaciter movet ad malum, illud homo omnino neceſſariò & ſine libertate aliqua operetur; tum ex eo quod eſt determinatus ad malum per originale peccatum; tum etiam ex illa Dei efficaci motione. Cum autem Deus efficaciter movet ad bonum, etiam homo ſine libertate illud operatur ex Deo illum ad illud determinante, atque movente contra ptopriam illius naturam, ad malum ex ſe per originale peccatum determinatam. Nec enim, ut ait, poteſt homo quantumvis determinatus ad malum refragari illi efficaci Dei motioni moventi ad bonum, cum illa Dei motio efficacior & potentior ſit, quam hominis determinatio ad malum. Et iſta fuit tota Calvini ſententia, circa peccatum originale, Dei efficacem motionem, & negationem libertatis.

Occaſione hujus non erit abſre breviter referre eos, qui malè de originali peccato locuti ſunt licet diverſis viis, atque motivis. Carpocratiani illud negarũt dicentes ſe naturâ filios Dei, & peccatũ nullum habere. Manichæi verò concupiſcentiam, non ex vitiata origine, ſed ex quadam contraria ſenſerunt eſſe ſubſtantia. Poſtea Pelagius cum Celeſtio, atque Juliano (quos occultè, ut dicemus infra, Semipelagiani vocati, ſecuti ſunt re ipſa, licet non aperta voce, ſicut illi priores) peccatum originale negarunt. Armeni originale peccatum non admittunt. Petrum etiam Abailardum peccatum originale negaſſe ſanctus Bernardus refert Epiſt. 88. Albigenſes præterea originale peccatum inficiantur. Joannes quidam Vveſelienſis peccatum originis non admittit. Jacobus Stapulenſis originale peccatum dixit ſolùm pœnam, & obligationem ad mortem, ſecutus in hoc Julianum Capuenſem Epiſcopum. Anabaptiſtæ apertè negant originale peccatum, qua etiam ratione conſequenter parvulis baptiſmum neceſſarium negant. Eraſmus deinde malè etiam de originali peccato locutus fuit.

De Luthero, & Calvino quod extinctum ponant liberum arbitrium per peccatum, dictum eſt ſupra. In quo convenientes Lutherani, illorum quidam dicunt originale peccatum eſſe ſubſtantiam hominis, unde, & Subſtantiarij nominantur. Alij ipſorum originale peccatum accidens eſſe dicunt: unde etiam Accidentarij appellantur. Quæ dicta ſunt occaſione primæ & ſecundæ hæreſis Lutheri, & Calvini ſupra relatæ. Utramque enim ex originali peccato peſſimè deduxerunt. Nunc ad alias Lutheri, & Calvini hæreſes referendas revertamur. Fugiendus eſt etiam in hac parte Michaël quidam Baius, qui ut Pelagianam hæreſim evitaret in aliud extremum dogma Calvini pro-

Digitized by Google

lapsus est, ita asserens impotens liberum hominis arbitrium ad bonum, ut re ipsa ipsum extinctum ponat. Cujus plures propositiones damnatur à Gregori XIII in Bulla contra ipsum publicata.

Tertia hæresis illorum. Non potest homo in natura lapsa nisi à gratia moveatur facere aliquod bonum opus morale, sed quidquid facit peccatum est. Ita Calvinus lib. 2. Institut. cap. 2. num. 6. quod Conc. Trid. damnat sess. 6. Can. 7.

Quarta Hæresis, homo in natura lapsa, sine gratiæ auxilio, quantò vehementiùs nititur se disponere ad gratiam, tantò graviùs peccat, de quo eosdem hereticos damnat Concilium Tridentinum prædicta sess. 6. Canone 7.

Quinta hæresis. Homo in natura lapsa sine gratia nulli tentationi, nec gravi, nec levi potest resistere, sed semper cuilibet tentationi ex necessitate succumbit ita Calvinus. Hæc enim infertur ex 4. 3. & 2. supra posita.

Sexta hæresis. Homo post naturam lapsam, etiam per gratiam non potest legis præcepta servare, sed illa homini sunt omnino impossibilia. Ita Lutherus respondens ad dialog., Silvestri, & in confutatione rationis Latomianæ. Calvin lib, 2. Instit. cap. 7. damnatur à Concilio Tridentino sess. 6. Can. 18.

Septima hæresis. Homo in natura lapsa etiam per gratiam non potest Deum toto corde diligere. Ita Philippus Melancthon ad cap. 13. Epist. ad Romanos ubi dicit. *Cum mandat lex dilige, proinde impossibile jubet, ac si præcipiat nobis transvolare cælum:* Quod similiter citato Can 18. damnatur

Hos errores seu potiùs damnatas hæreses, Lutherani, & Calvinistæ protulerunt circa vires liberi arbitrij post peccatum Adæ. Hinc alias, quas evomuere circa prædestinationem & gratiam pariter referamus. Circa prædestinationem autem & gratiam has hæreses publicarunt.

Prima: non solum necessitas absoluta, sed etiam necessitas conditionata, seu ex suppositione orta ex absoluto, & efficaci decreto voluntatis divinæ, aut ex ejus efficaci gratia præveniente, antecedente omnem influxum arbitrij creati aufert ejus libertatem; ita Calvinus lib. 1. Instit. cap. 16. §. 9. lib. 5. de lib. arb. contra Pighium pag. mihi 304. & lib. 2. pag. 236. §. *Tertium argumentum*, & lib. de æterna Dei prædestinatione contra Pighium pag. 940. §. *Quod Deus.*

Secunda Deus efficaci decreto voluntatis suæ, ab æterno statuit & prædifinivit ante omnem boni vel mali usus præscientiam, quidquid in tempore ab homine fit, sed per tale decretum abstulit ab arbitrio libertatem, nullumque remanet futurum contingens, sed omnia ex necessitate eveniunt. Ita Calvinus libro de libero arbitrio contra Pighium pag. 236. §. tertium argumentum, & pag. 237. lib. 1. Institut. cap. 14. num. 5. & lib. de æterna Dei prædestinatione pag. 945. in principio. Beza in Summa Christianismi pag. 171. & 177. & lib. de arcana Dei prædestinatione fol. 359.

Tertia Deus ab æterno statuit, ac prædefinivit omnem actum humani arbitrij, non solum bonum sed etiam malum, & peccatum, ita quod ita Deus peccatum prædifinivit, sicut & actum bonum. Ita Calvinus locis proximè citatis, cum Theodoro Beza.

Ex hac quartam impiissimam, & blasphemam hæresim pronunciarunt, affirmantes Deum esse authorem & causam peccatorum, atque ita mala opera & bona in nobis operari. Ita Luth. in assert. articulorum ad Leonem X. art. 36. & lib. de servo arbitrio. Calvin lib. 2. Instit. cap. 23. §. 7. & 8. Melanchton ad cap. 8. & 9. ad Rom. Zuinglius sermone de providentia cap. 6. In quo errore fuit Marcion, Manichæus, Simon Magus, Priscilianus, & alij. Damnantur in Concilio Tridentino sess. 6.

Quinta Deus absoluto, & efficaci Decreto, quo homines prædestinat, ita potenter, & efficaciter ipsorum prævenit voluntates, ut omnem ipsorum auferat libertatem, in effectibus prædestinationis ipsorum, & solum in eis rationem Spontanei relinquit. Patet ex relatis locis Calvini pro 4. & 3. supradicta assertione.

Sexta gratia Dei, ita dat ipsum velle, & operari, ut creata voluntas, sine libertate id efficiat, quia actus voluntatis necessariò sequitur ex suppositione decreti divini, vel alterius antecedentis causæ, gratiæ scilicet. Ita Calvinus lib. 5. de lib. arb. contra Pighium pag. 304. & lib. 2. §. tertium argumentum lib. 1. instit. cap. 16. §. 9. & lib. de æterna Dei prædestinatione contra Pighium pag. 940. §. quod Deus (supra jam relatis)

Septima, auxilium prævenientis gratiæ, quo Deus facit nos facere est movens efficaciter voluntatem non autem est excitans moraliter seu moraliter etiam attrahens. Ita Calvinus lib. 2. instit. cap. 3. §. 10. de quo Card. Belarm. lib. de gratia & lib. arb. cap. 11.

Octava omne auxilium prout venit à Deo efficax est, & nullum tantùm sufficiens. Ita Calvinus in locis proximè citatis æquivalentibus verbis omnino dicit.

Nona. Posita hac gratia efficaci non possumus non velle, non possumus dissentire. Ita Calvinus lib. 3. de lib. arb. contra Pighium pag. 285. §. voluntatem & in antidoto Concil. Triden. ad Can. 4. sess. 6. quæst. 720. & 721. damnatur hæc hæresis in citato Can. 4. sess. 6. Concilio Tridentino.

Decima: hoc efficax auxilium facit secum homines operari sponte tantùm, non liberè, ad modum quo jumentum sequitur spontanèe non liberè sessoris ductum. Ita Calvin. lib. 2. institut. cap. 3. §. septimò, ubi admittit quod Deus nos movet ad bonum, & nostra voluntas subsequendo, ut pedissequa cooperatur, non coactè, non liberè, sed sponte, quod iterum repetit eod. lib. 2. cap. 3. num. 11.

Undecima. Quia Deus vult, homo non libere sed spontanèe vult, & quia gratia operatur, homo, non coactè, non liberè, sed spontanèe operatur hæc manifestè sequitur ex dictis, & relatis.

Duodecima, ita totum tribuendum est gratiæ, ut nostræ postea electionis non sit motioni ejus obtemperare aut refragari. Calvinus lib. 2. institut. cap. 3. §. 10. lib. 3. de lib. arb. contra Pighium pag. 285. & in antidoto ad Concil. Trid. ad Can. 4. sess. 6.

Decima tertia, Deus movendo hominem gratiæ sua, nec expectat, ut homo liberè velit, nec eum liberè facit consentire, seo sponte tantum. Hæc patet ex dictis & citatis ex Calvino.

Ex quibus constat Calvinum duplici causa & titulo negare liberum hominis arbittrium. Primò quia dicit per peccatum originale libertatem fuisse in homine penitus extinctam. Secundo quia ex divino antecedente decreto, & divina prevenienti gratia asserit etiam tolli hominis libertatem. Quod si quis quærat, quomodo, cum Calvinus præsuponat hominis libertatem esse penitus extinctam per originale peccatum, iterum dicat hominis libertatem tolli per efficacem motionem gratiæ? Dicendum proprium esse hæreticorum in multis minus consequenter loqui, quæ sit prima responsio. Dicendum secundo ipsum sensisse, quòd ablatam libertatem per originale peccatum, adhuc magis aufferebat efficax divina motio. Vel tertio dicatur sensisse quod licet libertas extincta in homine non esset per peccatum originale; talis est natura efficacis Dei motionis ut illam omnino tolleret, quia non secum compatitur humanam libertatem, ob sui efficaciam.

Digitized by Google

Qui errores omnes, si referantur ad eos, quos ex Manicheo & Pelagio supra retulimus, facile quis deprehendet, in quibus cum illis conveniant, vel dissentiant. Inquantum enim pertinaciter negant liberum hominis arbitrium, expresè cum Manichæo consentiunt. Imò quatenus dicunt arbitrium sine gratia esse determinatum ad malum, & cum gratia sine libertate esse determinatum ad bonum, ad illas duas naturas boni & mali Manichæi quasi accedunt, licet non plenariè, ut notum est. Quatenus vero ex efficaci decreto divinæ voluntatis & efficaci gratia præveniente, contendunt hominis tolli arbitrium, primam consequentiam Pelagij admittunt, & ipsum in stultissima sua illatione; imò in pravo principio, ex quo illam ipse deduxit, manifestè sequuntur, quod est valde, & attentius considerandum.

Unde de erroribus Pelagianorum, Lutheranorum, & Calvinistarum propriissime verificatur, quod Innocentius III. in Concilio Lateranensi, & refertur cap. excommunicamus extra de hæretic. dixit: *Quod hæretici, facies quidem diversas habent, sed caudas adinvicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum.* Licet enim hoc dictum hæreticis omnibus propriè conveniat, generali quadam ratione qua diversis viis ipsam Catholicam veritatem oppugnant: propriissimè tamen illis hæreticis noscitur convenire, qui cum in facie seu apparentia, aliis videntur opponi, si intus considerentur, potiùs illorum errores magna ex parte deffendunt. Sic ergo, cum Lutherani & Calvinistæ negent liberum hominis arbitrium, quod Pelagius deffendere procurabat, habent quidem facies diversas sed cum idem omnino principium admittunt, quo Pelagius deceptus est, & eandem pravam illius deffendunt illationem; necesse est in utrisque videre caudas colligatas, quod fiet manifestum si errorem integrum Pelagij proponamus, cum principio, illatione, & conclusione sua.

Igitur Pelagij error in hoc syllogismo consistit: *Prævèninens efficax gratia, & humani arbitrij libertas simul stare non possunt, sed in hominibus est liberum arbitrium. Ergo in eis non potest esse præveniens efficax gratia*; vel sub eisdem terminis, quibus Pelagius usus est, syllogismum, si placet, conficiamus. *Non est liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio; sed in hominibus est liberum arbitrium: ergo non indiget Dei auxilio.* Hic est Pelagij error ex suis principiis deductus, in quo concludit, necessarium non esse prævenientis gratiæ verum adjutorium, quæ est damnata conclusio, & hæresis divinæ gratiæ inimica. Hæcautem hæretica conclusio ex illa Minori non sequitur, quia Minor de fide est quod videlicet sit in hominibus liberum arbitrium; necesse est ergo, quod ex Majori sequatur, & sic quod illa Major hæretica sit; & sic per illationem factam ex illa Majori hæretica, posita Minori Catholica, conclusio sequitur hæretica. Coaptemus ergo & conferamus cum syllogismo isto Pelagij, alium Lutheranorum, & potissimè Calvinistarum, in quo etiam illi suum fundant & proponunt errorem, & in quo conveniant erit apertum.

Sic ipsi syllogizant. Non est in homine liberum arbitrium si Dei indiget auxilio; sed homo indiget Dei auxilio: ergo non est in ipso liberum arbitrium, vel sub eorum propriis terminis sic argumentum formetur: *Efficax præveniens gratia, & liberum arbitrium hominis simul stare non possunt; sed preveniens efficax gratia ponenda est: ergo cum illa stare non potest liberum hominis arbitrium.* In hoc syllogismo constat quod conclusio est opposita minori Pelagij. Pelagius enim pro minori sibsumsit, est in hominibus liberum arbitrium, & Calvinistæ concludunt non est in hominibus liberum arbitrium. Vnde sicut illa minor Pelagij de fide est, nec in illa astruenda ipse erravit, ita Calvinistę in sua conclusione quæ illi oppositа est, in fide errant. Rursus Calvinistæ hanc hæreticam conclusionem ex illa Minori, qua dixerunt, *quod efficax præveniens gratia tenenda, & prædicanda est*, inferre non possunt, quia illa sua minor est contradictoria hæreticę conclusioni Pelagij, dixerat enim in conclusione Pelagius: *Ergo non est efficax præveniens gratia*, Calvistinæ autem sumentes oppositum ejus sic in minori dixerunt; *sed efficax præveniens gratia tenenda est*: Ergo in hac minori nullo modo errant, sed oppositum ponunt hæreticæ conclusioni Pelagij. Necesse est ergo, quod Calvinistæ in supradicto syllogismo errent in majori, in qua etiam erravit Pelagius, dum ipsi sicut Pelagius ex errante majori, & Minori Catholica intulerunt conclusionem hæreticam. Sed & illud consideretur, Calvinum non admisisse veram prævenientem efficacem gratiam quia tantùm admisit subito excitantem, non motaliter attrahentem; & negavit veram prævenientem adjuvantem, seu cooperantem, ut clarius explicabimus infra; unde non solùm in consequenti erravit, sed in antecedenti: unde talem constituit Calvinus prævenientem gratiam, ex qua faciliùs posset inferre arbitrij læsionem.

Constat ergo Calvinistas in duobus Pelagianis esse contrarios primò quia Pelagius, ut patet ex illa minori sui syllogismi, hominis fatetur liberum arbitrium, quod tamen Calvistinæ in sua conclusione negant. Secundo opponuntur, quia Calvinistæ fatentur prævenientem Dei efficacem gratiam in illa sua minori (qualemcumque illam prævenientem efficacem motionem constituant, ut jam tactum est) qua hæreticam conclusionem Pelagij oppugnant. In his quidem duobus, facies quidem habent diversas, sed in aliis habent caudas colligatas, quia unum & idem principium proponunt pravum, ex quo per diversam subsumptionem, diversam conclusionem inferunt. Principium utriusque commune, in quo proinde in aliis conveniunt colligantur illud est, quod utrique pro majori statuunt, videlicet: *Non est liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio.* Vel quod idem est: *Præveniens efficax gratia stare non potest cum humana libertate, nec illam secum compati potest*, in hoc pravo funestoque principio, & Calvinistæ conveniunt, & Pelagiani, & in prava illatione, quam ex ipso deducunt. Unde ex hoc uno & eodem principio, diversas imò contrarias hæreses deduxerunt ut manet expositum.

Similiter in alio principio inter ipsos convenientia est, quia uterque negat, adjuvantem gratiam prævenientem, licet ratione diversa. Pelagius eam negat, ne per eam lædatur arbitrij libertas, arbitrabatur enim quod si illa esset admissa, libertas arbitrij impediebatur. Calvinus verò eandem negat, quia judicat quod si cooperans gratia præveniens arbitrium adjuvaret, quòd ex hoc convinceretur arbitrij libertas, quia vidit hoc à Sancto Patre Augustino contra Pelagianos esse convictum, unde hac ratione illam prævenientem adjuvantem, & cooperantem gratiam negavit, de quo etiam infra dicturi sumus.

Quod si utramque hæresim ad Enthimema, quod brevius est, quis reducere velit, apparebit hæresim Lutheranorum & Calvinistarum tenere ex opposito consequentis Pelagij ad oppositum antecedentis; sic enim Pelagius argumentatur. *Est in homine liberum arbitrium: ergo Dei non indiget auxilio: vel est in homine liberum arbitrium: ergo non est præveniens Dei adjutorium*, in quo antecedens posuit ex fide, & hæresim concluśit modo supra explicato. Calvinus verò ita concludit: *Est efficax gratia prævenientis motio: ergo non est liberum hominis arbitrium.* In quo etiam ex antecedenti de fide, oppositо consequenti ipsius Pe-

lagij

Digitized by Google

tagij hæretico, intulit oppositum antecedentis Catholici, quo dixerat Pelagius quod est in homine liberum arbitrium, contra quod Calvinistæ inferunt totum oppositum, videlicet non esse in homine arbitrium liberum.

Dixi antecedens esse de fide, secundum quod verba universaliter sonant, de fide enim est esse necessariam ad conversionem efficacem gratiæ premotionem; at in sensu & modo, in quo ipse talem efficacem gratiæ præmotionem constituebat scilicet in sola subitanea efficaci excitatione, sine morali attractione, & sine præveniente gratia adjuvante, seu cooperante, antecedens illud potius contra fidem procedit, ut patet ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. 6. & seq; ubi ad prævenientem gratiam, utramque docet pertinere, scilicet excitantem & adjuvantem gratiam.

Contra utrosque tamen oppositos errores, ex eodem principio deductos, Catholica veritas ita concludit: *Optimè stat efficax motio præveniens cum libertate arbitrij; sed est in homine efficax præveniens motio: ergo in ipso optimè salvatur liberum arbitrium.* Et sic condemnat Calvinistas. *Rursus: optimè stat gratia efficax præveniens cum libertate humani arbitrij, sed est in homine liberum arbitrium: ergo optimè stat cum illo efficax gratia præveniens.* Et sic destruit Pelagianos. Unde damnando errorum oppositorum illud commune pravumque principium, quod non stet efficax adjutorij gratia cum humano libero arbitrio, utramque oppositam hæresim pariter damnat, penitusque deturbat. Vtramque enim minorem, quam hæretici utrique subsumunt, Catholicam Catholica ipsa veritas suam agnoscens, pariter recipit; & ex illis cum majori Catholica posita loco illius alterius hæreticæ utramque conclusionem Catholicam concludit supra inductam, quibus utraque damnata, & hæretica conclusio Pelagianorum, & Calvinistarum pariter condemnatur. Zuinglius tamen à Luthero, & Calvino recedens in materia gratiæ, cum Pelagio consentit, & sicut cum illo negavit peccatum originale, dicens non esse peccatum, sed naturæ morbum; ita gratiam de medio auferre conatus est, contendens hominem posse solis naturæ viribus & meritis vitam æternam consequi, ut patet in Catone & Scipione quos salvatos docet lib. contra Vrbanum Regium, & refert Prateolus verbo *Zuinglius*, vel potius Calvinus recedit à Zuinglio ipso Calvino antiquiore per annos decem, vel circiter.

Attentiùs verò est considerandum, quod Calvinus, cum expressè diceret Deum esse auctorem & causam peccati, hominesque ad ipsum peccatum efficacitet movere; ut se occultaret & simplices deciperet, asseruit verbis dumtaxat exterioribus peccatum cum malitia Deo non esse attribuendum, has tres propositiones ipse expressè constituens.

Prima, omnia opera mala quæ homines faciunt fuerunt à Deo prædefinita, sic habet lib. 1. institut. cap. 19. §. 1. & lib. 3. cap. 23. §. 4. & 7. & in opusc. de æterna Dei prædest. pag. 916.

Secunda propositio ejus est: Deus in tempore movet homines malos ad mala opera perpetranda, & utitur illis, ut gladiis & ferris, & eorum voluntatibus insidens eos movet, ut sessor equum per frænum, & positivè non autem permissivè solum homines in peccata compellit sic lib. 1. instit. cap. 17. & cap. 19. §. 1. 2. 3. & 4. & lib. 2. cap. 4. §. 2. 3. & 4. & lib. de æterna Dei prædest.

Tertia, etsi Deus ab æterno prædefinierit omnia opera mala, & in tempore movet impios ad ipsa opera mala perpetranda, ipsa tamen malitia quæ peccato inest non est à Deo volita, imò ipsi displicet, & illa in solam voluntatem creatam uti propriam illius causam est referenda, ita lib. 1. inst. cap. 19. §. 2. 3. & 4. in opusc. de æterna Dei prædest. pag. 944. & instructione adversus libertinos cap. 14.

Quam tertiam propositionem post duas priores verbis dumtaxat ut se occultet proponit, cum tamen in duabus prioribus dicat Deum ab æterno velle, & prædefinire peccata quæ homines faciunt, & non solum permissivè, ad ipsaque peccata homines in tempore movere, imò eos ad ipsa peccata compellere ibi asseruit: Unde peccatum cum malitia Deo tribuendum, si tamen Deus est causa peccati, quia omnis effectus suæ causæ tribuitur, unde cum postea tertia propositione primum hujus asseruit, quia videbat horrendam hæresim esse asserere peccatum Deo tribuendum id ut se occultaret, verbis negavit.

Quod autem aliquibus rationibus suadere conatur, se non asserere peccatum Deo esse tribuendum, nihil omnino obstat nec illum aliquo pacto excusat.

Prima est: quia Deus non est legi subjectus; ipsi enim peccatum attribui, non tanquam subjecto legi, sed tanquam primæ causæ illius per quod magis illius causa est, quam homo. Secunda quia homo mala voluntate facit peccatum, Deus autem bona intentione, sic habet primo lib. inst. cap. 17. §. 4. & cap. 110. & in institutione contra libertinos cap. 14. quod solis verbis affirmat. Peccatum enim, & malum à quocumque sit volitum & causatum mala intentione est volitum: Vnde si Deus ipsum causaret non bona intentione faceret. Tertia Deus est causa universalis, & remota ipsius peccati, homo verò principalis & proxima: unde peccatum non tribuitur Deo sed homini (quod nihil excusat) & tamen Deus est prima & magis principalis causa, & immediata volens ipsum peccatum, ut ait, & compellens homines ad ipsum: ergo velit nolit, Deo peccatum adscribit.

Quod autem ait, non est Deo sed homini solùm peccatum tribuendum, quia homo solùm peccatum originale habet, nihil excusat. Primo quia originale peccatum, quamvis inclinet hominem ad peccatum actuale, non tamen ipsum compellit. Deus autem, ut ipse ait, hominem compellit ad peccatum: ergo magis ipsi est peccatum tribuendum. Præterea frivolè recurrit ad peccatum originale ad se excusandum: primus enim homo, & Angelus, quando peccaverunt, & per seipsum Deus compulit illos ad peccandum, nullum habebant peccatum originale: ergo verbis solùm se excusat frivolè. Unde Concilium Tridentinum, quod apertè comprehendit illius errores, contra ipsum & sequaces sic definit sess. 6. de justifica Canon. 6. *Siquis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari non permissivè solum sed etiam propriè & per se; adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.* Secundùm ergo Concilium sacrum, Calvinus cum sequacibus ponebant mala opera sicut & bona esse Dei propria opera: ergo ponebant quod sicut bona Deo tribuuntur, ita mala, quæ ab eis ponebantur propria opera Dei, ipsi Deo propriè tribuenda sunt.

CAPUT III.

Qualiter Catholica veritas æqualiter Pelagianos, & Calvinistas condemnat, media via inter eorum extremos errores procedendo.

NON reputamus infructuosum, si in praxi ostendamus qualiter Catholica veritas omnes supradictos extremos errores, & Pelagianorum, & Manichæorum, Lutheranorum, & Calvinistarum pariter damnet; mediam, & securam viam tenendo, ut ex Sancto Augustino, Hieronymo, Thoma, & ratione ipsa

Digitized by Google

S. Augustino, Hieronymo, & Thoma; & ratione ipsa ostensum est supra. Quod nec commodiùs effici potest, quàm si Pelagianorum errores à dextris collocando, à Sinistris Manichęorum, seu potius Lutheranorum, & Calvinistarum constituamus. Inter utrosque autem suum medium tenes Catholica ipsa veritas sita sit, utrumque extremum pariter damnans.

ERRORES PELAGIANORUM circa vires liberi arbitrij.	*VERITATES CATHOLICÆ circa liberi arbitrij vires.*	*HÆRESES CALVINISTARUM circa vires liberi arbitrij.*
PRIMA.	PRIMA.	PRIMA.
LIBERUM arbitrium pòst Adæ peccatum non mansit in homine læsum, aut vulneratum in suis naturalibus, sed solùm spoliatum fuit gratuitis. Ita refert Augustinus 1. lib. ad Bonif. cap. 2. & Prosper contra Collat cap. 27.	NON fuit liberum arbitrium post Adæ peccatum extinctum in hominibus, nec solùm fuit donis supernaturalibus spoliatum, sed verè mansit læsum, vulneratum, & extenuatum in naturalibus. Ita sanctus Augustinus & Prosper citatis locis S. Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 2. imò Conc. Arausi. 2. Can. 2. & Tridentinum sess. 6. Can. 5.	LIBERUM arbitrium post Adę peccatum fuit extinctum in hominibus, & mansit res de solo nomine, vel titulus sine re; ita Luth. ad Leon. X. art. 36. lib. 8. de servo arbitrio. Calvinus lib. 2. institut cap. 3. §. 7.
II. PELAGIANORUM.	II. CATHOLICORUM.	II. CALVINISTARUM.
Liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum, ante omne auxilium gratiæ, sufficientes vires habet ad non peccandum. Ita Pelagius Epistola ad Demetriadem. Refert etiam S. Augustinus Epistola 107. & specialiter 143. ubi illam Pelagij ad Demetriadem impugnat.	Liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum ante omne auxilium gratiæ, non est sufficiens ad non peccandum, nec est naturaliter inclinatum in malum, sed aliqua bona moralia liberè potest facere, non peccando. Ita S. Augustinus citatis locis contra Pelag. & lib. de nat. & gratia cap. 66. S. Thom. ubi supra.	Liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum nisi per Dei gratiam inflectatur, naturaliter est inclinatum ad malum. Sic Calvinus lib. 2. inst. cap. 3. num. 8. & num. 9. in explanatione illius 1. reg. 8. *Inclinet cor nostrum ad se Dominus.*
III.	III.	III.
Potest homo in natura ante omne gratiæ auxilium facere quodcumque opus morale quod sit verè bonum ac verè virtutis opus. Ita de Juliano ad longum refert Sanctus Augustinus lib. 4. contra eundem cap. 3.	Homo in natura lapsa absque omni auxilio gratiæ non potest facere omne opus bonum morale, quod sit verè bonum, & verè virtutis opus, potest tamen facere bonum aliquod opus morale ex genere & objecto nullo modo peccando in operatione tali. Ita S. Augustinus lib. 4. contra Julian. cap. 3. Pius V. in Bulla contra Michaëlem Baium Con. Trid. sess. 6, Can. 7.	Non potest homo in natura lapsa, nisi à gratia adjuvetur, facere aliquod bonum opus morale, sed quidquid facit, peccatum est. Ita Calvinus lib. 2. instit. cap. 2. num. 6.
IV.	IV.	IV.
Homo in natura lapsa sine aliquo gratiæ auxilio potest naturæ operibus se ad gratiam disponere; Ita quod infallibiliter ei dona gratiæ reddantur. Ita Pelagius relatus à S. August. libro de gratia Christi cap. 31. lib. 2. contra duas Epist. Pelag. cap. 8. lib. 4. contra Julianum cap. 3. S. Prosper contra Collat. Ferè per totum.	Quamvis homo in natura lapsa sine auxilio gratiæ opera quædam bona moralia facere possit, & quàmvis per illa nec gravius peccet, imo nec peccet per illa, tamen ad gratiam se non disponit, nec dona gratiæ ei infallibiliter dantur. Conc. Arausi. 2. Can. 3. 6. & 7. Trid. sess. 6. de justif. cap. 5. & 6.	Homo in natura lapsa, sine gratiæ auxilio quantò vehementius nititur se disponere ad gratiam, tantò magis gravius peccat. Ita Lutherus. De hoc damnatur à Concilio Tridentino sess. 6. Can. 7.
V.	V.	V.
Potest homo in natura lapsa sine gratiæ auxilio dolere de peccatis propter gehennæ metum; cum proposito non peccandi, & spe veniæ; imò propter Deum potest de peccatis conteri. Ita de Juliano refert S. Augustinus lib. 5. contra ipsum Julianum cap. 4. vers. quantumlibet.	Non potest homo sine gratiæ auxilio de peccatis conteri propter Deum, imò nec de ipsis dolere propter gehennæ metum, cum proposito non peccandi & spe veniæ, non tamen quidquid viribus suis facit, aliqualiter dolendo de peccatis suis, in eo peccat, aut eum magis peccatorem efficit. Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. & Can. 5.	Gehennæ metus, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel peccatis abstinemus, peccatum est, ac peccatores peiores facit. Lutherus, & Calvinus damnati in Concilio Tridentino sess. 6. Can. 8.
VI.	VI.	VI.
Homo in natura lapsa sine auxi-	Quamvis homo in natura lapsa	Homo in natura lapsa etiam

Digitized by Google

lio gratiæ potest Deum super omnia diligere. De Pelagianis id refert S. Augustin. lib. 2. con. duas Epist. Pelag. cap. 9. lib. 3. contra Julian. cap. 3. lib. de gratia & lib. arb. cap. 18.

sine gratia Deum non possit diligere super omnia, per gratiam tamen Deum optimè super omnia diligere potest. S. Augustinus in dictis locis contra Pelagium Conc. Arausi. 2. Can. 25. & ult.

per gratiam non potest Deum toto corde diligere. Ita Philippus Melanchthon ad cap. 4. Epistolæ ad Rom.

VII.

Homo post lapsum ad servanda omnia legis præcepta non indiget Christi gratia, sed eâ potest ex sua innata libertate per vires suas, quamvis non ita facilè, adimplere.

VII.

Licet homo post lapsum sine gratia non possit omnia legis mandata servare, ex auxilio tamen divinæ gratiæ optimè illa omnia servare potest: unde omnia illi possibilia sunt. Concili Trident. sess. 6. cap. 11. & Can. 18.

VII.

Homo post lapsum etiam per gratiam non potest legis præcepta servare, sed illa homini sunt omnino impossibilia. Ita Lutherus respons. ad dialog. Silvestr. & in confutatione rationis Latomianæ. Calvin. lib. 2. instit. cap. 7.

ASSERTIONES PELAGIANORUM circa efficaciam divinæ gratiæ.

PRIMA.

NECESSITAS antecedens orta ex absoluto & efficaci decreto divinæ voluntatis præveniente omnem præscientiam futuri actus arbitrij, tollit ab arbitrio libertatem. Refert de Pelag. S. P. August. lib. 2. ad Bonif. cap. 5. 6. & 8. & lib. 4. c. 6. S. Prosper Epist. ad S. Augustinum de Semipelag. vers. *Removeri itaque.*

In hac prima sicut in primo principio conveniunt Pelagiani & Calvinistæ, ut patet; ex quo Pelagiani per diversam consequentiam inferunt alias novem quæ sequuntur contrarias aliis novem Calvinistarum.

II.

Deus absoluto & efficaci decreto suæ voluntatis, non statuit, nec prædifinivit actum aliquem arbitrij liberi ante præscientiam boni vel mali usus arbitrij, aliàs libertas tollitur, & fatalis inducitur necessitas. Ita Faustus dicebat de gratia & humanæ mentis arbitrio cap. 4. in fin. & cap. 9. lib. 2. in principio & c. 3. refert de ipsis S. Prosper in Epist. ad S. P. August.

III.

Si Deus ab æterno prædefinivit efficaci decreto actum arbitrij, ergo etiam prædifinivit ipsum peccatum. Ita de Juliano refert S. P. August. lib. 5. contra ipsum cap. 3. & lib. 3. cap. 9. & alibi. De Semipelag. refert S. Prosper in respons. ad cap. Gall. object. 14. & ad object. Vincent. object. 5. 10. & 11.

IV.

Si Deus ab æterno prædifinivit actum arbitrij efficaci decreto voluntatis suæ, sine priori præscien-

VERITATES CATHOLICÆ circa efficaciam divinæ gratiæ.

PRIMA.

NECESSITAS antecedens orta ex absoluto, & efficaci decreto divinæ voluntatis prevenientis omnem prescientiam futuri actus arbitrij non tollit ei libertatem, sed illam causat, & perficit. S. August. ubique cont. Pelag. S. Thom. sepè precipue 1. p. quæst. 19. art. 8. Conc. Trid. sess. 6. de justificat. Cœlestin. in Epist. ad Epis. Galliæ Concil. Araus 2.

Ex hoc certo & verissimo principio Catholici deducunt contra Pelagianos & Calvinistas alias novem propositiones sequentes medias inter hos extremos errores à dextris & sinistris collocatos.

II.

Deus absoluto, & efficaci decreto voluntatis suæ antecedente omnem usum, prescientia ab æterno statuit, & prædefinivit omne bonum actum ab homine acendum, & per hoc decretum nec aufert, nec impedit hominis libertatem, sed illam causat, & perficit S. August. & S. Thom. cit. locis pro 1. assertione. Cœlestinus. Concil. Araus 2. & Trid. ubi supra pro ead. prima assertione.

III.

Deus ab æterno prædifinivit efficaci decreto voluntatis suæ omnem actum bonum, & omnem entitatem quæ est in peccato, quatenus præcisè entitas & actio est, nullo autem modo peccatum prædifinivit. Ita S. Thom. in 2. dist. 37. art. 2. & in 2. scripto in lib. sent. distin. 37. art. 1. & 1. 2. quæst. 19. art. 1. & 2.

IV.

Deus est causa omnis nostræ bonæ actionis, & actionis quæ est in peccato, quatenus præcisè actio & en-

HÆRESES CALVINISTARUM & Lutheranorum circa efficaciam divinæ gratiæ.

PRIMA.

NECESSITAS antecedens orta ex absoluto & efficaci decreto divinæ voluntatis ante quamcumque prescientiam futuri actus arbitrij, ab eo aufert libertatem. Calvinus lib. 1. instit. cap. 16. §. 9. cum aliis locis relatis supra cap. præcedenti circa hanc propositionem.

In hac ut constat, conveniunt Calvinistæ cũ Pelagianis, sicut in communi principio, ex quo per diversam consequentiam inferunt alias novem quæ sequuntur, oppositas aliis novem Pelagianorum.

II.

Deus efficaci sua voluntate, & absoluto decreto ab æterno statuit, ac prædifinivit ante omnem boni, vel mali usus prescientiam quidquid in tempore ab homine fit, sed per talem efficacem voluntatem, hominis aufert libertatem. Ita Calvin. 2. lib. de lib. arb. pag. 236. & aliis locis citatis supra cap. præcedenti pro secunda assertione illorum.

III.

Deus ab æterno statuit & prædedefinivit omnem actum humani arbitrij: ergo prædefinivit non solum bonum, sed etiam malum & peccatum. Ita Calvin. & Beza citat. locis.

IV.

Deus est causa nostrorum peccatorum; atque ita mala opera in nobis, sicut & bona operatur.

Digitized by Google

tia usus arbitrij, ergo in tempore est causa cujuscunque actus, & ex consequenti Deus est causa peccati. Supradicti in relatis locis. Idem refert de Semipelagianis S. Prosper resp. ad cap. Gall. object. 14. & ad objectiones Vincentianas object. 5. 10. & 11.

titas est, quæ ut sic bona est, nullo autem modo est causa peccatorum nostrorum, ita S. Thom. citatis locis. Sunt etiam alij plures Sancti, qui infra in hoc opere suo loco citantur.

Quia ab æterno utraque prædefinivit. Ita Calvinus & Beza relati præcedenti cap. pro quarta ipsorum assertione.

V.

Decretum Dei absolutum & efficax prædestinandi non prævenit humanas voluntates, quia tolleretur prædestinatorum libertas in effectibus prædestinationis, & fatalis induceretur necessitas. Ita de Pelagio sæpè refert S. Prosper Epist. ad S. Augustinum, & in respons. ad cap. Gall. & object. Vincentianas.

V.

Deus absoluto & efficaci decreto suæ prædestinationis hominum prævenit voluntates, nec per hoc aliqua via libertatem ipsorum aufert aut lædit in effectibus prædestinationis ipsorum, sed potius ipsam donat, & causat. Ita S. Augustinus & Thom. citatis locis pro prima assertione Catholica.

V.

Deus absoluto & efficaci decreto quo homines prædestinat, ipsorum prævenit voluntates ita potenter & efficaciter, ut omnem ab eis auferat libertatem in effectibus prædestinationis ipsorum, & solam rationem spontanei relinquit. Ita Calvin. citat. locis supra cap. præcedenti circa hanc eandem assertionem.

VI.

Gratia Dei tantum dat posse operari, non autem verè ipsum velle & operari, quia hominum impediretur libertas. Ita de Pelag. refert S. Augustinus lib. de gratia Christi cap. 4. 5. 14. & 47.

VI.

Gratia Dei non tantùm dat posse, sed ipsum velle & operari, faciendo quod voluntas omni cum sua libertate operetur & velit. S. Augustinus citatis locis contra Pelagium in lib. de gratia Christi. Cœlestinus in sua decret. ad Episcopos Gall. Trid. Concil. sess. 6. de justificatione.

VI.

Gratia Dei ita dat velle & operari non solum posse, ut creata voluntas sine libertate operetur, & velit. Constat ex Calvino citatis locis supra cap. præcedenti, circa 6. hanc illorum assertionem, videlicet lib. 5. de lib. arb. pag. 304. & aliis locis ibi inductis.

VII.

Prævenientis gratiæ auxilium, quo Deus dicitur operari in nobis velle, solum est illuminans, ostendens, revelans, invitans, suadens, stupentem suscitans voluntatem non autem est verè & propriè faciens nos velle & operari. Ita Pelag. apud S. Augustinum lib. de gratia Christi cap. 7. & 10. & fere per totum.

VII.

Prævenientis gratiæ auxilium, quo Deus operatur in nobis velle, non solum est illuminans, & ostendens, suadens, invitans, & stupentem suscitans voluntatem, nec solum est sine excitatione efficaciter movens, sed utrumque est simul, & excitans & efficaciter adjuvans. S. Augustinus & Thom. ubi supra, sed expressiùs Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. & Can. 3. & 4. & Arausc. Can. 4.

VII.

Prævenientis gratiæ auxilium, quo Deus operatur in nobis velle, est movens efficaciter voluntatem, non autem est excitans, suadens, & invitans moraliter. Ita Calvinus lib. 2. instit. cap. 3. §. 10.

VIII.

Nullum auxilium prævenientis gratiæ est efficax prout venit à Deo, sed omne ut à Deo venit, est tantum sufficiens. Quando autem homo ex sua libertate cum illo vult operari, redditur efficax, quando autem pro eadem libertate homo operari renuit, redditur inefficax. Ita de Pelagianis refert S. P. Augustinus Epist. 107. S. Prosper, & Hilarius Epist. ad Augustinum.

VIII.

Aliquod auxilium prævenientis gratiæ prout venit à Deo est sufficiens tantum, aliquod vero efficax, ut ex Deo venit; Quod proinde non redditur efficax quia homo cum illo operari vult, sed Deus per illud facit quod homo velit, non spontaneè tantum, sed cum omni sua perfecta libertate. S. Augustinus & Thomas sæpè. Potissimè S. Augustinus de correp. & gratia cap. 12. Concilium Tridentinum sess. 6. cit. cap. 5. & Canone 4.

VIII.

Omne auxilium prævenientis gratiæ, prout venit à Deo, efficax est, & nullum secundùm quod ex Deo venit est tantum sufficiens, quod efficax auxilium facit secum hominem operari sponte quidem, non autem liberè, ad modum quo jumentum sequitur spontaneè, non liberè, sessoris ductum. Patet ex relatis locis Calvin. Præcedenti cap. pro 6. propositione.

IX.

Quia homo liberè vult, Deus illum adjuvat, & quia homo liberè operatur, gratia secum cooperatur. Refert de Pelagianis S. P. Augustinus Epistola 107. ad vitalem lib. 3. Hyponost. vers. in omni itaque.

IX.

Non quia homo liberè vult Deus illum adjuvat, nec quia liberè operatur gratia secum cooperatur, sed quia Deus adjuvat, homo vult, non tantùm spontaneè, sed verè liberè, & quia gratia operatur, homo verè liberè eidem cooperatur. Patet ex citato Canone 4. sess. 6. de justificat. & ex cap. 5.

IX.

Quia Deus hominem movet homo vult, sed non liberè, sed spontaneè, & quia gratia operatur homo non liberè sed spontaneè cooperatur. Ita Calvinistæ ut patet ex dictis.

Digitized by Google

X.

Non est totum dandum Deo, & illius gratiæ, sed aliquid reservandum labori, & industriæ arbitrij. Ita Faustus lib. 1. de lib. arb. cap. 1. & 3.

X.

In operibus bonis nihil est reservandum arbitrio, quod non habeat ex Deo, qui liberam hominis præparat voluntatem, & suâ gratiâ facit ut homo liberè consentiat, plenam in ipso relinquens potestatem, ut possit dissentire si velit. Ex Concilio Tridentino sess. 6. citata cap. 4.

X.

Ita totum dandum est Deo, & gratiæ ejus, ut nostræ postea electionis non sit motioni ejus obtemperare, aut refragari. Ita Calvinus lib. 2. instit. cap. 3. §. decimo.

XI.

Deus postquam hominem excitat suâ gratiâ, expectat ejus voluntatem ut consentiat. Ita Faustus lib. de gratia, & humanæ mentis arb. cap. 10. & 19.

XI.

Deus post excitantem gratiam non expectat hominis voluntatem, sed per adjuvantem facit ut consentiat, nec ex vi talis gratiæ facit eum spontè tantùm, sed verè liberè consentire. Constat ex citato cap. 5. & Can. 4. S. Concil. Trid.

XI.

Deus movendo hominem suâ gratiâ, non expectat ut homo liberè velit.

XII.

Gratia præveniens adjuvans, operans, & cooperans neganda est. Quia si ponatur tollitur per eam arbitrij libertas. Vbique hoc ex Pelagio, & aliis Pelagianis refert & impugnat S.P. Augustinus, potissimè libro de gratia Christi per totum.

XII.

Gratia præveniens adjuvans tam operans, quam cooperans astruenda est, nec per illam læditur aut impeditur libertas arbitrij, sed firmatur, roboratur, & ad exercitium liberum applicatur.

XII.

Gratia præveniens adjuvans seu cooperans neganda est, quia si illa ponatur convincitur libertas arbitrij. Ita Calvinus, ut nostri arbitrij libertatem negaret, cooperantem gratiam prævenientem negavit.

Ex quibus constat quòd ratione finequedi verso tam Pelagiani, quam Calvinistæ conveniant in neganda præveniente gratia adjuvante, & cooperante, quod est attentius considerandum. De quo infra.

Ecce quomodo in praxi Catholica veritas medium tenet inter extremos errores Pelagianorum, & Lutheranorum, ac Calvinistarum, & quomodo æqualiter utrosque condemnat, ut ex sancto Hieronymo, & S. Thoma dictum est supra.

Occasione errorum Pelagij, ut oppositi etiam Manichæorum Lutheranorum, & Calvinistarum explorentur, illos summa brevitate retulimus, sed quia isti magis expressè in Concilio Tridentino damnantur, & multi sunt, qui his temporibus adversus eos scripserunt, nec majori expugnatione opus est, quamvis frequenter in his nostris libris, cum se occasio obtulerit, efficaciter exterminandi sint.

Unde ad manifestandum discipulorum Pelagij errores, qui magistrum secuti novis latebris & cavillationibus se involuebant, & novis coloribus hæresim illius occultabant, illa tantò perniciosùs retenta, quantò occultiùs & minùs ab omnibus perspecta & cognita, nostram drigimus actionem, præhabitum institutum prosequentes.

TRACTATVS

Digitized by Google

TRACTATVS TERTIVS, DE CELESTIO, ATQVE IVLIANO PELAGII DISCIPVLIS.

CAPUT I.

De Celestio ipsius Pelagij in errore socio.

CELESTIUS Pelagij in crimine socius primum ipsius errorem de peccato originali (qui ut diximus, omnium errorum ejus extitit principium) multò liberiùs & apertiùs, quàm Pelagius ipse publicavit, & absque ambagibus esse in parvulis originale peccatum negavit, sic enim S.P. August. lib. 2. de peccato originali cap. 2. affirmat. Et Celestius quidem in hoc extitit errore liberior, usque adeo, ut neque in Episcopali judicio apud Carthaginem damnare voluerit eos, qui dicunt quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum, & quòd Infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem: sed Adam ab ipso sicut à Pelagio, ut dictum est, ponebatur ante prævaricationem conditus sine gratia, & justitia originali in solis suis puris naturalibus: ergo sic ponere modò infantes sanos in suis naturalibus error ipsorũ fuit, & est, à quibuscumque modò ponatur. Quem errorem Celestius nec damnare voluit.

Hujus etiam Synodi mentionem facit Augustinus libro de gestis Pelagij, qui anno 1609. in Bibliotheca sancti Bartholomæi Abbatiæ Fesulanæ Diœcesis Divinâ Providentiâ in duplici manuscripto inventus est, quem non semel legi. In hoc ita habetur cap. 35. *Ista hæresis cum plurimos decepisset, & fratres quos non deceperat conturbaret, Celestius quidem talia sentiens ad judicium Carthaginensis Ecclesiæ perductus Episcoporum sententiâ condemnatus est;* & lib. 2. de pecca. orig. à cap. 9. usque ad cap. 11. nihil aliud docet nisi occultasse Pelagium eum sensum, quem liberiùs Celestius explicavit. Unde in cap. 12. ita concludit. *Proinde si ostendero etiam ipsum nihil aliud sentire de parvulis nisi quod sine ulla cujusque vitij contagione nascantur, quid inter istum, & Celestium in hac quæstione distabit, nisi quod ille apertior, iste occultor fuit, ille pertinacior, iste mendacior, vel certè ille liberior, hic astutior.* Unde sanctus Hieronymus Epistola ad Ctesiphontem de Celestio videtur loqui (ut rectè Doctores Lovanienses adnotarunt in Scholio super cap. 6. lib. 2. de pecca. orig.) cum ait. *Sola hæc hæresis est, quæ publicè erubescit loqui, quod secretò docere non metuit. Magistrorum silentia profert rabies discipulorum, quod audierunt in cubiculis, in tectis prædicant, ut si placuerit auditoribus quod dixerint, referatur ad gloriam magistrorum, si displicuerit, culpa sit discipuli non magistri.* Sic Pelagij magistri astutiam clariùs Celestius publicabat. De Celestij libertate plura Augustinus cap. 10. & 12. ejusdem secundi libri de peccato originali. Affirmavit ergo peccatum originale non propagatione, sed imitatione in homines descendisse: ponebat parvulis extra Regnum Cœlorum æternam vitam, & voce solùm Baptismum admittebat, non ad expiationem peccatorum, sed ad ingressum regni Cœlorum, ut diximus: unde idem sanctus Doctor Augustinus libros illos duos, de gratia Christi alterum, alterum de peccato originali contra Pelagium & Celestium scripsit, quia Celestius cum Pelagio utrumque negabat.

In Epistola etiam 89. ita de Celestio habet. *Nam unus eorum nomine Celestius in ejusdem civitatis Ecclesia jam ad presbiterij honorem surrepere cœperat, sed fidelissima libertate fratrum propter has ipsas contra Christi gratiam disputationes usque ad judicium Episcopale perductus est, tamen coactus est confiteri propter baptizandos parvulos, quod & ipsis redemptio sit necessaria, ubi quamquam noluerit de originali peccato aliquid expressiùs dicere, tamen ipse redemptionis nomine non parum sibi præscripsit. Unde enim redimendi sunt nisi à diaboli potestate, in qua esse non possent nisi originalis obligatione peccati, aut quo pretio redimuntur nisi Christi sanguine de quo apertissimè scriptum est quod in remissionem effusus est peccatorum.*

Verum est quod nomine Redemptoris Celestius non intelligebat redemptionem à peccatis, sed redimi eos dicebat quantum ad hoc quod regnum Cœlorum ingrederentur, & sub hac æquivocatione latitabat occultus, nec peccatum originale in parvulis confitebatur: Unde citata Epistola subdit Sanctus Augustinus. *Quòd magis convictus, & ab Ecclesia detestatus, quam correctus & pacatus abscesserit.*

Digitized by Google

Unde & idem Sanctus Doctor eodem lib. cap. 6. ita introducit Celestium dicentem *in remissionem peccatorum Baptizando infantes non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longè à Catholico sensu alienum.* Qua ratione S. Thomas opusc. 5. in fin. expressioribus verbis errorem Pelagianorum in hac parte referens, inquit. *Quartus error est Pelagianorum, qui dicunt parvulos baptizari ut regeneratione adoptati admittantur ad Regnum Dei de bono in melius translati, non ista regeneratione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti.* Hæc Sanctus Thomas. Et S. Augustinus de hæresibus ad Quodvultd. hæresi 88. Pelagij hæresim, quæ potissimè in negatione peccati originalis consistit, Celestio in tantum adscribit, ut hæresis ista Pelagiana vel Celestina appelletur, sic enim ait; *Pelagianorum est hæresis hoc tempore omnium recentissima à Pelagio Monacho exorta, quem Magistrum Celestius sic sequutus est, ut sectatores eorum Celestiani etiam nuncupentur.*

Fuit Celestius non contemptibilis ingeni, sed acerrimi, ut refert S. Augustinus lib. 2. contra duas Epistol. Pelag. cap. 3. sic dicens: *Imò vero Pelagiani spe falsa putaverant novum, & execrabile dogma Pelagianum, vel Celestianum persuaderi quorumdam Romanorum Catholicis mentibus posse, quando illa ingenia, quamvis nefando errore perversa, non tamen contemptibilia, cum studiosè corrigenda potius, quam facilè damnanda viderentur, aliquanto leniùs, quàm severior postulabat Ecclesiæ disciplina, tractata sunt.* Et post pauca. *Sed cùm hoc Celestius in suo libello posuisset, inter illa dumtaxat de quibus se adhuc dubitare, & instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenij, qui profecto si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est.* Huius etiam libelli Celestij mentionem facit S. Augustinus relato libro qui prænotatur de gestis Pelagij in quo cap. 13. ita dicitur. *Deinde objecta sunt de libro Celestij quid in unoquoque capitulo contineat, magis secundùm sensum, quam secundùm verba, quæ quidem ille latius exequitur, sed tunc subijcere omnia, qui libellum adversus Pelagium dederunt, se non potuisse dixerunt.* Ideo autem citatis nunc locis docet S. P. Augustinus quod Celestius Romæ leniùs tractatus est, propter factam scilicet emendationem quam ostendebat, quia anno 417. mortuo Innocentio & locum Petri tenente Zozimo Celestius appellationem, quam Innocentio vivente præscripserat, libello dato prosequitur, & ita se versipellis occultat, ut post enarrata, quæ de fide sentiret hæc addiderit verba. *Si quæ verò præter fidem quæstiones natæ sunt, de quibus esset inter plerosque contentio, non ego quasi author alicujus dogmatis diffinita hæc authoritate statui, sed ea quæ de Prophetarum & Apostolorum fonte suscepi, vestro Apostolatus offerimus approbanda judicio, ut si forte, ut hominibus quisquam ignorantiæ error obrepserit, vestra sententia corrigatur.* Et qua ita se emendandum fingebat Zozimus lenius ipsum tractavit, & Episcopos Africanos, qui ipsum damnaverant, per Epistolam reprehendit. Sed illi anno 418. iterum congregati Carthagine in sententia persistunt, & Pontificem de omnibus certiorem reddunt.

Et S. Hieronymus Epistola ad Augustinum, quæ est in libro Epistolarum Augustini 24. sic dicit: *Mihi enim omnis occasio gratissima est, per quam scribo vestræ reverentiæ Testem invocans Deum, quòd si posset fieri assumptis alis columbæ, vestris amplexibus implicarer; semper quidem pro merito virtutum vestrarum, sed nunc maximè, quia cooperatoribus & adjutoribus vobis, hæresis Celestina jugulata est, quæ ita infecit corda multorum, ut cum superatos damnatosque esse sentiant, tamen venena mentium non amittant, & quod solum possunt nos oderint, per quos putant se libertatem docendæ hæreseos perdidisse.* Hæc sanctus Hieronymus Augustino.

Quia verò dictum est modò Celestium appellationem suam interposuisse Romæ anno 417. addendum est ipsum anno 420. Româ publica authoritate pulsum. Cum enim ex Africa pulsus esset & se Romam contulisset, inde etiam expulsus est Bonifacio existente Pontifice per Constantis Imperatoris rescriptum ad Volusianum Præfectum Romæ transmissum, qui proinde Volusianus tale firmavit edictum: *Volusianus præfectus Vrbis Hactenus Celestium divinæ fidei, & quietis publicæ turbatorem judiciis amica reis secreta subtraxerunt: iam leges etiam edicti prosequentur absentem: cui quod primum est æterna vrbis negatur habitatio, ut si vel in proximis fuerit diversatus debitum non evadat exitium. Pro merito etiam temeritatis, atque ausus sui cunctos huius edicti cautione præmonemus, ne quis iniquus noxio latebram putet esse præbendam, ne cum hujusmodi sit posita pœna, supplicium, ac stylum, necesse sit præscriptionis incurrere quisquis reum divinis humanisque legibus apud se putaverit occultandum.*

Et quia de Celestio libri vel scripta non extant, nec illius errores ita diffusè possumus indigare, illud tamen est certum ex dictis ipsum peccatum originale apertè negasse, in quo funesto pravoque principio omnia alia, quæ a Pelagio contra Dei gratiam divulgata fuere, & pertinaciter tenta convincitur approbasse, & illa cum Pelagio acriori animo defendisse; in tantum vt hæresis Pelegiana, aut Celestiana appellaretur, ut diximus ex Augustino.

Referuntur tamen illius errores ab eodem Sancto Patre Augustino dicto libro de gestis Pelagij cap. 11. per hæc verba. *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret moriturus esset, quoniam peccatum Adæ ipsum solum læserit & non genus humanum. Quoniam lex sic mittit ad cœlum sicut Evangelium. Quoniam ante adventum Christi fuerunt homines sine peccato. Quoniam infantes nuper nati in illo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Quoniam nec per mortem, aut prævaricationem Adæ omne genus humanum moriatur, nec per resurrectionem Christi omne Genus humanum resurgat.*

Et in cap. 14. prosequitur. *Hinc jam objiciuntur Pelagio alia Celestij capitula capitalia, & sine dubitatione damnanda, quæ nisi anathematizasset, cum his sine dubio damnaretur. In tertio capitulo scripsisse Celestium, gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina: & iterum Dei gratiam secundum merita nostra dari, quia si peccatoribus illam det, videtur esse iniquus, & his verbis intulisse, propterea & ipsa gratia in mea voluntate posita est, sive dignus fierem, sive indignus; si enim per gratiam omnia facimus, quando vincimur à peccato, non nos vincimur, sed Dei gratia, quæ voluit nos adjuvare omnino, & non potuit.* Et rursus. *Si Dei gratia est quando vincimus peccata: ergo ipse est in culpa, quando à peccato vincimur, quia omnino custodire nos aut non potuit, aut noluit.*

Præterea in cap. 13. relati libri aliud exprimit Augustinus, quod in libro Celestij habebatur, referens in primo capitulo libri Celestij hoc scriptum esse: *Quoniam plus facimus, quam in lege, & Evangelio ipsum est*, quod & nos facere ex solis naturæ viribus ipse intelligebat, ut ibi Sanctus Augustinus denudat. Verba Sancti Augustini sunt. *Deinde objecta sunt de libro Celestij quid in unoquoque capitulo contineat, magis secundùm sensum, quam secundùm verba, quæ quidem ille latiùs exequitur, sed tunc subijce-*

Digitized by Google

re omnia qui libellum adversus Pelagium dederunt, se non potuisse dixerunt ; ergo in primo Capitulo libri Celestij hoc scriptum esse posuerunt. (Quoniam plus facimus.)

Tandem in cap. 18. præcitati sui libri ita S. P. Augustinus ait: *Nam in 6. capitulo Celestij libri positum objectum est filios Dei non posse vocari, nisi omnino absque peccato fuerint effecti, in decimo Capitulo, non esse liberum arbitrium si Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate habet unusquisque, aut facere aliquid, aut non facere. In duodecimo capitulo, victoriam nostram non ex Dei esse adiutorio, sed ex libero arbitrio, quod in fine dictum est his verbis: Nostra est victoria quoniam ex propria voluntate arma suscipimus, sicut è contrario nostrum est, quando vincimur, quoniam armari propria voluntate contempsimus. Et de Apostolo Petro posuit testimonium: Divina nos esse consortes natura, & sillogismum facere dicitur. Quoniam si anima non potest esse sine peccato : ergo Deus subjacet peccato, cujus pars hoc est anima peccato obnoxia est. In tertio decimo capitulo dixit, quoniam pœnitentibus venia non datur secundùm gratiam & misericordiam Dei, sed secundum merita, & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia.* Hæc S. Pater Augustinus de Celestio refert, quæ in illius libro invenichantur asserta, insuper Celestij errores refert S.P. Augustinus in libro de perfectione Iustitiæ, quem adversus illum scripsit, in quo ipsius argutias seu ratiocinationes refellit, quibus ille astruere conabatur posse nos in hac corruptibili vita, ad eam venire iustitiæ perfectionem, ut sine omni prorsus vivamus peccato, & alia sophismata solvit, quæ ex scriptura siniſtrè intellecta contra adiutorium gratiæ ille deducebat. Quæ omnia clariùs in libro illo videri possunt, quàm hic transcribantur. Verum est docere ibi Sanctum Patrem Augustinum illas definitiones à Celestio in illo libro non fuisse conscriptas, sed ex dictis illius, quibus conformes sunt, ab aliis fuisse ordinatas: Vnde, ut cum Celestio, & eius erroribus concludamus, manifestum est eum in omnibus Pelagium sequutum, & quoad omnia hæreses eius tenuisse, sed & pertinaciùs eo, ut Sanctus Augustinus supra relatus ostendit.

CAPVT. II.

De erroribus Iuliani specialibus.

IVLIANVS Episcopus Capuanus (ut Gennadio in suo Cathalogo placet) vel Episcopus Celensis in Campania, ut DD. Lovanienses in scholio super primum librum Sancti Augustini contra Julianum in cap. 1. affirmant: ex venerabili Beda in initio commentariorum in cantica Canticorum, fuit in arte dicendi studiisque Philosophicis probè exercitatus. Refert autem Gennadius in magna quadam rerum omnium penuria facultates suas omnes pauperibus erogasse, eaque miserationis, ac beneficentiæ specie multos nobilium, præsertim Religiosorum sibi conciliasse, ac in hæresis suæ societatem pertraxisse. Incepit verò Iulianus hæresim Pelagij, atque Celestij publicare anno 418. Quo anno S.P. Augustinus libros illos duos de gratia Christi, & peccato originali scripserat, quo tempore, re iam ut videbatur confecta, & contra Pelagium & Celestium conclusa, Iulianus causæ jacentis, & prostratæ vexilla iterum erexit, & de novo bellum indixit duas Pelagianas literas scribens; alteram ad Zozimum, alteram cum aliis decem & octo Episcopis ad Thessalonicensem Episcopum.

De Iuliano ita dicit venerabilis Beda, in prologo super cant. *Est enim homo, ut rethor peritissimus, ita gratiæ Dei post Pelagium impugnator acerrimus, ut apertius scripta eius, quibus contra strenuissimum eiusdem gratiæ propugnatorem Augustinum insaniuit, ostendunt: cuius causa duelli primum de amore librum composuit, sub obtentu quasi hunc à fœdissima foret voluptate secreturus, re autem veram suam confirmaturus hæresim: quia, ut breviter plura constringantur, docet nos per arbitrium liberæ voluntatis posse bona facere quæ volumus, quamvis per auxilium gratiæ Dei facilius ea perficere valeamus, quomodo facientes iter, & pedibus quidem peragere valemus; sed minore absque dubio labore, cum nobis Equi, quibus vehamur, affluerint, immemor Apostolicæ admonitionis, qua dicit: cum metu, & tremore vestram salutem operamini, Deus est enim qui operatur in nobis, & velle, & perficere; & quòd est gravius impugnator illius, qui non ait sine me modicum quid potestis, sed sine me, inquit, nihil potestis facere.* Hæc venerabilis Beda.

Scripsit Iulianus Epistolam quamdam, quam Romam ad suos misit & alteram ad Episcopum Thessalonicensem, quam cum aliis 18. Episcopis sui erroris consortibus dictavit: quarum mentionem facit S. P. Augustinus lib. 1. ad Bonifac. cap. 1. & libro 2. capite 1. scripsit etiam quatuor alios libros contra Sanctum Augustinum, quorum mentionem facit ipse S. Augustinus in principio primi libri ex illis sex quos contra Iulianum dictavit, quibus proinde illis quatuor à Iuliano editis mirabiliter respondit, ut etiam author est Beda in comment. super Cant. Canticorum cap. 5. *scripsit*, inquit, *Iulianus librum de bono constantiæ, in quo ait, se bonum naturæ libertatemque liberi arbitrij contra Manichæi perfidiam tueri. Ut autem veritas probat, magna prævaricatio contra Cœlestis gratiæ fidem durat.* Scripsit etiam alios octo libros contra divinam gratiam Iulianus, ut refert S. Pater Augustt. Epistola ad quodvult. quæ habetur in principio sexti tomi operum Augustini. Vbi hæc verba sunt. *Hoc autem est, ubi respondeo libris Iuliani, quos octo edidit post illos quatuor, quibus antea respondi.* Idem verò cùm Sixti Pontificis tempore, anno Domini 442. eum amissi dudum Episcopatus intemperans cupido exagitaret multimoda fallendi arte correctionis spem præferens molitus est in Ecclesiæ communionem irrepere, sed his insidiis Sixtus Papa Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens nullum aditum pestiferis conatibus habere permisit. Ita refert S. Prosper in Cronicis: repulsus igitur Apostolica voce Iulianus Campaniam repetit commovetque, iterum Leone Magno Pontifice sub anno Domini 444. quem refellendo acriter Sanctus Prosper respondit, ut ipse testatur cap. 6. in Cronic. & Photius in sua Biblioth. carta. 52. & demum cum extincta eius hæresis putabatur, anno 490. iterum à Fausto restauratur, ut dicemus: Et hæc pauca sic breviter relata sufficiant de Iuliano; nunc ad errores eius veniamus. In aliquibus enim paucis, illisque accidentalibus à Pelagio videtur dissentire, vel ut formaliùs & veriùs loquamur, hæresim verbis diversis temperare, & aliquantulum modificare videtur.

Julianus itaque Pelagio succedens Pelagianæ hæresis defensor extitit acutiot magisque astutus, ipsam magis explicans, magisque confirmans, mutatis, seu adhibitis quibusdam accidentalibus paucis; commune est enim valdeque familiare hæreticis omnibus, ut magistri sui doctrinam numquam per omnia sequantur ac teneant, sed aliquid semper, vel addant, vel adimant, ne nihil & ipsi sapere videantur.

Primò

Digitized by Google

Primò ergo, cum Pelagij atque Celestij perversi dogmatis assertores contenderent primum Parentem exemplo solo & imitatione nobis tantum nocuisse, nec mortem, nec peccatum, nos ab eo per originem contraxisse, ut ex supradictis fit manifestum, cœpit Iulianus asserere, peccatum nullum, sed mortem tantum in posteros ab Adam transire, ut facilè constat ex relatis à sancto Augustino lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 4. & hic fuit eius primus error, parum in hoc à Pelagio diversus. Pelagius enim, ut dictum est supra, asseruit, quod Adam sive peccaret, sive non, moriturus erat, nec enim mortem admittebat, vel in Adam, vel in posteris effectum fuisse peccati originalis; cæterum Iulianus negavit quidem in parvulis peccatum originale veram rationem culpæ habere, dixit tamen mortem esse effectum & pœnam peccati primi Parentis, & hunc effectum & pœnam, non culpam in posteros transisse, quod testatur Sanctus Augustinus de Iuliano, & aliis Episcopis ei complicibus citato libro 4. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 4. sic dicens: *In eo sanè quod dicunt per Adam mortem ad nos transisse non crimen.* & rursus ibi: *sed Pelagiani quomodo dicunt solam mortem ad nos transisse per Adam.* Quod dixit de Iuliano & sociis, qui id asserebant in illis duabus suis Epistolis, ad quas illis libris sanctus Pater Augustinus respondebat. Vnde quod S. Thom. docet in secundo sent. dist. 30. quæst. 1. art. 2. dicens errorem fuisse Iuliani & Pelagij qui simpliciter peccatum originale negabant, aliorum autem fuisse errorem qui peccatum originale nomine concedentes secundùm rem negabant, dicentes in pueris tantum esse obligationem ad pœnam, sic debet intelligi quod Iulianus simpliciter, & aperta voce peccatum originale negabat, & apertè etiam mortem transisse in homines ex Adam publicabat, ut ex modò relatis ex S. Augustino constat. Alij autem relati à S. Thoma, qui videntur fuisse Cassianus, & Faustus magis se occultantes, nomine quidem dicebant peccatum originale esse, sed intelligebant ipsum non culpam esse in parvulis, sed obligationem ad pœnam. Admisisse Iulianum mortem ex Adam transisse ad omnes homines ipse expresè fatetur apud Augustinum lib. 2. contra secundam responsionem Iuliani de quo, infra mentionem faciemus, sic dicens. *Omnes qui per Christum liberantur, temporaliter propter Adam moriuntur.* Et iterum ibi: *nihil intulit Adam præter corporis mortem.* Vnde venerabilis Beda lib. 2. in Cant. cap. 3. refert de Iuliano, quod in 2. lib. de amore, exponendo illa verba: *meliora sunt ubera tua vino*, contra Catholicos, quos ipse Manichæos appellabat, qui dicebant parvulos nasci cum peccato originali, ait, calumniam per hoc vertere in ipsum authorem naturæ, & ipsam naturam corporis subdere infamiæ, incapaces bonitatis, & plenos iniquitatis in lucem istam nos venire ejulando; & ibi per oppositum Iulianus dicebat, Christum nascendo ostendisse omnia crimina morum fuisse, non seminum, quæ sunt illius verba. In quibus & in multis similibus manifestum est ipsum negasse in parvulis peccatum originale.

Quæ verba quà ratione ab ipso dicantur, quæ consecutione ipse inferat Christum nascendo ostendisse omnia crimina morum esse, non seminum, nec intelligitur. Quid enim consecutionis habet, quod Christus sine semine nascens, & sine omni peccati macula ex virgine purissima, sic nascendo ostendat omnes parvulos ex virili semine natos sine peccati nasci contagione? An intendit hæreticus iste latenter asserere quæ blasphema & hæretica voce publicare non audet, Christum videlicet ex hominis semine natum? Quod si ab hac horrenda hæresi ipse alienus existit, nec illam citatis verbis insinuare intendit, frivola & sine vlla prorsus apparientia sua consequutio est.

Vbi obiter notaverim, nec aliqua ratione dici posse quod à quodam ex recentioribus dicitur, valde probabile esse sanctam Virginem in Conceptione Christi per naturalem facultatem partem sanguinis in semen convertisse, idque ad debitum locum conceptionis transmisisse, sine aliqua tamen voluptate, aut motu concupiscentiæ: vnde fatetur valde probabile Christum ex semine Virginis fuisse conceptum, quæ tamen probabilitas ab omnibus fugienda est, ut infra hoc cap. clarius ostendetur.

Secundò, quia Pelagius dixerat posse hominem sine gratiæ adjutorio solis naturæ viribus implere omnia mandata, & bonos acquirere mores; etiam hoc magis explicans atque confirmans addidit Iulianus, posse homines habere veras virtutes morales naturæ viribus, quas etiam fuisse in multis infidelium contendebat, ut est insignis; & in hac materia commendabilis laus apud sanctum Patrem Augustinum lib. 4. contra ipsum Iulian. cap 3. ubi profusissimè, & profundissimè hanc tractat adversus illum sanctus Pater Augustinus materiam. Addidit verò ipse Iulianus, ut magis lateret, virtutes illas morales in infidelibus steriles esse, nec hominem ad salutem Regnumque cœlorum perducere: ac si clarius dixisset, opera illarum verarum, quas in infidelibus constituit, virtutum non fieri provt ad salutem oportet. Hanc enim evasionem verbis solum prætendebat, quam citato cap. S. P. Augustinus patefacit, vt commodiùs tertio nostro libro ostendemus. Vnde venerabilis Beda primo libro in cant. cap. 5, postquam semel, & iterum verba Iuliani retulit, quibus in infidelibus veras virtutes constituebat; imò quibus omnes in omnibus illis esse posse contendebat: contra ipsum in cap. 6 sequenti sic habet: *Quod ergo dicit multos Philosophorum patientiam, castitatem, modestiam, aliasque de natura bono habere virtutes, constat, quicumque Philosophorum Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam nescierunt, hi nullam veram virtutem, nec ullam veram sapientiam habere potuisse.* Qui error, vt diximus, ex illo priori dimanat, quòd originale peccatum in parvulis non admittebat.

Circa auxilia autem Divinæ gratiæ tertiò concludebat Iulianus nullam dari prævenientem, qua Deus efficaciter faceret homines facere, & bene operari; imo hanc fatum appellabat, & fatalem inducere necessitatem dicebat cum Pelagio & aliis 18. Pelagianis Episcopis sui erroris consortibus, ut constat ex S. Patre Augustino lib. 2. ad Bonif. cap. 5. & 8. & alibi sæpe.

Quartò ne nihil de adjutorio gratiæ dicere videretur, aliquid & ipse cum illis 18. relatis sociis suis ad errorem Pelagij quasi addere putaverunt in Epistola quam omnes pariter scripsere. Cum enim Pelagius ad perficiendum opus quodlibet nullam veram gratiam efficientem opus ipsum, etiam concomitanter, vel ex parte voluntatis, sive cum illa simul opus efficientem, ut simpliciter necessariam admisisset; sed ex parte voluntatis gratiam dantem posse bene operari ad facilius tantum constituisset, ut manet expositum supra: excogitavit Iulianus cum illis suis sociis, hoc tantisper moderari, dicens imperfectam boni cupiditatem ex solo homine esse, perfectam verò nonnisi per gratiam, quamcumque ipse admitteret, quæ namque illa fuerit, statim explicabimus, hoc enim de ipso & sociis Sanctus Pater Augustinus refert ita dicens: *Sub nomine inquiunt gratiæ, ita fatum asserunt, ut dicant, quia nisi invita,*

&

Digitized by Google

& reluctanti homini inspiraverit boni, & ipsam imperfecti cupiditatem, nec à malo declnare, nec bonum possit arripere. Et post pauca. *Isti enim volunt in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, & hujus cœpti meritum etiam perfitiendi gratia consequatur: si tamen hoc saltem volunt, Pelagius enim facilius dixit impleri quod bonum est si adjuvet gratia, &c. sed isti quid in hac re teneant, non de illo authore huius hæresis præscribamus, permittamus eos cum suo libero arbitrio esse liberos, & ab ipso Pelagio; atque ista uerba eorum qua in hac, cui respondemus epistola, posuerunt, potius attendamus.* Et iterum paucis interpositis. *Fortassis ergo ipsi eo modo servabant locum gratiæ, ut sine illa putent hominem posse habere boni, sed imperfecti cupiditatem; perfecti autem non facilius per illam posse, sed misi per illam omnino non posse, & sic gratiam Dei dicunt secundum merita nostra dari: quod in oriente Pelagius Ecclesiasticis gestis damnari timendo, damnavit. Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tamquam ex merito gratia veniat adjutorium, & sic gratia Dei non gratis donabitur, sed secundum meritum nostrum dabitur.*

Circa quæ Sancti Patris Augustini verba illud primò venit considerandum, quod de Iuliano, & aliis eius complicibus dicit: Eos ad perficiendum gratiam admisisse non solum ad faciliùs, sicut Pelagius, sed etiam simpliciter necessariam: non asserere, id ipsos expresè tradidisse, neque enim apertis verbis ipsi dixerunt, quod satis illa Sancti Doctoris Augustini relata verba demonstrant: *si tamen hoc saltem volunt*; & illa alia: *fortassis ipsi*: sed id de illis referre, quia illud ex ipsorum dictis non obscurè convincebatur, seu concludebatur; ex illis videlicet, *quod imperfecti boni cupiditas erat ex homine, perfecti autem per gratiam*; & ex illis aliis quibus expresse dicebant: *gratiam quoque adjuvare unius cujuscumque propositum bonum non tamen velut reluctanti virtutis studium immittere.* Ex quibus id concluditur sine dubio, quod ipse S. Pater Augustinus concludit; ipsos nimirum ad illam imperfecti boni cupiditatem gratiam necessariam non admisisse, sed eam necessariam simpliciter posuisse ad perficiendum & adjuvandum cuiuscumque bonum propositum à solo homine inceptum,

Secundo, id venit diligentiùs denudandum, quam necessariam non solùm ad faciliùs: sed ad simpliciter gratiam ad opus perficiendum Iulianus cum sociis statuerit, per quam à S. Patre Augustino permittitur liber à Pelagio esse, quantùm nempe ad hoc, quòd non ad faciliùs, sicut Pelagius; sed ut simpliciter necessariam, illam admisit: Nec enim hoc omnes comprehendunt: Vnde explicandum erit, quam communem ipse cum Pelagio nominatam gratiam posuerit, in quo ab ipso non distinguatur; & quam necessariam simpliciter admiserit, in quo à Pelagio liber sit, qui illam tantùm constituit ad faciliùs.

Dicendum ergo primò, quòd omnem prævenientem gratiam, quam vt necessariam Iulianus admisit ad opus perficiendum: ex parte intellectus tantum constituerit revelantem nempe, & ostendentem, suadentem, & objectum proponentem; in quo proinde à Pelagio liber non erat, qui tandem ut relatum est supra, eandem ad perficiendum etiam simpliciter necessariam esse ponebat: Quis autem dubitat negasse, aut non admisisse Iulianum revelationes illas, quas necessarias Pelagius admisit?

Sed & id S. Pater Augustinus in terminis de Iuliano, & eius complicibus refert lib. 4. ad Bonif. cap. 5. sic dicens: *Nusquam autem isti inimici gratiæ, ad eamdem gratiam vehementius oppugnandam occultiores moliuntur insidias, quàm ubi legem laudant, qua sine dubio laudanda est; legem quippe diversis loquutionum modis & varietate verborum in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam, ut scilicet à Domino Deo adjutorium cognitionis habeamus, quò ea quæ facienda sunt, noverimus, non inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus*: Ecce quo pacto necessarium dicebant adjutorium gratiæ cognitionis, seu illuminationis, & revelationis ad cognoscendum quid facere debeamus; & hanc dicebant necessariam gratiam.

Dicendum secundo, quòd non admittebat Iulianus ex parte voluntatis aliquam excitationem sive inspirationem realiter distinctam à prædicta cognitione, seu revelationem qua Deus immediatè voluntatem ipsam excitaret ad bonum opus etiam perfectum, faciendum liberè seu cum libertate; quam etiam ut supra diximus Pelagius non admittebat. Hoc patet ex modo relatis S. Patris Augustini verbis quibus solum adjutorium cognitionis ex parte intellectus nomine gratiæ refert admisisse Iulianum; non vero excitationem, seu inspirationem dilectionis ex parte voluntatis; quod clarius idem S. Pater Augustinus docet lib. 1. ad Bonif. cap. 19. cum ita de Iuliano, & eius complicibus dicit: *Vos autem in bono opere sic putatis adjuvari hominem à gratia Dei, ut in excitanda eius ad bonum opus voluntate, nihil eam credatis operari.* Quid clariùs? Negabat ergo Iulianus excitationem, qua Deus voluntatem ad bonum opus liberè faciendum excitaret.

Ubi illud est attentiùs considerandum nomine inspirationis, dilectionis; & excitationis voluntatis ad opus bonum, quam negasse Iulianum cum suis sociis semper S. P. Augustinus affirmat, intelligere doctorem Sanctum efficacem inspirationem & excitationem, qua Deus excitat efficaciter, & applicat voluntatem ad bonum opus faciendum; hanc enim prævenientem inspirationem, seu efficacem excitationem, & applicationem ad bonum semper Iulianus negavit: Quod autem nomine inspirationis, & excitationis negatæ à Iuliano intellgat Sanctus Doctor Augustinus efficacem inspirationem & excitationem, ipse Sanctus præceptor manifestat lib. 4. ad Bonif. cap 6. sic dicens. *Quid eis prodest quod in laudem ipsius Liberi Arbitrij gratiam dicunt adjuvare uniuscuiusque bonum propositum; hoc sine scrupulo acciperetur catholicè dictum, si non in bono proposito meritum ponerent, cui merito jam merces secundum debitum, non secundum gratiam redderetur, sed intelligerent, & confiterentur, etiam ipsum bonum propositum, quod consequens adjuvat gratia, non potuisse esse in homine si non præcederet gratia.*

Quibus verbis ostendit illam inspirationem & excitationem prævenientem, quam Iulianus & socij negabant, esse illam prævenientem gratiam, quæ est necessaria, ut homo incipiat bonum propositum, quæ si ab eis poneretur esset Catholicè dictum. Vt autem illorum dictum, esset Catholicè dictum, constat quod illa inspiratio, excitatio, & præcedens gratia à qua inciperet bonum propositum hominis, deberet esse ex Deo efficax; ita ut sicut consequens gratia ponebatur ab ipsis de facto verè efficienter, & efficaciter adjuvare in opere, seu bono proposito incepto ab homine: sic poneretur ab eis verè efficienter excitare, & efficaciter movere voluntatem, ut haberet illud bonum propositum, ut sæpe Sanctus Pater Augustinus contra Pelagianos ostendit. Qualemlibet enim aliam, vel quamcumque ipsi admitterent inspirationem, seu excitationem, & præcedentem gratiam; manifestum est quod illorum dictum Catho-

Digitized by Google

licè non acciperetur, nisi illam ex Deo efficacem admitterent ad bonum propositum incipiendum. Manifestum est ergo per præcedentem inspirationem, seu excitationem negatam à Iuliano intellexisse Sanctum Patrem Augustinum efficacem excitationem qua Deus voluntatem applicet ut bonum incipiat propositum.

Et quidem ratio ipsa hoc persuadet, nam excitatio quæ immediatè est in voluntate, est motio Dei quoad exercitium; nam illa, quæ intellectum illustrat, & quæ voluntatem objectivè movet, est motio quoad specificationem: motio vero quoad exercitium efficax est respectu eius ad quod movet; ergo si immediatè movet ad actum liberum, efficaciter ad illum movet. Diximus, respectu eius ad quod movet; quia auxilium quod dicitur sufficiens nec efficaciter voluntatem movet, præsupponit motionem aliam quoad exercitium efficacem respectu videlicet uolitionis finis; & ipsa sufficiens motio quoad actum, respectu cuius dicitur sufficiens, efficax est respectu alterius actus, ad quem movet. Quod etiam ex eo potest ostendi, quòd excitatio illa, qua Deus voluntatem nostram movet ad actum indeliberatum, ut communiter dicitur, efficax est; quia immediatè per illam Deus voluntatem movet ad actum indeliberatum: Vnde si etiam moveat per excitationem suam, voluntatem nostram ad actum liberum, etiam efficaciter ad illum movebit. Et hac ratione Sanctus Pater Augustinus relatis locis contra Iulianum dicit ipsum negasse inspirationem dilectionis, & Deum voluntatem nostram immediatè excitare ad actum liberum per gratiam præcedentem, affirmans, quod si illam admitteret, dictum eius Catholicè reciperetur esse prolatum. Nec contra hoc procedit quod Sanctus Pater Augustinus lib. 1. ad Bonif. cap. 19. refert ex Iuliano ipsum non dixisse voluntatem hominis à Dei gratia excitari; sicut dixerat in malum, Diaboli suggestionibus incitari, non enim de hoc reprehendit Iulianum, quod sicut admiserat in malum, homines à Diaboli suggestionibus incitari (suasionibus nempe, & incitationibus moraliter tantum attrahentibus) easdem suasiones ad bonum Dei gratiæ denegavit. Hoc enim quis dicat, vel quis sibi persuadeat negasse Iulianum Deò & gratiæ ipsius ad bonum easdem incitationes moraliter suadentes, quas Diabolo concedebat ad malum? Sed de hoc ipsum reprehendit, quod cum ipse admiserit ad malum homines suggestionibus incitari, moraliter nimirum moventibus (quia aliud Diabolus circa hominis voluntatem efficere minus potest) non aliquid amplius tribuerit Deo & gratiæ ipsius, nempe à Dei gratia ad bonum voluntates hominis excitari, excitatione propria ipsius Dei, quæ non solùm moraliter seu ad normam legis atque doctrinæ suadendo, incitando, & alliciendo solùm; sed etiam effectivè propriè voluntatem excitando, ipsam ad bonum efficaciter movet. Et ad ostendendum quod de effectiva, & efficaci Dei excitatione loquebatur verbum *excitare* Diabolo non tribuit, nec dixit eum suggestionibus *excitare*, sed incitare. Nomine ergo inspirationis, & excitationis quam Iulianus Deo negabat, intellexit Sanctus Doctor Augustinus effectivam & efficacem excitationem, qua Deus ita voluntatem ad bonum excitat, ut ipsam efficaciter faciat operari id ad quod excitatur; quæ propterea adjuvantem gratiam prævenientem inducit; ita enim excitat, quod etiam efficaciter adjuvat ad faciendum id ad quod excitatur, sicut qui dormientem claudum minùs suis pedibus potentem ambulare, efficaciter ad ambulandum excitaret; non solum ipsum effectivè à somno excitaret, sed etiam deinde efficaciter ad ambulandum adjuvaret; vocatur autem gratia excitans, quia in excitatione incipit, qua etiam ratione Ecclesia à Deo petit: *Excita Domine corda nostra ad præparandasunigeniti tui vias.* Excitationem namque petit, sine dubio efficacem, quæ excitet & efficienter adjuvet, & moveat corda nostra, ad præparandas Christi Domini vias.

Tria ergo sunt de ratione hujus efficacis excitationis. Primum quod voluntas quasi dormiens ad bonum excitetur. Secundum quod sic excitata efficaciter ad bonum adjuvetur. Tertium, quod voluntatem, excitatio in ipsa posita moraliter non moveat suadendo, incitando, & alliciendo (hoc enim proprium est motionis, quæ fit per intellectum objectum proponentem, & objectivè moventem suadendo incitando, & alliciendo) sed quod verè & activè propriè voluntatem moveat: Vnde qui dicunt gratiam prævenientem, quatenus prævenies est, metaphoricè objectivè & moraliter solùm movere, suadendo, incitando & alliciendo tantùm, convincuntur ex parte intellectus tantùm hanc vocatam prævenientem gratiam constituere, non verò eam admittere ex parte voluntatis in ordine ad actus liberos, & id quidem ratione facta; quia omnis excitatio ex parte voluntatis, sive sit ad actum indeliberatum, sive actum liberum, motio verè effectiva est, qua Deus voluntatem movet quoad exercitium, nec habet voluntatem moraliter, seu suadendo movere; de qua infra agenus contra Cassianum, & Faustum: quod si ex parte voluntatis excitationem admittant, illa est in ordine ad actum indeliberatum, quem dicunt Deum in nobis sine nobis liberè cooperantibus efficere; quæ proinde ad talem actum moraliter non movet, sed physicè & activè propriè, de qua effectiva motione respectu indeliberati actus nulla unquam cum Pelagianis quæstio fuit, nec illam ipsi si non expresserunt, aliqua ratione negarunt, ut est apertissimum.

Dicendum tertiò non solùm non admisit Iulianus ex parte voluntatis supra expositam gratiam efficaciter excitantem voluntatem ad actus liberos, verùm nec aliquod ex parte voluntatis actuale auxilium sufficiens, veras & sufficientes vires voluntati tribuens ipse constituit, tanquam simpliciter necessarium ad perficiendam iustitiam, sed tantum illud ad faciliùs, sicuit & Pelagius ipse, ut supra manet probatum. Vnde nec per hoc liber à Pelagio fuit. Probatur ex inductis testimoniis S. P. Augustini, pro primo & secundo nostro dicto modò propositis, & potissimè ex illo primo allato ex quarto libro ad Bonif. cap. 5. in quo apertiùs asserit Iulianum, & socios solum adjutorium cognitionis admisisse, ut sciamus quæ facere debeamus: quod ut ibi Sanctus Doctor exponit, non recedit à commendatione legis atque doctrinæ; nec se tenet ex parte voluntatis, & multò minus illi veras vires sufficientes potest tribuere.

Diximus nullum actuale auxilium verè sufficiens ex parte voluntatis, sicut simpliciter necessarium admisisse Iulianum, quia habitus virtutum infusarum, qui verum posse habituale, & veras sufficientes vires habituales voluntati tribuunt (quos Pelagius ad faciliùs tantum constituit, ut supra manet ostensum) Iulianus cum aliis suis sociis ut simpliciter necessarios ad perficiendam iustitiam admisit.

Dicendum quarto, quod admisit Iulianus ut necessarium simplicititer ad perficiendam iustitiam sive ad perfectam iustitiam habendam, adjutorium quo Deus in bono proposito, sive in bono opere incepto ab homine ex se ipso consentiente illi interiori revelationi, & suasioni (quam ut diximns, cum Pelagio

Digitized by Google

gio necessariam adopus perfectum esse dicebat) ipsum hominem adjuvaret. Quod adiutorium S. P. Augustinus consequens merita appellat ad illud prius bonum opus, seu bonum propositum ab homine inceptum lib. 4. ad Bonif. cap. 6. iam supra inducto: Et ista erat gratia, quam ipse ut necessariam admisit, per quam liber esse à Pelagio, à Sancto Doctore permittitur. Probatur ex eodem sancto Doctore lib. 2. ad Bonif. cap. 8. ubi de Iuliano, & aliis sui erroris consortibus, ita habet: *Isti enim volunt in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, ut huius cœpti meritum etiam perficiendi gratia consequatur: Si tamen hoc saltem volunt. Pelagius enim facilius dixit impleri, quod bonum est, si adjuvet gratia.*: Et statim post pauca; *Sed isti quid in hac re sentiant, non de illo authore hujus hæresis præscribamus. Permittamus eos cum suo libero arbitrio esse liberos, & ab ipso Pelagio*: & lib. primò ad eundem Bonifac. cap. 19. de eisdem sic præmiserat: *Vos autem in bono opere sic putatis adjuvari homines à Gratia Dei, ut in excitanda eius ad ipsum bonum opus voluntate nihil eam credatis operari, quod satis ipsa tua verba declarant. Cur enim non dixisti hominem Dei gratia in bonum opus excitari, sicut dixisti in malum Diaboli suggestionibus incitari, sed dixisti in bono opere à Dei gratia semper adjuvari, tamquam sua voluntate, nulla Dei gratia, bonum opus agressus in ipso iam opere Divinitus adjuvetur, pro meritis videlicet voluntatis bonæ: vt reddatur debita gratia, non donetur indebita; ac sic gratia iam non sit gratia, sed sit illud, quod Pelagius in Concilio Palæstino ficto corde damnavit, gratiam Dei secundum merita nostra dari?* Hanc igitur subsequentem gratiam ad prius hominis bonum propositum, ab ipso inceptum, & ex meritis eius datum, Iulianus admisit necessariam, in quo videbatur à Pelagio differre, qui illam necessariam non dixit, ut clariùs ostendunt relata sancti Patris Augustini verba.

Sed & illud notandum, quod agentes supra de erroribus Pelagij prænotavimus, illud subsequens adjutorium ideo subsequens meritò dici, quia inceptum bonum opus, naturæ & rationis prioritate consequi ponebatur, licet simultate temporis simul in eadem incepta instantanea actione, voluntatem adjuvaret; qua ratione dicitur simultaneum adjutorium, sive simul cum voluntate concurrere: Vnde simultaneus est simultate temporis, & posterius ac subsequens ratione, & naturâ. Absolutè autem ac simpliciter vocari debet consequens, & subsequens, ut hîc sanctus Pater Augustinus vocat: Vnde absolutè, & simpliciter datur ex priori merito voluntatis bene ex se sola incipientis. Imò, ut supra dictum est, convincitur illud sola voce publicari, re autem ipsa non nisi ex superfluo ponitur ad frangendam vocis invidiam; si enim potest voluntas se sola, & sine aliquo adjutorio Dei incipere suam bonam operationem, eamdem sine Dei adjutorio potetit consummare: cum magis requiratur ad bonum actum incipiendum, quam ad inceptum consummandum.

Unde in summa, sententia Iuliani ac sociorum fuit, quod posita supernaturali interiori revelatione & ostensione, quam cum Pelagio ad perficiendam justitiam necessariam simpliciter admittebat, homo ex sola sua nuda voluntate bonum propositum liberè incipiebat, & illicò Deus subsequendo ad illud bonum propositum, in eodem proposito, benè à solo homine incepto, ipsum adjuvabat, prædictum bonum propositum, seu bonum opus perficiendo. Quam doctrinam in omnibus secutus fuit Faustus, secutus & Cassianus, ut infra hoc libro dicemus. A qua in quo distinguantur qui modo dicunt

gratiam prevenientem solum esse moraliter, & metaphoricè moventem, & objectivè objectum & bonum proponentem, & quod consentiens iam illi voluntas, pro sua innata libertate, in eodem consensu seu bono proposito, à Deo adjuvatur, per illam quam vocant cooperantem gratiam, ipsi videant: Quod enim hoc vocant auxilium simultaneum, intelligunt simultate temporis concurrere, quod etiam admisit Iulianus, non simultate naturæ, cum vtrique dicant, quod concurrit consentiente iam libero hominis arbitrio.

Itaque tria dicebat Iulianus esse requisita ad opus perficiendum: primò præcedere ex parte intellectus Dei revelationem, suasionem, & ostensionem supernaturalem, quam prævenientem gratiam dicebat. Secundò voluntatem nudam ex se sola incipere bonum propositum. Tertiò Deum illud subsequendo per illam à se vocatam adjuvantem gratiam perficere. In duobus primis cum Pelagio consentiebat; sed in tertio nempe quod illud adjutorium subsequens necessarium esse ponebat, liber à Pelagio videbatur; cum Pelagius nullum aliud adjutorium præter revelationem supernaturalem interiorem, ut simpliciter necessarium admittebat, sed tantùm ad faciliùs.

Quamvis autem à Pelagio in hoc differret, in hoc tamen ipso cum eodem in aliis ipsius erroribus conveniebat, quod attentiùs est observandum. Conveniebat enim cum illo: Primò in eo ipsius errore, quòd gratiam Dei secundùm merita nostra dari re ipsa ponebat, ut manifestè Sanctus convincit Augustinus verbis superiùs inductis ex lib. 2. ad Bonif. cap. 8. Secundò cum alio eiusdem errore in hoc ipso conveniebat, quia ad illam boni inceptionem, seu bonum propositum ab homine inceptum gratia necessaria à Iuliano non ponebatur, sicut nec illam ad id necessariam Pelagius contendebat. Conveniebat tertio quia forte & firmum arbitrium ad operandum sine gratia constituebat, cum sola nuda voluntas incipere benè operari diceretur; Quod fuit singulare Pelagij fundamentum: vnde qui in relata doctrina cum Iuliano conveniunt, in eadem etiam cum Pelagio in his tribus erroribus eius censentur convenire.

Sed contra stare videtur quod venerabilis Beda habet 1. lib. in cant. cap. 5. & 6. Iulianum posuisse gratiam ad faciliùs, non autem ex necessitate esse requisitam. Ad quod dicendum loqui venerabilem Bedam de gratia præveniente ex parte voluntatis, excitante vel dante sufficientes vires: hanc enim, ut dictum est, necessariam non posuit, sed tantùm ad faciliùs, in quo, nec à Pelagio dissentiebat; non verò loquitur Beda de illa subsequente, quam ut simpliciter necessariam admisisse S. P. Augustinus docet, ut visum est.

Obstare videtur secundo contra dicta; quomodo si Iulianus admisit ut necessariam interiorem revelationem ex parte intellectus, & necessariam ut simpliciter cooperationem ex parte voluntatis, sive simul cum voluntate in opus immediate influentem ipsumque perficientem, vera activitate, & vera efficientia, de illo & sociis Sanctus Pater Augustinus dicat, quod non recedebant à lege atque doctrina, ut ex illo testimonio inducto ex lib. 4. contra duas Epist. Pelag. ad Bonifacium, visum est modo. Etenim illa cooperatio seu subsequens adiutorium à lege differt atque doctrina.

Ad hoc dicendum S. Doctorem Augustinum cum dicit, ipsos à lege atque doctrina non differre, loqui de gratia prævenient, non de illa subsequente; prævenientem enim gratiam nec illi admittebant, præter interiorem legem atque doctrinam, ut dictum est, quod Sanctus Pater Augustinus in illo te-

Digitized by Google

stimonio docet. Cum autem ipse agit contra Iulianum de illo adjutorio cooperante seu subsequente explicato, numquam dicit illud non recedere à lege, atque doctrina, sed de hoc tantùm illud impugnat quod ex merito priori bonæ voluntatis illud constituat, & sic quod sit naturæ debitum, non verò vera gratia: Itaque de utroque, illos S. P. expugnat, & quòd prævenientem gratiam, solam admitterent legem atque doctrinam, & quod cooperantem seu subsequentem ponerent sub priori hominis merito, cum Pelagio in hoc consentientes, ut apertum est. Tria ergo nomina illi adjutorio conveniunt; vocatur cooperans gratia, vocatur subsequens, & vocatur concursus simultaneus: cooperans, quia nobiscum cooperatur, subsequens, quia subsequitur ad prius bonum hominis propositum iam revelationi consentientis, simultaneus, quia simul tempore cum voluntate concurrit ad opus perficiendum consentiente iam ipso libero hominis arbitrio.

Quintò, Dicebat Iulianus (id referente venerabili Beda loco citato super cant. cap. 1. *clausa legis sacramenta solos intueri posse eos, quos oculatos, & eruditio reddidisset & pietas, oblitus*, ut inquit Beda, *gratia Dei, quæ etiam illiteratis, & idiotis scripturarum arcana revelavit, dicente Evangelio, tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas, quos idiotas fuisse testatur ipse Evangelista cum ait: videntes Petri constantiam & Ioannis & comperto quod homines essent sine literis & idiotæ, admirabantur.*

Sextò, contendebat Iulianus sanctum nobis ac generosum amorem ab ipso lucis exordio naturæ conciliante insitum, & ad ultimum usque senectutis solis viribus animi immissum, sine ullo damno sui persistere vigoris, sub his relatis verbis, id testante venerabili Beda ubi supra cap. 2. *Incredulus*, ut inquit, *Domini sententiæ, quia sine illo nihil possumus facere, sed & Apostolici Sermonis, quia in omnibus offendimus omnes; Et mirum, ubi didicerit Iulianus sanctum nobis & generosum amorem ab ipso lucis exordio naturæ conciliante insitum; cùm natus de Patriarcharum stirpe Apostolus dicat, fuimus & nos aliquando natura filij iræ. Quomodo autem naturâ, nisi quia peccante primo homine ac sanctum deserente amorem, vitium pro natura adolevit.*

Septimò, consequenter errando asserebat eundem sanctum amorem quasi ad solius animi moveri arbitrium, & in actibus suis habere iucunditatem, ut perturbationis immunem, ita etiam libertate gaudentem: Quod & de ipso venerabilis Beda ubi supra refert cap. 1. & ibi efficaciter impugnat, potissime ex illo Apostoli: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

Tandem octavò ut cum erroribus Iuliani concludamus, ex Catholicorum sententia affirmantium, necessariam Divinam gratiam ad vincenda peccata, divinaque servanda mandata, pessime ille inferebat Deum impossibilia homini præcipere, sicut priùs Pelagius, atque Celestius opposuerant. Sic enim de illo refert idem venerabilis Beda eodem 1. lib. cap. 14. in fine. *Adscribimus, inquit, iniquitatem iusto, pio crudelitatem, dum eum primò impossibile aliquid præcepisse conquerimur. Proinde pro his damnandum ab eo putamus hominem, quæ vitare non potuit:* & paulo post *nec impossibile aliquid potuit imperare, qui iustus est: nec damnaturus est hominem ob ea, quæ non potuit vitare, qui pius est. In his singulis, quæ ex uno eius excepi libello sententiis, quanti sint errores facilè cuivis docto patet.*

In isto Iuliano quasi incepit secta Semipelagianorum, & eorum, qui Massiliæ reliquias Pelagij excitarunt, quæ secta explicata, & novis cavillationibus fundata fuit (ut dicemus) per Cassianum, & Faustum. Isti enim multum secuti sunt Iulianum, & in paucis quibusdam ab eo differunt sicut ille à Pelagio ut iam dicere properamus.

Vnde ut perfectè, & convenientia substantialis, & disconvenientia accidentalis inter Iulianum & Pelagium deprehendatur: advertendum utrumque in hoc convenire, quòd præveniens efficax gratia verè faciens nos facere non datur, quia libertatem tollebat arbitrij: convenichant etiam, quia uterque initia ex pura natura defendebat, quibus gratia dabatur. Conveniebant, quod uterque admittebat ad perfectam boni cupiditatem necessariam esse internam divinam revelationem. Disconvenientia autem erat, quia ex parte voluntatis nullam necessariam gratiam dicebat Pelagius, sed tantùm ad faciliùs etiam respectu perfectæ operationis: Iulianus autem ad perfectam operationem voluntatis necessariam illam excitationem in voluntate receptam. Dissentiebant præterea quia Iulianus in eodem bono opere incepto ab homine, dicebat Deum ipsum adjuvare excitando videlicet ad perfectam boni cupiditatem. At Pelagius non dicebat in eodem bono opere à sola natura incepto semper Deum adiuvare, sed quòd propter illud bonum opus gratia illuminans dabatur sive in ipso opere, sive in alio distincto: sed tam unus quàm alius propriam gratiam Christi non admittebat, & uterque gratiam Dei secundum humanum meritum dabat. Et propter hanc differentiam in isto Iuliano incepit secta Semipelagionorum, cuius & Iulianus primus author fuit, ut ex dicendis clariùs apparebit.

TRACTATVS

Digitized by Google

TRACTATVS QVARTVS, DE HÆRESI PELAGIANA IMPVGNATA, expugnata, & condemnata.

CAPUT I.

De hæresi Pelagiana per Sanctum Augustinum impugnata, & expugnata, deque ipsius S. Doctoris encomiis, & clarissimis laudibus.

SUPREMUS post Apostolos gratiæ defensor, & Pelagianæ hæresis gloriosissimus debellator, qui multis sententiarum Catholicarum millibus, (ut ex venerabili Beda diximus supra) illam expugnavit, & vicit, fuit magnus ille Pater Augustinus, Ecclesiæ lumen, fidei columen; Evangelij tuba, orbis oculus, Christi lucerna, hæreticorum omnium malleus perpetuus, qui ut Ecclesia de ipso canit, *post Apostolos secunda dispensandi verbi Dei primus refulsit gratiâ.* Hac igitur undequaque munitus gloriosissimus triumphator ille de Pelagianis omnibus illustria trophæa Ecclesiæ sanctæ Dei in perpetuas æternitates dereliquit. Cujus Doctrinam & virtutes eximias non nos, qui hujus magni Patris & eximij Catholicæ Ecclesiæ Doctoris sumus discipulus minimus, sed proceres Ecclesiæ summis laudibus efferunt, & perpetuis coronis exaltant. Ut enim plures omittam, sic de S. Doctore dicit insignis Hieronymus Ecclesiæ Catholicæ Doctor splendidus, & Pelagianæ etiam hæresis invictissimus expugnator in fine librorum quos scripsit contra Pelagianos: *Scripsit dudum vir Sanctus & eloquens Episcopus Augustinus ad Marcellinum, (qui postea sub invidia tyrannidis Heracliana ab hæreticis innocens cæsus est) duos libros de infantibus baptizandis contra hæresim vestram, per quam vultis asserere baptizari infantes non in remissionem peccatorum, sed in regnum Cœlorum, juxta illud quod scriptum est in Evangelio, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest intrare in regnum Cœlorum. Tertium quoque ad eundem Marcellinum, contra eos qui dicunt idem quod vos, posse hominem sine peccato esse, si vellet, absque Dei gratia. Et quartum nuper ad Hilarium contra doctrinam tuam multa per diversa fingentem. Alios quoque specialiter tuo nomine cudere dicitur, qui necdum in nostras venere manus. Unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatij, in sylvam ne ligna feras, aut enim eadem diceremus ex superfluo, aut si nova voluerimus dicere, à clarissimo ingenio occupata sunt meliora.* Hæc Sanctus Hieronymus de glorioso Patre Sancto Augustino debellatore Pelagianæ hæresis affirmat, ut alia encomia ejusdem Sancti Hieronymi de Sancto Augustino in aliis materiis omittam.

Sanctus etiam Prosper Epistola ad Ruffinum in principio, ita ait: *Beatissimus quoque Augustinus, præcipua utique in hoc tempore portio Domini Sacerdotum, copiosè & pulchrè in multis voluminum disputationibus destruxit, ut pote inter multa Dei dona quibus illum abundantissimè spiritus veritatis implevit, habens etiam hanc scientiæ, & sapientiæ ex Dei charitate virtutem, ut non solum istam adhuc in suis detruncationibus palpitantem, sed etiam multas priùs hæreses invicto verbi gladio debellaret. Cui inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas, ad illuminationem Ecclesiæ & ad gloriam Christi, qua ipse illustratus est, perfulgenti; quidam nostrùm, (quod de ipsis multum dolendum est) occultis, sed non incognitis susurrationibus obloquuntur & prout sibi obnoxias aliquorum aures oportunasque repererint scripta ejus, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant, dicentes eum liberum arbitrium penitus submovere, & sub nomine gratiæ necessitatem prædicare fatalem, adjicientes etiam duas illum humani Generis massas, & duas credi velle naturas, ut scilicet tanta pietatis viro Paganorum & Manichæorum adscribatur impietas.* Et post multa, quibus Catholicam Sancti Patris Augustini, contra criminationes Semipelagianorum, sententiam defendit, ita concludit: *Tu autem dilectissime, & venerandissime mihi frater, si verè de his quæstionibus instrui desideras, sicut desiderare te convenit, ipsis Beati Augustini disputa-*

Digitized by Google

tionibus cognoscendis impende curam, ut in confitenda Dei gratia defæcatissimam ac saluberrimam Evangelicæ, Apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequaris. Hæc Prosper Sanctus.

Et contra collatorem cap. 41. de Pelagianis ita dicit. *En cujus dogmatis sunt magistri, qui ut Catholicarum mentium castitatem, gratiæ defensoribus calumniando, corrumpant, præcipuum nostro tempore in doctrina Ecclesiastica virum rabido ore discerpunt, creduntque se omnia authoritatum munimina posse convellere si hanc pastoralis speculæ validissimam turrim crebra Pelagiani arietis illisione pulsaverint.* Et rursus in prosa de ingratis.

An alium in finem posset procedere Sanctum,
Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque
Augustinus erat? Quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo.
Accensum vero de lumine: Nam cibus illi
Et vita & requies Deus est, omnisque voluptas,
Unus amor Christi est, unus Christi est honor illi,
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, & in sancto regnat sapientia templo
Istius ergo inter cunctos, qui de grege Sancto
Insanas pepulere feras industria major
Majus opus, totum prestantius imbuit orbem;
Nam quocumque gradum convertit callidus hostis,
Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occursu est præventus mille viarum
Insidijs, aditum non reperientibus ullum,
Cumque foris rabies avidorum exclusa luporum,
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes,
Ne mentes ullarum Ovium corrumpere posset
Nec dubia obliquis turbare corda querelis,
Istius ore viri fecit Deus, istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem,
Quæ mites humilesque bibunt, campisque animorum,
Certant vitalis doctrinæ immitere rivos.

In præfatione etiam responsionum ad capita Gallorum, inquit, *Doctrinam, quam sancta memoriæ Augustinus Episcopus contra Pelagianos inimicos gratiæ Christi & liberi arbitrij decomptores, per multos annos Apostolicè asseruit, literisque mandavit, quibusdam visum est, aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo reprehendere, & hoc quasi compendium cognitionis his qui judicio eorum ducebantur afferre: ut quæ in libris prædicti viri damnabilia reperisse jactabant, brevi capitulorum indiculo publicarent, talique commento, & detestationem ejus, quem impeterent, obtinerent; & ab his, quæ infamassent curam exterriti lectores averterent. Ne ergo hanc persuasionem temerè quis recipiat, & talem putet sensum scriptis Catholici inesse doctoris qualem eum qui frustra calumniantur, ostentant, singulis capitulis, quæ rationis titulo prænotarunt; brevi & absoluta professione respondeo, in nullo recedens à tramite earum diffinitionum, quæ in sancti viri disputationibus continentur, ut facili vel tenui diligentia advertat inspector, quàm injustis opprobriis Catholici prædicatoris memoria carpatur, & in quod peccatum cadant, qui aliena instigatione commoti scriptorem celeberrimi nominis promptius habeant culpare quam nosse.* Insuper in proæmio lib. cont. Collat. sic iterum dicit de S. P. Augustino. *Viginti & amplius annos contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies hujus viri ductu* (videlicet Augustini) *pugnat & vincit.*

Sed ex hoc circa hanc annorum computationem, quibus S. Prosper dicit Ecclesiam Dei pugnasse & vicisse sub Augustini ductu illa insurgit difficultas. Quòd Possidius in vita ejusdem sancti Augustini dicit illum per decem annos infatigabili studio Pelagianam hæresim expugnasse, cujus authoritas maxima est, quia & testis ocularis fuit, cum esset cum Doctore Sancto usque ad fælicem obitum illius; sed nec minor est illa Prosperi sancti, qui etiam eo ipso tempore vixit, & annorum computationes accuratè notavit. Unde nec putandi sunt Prosper & Possidius sibi adinvicem contrariari sed utrumque verum utique dixisse.

Pro quorum perfecta concordia & intelligentia in memoriam revocandum, quod notavimus supra, non solum anno 411. sed etiam anno 405 jam notam fuisse ab aliquibus Pelagij stultissimam & insanam perfidiam. Advertendum etiam quod ibi diximus S. Augustinum, qui anno 411. incepit adversus Pelagianos scribere, antea sermonibus & locutionibus adversus illam hæresim disputasse, ut ipse testatur lib. 2. retract. cap. 33. Vnde fit verisimile Sanctum Doctorem disputationibus, & sermonibus illam impugnasse primò ab illo anno 405. usque ad annum 411 ex quo anno efficaiùs & fortiùs cæpit contra illam scribere per decem continuos annos, libros plures quos in fine hujus capitis recensemus, usque ad annum videlicet 420. deinde ab hoc anno 420. usque ad 426. aliis confutandis erroribus occupatus fuit S. Augustinus, & potissime in componendis retract. illis libris duobus, quo anno 426. videlicet, recepit à Prospero & Hilario literas de reliquiis Pelagianorum per Gallias decurrentium. Et ex illo anno edidit illos duos mirabiles libros de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ usque ad annum 430. in quo mortuus est sanctus Ecclesiæ Doctor, & omnium bonarum artium Magister. Imò ut verbis Victorij Vticensis utar. *Tunc illud eloquentiæ, quod per omnes Ecclesiæ campos ubertim decurrebat, ipso metu siccatum est flumen, atque dulcedo suavitatis dulciùs propinata in amaritudinem absinthi versa est.*

Dixi obdormisse Augustinum anno 430. anno videlicet eodem quo Ephesina Synodus celebrata fuit. Quod verius videtur, licet ab aliis dicatur obiisse anno 433. sed quidquid de hoc sit ad institutum nostrum nihil retulerit. Ex quibus apertè constat nullam contrarietatem esse inter Possidium dicentem per decem annos Augustinum Sanctum indefesso labore contra Pelagianos egisse, & inter S. Prosperum asserentem sub Augustini ductu aciem catholicam viginti annis & amplius pugnasse, & vicisse: Nam Possidius illos tantum annos emunerat, quos S. Doctor indefesso, ut ait, labore, continuò scribendo libros illam hæresim impugnavit, qui numerantur ab anno 411. usque ad 20. At verò S. Prosper, etiam alios plures annos ante librorum editionem enumerat, quibus S. P. Augustinus sermonibus, & locutionibus hæresim illam impugnabat, computando etiam alios ultimos quatuor, vel quinque ab anno videlicet 426. usque ad annum 430. quos omnes si conjugas, videbis viginti annis & amplius sub Augustini ductu aciem Ecclesiæ adversus Pelagianos pugnasse, atque vicisse; semper enim per totum illud tempus ab anno videlicet 405. usque ad 430. Dei Ecclesia doctrinâ S. Augustini munita, magis vel minus Pelagianam hæresim oppugnavit.

Vel dicatur sanctum Prosperum ducere hunc annorum numerum à Luciani consulatu, qui est annus Domini quadringentesimus decimus tertius, usque ad quadringentisimum trigesimum tertium in quo licet Sanctus Augustinus esset jam mortuus, tamen sanctus Prosper ejus ductu Cassianum & alios impugnabat, quam annorum computationem sequitur D. Cardinalis Baronius, conformiter ad ea quæ sanctus Prosper dicit in Cronica de ortu hæresis Pelagianorum. Sed forte prima computatio fundamentum habet majus, ex eo quod anno 411. ut ipse Cardinalis

Baronius

Digitized by Google

Baronius notat, incepit S. Auguſtinus ſcribere contra Pelagium illos libros de peccatorum meritis & remiſſione, & ipſo Auguſtino teſte jam ante tempus illud ſermonibus illam confutabat.

Item Trithemius : *Sanctus Auguſtinus vir tam in divinis ſcripturis quam ſeculiaribus literis omnium DD. eruditiſſimus.*

Sixtus ſenenſis in ſua Bibliotheca verbo : Auguſtinus *ait, vir ſupra omnes qui ante eum & poſt eum huc uſque fuere, mortales.*

Boëtius ; *Auguſtinus Afer vir eruditione humana & divina toti orbi clarus, fide integer, vita purus, ſcripſit quanta nec inveniri poſſunt.*

Euſebius : *Auguſtinus inter omnes Doctores egregios Eccleſiæ omnibus eſt major.*

Hirmon in Epiſt. 2. ad Corinth. *Auguſtinus ſe extollit ſuper omnes in declarandis rebus difficillimis.*

Marcellinus in Cronica. *Beatus Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus excellens Eccleſiæ Sacerdos, Doctor omnium eruditiſſimus.*

S. Bernardus Sermone 8. in cant. *S. Auguſtinus hic eſt validiſſimus Malleus hæreticorum.*

Caſſiodorus in Cronica : *Auguſtinus eſt omnium literarum magiſter.*

Ven. Beda : *Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus omnium doctorum eximius.*

Thomas Vualdenſis tom. 2. & tom. 3. loquens de S. B. Auguſtino. *Abſit*, inquit, *à ſobrio lectore, & Catholico expoſitore, perverſa ſentire de columna Eccleſiæ, & de fundamento veritatis.*

Hilarius Arelatenſis, *obſtupeſco*, inquit, *quod non fuit aliquis in templo Sanctæ Matris Eccleſiæ, qui magno Patri Auguſtino comparari poſſit.*

Inſuper illa inſignis laus eſt S.P. Auguſtini, quam ipſi tribuit S. Thomas in ſequentia quam pro die ipſius compoſuit dicens.

Salve Gemma Sacerdotum,
Lingua Chriſti, vox Cœlorum,
Scriba vitæ, Lux Doctorum.

Quæ enim major poteſt eſſe laus, quam à tanto, & Angelico Doctore vocari, *linguam Chriſti, vocemque Cœlorum.* Sunt & plures alii, qui meritò laudes decantant S. Doctoris Auguſtini, ſed illis omiſſis, quid de illo dicant ſummi Catholicæ Eccleſiæ præſides, audiamus.

Cœleſtinus Papa adversùs S. Auguſtini calumniatores, illius doctrinam Apoſtolica authoritate confirmans, ſic ait Epiſtolâ ad Epiſcopos Galliæ : *Auguſtinum Sanctæ recordationis virum pro vita ſua, atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros optimos, etiam à meis ſemper prædeceſſoribus haberetur; bene ergo de eo omnes in communi ſenſerunt, ut pote qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori : Unde reſiſtendum talibus, quos tales creſcere videmus. Nefas eſt hæc pati Religioſas animas, quarum effectione (quia membra noſtra ſunt) nos quoque convenit macerari : quamvis maneat hos Beatitudo promiſſa, quicumque probantur perſecutionem propter juſtitiam ſuſtinere, quibus quid promittat Dominus in futurum ſequens ſermo declarat.* Poſt quam Sancti Auguſtini commendationem, & doctrinæ illius celebrationem, de illis, qui illius doctrinæ detrabebant, ita ſubjungit. *Quia nonnulli, qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum ſenſibus, ſeu pravitate, ſive imperitia demorantur, piiſſimis diſputationibus obiicere præſumunt ; & cum Pelagium atque Celeſtium anathematizare non dubitent, magiſtris tamen noſtris, tanquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur, eaque tantummodo ſequi, & probare confitentur quæ Sacratiſſima Beati Apoſtoli ſedes contra inimicos gratiæ Dei per miniſterium præſulum ſuorum ſanxit, & docuit, neceſſarium fuit diligenter inquirere quid Rectores Romanæ Eccleſiæ de hæreſi, quæ eorum temporibus exorta fuerit, judicarint, & contra nocentiſſimos liberi arbitrij defenſores, quid de gratia Dei ſentiendum eſſe cenſuerint :* Quæ Celeſtini pro Sancto Auguſtino ſumpta defenſio, & doctrinæ ejus laudatio, ac detrahentium graviſſima reprehenſio ſatis ſufficere debuiſſet, ne his temporibus ullus auderet, nedum irreverenter de tanto Doctore loqui, ſed nec ab ejus ſententia reſilire.

Poſtea autem magnus Leo ita ſancti Patris Auguſtini doctrinam approbabit, ut ipſa ipſius verba tranſcriberet, & pro fidei regulis adverſus Pelagianos ad Concilium ſecundum Araſicanum miſerit, ab ipſo Concilio ſuſcipienda, atque veneranda.

Deinde Gelaſius in Epiſtola quinta quæ eſt ad Picenos Epiſcopos adverſus quemdam doctrina Pelagiana infectum, qui audebat doctrinam Sancti Auguſtini, & Sancti Hieronymi reprehendere, ita ſcribit. *Adhuc majus ſcelus accreſcit, ut ſub conſpectu, & præſentia Sacerdotum, beatæ memoriæ Hieronymum atque Auguſtinum Eccleſiaſticorum lumina magiſtrorum muſca moritura, ſicut ſcriptum eſt, exterminans oleum ſuavitatis, lacerare contenderet.* Idem Gelaſius in Concilio ſeptem Epiſcoporum approbavit omnia ſcripta Sancti Patris Auguſtini in materia prædeſtinationis & gratiæ contra Pelagianos tradita, damnando oppoſitam ſententiam Caſſiani, & Fauſti.

Hormiſdas etiam in Epiſt. 67. ad Poſſeſſorem in fine ſic dicit. *De arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quid Romana, hoc eſt Catholica ſequatur & aſſeveret Eccleſia, licet in variis libris Beati Auguſtini, & maxime ad Hilarium, & Proſperum poſſit cognoſci ; tamen in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur, quæ ſi tibi deſunt, & neceſſaria creditis, deſtinabimus.* Hæc autem capitula illa eſſe videntur, quæ in Epiſtola Cœleſtini continentur quæ eſſe deſumpta ex Sancti Auguſtini doctrina nullus ignorat.

Inſuper Joannes ſecundus de Sancto Auguſtino ita habet in Epiſt. decretal ad Avionum Senatorem, Liberum, Severinum. *Item Sanctus Auguſtinus cujus doctrinam ſecundum prædeceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur & ſervat Eccleſia.* Alia plurima omitto, quia iſta ſufficiunt ut cognoſcatur quomodo ſemper in Eccleſia doctrina Sancti Auguſtini fuerit à ſummis Pontificibus celebrata, & qualiter Pontifices ſummi apertè doceant hujus Sancti Doctoris doctrinam in materia prædeſtinationis & gratiæ ac liberi arbitrij ipſam eſſe fidem Eccleſiæ. Quod advertere debebant recentiores quidam Theologi, & non illam impugnare aut parvipendere, in hac eadem materia prædiſtinationis & gratiæ & liberi arbitrij ; de quorum libertate in contradicendo Sancti Auguſtini doctrinæ dicemus inferius. Tertiò Concilium Valentinum tertium ſub Lothario Imperatore cap. 1. ita habet. *Indubitanter autem Doctoribus pie & rectè tractantibus verbum veritatis, ipſiſque ſacræ Scripturæ Lucidiſſimis expoſitoribus, id eſt Cypriano, Hilario, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, cæteriſque in Catholica pietate quieſcentibus, reverenter auditum & obtemperanter intellectum ſubmittimus, & pro viribus quæ ad ſalutem noſtram ſcripſerunt, amplectimur.* Et loquitur in materia gratiæ, prædeſtinationis & liberi arbitrij.

Sed priùs quinta Generalis Synodus conceſſione, ſeu Collat. 3. in fine ita dixerat : *Sequimur per omnia & Sanctos Patres & DD. Eccleſiæ Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Theologum & Gregorium Niſſenum, Ambroſium, & Auguſtinum, Theophilum*

Digitized by Google

philum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem. Proculum, & suscipimus omnia quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorum exposuerunt.

Agatho etiam in Epist. ad Constantin. Imperatorem quæ habetur in sexta Synodo Generali actione quarta & à Concilio recepta fuit, de hoc magno Doctore ait: *Veritatis prudentissimus prædicator Beatus Augustinus in quinto volumine disputationis adversus Julianum Pelagianistam quid sit voluntas, his diffinit verbis.* Similiter in Epist. alia sanctus Pontifex Adrianus quæ habetur in septima Generali Synodo actione secunda sic ait: *Qua de causa Divus Augustinus magnus ille Doctor in sermonibus adhortatoriis suis inquit:* Et alij plures qui omittuntur Pontifices summi, ac Universales Synodi, hunc Eminentissimum Ecclesiæ Magistrum ac Sanctum Patrem prædicarunt: Unde Sancta Generalis Synodus octava ita habet: *Sed etiam Augustini religiosæ memoriæ, qui inter Africanos Episcopos splenduit, diversa Epistola recitata sunt, significantes, quod oportet hæreticos & post mortem anathemathizari.* Cujus inter alios authoritate utitur Concilium illud generale ad suadendum licitè posse hæreticum, etiam post mortem anathematizari.

Accedit ultimo quod Clemens octavus omnium suorum prædecessorum vestigiis insistendo, quando hæc eadem controversia de gratia & libero arbitrio Romæ tractabatut inter fratres Prædicatores Provinciæ Hispaniæ ex una parte, & inter Patres societatis ex alia, in dubiis quæ discutienda proponebat, semper quæ esset Sancti Augustini doctrina in hac parte postulabat, de quo in conspectu suæ sanctitatis faciebat ex professo disputari, ostendens per hujus Sancti Doctoris sapientiam hanc quæstionem esse terminandam.

Sed & illa laus S. P. Augustini est maxima, qua S. Thomas ex authoritate negativa ex eodem S. D. desumpta, nimirum ex eo quod non dixit, dici non posse, confirmat: sic enim habet in opusc. 27. *Si enim esset aliqua repugnantia mirum est, quomodo Augustinus eam non vidit, quia hac efficacissima via esset ad improbandam æternitatem mundi, cum tam ipse multis rationibus impugnet æternitatem mundi in 11. & 12. de civit. Dei?* Hanc autem unde omnino prætermittit? Cui consonat & illud aliud à Volusiano dictum: *Legi Dei deest quidquid Augustinum contigerit ignorare.*

Tandem Lovanensium Accademia in præfatione cujusdam censuræ, quam adversus eos qui sancti hujus magni Doctoris sententiam in materia hac prædestinationis, & gratiæ inficiabantur, composuit, ita habet: *At in Beati Augustini scriptis quid tandem est, quod eum Ecclesia Dei tam gratiosum, venerabilem ac suscipiendum hactenus reddidit, quàm hac ipsa de gratia, & prædestinatione Dei doctrina, quam ei laudem & gloriam si quis eripiat, præcipuum illi decus, ac quasi florem & coronam capitis detrahit, ut ob cæterum non sit cur eum magnopere admiremur. Si verò in tanti momenti argumento explicando, vel lapsum fuisse, vel non rectum ac necessarium tenuisse modum existimabimus, non modò ejus labescit in cæteris authoritas, sed quod fidenter dicimus multùm quoque ac turpiter falsa erit, atque aberraverit Ecclesia, quæ illius ductum judiciumque secuta, inimicos gratiæ Christi debilitasse, atque de illis triumphasse crediderit, quod sane, vel cogitare nefas, ac impium fuerit, ut hanc adversùs Augustinum criminationem, non ad ipsius modò, sed totius etiam Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis non minimam pertinere existimamus injuriam, cum in hujus argumenti arena tantum ei non dubitent tribuere, quantum contra Valentinianos, Gnosticos Irenæ, contra Arianos Athanasio atque Hilario, contra Nestorianos Cyrillo, contra Eutbicianos Leoni Pontifici, fideles semper omnes tribuerunt, ut S. Augustinus contra gratiæ Dei inimicos singulari providentia destinatus, ejus ductu atque auspiciis Catholica acies pugnaret, ac vinceret.*

Ad omnia ista si attenderet author ille Molina in suo libro instructionis Sacerdotum, quem Hispano sermone divulgavit tract. 3. cap. 14. non temerè dixisset S. Doctorem Augustinum, ut efficacius hæresim damnaret Pelagianam plura dixisse, quę modo non auderemus proferre, nec viderentur secura; cujus proinde audacia tantò magis invenitur per Cœlestinum ad Episcopos Galliæ reprehensa, quantò graviùs in sanctum Doctorem præ illis, quos redarguebat Cœlestinus, invehitur. Etenim quid illi dixerint adversus Doctorem sanctum Cœlestinus ipse his verbis expressit & damnat, quę iterum repetuntur: *Quia nonnulli*, inquit, *qui Catholico nomine gloriantur in damnatis hæreticorum sensibus, seu pravitate sive imperitia demorantes piissimis disputatoribus obviare præsumunt, & cum Pelagium atque Celestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint obloquuntur.* Antiqui isti per Cœlestinum refutati de sancto Patre Augustino duntaxat dicebant, quod modum necessarium excesserit; & author relatus proferre audet, quod multa dixit, quæ modò nullus auderet proferre, addens, quod secura non videntur: quantò ergo graviùs iste præ illis in S. Doctorem Augustinum insurgit, & ex consequenti quantò apertiùs, & efficaciùs per Cœlestinum reprehenditur? Piissimum disputatorem Augustinum summus Pontifex vocat ob has quas Doctor S. contra Pelagianos disputationes instituit; & iste audet dicere illas non securas, quem tamen citati superiùs Pontifices omnes redarguunt, qui tot laudibus, doctrinam sancti Patris Augustini contra Pelagianos concludebant. Quem propterea authorem & alium quemcumque Cardinalis Bellarminus reipsa reprehendit lib. 2. de gratia, & lib. arb. cap. 11. ubi dicit sententiam S. Patris Augustini in materia prædestinationis fuisse per Ecclesiam non semel tantum approbatam: Unde, & sic de illa concludit: *Itaque sedes Apostolica non tantum semel, sed etiam secundo & tertio adversus Pelagianorum reliquas pro defensoribus gratiæ & prædestinationis sententiam tulit, ut jam hæc sententia, scilicet Augustini, non quorumcumque Doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ Catholicæ dici debeat.*

In qua re etiam Caietanus excessit in comment. ad primam partem quæst. 70. art 3. dum dicit quod S. Thomas quando contra Averroem sermo erat, declinavit in oppositum (circa videlicet illam sententiam quæ est de animatione Cœli) ut Augustinus, inquit, contra Pelagianos fecit, verba Caietani sunt: *Quia quando erat sermo contra Averroëm fas erat declinare in oppositum, ut Augustinus contra Pelagianos facit:* Et quidem quod attinet ad S. Thomam illa prior sententia Caietani tenenda est, quod nimirum sententiam quam 3. cont. gent. habuit de animat. Cœli & alibi: citat. loco primæ partis quam posteriùs scripsit, omnino mutavit, quod alterius negotij est disputare: vidit namque illam priorem sustineri minus posse, quæ licet modo ab aliquibus Philosophis defendatur, nobis tamen tenenda non videtur, nec defendenda.

Quid quid autem de hoc sit. Quod asserit Caietanus S. P. Augustinum agentem contra Pelagianos in oppositam declinasse sententiam, si velit dicere, non quod in oppositum extremum inclinavit, sed in oppositam veritatem, sententiæ Pelagianorum contrariam, bene quidem, verùm ista explicatio & intelligentia Caietani minus ab ipso videtur intendi

Digitized by Google

tendi, ut enim patet ex contextu, sentire ipse videtur, quod sicut Sanctus Thomas oppugnando Auerroëm, negantem rationalem animam posse corpus informare, declinavit ad illam oppositam sententiam, quod Cœlum sit animatum: ita S. P. Augustinus oppugnando Pelagianos inclinavit in extremum aliud illi hæresi oppositum. Ista videtur Caietani sententia, quæ tamen si ita sentit nimis excedit, absit enim hoc de Sancto Patre, & eximio Doctore vel suspicari. Numquam enim summus ille præceptor in oppositum declinavit extremum hæresi Pelagianæ contrarium, sed semper Catholicam veritatem æqualiter damnantem utrosque extremos errores & Pelagianorum, & Manichæorum, seu quorumcumque aliorum, qui arbitrium negarunt, seu modo negant piè, & doctissimè propugnavit. Ita enim in omnibus suis libris contra Pelagianos, & Semipelagianos clarè, patenter, atque dilucidè libertatem servat arbitrij, simul cum efficacia gratiæ prævenientis, quam contra ipsos defendit, ut nihil evidentius, nihil clarius, nihil verius, ac profundius in ipso invenire possimus. Cujus propterea doctrina contra Pelagianos ita à summis Pontificibus & Conciliis commendatur, & acceptatur, ut ipsa sit Ecclesiæ doctrina.

Nec contra tam laudatam, & ab omnibus tam celebratam S. P. Augustini doctrinam obstare potest quod recentiores aliqui opponunt, ipsum usque ad mortem de animarum creatione ex nihilo dubitasse; videlicet in 1. lib. de Genesi, in quatuor de origine animæ in Epist. etiam 28. ad Hieronym. & in alia 157. ad Optatum & denique lib. 2. retract. cap. 56. Non inquam hoc obstare potest, quia sanctum Doctorem ipsi explicare non impugnare debuerant, regulam enim habemus à Sancto Thoma traditam 1. p. quæst. 39. art. & ad primum, ubi aliud ejusdem sancti Patris Augustini dictum explicans, quo dixerat in septimo de Trinitate essentiam de essentia, sicut sapientiam ex sapientia sic ait: *Ad primum ergo dicendum quod ad exprimendum unitatem essentiæ & personæ Sancti DD. aliquando expressius locuti sunt, quam proprietas locutionis pateretur. Unde hujusmodi locutiones non sunt extendendæ, sed explicandæ, ut scilicet nomina abstracta exponantur per concreta, vel etiam per nomina personalia, ut eum dicitur, essentia de essentia, vel sapientia de sapientia, sit sensus, filius qui est essentia, & sapientia, est de Patre qui est essentia & sapientia.*

Pari ergo ratione cum S. Doctor Augustinus citatis locis dubitet, an sicut Adæ, ita & singulis hominibus singulæ animæ dentur, vel potius illis ab anima Adæ, & per traducem propagentur, (quæ sint ipsius verba in illo loco ex 2. lib. retract. citato) explicanda sunt verba ista, vel non extendenda. Ad explicandum enim quod animæ descendentium ex Adam originale contrahunt peccatum, expressius etiam hîc locutus est, quam proprietas locutionis pateretur: Unde sensus est: An sicut Adæ anima ex nihilo creata est sine ordine aliquo ad primam aliam animam, vel sine ordine ad traducem, seu propaginem: ita aliorum animæ descendentium ab Adam, ita ex nihilo creatæ sint, ut sine ordine ad primam animam Adæ, vel sine ordine ad traducem, vel propaginem ex nihilo à Deo creatæ sint, vel potius ex vi creationis illum ordinem dicant ad animam Adæ, & traducem, sive propaginem. Non autem dubitavit, quod ipsæ aliorum hominum animæ absolutè ex nihilo creatæ sint, sed comparativè locutus est: an nempe ita creatæ sint sine ordine ad animam Adæ & propagine, sicut anima Adæ creata fuit sine tali ordine vel potius in hoc differant cæterorum hominum animæ ab anima Adæ, quod ex nihilo creatæ sunt, cum ordine ad priorem animam Adæ & propaginem, quod Adæ anima non habuit: quæ propterea dubitatio in qua Sanctus Doctor magis inclinat, quod in hoc distinguantur cæterorum animæ ab anima Adæ nihil erroris aut falsitatis continet.

Libri vero Epistolæ, atque tractatus quos S. Doctor adversus Pelagianos omnes scripsit, sunt quæ sequentes.

Epistola 46.	Epistola 95.
Epistola 47.	Epistola 96.
Epistola 88.	Epistola 105.
Epistola 89.	Epistola 106.
Epistola 90.	Epistola 107.
Epistola 92.	Epistola 143.
Epistola 93.	Epistola 157.
Epistola 94.	

Inter quas Epistolas aliquæ sancti Patris Augustini non sunt, sed summorum Pontificum, quia tamen omnes in operibus habentur Augustini, placet omnes illas enumerare, ut pius lector omnes consideret.

Egit de hac materia sanctissimus Præceptor sermonibus de verbis Apost. sermone 11. 12. 13. & 14.

Item libros integros conscripsit de peccatorum meritis & remiss. lib. tres ad Marcellinum.

De natura & Gratia lib. unum ad Timasium & Iacobum.

De Gratia Christi librum unum contra Pelagium, & Celestium.

De peccato originali librum unum contra Pelag. & Celestium.

De nuptiis & concupiscen. libros duos ad Valerium.

De Spiritu & litera ad Marcellinum librum unum.

Contra Iulianum libros sex.

Ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum libros quatuor.

De anima & eius origine libros quatuor.

De perfectione iustitiæ librum unum contra Celestium.

De Gratia & libero arbit. lib. unum.

De Correptione & Gratia librum unum.

De prædestinatione sanctorum lib. unum.

De dono perseverantiæ librum alterum.

Novissimè inventus est alius de gestis Pelagij, de quo supra mentionem fecimus.

Tandem anno 1617. Parisiis prælo mandantur duo libri eiusdem sancti Doctoris contra secundam Iuliani responsionem; qui duo libri contra octo Iuliani à sancto Patre Augustino conscripti sunt. Sed notandum possidium in suo indiculo referre duos libros de Baptismo Parvulorum, & alium de peccatorum meritis: Cum tamen omnes tres libri de peccatorum meritis intitulentur ab ipso S. P. Augustino lib. 2. retract. cap. 33. dicente se in illis potissimè agere de Baptismo Parvulorum: parique ratione notandum referre eundem Possidium in prædicto indiculo sub titulo *contra Pelagianistas*, librum sancti Augustini contra quæstiones Pelagianistarum: & similiter alium, quem dicit tractatum de Baptismo Parvulorum, qui tamen libri inter opera S. P. Augustini non inveniuntur in tomo septimo sed nec in eius indice, aut in annotationibus ad omnes libros contra Pelagianos.

Hos scripsit libros Sanctus Pater Augustinus contra Pelagianos omnes priores ac posteriores. Nam liber Hypognosticon, à sancto Prospero dicitur compilatus, sicut & alius sententiarum apud Prosperum: alij autem de prædestinatione Dei & de prædestinatione & gratia sancti Augustini non sint, sed suspecti Authoris, ut in secundo nostro libro dabimus manifestum. Illius autem novissimi sancti Augustini

Digitized by Google

libri duplicis contra secundam responsionem Juliani prælo mandati anno 1617. cujus & supra mentionem fecimus, memoriam facit & Possidius ubi supra per hæc verba, contra secundam Juliani responsionem imperfectum opus, &c. Et scribens ejusdem sancti Patris vitam imperfecta quædam librorum suorum præventū morte reliquisse testatur. De eisdem duobus libris quibus inceperat octo illis Juliani respondere, loquitur S. Prosper ita dicens: *Cum eis Juliani libris inter impetus obsidentium Vandalorum ipso dierum suorum fine responderet, in defensione Christiana sapientiæ perseverans moritur.* Beda etiam super Epistolas Pauli aliqua testimonia ex sancto Augustino adhibet, quæ ex istis duobus libris sancti Doctoris excerpta esse facilè lector deprehendet. Imò Augustinus ipse Epistola ad Quodvultd. expressè dicit Julianum octo libris respondisse ad suos sex, & quod quinque jam habebat ex illis, & quarto cœperat respondere, sperans, si Deus voluerit, aliis satisfacere.

CAPUT II.

De damnatione Pelagianæ hæresis per Concilia.

HORRENDA ista Pelagianorum hæresis superba elatrix humani arbitrij, divinæque gratiæ capitalis inimica, per tot libros à S. P. Augustino impugnata atque contrita, utpotè oppugnans illud primum nostræ confessionis initium, quo nos confitemur credere in unum Deum Patrem omnipotentem (ut ipsemet S. D. in Enchirid. affirmat) & suscitata Pharisæorum hæresi ad frustrandum Filij Dei in carne adventum, quippe quæ asserit ad capessendam salutem gratiâ Dei nos non indigere, ut ait S. Thomas: & tandem à SS. Patribus rejecta, præsertim à D. Hieronymo in Epistola ad Ctesiphontem, veluti ea, quæ brevi sententia omnium hæreticorum venena complectitur; & tamquam Crucis Christi inimica suos defensores solo vocabulo Christianos constituit, per simulatam humilitatem edocens superbiam, ut idem Hieron. loco cit. affirmat: multis etiam Ecclesiæ anathematibus perculsa est pluriesque condemnationis sententiam subivit.

Prima hujus hæresis damnatio facta fuit Romæ, ut sanctus Prosper affirmat in prosa de ingratis sic dicens.

Hisdem namque simul decretis Spiritus unus
Intonuit, pestem subeuntem prima recidit,
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
Religione tenet, non segnior inde Orientis
Rectorum cura emicuit, captumque nefandi
Dogmatis Authorem constrinxit lege benigna
Commentum damnare suum.

Fuit autem ista prima damnatio Romæ publicata non in personam Pelagij (quia ejus in sua persona prima damnatio seu abjuratio in Oriente fuit in Synodo Palæstina, ut dicemus statim) sed facta fuit hæc prima damnatio Romæ contra Ruffinum, qui ante Pelagium damnatus fuit ab Anasthasio: quia Ruffinus, ut jam supra notavimus, præcursor Pelagij fuit. Seu, quod magis crediderim, hæresis hujus prima omnium damnatio publicata fuit ante Pelagium & Ruffinum in personam Joviniani, in quo primò damnatam Romæ fuisse hæresim Pelagianam sanctus Hieronymus docet lib. 1. contra Pelagianos in proœmio. Consentit Cardinalis Baronius tomo quinto Annalium ad annum 412. verba sancti Hieronymi sunt: *Jovinianus, cujus, ô Pelagi, à te nunc hæresis suscitatur, Romanam fidem me absente turbavit, tam elinguis & sermonis putidi, ut magis misericordia dignus fuerit, quam injuria.*

Sicut ergo constat prius de aliquibus erroribus Jovinianum fuisse ab Ecclesia Romæ damnatum, quam Pelagium, ita manifestum est in ipso prius inter errores alios damnatam hæresim, quam Pelagius postea suscitavit, sicut Sanctus Hieronymus hic expressè refert. Secunda & tertia fuit in persona Celestij in Concilio Carthaginensi primo, & secundo, cum quo etiam Pelagius licet absens, si non in persona, in sententia tamen damnatus fuit. At de istis Celestij damnationibus duabus statim copiosè. Nunc ad Pelagium, à quo hæresis ista nomen accepit revertamur.

Diximus supra, de Pelagio & ejus erroribus tractantes, ipsum diu Romæ vixisse, & ibi errorem suum latenter publicasse, sed illum Romam non recepisse: indeque confusum, & expulsum ad Orientem perrexisse, & ibi iterum suum errorem publicasse. Contra quem celebratum fuit Concilium Palæstinum Diospolitanum, sive Orientale vocatum. Diospolis enim Cuitas Palæstinæ est, ubi in medium vocatus Pelagius compulsus fuit abjurare illos errores duodecim à nobis supra relatos. Imò illos quindecim quos supra tract. 1. capite secundo retulimus ex lib. S. P. Augustini de gestis contra Pelagium. De hoc Concilio frequens fit mentio apud sanctum Doctorem Augustinum quod aliquando Concilium Palæstinum vocat, aliquando gesta Palestina, aliquando verò in Oriente Pelagij hæresim dicit damnatam, semper idem Concilium intelligendo, nimirum Diospolitanum. Celebratum autem dicitur anno 415. Hujus etiam Concilij mentionem facit Sanctus Hieronymus Epist. 79. ad Alipium & Augustinum ubi vocat Diospolitanam Synodum, ut pote celebratam ut diximus in Diospoli civitate Palæstinæ Provinciæ. Et S. P. Augustinus in secundo retract. cap. 47. vocat Episcopalia gesta in Syria Palæstinæ celebrata.

Cœterum ante hoc Concilium Joannes Hierosolymitanus Antistes prius in Conventu suo Synodali cum clericis suis (non enim ille Conventus Conciliorum Episcoporum fuit) de causa contra Pelagium tractavit: Ubi Osius præsens fuit; hoc enim refert Sanctus Pater Augustinus lib. de gestis Pelagij cap. 14. sic dicens. *Meritò quod gesta indicant etiam hoc usus est testimonio S. Joannes Hierosolymitanæ Antistes Ecclesiæ, sicut interrogatus, quæ apud illum ante judicium gesta fuerunt à Coepiscopis nostris &c.* Quomodo autem prædictum Palestinum Episcoporum judicium fefellerit Pelagius & fictè abjuraverit docet sepè Sanctus Pater Augustinus. Fuerunt autem in Concilio hoc quatuordecim Episcopi congregati, ut clarius idem docet S. D. Augustinus lib. 1. contra Julianum cap. 5. sic dicens. *Habemus alios Orientales Episcopos quatuordecim. Eulogium, Joannem Amonianum, Porphyrium, Eutonium, Porphyrium, Fidum, Zozimum, Zoboënum, Nymphidium, Chromatium, Jovinum, Eleutherium, Clematium, quos uno loco simul inventos in istum consensum introducere valeamus, illos ipsos, qui Pelagio judices præsederunt,* cujus Concilij acta seu potius capitula ex actis excerpta, tum à Sancto Patre Augustino relata, tum à Cresconio compilata dedimus supra cap. 2. tract. 1. Capitula dicimus ex illis actis excerpta; quia licet pro actis referantur à Gabriele Vazques in fine suæ primæ secundæ, non sunt, & unde illa habuerit ipse testetur. Et quamvis illa eadem ut gesta illius Concilij referantur à Card. Baronio ad annum 415. & sequentes, dicatque ea se invenisse in collectione Cresconij relata post Epistolam

Aurelij

Digitized by Google

Aurelij Episcopi Carthaginensis ad Episcopos Provinciæ Bizancenæ: illa tamen integra acta illius Concilij non sunt, sed Capitula quædam ex actis illius excerpta, ut liquet ex titulo illorum, qui sic habet: *Incipiunt capitula excerpta ex gestis habitis contra Pelagium.* Similiter id constat ex fine, sic enim concluduntur vocata acta illa: *Hæc omnia Pelagius anathematizavit; quod satis constat ex gestis.* Cum itaque se remittat ad gesta, constat illa capitula quædam illorum esse. Præterea ea omnia acta vocata & ab utroque illo authore transcripta, præter solum titulum, fere ad verbum in S. P. Augustino habentur Epist. 106. circa finem illis verbis: *Quod ad Hierusalem*, usque ad illa, *& aperta confessione promantur.* De quibus egimus & nos supra capite secundo. tract. 1.

Illius autem Concilij integra acta multum desideravit Augustinus, ut ipse fatetur Epistola 152. & tandem ex integro ad manus suas pervenisse, ipse testatur lib. 2. retract. cap. 47. sub his verbis. *Cum in manus nostras eadem gesta venissent, scripsi de eis librum ne illo veluti absoluto, eadem quoque dogmata putarentur judices approbasse, quæ ille nisi damnasset, nullo modo ab eis nisi damnatus exiisset, hic liber sic incipit. Postquam in manus nostras.* Qui liber ut supra à principio in 2. cap. diximus, Augustæ excusus fuit anno 1611. & illius titulus est. De gestis Pelagij contra adversarios gratiæ Domini nostri Jesu Christi: Unde nec debet prænotari, quod jam nos advertisse supra recordamur sicut Possidius habet in indiculo, contra gesta Pelagij liber unus. In hoc libro in summa omnia gesta ab illa Synodo clarissimè à S. P. Augustino referuntur, & quæ circa illa notatu sunt digna, qua solet doctrina prosequitur, & in illus 35. cap. ita habet: *Ista hæresis cum plurimos decepisset, & fratres, quos non deceperat conturbaret; Celestius quidam talia sentiens ad judicium Carthaginensis Ecclesiæ perductus, Episcoporum sententia condemnatus est. Deinde post aliquot annos Pelagio, qui Magister ejus perhibebatur, cum ista hæresis fuisset objecta, ad Episcopale judicium etiam ipse pervenit recitatisque omnibus, quæ in libello contra eum dato Heros & Lazarus Episcopi Galli posuerunt, illis quidem absentibus, & de ægritudine unius eorum excusantibus, Pelagium ad omnia respondentem quatuordecim Episcopi Provinciæ Palæstinæ, secundum responsiones ejus, alienum à perversitate hujus hæresis pronunciaverunt.* Hæc Sanctus Doctor Augustinus. Quibus redditur manifestum priorem fuisse hujus hæresis damnationem in persona Celestij factam in Concilio Carthaginensi, quam objecta fuerit Pelagio, & ab ipso anathematizata licet fictè in Synodo Palæstina, quod & supra notatum est; dum ante hanc damnationem per judices Palæstinos, vocato ad Concilium Pelagio, quam tertio loco statuimus, secundam damnationem in persona Celestij retulimus.

Vnum Præterea circa acta hujus Palæstinæ Synodi advertendum, duo in illis distinguenda esse, atque ut diversa notanda. Alterum quod ad ipsam doctrinam spectat, secundum se: Alterum verò quod pertinet ad Pelagij absolutionem. Quoad primum illud ex prædictis actorum capitulis à S.P. Augustino relatis constat, apertè PP. illius Concilij verè atque sincerè de gratia Christi suum protulisse judicium rectum, quod & S. Doctor Augustinus in citato lib. enixè defendit, declarat, atque manifestat. Quod & alibi sæpe tradit, præsertim lib. 1. de gratia Christi cap. 3. & sequentibus. Lib. 2. de peccato originali cap. 8. 9. 10. & 14. Epist. 105. 106. & 107. & lib 2. retract. citato supra cap. 47. Consentit & sequitur Prosper sanctus contra collat. cap. 10. ac prosa de ingratis. Nec contrarium docet Hieronymus citata supra Epistola 79. cum de Pelagio loquens sic habet: *Quidquid in illa miserabili Synodo Diospolitana dixisse negat, in hac apertè confitetur.* Miserabilem enim vocat non quod in doctrina, aliqua ratione erraverit, sed quia circa factum, & Pelagij personam error contigit. Ipsos enim Judices fefellit Pelagius, vel negando quæ sibi opponebantur, vel illa in alio sensu valde diverso se dixisse affirmãdo, illaque fusè damnando. Ex quo non doctrinæ, quod primum est, sed facti errore, quod est secundum distinguendum, ipsum judices absolutum post abjurationem pronuntiarunt. Cujus si fictionem, & tergiversationes cognovissent, ut S.P. Augustinus sæpe docet, non absolverent, sed eum damnatâ doctrinâ damnarent.

Et hoc quantum ad Synodum Palæstinam, & illius acta. Licet enim hæc, ut diximus, posterior fuerit secundum ordinem temporis hæresis Pelagianæ damnatio, & prior fuerit illa relata in persona Celestij, placuit tamen prius quæ contra Pelagium, utpote hujus hæresis magistrum acta fuere, quam quæ contra discipulum ejus Celestium, referre, de cujus damnatione nunc est agendum.

Fuit ista Celestij damnatio facta in secundo Concilio Carthaginensi ex celebratis contra Pelagianos, & potissime contta eundem Celestium. Duo enim fuisse Carthaginensia Concilia contra Celestium congregata constat ex Epistola Patrum, qui fuerunt in illo secundo Carthaginensi Concilio ad Innocentium primum missa in qua prioris Carthaginensis Concilij expressam faciunt mentionem. Licet enim utriusque hujus Concilij acta non extent, extat tamen prædicta Epistola Patrum illius primi Carthaginensis Concilij ad Innocentium, ut diximus quæ habetur primo tomo Conciliorum pag. 789. in impressione Venetiis facta sub anno 1585. Refertur etiam primo tomo Epist. Decretalium sum Pontif. pag. 90. & inter Epistolas sancti Patris Augustini est etiâm 90. in qua sic PP. illi Innoceutio scribunt: *Unde factum est ut recensendum peteremus, quid ante ferme quinquennium super Celestij nomine hîc apud Ecclesiam Carthaginensem fuerit agitatum.* In illo tamen priori Carthaginensi Concilio licet doctrina quam Celestius defendebat fuerit damnata, persona illius damnata non fuit, quod ex præcitata Epistola non obscurè deducitur; quia fortè, ut postea Pelagius in Palæstina Synodo, tergivarsationibus se excusabat: At post ferè quinquennium videntes PP. illius primi Concilij Carthaginensis ipsum minimè correctum, imò in sua prava doctrina pertinaciter insistentem, cum doctrina illius etiam, personam damnarunt, ut ex citata Epistola PP. illius Concilij redditur manifestum; sic enim dicunt. *His ergo lectis, Pelagium, Celestium authores nefarij prorsus & ab omnibus nobis anathematizandi erroris advertimus.* Et primò ipsos nisi errores anathematizent anathematizandos decernunt.

Dicitur autem celebratum Illud primum Carthaginense Concilium anno Domini 412. Illud verò secundum celebratum fuit anno 416. fere nimirum post quinquennium, ut relati PP. ad Innocentium scribunt. De numero autem Patrum prioris Concilij nihil omnino certum habemus: in secundo verò conveniunt PP. num. 67. ut constat ex primo tomo Conciliorum Epist. 24. & 25. ibi ex Innocentio relatis, & etiam primo tomo Epistol. decretalium sum. Pontifi. Epistola tertiâ inter relatas ex Innocentio: ab Augustino verò numerantur 68. uno addito Quodvultdeo: Unde non fuerunt PP. 77. ut vult Cardinalis Baronius ad annum 416.

Digitized by Google

Non solum verò in his duobus Conciliis Carthaginensibus Pelagianorum hæresis damnata fuit, sed in aliis etiam Carthagine celebratis, quamvis illa non Carthaginensia sed Africana Concilia appellentur, nomine videlicet totius Africæ cuius Carthago caput existit, & etiam in alio Numidiæ congregato, quod & docet ac refert S. P. Augustinus Epist. 47. ad Valentinum. Cujus Doctoris sanctissimi verba sunt. *Quod enim scriptum est ad Papam Innocentium Romanæ Urbis Episcopum de Concilio Provinciæ Carthaginensis, de Concilio Numidiæ, & aliquantò diligentius à quinque Episcopis. Item quod Papæ Zozimo de Africano Concilio scriptum est, ejusque rescriptum ad Universos totius Orbis Episcopos missum, & quod posteriori Concilio plenario totius Africæ contra ipsum errorem breviter constituimus.* Quibus quinque Conciliis à sancto Patre Augustino numeratis, & in Africa celebratis, quibus damnata fuit Pelagianorum hæresis, si addamus illud aliud primum Carthaginense cujus licet non expressam, implicitè tamen mentionem facit SS. Doctor citando Epistolam illam Patrum secundi Concilij; in qua de Priori illo mentio fit: Erit manifestum, quod præter illam primam relatam damnationem factam Romæ, & aliam in Palestina Synodo per sex Africana Concilia eadem Pelagianorum hæresis damnata fuit, sunt autem ista sex Concilia Carthaginense primum, Carthaginense secundum, Concilium Numidiæ, id est Melevitanum secundum ut dicemus statim, & aliud à quinque Episcopis, item Concilium Africanum, ac sextum & ultimum aliud plenarium totius Africæ.

Ex istis, quatuor priora Provincialia sunt nimirum primum & secundum Carthaginense cum illo Numidiæ, & alio Episcoporum quinque. Diximus illud Numidiæ fuisse secundum Milevitanum & Provinciale, nam Milevitanum primum totius Africæ generale fuit, nec in illo aliquid contra Pelagianorum hæresim actum est, celebratumque fuit anno 402. Vnde falsò quidam asserunt Concilium Milevitanum contra Pelagium celebratum fuisse anno 402. non distinguentes inter Concilium primum Milevitanum illo anno 402. congregatum, inquo, ut diximus nihil penitus de gratia contra Pelagium actum est, & inter secundum Milevitanum Concilium, adversus Pelagium celebratum, non illo anno 402. sed anno 416. ut dictum est modò, quod à sancto Patre Augustino, Numidiæ Concilium vocatur: Vnde sequitur non rectè dici in margine quadam ad primum tomum Conciliorum pag. 788. in impressione veneta, anno 1685. quod & in aliis similiter habetur, damnatam fuisse Pelagianorum hæresim in Concilio Milevitano anno 402. secundum aliquos, vel anno 408. secundum alios, quod contra sanctum Prosperum affirmat illius Scholij author, sed immeritò: neutrum enim quod dicit stare potest, ut visum est modò, sub æquivocatione enim prædictus author procedit non distnguens de duplici Milevitano Concilio, ut manet expositum; quod & Cardinalis Baronius rectè, ac latè probat ad annum 402. 412. & 416.

De hoc Concilio Numidiæ, seu Melevitano secundo Provinciali, ut diximus, & celebrato contra Pelagium anno 416. extat Epistola Patrum ejusdem Concilij ad Innocentium, quæ habetur primo tomo Epist. decret. summ. Pontif. pag. 95. quæ etiam refertur 1. tomo Conciliorum impressione Venet. pag. 792. & inter opera S. P. Augustini tom. 2. Epist. 92.

De actis hujusmodi Concilij dicemus statim. Fuerunt verò in hoc Concilio congregati PP. num. 61. ubi cum cæteris præsens fuit magnus Pater Augustinus. Cum tamen in utroque priori Carthaginensi relato S. Doctor & Pater minimè præsens fuerit.

Circa Canones ergo illius Concilij octo priores in quibus de gratia agitur, contra Pelagium primò ordinantur, & licet primo tomo Conciliorum citato loco inserantur Concilio Milevitano sub anno 402. Non tamen ab illo primo Concilio Milevitano illo anno 402. Congregato ordinati sunt, ut manet ostensum: quia ex æquivocatione hic error processit: Vnde rectè in summa Conciliorum dùo distincta Milevitana Concilia referuntur, & non in primo, sed in secundo celebrato anno 416. illi Canones agentes de Dei gratia contra Pelagium inseruntur, sicut verè ab illo Concilio ordinati sunt. Quamvis autem sint, qui asserant Canones illos non ab illo secundo Milevitano Concilio ordinatos, sed ab alio sequenti Africano (de quo Africano Concilio post pauca dicemus) quantum ad authoritatem prædictorum Canonum, nihil omnino refert, quod ab hoc vel illo Concilio fuerint primò ordinati (cum utrumque p[illegible] sanctam Sedem sit approbatum) non tamen à communi sententia & traditione recedendum est; qua Canones illi Milivitano secundo Concilio attribuuntur, & quidem, si quis attendat, illorum Canonum doctrina eadem est cum illa, quæ habetur in citata Epistola PP. illius Concilij ad Innocentium. Vnde constat Patres illius Concilij breviter Innocentio retulisse, quæ in illo suo Concilio per illos octo Canones ordinarant.

Nec obstat quod illi octo Canones etiam ad verbum inveniantur in Concilio posteriori Africano supra relalo, quia facile intelligitur illos primò à Concilio secundo Milevitano editos, (quod, ut diximus fuit Provinciale) fuisse postea repetitos, & confirmatos ab ampliori illo Africano Concilio; quod ut dicemus, 25. Episcoporum fuit, ut sentit Cardinalis Baronius ad annum 418. num. 24. & insinuatur à Prospero Sancto lib. cont Collat. cap. 41. dicente, Zozimum sententiæ robur, Africanorum Conciliorum decretis adjunxisse; & loquitur potissime de confirmatione illorum octo Canonum, licet non solùm ac præcisè de illis loquatur, quia omnia priora Concilia Africana Carthagine celebrata contra Pelagianos confirmavit Zozimus: sed illos octo Canones illorum duorum Conciliorum Milevitani secundi & Africani, potissimè. Et quod opponitur, quod sicut per inadvertentiam illi octo Canones primo Concilio Milevitano tribuuntur, ita per conjecturam, attendendo quod illi primo Concilio non possunt attribui, adscribuntur secundo Cõcilio, minus obstare videtur, quia hoc potius argumentum est, quod apud omnes communiter erat receptum, ordinatos fuisse Canones illos à Concilio Milevitano. Vnde cũ sine causa, ut ostensum est, primo Concilio attribuantur secundo meritò ab omnibus adscribi debent, ut sic communis sententia servetur, quod in aliquo Concilio Milevitano sint ordinati: cujus signum fere evidens est, omnem tollens conjecturam, quod illud secundum fuit contra Pelagium celebratum, & quod Patres in citata Epistola ad Innocentium eamdem doctrinam breviter scribunt, quam illis Canonibus ordinarunt, ut ostensum est supra. Et ista dicta sufficiant pro illis tribus Conciliis, utroque Carthaginensi, & tertio, Milevitano secundo.

De quarto autem illorum Episcoporum quinque, à quibus aliquanto diligentiùs examinata causa de gratia Christi contra Pelagianos fuit, ut docet Sanctus Pater Augustinus loco superius inducto, extat Epistola eorundem quinque Patrum ad Innocentium quæ habetur primo tomo Epist. decret. sum. Pontif. p. 99. quæ accuratiùs, & profundiùs materiam istam tractare videtur, inter Epist. verò S. P. Augustini est numero

Digitized by Google

numero 95. in secundo tomo operum eiusdem sanctissimi Doctoris & lib. 2. de peccato originali illius mentionem facit in cap. 9. Nomina illorum quinque Patrum sunt. Aurelius, Alipius, Augustinus, Evodius, & Possidius. Ista quatuor enim memorata Concilia Provincialia sub Innocentio celebrata fuere, & ab ipso approbata, ut constat ex literis quibus Innocentius ad illorum Conciliorum PP. respondet: quæ habentur tum apud S.P. Augustinum secundo tomo Epistol. tum etiam primo tomo Epist. Decret. summ. Pontif. pag. 90. & sequentibus.

Secundum Concilium Carthagine celebratum contra Pelagianos fuit Africanum 214. Patrum; quod & generale Africanum vocatur, de quo S. P. August. in citata Epist. 47. relatis iam verbis mentionem facit: De eodem loquitur Sanctus Prosper in responsione ad octavum caput Gallorum dicens: *Cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum constitutionem contra inimicos gratia Dei totus mundus amplexus est; veraci professione, quemadmodum ipsorum habet sermo, dicimus gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, non solum ad cognoscendam, verumetiam ad faciendam iustitiam, nos per actus singulos adjuvare, ita ut sine illa nihil verae sanctaque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* Quod etiam docet ac refert lib. contra collat. capite 10. *Erraverunt*, inquit, *Ducenti quatuordecim sacerdotes, qui in Epistola quam suis constitutionibus praetulerunt, ita Apostolicae sedis Antistitem Beatum Zozimum sunt alloquuti. Constituimus in Pelagium atque Celestium per venerabilem Episcopum Innocentium de B. Apostoli Petri Sede prolatam manere sententiam:* Vnde constat hoc Africanum Concilium tot Patrum sub Zozimo, ut hîc ait S. Prosper, fuisse congregatum. De quo etiam S.P. Augustinus citata supra epistola 47. ait. Quod ad Papam Zozimum scripsit: & de eodem Concilio ait Sanctus Prosper iterum contra collat. Zozimum machinas Pelagianorum fregisse.

Sextum Concilium fuit illud plenarium Africanum de quo S. Doctor Augustinus in citata Epistola 47. illa inducta verba protulit: *Et quod posteriori Concilio plenario totius Africae contra ipsum errorem breviter constituimus*: quæ verba subjungit post relatum prius Concilium Africanum sub Zozimo, de quo iam supra egimus: Et hoc plenarium Concilium Africæ totius sub Bonifacio congregatum est, sicut illud prius sub Zozimo. Convenerunt in Concilio isto Patres num. 217. ut constat ex Epistola talis Concilij ad Bonifacium, quæ habetur primo tomo Conciliorum Venetiis excusorum anno 1585. pag. 841. quæ sic habet: *Domino Beatissimo & honorabili Patri Bonifacio Aurelius Valentinus primae Sedis Provinciae Numidiae & caeteri, qui praesentes adfuimus numero 217. ex omni Concilio Africae*, Acta Concilij huius habentur primo tomo Conciliorum pagina 824. & sequentibus, & de materia gratiæ Christi contra Pelagianos tractat à cap. seu canone 75. usque ad 83. & idem Canones videntur cum illis octo ex Concilio secundo Milevitano iam supra relatis, ut etiam ad marginem illorum Canonum Concilij hujus Africani notatur. Hujus Concilij plenarij Africani mentionem facit Cardinalis Baronius ad annum 419. num. 59.

Notandum tamen circa Concilium hujusmodi, quod de ipso non loquitur S. Prosper in Croni. ad annum 415. cum loquens de Concilio Africano nunciat 217. Patres in illo congregatos fuisse, verba ejus sunt. *Concilio apud Carthaginem habito 217. Episcoporum, ad Zozimum Pontificem, Synodalia decreta perlata, quibus probatis per totum mundum haeresis Pelagiana damnata est.* Non inquam, loquitur de hoc plenario Concilio Africano, de quo modo agimus, quia illud non sub Papa Zozimo, sed sub Bonifacio eius successore celebratum fuit, ut ex citata Epistola Patrum hujus Concilij, & ex prædicto Concilio iam citato apertissimè constat. Cum ergo S. Prosper relatis nunc verbis dicat expressè Concilium de quo illis verbis tractat sub Zozimo fuisse coactum & PP. illius Concilij ad Zozimum decreta misisse Synodalia. Constat quod non de hoc plenario Concilio agit, quod ut ostensum manet, non sub Zozimo, sed sub Bonifacio fuit celebratum: Vnde de eodem Concilio loquitur in Croni. de quo locutus fuit, ut relatum est supra in responsione 8. ad capita Gallorum, & lib. contra collat. cap. 10. & 42. id est de Concilio Africano quinto loco relato, in quo proinde fuerunt tantum 214. Patres Congregati non 217. Quare ex Typographi incuria deprehenditur numeratos pro illo Concilio 217. Patres cum tantum fuerint 214. Occasio autem huius fuit quod in Concilio Africano plenario hoc vltimo loco relato 217. Patres convenerunt, & iste numerus illi Priori Concilio sub Zozimo per inadvertentiam impressorum tributus est.

Damnata fuit insuper hæresis ista à Magna Ephesina Synodo contra Nestorium congregata sub Cœlestino primo, in qua pariter Pelagius, Celestius, & Iulianus damnati sunt: Vnde tom. 4. cap. 9. can. 1. sic habetur. Quia verò opportebat eos, qui ob " aliquod Ecclesiasticum vel corporis impedimen- " tum, in regione vel civitate sua detenti sacræ Sy- " nodo interesse nequiverunt, ea non ignorare quæ " de schismaticis sunt definita, notum facimus ve- " stræ sanctitudini, quod si Provinciæ cujuspiam " Metropolitanus à sacra & œcumenica Synodo " desciscens defectionis conciliabulo sese addixerit, " vel postea quoque cum Celestio senserit, vel " etiam nunc sentit, hujusmodi contra Provinciæ " suæ Episcopos nihil omnino decernere possit, " quod à sacra Synodo ab omni communione Ec- " clesiastica seclusus, deinceps nullius potestatis aut " authoritatis existat. "

Et in canone quarto, ita statuitur; Si quis Cle- " rici desciverunt privatimque vel publicè Nestorij " Celestiique doctrinam tenere, profiterive ausi fue- " runt illos sacra Synodus pro depositis habendos " æquum censuit. Tandem idem Concilium Epi- " stola ad Cœlestinum ita dicit: Porro autem per " lectis iis in sancta Synodo, quæ de impiorum " Pelagianorum Celestij, Pelagij, Iuliani, Persidij, " Flori, Marcellini, Horentij, reliquorumque, ea- " dem cum illis sentientium depositione à pietate " tua istic decreta, & constituta sunt. Iudicavimus " & nos quoque ea solida, firmaque permanere " debere: Quare idem omnes vobiscum sentientes, " & nos itidem eos omnes pro depositis habemus. " Item eodem Concilio tom. 4. cap. 8. ita Patres statuunt: Maximè verò cum alij ex illis iam pridem " sint ordine moti, alij prava Celestij doctrina infecti. " Et in principio sequentis cap. 9. Omnes autem " Celestij, aut Nestorij erroribus infecti. "

In supradicta verò Epistola Concilij ad Cœlestinum missa damnant Patres præter Pelagium, Cœlestium, & Iulianum, expressè aliquos ex illis qui cum Iuliano communem miserunt Epistolam ad Episcopum Thessalonicensem; alios autem implicitè cum dicunt: *reliquorumque, &c.* Ad hæc. In eodem Concilio tom. 4. citato cap. 5. Cyrillus, & Memnon sub his verbis Pelagianos damnant: *Et eos denique qui Celestio, Pelagio stipulantur, quorum omnia dogmata numquam suscepimus, anathematizamus & execramur.*

Digitized by Google

Contra illum denique Pelagij errorem, quo dixit dari medium quemdam locum inter cœlum & infernum pro infantibus qui sine lavacro regenerationis moriuntur (quem errorem tenuisse retulimus supra) extat alia diffinitio alterius Concilij Carthaginensis, cui interfuerunt PP. 225. & licet hoc Concilium non extet, illud tamen refert Photius in sua Bibliotheca, quæ nuper Græcè edita est, in qua sic habet: *Synodus Carthaginensis imperante Honorio celebrata in Ecclasia Fausti, cui præfuit Aurelius Episcopus, & Dotianus Penthisij primæ Sedis Bisancenæ, quibus cum adfuerunt alij ex diversis Prouinciis insignes viri 225. illos etiam damnat, qui medium quemdam locum inter pœnas inferni & Paradisum statuebant, ad quem locum infantes qui sine Baptismo ex hac vita decedunt, translatos, beatam vitam ducere dicebant.*

Decem ergo damnationes in hoc capite contra Pelagianorum hæresim publicatæ sunt. Prima Romæ contra Iovinianum & Ruffinum. Secunda in Concilio primo Carthaginensi. Tertia in alio secundo Carthaginensi Concilio. Quarta in Synodo Palæstina.. Quinta in Concilio Numidiæ, seu Milevitano secundo. Sexta à quinque Episcopis: Septima à Concilio Africano 214. Patrum. Octava ab alio plenario etiam Concilio Africano. Nona à magno Concilio Ephesino. Decima ab hoc vltimo relato Concilio Carthanensi 225. Patrum, nunc de aliis actis per summos Pontifices sermonem faciamus.

CAPUT III.

Per quos Pontifices fuerit damnata Pelagianorum hæresis.

PRÆTER ista Concilia modò relata, quibus priorum Pelagianorum errores inveniuntur damnati, extant summorum Pontificum diffinitiones plures. Prima Innocentij primi Epistolà ad Concilium Carthaginense, in qua eius confirmat, & approbat acta contra Pelagianos, & inter multa præ„ clara contra eosdem sit dicit: Quid enim tam „ iniquum esse potest, tam barbarum, tam totius „ Religionis ignarum, tam Christianis mentibus „ inimicum, quàm huic te negare debere quidquid „ in quotidiana gratia consequeris, cui te ipse con„ fiteris debere quod natus es: Et iterum ibi. „ Quisquis ergo huic assentiens videtur esse sententiæ, quæ dicat adjutorio nobis non opus esse Di„ vino, inimicum se Catholicæ fidei, & Dei bene„ ficiis profitetur ingratum, nec nostra commu„ nione sunt digni, quam prædicando taliter pol„ luerunt. Et iterum de Pelagianis ait: Qui per„ versis instructi, imò destructi verborum argutiis, „ sub imagine Catholicæ fidei disputantes, velut „ pestiferum exhalantes virus, ut hominum rectè „ sentientium in deteriorem partem corda corrum„ pant, totam veri dogmatis quærunt evertere disci„ plinam. Et iterum. Sed iam isti, qui tales sunt, „ nullam Dei gratiam consequuntur, quia sine illo „ tantum assequi se posse confidunt, quantumvis „ illi, qui ab illo postulant, & accipiunt, promere„ rentur. Et iterum. Quis rogo tantus illorum pe„ ctora error obcæcat, ut si ipsi nullam Dei gratiam „ sentiunt, quia nec digni sunt, nec merentur, nec „ de aliis considerent, quid quotidie singulis gratia „ Divina largiatur? sunt quidem isti omni cæcitate „ dignissimi, qui nec hoc sibi reliquerint, ut se au„ xilio credant revocari ab erroribus posse Divino. „ Negantes enim Dei adjutorium, non aliis, sed sibi „ hoc penitus abstulerunt, qui avellendi sunt longiùs, & ab Ecclesiæ procul removendi visceribus, „ ne diutiùs multa occupans, insanabilis post error „ increscat. Si enim diù fuerint sub hac impuninate „ versati, necesse est multos in hanc suæ pravitatem „ mentis inducant, decipiantque innocentes, vel „ potius imprudentes, qui fidem Catholicam non „ sequuntur. Putabant enim eos rectè sentire, quos „ adhuc vident in Ecclesia perdurare. „

Secunda Innocentij damnatio, quæ in ordine est duodecima habetur in Epistola ipsius ad Concilium Milevitanum in qua inter multa sic dicit: Quid enim acerbius in Dominum fingere potue„ runt, quàm cùm adjutoria Divina cassarent, cau„ samque quotidianæ precationis auferrent? hoc est „ dicere, quid mihi opus est Deo? Meritò in hos „ dicat hymnidicus. Ecce homines qui non posue„ runt Deum adjutorem sibi. Et iterum: Illud verò „ quod ea vestra paternitas asserit prædicare, par„ vulos æternæ vitæ præmiis absque Baptismatis „ gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim „ manducaverint carnem filij hominis, & biberint „ sanguinem ejus, non habebunt vitam in semet„ ipsis. Qui autem hanc in eis sine regeneratione „ defendunt, videntur mihi ipsum Baptisma velle „ cassare, cum prædicent hos habere, quod in eis „ creditur, non nisi baptismate conferendum. „

Tertia per eundem Iunocentium damnatio, & in ordine decima tertia habetur in Epistola eiusdem ad sanctum Augustinum, in qua inter alia hæc Pelagianis ait: Qui enim omnem spem vitæ „ respuit atque contempsit, inimica damnabilique „ cor suum disputatione confundens, cum credit „ nihil esse, quod à Deo accipiat, nec aliquod su„ peresse, quod petat ad sanandum se, qui hoc sibi „ abstulit, ulteriùs quid reliquit? Si ergo sunt aliqui, „ quos in sui defensionem perversitas tanta devinxit, „ qui huic se dogmati dedant, atque conjungant spe„ rantes hoc ad Catholicam pertinere doctrinam, „ quod aberrans longiùs, & penitus approbatur ad„ versum, infecti illorum, & monitis, & verbis ut „ laberentur, inducti, quatenus ad rectum viæ tra„ mitem redeant, festinabunt, ne diutius mentem ob„ sidens velut eorum sensibus pastus error invadat. „

Extat etiam ejusdem Innocentij Epistola ad Julianam Demetriadis matrem, in qua ipsam informat adversus Epistolam aliam Pelagij ad suam filiam Demetriadem missam. In illa enim Pelagius Virginem illam decepturus dicebat, quod boni mores non nisi in te, & ex te esse possunt. Ea de causa adversus hanc pravam Pelagij Doctrinam sic scribit Iulianæ Matri Demetriadis, Innocentius: *Summa virtutis est vicisse gloriam carnis, & magna est Christi gratia nobilitatem moribus superasse*; docens bonos mores ex Christi gratia haberi. Adversus hanc etiam Pelagij Epistolam, aliam scribit Augustinus ad eandem Iulianam, in qua dicit, quod illud dictum: *boni mores in te esse possunt, cibus est, illud autem non nisi ex te, virus est.* Aliam etiam ad Demetriadem scripsit Epistolam S. Prosper, ubi illam Virginem instruit, contra illam Pelagij Epistolam. Ista igitur quarta videtur ex Innocentio esse damnatio contra Pelagianorum sententiam, & in ordine quarta decima.

Decima quinta adversùs Pelagianam hæresim damnatio pronuntiata est per Zozimum Pontif. Sum. cujus meminit successor ejus Cœlestinus in Epist. ad Episcopos Galliæ. Et Gelasius Epist. ad Honorium, & S. Prosper libro contra collatorem cap. 11. ubi per ironiam dicit contra Pelagianos; *Erravit sacrosancta benedictio Sedis Petri, quæ ad universum orbem Papæ Zozimi ore sic loquitur: Nos autem, tamen instinctu Dei, &c.* Et iterum: *Erraverunt Africani Episcopi ad eundem Papam Zozimum rescribentes.*

Digitized by Google

bentes, eumque in sententia hujus salubritate laudantes. Et post alia. *Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zozimus sententiæ suæ robur annexuit.* Similiter & Possidius Calamensis Episcopus in vita Sancti Augustini cap. 18. *Innocentius,* inquit, *& Zozimus Apostolicæ Sedis Antistites suis diversis temporibus Pelagianistas notantes, atque à membris Ecclesiæ precidentes, datis literis ad Africanas Orientis & Occidentis Ecclesias, eos anathematizandos, & evitandos ab omnibus Catholicis censuerunt, & hoc tale de illis Ecclesiæ Dei Catholicæ prolatum iudicium etiam Piissimus Imperator Honorius audiens, & sequens suis eos legibus damnatis inter hæreticos haberi debere constituit.* Huius etiam damnationis per Zozimum pronuntiatæ meminit S.P. Aug. lib. de peccato orig. cap. 8. ubi de Pelagio, Pelagianisque sermonem faciens ait: *Recoluit enim beatissimus Papa Zozimus quid imitandus prædecessor eius de ipsis senserit gestis, attendit etiam quid de illo sentiret prædicanda in Domino Romanorum fides,* & post pauca: *Cum Venerabili Papa Zozimo Synodus Africana respondit,* & cap. 22. subdit Zozimum Papam litteris suis, quas universis Ecclesiis dedit, attrivisse eiusdem Pelagij Blasphemias, quas vitarent fideles omnes, & Epistol. 157. ad Optatum Augustinus idem fragmentum recitans earundem Epistolarum, quæ à Zozimo ad Universas Ecclesias destinatæ fuere: *Te autem,* inquit, *si libenter vel patienter admittis, charissimè frater admoneo, ne hæresim novam minùs cautus incurras, quæ antiquissimæ fidei stabilita molitur fundamenta convellere adversus Dei gratiam disputando, quam Dominus Christus pusillis & magnis ineffabili bonitate largitur, cujus vel authores, vel certè accerrimi notissimique suasores cum Pelagius, & Cœlestius extitissent, Conciliorum Episcopalium vigilantia in adjutorio Salvatoris, qui suam tuetur Ecclesiam, etiam à duobus venerabilibus Antistibus Apostolicæ Sedis Papa Innocentio, & Papa Zozimo nisi correcti egerunt pœnitentiam, toto Christiano orbe damnati sunt.*

Aliam damnationem adversus eosdem Pelagianos protulit Bonifacius primus, ut S. Prosper affirmat vbi supra; & Gelasius Pontifex Maximus in decretali citata, de quo & S. Prosper contra collatorem in fine ita dicit: *Sanctæ memoriæ Bonifacius piissimorum Imperatorum Catholica devotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei, non solùm Apostolicis, sed etiam regiis utebatur edictis.* Quæ autem fuerint hæc regia edicta dicemus inferiùs.

Damnata vltimò fuit primorum Pelagianorum hæresis, Pelagij videlicet Celestij, atque Iuliani à Cœlestino primo, ut constat ex Epistola eiusdem Cœlestini ad Nestorium, in qua in principio sic dicit: *Aliquantis diebus vitæ nostræ post nefandum, & sæpe damnatum dogma Pelagij atque Cœlestij Catholica fides quietem habuit, quando eos cum suæ disputationis sequacibus talis vnitatis sententia Oriens Occidensque percussit.* Et prope finem sic Nestorio dicit: *Legimus quàm bene teneas originale peccatum, qualiter ipsam naturam asseris debitricem, & eum delictum meritò reddere, qui descenderit de genere debitoris. Quid tecum faciunt, qui sunt hæc negando damnati? Numquam sine suspicione ea, quæ sibi sunt adversa, conveniunt; ejicerentur denique si tibi quoque similiter displicerem.* Quibus verbis Pontifex sanctus iterum damnat pronuntiando damnatos Pelagianos ipsos qui Nestorio ad hærebant, sicut illos cum eodem Nestorio fuisse damnatos à Concilio Ephesino sub Cœlestino celebrato memoravimus supra.

Vnum tamen silentio putamus non omittendum, quod dicit Pontifex summus relatis verbis diversa esse duo hæc, videlicet fateri peccatum originale, & negare Christi Incarnationem, sicut vtrumq; videbatur asserere Nestorius, qui duas personas cõstituens in Christo veram eius incarnationẽ negabat. Dum enim aliam personam esse filij hominis, aliam filij Dei contendebat: Christum esse aliquid unum negabat: Vnde miratur Pontifex, quod cum Nestorius peccatum fateatur originis Christi incarnationem negaret. Quare concludit vehementer de suspitione esse convictum Nestorium, quod in veritate peccatum originis non admitteret, sed verbis dumtaxat. Si enim verè originale peccatum fateretur, utique Christi Domini veram incarnationem admitteret. Quia sicut istæ duæ veritates sibi connexæ sunt, ita & duæ falsitates oppositæ se adinvicem consequuntur: negare videlicet Christi Divinitatem, & negare peccatum originale, qua ratione in Concilio Ephesino propter errorum affinitatem, sicut damnatus fuit Nestorius negans incarnationem Christi expressè, & peccatum originale implicitè, ita damnati fuere Pelagius, Celestius, & Julianus, qui expressè quidem peccatum originale negabant, re autem ipsa de Christi Domini incarnatione, & divinitate malè sentiebant. Unde & S. Prosper contra collatorem loquens de Cœlestino ita habet: *Per hunc virum & Orientales Ecclesiæ gemina peste purgatæ sunt: quando Cyrillo Alexandrinæ vrbis Antistiti glorioſissimo fidei Catholicæ defensori ad execrandam Nestorianam impietatem Apostolico auxiliatus est gladio, quo etiam Pelagiani dum cognatis confederantur erroribus iterum prosternerentur.* En quomodo, & quatenus vocet divus Prosper cognatos errores Nestorij negantis Christi Divinitatem, & Pelagianorum negantium in parvulis originale peccatum, ut advertant omnes in quem finem tendat pestifera & horrenda Pelagianorum hæresis. Qua etiam ratione sæpe Sanctus Pater August. adversus Pelagianos inducit illud Apostoli, *si ex lege esset iustitia, ergo Christus gratis mortuus est.* & S. Thomas hæresim Pelagianorum hæresim vocat Pharisæorum jactantium se de lege atque doctrina, & quod per illam frustratur Christi Domini adventus, ut visum & relatum est supra.

Hanc eandem execrandam hæresim refutavit Sixtus III. cùm videlicet Julianus Episcopatu dejectus multimoda fallendi arte correctionis spem præferens molitus est in Ecclesiæ communionem irrepere; sed illius insidiis Sixtus III. Ciaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens nullum aditum pestiferis conatibus habere permisit, ut author est S. Prosper in cronica: Verùm ista non tam videtur specialis damnatio, quam damnationis prioris confirmatio, seu iam iustissimè damnati non admissio.

Vt igitur de damnatione Pelagianorum priorum, Pelagij, Celestij, atque Iuliani concludamus, illorum pernicioſa hæresis damnata fuit per Pontifices quinque, Innocentium, Zozimum, Bonifacium, Cœlestinum, & Sixtum, & per Concilia ecto præcedenti cap. relata, & ab his 8. Conciliis, & quinque Pontificibus Summis plurimis diffinitionibus, ut visum est supra. Nam à quibus posteriores Pelagiani, vulgò Semipelagiani appellati, damnati fuerint, infra suo propro loco dicemus.

CAPUT IV.

Quomodo per Imperatorum edicta fuerunt Pelagiani damnati.

NON solum S. Prosper loco nunc citato cap. præcedenti testatur per Regia Edicta fuisse Pelagianos damnatos, sed quod magis est, id ipsum gravissimis verbis docet Gelasius in dictis contra Pelagianam hæresim, quæ habentur ante decretalem sextam

Digitized by Google

sextam sic dicens : *De Pelagianis quidem sensibus, blasphemisque sacrilegis, & apud majores nostros tam Dvinis quam humanis legibus justa discussione damnatis, nimis est copiosa materia, quia & illorum est multiplex pernicioſa perversitas, eôque nocentior, quò verissimilitudinis colore subtilior, quam de ipsius hamani generis principe, pravo funestoque commento non ritè conceptam, rerum consequentium mendaciis texuerunt.* Hæc Gelasius. Quibus verbis & prædictâ tota illa Epistola & aliis, Semipelagianorum potissimè errores damnavit, de quibus & inferiùs. Hoc enim solum hîc intendimus, quod Gelasius testatur, humanis legibus damnatos fuisse Pelagianos.

Tres autem humanas leges contra illos primulgatas invenio. Prima est Imperatorum Honorij, Theodosij, Paladio Præfecto, tenoris hujusmodi.

„ Ad conturbandam Catholicæ simplicitatis lu-
„ cem puro semper splendore radiantem, dolosæ ar-
„ tis ingenio, novam subitò emersisse versutiam,
„ pervulgata opinione cognovimus : quæ fallacis
„ scientiæ obumbrata mendaciis, & furioso tantùm
„ debacchata luctamine, stabilem quietem Cœlestis
„ conatur attrectare fidei ; dum novi acuminis com-
„ mendata vento, insignem notam Plebeiæ æsti-
„ mat utilitatis, sentire cum cunctis, ac prudentiæ
„ singularis palmam fore communiter approbata de-
„ struere. Cujus impiæ commendationis authores
„ Pelagium Cœlestiumque percrebuit, extitisse. Hi
„ parenti cunctarum rerum Deo, præcipuæque sem-
„ per Majestati, & ter omnipotenti, ultra omne prin-
„ cipium transeunti, tam trucem inclementiam sæ-
„ væ voluntatis assignant, ut cum formandi mundi
„ opificem curam sumeret, qualitatemque hominis
„ struendi profunda spiritus conceptione liberaret,
„ fundati muneris fidei anteferret exordium, & mor-
„ tem præmitteret nascituro, non hanc insidiis vetiti
„ fluxisse peccati, sed exegisse penitus legem immu-
„ tabilis constituti : ad declinandum leti exitialis in-
„ cursum nihil profecisse abstinentiam delinquendi,
„ cujus ita vis putatur adstricta, ut non possit aboleri
„ deinceps : primitivi hominis errorem, in quem
„ captæ mentis inops rationis cœcitas irruisset, di-
„ lapsum ad posteros non fuisse ; tantùmque apud
„ eum, quem malesuadæ gratiæ infœlix rapuisset
„ illecebra, transgressionem interdicti extitisse, &
„ discriminis. Cum evidens Catholicæ legis omni-
„ faria testetur authoritas, illum interitus omnium
„ fuisse vestibulum, quem Divinæ præceptionis se-
„ dulum liqueat corrupisse mandatum. Aliaque
„ quàmplurima, quæ sermo respuit, lex refutat,
„ quæ perpetuò cùm sit recordari, etiam sub dispo-
„ sitione plectendi : quæ maturato remedio, & cele-
„ ritate festina oporteat intercipi, ne corroborato
„ usu nequitiæ, Adolescentes vix valeant coërceri.
„ Siquidem aures mansuetudinis nostræ recens fama
„ perstrinxerat, intra sacratissimam Urbem nostram
„ aliaque loca, hoc pestiferum virus quorundam ino-
„ levisse pectoribus, ut interrupto directo credulí-
„ tatis tramite, scissis in partes studiis disserendi
„ monstra impacatæ dissensionis inducta sint, novo-
„ que scandali fomite concitato, beatissimæ Ecclesiæ
„ hactenus nutet intentata tranquilitas, aliis iter
„ aliud ancipiti interpretatione sectantibus. Et abso-
„ luta Sanctorum apicum claritas, ac dilucidè, quod
„ sequi universitas debeat, explanans, pro captu
„ vestipellis ingenij prophanam, novorum more an-
„ serum, moventibus quæstionem, Paladi parens cha-
„ rissime, atque amantissime.

„ Ob quam rem illustris tua authoritas victura
„ in omnem ævum lege nos statuisse cognoscat, ut
„ pulsis ex Vrbe primitùs capitibus dogmatis exe-
„ crandi, Celestio, atque Pelagio : Si qui hujus de
cætero sacrilegij sectatores quibuscunque locis
potuerint reperiri, aut de pravitate damnata ali-
quem rursus proferre sermonem ; à quocumque
correpti, ad competentem judicem pertrahantur,
quos, sive clerius, sive laicus fuerit, deferendi ha-
beat potestatem, & sine præscriptione aliqua per-
urgendi, quos relicta communis sententiæ luce,
novæ disputationis tenebras introferre deprehen-
derit, contra Apostolicam scilicet disciplinam,
Evangelicamque claram & sine errore sententiam
vafra rudis sectæ calliditate pugnantes, involuen-
tesque splendentem fidem veri ambagibus disse-
rendo.

Hos ergo repertos ubicunque de hoc tam ne-
fando scelere conferentes, à quibuscumque jube-
mus corripi, deductosque ad audientiam publicam
promiscuè ab omnibus accusari, itaut probatio-
nem convicti criminis stylus publicus insequatur,
ipsis inexorati exilij deportatione damnatis. Decet
enim originem vitij à conventu publico seque-
strari, nec in communi eos celebritate consistere,
qui non solùm facto nefario detestandi, verùm
etiam exemplo venenati spiritus sunt cavendi. Iu-
vat autem per omne penè Imperium nostrum,
qua mundus extenditur, hujusmodi promulgata
diffundi : ne scientiæ fortasse dissimulatio pastum
præstet errori, atque impunè se quisque putet
audire, quod condemnatum vigore publico sese
finxerit ignorare. Data pridie Kal. Maias Raven-
næ DD.N.N. Honorio XII. & Theodosio VIII.
A. A. Conss.

Aliud Imperiale edictum contra Pelagianos.

Imperator Constantinus Volusiano Præfecto
Vrbis. Cum te præteritæ superstitionis, tum re-
centis plenæ vanitatis, jam dudum corrigi jusseri-
mus, quotidianis insinuationibus major fieri nun-
tiatur. Et quoniam discordia animas commovere
solet Populorum, eaque iam dudum iusseramus,
præcepimus iterari : Unde his lectis eximietas tua,
omnes qui Dei invident pietati diligenter inqui-
rat, & eos faciat statim è muris Urbis expelli : ita
tamen ut ne intra centesimum quidem lapidem
habeant licentiam consistendi. Celestium quo-
que magis, ac magis ex urbe expelli mandamus.
Constat enim ex medio sublatis gratiam & concor-
diam tenere veterem firmitatem. Sanè deinceps
si tale quippiam fuerit nuntiatum, officium præ-
stantiæ tuæ capitalis sententiæ subdendum esse
cognoscet. Non enim patimur impunitum esse,
præcepta nostra exequutionis negligentiæ prote-
lari. Vale Parens clarissime & amantissime, & ad-
jecta subscriptio. Impleatur quod jussimus, quia
hoc famæ tuæ expedit.

Exemplar edicti propositi à Volusiano Præfecto Vrbis.

Volusianus Præfectus V. dixit. Hactenus Ce-
lestium Divinæ fidei & quietis publicæ turbato-
rem judiciis amica reis secreta subduxerunt. Iam
leges etiam edicti persequentur absentem. Cui
quod primum est, æterna Vrbis negatur habitatio,
ut si vel in proximis fuerit diversatus, debitum non
evadat exitium. Pro merito etiam temeritatis at-
que ausus sui, cunctos hujus edicti cautione præ-
monemus, ne quis iniquus noxio latebram putet
esse præbendam ; nè cũ hujusmodi sit posita pœna
supplicium, ac stylum necesse sit proscriptionis
incurrere, quisquis reum divinis humanisque le-
gibus apud se putaverit occultandum. Hujus edicti
jam supra mentionem fecimus agentes de Cele-
stio, & ejus erroribus.

Exemplar edicti præfectorum Prætorio.

[Junius quartus, Palladius, Monaxius, & Agri-
cola

Digitized by Google

cola iterum præfecti Prætorio dixerunt, adversus Pelagium atque Celestium Catholici dogmatis fidem suis tractatibus destruentes sententia Principalis invaluit, vt Venerabili Vrbe submoti bonorum consilio mulctarentur. Hoc igitur omnes admoneri oportet edicto, ne quis siniſtræ persuasionis erroribus credulum præstet assensum. Etsi ille sit plebeius, ac clericus, qui in caliginis huius obscœna residerit, à quocumque tractatus ad Iudicem sine accusatricis discretione personæ, facultatum publicatione nodatus, irrevocabile patietur exilium. Nam superna Majestas, ut colligit ex secreti ignoratione reverentiam, ita & ineptæ disputationis injuriam eximit per edictum.] Hactenus ibi.

Compressi non nihil hisce edictis Pelagiani, haud palam (ut antea fecerant) ausi sunt prædicare blasphemias. Meminit huiusmodi edictorum contra Pelagium Photius in sua Bibliotheca his verbis: *Scripsit etiam Constantinus Placidiæ vir, Valentiniani pueri Pater, ut exilio mulctaretur Celestius hereticus. Scripsit adversus eum sententiam Volusianus Præfectus Vrbis. Hic verò Volusianus avunculus fuit sanctæ Melaniæ, ethnicorum errores sectatus, colens Deos, in morte verò convertitur, & à Sancto Proclo baptizatur Constantinopoli.* Hucusque Photius.

Tertium imperiale edictum contra Pelagianos,

Incipit Epistola imperialis ad Aurelium Carthaginensem Episcopum

[Imperatores perpetui Honorius & Theodosius Augusti Aurelio Episcopo salutem. Dudum quidem fuerat constitutum, ut Pelagius & Celestius nefandi dogmatis repertores ab vrbe Roma, veluti quædam Catholicæ veritatis contagia pellerentur; ne ignorantium mentes sæva persuasione perverterent, in quo sequuta est clementia nostra iudicium sanctitatis tuæ, quæ constat eos ab universis iustæ sententiæ examinatione esse damnatos. Sed quia obstinati criminis pertinax malum, ut constitutio geminaretur coëgit, recenti quoque sanctione decrevimus: ut si quis eos, in quacumque Provinciarum parte latitare non nesciens, aut propellere, aut prodere distulisset, præscriptæ pœnæ velut particeps subjaceret. Præcipuè tamen ad quorumdam Episcoporum pertinaciam corrigendam, qui pravas eorum disputationes tacito consensu asserunt, vel publica oppugnatione non destruunt, Pater Charissime, atque amantissime, sanctitatis tuæ authoritate moneri conveniat, quatenus in abolitione præposteræ hæresis, omnium devotio Christianorum consentiat. Religio itaque tua competentibus scriptis universos faciet admoneri scituros diffinitione testimonij tui, hanc sibi definitionem esse præscriptam, ut quicumque damnationi supra memoratorum (quo pateat mens pura) subscribere impia obstinatione neglexerint, Episcopatus amissione mulctati interdicta in perpetuum expulsi civitatibus communione priventur. Nam cùm ipsi nos iuxta Synodum Nicænam confessione sincera conditorem verum omnium Deum Imperiique nostri veneremur auctorem non patietur sanctitas tua sectæ detestabilis homines injuriam Religionis nova & inusitata meditantes secretis tractatibus occultare sacrilegium publica semel authoritate damnatum. Vna enim eademque culpa est eorum, qui aut dissimulando convenientiam aut non damnando favorem noxium præstiterint. Et alia manu: Divinitas te per multos annos servet incolumen Pater charissime, atque amantissime. Data quintò Idus Junias, Ravennæ, Monaxio, & Plintha Coss. Ad sanctum Augustinum Episcopum datum rescriptum.

Omnibus autem tum Conciliorum, tum summorum Pontificum, tam etiam Imperatorum edictis modò relatis hæresis Pelagiana cum suis primis authoribus, Pelagio, Celestio, atque Iuliano damnata fuit, ut ex ipsorum decretorum expressis verbis constat apertè, quia non dum Massilienses, sive posteriores Pelagiani, qui vulgò Semipelagiani dicuntur, inceperant pullulare. De quibus Semipelagianis, qui nempe fuerint, & quid dixerint, & in quo à prioribus differrent, dicamus oportet. Post Iulianum primus Semipelagianus videtur Vitalis ille fuisse, contra quem scribit S. P. August. Epistolam illam 107. notissimam, quæ videtur ante libros de prædest. sanct. scripta.

Digitized by Google

TRACTATVS QVINTVS,

DE CASSIANO ET FAVSTO SEMIPELAGIANIS & eorum erroribus.

CAPUT I.

Vnde Cassiani & aliorum Semipelagiorum errores traxerint originem, deque moribus, & patria illius.

CAssianvm natione Scytham apud Massilienses Presbyterum similiter & Faustum Reghiensem Episcopum semipelagianos, ipsorum scripta quæ contra Dei gratiam protulerunt, notissimos reddidere.

Horum Semipelagianorum secta in Iuliano illo capuano incepit, ut diximus supra. Etenim Iulianum si quis sedulò attendat, caput eorum fuisse comperiet: isti enim damnatam toties Pelagianam hæresim quasi novis vocibus temperantes, voceque ab illa se distare longiùs profitentes, imò sola voce ipsam damnantes, in eamdem reipsa miserè inciderunt: Unde sicut contra priores Pelagianos Divina Providentia magnum doctorem destinavit Augustinum, ita & contra istos priorum Pelagianorum discipulos sanctum Prosperum Aquitanicum Episcopum & S. Hilarium Arelatensem Pastorem magni sancti Augustini discipulos præparavit, cum S. Fulgentio, Petro Diacono, & sociis, qui ab Oriente Romam missi, gloriosè contra Semipelagianos dimicarunt.

Pelagianorum ergo venenum, quod priùs Siciliam & Orientem infecerat, novis coloribus occultatum per Cassianum & Faustum Gallis & potissimè Massiliensibus propinatur: Vnde & error Massiliensium nuncupatur. Et cum in hac materia Massilienses nominantur, posteriores Pelagiani sive Semipelagiani intelliguntur Cassianus & Faustus, cum aliis sui erroris consortibus.

Fuerunt Cassianus & Faustus tum vitæ opinione, tum sanctitatis specie summo cum honore à populo celebrati, & altero illorum ad Episcopale fastigium assumpto, cum illius dignitate crevit periculum maius, quod sub his verbis proponit Prosper sanctæ Patri Augustino in Epistola ad ipsum missa, quæ habetur ante librum de prædestinatione sanctorum: *Sed ad authoritatem talia sentientium non sumus pares, quia multùm nos, & vitæ meritis antecellunt & aliqui eorum adepto nuper summo sacerdotij honore supereminent, nec facilè quisquam præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos armatores, tantis superiorum disputationibus ausus est contraire.* Et S. Hilarius in alia sua Epistola quæ etiam habetur ante lib. de prædest. Sanctorum idem refert sub his verbis: *Sunt ex parte tales personæ ut iis consuetudine Ecclesiastica laïcos summam reverentiam necesse sit exhibere.* Ab his ergo periculosum in Ecclesia bellum excitari videbatur, non ab hostibus; sed ab his, inquam, qui valde Catholici putabantur. Quis enim caveret hostem quem in castris fidelium militantem, in hostes jecisse priùs jacula vidisset? Talis Cassianus fuit qui cum adversus Nestorium pervtile opus de Domini incarnatione edidisset, eodemque volumine Pelagium vehementer exagitasset, postea latenter gratiam Dei impugnat. Quod etiam & Faustum callidè procurasse, dicemus inferius.

Sub hac igitur specie sanctitatis, cùm essent aliàs acuti & literati satis Cassianus & Faustus, cœperunt doctrinam sancti Augustini laniare, & quod non bene de prædestinatione & gratia contra priores Pelagianos scripsisset, publicare. Quorum intentionem satis operibus declaratam S. Prosper secundus post Augustinum eximius gratiæ defensor apetit in præfatione libri contra collatorem Cassianum sub his verbis, quæ licet longiora sint, illa tamen transcribere oportet, ut qualitates illarum personarum ab omnibus notentur. [Gratiam Dei, *inquit*, qua Christiani sumus quidem dicere audent à sanctæ memoriæ Augustino Episcopo non vere esse defensam, librosque eius contra errorem Pelagianum conditos, immoderatis calumniis impetere non quiescunt. Quorum intus interstrepens domestica malignitas non minus spernenda esset, quàm foris latrans hæretica loquacitas, nisi ejectis extra ovile dominicum lupis, sub nomine ovium

suffra

ſuffragarentur, eſſentque ejuſmodi, ut nec ordo eorum in Eccleſia, nec ingenia deſpicienda videantur. Siquidem habentes ſpeciem pietatis in ſtudio cujus virtutem diffitentur in ſenſu, trahunt ad ſe multos ineruditos,& non habentia ſpiritum diſcretionis corda conturbant, atque in eum ſtatum deducere cauſam Eccleſiæ moliuntur, ut dum noſtros affirmant non veraciter pro gratia locutos, inimicos gratiæ perſuadeant injuſtè damnatos eſſe. Non ergo negligendum eſt hoc malum, quod ab occultis parviſque ſeminibus augetur quotidie, & ab ortu ſuo longiùs latiuſque diſtenditur: ſed ſtudendum eſt, in quantum Dominus adjuvat, ut fallacium calumniatorum hypocriſis detegatur, qui ex ipſa iniuriæ magnitudine, quam in uno, cunctis ac præciputè Apoſtolicæ Sedis Pontificibus intulerunt ab indoctis, & parum cautis excellentioris ſcientiæ iudicantur, & miſero perverſoque ſucceſſu facilem mendacio conſenſum eliciunt, quia reverentiam ſibi præſumptione pepererunt. Nec enim cum ſint bonæ opinionis viri, creduntur vllo modo tarditate intelligentiæ, aut temeritate iudicij in ſuperfluæ querelæ conclamationem potuiſſe prorumpere, ac non potiùs magno ingenio, ac vehementi ſtudio laboraſſe, ut ſubtiliſſimi tractatoris diſputationibus comprehenſis, cenſura nunc diſtrictior, & inſpectio ſagacior inveniret, quod antea ſecurus fauor & benignitas incurioſa non viderat. Vnde ergo hæc diligentia tam ſeveri emerſit examinis? Vnde in hanc auſteritatem ſupercilium tam tetricæ frontis ſe armavit, ut menſuras ſenſuum, pondera locutionum, numeros ſyllabarum inſidioſus ſervator eventilet, magnumque ſe aliquid conficere præſumat, ſi Catholico prædicatori notam erroris affigat. Quaſi incognitum aliquod opus, & quod hactenus latuerit, impetatur, ac non illa his morſibus doctrina lanietur, quæ novorum hæreticorum commenta diſiecit, & diabolicum tumorem Pelagianæ elationis eliſit. *Et poſt alia ita proſequitur.* Nec ad obſcurandam ſcientiam doctiorum ea exagitare videamur, quæ vulgus ignobile, & procax ineptorum loquacitas intemperanter effundit; unius Caſſiani potiſſimum definitiones, quem non dubium eſt illis omnibus in ſanctarum ſcripturarum ſtudio præſtare referemus, quas etiam ob hoc ſolum interim in diſceptatione oportet aſſumere, quia vtrum ita ſe habeant non poteſt dubitari, ſcriptæ enim ſunt, & authoris ſui editione publicatæ, nec iam an ſit querendum eſt, ſed quid doceant demonſtrandum. Igitur in libro, cujus prænotatio eſt de protectione Dei, vir quidam ſacerdotalis ordinis Caſſianus, qui diſputandi uſu inter eos, quibuſcum degit, excellit, Abbatem quendam introduxit, de gratia Dei & libero arbitrio diſſerentem, cujus ſe oſtendit per omnia probaſſe, & ſuſcepiſſe ſententiam, ut iam non cum illo nobis ſit negotium, qui fortè tales opiniones ſuas aut negando refutaret, aut corrigendo dilueret, ſed cum iſto, qui ad inſtrumentum inimicorum gratiæ Dei talem ſtuduit proferre doctrinam:]Hucuſque S. Proſper.

Quibus verbis S. Proſper Fauſtum, & Caſſianum vulgò celebres, & famâ perdocta diſcribit, & illorum proprietates diffinit, & cap. 41. eiuſdem libri poſtquam omnes errores Caſſiani retulerat, nec ipſum diſſentire à Pelagio monſtrarat, ita concludit: *En cujus dogmatis ſunt magiſtri, qui ut Catholicarum mentium caſtitatem gratiæ defenſoribus calumniando, corrumpant, præcipuum noſtro tempore in doctrina Eccleſiaſtica virum rabido ore diſcerpunt, creduntque ſe omnia authoritatum munimina poſſe convellere, ſi hanc paſtoralis ſpeculæ validiſſimam turrim crebra Pelagiani arietis illiſione pulſaverint: firmum quidem fundamentum Dei ſtat, ſed congruenter iſti non deſunt partibus ſuis, dignum quippe eſt, ut quorum ſequuntur ſententiam, imitentur inſaniam: nec enim alia poſſunt dicere, quàm quæ damnatorum querelis, & procaciſſimis Iuliani ſunt vulgata convitiis, paria ſunt unus ſeminis germina & quod latebat in radicibus, manifeſtatur in fructibus. Non ergo cum illis nova acie dimicandum, nec quaſi contra ignotos hoſtes ſpecialia ſunt ineunda certamina: tunc iſtorum machinæ fractæ ſunt, tunc in ſuperbiæ ſociis, ac principibus corruerunt, quando beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apoſtolico mucrone percuſſit.* Et cap. 44. iterum dicit: *Igitur hujuſmodi hominum pravitati, non tam diſputationum ſtudio, quam authoritatum privilegio eſt reſiſtendum, ut de proſtrati dudum dogmatis corpore nullum membrum ſinatur aſſurgere. Quia notum eſt ita ſe falſitatis iſtius habere verſutias, ut ſi eis liceat prætenſæ correctionis imagine aliquod ſibi faventium radicis ſuæ germen excipere, totam ſe poſſit in exigua ſui parte reparare. Vbi enim non aliud habet ſumma quam portio, non eſt devotionis dediſſe prope totum, ſed fraudis retinuiſſe vel minimum. Quod ne hypocritarum obtineatur inſidiis, confidimus Domini protectione præſtandum.* Et iterum ibi: *Sunt enim quidam iuſtiſſimè damnati, qui impietates adhuc liberiùs defendendas putant, & ſunt qui occultiùs penetrant domos, & quod in aperto damnare iam metuunt, in ſecreto ſeminare non quieſcunt. Sunt autem qui omnino ſiluerunt magno timore compreſſi, ſed adhuc corde retinentes, quod ore iam proferre non audent, qui tamen eſſe fratribus poſſunt ex priore ipſius dogmatis defenſione notiſſimi. Proinde alij ſeveriùs ſunt coërcendi, alij tractandi quidem leniùs, ſed non ſegniùs ſunt docendi, ut ſi non timeant ne perdant, non tamen negligantur ne pereant.* Quæ verba S. Proſper ex ſancto Auguſtino accepit Epiſtola 105. Et cap. 44. eiuſdem libri. *Ne hypocritarum obtineant inſidiæ confidimus Domini protectione præſtandum, ut quod operatus eſt in Innocentio, Zozimo, Bonifacio, Cœleſtino, operetur & in Sixto, & in cuſtodia Dominici gregis hæc ſit pars gloriæ huic reſervata Paſtori, ut ſicut illi ſuperbos, Pelagianos videlicet abegere manifeſtos, ita hic depellat occultos.* Et in proſa de ingratis iterum ſic dicit.

Quid prodeſt verbis commentum Pelagianum
Reſpuere, & ſola damnatos plectere voce,
Cum paucis ſqualida ſublatis de cute nervis
Intima viperei foveantur viſcera ſenſus.

Et Epiſtola ad Ruffinum, Semipelagianorum magis detegens doctrinam, ita dicit: *Damnatum à Catholicis ſenſum & multis poſtea hæreticæ fraudis varietatibus coloratum hoc apud ſe ingenio ſervarunt, ut ad incipiendum & proficiendum & ad perſeverandum in bono neceſſariam hominis Dei gratiam profiterentur. Sed in hac profeſſione quomodo vaſa iræ, molirentur irrepere, ipſa Dei gratia vaſis miſericordiæ revelavit. Intellectum eſt enim ſaluberrimèque perſpectum, hoc tantum eos de gratia confiteri, quod quædam libero arbitrio ſit magiſtra, ſeque per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creaturam, per contemplationem, per miracula, perque terrores extrinſecus iudicio ejus oſtendat, quod unuſquiſque ſecundùm voluntatis ſuæ motum, ſi quæſierit inveniat, ſi petierit recipiat, ſi pulſaverit, introeat.* Hæc S. Proſper dicit, & alia multa, quæ ob brevitatem omittimus contra Caſſianum, & Fauſtum, cæteroſq; Maſſilienſes doctrinæ S. Auguſtini impugnatores in materia de gratia. Quæ S. Proſperi verba contra Caſſianum collatorem apertè oſtendunt, illum ex propria ſententia aſſertivè fuiſſe locutum, vel ex alterius ſibi valde placente. Quia alias nihil ex ſententia Caſſiani in omnib⁹ collationibus Patrum haberemus: quod eſt contra communem ſanctorum intelligentiam, referebat ergo ſententiam: ſed quia non refutabat, approbabat, imò

Digitized by Google

suam propriam faciebat, ut in fine illius collat. 13. satis ostendit cum dicit : *Hos nos B. Cheremon confirmatos cibo laborem fecit tam invij itineris non sentire.* Vnde sine causa illum excusat Henricus Cuychius prætendens, quod assertive non loquatur.

Tanta autem in hac materia sancti Prosperi authoritas est, ut quæ ex ipso retulimus, apertè convincant Cassianum Pelagianorum errore fuisse detentum : nam præter eximiam vitæ sanctitatem, qua sanctus Prosper floruit, eum Romana Ecclesia in Martyrol. 25. Iunij dicit, eruditione & pietate insignè adversus Pelagianos pro fide Catholica strenuè decertasse. Vbi uno ictu & Prosperum defensorem gratiæ commendat, & Cassianum quem potissime expugnavit, suppresso eius nomine eodem vituperabili titulo, quo sanctus Prosper eum insignit notans, verbo vno quæ adversus illud ex Sancto Prospero retulimus mirificè confirmat, & Pontifex summus Gelasius in Romano 70. Episcoporum Concilio ita eum commendat. *Custodienda, & recipienda, & decernimus, & mandamus : Item opuscula Prosperi viri Religiosissimi, opuscula Cassiani Presbyteri Galliarum apocripha.* Quid autem per apocripha intelligat infra dicendum : Nunc enim pro authoritate sancti Prosperi Gelasium inducimus, qui sicut eum de Religione & doctrina concelebrat, ita eius adversarium Cassianum vituperat. Canones etiam Concilij Arausicani secundi, qui à sancto Prospero dicuntur compositi, & ab Ecclesia sunt approbati, & pro fide propositi contra Pelagianorum reliquias, doctrinam sancti Prosperi in hac parte mirificè confirmant. Sufficit ergo quod supradicta de Cassiano Prosper affirmet, ut pro tali ab omnibus habeatur. De sancto Prospero etiam hæc habet Card. Bellarm. in libro suo de scriptor. Eccles. impresso sub anno 1613. pag. 127. *Sanctus Prosper multa præclare scripsit pro gratia Christi contra Pelagianos, seque sancti Augustini discipulum, & defensorem acerrimum demonstrat.*

Sed nec sanctus Prosper solum notat Cassianum, sed & alij illius temporis authores ipsum Cassianum reprehendunt. Isidorus enim Pelusiota Epistola 309. ad eundem Cassianum, ista in eum protulit : *Te caducam, & corruptioni obnoxiam vitam fugisse atque ad Monasticum studium cursum contendisse audio, atque interim tamen procacem, ac petulantem linguam habere ac temere loqui.* Quod ideo dictum puta, quia doctrinam sancti Augustini rodebat. Vnde & illum temerè loqui affirmabat.

Ado præterea Viennensis Episcopus in Cronico ad annum Domini 425. ita habet : *Cassianus quoque scytha natione, Constantinopoli à Ioanne Episcopo ordinatus apud Massiliam Vrbem Presbyter moritur, qui inter alia, institutionum librum scripsit. Opera illius à Catholicis cautissimè legenda maximè de libero arbitrio & gratia, sed & Encratitarum hæresi incautius fuvit. Errores illius Cassiodorus Ravennatium senator purgare volens, nec ad plenum omni ex parte potuit. De expurgatione etiam errorum ipsius Cassiodorus ipse libro divinarum institutionum cap. 29. Cassiani dicta Victor Martyritanus Episcopus Afer ita Domino iuvante purgavit, & qua minùs erant, addidit ut ei rerum istarum palma meritò conferatur.* Tot ergo doctores gravissimi, & non solum S. Prosper, Cassianum graviter errasse fatentur. Quod autem de expurgatione inducunt, quidquid illud sit in materia tamen liberi arbitrij, codices, qui circumferuntur, minus correcti grassantur cum erroribus illis, quos in ipso S. Prosper expugnat.

Nec illud prætereat, quod Sigibertus in Cronico ad annum Domini 425. proponit, ejectum videlicet Cassianum de Ecclesia Constantinopolitana à Ioanne Chrysostomo, & Vincentius Bellovacensis lib. 19. Speculi histor. cap. 14. confirmat, & S. Antoninus 2. p. histor. tit. 10. cap. 10. §. 2. quis enim dicat S. Chrysostomum, nisi justis de causis illum à sua Ecclesia expulisse ? Iam ergo tunc aliquid damnabile in ipso deprehendebat Antistes sanctus, ob quod illum extra suam, Ecclesiam fecit exulare.

CAPVT. II.

Quod perperam Gennadius & alij, Cassianum atque Faustum conentur à Pelagianorum erroribus liberare, immunesque exhibere.

NE autem aliquis audeat cum Gennadio proferre quòd S. Prosper Cassiani dogmata infamaverit veluti nociva, cum Ecclesia Dei ea probet esse salutaria, & quàm falsò hoc asserat Gennadius, & qualiter in hoc gravissimè erret non solum contra sanctum Prosperum, cuius ut dicemus, magna in hac parte est authoritas, sed etiam contra Pontifices summos, erit aperiendum. Imò illud aperuit satis Gelasius Papa cap. *Sancta Romana* dum eadem Cassiani opuscula uti apocripha, & minimè catholica refutavit : Nec mirum Gennadium carpere sanctum Prosperum ; quia Cassianum & alios posteriores Pelagianos debellaret, quia fuit & Gennadius de illorum numero, qui Cassiani sequendo doctrinam hæresi consensit Pelagianæ, constituendo Dei gratiam in invitationibus tantum & excitationibus ; ut constat primo ex libro de Ecclesiæ dogmatibus falsissimè sancto Augustino ascripto à Molina in concord. quæst. 14. art. 13. disp. 12. cum sit ipsius Gennadij, & ut talem Mag. sent. & Sanctus Thomas citant, & recte doctores Lovanienses manifestant in Epistola præmissa ante opera S. Prosperi. In hoc enim lib. cap. 21. in illis verbis : *Manet itaque*, manifestè ait, in homine post lapsum mansisse electionem ad quærendam salutem, sed admonente priùs Deo, & ad eam invitante ut liberum arbitrium eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est inspiratione Dei, quòd Pelagianæ hæreseos esse constat, de quo libro Eccles. dogmat. copiosiùs nostro secundo lib. tractamus. Rursus in libro de viris illustribus S. Hieronymo præfert Ruffinum, quem summus Pontifex Gelasius in cap. *Sancta Romana* damnat, sicut malè de arbitrio sentientem, approbans Hieronymum, qui bene de hoc ipsum notarat. Item S. Augustinum dicit ex multiloquio non fugisse peccatum, sed libet verba Gennadij referre quibus S. Prosperum condemnat. *Legi & librum Prosperi in personam Cassiani adversus opuscula Cassiani sub persona collatoris, quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nociva. Quæ enim vera Cassiani & Prosperi de gratia & libero arbitrio sententiæ fuerunt in aliquibus sibi contrariæ inveniuntur. Hic etiam Prosper post obitum Beati Augustini librorum eius contra hæreticos inimicos gratiæ Christi defensor extitit.* Hæc quidem Gennadius, sed ut rectè Cardinalis Baronius notat, dum Prosperum damnat, absolvit, & dum Cassianum absolvit damnat. Etenim si Prosper impugnat Cassianum, & defendit Augustinum, plane Cassianum condemnat, & S. Prosperum defendentem Augustinum absolvit. Præfatio etiam ad libellum aureum Vincentij Lyrinensis ex impressione Coloniæ 1600. Gennadium vocat Pelagianorum amicum.

De Fausto etiam sic dicit Gennadius in lib. de viris illustribus. *Edidit quoque opus egregium de gratia Dei qua salvamur & libero humanæ mentis arbitrio, in quo saluamur, in quo opere docet gratiam Dei semper, & invitare, & præcedere & juvare voluntatem nostram, & quidquid ipsa libertas arbitrij præ-*

laboret

Digitized by Google

labore piæ mercedis acquisierit non esse propriè meritum, sed gratiæ donum. Quibus doctrinam Fausti damnatam, ipse laudat; sed quam immeritò hæc de illo scribat infra ostendemus. Præterea Gennad. laudat aliqua Pelagij opera, quæ S. Hieronymus dialogo contra Pelagianos dixit esse hæresib⁹ plena. Approbat etiam Gennadius duos Fausti lib. de gratia. & lib. arbit. quos per Ecclesiam esse damnatos manifestabimus infra. Denique contra apertissimam sententiam Gelasij in Concilio septuaginta Episcoporum, (ubi aperte opera sancti Prosperi approbantur, & contraria Cassiani damnantur) ipse Gennadius è contrario non sine mendacio magno dicit sancti Prosperi opera damnari, & Cassiani approbari. Quæ omnia apertè manifestant Gennadium in errore Semipelagianorum involutum fuisse, & ob id contra sanctum Prosperum eximium gratiæ defensorem, sicut consueverunt alij Pelagiani, latrare, Nec hîc intendimus rem luce clariorem aperire, magnam videlicet authoritatem sancti Prosperi contra hos semipelagianos, quam & Gelasius supra commendat, & canones Concilij Arausicani sub Leone primo, imò per Leonẽ primum, quos à S. Prospero elucubratos & luci traditos & ab ipso approbatos & pro fidei diffinitionibus Ecclesiæ propositos fuisse, traditione habetur; quod & Doctres gravissimi affirmant, imò ex his contra quos disputamus multi asserunt. Et tandem cum sancti Augustini in hac parte per Pontifices plures sit approbata sententia, ut suo loco dicetur, ratione eadem & sancti Prosperi doctrina, quæ ipsissima est cum doctrina sui Magistri, approbata perseverat. Cum Cassiano ergo in eius damnata doctrina errat Gennadius, qui illam approbari per Ecclesiam mentitur, & contra S. Prosperum obmurmurat.

Insuper in præfatione ad librum de Ecclesiasticis dogmatibus impressione Lugduni 1586. ita habetur. *Cum tamen fuerit* (scilicet Gennadius) *Presbyter de factione Gallorum, contra quam scribunt Prosper, & Hilarius Augustino, & contra quam congregatum fuit Concilium Arausicanum secundum. Porrò ut sæpius in Cathalogo virorum illustrium graves habet errores, sic & in his dogmatibus Ecclesiasticis quædam habet à lectore cavenda, prout ad marginem suis locis est notatum. Sanè hic author nusquam in hoc libro meminit peccati originalis, aut baptismatis infantium in remissionem peccatorum. Cumque in ultimo nominet hæreticos, nusquam meminit Pelagij, aut Catholici dogmatis contra eum prolati; sed econtrà diligenter inculcat animas non esse ex traduce, eò quod sciret Pelagium inde suum dogma statuere:* Unde Cardinalis Baronius tomo 5. anno 433. ita Cassianum describit, *& Cassiani collega Gennadius de viris illustribus cap. 63. illum sanctum vocat, dicens: sed & sancti Cassiani quædam opuscula lato tensa sermone, idem Eucherius angusto verbi resoluens tramite in unum coëgit volumen;* De Gennadio etiam hæc dicit Cardinalis Bellarminus in lib. de scriptor. Eccles. Romæ excuso sub anno 1613. pag. 130. *scripsit* (nempe Genadius) *librum de viris illustribus, in quo suspicionem non parvam reliquit suæ non rectæ fidei, laudavit enim Cassianum & Faustum qui Semipelagiani fuerunt, & Sanctum Prosperum depressit, qui pro gratia Dei contra Pelagium fortissimè dimicauit.*

Similiter de Ioanne Trithemio notaverim, quod in Cathalogo illustrium virorum dicit mortuum fuisse Cassianum non sine opinione sanctitatis, Theodosio & Valentino Regnantibus anno Domini 435. Quæ verba forte causam dederunt ut aliqui Ioannem Cassianum pro sancto celebrent, & ego audivi paucos quosdam Romæ ipsum appellare sanctum Ioannem Cassianum: imò ab aliquibus dum de Divina gratia Romæ coram Clemente VIII. Pontifice summo ageretur, nescio qua intentione particulæ ex ossibus Ioannis Cassiani sicut reliquiæ venerandæ tradebantur, licet non ita publicè, quas Pontifex ille Magnus, qui optimè noverat damnatatam Cassiani doctrinam manifestè rejecit. Ego autem in sancto Prospero contrariis omnino nominibus illum audio insigniri in verbis relatis. De illo primò dicit speciem sanctitatis habuisse, sed eius virtutem in sensu negasse. Secundò affirmat ipsum esse fallacem, calumniatorem, hypocritam; & illius plures versutias detegit, & illum tenuisse sententiam Pelagianam contra peccatum originale, & Divinam gratiam novis palliationibus offuscatam aperte docet. Imò citatis verbis ex Epistola ad Ruffinum illos vocat vasa iræ, cum dicit, *quod vasa iræ moliebantur irrepere.* Hæc omnia si illum ostendunt sanctum virum, qui illum ita celebrant attentè considerent.

Unde non placet, quod Recentiores quidam sæpe Cassianum, & Faustum vocant viros pios & religiosos à Pelagij hæresi alienos; nam ipsos hæresim tenuisse Pelagianam, & parum ab illa discrepasse manifestabimus infra. Non ergo de pietate vel Religione laudandi sunt, sed rejiciendi. Mirum est enim quod eos ignorantia possit excusare post tot diffinitiones contra priores Pelagianos promulgatas. Qua ratione sanctus Prosper, ubi supra, elationi curiositati & hypocrisi eorum pertinaciam in similibus divulgãdis adscribit. Vnde rectè ab his authoribus dissentiens Card. Bellarm. lib. 6. de gratia & lib. arbit. cap. 4. sic habet. [Jn qua quæstione eosdem habemus adversarios, quos in superiori, Pelagianos videlicet & qui Pelagianis occultè & sub nomine catholico in Galliis favere studuerunt, Cassianum Faustum & alios, (& paucis interjectis:) quibus præcipuè restiterunt sanctus Augustinus in lib. de prædest. sanct. & de dono perseverantiæ; S. Prosper in lib. contra collat. & S. Fulgentius libro de incarnatione & gratia Christi à cap. 13. usque ad finem. Dicitur etiam ab Adone Viennensi in Cronico ad annum 500. egregiè contra Faustum scripsisse S. Alchimũ Avitũ virũ eloquentissimum non solum oratione soluta, sed etiam carmine, sed liber ejus injuria temporum interijsse videtur; (Et in fine capitis ait:) Accedit postremò damnatio operum Cassiani & Fausti in Concilio Romano præsidente sancto Gelasio Papa, quæ habetur in decreto Gratiani distinct. 16. canon. *sancta Romana.* Non enim alia de causa opera Cassiani & Fausti, quæ alioquin multa valde utilia continent, in apochryphis numerantur, nisi propter sententiam istam de bonis operibus ad pietatem pertinentibus, quæ illi sine adjutorio gratiæ fieri aut inchoari posse disputabant. Quibus adde, (inquit) Faustum propter hos errores habitum fuisse Pelagianum hæreticum, ut testes sunt Isidorus in lib. de scriptoribus, Ado Viennensis in Cronico, & author vitæ sancti Fulgentij cap. 26. Quod si vir doctissimus Ruardus Tapert observasset, non tam sæpe Faustum catholicum appellasset.] Hæc Cardinalis Bellarminus, Quem si ex sua societate aliqui pariter observassent non frequentissimè Cassianum, & Faustum catholicos dicerent.

Præterea id etiam observandum Henricum Cuychium virum doctum annotationibus in Cassianum annotatione secunda minus attendisse, dum excusat ab errore Cassianum in libro saltem duodecimo de institutis cœnobiorum cap. 11. 12. 13. & 14. Vbi Cassianus initium aliquod salutis nostræ nobis tribuit: Excusat, inquam, illum, quia ut ait, à cap. 10. usque ad 19. mirum in modum gratiam contra Pelagium asserens, affirmat irritos esse conatus nostros nisi à gratia Dei adjuventur. Propter hanc enim rationem illum ab errore non debuit excusare, aliàs ex-

Digitized by Google

cuſet etiam totam collationem 13. Cheremonis ubi paſſim hoc affirmat Caſſianus, in quo ipſum Henricus Cuichius non excuſavit, imò dixit in illa collatione decima tertia hæreticam doctrinam contineri, ſed illam Caſſianum non aſſertivè, ſed tantum relativè proponere: ſine cauſa tamen illum excuſat. Eum non relativè ſed aſſertivè loqui tota illa collatio manifeſtat; & S. Proſper de illa ipſum ut ſequentem Pelagianiſmum acriter impugnat: Sicut ſine fundamento & cauſa illum excuſat in prædicto libro 12. in citatis capitibus. 11.12.13.& 14. quod loquatur de illo initio, ſeu boni operis occaſione præſtita ab hominibus jam fidelibus, qui fide & auxiliis gratiæ adjuti illam occaſionem Deo præbent cum totum oppoſitum conſtet ex capitibus illis; ubi ſatis Caſſiani intentio verbis deprehenditur expreſſiſſimis. Non etiam mirum in modum contra Pelagium gratiam Dei deffendit Caſſianus, quod cum Henrico multos Recentiores video affirmare, imo in illam hæreſim divinæ gratiæ inimicam paucis quibuſdam accidentibus mutatis, ut dicemus, manifeſtè corruit. Ipſe enim gratiam Dei excitantem, ſive invitantem non negavit, quam dixit adjuvare conatus noſtros prius ex naturæ viribus à nobis elicitos; ſed in vtroque erravit, quia nec gratiam quam debebat fateri, conſtituit, nec illam ad ſingulos actus neceſſariam dixit, ſed ſecundum meritum illorum priorum conatuum reipſa dari ſentiebat. Non etiam Petrus Ciacon Caſſianum debuit aut potuit excuſare in annotationibus ad eundem Caſſianum additis in editione Romana anno 1588. ubi doctrinam illius collationis 13. excuſat dicens intelligendam eſſe de diſpoſitione remota ad gratiam, falsò putans non pertinere ad errorem Pelagianorum diſpoſitionem remotam ad gratiam ex ſolis naturæ viribus admittere: Ad errorem enim Pelagianorum pertinet diſpoſitionem talem defendere, cum in illa ponatur initium boni operis ex ſolis naturæ viribus, quem fuiſſe errorem Pelagianorum ubique docet ſanctus Thomas 2. 2. q.6. art.1.3. contr. gent. cap.152. in fine. 1.p.q.23. art.1. item eodem 3. lib. cont.gent. cap.149. quodlib.1.art.70.

Verum eſt non inveniri per Pontifices ſummos perſonam Caſſiani damnatam, ſicut invenimus damnatam perſonam Pelagij, Celeſtij, & Iuliani, ſed tantùm ſententiam Caſſiani dicimus apertè damnatam in materia gratiæ & liberi arbitrij. Vnde ſanctus Proſper de Caſſiano & ſimilibus ita dicit lib. cont. collat. verſus finem. *Quorum tamen, dum adhuc non ſunt à fraterna ſocietate diviſi, toleranda magis eſt intentio, quam deſperanda correctio, donec Dominus per Eccleſiæ Principes, & legitimos judiciorum ſuorum miniſtros hæc quæ per paucorum ſuperbiam, & quorundam imperitiam ſunt turbata, componat.* Quibus verbis Caſſianum non damnatum in perſona affirmat, ſed in doctrina.

Illud etiam non omittendum, Antonium Poſſevinum tomo 2. ſui apparatus pag.131. impreſſo anno 1596. laudare prædictas obſervationes in Caſſianum, cum illas reprobare deberet, ſic enim ait: *Ea igitur obſervationes ad calcem libri adjectæ prælegendæ ſunt his qui librum hunc* (ſcilicet Caſſiani) *alioquin vtiliſſimum, & à ſanctis Benedicto, & Thoma Aquinate teri ſolitum verſare voluerint, ac debuerint. Præſertim cum Caſſianus ijs de gratia & lib. arb. locis adeo pugnantia ſecum proferat, ut ex Pelagianorum potius diſputationibus, quorum ſententias refert, quam ex ſuo ſenſu deprompta eſſe videantur. Quod & ipſe alicubi admonere videtur.* Hæc ille. Multùm certè laborant recentiores iſti Theologi in Caſſiani excuſatione inutili, multaque perinde dicunt falſa nimis, quia obſervationes potius, quas iſte author laudat, prælegendæ ſunt ut vitentur, tam ipſæ quam collatio 13. Caſſiani, cui ut conciliationes adhibentur. Quod autem dicit Caſſianum non ex propria ſententia loquutum, frivolum eſt. Nec quia aliquando quod videtur affirmare, videtur negare, hujus eſt indicium: ſed potiùs arguit & manifeſtat quod callidè & aſtutè loquatur, & aliquando ſe abſcondat, aliquando ſe manifeſtet magis, ut ſimiles, teſtante ſancto Auguſtino, facere ſolent.

Prætereà illud ultimo notaverim, authorem alium, qui ſcholia inſerit Cronicis ſancti Antonini Archiepiſcopi Florentini, irreverenter nimis in ſanctum, & in doctrinam periculosè, ne quid gravius dicam, proferre; dum ſanctum Antoninum reprehendentem Caſſianum, in collatione prædicta decima tertia Cheremonis, quod male de libero arbitrio ſentiat, ipſe è contra dicit obrepiſſe in ſancto Antonino errorem, multa ibi haud doctrinæ rectæ conſona inculcans in explicationem & excuſationem Caſſiani. De quibus tamen non vacat per ſingula dicere, ſed hoc tantum ſumma brevitate indicare.

CAPUT III.

Quis fuerit Fauſtus, quibuſve moribus ornatus.

SED jam veniamus ad Fauſtum Reghienſem Epiſcopum, qui in doctrina Pelagianus fuit, ut illi ſui duo libri (qui inſcribuntur de gratia & humanæ mētis arbitrio,) ſatis apertè manifeſtant. Circa quos illud neceſſariò advertertendum, quod ipſiſſimi ſunt qui à Gelaſio damnantur cap. *ſancta Romana*: Vnde audiendi nullomodo ſunt, qui ut liberius doctrinam ejus defendant, dicunt Fauſtum priores alios libros contra Divinam gratiam ſcripſiſſe illoſque à Gelaſio prædicto cap. eſſe damnatos, non verò iſtos, quos modò retulimus, & quos dicunt doctrinam continere Catholicam, atque à Fauſto fuiſſe conſcriptos jam ab erroribus liberato per Fulgentium & Petrum Diaconum. Qui enim iſta nunc publicant, ſi jam non ex ignorantia procedant, nova arte Pelagianam doctrinam in illis contentam libris, iterum intromittere laborant.

Quod autem iſti duo libri Fauſti, qui modò relati ſunt, ſint à Gelaſio damnati conſtat primò ex Ioanne Maxentio, cujus habes notationem brevem, ſicut antidotum ad prædictos libros eodem quinto tom. Biblioth. veterum Patrum, qui Maxentius eadem verba præfert & damnat ex Fauſto, quæ in iſtis duobus libris relatis habentur, quod ſignum eſt evidens iſtos eſſe damnatos Fauſti libros in materia liberi arbitrij, & gratiæ. Conſtat ſecundò ex ſchola Lovanienſium in quodam tractatu, quem juſtificationem appellant, (cujus non ſemel in hoc opere ſermonem faciemus) qui hoc ipſum perdoctè advertunt. Conſtat & apertiſſimè tertiò & ultimò ex ipſis libris, & ex ipſa doctrina tota in illis contenta, quam totam eſſe contra Divinam prædeſtinationem & gratiam eſt apertiſſimum: Unde non dubium illos eſſe qui à Gelaſio damnantur, & à Petro Diacono anathematizantur, & à Fulgentio reprehenduntur, ut copioſiùs dicemus inferiùs agentes de damnatione hæreſis Semipelagianorum, ſeu poſteriorum illorum Pelagianorum: Unde Card. Bellarmin. in relato ſuo libro deſcriptor. Eccleſ. ita ait: [Fauſtus ex Monacho Lyrinienſi factus Epiſcopus Reghienſis vixit medio tempore inter S. Proſperum & Fulgentium, ſcripſit lib. duos de gratia & lib. arb. qui extant, & quos Gennadius in libro de viris illuſtribus miris laudibus effert, ſed Gelaſius Papa in decreto de libris apocryphis omnino rejicit, ut etiam rejiciunt & refellunt.

Sanctus

Digitized by Google

ſanctus Fulgentius, P. Diaconus, Alchimus, Avitus & alij. Ado Viennenſis in Cronico ad annum 492. ſic loquitur Fauſtus ex Abbate monaſterij Lirinenſis apud Reghium Galliæ Epiſcopus factus, Pelagianorum dogma deſtruere conatus in errorem labitur. Vnde qui ejus ſenſus in hac parte Catholicos prædicant, ſicut Gennadius de viris illuſtribus ſcribens, omnino errant: Ita enim liberum arbitrium tum Auguſtinus quam cæteri Catholici in Eccleſia Dei docent, ut illuminatio, virtus, & ſalus illi à Chriſto per Chriſtum & in Chriſto ſit; Fauſtus verò iſte ita liberum Chriſtianorum arbitrium docere conatur, ut illuminatio, virtus, & ſalus non à Chriſto, ſed à natura ſit. Contra hunc ſcribit beatiſſimus Avitus Viennenſis Epiſcopus lucidiſſima fide ejus redarguens errorem, ſimiliter & Ioannes vir eruditiſſimus Antiochenus Præsbyter. Iſidorus de viris illuſtribus in Fulgentio dicit à Fulgẽtio ſcriptos libros ſeptem contra Fauſtum, qui mira calliditate Catholicus videri volebat, cum Pelagianus eſſet. Author quoque vitæ ſancti Fulgentij cap. 28. teſtatur à S. Fulgentio refutatos libros duos Fauſti de gratia & lib. arbit. & Petrus Diaconus in libro de Incarnatione & gratia Chriſti cap. ultimo anathema dicit libris Fauſti. Hæc admonere volui (inquit Cardinalis Bellarminus) propter aliquos qui noſtro tempore Fauſtum Catholicum fuiſſe contendunt.]

Simiiiter etiam oportet præuadere irriſionem quorundam dicentium illum Fauſtum cujus opera damnantur, non illum Reghienſem Fauſtum eſſe, ſed Fauſtinum, ſequentes in hoc Covarruviam in ſuis variis quæſtionibus; in hoc enim & Covarruvias fallitur, ſed multo magis iſti, qui modò ex illius inconſideratione occaſionem ſumunt ad publicandum illos libros duos Fauſti, quorum modo mentionem facimus, nec damnatos eſſe, nec Pelagianam continere doctrinam cum revera eam complectantur. Verum eſt quod ſicut de perſona Caſſiani diximus ſupra, ita de perſona Fauſti dicimus, quod illam non ita apertè invenimus damnatam, ſicut perſonam Pelagij, Celeſtij atque Juliani, ſed illius doctrinam dicimus expreſsè per Eccleſiam damnatam. Cum his tamen notanda ſunt ſuperius verba Cardinalis Bellarmini, qui Fauſtum dicit hæreticum Pelagianum habitum, quod ſic poteſt intelligi, quod licet perſona ejus non ſit apertè damnata, quia tamen doctrinam edocuit Pelagianam hæreticam, ideo eum hæreticum nuncupavit. Qua ratione docet Hormiſdas Pontifex ſummus; *Epiſtola ad Poſſeſſorem*, Fauſtum non eſſe inter Patres numerandum.

Videatur præterea præfatio ad Vincentium Lyrinenſem impreſſione noviſſima Coloniæ anno 1610. ubi ita de Fauſto habetur. [Reſtat ut de Fauſto pauca dicamus, qui ex Abbate Lyrinienſi in Epiſcopum Reghienſem aſſumptus, verſutiſſimus Pelagianæ hæreſeos patronus, aliquam ſuſpicionem vitiatæ Lyrinæ antiquæ fidei movere poſſet: ſed mihi inde conſtat ſibi undique veritas; ille enim unus ex omnibus magna omnium expectatione delectus eſt, qui poſt alios in locum Proſperi ſuccederet, uti ejuſdem fidei & zeli ex illa probatiſſima diſciplina, ſucceſſor & hæres, jam tunc erumpentem hæreſim compeſceret, atque adeo magna gratia, magno etiam ipſius Sydoni applauſu bonum opus cœpit, ſed cum quæ publicè in conventibus Epiſcoporum videbatur ædificare, privatim doloſis machinis ſubruerit, non diu latuit oculatiſſimum ſanctum Cæſarium, Avitum & alios qui alienatis abeo animis, Dei Eccleſiæ & ſancti Auguſtini cauſam aſſeruerunt. Ita fauſtus inglorius in locum ſuum tandem abijt. Quæ bene nota, ut cognoſcas qua arte Fauſtus in principio ſui primi libri Pelagium reprehendat, ut ſeverius poſtea ipſum in ſententia imitaretur.] Petrus etiam Diaconus cum ſociis tractatu de Incarnatione & gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui habetur inter opera ſancti Fulgentij, in fine illius tractatus ſic habet. [Quorum omnium ſanctorum Patrum imbuti doctrina anathematizamus Pelagium & Celeſtium, ſimulque & Iulianum Edanenſem & qui illis ſimilla ſapiunt, præcipuèque libros Fauſti Galliarum Epiſcopi qui de monaſterio Lyrinienſi profectus eſt, quos contra prædeſtinationis ſententiam ſcriptos eſſe non dubium eſt, in quibus non ſolum contra horum omnium ſanctorum Patrum, verum etiam contra ipſius Apoſtoli contradictionem veniens, humano labori ſubjungit gratiæ adjutorium; atque totam omnino Chriſti evacuans gratiam, antiquos ſanctos ne eâ gratiâ quâ & nos, ſecundùm quod docet Beatiſſimus Petrus Apoſtolus, ſed naturæ poſſibilitate ſalvatos, impiè profitetur.]

Tractatus iſte à Petro Diacono & ſociis dicatus eſt Fulgentio & aliis Africæ Epiſcopis, ad quos miſſus fuit, & in illius confirmationem Fulgentius ipſe cum aliis quindecim Epiſcopis Africæ librum alium de incarnatione & gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti componit contra eoſdem Pelagianos, in quibus illos paſſim vocant inimicos gratiæ Dei.

Sanctus etiam Iſidorus libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis cap. 14. & lib. de viris illuſtribus eadem verba habet & ſunt quæ ſequuntur: *Fulgentius Afer Eccleſiæ Ruſpenſis Epiſcopus in confeſſione fidei clarus, in ſcripturis Divinis copioſiſſimè eruditus, in loquendo quoque dulcis, in docendo ac diſſerendo ſubtilis ſcripſit multa, è quibus legimus de gratia Dei & libero arbitrio libros reſponſionum ſeptem, in quibus Fauſto Reghienſis Vrbis Epiſcopo Pelagiana gravitati conſentienti reſpondens, obnititur ejus profundam deſtruere calliditatem.* Ubi duo ſimul conjungit, & laudes Fulgentij, & Pelagianam calliditatem Fauſti Reghienſis Epiſcopi. Non eſt igitur dubitandum iſtum Fauſtum fuiſſe Pelagianæ hæreſis defenſorem, illoſque ſuos duos libros de gratia & humanæ mentis arbitrio qui modo circumferuntur, eſſe qui Pelagianam defendunt doctrinam. Unde admittendum nullo modo eſt, quod Thomas quidam Pius nuncupatus ex ſocietate noviſſimè ſcripſit in ſuis ad primam partem S. Thomæ Commentariis prælo mandatis anno 1619. Ubi ad quæſt. 23. has ſex propoſitiones conſtituit.

Prima eſt, Caſſianus non fuit Semipelagianus, nec in ejus libris reperitur aliquid quod ſit Pelagianum, aut Semipelagianum.

Secunda, Fauſtus Reghienſis Epiſcopus non fuit Semipelagianus, nec in libris ipſius reperitur aliquid quod ſit Pelagianum, aut Semipelagianum.

Tertia. Initium noſtræ ſalutis ſpiritualis ex nobis eſt.

Quarta. Quodammodo expectat Deus voluntatem noſtram, ut det ſuam gratiam & vocationem ad dona ſupernaturalia.

Quinta. Deus dat ſaltem aliquam vocationem fidei intuitu bonorum operum naturalium.

Sexta. Meritò videtur Gennadius in Cathalogo Illuſtrium virorum agens de Proſpero Aquitano ſic ſenſiſſe: *Legi librum adverſus opuſcula Caſſiani, qua Eccleſia Dei ſalubria probat, ille infamat nociva.*

De iſtis propoſitionibus fuit denuntiatus liber iſte generalis in Hiſpanicæ Inquiſitionis ſancto officio, fueruntque prædictæ propoſitiones qualificatæ, ut falſæ, temerariæ, in fide erroneæ, & hæreſis Semipelagianæ fautrices, fuitque liber ille ſuſpenſus.

Verùm ad quamlibet in particulari deſcendendo; propoſitio prima quoad ejus primam partem qualificata fuit, ut falſa temeraria, & contra veritatem hiſtoriæ,

Digitized by Google

historiæ, & sententiam Doctorum, tum antiquorum, tum modernorum, S. Prosperi, Adonis, Card. Baronij, Driedonis, Cardinalis Bellarmini, Suarez, Vasquez, Gregorij de Valencia, Gondin, Gualterij Possevini, & contra plures alios, qui damnant prædictum Cassianum tamquam authorem, & caput hæreticorum Semipelagianorum, & contra testimonium, & declarationem expurgatorij Romani pag. 220. in quo dicitur, fuisse Cassianum fautorem Pelagianorum. Secunda pars, ut erronea & fautrix Semipelagianorum, ac doctrinæ ipsorum.

Prima pars secundæ propositionis fuit censurata ut falsa, temeraria, & contra communem sententiam authorum Catholicorum, qui prædictum Faustum damnant sicut authorem etiam & caput Semipelagianorum. Secunda pars fuit qualificata ut fautrix doctrinæ Fausti, & ex consequenti ut erronea, cum doctrina ipsius Fausti sit notoriè Semipelagiana, & Pelagiana, & per Ecclesiam sanctam damnata. Pro qua censura facit, quod novum expurgatorium in Hispania, his temporibus publicatum habet pag. 25. colum. 1. sub his verbis: *Fuit Faustus Semipelagianus, & eius opera damnata à Gelasio, & Hormisda Romanis Pontificibus*, & pag. 87. sic dicitur columna secunda: *Cautè legendus ubique Faustus, ut qui fuerit dux Semipelagianorum, & ejus opera repudiavit Ecclesia.* In pagina etiam. 75. 93. & 109. ita subditur: *Notissimum autem est Faustum erroris Semipelagianorum antesignanum & ejus scripta à sancta Romana Ecclesia repudiari*, & iterum columna sequenti: *Fausti opuscula cautè legenda, utpote opera rejecta & damnata à Romana Ecclesia.* Deinde pag. 140. *Et sedulò observandum scripta Fausti damnari omnia à sancta Romana Ecclesia.* Præterea pag. 193. *Faustus caput Semipelagianorum nuncupatur.* Et tandem ibi col. sequenti concluditur; *Scripta Fausti cautè esse perlegenda, quia in illis plures Pelagiani Dogmatis errores reperiuntur.*

Censuratæ omnes tres sunt, ut notoria Semipelagiana Doctrina, contra S. P. Augustinum, & Prosperum, & potissimè contra Concilium Arausicanum. Vbi definitur, *quod Deus non expectat hominis voluntatem, ut vocet, & misereatur: neque misgretur, quia initium bonæ voluntatis præbuimus.* In eodem etiam citato novo expurgatorio pagina 84. 85. 96. 97. 99. 174. 179. idem habetur, in quibus locis supradictas propositiones relatas expurgari mandatur in Cyrillo Hierosolymitano, in Maxencio Egiptio & alijs, tamquam Pelagianas, & ad minus Semipelagianas: & in ultimo ex citatis locis pro ratione redditur: *Nam salus nostra in manu Dei, ejusque gratia ac primùm sita est*: quæ propositio opposita est supradictis tertiæ quartæ & quintæ propositionibus.

Verba illius propositionis sicut calumniosa contra S. Prosperum, qualificata fuere, author verò qui illa ex Gennadio approbat, tamquam complex cum Gennadio in defensione Semipelagianorum: quia, ut Qualificatores rectissimè censuerunt, ex hoc potissimè capite inter alia Gennadius semper à Catholicis authoribus Semipelagianus est dictus: quia supra relata verba protulit contra S. Prosperum, pro ut inter alios advertit Cardin. Bellarminus lib. de scriptor. Eccles. ibi: *scripsit* (scilicet Gennadius) *lib. de viris Illustribus, in quo suspicionem non parvam reliquit suæ rectæ fidei: laudavit enim Cassianum & Faustum, qui Semipelagiani fuerunt, & S. Prosperum depressit qui pro gratia Dei contra Pelagium fortissimè dimicavit:* Tandem censor, vel censores, nihil enim nos de novo addimus, asserit doctrinam sancti Prosperi contra Cassiani opuscula approbari à sancta Romana Ecclesia *cap. sancta Romana, dist. 15.* & per oppositum doctrinam Cassiani, sicut apocrypham rejici, tantum abest, quod illam sicut salubrem approbat.

CAPVT IV.

Quædam prænotantur circa Cassiani opuscula, & observationes in ipsum examinantur.

Circa Cassiani opuscula de Institution. & sanctorum Patrum collationibus illud observandum maximè videtur, opuscula ista noviter excusa fuisse Romæ anno 1588. in Bibliotheca Vaticana ope & industria, ut notissimum est, quorundam recentiorum. Circa novam hanc excusionem observanda videtur, tum hujus novæ impressionis tempus, tum novæ annotationes cujusdam recentioris, qui nec se apertè nominavit, cum aliquibus aliis quæ sub brevitate proponentur.

Tempus quo liber iste Cassiani prælo Romæ mandabatur, fuit anno 1588. ut dictum est, quo anno in Hispania liber ille concordiæ Molinæ excusus fuit, cum tamen præcedenti anno 1587. Lovanij incepisset illa doctrina à prædictis recentioribus publicari, qui ibi doctrinam sancti Augustini carpere in hac materia de gratia & prædestinatione & libero arbitrio, & doctrinam oppositam legere, ac defensare cœperunt. Si ergo tempus cum omnibus circumstantiis notetur, illud non obscurè apparet voluisse recentiores authoritate impressionis Vaticanæ Cassianum novis interpretationibus & annotationibus munire & ornare, ut illius doctrina absque damnatione posset sustineri ac defendi, de quibus tamen interpretationibus postea plura valde necessaria prænotabimus. Extat & secunda impressio Romæ sub anno 1611. Paulo quinto dicata; in qua, quia jam multa de damnata doctrina Cassiani circa materiam liberi arbitrij & gratiæ nota erant, præceptum fuit, ut sancti Prosperi liber de gratia Dei & libero arbitrio contra eundem Cassianum disputantem in illa collatione decima tertia adversus Dei gratiam, apponeretur, ut sic veneno adhiberetur antidotum: quod & factum est, ut impressus liber illa posteriori jam relata excusione Romæ testatur.

Quia tamen videbant hujus novi libri impressores, Cassiani opuscula per Gelasium Pontificem maximũ cum Concilio Episcoporum 70. fuisse damnata, & sicut apochrypha proscripta, ut habetur cap. sancta Romana dist. 15. Apochrypha (inquam,) non quia essent sine authore, (ut nomen apochryphum primò significare videtur) nec etiam quia canonica non essent, vel in canonem redacta, in qua acceptione sanctus Hieronymus & alij nomen (apochryphum) sepius usurpant, nec solum (apochrypha) quæ minimæ, vel nullius authoritatis, quæ tertia solet esse hujus vocis usurpatio, sed apochrypha à S. Pontifice dicta fuere, quia hæreticam haberet doctrinam circa gratiã Dei, & hominũ libertatem, jam per Cœlestinum primũ, & Leonem primum in Concilio Arausicano secundo damnatam. Nam & nomen (apochryphum) ad hoc etiam se extendit, ut DD. Theologi, & Canonistæ rectè dicunt: Unde Eymericus in directorio parte 2. q. 23. (inquit:) *Libri hæreticales, erronei, seu apochryphi, de quibus agitur in decretis.* Vbi pro eodem sumit lib. apochryphum, & hæreticum, seu erroneum. Et Doctor insignis Franciscus Penna, olim Rotæ Decanus in comm. ad illum locum ait, *Tametsi verò multis modis liber apochryphus dici possit, ut ait Turrecremata in cap. sancta Romana 15. dist. q. 6. n. 18. & 19. Primùm quoniam ejus incognitus est author, quamvis nihil contrarium contineat; Rursus vel quia extra canonem feratur, nam hunc vocat Hieronymus apocryphum in prologo in libros Regum, tamen, quantũ ad hãc quæstionem*

Digitized by Google

rem attinet bifariam Eymericus hic ex Gelasio appellat libros apochryphos, uno modo eos, qui ab hæreticis sunt conscripti adversus fidem Catholicam, quos omnino damnat, vetans penitus ne legantur; & hos veritus dixeris hæreticos, ut optimè admonet Covarruvius præcitato loco. Alio modo dicit apochryphos eos qui modicam levissimamque habent authoritatem.

Quibus verbis quatuor acceptiones apochryphorum librorum, quas præmisimus, tradit. Quia, inquam, hæc videbant, ut tacitæ objectioni ipsi respondere viderentur, in præfatione illius libri (quem, ut majorem deinceps authoritatem haberet, summo Pontifici Paulo dicarunt) expresse dicunt, quod opuscula hæc Cassiani, ut pote quæ inter apochrypha à Gelasio sunt numerata, ad sanctitatem suam non devenirent, nisi eruditas observationes interpretes sententiæ Cassiani, & quasi conciliatores sibi comparassent. Quæ autem sint hujusmodi observationes, dicemus statim. Ad præsens illud nobis dicant: quæ necessitas interpretandi Cassiani doctrinam circa gratiam & liberum arbitrium, cum ista jam sit per Ecclesiam damnata? Quæ utilitas, vel proficuus labor in conciliationibus sententiarum per Ecclesiam jam rejectarum?

Præterea, illud non silentio omittendum, quod in laudem Cassiani post præfationes, Sanctorum Coaceruant testimonia absque delectu tamen, ut majus Cassiano & illius doctrinæ tribuant fundamentum. Laudant enim sancti Cassianum in collationibus suis de his quæ rectè dicit in ordine ad Monasticam vitam, & similia, non circa ea quæ cum Pelagio conveniens malè contra divinam gratiam diffamavit, sicut Origenis multa laudantur, non tamen per hæc ejus hæretica doctrina in multis approbatur. Quis autem non videat, quàm sine delectu inducant sanctorum testimonia pro Cassiano? A principio ex sancto Prospero in Cronico sic inducunt: *Ioannes Monacus cognomento Cassianus Massiliæ insignis, & facundus scriptor habetur.* Qui laudat de facundia, laudat ne de veritate, quam sua facundia fuerit prosecutus? Sic & Julianum Rhetorem peritissimum nominavit venerabilis Beda, ut supra diximus, quem tamen gratiæ impugnatorem nuncupavit acerrimum. Aliud simile inducunt ex sancto Prospero testimonium ex opusculo contra collatorem, quod tamen mirum est quomodo ab ipsis adducatur: Verba sunt sancti Prosperi: *Unius potissimum definitiones, quem non dubium omnibus aliis in Sanctarum Scripturarum studio præstare referemus.* Quam truncatè hæc verba ab eis adducantur fit manifestum: Nam postquam sanctus Prosper retulerat calumnias, hypocrisim, falsam doctrinam, temeritatem & elationem Massilienſium Semipelagianorum, statim dicit se referre unius potissimum definitiones, videlicet Cassiani, qui præ omnibus aliis Semipelagianis præstabat in Sanctarum Literarum studio. Et illius definitiones sicut Pelagianas condemnat. Est ne hoc laudare Cassianum, vel damnare? Cur ergo in loco ubi sicut Pelagianus damnatur tam apertè à Prospero, inducitur sanctus Prosper pro ipsius laudibus, quem ut magis errantem condemnat? Sed ista missa facimus.

Inducunt præterea, quod à sancto Benedicto magnoque Gregorio Cassianus laudatur, & suis subditis legendus à Benedicto proponitur. Revera sanctus ille Monachorum Pater in Regula cap. 42. ita ait: *Omni tempore, sive jejunij, sive prandij fuerit, mox ut surrexerint à cena, sedeant omnes in unum, & legat unus collationes, vel vitas Patrum &c.* Idem ordinat. cap. 73.

Sed & Cassiodorus ad fratres Monasterij sic ait: *Cassianum Præsbiterum, qui scripsit de institutione fidelium monachorum, attentè legite, frequenter audite; &c.*

Apud Photium deinde Patriarcham Constantinopolitanum inter multa encomia Cassiani hæc invenies in Bibliotheca num. 266. quod illius opuscula utilissima sunt, & quod eis inest quædam vis, & quasi divinitas, quâ conventus virtutibus floreant, superaddens expedire nihil eorum, quæ ibi traduntur, contemnere.

Inducunt præterea quod sanctus Pater noster Dominicus, ac sanctus Thomas Aquinas præ manibus has collationes Patrum habebant. Certè de Sancto Patre Dominico ita Vincentius Bellovacensis affirmat lib. 19. specul hist. cap. 14. *Claruit eo tempore, scilicet sub Honorio Imperatore vir illustris, prudens, & facundus, Joannes Heremita cognomento Cassianus, hic nescio qua ex causa de Ecclesia Constantinopolitana à Ioanne Chrisostomo ejectus, & in Massiliam Galliæ Præsbiter ordinatus multa scripsit.* Et post pauca: *Quæ certè ipsius opuscula multam ædificationem continent animarum, & luculento sermone nitescunt. Hæc inter multa antiquorum opuscula, quidque ad spirituales profectus, atque ad perfectionis apicem tendenti utilius nil arbitror me legisse. Nam & Beatus Pater noster Dominicus, ut ex ejus vita legitur, librum illum, qui collationes Patrum inscribitur, studiosè legens, ac vigilanter intelligens, salutis in eo rimatus semitas magnum perfectionis apicem apprehendit.*

Verum nec ista objecta, vel alia similia, (quæ in laudem illorum opusculorum Cassiani opponi possunt ab his, qui eum modò in materia liberi arbitrij & gratiæ defendere, ac publicare procurant) prudentem Doctorem, ac eruditum Theologum tantisper movere debent, aut possunt, ut ab his quæ ex S. Prospero contra Cassianum relata, & convicta sunt, modò aliqua ex parte recedat, quia aliud est de quo Cassiani illæ collationes à S. Patribus religiosè venerantur, & aliud toto cœlo diversum, de quo à Sancto Prospero, imò (ut dicemus inferiùs suo proprio loco) à summis Pontificibus condemnatur. Sanctus quidem Pater benedictus, S. Gregorius, S. Pater Dominicus & S. Thomas, ut potè sancti verè perdocti, discretionis judicio sciebant prætiosum à vili, aurum à stercore, & Catholicum à damnato secernere, sicque in institutis Monachorum, ac piis regulis delectabantur, quòd in materia gratiæ, & liberi arbitrij errantem Cassianum non admittebant. Unde & S. Thomas, qui legebat assiduè Cassianum in materia de gratia, & libero arbitrio, ipsum, & omnes pariter errantes mirabiliter expugnavit: Frivolum ergo hoc argumentum est, vanaque intentio est hæc opponentium, cum distinctione opus sit, illaque maxima, & sic laudare in Cassiano laudanda, ut verè damnata vituperentur, qua ratione rectè quidem Cardinalis Baronius etiam hæc annotauit, dum dixit: *Falli certò scias, qui ex eo, qui præ manibus habetur collationis liber Cassiani, defendunt ipsum fuisse omni ex parte Catholicum:* Parique ratione falluntur, qui non Cassiani nomine suo damnata quæ proponit in collatione 13. ad Cheremonem, sed nomine dicunt aliorum fuisse relata, quia & contra sanctum Prosperum id asserunt, ut visum est supra, & variè illum Catholicum in illa parte defendunt, eaque ratione & illorum vana pretenſio est quod librum illum summo dicarunt Pontifici, ut sub tanta protectione securus incedat; quia ut alibi sanctus Chrisostomus dicit, & huic non incongruè accommodatur, *nescit justitia Dei patrocinia dare*

Digitized by Google

criminibus, nescitque Petri sedes, quæ firmamentum est veritatis, illa quæ damnavit, sua umbra protegere. Falluntur etiam, qui in fine præfationis Cassianum bene scribentem contra Nestorium adducunt, quia de bono opere non accusatur, sed de eo quòd Christi gratiam cum Pelagio impugnat. Quòd autem illum correctum proponunt, de his correctionibus videamus.

Venio jam ad illas de novo appositas eruditas observationes interpretes sententiæ Cassiani, & quasi conciliatrices, quas omnes prædictus interpres & Conciliator, etsi ibi expressum ejus nomen non habeatur, ut diximus, ad undecim capita sive conclusiones reducit.

Prima est posse nos aliquid boni facere seu velle ex naturæ viribus, hoc enim affirmat Cassianus collat 13. cap. 4. & 12. circa hanc sit dicit annotator. *Quibus locis illum de morali bono locutum esse, inde perspicuum est, quod alibi non semel negat, nos aliquid ex nobis, aut perficere, aut incipere, aut velle posse, nisi Deus opituletur, quæ quidem aptè non cohærent, nisi posteriora hæc de bono quod Christiana justitia est intimum exponantur; priora verò illa, de honesto moraliterque laudabili.* Et hoc morale bonum ex sanctis Patribus posse hominem habere naturæ viribus nititur probare ibidicens sanctum Augustinum contra Julianum negasse virtutes veras morales esse posse sine gratia, quia non perducebant ad æternã vitam. Quam annotationem intellectã ut revera procedit de quolibet morali bono & fine & objecto, & circunstantiis, esse ex Juliano constat apertè: & copiosius constabit, cum doctrinam eandem recentiorum in hac parte tractabimus infra.

Secunda Cassiani propositio est per aliquod rectè factum ac bonam voluntatem posse nos ex nobis utcumque ad gratiam præparare, itaut Spiritus sancti motionem voluntas interdum nostra præveniat. Ita Cassianus lib. 12. institution. cap. 14. collat 7. cap. 7. 9. 11. & 13. Hanc, ut Catholica sit, dicit esse intelligendam prædictus annotator, non de dispositione, seu præparatione propinqua, sed de remota, cujus & verba sunt. *Contra verò accidit sæpe numero, ut nonnulli, quorum animi aciem vitia minus hebetarint, sicut sola naturæ vi multa quæ officij honesti ratio exigit, præstare possunt, ita per ea remotè se præparent ad gratiæ donum adipiscendum, facientes aliqua ex parte quod in ipsis est.* Et statim postquàm planè corrupit Concilij Arausicani 2. in Canone 8. definitionem prava explicatione sic dicit. *Hinc doctrinã fluvent aliquando prædicti Patres, dum docent nonnunquam Deum à nobis præveniri, vel eum non præstare auxilium gratiæ, nisi iis qui se dignos effecerint, vel hunc nobis adesse, cum nos, quod in nobis est præstiterimus, vel bonum aliquem nostræ voluntatis affectum aut conatum expectari à Deo priusquam nobis opituletur.* Et postquam hanc apertam in Conciliis damnatam sententiam conatur ascribere sanctis Patribus, sic subdit: *Neque verò si aliquo nostra conatu possumus ad Deum pauliſper accedere, attractio divina tollitur; hæc enim propriè accessum justum consummat, non ille conatus, cum nec satis sit solus, nec necessarius semper.* Et post pauca omnia Concilia, & sanctos Patres, quos videbat huic suæ explicationi resistere, cum dicunt nihil boni ex nobis posse oriri; dicit esse intelligendos de proxima præparatione ad gratiam, non de illa quæ est quasi a longinquo. Hanc enim cum Cassiano dicit oriri ex sola naturæ facultate. Quibus omnibus multo clarius quàm Cassianus nobis tribuit dispositionem remotam ad gratiam, & initium salutis remotum ex nobis, quam doctrinam à Pelagianorum non recedere errore dicemus infra copiosè.

Tertia Cassiani propositio est relata ab eodem authore in suis annotationibus. *Aliquando vel initium pœnitentiæ, vel propositum vitæ mutandæ, vel consilium revertendi ad Deum ex nobis esse.* Ita Cassianus collat. 13. cap. 12. 13. & 15. Circa hanc propositionem talis est appositа quasi erudita observatio a prædicto authore. *Hæc pœnitentia, seu conversio, de qua Cassianus agit, inchoata quædam attritio est, quam plerique Theologi in potestate naturæ collocant:* Et post relatos sanctum Thomam, & sanctum Bonaventuram, quibus hanc injuriam non dubitat irrogare, sic prosequitur: *Atque hoc initium quoddam pœnitentiæ est, & reversionis ad Deum.* Et iterum ibi laborat defendere illam divisionem, qua Cassianus dicit Deum quorundam esse salvatorem, quorundam verò susceptorem, quod ipse explicat non de gratia justificante sed de auxiliis gratiæ prevenientis, quæ etiam explicatio in idem tendit, videlicet dari initium in nobis justificationis nostræ, ut planè antea præmiserat.

Quarta propositio Cassiani est, quam colligit prædictus author: *Nonnullum fidei motum ex nobis incipere:* quam dicit sanè intelligi de actu, quo aliquis persuasione humana incipit credere ea quæ Deus revelat per Ecclesiam, & eis saltem probabiliter assentitur. Quæ observatio, nisi adderet illud verbum, saltem probabiliter, à Pelagianorum errore non recederet, cum illa autem limitatione fateor non habere tantam malitiam, quia certum & infallibilem assensum non admittit circa credenda ex solis naturæ viribus. Sed in hac parte prorsus mentem Cassiani non attingit, dum eum conatur explicare, quia Cassianus planè loquitur de assensu certo fidei Christianæ, quem dicit hominem solis naturæ viribus elicere.

CAPUT V.

Alia sequuntur prædicti authoris in Cassianum observationes.

QUINTA propositio, quam ex Cassiano colligit author prædictus ita habet: *Nostris orationibus nonnumquam Dei gratiam præveniri, juxta illud, & mane oratio mea præveniet te.* Traditur, inquit, à Cassiano Collat. 3. cap. 9. & collat. 13. cap. 9. & 12. circa quam sic ait prædictus author. *Nihil hæc sententia videtur habere absurdi. Licet enim ipse orandi Deum effectus sit donum Dei, nihil tamen prohibet aliquem ejus conatum ex naturæ bono posse depromi, & per eum nos Dei adjutorio quadamtenus dignos effici.* Hactenus ille. In quam sententiam & Patres, & Concilium secundum Arausicanum Can. 3 contrarium omnino definiens extorta explicatione conatur inflectere. De qua, quia cum aliis recentioribus communissima est, ex professo in hoc opere tractabimus infra.

Præterea in fine illius eruditæ observationis suæ sic dicit: *Vides in his locis non solùm præveniri nos, sed prævenire nonnumquam, sed nostrum etiam prævenire esse modicum aliquod initium, quod ut perficiamus prævenimur à Deo.* Eisdem verbis à Juliano in sua Epistola quam Thessaloniam misit, expressum est, & à sancto Patre Augustino apertè damnatum lib. 2. contra duas Epistolas Pelag. cap. 8. cujus verba jam supra relata sunt, & in hac materia cum ex professo disputabimus clariùs apparebunt.

Sexta Cassiani propositio per ipsum observatorem desumpta sic habet: *Etiam post prævaricationis lapsum mansisse in Adam scientiam boni, cum sit lex ipsa naturalis, & quædam virtutum semina omni animæ beneficio creatoris inser-*

Digitized by Google

14. Quam prædestinationis author sicut & Cassianus defendit, ac veram judicat, cum tamen à Sancto Prospero damnetur, & omnino damnanda sit, sicut liberum arbitrium illæsum post peccatum constituens, de qua plurima erunt dicenda, cum ex professo contra recentiorum assertiones agemus.

Septimam Cassiani propositionem inducit in hunc modum: *Cavendum est nobis, ne ita ad Dominum omnium sanctorum merita referamus, ut nihil nisi id quod malum est, atque perversum humanæ adscribamus naturæ.* Hæc habetur ex Cassiano collat. 13. cap. 12. quam prædestinationis commentator dicit esse intelligendam, quia gratia nobis cooperatur in merendo, quia ut ait, *vis arbitrij in hoc sita est; non solum ut aliquis rectè faciat ex se ipso, atque Deo vocanti, moventique Deo possit obniti sed etiam ut opus bonum, & meritorium non solum Deus perficiat sed etiam Deus, & voluntas nostra.* Hæc ille. In qua propositione apertè illum concursum partialem liberi arbitrij tenet, quem recentiores alij infra referendi affirmant, licet dicat verbis solùm, sicut & illi totum esse dandum Deo, ut agentes de illa fundamentali propositione dicemus inferiùs: similiter in eo quod dicit hominem rectè facere posse ex se ipso, alludit ad id quod supra dixerat, videlicet hominem se remotè ad gratiam præparare, & initium suæ conversionis ex se habere, ut dixerat supra.

Octava Cassiani propositio sic ab isto commentatore proponitur. *Nostrarum qualitatem cogitationum, ut recordationum in nostra positam esse potestate.* Hanc intelligit prædictus author ita esse in nostra potestate admittere cogitationem, vel respuere, ut si bona fuerit, ad illam efficaciter non moveamur à Deo, sed ex nobis ipsis Deo excitante, sive invitante, quod in aliis locis explicavit, quæ est istorum omnium recentionum concors sententia Nona Cassiani propositio colligitur à prædicto authore in hunc modum. *Post recentem hominis lapsum clarius fuisse lumen rationis, ut minus tunc Deo ageret illuminante quam postmodum*; sic habetur in Cassiano collatione 8. cap. 23. Hanc propositionem defendit ille author in suo Scholio dicendo id verificari, quia lumen rationis propter majora peccata, quibus se homines magis implicabant in diuturniori temporum decursu magis obnubilabatur. Sed licet ista propositio sic intellecta aliquem verum sensum possit admittere, inquantùm tamen iste author solùm videtur Dei illuminationem requirere purè invitantem, & ostendentem tantum, non recedit à Cassiano asserente solas illuminationes ostendentes & excitantes esse necessarias, quas & supra diximus, & dicemus infra non recedere à lege atque doctrina.

Decima Cassiani propositio sic colligitur à prædestinationis commentatore. *Dividere Spiritum sanctum varios gratiæ gradus, pro vario hominum captu, labore industria, conatu id significat*, ait, *Cassianus* lib. 6. de instit. cap. 18. collat. 3. cap. 11. & 12. collat. 13. cap. 15. & 16. Hanc propositionem, ut Catholicè dicatur dicit intelligendam esse de remota præparatione, quæ potest esse ex nobis, jam supra ab ipso assignata. *Ita quod dici possit*, ait, *utcunque ille noster conatus, & præparatio solis naturæ viribus habita mensura gratiæ. Utrumque dixi*, ait ille, *quia non propriè & perfectè, tum quia hæc præparatio vix fines meriti congruentis ingreditur, tum quia illius modum divinæ largitatis magnitudo frequenter excedit.* Hactenus ille. Quibus verbis apertissimè declarat dari gratiam, illamque Deum distribuere pro illo captu nostro naturali. Quid clarius ipsum non solum cum Cassiano, sed cum Pelagio sentire gratiam Dei secundum merita nostra dari. Adducit ibi author prædestinationis alias explicationes, sed illæ malitiam hujus, quam & secundo loco constituit, non tollunt.

Undecimam & ultimam Cassiani propositionem inducit prædestinationis commentator in hunc modum. *Eos, quorum Deus fidem ac virtutem per se, vel per alium tentatorem explorat, à divina gratia paulisper subrelinqui ut probentur, & suis, non Dei viribus vincant.* Hanc inducit ex Cassiano collat. 13. cap. 14. circa quam dicit duplicem hoc loco adhiberi posse explicationem. Alteram quod non neget Cassianus ad vincendas tentationes interius auxilium gratiæ, sed solum exteriorem protectionem quam aliquando Deus sanctis suis subtrahit. Alteram verò, quod intelligat de gratia interiori seu capitulante, seu inhabitante, qua nos privamur dupliciter: primo modo cum non suppeditatur facultas ad sustinendum necessaria: secundò quando, licet quantum satis est, suppeditat, nihil tamen aliud additur, quod id quod pati possumus, ex gratia minùs laboriosum molestumque reddatur; & primo modo ait Deum quærentes se non derelinquere. Secundo modo frequenter. Et prosequutus adhibet doctrinam Origenis, quam maximè commendat, qui dicit Deum dare nobis virtutem & facultatem, ut vincere possimus, cæterum quod vincamus, vel illa virtute concessa bene utamur nostrum est proprium. Hæc in substantia est illius secunda interpretatio, & secunda obsertio quam huic loco Cassiani ascribit, verba enim illius quia prolixiora sunt non induco, sed solum adverto eumdem commentatorem in fine sic concluisse. *Hæ duæ expositiones huic capiti posse convenire videntur, quarum alteram, nisi cautus lector adhibeat, Cassianum hac in re cum Pelagianis consensisse facilè judicabit.* Hactenus ille. Non tamen apertè declarat de qua illarum hanc censuram proferat, nec similiter explicat quam cautionem debeat lector adhibere, putarem sine dubio hoc de secunda explicatione dixisse, & nullam aliam cautionem adhibuisse nisi illam quam apposuit, videlicet Deum dare facultatem & virtutem, qua resistere possimus; nostrum autem esse ea facultate concessa, vel bene uti, vel malè, nec enim ipse aliam cautionem apponit. Hanc autem quam ex Originis officina desumpsit, desumpserat prius Pelagius ipse jam supra citatus cap. 3. & 6. & sic prædestinationis commentator finivit suas observationes. & hæc de observationibus istis, nec aliud potuit asserere qui tam improbo labore voluit Cassianum defendendo interpretari, & interpretando defendere Romæ, sicut alius in Hispania, & uterque anno eodem.

CAPUT VI.

Quod Cassianus & Faustus reipsa negarint peccatum originis sicut Julianus.

APERIENDUM est modò, qui fuerint errores Cassiani & Fausti; & aliorum Massilienſium, & in quo à Pelagio distinguantur, & qua ratione dicti fuerint Semipelagiani, & quia jam supra agentes de Juliano notavimus ipsum cum aliis sui erroris consortibus Episcopis aliqaibus in communi Epistola quam Thessaloniam miserunt, fuisse quasi primos temperatores Pelagianæ hæresis, dum illam in substantia retinentes, quibusdam paucis accidentibus superadditis ipsam magis fundare procurarunt, hinc constat illum fuisse quasi caput Cassiani, & Fausti, & cæterorum Semipelagianorum, ut jam diximus. Et quidem recentiores fatentur Sanctum Augustinum lib. 2. contra duas Epist. Pelag. disputare contra Semipelagianos. Constat autem ex principio illius libri disputare S. August. contra Julianum, & alios Episcopos, qui cum illo communem Epistolam

Digitized by Google

Thessaloniam miserunt, ex quo fit manifestum Julianum caput Semipelagianorum extitisse.

Ostendendum est igitur quomodo Cassianus, & Faustus Juliani sequantur inianiam, sed ante omnia illud maximè advertendum, Semipelagianos sæpissimè aliud verbis, ut se occultarent, aliud reipsa affirmasse, quod ex Pelagio didicerunt. Unde S. P. Augustini sententia est lib. 4. contra Julianum cap. 3. *Ita sententiam temperasti, ut & vestra, & nostra possit voce defendi.* Et lib. de gratia Christi cap. 32. contra Pelagium prius dixerat. *Sed quid prodest, quod eisdem verbis in parvulis quibus & in majoribus celebrari dicit baptismi Sacramentum, cum res à nobis, non sola verba quærantur?* Hac ergo ratione non attendendo ad sola verba (quibus multi falluntur) sed ad eorum sententiam & sensum, erit attentius declarandum quinam fuerint Semipelagianorum errores.

Si ergo vocem tantum attendas, nec diligentiùs sensum, qui latet, perscruteris, apparebit Cassianum, & Faustum peccatum originale admisisse in parvulis, quod Pelagius & Celestius negarunt, si autem rem oculatiùs consideres, & omnia illorum principia perpendas, constabit eos sensisse peccatum originale non esse veram culpam in parvulis, sed pœnam tantùm, sicut & Julianus dixit mortem, non culpam aliquam in eos transisse. Quoad vocem enim de illis dicit sanctus Prosper in Epistola ad Augustinum: *Hac enim ipsorum definitio, ac professio est omnem quidem hominem Adam peccante peccasse, & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari*, & sanctus Hilarius in alia Epistola ad eundem sanctum Augustinum. *Consentiunt omnem hominem in Adam periisse, nec inde quemquam posse proprio arbitrio liberari*, quibus lectis sanctus Augustinus & ipsis rescribens mirabilem illum librum de prædest. Sanct. ita ait in cap. 1. *Pervenerunt autem isti fratres nostri, pro quibus sollicita est pia charitas vestra, ut credant cum Ecclesia Christi peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo nisi per justitiam secundi hominis aliquem liberari.* Faustus etiam Pelagium videtur acriter reprehendere, quia peccatum originale negaret, ut patet ex ejus primo libro de gratia, & humanæ mentis arbitrio. Quis crederet sub hac quasi manifesta confessione sensum latere contrarium? vel quis audeat dicere illos peccatum originale negasse, cum tam apertè sancti DD. Prosper, & Hilarius, qui cum ipsis disputarunt Augustino scribant verba relata, & sanctus Augustinus affirmet ipsos cum Ecclesia Dei peccatum originale fateri, absque dubio nisi ipsemet sanctus Prosper id aperuisset, non auderem aliud asserere.

Quod autem reipsa peccatum originale negaverint Semipelagiani aperit manifestè S. Prosper sæpius primo lib. contr. collat. cap. 27. in principio sic dicens: *Si dubitari non potest inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta, solus Adam prævaricatus est, & in peccato ejus nemo peccavit, & in nullis iniquitatibus concepti sumus, & in nullis nos matres nostræ pepererunt delictis, non fuimus naturâ filij iræ, nec fuimus sub potestate tenebrarum, qui manentibus in nobis naturaliter virtutibus filij potiùs nati sumus pacis, & lucis. Absit ab animis piorum fallàcis doctrinæ insidiosa deceptio.* Quibus verbis sanctus ipse Prosper aperit quod Cassianus affirmans inesse omni animæ naturaliter virtutum semina, latenter in hoc fallaci principio peccatum negaverit originis. Quæ autem virtutum semina in hominibus post peccatum originale naturaliter inesse dicebat Cassianus, nisi inclinationem ad virtutem sanam, & integram, qualis esset si homo in puris naturalibus conderetur. Planè nulla alia virtutum semina naturaliter in eis posuit. Quia verò ita sanam constituebat hominis naturam in naturalibus suis, ex hoc contra illum concludit Prosper sanctus illum originale peccatum reipsa negasse ratione facta. Et iterum eodem lib. cap. 40. concludens omnes diffinitiones Cassiani, sic dicit. *His itaque diffinitionibus hoc docetur, hoc scribitur, hoc ejus disputationibus prædicatur, quod Adam peccante anima ejus læsa non fuerit sanumque in eo manserit, unde peccavit, siquidem scientiam boni, quam acceperat, non amiserit, nec potuerint posteriores ejus id perdere, cujus damnum nec ipse pertulerit.*

Hoc testimonium attentiùs est considerandum, ex quo constat quod ponere peccatum originale non lædere animam in scientia boni & mali, aut in aliis bonis naturæ est dogma Semipelagianum, imò est negare peccatum originale, ut patet ex alio relato testimonio ex cap. 27. & prosa de ingratis asserit priores Pelagianos Semipelagianorum Magistros apertiùs negasse peccatum originale; Semipelagianos autem callidiùs; quia videbant fideles venenum sic palam propositum, & toties damnatum ferre, vel audire non posse: Unde id retinentes, & principia quædam constituentes, ex quibus id manifestè dedocebatur, verbis solùm concedebant in parvulis peccatum originis: Quam astutiam patefaciens S. Prosper in prædicta prosa de ingratis, postquam Semipelagianorum describit sententiam, sic de illis subjungit.

Quod qui confirmas, quinam distabis in illis
Qui dicunt nullo peccati vulnere læsum
Naturale bonum, cumque illo lumine nasci
Nunc omnes homines quod primis ingeneratum est

Et iterum

Dumque aliud non est vobis cum gratia quam lex
Quamque Propheta movens & quam doctrina ministri,
Scilicet ut tale arbitrium generaliter insit
Semine damnato genitis in corpore mortis,
Quale habuit nondum peccati legi subactus
Primus homo, & nullum in prolem de vulnere vulnus
Transierit, nisi corpoream per conditionem:
Quæ sic exterius respondeat, ut nihil intus
Imminuat teneatque suum substantia mentis
Splendorem, & nulla pœnali nocte prematur.

Ubi iterum notandum quod si naturale bonum naturæ hominis debitum per originale peccatum læsum non fuit, sed sanum manet: reipsa originale negatur peccatum

Et iterum

Quid prodest verbis commentum Pelagianum
Respuere, & solâ damnatos plectere voce,
Cum parcis squalida sublatis de cute nervis,
Intima viperei foveantur viscera sensûs?
O bene quod diù erroris malus ille magister
Nullo prælevit læthalia pocula melle,
Sed non ambigua infectum feritate venenum
Protulit, & gustu virus detexit amaro
Nam si argumenti primordia non onerasset
His, quæ discipuli dempserunt callidiores
Innumeras dubio cœpisset plasmate mentes,
Quæ dum multa vident informia limine in ipso
Horrida terrificæ declinant atria mortis,
Nec tam illis possunt attriti illudere fures,
Quorum quò tendant artes, atque unde oriantur
Non dubiis promptum est, cujus cognoscere signis,
Non igitur cum damnatis sentire videntur
Cum dicunt mortem in cunctos transisse per unum
Primum hominem, cujus crimen respersérit omnes:
Nec quemquem in vitam æternam nisi fonte renatû
Venturum, infantesque reos hoc munere solvi
Quos prima ad mortem generaliter edat origo,
Sed cum damnatis sapiunt, damnataque promunt

Cum

Digitized by Google

Cum dicunt nihil esse animis per vulnus avitum
Detractum decoris, splendoremque omnibus illum
Nunc talem innasci qualis fuit ante ruinam.

Vbi sanctus Prosper aperit, quòd non videbantur Semipelagiani negare peccatum originis, siquidem dicebant mortem in omnes transisse ex Adam, & quòd crimen illius respersérit omnes, & quòd infantes nisi baptismate non intrabunt in æternam vitam: sed his tamen minus obstantibus concludit illos cum damnatis Pelagianis damnata sentire & peccatum originis negare, cum dicebant inesse omni animæ virtutum semina, & non amisisse scientiam boni primum Parentem, & cœtera similia, & quòd si verbis peccatum originis fatebantur, id solùm verbis, ne damnarentur affirmabant.

Valde ista notanda sunt, quia ex illis concludit sanctus Prosper quod Cassianus, & Faustus, & quicumque alij dicunt, per originale peccatum non manere liberum arbitrium læsum in suis naturalibus, sed manere in illo virtutum semina, inclinationem ad bonum, & scientiam sicut antea habebat, esse reipsa negare peccatum originale: Igitur manifestum est ex sancto Prospero, Cassianum, ac cœteros Semipelagianos reipsa peccatum originis negasse, & solam mortem transire dixisse, sive pœnam in posteros, non verò culpam, ut primitùs dixerat Julianus, cujus & ipsi sequuti sunt deliramenta. Et quòd ita senserint patet apertè ex primo & secundo can. Concilij Arausi. 2. in quo hic error contra Semipelagianos damnatur, & dicitur, quod originale peccatum non sit tantùm pœna sed vera animæ culpa, quod nisi Semipelagiani dixissent, id contra eos Concilium non diffiniret. Verba Concilij sunt in canone primo. *Siquis per offensam prævaricationis Adæ, non totum, id est secundùm corpus & animam in deterius dicit hominem commutatum, sed animi libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus adversatur scripturæ divinæ.* Attentiùs iste Canon consideretur, & erit manifestum in illo esse definitum per originale peccatum læsum mansisse liberum arbitrium in naturalibus, siquidem dicit non mansisse illæsam arbitrij libertatē: ergo illa naturalis arbitrij vis læsa mansit, & non solum fuit spoliata gratuitis manente animæ illæsa libertate. Iste enim canon contra Semipelagianos Cassianum & Faustum, sicut & totum illud Concilium, editus est. Ipsi autem Semipelagiani voce quidem admittebant originale peccatum, sed reipsa illud negabant, ponendo non læsam libertatem arbitrij in suis naturalibus bonis per peccatum. Vnde sicut in hoc apertè cum Pelagio conveniebant, qui, ut visum fuit supra, similiter liberum hominis arbitrium per peccatum in naturalibus suis non læsum ponebat, ita reipsa etiam originale peccatum cum Pelagio negabant: Vnde Concilium dicit hos in hoc Pelagij errore deceptos quantùm ad negationem originalis peccati. Et in canone secundo sequitur. *Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non & eius propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantum corporis (quæ pœna peccati est, non autem, & peccatum, quod mors est animæ per unum hominem in omne genus humanum transire testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti, per unum hominem.* Gelasius etiam in epistola decretali ad Episcopos Picenos tom. 1. Epist. decret. Agens contra posteriores Semipelagianos, asserit, eos asserere parvulos sine peccato originali nasci, nec pro peccato originali damnari. Constat ergo apertè ex his definitionibus contra Semipelagianos editis, quid ipsi de peccato originali sentirent, & quomodo peccatum illud constituebant non veram animæ culpam, sed pœnam. Nec est novum Pelagianos verbis originale peccatum in apparentia confiteri, reipsa autem negare, ut docet S. P. August. lib. de gratia Christi cap. 32. & 33. & lib. de peccat. orig. à cap. 1. vsqve ad 16.

Extat etiam ad hoc insignis locus in sancto Ambrosio Epist. ad Demetriadem tom. 5. lib. 4. Epistolarum Epist. 33. vel ut magis verum est illa Epistola sancti Prosperi est, ubi postquam de Pelagianis dixerat quod peccatum originis negabant, ait, *Hinc* (id est ex negatione originalis peccati) *postremò divina gratia simulata, & insincera confessio, quæ secundùm merita daretur, non ex qua merita nascerentur, quam partem superbæ prædicationis quidam sibi, cum cætera abnuerunt, servaverunt. Sed hoc eos aut nimis imperitè aut valde nequiter feciſſe non dubium est, ut omnium hominum generalem ruinam meritorum privilegio sublevarent, & cum inter nostros originalis peccati vulnera faterentur, inter suos tamen hoc tenere ostenderent, quòd primorum hominum prævaricatio solis imitatoribus obfuisset.* Incipit hæc Epistola cum splendidissimè, & inter Epist. S. Ambrosij est 33. in impressione Parisijs 1603. licet ab aliis referatur. 84. cum tamen omnes non excedant numerum 74. sed ut diximus non Ambrosij est, sed sancti Prosperi, cum in illa mentio fiat de Pelagianis, qui post mortem sancti Ambrosij exorti sunt. Qua etiam ratione libri devocatione gentium qui inter opera sancti Ambrosij circumferuntur, non ipsius, sed sancti Prosperi sunt absque dubio.

Sed objiciet fortè aliquis, si ita est reipsa negasse peccatum originis Semipelagianos, cur sanctus Prosper, & Hilarius Epist. citat. ad Augustinum, imò sanctus Augustinus ipse, dicunt illos peccatum originale fateri cum Ecclesia. Ad hoc facilis est responsio sanctos videlicet Prosperum, & Hilarium à principio, cum audirent illos fateri peccatum originale, judicasse ipsos revera ita sentire, sicut voce proferebant (quia sanctos viros fallere facillimum est, qui de nullo malè sentiunt,) & id tunc scripsisse sancto Augustino, & sanctum Augustinum illis credidisse; At verò postquam prædicti sancti DD. Prosper & Hilarius accuratiùs rem examinarunt, & libros Semipelagianorum legerunt, atque principia omnia ipsorum considerarunt, ipsemet sanctus Prosper relatis locis ostendit illorum calliditatem, & qualiter solis verbis & non re peccatum originis fatebantur, & id ipsum de Pelagio fatetur sanctus Augustinus lib. de peccato orig. cap. 14. ubi planè dicit se à principio cùm audisset anathematizationem, quam Pelagius protulit in Synodo Palæstina contra negantes peccatum originale, maximè gavisum fuisse, quia sibi confessus apertissimè videbatur Pelagius esse in parvulis originale peccatum; *Sed postea*, ait S. Augustinus, *cum legissem quatuor eius libros, de quorum primo libro paulo ante commemorata verba descripsi, & inveniſſem hominem adhuc contra Catholicam fidem de parvulis sententiam sentientem plus mirari cœpi tam impudens in Ecclesiastico judicio, & de tanta quæstione mendacium.* Sicut ergo Pelagius ficto animo, & æquivocis verbis peccatum originale voce fatebatur, re negabat, in tantùm ut Concilium Palæstinum fefellerit, ut S. Augustinus in cap. 16. de pecca. orig. docet & alibi sæpè; simulque illius videns abjurationem, putavit Augustinus illum revera peccatum originis admittere, quovsque legendo illius libros aperuit Augustinus fallaciam, & tergiversationem. Ita etiam sanctus Prosper à principio putabat Semipelagianos peccatum originis admittere, quod tamen æquivocis solum verbis in apparentia fatebantur, quod & postea deprehendit ipse Prosper, attentiùs ipsorum libros, dicta, & principia considerando, & nobis prædictis verbis referavit, cautiores nos reddens in futurum, nè æquivocis verbis fidamus, quæ multa tèmporibus istis deprehendimus, ut notum dabimus, cum ad examen assertionum Recen-

Digitized by Google

tiorum fuerit perventum. Constat ergo manifestè Cassianum & Faustum, cæterosque Massilienses peccatum originale dixisse solam pœnam, sive mortem in parvulis, non verò culpam, sicut in terminis Iulianus dixerat prius: Unde reipsa Semigelagiani, quamvis temperatis verbis, totum dogma Pelagij retinebant. Dogma enim Pelagij hoc fuit quòd natura humana post originale peccatum mansit in suis naturalibus integra. Hic enim erat finis quem ipse intendebat. Videns autem cum peccato originali hanc integritatem stare non posse, negavit originale peccatum. Cæterum Semipelagiani verba temperantes, & cum Pelagio in potissimo fine convenientes, etiam dixerunt naturam integram, & illæsam in naturalibus mansisse, & verbis admittebant peccatum originale, quia semper contendebant per ipsum læsam non fuisse naturam; & ex consequenti veram esse culpam in parvulis negabant & de hoc apertè per sanctos PP. convincebantur, licet admitterent peccatum originale esse pœnam.

CAPUT VII.

Quod circa Divinæ gratiæ adjutorium secuti fuerint Cassianus & Faustus Iuliani doctrinam.

QUOD Cassianus veras virtutes morales in hominibus constituat absque aliquo gratiæ dono, sicut & Iulianus sit manifestum, ex Cassiano quidem collat. 13. cap. 12. illis verbis: *Dubitari ergo non potest inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta, sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis pervenire non poterunt.* Super quem locum S. Prosper libro contra collatorem cap. 27. dicit per semina virtutum illum intellexisse veras virtutes morales, verba enim sancti Prosperi sunt: *Virtutes cum vitiis habitare non possunt.* Et iterum. *Remansit autem rationalis animus, qui non virtus, sed virtutis habitaculum est.* Et iterum contra ipsum collatorem: *Et ita manifestissimè patet in impiorum animis nullam habitare virtutem.* Unde fit manifestum, in hoc cum Juliano, cujus sententiam supra retulimus, ipsum apertiùs convenire, & illius sequi doctrinam in hoc secundo principio, sicut in illo primo de peccato originali modò explicato: quæ duo prava principia se adinvicem consequuntur. Vt autem in omnibus Juliani teneret sententiam, dixit illa semina virtutum non pertinere ad salutem, sicut prius dixerat, ut se occultaret magis Iulianus.

In tertio etiam fundamentali principio, quod dixerat Iulianus, ut supra retulimus, imperfectam boni cupiditatem esse ex nobis, perfectam autem non nisi ex gratia, convenit Cassianus, conveneruntque omnes Semipelagiani, aliqui magis, aliqui minus, ut aperietur statim. In primis Cassianus, ut notum est, constituit conatus illos naturæ viribus, & initia quædam imperfecta, ut constat ferè ex tota collat. 13. citata, & ex sancto Prospero libro contra collatorem, qui nihil magis in ipso damnat, quam illa initia imperfecta salutis, quæ hominibus ex hominibus ipsis ascribit. Constat etiam id ex Epistola sancti Prosperi ad Augustinum & altera sancti Hilarij, & ex Petro Diacono in confessione suæ fidei & ex Fulgentio cæterisque quindecim Africanis Episcopis libro de Incarnatione, & gratia. Eadem initia naturæ apertiùs, & mordicus defendit Faustus libro primo & secundo de gratia & humanæ mentis arbitrio supra citatis. Et quia tum Cassiani, tum Fausti loc aperitis in hac materia multa sunt, illaque notissima, imò fere nihil aliud in suis libris suadere conantur, omittuntur. Et quidem Cassianus totam illam collationem 13. in astruendis his initiis consumit. Similiter & Faustus duos illos integros libros, sed potissimè lib. 1. cap. 17. sic ait: *Clamat voluntas, quia sola per se elevari nescit infirmitas, ita Dominus attrahit volentem, invitat desiderantem, erigit adnitentem.* Et lib. 2. cap. 8. dicit voluntatem veniendi ad Baptismum ex solo homine esse: & in capite 9. *Invenisset absque dubio Deum, si inquirendi apponere voluisset affectum, cum enim mens humana ad videndum oculos aperit, se desideranti quæsita lux ingerit.*

Quæ autem sint illa naturæ initia, quidam dicebant esse affectum credendi, & esse fidem quam ab operibus distinguebant. Alij asserebant hoc initium esse aliquale desiderium salutis, vel orationem ad Deum ex propria naturæ facultate factam, vel aliud simile, ut videri potest in Cassiano, & Fausto, & in Hilarij, & Prosperi Epistolis ad Augustinum, vbi ista de illis referunt. Et quod Semipelagiani diversi fuerint in constituendo hæc initia naturæ, apertè constat ex Epistola sancti Prosperi ad Augustinum, in qua postquam enumeravit pravum funestumque principium, in quo omnes conveniebant, ait: *Quidam verò horum in tantum à Pelagianis semitis non declinant.* Vsque ad illa verba, *initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Et quidem Cassianus nedum imperfectam fidem, sed perfectissimam, qualis fuit Abrahæ, & contritionis liberæ sine gratia adscribebat arbitrio: atque non solum imperfectum desiderium, sed efficax, quale fuit in Zachæo procurante videre Christum, & in Davide volente ædificare templum, gratiæ substrahebat & libero tribuebat arbitrio. Perfectam etiam pœnitentiam, qualis fuit in Davide, naturali hominis libertati assignabat, ac denique gravissimas illas tentationes, vel similes, quas habuit Iob, per solam facultatem arbitrij vinci posse contendebat.

Dicebant secundò posito tali initio Deum intuitu, & occasione saltem illius gratiæ dona tribuere, ut ex modò citatis locis satis constat: voluntati enim seu labori humano subjungebant gratiæ adjutorium. Nam comparabant Dei gratiam publico fonti, ex quo qui vellet posset aquam haurire, vel soli, qui omnes illuminat, dummodo ipsi oculos aperiant, vel liberalissimo medico, qui omnes prius volentes curare paratus est, quod & Faustus in suis libris affirmat, similiter & Cassianus, eosque refert Prosper Epistola ad Augustinum, ubi dicit. *Ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur pervenire* (supple dicunt) *per naturalem scilicet facultatem petendo, quærendo, pulsando, ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introëat, quia bono naturæ bene usus, ut ad istam salvantem gratiam initiali gratiæ ope meruerit pervenire.* Et iterum. *Itaque quantùm ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam, quantum autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Cum autem audis S. Prosperum hæc asserere & referre Semipelagianos ponere merita in illis conatibus, intellige posuisse illos, vel meritum secundùm pietatem, cui tamen gratia infallibiliter daretur, vel intellige S. Prosperum explicasse id, quod reipsa illi constituebant; licet verbis negarent. Quia S. Doctor ad sensum illorum, non ad verba solum attendit. Qua ratione in modò citato loco docet illos initialem gratiam in illis conatibus naturæ constituisse; quia videlicet hoc reipsa affirmabant, de quo & convicti sunt; licet nunquam verbis protulerint illos conatus merè naturales esse merita gratiæ: in hoc autem non solùm Iulianum, sed expressè Pelagium secuti fuere Massilienses.

Pelagius

Digitized by Google

Pelagius enim ut ſupra retulimus, etiam dicebat, quod qui bene utebatur libertate conceſſa, merebatur illuminari à gratia, quamvis Pelagius magis libera voce meritum nominabat, quod tamen ſaltem quoad vocem Semipelagiani occultare nitebantur. Sed & illud eſt certum, ut cap. 5. tract. 1. præmiſimus, Pelagium numquam expreſsè dixiſſe eſſe in operibus illis meritum de condigno, ſeu de iuſtitia rigoroſa, imò omnem ſuam doctrinam ſatis accommodaret per hoc meritum ſecundùm pietatem, quod poſtea Semipelagiani magis expoſuerunt: quia tantum ipſi in illis naturæ operibus meritum ſecundùm pietatem conſtituebant, ut poſtea dicetur, ita quòd, ideo Deus adjuvabat per gratiam, quia homo naturæ viribus ſic conabatur, & in ſubſtantia erroris cum Pelagio conveniebant, vt Auguſt. probat. de prædeſt. ſanct. cap. 2. & ſequent. & 2. lib. cont. Iulian. cap. 9. quibus docet, quod quoquomodo dicatur, quòd gratia datur illis initiis naturæ, cum Pelagio conſentitur, & quòd ſi ex nobis eſt imperfecta cupiditas boni cui gratia detur, ipſum cœptum erit meritum gratiæ; meritū inquam tale, cui infallibiliter gratia reddatur, quomodocumque vocetur etiam ſecundùm pietatem

Equidem quòd attinet ad illud initium fidei, quod ex nobis ponebant, tum Caſſianus, tum Fauſtus cum Pelagio conveniebant, ut oſtendit S.P. Auguſtinus lib. de prædeſt. ſanct. cap. 2. & S. Thomas 2. 2. quæſt. 6. art. 1. Vnde ſine fundamento quidam contendunt Caſſianum, & Fauſtum Pelagianos non eſſe, nec dogma Pelagij proponere in illo initio fidei ex nobis, propter quod dicebant dare Deum augmentum fidei: illud prætendentes probare ex ſancto P. Auguſtino lib. eodem de prædeſt. ſanct. cap. primo, ubi dicit, eos aſſererè neceſſariam gratiam ad incipiendum & perficiendum: non attendentes primò, quòd ibi non loquitur de initio fidei, quod illi conſtituebant, neque in hoc docere illos multùm à Pelagio differre, ſed de aliis initiis ad quæ voce ſola dicebant neceſſariam gratiam. Secundò, quia in cap. 2. ſequenti expreſsè docet eos in tali initio fidei cum Pelagio convenire; quomodo ergo in cap. 1. huius diceret contrarium? Vnde quod eſt maxime notandum, affirmabant initia illa ex nobis alia à fide, quibus gratiam ſubjungebant, nullo modo eſſe condigna gratiæ: Videbant enim manifeſte ſi illa initia eſſent gratiæ condigna, iam gratiam non eſſe gratiam, ſed reddi debitam, quod ipſi fugere procurabant, ne cum damnata, & ab ipſo Pelagio anathematizata doctrina convenirent, vnde Caſſianus lib. 12. inſtit. cap. 13. cir fin. ſic dicit: *Dicimus enim ſecundum ſalvatoris ſententiam, dari quidem petentibus, & aperiri pulſantibus, ſed petitionem, & inquiſitionem, & pulſationem noſtram non eſſe condignam, niſi miſericordia Dei; id quod petimus, dederit.* Idem præmiſerat cap. 11. & collat. 13. Idem ſæpiùs dicit, quòd videlicet gratia ſemper gratuita perſeverabat. Et ita verbis conatus illos parvos, & exiguos videtur deprimere, ut ſolum occaſiones obtinendæ miſericordiæ eos appellet, & eſſe occaſiones tantùm declaravit manifeſtius lib. 12. inſtit. cap. 14. ſic dicens: *Præſto eſt namque occaſione ſibi tantummodo à nobis bona voluntatis oblata ad hæc omnia conferenda.* Nec unquam Maſſilienſes dixerunt illud initiū ex nobis condignum eſſe gratiæ; imò ſæpiùs dicebant gratiam dari ex miſericordia, & gratiam & miſericordiam eſſe, etiam quando illis initiis dabatur. Vnde S. Hilarius Epiſt. ad Auguſt. planè refert: *ipſos dicere non negari gratiam, ſi præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicū quærat, non autem quidquam ipſa jam valeat.* Item S. Proſper Epiſtola ad Auguſtinum dicit illos aſſererere Deum gratis vocare ſuâ gratiâ illos, qui tales conatus, & initia præberent. Ideo autem non dubitarunt Maſſilienſes appellare gratis vocatos, quos Deus gratiâ ſuâ vocat, etiamſi illi ſua induſtria initium præbeant, quia cum illo initio non ſit ſecundùm illos condignitas, prætendebant, nec negari nec evacuari rationem gratiæ, & hanc fuiſſe circa illa initia Semipelag. damnatam ſententiam conſentiunt recentiores Gabr. Vaſquez part. 1. diſp. 89. cap. 4 §. *quartò eſt maximè*, & Franciſcus Suarez lib. 3. opuſc. cap. 2. §. *atque hinc*; vterque enim dicit Semipelagianos ſenſiſſe gratiam non ex iuſtitia, ſed ex miſericordia dari talibus prævisis, & antecedentibus naturæ viribus, & de hoc fuiſſe per S. Auguſt. lib. de præd. ſanct. & per S. Proſperum, imò per Concil. Arauſ. ſecundum can. 6. damnatos. Sancti enim Patres convincebant illos quòd meritum gratiæ in illis conatibus, & initiis conſtituebant, ſiquidem illis gratia infallibiliter tamquam debita reddebatur, nec aliud reipſa intendebat Pelagius, ut dictum eſt cap. 3. tract. 1. Vnde errorem Pelagianorum eſſe, quòd inchoatio boni operis ſit ex nobis, conſummatio autem & perfectio ex Deo, ſemper S. Pater Auguſt. & S. Thomas docuerunt S.P. Auguſt. lib. 1. ad Bonif. cap. 19. lib. 2. cap. 8. lib. 4. c. 6. lib. de prædeſt. ſanct. cap. 2. S. Thom. 1. part. q. 23. art. 5. 2. 2. q. 6. art. 1. 3. cont. gent. c. 149. Quodlibet. 1. art. 5. ad Rom. 7. lect. 3. 2. ad Corinth. 2. lect. 1. ad Philippenſ. 1. lect. 1.

Conveniebant quarto illos conatus non ſufficere nec ac perficiendam, nec ad inchoandam ſalutem, ſic habetur expreſsè de ipſis relatum à ſancto Hilario Epiſt. ad Auguſtinum illis verbis. *Cæterum ad nullum opus, vel incipiendum, nedum perficiendum quemquam ſibi ſufficere poſſe conſentiunt, neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant exterrita, & ſupplici voluntate, vnumquemque ægrotum velle ſanari.* In quo alludit S. Hilarius ad id quod Caſſianus dicit in collat. 13. cap. 9. in fin, cujus verba ſunt. *Nec enim cum voluerit quis ſanctitate perficitur, aut de agritudinis morbo pro arbitrij ſui deſiderio liberatur.* & cap. 13. loquendo de gratia ait: *Dum eam ſub colore cujuſdam deſiderij, ac laboris impertit, & nihilominus gratia Dei gratuita perſeverat.* Ac rurſus. *Quantumlibet ergo enixa fuerit humana fragilitas futura retributioni par eſſe non poterit, nec ita laboribus ſuis Divinam minuit gratiam, ut non ſemper gratuita perſeveret,* & alibi ſæpe expreſſius affirmat illos naturæ conatus ante excitantem gratiam ad incrementum perfectionis pervenire non poſſe, ideſt, non pertinere ad ſalutem, quam ſalutem reſpectu operum merè naturalium dicebat ipſe incrementum perfectionis, ut ſe aperte ipſe declaravit in lib. 12. inſtit. cap. 17. in quo libro poſtquam à cap. 11. vſque ad illud 17. conſtituerat naturæ conatus illos pertinere ad ſalutem, nec ſufficere ad ſalutem etiam inchoandam ſic incipit in illo cap. 17. *Poſtremo inſtruit author ſalutis noſtræ, quid nos opporteat in ſingulis, quæ gerimus, non modò ſentire, ſed etiam confiteri. Non poſſum ego, inquit, à me ipſo facere quidquam. Pater autem in me manens ipſe facit opera. Ille ex perſona hominis aſſumpti dicit nihil à ſemetipſo poſſe facere, & nos cinis, & terra in his quæ ad noſtram ſalutem pertinent, arbitramur adjutorio Dei non egere?* Et iterum in cap. 2. præmiſerat. *Sed ne crederent ſe ad opus ſalutis non egere,* ſubjungit; *Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle.* Ecce Caſſianus cum admiratione dicit non poſſe affirmari in his quæ ad ſalutem pertinent, ſine gratia aliquid nos poſſe facere.

Clariùs autem ipſe appoſuit in lib. 12. de inſtit. cap. 14. ſe per perfectionem ſeu conſummationem, ad quam ſemper dicebat non poſſe pervenire ſe ſolam humanam naturam, intelligere ſalutem, ad quam homo ſe ſolo non poterat pertingere: ſic enim ibi habet: *Ampliùs enim ille, quam nos perfectionem, ſalutem*

Digitized by Google

salutemque nostram desiderat, & expectat. Unde fit manifestum, idem omnino esse in Cassiano, non posse hominem sine auxilio gratiæ pervenire ad perfectionem & consummationem, & non posse pervenire ad salutem, vel non posse operari se solo provt ad salutē oportet: quod est attentiùs considerandum, ut per hoc intelligas diversa dicta Cassiani, quæ sibi videntur contraria, contraria non esse, sed maximè cavillatoria. In principio enim collationis 13. dicit omnium bonarum voluntatum à Deo prodire principia. Vbi nomine bonarum voluntatum intelligebat ipse bonas voluntates ad salutem pertinentes. Cum autem postea ait: *Etiam nonnunquam ex nobis exire bonæ voluntatis principium*, se occultabat dicendo illam bonam voluntatem nostram non pertinere ad salutem. Quod apertè sanctus Prosper contra ipsum sic dicit in fine cap. 33. *Consideratis ergo omnibus definitionibus tuis, non est occultū, quantùm ab illius sententia sanitate descíueris; in qua quod tribuendum erat gratiæ fallaciter prædicando, Catholicarum tibi aurium judicia conciliare voluisti, quibus de præmissæ professionis fronte securis, facilè sequentia irreperent, si prima placuissent.*

Similiter & Faustus libro primo de gratia, & hum. ment. arb. cap. 11. sub finem sic dicit. *Qui verò, vel initium operis sibi præsumit arrogare, vel finem, ad illum meritò dicitur: Nisi Dominus ædificaverit domum in vanum laboraverunt qui ædificant eam:* Vbi planè initium salutis negat ex nobis. Cæterum hoc verbis ut se occultarent tantùm dicebant. Convicti enim sunt per sanctos Patres, & Concilia nihil aliud reipsa constituere, nisi initium salutis ex nobis, sicut Iulianus priùs affirmarat, imò Pelagianus ipse, ut diximus.

Conveniebant præterea omnes Semipelagiani, quòd si Deus incepisset gratiâ suâ hominem omnino prævenire, absque prævisis illis conatibus, quòd in tali actu non seruabatur libertas, & hoc erat illorum fundamentum. Vnde Cassianus collat. 13. cap. 14. illa verba tulit de fide Centurionis. *Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Christus, quod ipse donaverat, prætulisset.* Quod fuit priorum Pelagianorum fundamentum. De quo propterea sanctus Prosper dicit: *At exigua conclusione pænè totum tu Pelagianum dogma confirmas.* Vnde revera admittebant gratiam prævenientem prius præventam, quod satis clarè aperuit S. Prosper Epistola ad Augustinum illis verbis. *Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundùm suam phantasiam non negant esse præventas.* Hæc de illis refert S. Prosper cujus sensus planus est, quòd Semipelagiani reipsa gratiam prævenientem non præviam sed comitem constituebant, & subsequentem ad humanam voluntatem, ut ex dictis fit manifestum. At verò ipsi secundùm suam phantasiam dicebant illam esse veram gratiam prævenientem, & ab ea præveniri humanas voluntates, in illis videlicet actibus bonis, qui ad salutem pertinerent, ut explicatum reliquimus. In quo Iulianum apertè sequuntur, de quo retulimus supra cap. 8. tract. S. Augustinum affirmare, quod non admitteret gratiam excitare ad bonum hominis voluntatem, sed illam jam incipientem consequenter adjuvare.

Hæc erat illorum phantasia, qua verbis constituebant solùm gratiam prævenientem, reautem ipsa illam comitem, & subsequentem affirmabant. Vnde dicebant Deum expectare voluntatem nostram, ut constat ex Cassiano collat. 13. cap. 13. & ex Fausto. Ista initia naturæ, & conatus istos per plures canones damnat contra illos Concilium Arausic. II. Quæ omnia in examine assertionum recentiorum apertiùs manifestabuntur.

In summa hæc omnia sola voce Semipelagiani de illis initialibus conatibus publicabant. Primò quòd non erant condigna gratiæ, nec illius merito. Secundo quod non erant opera salutis, nec inter opera curationis debebant annumerari. Tertio quod nihil valebant. Quarto quòd licet proinde gratiam antecederent, nullum per hoc præjudicium gratiæ inferebatur. Quinto quod gratia licet sequeretur ad conatus illos initiales, tamen erat gratia prævenies; quæ videlicet, ut contendebant, prævenichat omnia salutis initia, quia illos priores conatus dicebant ad salutem non pertinere: sed omnia ista, ut se occultarent, sola voce fatebantur, re autem, & sensu totum omnino contrarium, quia meritum secundùm congruentiam & pietatem in illis naturæ conatibus constituebant.

Sed & illa difficultas hic venit discutienda; An initia ista naturæ, seu conatus isti, à Semipelagianis ponerentur elicita à sola & pura naturæ facultate, absque aliqua generali Dei providentia, & concursu etiam generali ordinis naturalis, quicumque ab eis statueretur. An verò putarent effici à naturali arbitrij facultate simul cum providentia Dei, & concursu tali. Sunt enim, qui ut ab eis distare videantur, affirmant eos non requirere auxilium externum, quo dæmonis potentia comprimatur, nisi eatenus ut non reddat hominem amentem, nec ullam peculiarem providentiam ad bonam cogitationem, nec auxilium cooperationis Divinæ ad efficienda initia illa, seu illos naturales conatus. Quod probant, quia teste sancto Prospero ad sanctum Augustinum dicebant: quantùm quisque ad malum, tantùm habere facultatis ad bonum, parique momento animum se vel ad vitia, vel ad virtutes movere; sed ad vitia non movetur à divina providentia, à concursu, vel à divina cooperatione; sed à sola facultate illa efficitur: ergo neque ab his movetur ad illa initia bonæ voluntatis. Vnde ad hanc illorum sententiam videtur respexisse Concilium Arausicanum, quando canone 22. diffinit, *neminem habere de suo, nisi mendacium, & peccatum.* Condemnans proinde eos quòd ex solo homine, sine alio Dei concursu ponerent fieri illa initia bonæ voluntatis naturalia. Secundo probant, quia illi dicebant per cooperationem divinam tolli libertatem; ergo illam non admittebant.

Attamen minus credibile est eos negasse pro illis initiis naturalibus bonæ voluntatis auxilia externa, ut sunt custodia Dei & Angelorum, compressio diaboli, doctrina Magistrorum, institutio Parentum, opera concionatorum, exempla virtutum, & similia. His enim Cassianus in suis collationibus plenus est: Similiter non negarunt pro illis initiis divinam providentiam qualemcumque illam admitterent, Deique generalem concursum indifferentem omnibus oblatum, quo bene uterentur si vellent, & qui cum illis bene illo utentibus cooperaretur bona illa initia voluntatis. Quod patet primò, quia in hoc à Pelagio, qui, (ut dictum est supra) ista negabat, ipsi distare prætendebant. Secundo quia sunt testimonia id attestantia, ut est illud Cassiani in collatione illa 13. cap. 3. in qua postquam in homine constituit illos conatus, quos Deus sua gratia elevabat, prætendens ab homine tollere superbiam qua de illis in seipso posset gloriari, sic ait: *Consideret namque, ac veridica examinatione perpendat, quod nec ipsos quidem conatus, quos pro desiderio opulentiæ intentus exercuit, suis viribus impendere potuisset nisi eum ad exercendum omne opus virtutis protectio Domini & misericordia roborasset.* Igitur ad illos omnes naturales conatus protectionem Dei, & misericordiam roborantem requirit, non quidem supernaturalis auxilij. Hanc enim in tota collatione pro illis conatibus negat esse necessariam: ergo saltem illam, quæ est

ordinis

ordinis naturalis, & naturalis providentiæ, cum generali naturali Dei concursu admittit.

Et crediderim hanc fuisse illius versutiam, ut à principio illius collationis ponens bonarum voluntatum ex Deo oriri principia, callidè id non de auxilio gratiæ, sed de concursu naturali indifferenti omnibus oblato intelligeret. Postea autem in processu illius, cum dicit ex homine esse illa initia bonæ voluntatis, hoc sentiat, quod ex homine sunt, cum tali concursu generali ordinis naturalis, non tamen ex Deo per auxilium gratiæ suæ, ut sic verum sit quod de illo Sanctus Prosper affirmat; *hoc ipsum quod tribuendum erat gratia fallaciter prædicando Catholicorum aures conciliare voluisse, quibus sequentia placerent, si prima placuissent.* Quomodo enim fallaciter prædicavit, quod tribuendum gratiæ erat, nisi quia dixit à Deo provenire bonæ voluntatis initia, nimirum per concursum illum indifferentem omnibus oblatum, non autem per auxilium veræ gratiæ quod expresè in tota illa collatione negavit: Unde quod Sanctus Prosper de illo affirmat, videlicet, *Doctor Catholicè, cur professionem tuam deseris?* Ad vocem potius, quam ad rem videtur referendum. Nimirum cum publica voce à principio dixisti omnium bonarum voluntatum à Deo prodire principia, cur postea dicis etiam ex homine ipso esse principia bonæ voluntatis? Hæc enim quoad vocem contraria quidem sunt, & per secundum dictum primum videtur esse desertum. Cæterum quoad sensum, & cavillationem illius prætensam, non tam desertio prioris dicti est, quam illius apertio, explicatio & denudatio modo nimirum prædicto. Nec enim videtur credibile quod Cassianus in duobus, vel tribus brevissimis capitulis illius collationis contraria revera, & quoad sensum proponeret, sed occultavit se modo proposito. Vel secundò dicendum, quod, cum apertè dixit, bonarum voluntatum à Deo prodire principia, de illo ordine hominum loquitur, quibus postea dicit à Deo inspirari bonæ voluntatis initia. Cum autem postea dicit hominem ex se habere bonæ voluntatis initia de alio secundo ordine hominum loquitur, qui secundùm ipsum suis bonis conatibus gratiam Domini prævertiebant, ut Sanctus Prosper intelligit contra collatorem cap. 37.

Vnde ad primum in contrarium dicendum ipsum posuisse in potestate arbitrij tantam esse facultatem ad bonum naturale, sicut ad malum; ita quod indifferenti Dei naturali concursu sibi oblato æquè poterat arbitrium ex se illo bene uti; & bene operari, sicut malè si vellet, & utentè ipso arbitrio tali concursu, sive in bonum sive in malum, concursus simul eum illo cooperaretur, tractus videlicet à libertate arbitrij, sive in hanc, sive in illam partem. Itaque solum negavit prævium Dei influxum efficaciter moventem voluntatē ad hoc, vel illud sicut destructivū libertatis.

Concilium autem Arausicanū citato canone contra Massilienses, sic Philosophantes, quia vidit quod per talem indifferentem concursum generalem omnibus communiter oblatum Deus non operatur illud bonum opus naturæ sed arbitrium ipsum, quod ex se ipso concursum determinat, ut secum bene operetur rectissimè diffinivit; quòd illud bonum non sic habemus ex nobis, sicut ex nobis. Solum habemus mendacium, & peccatum ex nobis.

Quòd autem dicitur ultimo negasse Massilienses cooperationem Divinam, quia videbatur tollere libertatem, si de prævia, & efficaci cooperatione dicatur, *id* quidem verum est, quod illam ratione facta negarunt, si autem intelligant de cooperatione simultanea, seu potius consequente, nec illam negarunt, nec dicere potuerunt per illam libertatem aliqua ratione impediri.

CAPUT VIII.

Quod hoc meritum secundum congruitatem positum à Semipelagianis in illis conatibus naturalibus gratiæ rationem tollat.

NON desunt authores, qui minùs ad hæc attendentes, quibus tam multiplicatis verbis negabant Semipelagiani se meritum de condigno in illis conatibus naturæ collocare, contendant, adhuc voluisse eos in illo suo initio fidei, vel salutis meritum de condigno constituere. Quia non putant posse aliter efficacem reddi rationem qua sanctus Augustinus, & alij Patres utuntur semper adversus eos concludentes quòd rationem gratiæ destruerent, & illam naturæ debitam ponerent. Cum enim Sanctus Augustinus sæpe affirmet eos in damnatam sententiam Pelagij incidere constituentis gratiam secundùm merita nostra dari, & S. Prosper in hoc probando sit totus contra Collat. & Fulgent. 1. lib. ad Monimum & de incarnatione & gratia; & Pelagius sine dubio meritum de condigno posuerit in operibus naturalibus liberi arbitrij, hinc & ipsi concludunt sensisse hos Patres, Semipelagianos etiam meritum de condigno in illis suis naturæ conatibus posuisse; aliàs illorum ratio minùs efficax esset, ut aiunt, si ex merito de congruo inferrent gratiam debitam, vel authores illius meriti cum Pelagio consentire dicerent. Ita arbitratur Card. Toletus in Epist. ad Rom. cujus sententiæ videtur Vega lib. 8. in Iudi. cap. 5. & alij qui putant meritum de congruo rationem gratiæ non tollere.

Item potest suaderi ex plurimis aliis Scholasticis, qui post Concil. Trident. Arausi. & post totam disputationem Augustini, Prosperi, & Hilarij, & aliorum contra Semipelagianos, tale meritum de congruo in illis naturæ operibus admiserunt. Nec est verisimile aut ignorasse definitionem Sanctorum Patrum, si meritum de congruo in Semipelagianis damnarunt, aut contra illam opinatos fuisse: ergo intellexerunt prædicti scholastici nihil esse definitum contra meritum de congruo in Semipelagianis. Vnde omnia scripturæ testimonia, quæ dicunt gratiam, ut gratia sit, non fieri ex operibus, & omnia Concilia quæ negant meritum gratiæ, dicunt de illo quod propriè, & in rigore meritum est, esse intelligenda, quale est solum meritum de condigno. Hoc enim meritum de condigno non dari respectu gratiæ asserunt expressam fidem esse ab Apostolo prædicatam, & in Concilijs expressè diffinitam, nihil tamen de meritis de congruo esse in illis determinatum. In hanc sententiam ex parte inclinat modernus ille author in lib. 2. de prædestin. cap. 6. Quamvis enim ipse teneat ac bene fundet Semipelagianos tantum meritum de congruo admisisse, & de hoc fuisse disputationes Augustini, Prosperi, Hilarij, & Fulgentij, atque tale meritum rationi gratiæ in scripturis traditum adversari; non tamen audet dicere esse contra fidem hoc meritum de congruo constituere, propter Scholasticorum autoritatem, & etiam quia nec expresè, & apertè meritum de congruo est in aliquo Concilio damnatum.

Nihilominus indubitanter est tenendum Semipelagianos tantùm meritum de congruo admisisse in illis naturæ operibus, quod præcedenti cap. dedimus manifestum. Firmiter etiam asserendum de hoc fuisse S. Augustini & aliorum Patrum eum ipsis disputationes, & efficacissimè concludisse eos per tale meritum gratiam constituere naturæ debitam, & de hoc merito de congruo fuisse in Concilio Arausicano dam-

Digitized by Google

natos. Vnde & firmiter tenendum est, errorem esse manifestum in fide tale constituere meritum de congruo in bonis conatibus naturæ, cui infallibiliter gratia reddatur. Nec scholastici DD. quod est attentius distinguendum, hoc meritum de congruo à Semipelagianis positum, cui infallibiliter gratia detur, admiserunt, ut ex professo in tertio nostro libro accuratiùs expendemus.

Proposita veritas aperitur. Primò quia ut ostensum est cap. præcedenti Semipelagiani expressissimis verbis, ac multiplicatis asserebant se meritum in illis conatibus non admittere, sed tantùm occasionem, ut Deus daret suam misericordiam, imò per hoc arbitrabantur se à Pelagio, qui meritum de condigno in illis posuit, longiùs ire. Cum ergo hoc sit apertissimum quis potest asserere eos meritum de condigno admisisse.

Ex quo & illud etiam evidenter concluditur Sanctum Augustinum & sanctos alios Patres, qui eos expugnarunt, ac Arausicanum Concilium, & Pontifices Summos, qui in eis meritum damnarunt, hoc planè meritum de congruo, quod illi constituebant, damnasse, nisi quis audeat dicere Sanctos illos PP. Concilia & Pontifices, vel meritum, quod à Semipelagianis astruebatur, ignorasse, vel contra illos ex professo tractando, non meritum ab eis assertum, sed aliud, de condigno scilicet, condemnasse, Qui erit novus error ad eludendas Conciliorum definitiones excogitatus. Damnarunt ergo Patres, Concilia, atque Pontifices meritum de congruo in Semipelagianis, cui infallibiliter gratia reddebatur.

Quod ut apertum reddatur duo oportet supponere. Primum, quòd non solùm meritum de condigno facit rem sibi debitam, sed etiam meritum connaturalitatis, & connexio intrinseca unius ad aliud, facit illud quadam ratione sibi debitum. Secundum quòd gratia in Scripturis, & potissimè à Paulo prædicata est perfectissima gratia, & omnibus modis gratuita, & nulla imaginabili vel minima ratione naturæ operibus debita.

Ex quibus duobus fundamentis, quæ indubitata sunt, plane convincitur quòd gratia in Scripturis, & à Paulo prædicata, non solùm excludit rigorosum meritum de condigno, cui fit ex justitia debita, sed etiam excludit quodcumque meritum congruitatis, vel connaturalitatis, vel connexionis existens in naturæ operibus, ad quod illa infallibiliter consequatur; quia aliàs aliquo modo & aliqua ratione, illis esset debita, quod perfectam rationem gratiæ excludit: & hac ratione S. Augustinus, & Patres, atque Concilia efficacissimè concluserunt contra Semipelagianos, quòd facerent gratiam aliquo modo naturæ debitam, & quod cum Pelagio consentirent.

Duo illa priora fundamenta aperiuntur, & quidem primum sic ostenditur. Certum est enim in actionibus physicis, quod cum homo generat hominem, licet non possit generationem perficere, nisi Deo creante animam filij, quia tamen illa creatio debita est connaturaliter homini disponenti materiam ad informationem & unionem animæ, non censetur illa animæ creatio specialis liberalitas, & gratia, sed quodammodo illi dispositioni materiæ debita, propter connexionem & connaturalitatem materiæ sic dispositæ ad formam illam.

Similiter in moralibus faciente homine per naturæ vires actus scientificos, sequitur habitus non sine nova & naturali actione Dei, non tamen habitus ille potest gratia vocari, quia ut est à Deo, naturali hominis actioni debita est, propter connaturalitatem & connexionem intrinsecam, quam habet ad habitum illum.

In civilibus præterea, ut donatio propriè donatio dicatur, non potest fieri ob aliam causam gratificativam, vel renunciativam, sed ex mera liberalitate donantis, & ita si donatio fieret ad gratificandum aliud, vel ob aliud quod postularet, ut illa fieret, vel connaturalitatem ad illam haberet, licet non infallibilem, proculdubio illa donatio non esset, sed aliqua ratione debita. Insuper indubitatum est apud Theologos, quod si homo naturæ viribus se ultimò disponeret ad gratiam, quod illa, gratia non esset, sed illi dispositioni cum qua habet connaturalitatem debita, & tamen ibi cessaret ratio meriti de condigno, quod nullum esse potest ante gratiam justificantem.

Tandem si homo ex se posset habere fidem, & per illam impetraret veniam peccatorum solum esset meritum de congruo, & tamen illud sufficeret ut venia peccatorum non esset gratia, sed quodammodo debita naturæ, ut Augustinus contra Semipelagianos ostendit: Igitur certum debet esse illud fundamentum quòd meritum de congruo fundatum in naturalitate ad aliud, illud faciat aliqua ratione debitum, & non omnino gratuitum.

Rationes quibus hoc probaturi sumus, pro tertio nostro libro relinquuntur, quia ad præsens hæc sufficiunt ad intentum.

Illud autem aliud secundum principium, quòd gratia in Scripturis tradita, & ab Apostolo prædicata sit perfectissima gratia & omnibus modis gratuita Dei bonitate donata, mirum est, si quis audeat inficiari, quia sine dubio hoc ipsum ipsa Scriptura sacra testatur ad Ephes. 2. *Consedere nos fecit in Cœlestibus in Christo Jesu, ut ostenderet in seculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu.* Quibus ostendit perfectissimam gratiam & omnibus modis ex parte Dei gratuitam: hanc enim exponit abundantes divitias gratiæ Dei. Quæ enim esset abundans & perfectissima gratia Dei, si illam ipse daret propter connaturalitatem & intrinsecam connexionem, quam gratia haberet cum operibus naturæ illam infallibili ordine petentibus, ac postulantibus: Vnde & subdit explicans magis hanc omnino gratuitam gratiam: *Gratis enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est & non ex operibus, ne quis glorietur.* Vbi tria simul notentur, quæ Apostolus ad commendationem perfectissimæ, & omnibus modis gratuitæ gratiæ apponit. Primum, *& hoc non ex vobis*, ut excluderet quidquid imaginari potest ex parte hominis infallibiliter inclinans Deum ad gratiam dandam, si enim quid tale esset, ex nobis aliqua ratione esset justificatio. Vnde dicit, & hoc non ex vobis, id est, nulla ratione, nullo titulo, nulla occasione ex vobis est quæ hæc postularit. Quòd magis declarat, cum subdit, *non ex operibus*, ubi omnia opera planè negat, quibus gratia infallibiliter reddatur, non enim dixit, non ex meritis, ne aliquis id restringeret ad proprium, & rigorosum meritum de condigno, sed ait: *Non ex operibus*, ut generaliter opera omnia antecedentia gratiam excluderet, quorum intuitu gratia ipsa daretur. Quòd adhuc magis in tertio exponit, dicens, *Ne quis glorietur.* Quacumque enim ratione gratia esset ex operibus solius naturæ, cum quibus connexionem haberet inseparabilem, & infallibilem ordinem, non excluderetur omne id unde possit homo gloriari. Cum ergo hoc Apostolus ex intentione excludat, apposuit illud, non ex operibus, in illa amplitudine, & generaliter acceptum, qua omnia opera sua sive de condigno, sive de congruo, cui infallibiliter gratia correspondaret, penitus negaret. Et similiter ad Rom. 11. in eodem sensu dixit, *quòd si ex operibus, iam non est gratia*, id est, si ex operibus, vel de condigno merentibus,

vel

Digitized by Google

vel de congruo ita postulantibus, ut infallibiliter eis donetur, jam non est illa perfecta Dei gratia, sed jam erit operibus naturæ debita.

Accedit illud primæ ad Cor. 4. *Quid habes quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Quibus significat Apostolus, quòd in bonis quibus fidelis ab infideli, & justus ab injusto secernitur, nullam gloriam possunt sibi homines usurpare; usurparent autem non paruam, si suis viribus, & naturæ operibus possent illam aliquo modo emereri, & ita emereri, ut eis infallibiliter gratia donetur: Et ad hoc mirificè conducit illud aliud Apostoli: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Proculdubio jam homo inflatus dicere posset: priùs ego naturæ viribus dedi ei bonum opus, quod postulat ut infallibiliter ei gratia donetur: Unde si Deus daret gratiam, quia ille fecit prius tale opus, certe prius homo daret Deo ut sibi retribueretur. Unde sanctus Augustinus potissimè hoc testimonio Semipelagianos expugnat, & illorum prius meritum de congruo debellat de prædestin. sanct. cap. 2. Igitur dubitari non potest ita per gratiam in scripturis prædicatam excludi meritum de congruo in operibus naturæ, cui infallibiliter gratia reddatur, quod oppositum asserere, si jam aperta hæresis non sit, ad minus sit error in fide evidenter ex scriptura conclusus.

Sed in Concilio Arausicano invenitur sine dubio damnatus, tum quia, ut præmisimus, meritum secundùm quod à Semipelagianis ponebatur, damnavit, *ipsi autem illud de congruo tantùm constituebant*, ut ostensum est supra: Tum quia in illo duplici canone 17. videl. & 25. negat meritum gratiæ, & in illis potissimè in 25. non obscurè declarat, quòd illud meritum negat, quo præcedente dicebant Semipelagiani misericordiam dari, quod proculdubio erat solùm de congruo, nam merito de condigno ex justitia redditur: sic enim diffinit: *Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per misericordiam juvamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus meritis, & fidem, & amorem sui priùs inspirat:* Vbi, *meritum*, vocavit quod prius dixerat inceptum ex nobis bonum opus, cui misericordia dabatur secundùm Pelagianos; sed illud opus à nobis inceptum, cui dicebatur misericordia donari, erat meritum de congruo, unde & dicebatur, quod non tollebat rationem misericordiæ, & gratiæ; ergo illud nomine meriti intellexit Concilium.

Præterea, ut omnibus Concilium auferret rationem dubitandi, illud meritum, quod in can. 17. negavit, exponens in canone 18. sequenti, inquit, *Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.* Ubi generaliter sicut Apostolus opera omnia, quibus reddatur aliquo modo gratia, sive illa sint de condigno, sive de congruo infallibilem ordinem habentia cum gratia, negat.

Ad hæc in omnibus aliis canonibus. 3. 4. 5. 6. 7. & sequentibus nihil aliud expressè damnat Concilium nisi opera naturæ viribus facta, quæ ordinem, connaturalitatem, & connexionem habeant cum gratia, quibus apertissimè meritum quodcumque, quod ex congruitate talem connexionem habeat cum gratia, expressè condemnat. Legantur canones illi, & evidentissimum erit quodcunque *meritum*, ex primaria intentione damnare quod sit opus naturæ, cui gratia conferatur: Igitur quamvis sub voce, *meriti*, non esset evidens, quòd hoc Concilium damnet meritum de congruo Semipelagianorum, manifestum est, & apertissimum literaliter damnare Concilium illud opus naturæ, cui gratia conferatur, sicut habens connaturalitatem & connexionem cum illa.

Insuper in canone quinto apertissimè damnat, qui obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium: ergo quomodocumque operi priori naturæ subjungatur gratiæ adjutorium, sive ex condigno, sive ex congruitate & connaturalitate, in prædicto Concilio damnatur. Imò, quod est advertendum, hunc infallibilem ordinem inter opera naturæ præcedentia & gratiam subsequentem ex professo magis damnare intendebat Concilium, quam insistere in merito, sive propriè, sive impropriè dicto. Vnde sub voce meriti rarò, ut dixi, sed sub aliis vocibus explicantibus illam infallibilem connexionem naturæ cum gratia, multoties hoc anathematizat Concilium.

Tandem illa initia salutis, quæ Semipelagiani in illis naturæ conatibus constituebant, ex professo damnat in canone 7. & seq. ergo sub hac voce *initium salutis, vel opus salutare* damnat Concilium illa opera natura, & meritum in illis positum.

Quomodo ergo potest dici quod meritum de congruo, quale Semipelagiani confingebant in naturæ operibus, non sit expressè damnatum in Arausicano Concilio, ita quod non sit contra fidem illud admittere? Ecce enim sub æquivalentibus omnino verbis in tali Concilio invenitur damnatum hoc initium salutis, hoc meritum de congruo, & hoc naturæ opus cui infallibiliter gratia donetur, ita quòd expressè damnatur in Concilio opus naturæ, cui infallibiliter misericordia, sive gratia conferatur: sive hoc dicatur initium salutis, sive meritum de congruo, sive occasionem solam cujus intuitu gratia reddatur. Et contrarium asserere, vel opinari est respsa diffinitiones hujus Concilij contra Semipelagianos magna ex parte infringere, aut in dubium implicitè revocare. Nec de authoritate hujus Concilij, & quomodo fidem in Ecclesia faciat, verbum oportet facere, cum indubitatum sit, & certissimum fidem facere in Ecclesia Concilium tale, quod etiam dixerim contra aliquos, qui aliquando, latenter tamen, huic Concilio detrahebant, quamvis postea melius eos sentire audiverimus.

Ex Sãcto Patre Augustino, qui in hac causa est totus, & sicut errorem in fide damnat illud meritum de congruo, sive illam connaturalitatem à Semipelagianis conflictam inter opera naturæ antecedentia, & subsequentem gratiam, duo tantum summa brevitate expendemus testimonia, quibus aperit se illud meritum de congruo in illis damnare. Primum est ex libro de prædest. Sanct. & ex epist. 105. 106. & primo retract. cap. 9. ubi illud meritum in illis naturæ operibus refutat, quod admittit in peccatore per fidem petente auxilia ad gratiam obtinendam. Certissimum est autem in peccatore per fidem sic postulante tantùm esse meritum de congruo: ergo certissimum debet esse quod meritum de congruo in Semipelagianis damnavit.

Secundum testimonium efficacius est ex cap. 2. de prædest. Sanct. ubi contra Semipelagianos sic instat: *Videte si aliud agitur isto modo, nisi ut gratia Dei secundum merita nostra detur quolibet modo, ac si gratia jam non sit gratia.* Ponderanda venit illa particula, *quolibet modo*, ampliat enim meritum ad quemlibet modum meriti; & asserit quòd quolibet modo meritum respectu gratiæ ponatur, ita quod ipsa ei infallibiliter reddatur, jam gratia non est gratia. Propterea autem ait, quolibet modo ponatur meritum à Semipelagianis, quia sciebat ipsos non de condigno, sed de congruo, & secundùm quamdam pietatem meritum respectu gratiæ infallibiliter dandæ constituisse. Nam si sentiret eos meritum de condigno statuisse, nec dicere posset, quolibet modo, sed assereret quod rigorosum meritum de justitia constituerunt.

Digitized by Google

Concludendum est ergo tantùm meritum de congruo, vel secundùm pietatem Semipelagianos admisisse in illis naturæ operibus gratiam præcedentibus, quibus confestim dicebant gratiam dari intuitu vel occasione ipsorum, ut expressis verbis affirmarunt, & hoc meritum de congruo in eis Sanctos Patres & Concilia damnasse, ita quòd error sit in fide manifestus, quòd ex solis naturæ viribus tale fiat opus cui infallibiliter gratia detur intuitu & occasione ejus.

Concludendum est etiam rectè ex tali merito de congruo intulisse Sanctos Patres, gratiam dari secundùm merita, & poni naturæ debitam, si ejus intuitu efficaciter gratia dabatur; Quia præter dicta, ratio manifestè suadet, impossibile esse tale meritum in operibus naturæ, quia meritum etiam de congruo requirit proportionem aliquam ad rem cujus est meritum, sive fundatam in conditione & dignitate personæ operantis, vel ipsius operis vel promissionis divinæ. Manifestum est autem nihil tale posse esse in operibus naturæ respectu gratiæ: ergo eis meritum de congruo respectu gratiæ repugnat. Minor patet quia persona indigna est, utpote in peccato originali & aliis actualibus existens, opus autem inferioris ordinis est, nec proportionem potest habere cum ordine superiori gratiæ, promissio autem nulla talis legitur: nequit ergo ab aliquo meritum de congruo poni in operibus illis. Quod si addatur, quod illi merito infallibiliter gratia datur intuitu illorum operum damnata sententia est Semipelagianorum, à qua, ut tertio libro dicemus longe distant scholastici DD. qui meritum de congruo in illis naturæ operibus videntur admittere. Quod non intelligentes hæretici hujus temporis scholasticis DD. imposuerunt, quòd Pelagiani essent, à qua injuria eos Concilium Tridentinum liberavit, ut ex professo in tertio libro erit manifestandum.

CAPVT IX.

De erroribus Cassiani, & aliorum Massilienſium circa adjutorium gratiæ, quod dicebant neceſſarium ad ſalutem.

NOn solùm erraverunt Cassianus & Faustus, ac Semipelagiani alij in eo, quòd primum gratiæ adjutorium assignarent illis bonis naturæ conatibus infallibiliter tribuendum, quasi ipsis debitum, & propterea esse consequens, & pedissequum posuerunt, non autem prævium humanorum meritorum, & per consequens convincebantur quòd verum adjutorium gratiæ non admitterent, cum poneretur naturæ debitum, ut contra Pelagium ac Julianum manet expositum, nec solùm in hoc cum Juliano conveniunt, sicut ille cum Pelagio: sed etiam errarunt, quia adhuc tale subsequens gratiæ adjutorium datum seu redditum propter illos priores conatus naturales non constituebant in se ipso revera esse verum gratiæ adjutorium, sed esse tantùm revelans, ostendens, suadens, invitans, atque alliciens seu moraliter tantùm ac metaphoricè movens; vel objectivè objectum proponens tantùm, quod proinde non recedere à commendatione legis, atque doctrinæ probavimus supra referentes errores Pelagij atque Juliani, quod venit modo copiosius demonstrandum.

Et quidem quòd Cassianus & Faustus, ac Semipelagiani alij admitterent adjutorium excitans moraliter seu invitans, & alliciens voluntatem, quod supernaturale esset, & ad actus supernaturales objectivè moveret, constat, quia Cassianus sic habet in collatione illa 13. cap. 6. *Qui cum in nobis virtutum quendam bonæ voluntatis inspexerit illuminat eam confestim, atque confortat & incitat ad ſalutem.* Quod adjutorium ex parte intellectus utpote suadens, invitans, & objectivè movens constituebant solum. Nec enim moveat quod per illud Deum dixit confortare hominis voluntatem; non enim intellexit aliam confortationem seu aliam vim, ac virtutem voluntati impressam, præter illam invitationem, suasionem, & objecti propositionem, quæ generalitate vocabuli confortatio dici potest; Et rursus cap. 11. *Nam cum viderit*, inquit, *nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat:* Vbi eodem modo sumit verbum, confortat, pro moraliter excitare, suadere, atque invitare quod ad intellectum pertinet, non ad voluntatem; quod ipse apertè sequentibus verbis declarat sic dicens: *Rursus si nos nolle vel intepuisse perspexerit adhortationes ſalutiferas admonet cordibus noſtris, quibus voluntas bona vel reformetur, vel reparetur in nobis.* Quibus verbis formationem, & reparationem nostræ voluntatis non alio adjutorio quam adhortante fieri confitetur. Quid clariùs ipsum adjutorium tantùm constituere, quod non recedit à commendatione legis atque doctrinæ?

Ex quibus sit manifestum Cassianum respectu actus liberi voluntatis nostræ, nullam admittere excitationem in voluntate impressam, qua ipsa voluntas moveatur, distincta realiter ab excitatione objectiva facta per intellectum proponentem, suadentem, & invitantem voluntatem ad actus liberos, ut illius inducta verba satis publicant. Licet autem ut supra de Juliano diximus, admitteret Cassianus ex parte voluntatis supernaturalem excitationem ad actum indeliberatum realiter distinctam ab ostensione & suasione facta per intellectum, in nihilo à suo & Juliano errore discederet, cum ad actus liberos nullam ex parte voluntatis excitantem gratiam admiserit, in qua neganda præveniente gratia ex parte voluntatis illorum potissimè error consistebat, & de qua admittenda contra illos per Sanctos Patres controversia fuit. Quod attendens Sanctus Prosper libro contra collat. cap. 27. Cassianum inducentem semina virtutum naturaliter nobis insita, & dicentem, quod nisi opitulatione Dei fuerint excitata ad incrementum perfectionis pervenire non possint, sic contra illum habet: *Ad perfectionis*, ait, *incrementum ſemina hæc pervenire non poterunt, niſi opitulatione Dei fuerint excitata, ut ſcilicet opitulatio Dei ſit cohortatio atque doctrina* Hæc S. Prosper.

Eodem prorsus modo ac Cassianus, Faustus explicat illud adjutorium, quod gratiam vocabat. Postquam enim lib. 1. superius citato cap. 17. dixisset: *Ita Dominus invitat volentem, attrahit deſiderantem, erigit admittentem*: subdit statim: *Quid eſt aliud attrahere, niſi prædicare, niſi ſcripturarum conſolationibus excitare, increpationibus detereri deſideranda proponere, intentare metuenda, judicium comminari, præmium polliceri*, Hæc ille. Satis ergo est manifestum nullam aliam prævenientem gratiam illos admisisse, nisi hanc, non recedentem à commendatione legis atque doctrinæ, imò hanc prius à naturæ conatibus præventam ipsisque debitam, ut dictum est: quod adversus eosdem Cassianum & Faustum expressius idem Sanctus Prosper declarat in prosa de ingratis, seu contra ingratos ita describens illam quam ipsi gratiam vocabant.

Non hoc Consilio tantùm, hortatuque benigno
Suadens atque docens, quasi normam legis haberet gratia. *Et iterum clariùs*
Dum aliud non est vobis gratia, quam lex
Quamque propheta monens, atque doctrina magistri.

Item magis ex professo clariùs, si aliquid clarius dici

dici potest Epistola ad Ruffinum de Semipelagianis sic dicit: *Hoc apud se ingenio servarunt, ut ad incipiendum, & proficiendum, & ad perseverandum in bono, necessariam homini Dei gratiam profiterentur, sed in hac professione quomodo vasa irae molirentur irrepere, ipsa Dei gratia vasis misericordiae revelavit. Intellectum est enim saluberrimèque perspectum, hoc tantùm eos de gratia confiteri, quod quadam libero arbitrio sit magistra, seque per cohortationes, per legem, atque doctrinam, per creaturam, per contemplationem per miracula, perque terrores extrinsecùs iudicio eius ostendat, quo unusquisque secundùm voluntatis suae motum si quaesierit inveniat, si petierit accipiat, si pulsaverit introeat. Quia scilicet gratia ipsius vocatio hoc primum circa nos agit, ut nostrae facultatis arbitrium admoneat, nec aliud sit gratia, quam lex, quam Propheta, quam Doctor.* Quod si gratiam, quam vocabant cooperantem receperunt Semipelagiani, ut patet ex Cassiano & Fausto citatis locis ita quod excitans fieret cooperans, ita hoc dicebant fieri, ut posita gratia excitante, & invitante, atque consentiente libro arbitrio ex se illi, illa fieret cooperans, seu potius pedissequa, & subsequens, ut explicavimus supra. Hoc autem reipsa nihil erat aliud, quam affirmare quod talis gratia cooperans nobis dabatur, quia nos volumus, & ex consequenti dicebant quòd talis gratia ex aliquali priori merito dabatur, quo ex nobis bene utebamur illa priori divina excitatione, & invitatione, quod recte S. Prosper declarat, cum dicit Epistola ad S.P. Augustinum. *Unde quia in istis Pelagiana pravitatis reliquiis non mediocris virulentia fibra nutritur, divinae voluntati impiè voluntas humana praefertur, ut ideo quis adiuvetur quia voluit, non ideo quia adiuvatur, velit.* Duplex ergo initium gratiae Semipelagiani constituebant, ut apertissimè patet ex isto capite, & praecedenti, & ex plurimis Semipelagianorum testimoniis in eis inductis, quod est maximè advertendum, primum initium ad gratiam excitantem, secundum initium efficacitatis gratiae. Sicut enim contendebant, quod positis illis conatibus merè naturalibus, id est nihil habentibus si per naturalitatis, sed tantum ex naturae viribus elicitis, gratia excitans dabatur, ita asserebant quòd data illa gratia suadente, quam & praevenientem vocabant, homo ex sua libertate incipiebat illa bene uti, & sic incipienti Deus efficaciter cooperabatur. Unde initium illius efficacitatis ex homine ponebant, in quo substantialiter haeresis Semipelagiana consistit: quòd nempe initium boni operis sit ex nobis, consummatio autem ex Deo, ut semper SS.PP.&. S.Thomas docuerunt. Imò in illa sic vocata cooperãte gratia, seu gratia adjuvante, in qua videntur à Pelagio recedere, triplici alia via cum ipso convenire in damnatis eius erroribus exposuimus supra, agentes de erroribus Iuliani, quod hic etiam repetendum non putamus, sed tantum advertendum hanc vocatam adiuvantem, seu cooperantem gratiam à Iuliano primo ejus inventore sumpsisse Cassianum, & Faustum, & alios plures.

Quod si contra objicias: Si veram Christi gratiam non admittebant Semipelagiani, quare S. P. Augustinus lib. 1. de praedest. sanct. cap. 1. relata ipsorum sententia de gratiae receptione, quam dicebant necessariam non solum ad perficiendum sed etiam ad incipiendum opus bonum, docuit illos per hoc multum recedere à Pelagianorum sententia, si ita est, quòd non recedant à lege, atque doctrina, quae fuit Pelagij damnata sententia, ut modo ex sancto Prospero probavimus? Quod aliqui modo pro magno opponunt ad suadendum Cassianum & Faustum à Pelagianorum erroribus fuisse alienos, ut ex citato loco Sancti Patris Augustini probare contendunt.

Ad hoc dicendum quòd omnis gratia praeveniens à Semipelagianis admissa respectu quorumcumque actuum humanorum, sola interior illustratio & excitatio erat, nec aliam effectricem bonae voluntatis vnquam receperunt. Imò hanc planè dicebant libertatem auferre. Admittebant praeterea gratiam cooperantem, quam adjuvantem ipsi appellabant, quam dicebant dari, quia homo operabatur, & ex se consentiebat gratiae excitanti, ut modo probatum est.

Nec S. Aug. unquam docuit illos per hoc fateri veram gratiam Christi, quae videlicet facit nos facere; imò totum contrarium contra illos dixit in toto libro de dono persev. contra hos Semipelagianos conscripto. Sed id affirmavit, quod in eo, quod Semipelagiani dicebant gratiam esse necessariam ad inchoandum, & perficiendum opus bonum; multum distabant à priori Pelagio, qui dixerat hominem ex se semper incipere, & Dei gratiam ex merito dari. Rursum à Pelagio differebant, quia Pelagius, ut visum est supra, gratiam ex parte voluntatis nunquam admisit, ut necessariam, atvero isti gratiam ex parte voluntatis necessariam admittebant, quacumque illam admitterent, cooperantem nempe cum voluntate, iam etiam supra explicatam, quam Pelagius non admisit. An verò illam gratiam quam ad perficiendum & inchoandum admittebant, recte constituerent, id tunc ibi nullo modo affirmavit. Imò ut dixi in toto libro de dono perseverantiae ex professo docuit illam veram Christi gratiam non esse.

Itaque duo sunt distinguenda pro perfecta intelligentia S. Augusti. Aliud est, quod gratia sit necessaria ad omne opus bonum, & perficiendum, & inchoandum. Aliud verò quaenam sit illa gratia, quae sic ad incipiendum, & perficiendum necessaria est. Si ergo Semipelagiani secundùm rei veritatem, & non tantùm verbis (ut diximus) affirmarent ad omne opus bonum incipiendum esse gratiam necessariam; nec illos priores conatus initiativos gratiae constituerent, absque dubio per hoc maximè ab errore Pelagianorum discederent, & hoc tantùm S.P. Augusti. affirmat. Caeterum licet in hoc à Pelagianis recederent non tamen in alio, dum illam antedentem gratiam non veram gratiam veras dantem voluntati vires affirmarent, sed tantùm illam constituerent non recedentem à commendatione legis, atque doctrinae, de quo ut diximus semper à S.P. Augustino expugnantur. Itaque, ut supra notavimus agentes de erroribus Pelagij & Iuliani, audita hac relatione, quod Cassianus, & Faustus, & caeteri Massilienses gratiam admitterent necessariam ad incipiendum, & perficiendum; putavit sanctus Doctor August. veram gratiam, saltem dantem sufficientes vires voluntati eos admittere, quam si sic constituerent necessariam, non dubium quin à Pelagio in hoc distinguerentur. Verum attentiùs inspectis postmodum illorum libris & opusculis detexit S. Prosper, eos verbis tantùm illam vocare gratiam, re autem ipsa veram gratiam non esse, sed tantùm ex parte intellectus ostensiones, & suasiones internas supernaturales non recedentes à lege atque doctrina interiori: Unde illa verba consultò adhibuit supra relata in Epistola ad Ruffinum: *Intellectum est enim saluberrimèque perspectum hoc tantum eos de gratia confiteri, quod quadam libero arbitrio sit magistra*: Hoc inquam, quod saluberrimè est perspectum & denudatum, attentius eorum doctrina considerata, à principio quia latebris obscuritatis se involuebant, & verbis solum gratiam, ut se occultarent nominabant (quod proprium esse haeresis hujus S. Hieronymus supra à nobis relatus in Epistola ad Ctesiphontem primo observavit) non ita perspectum fuerat, & consideratum. Quid autem

Digitized by Google

mirum quod audita illa relatione sibi facta per S. Prosperum, quod nempe Semipelagiani Cassianus, & Faustus constituebant necessariam gratiam ad incipiendum, & perficiendum, putaret S. P. Augustinus illos veram gratiam, ut verba sonabant admittere, cùm etiam de Pelagio aliquando sibi visum fuerit, illum veram gratiam fuisse confessum, & omnes illius tergiversationes fuisse consumptas prout plenius ex ipso S. Doctore supra agentes de Pelagio, & ejus erroribus, latebrisque quibus sese involuebat, manifestavimus.

Unde non video quanam ratione moderni aliqui Doctores nunc de Cassiano, aliisque Semipelagianis hæc audeant verba proferre [Hi omnes, utpote viri alioquin catholici, & religiosi, contra Pelagium & Celestium gratiam Christi fatebantur, non solùm utilem, sed etiam necessariam ad justificationem, perseverantiam, & merita æternæ vitæ, qua nisi adjuventur conatus nostri, non modò difficilè consequerentur quod contendimus, verùm etiam irriti essent, & inanes ad iustificationem, & merendum vitam æternam] ita Gabriel Vasquez 1.part.quæst.23. disp.89.cap.4.§.deinde. Et in principio cap. 5. eiusdem disput. sic iterùm subdit: [Primò igitur observandum est quod initio diximus, hos authores, alioquin pios, & religiosos non ita sensisse de gratia, sicut Pelagius, & Cœlestius docuerunt, sed eam esse necessariam apertè satis fatebantur. Sic Cassianus locis citatis, & Chrysostomus egregiè admodum de gratia loquuntur. Sed & Faustus lib. 1. de libero arbitr. capite 1. usque ad 6. & potissimè 14. eloquentissimè gratiæ necessitatem contra Pelagium probat, nec solùm docet in natura lapsa, sed etiam in integra eam fuisse necessariam ut primus homo perseveraret, ut videre est lib. 1. cap. 1. atque idipsum affirmasse Massilienses testatur Hilarius epist. illa citata.]

Circa cujus verba observandum est relatum authorem non debuisse, nec potuisse S. Chrysostomum Doctorem egregium in hac materia, & causa cum Cassiano, & Fausto conjungere; quæ enim conventio lucis ad tenebras? Siquidem Cassianus, & Faustus Semipelagianorum duces, Iuliani doctrinæ toties in prioribus Pelagianis damnatæ sequaces à D. Prospero gravissimè reprehenduntur, nec pij, aut religiosi nuncupantur, à Cœlestino Papa in decretali refutantur, & ab Arausicano Conc. 2. damnantur: quomodo ergo fieri poterit ut à S. Chrysostomo Doctore eximio, cujus laudes Cœlestinus in decretali quadam quæ habetur inter Epistolas Innocent. tom. 1. decretal. doctrinam de initiis gratiæ per solius naturæ conatus Cassianus didicerit? Absit igitur aut in hoc discipulum Chrysostomi fuisse Cassianum, aut ab aliis græcis Patribus talem suxisse sententiam. Quamvis enim, nondùm exortâ Pelagianorum Semipelagianorumve hæresi, minùs expressè, aut ex professo de gratia locutus sit Chrysostomus, exinde in favorem sensisse non est deducendum; consonum enim est credere, summum Doctorem acriter, si suo tempore invaluisset Pelagianus, aut Semipelagianus error, eum fore expugnaturum. Verius dicere poterat prænominatus author Cassianum pessimam suam doctrinam, qua divinam gratiam quoad substantiam tollebat ab Origene carpsisse, quemadmodum supra relatus Conciliator ait: vel immediatius ex Iuliano eam uterque & Faustus & Cassianus in omnibus didicerunt, ut etiam supra manet ostensum, qui proinde Iulianus sicut cum Pelagio in substantia pravæ doctrinæ consensit, ita Cassianus, Faustus cum Pelagio pariter in substantia dogmatis conveniunt. Sed & author prædictus Cassianum & Faustum non convenire cum Pelagio & Celestio publicat, de Iuliano verò tacet quia videt illius istos sequi doctrinam.

Non, inquam, ex Chrysost. aut aliis sanctis Patribus græcis doctrinam suam in hac materia didicit Cassianus, sed ex modò relatis Origene, & Iuliano, vel etiam ex aliquibus Monachis græcis, quos sua prava doctrina in Ægypto Pelagius infecerat, ut dictum fuit supra, in quas partes cùm postea Cassianus descendisset, ab illis infectis Monachis eam desumpsit, & aliquantulum verbis, ut diximus, temperavit, ut appareret gratiam veram confiteri.

Hinc etiam sequitur non debuisse prædictum authorem, Cassianum & Faustum toties viros pios, & religiosos nominare, cum Cassianum sanctus Prosper oppositis titulis nominet lib. contra collat. ut supra iam diximus. Et multò minùs potuit asserere author relatus, illos egregiè, & eloquentissimè necessitatem gratiæ docuisse, cum ex summis Pontificibus, sacris Conciliis, & sanctis Patribus, qui eos expugnarunt, sit manifestum gratiam, quam cognoverunt, ex nostris meritis prioribus tradidisse: quod ostendunt S. Prosper contr. collat. S. P. Augustinus lib. de prædest. SS. Fulgentius, & Petrus Diaconus. Concilium Arausicanum secundum etiam diffinivit, gratiam Dei non dari secundum merita nostra, quod utique contra Semipelagianos non diffiniret, Cassianum & Faustum, ac alios, nisi illi hoc iterum renovassent, & hæresim Pelagij damnatam iterum introducere laborarent. Et præterea, quia gratia illa, quam necessariam dicebant, ut modò fuit declaratum, & id docente clarius sancto Prospero, ubi supra, non recedebat à lege atque doctrina, quæ fuit Pelagiana hæresis manifesta. Videat ergo obsecro prædictus author quomodo Cassianus & Faustus veram Christi gratiam, & ejus necessitatem fateantur. Attendat etiam quibus viribus conetur illos longius ab hæresi Pelagij liberare, cum in illam pœnitus illos incidisse doceant Doctores sancti supra relati, imo Concilium Arausicanum secundum ut probavimus.

Per oppositum alius author ex recentioribus dicit in suo libro de gratia efficaci, Semipelagianos existimasse tolli libertatem, si cooperatio Dei diceretur esse necessaria: unde eos illam negasse. Non enim, inquit, est minor sed potius major difficultas de cooperatione divina quomodo non impediat libertatem, quam quomodo auxilium præveniens eam non impediat. Atqui negabant auxilium præveniens requiri, ne impediretur libertas, ut refert S. Prosper in Epistola ad Augustinum: ergo multo magis negabant cooperationem esse necessariam. Deinde si putassent cooperationem necessariam, dixissent in hac esse gratiam Dei, sicut dicebant eam esse in natura liberi arbitrij gratis à conditore concessa, ut constat ex prædicta Epistola Prosperi. Item omnes bonas voluntates esse dona Dei, & sic facilè argumenta Prosperi, & aliorum elusissent. Hæc ille. In quibus quædam habet consideranda. Primum, ipsum sentire cooperationem, quam dicit negasse Massilienses; quia eam dicebant tollere libertatem, non subsequentem esse ad arbitrij determinationem, sed ad illam præviam, aliàs nec Semipelagiani dicere possent per eam tolli libertatem; nec iste illud ipsis tribueret, quia evidens est per cooperationem subsequentem ad arbitrij determinationem nulla ratione libertatem arbitrij posse impediri. Vnde sicut Semipelagiani negabant præviam cooperationem ratione dicta, ita subsequentem posuerunt, ut dictum est.

Condistinguit secundò cooperationem prædictam præviam contra auxilium præveniens. Quod ideo ab eo dicitur, quia putat quòd sola gratia excitans sit auxilium præveniens, ac cooperatio licet prævia sit, non

Digitized by Google

non tamen vocetur præveniens auxilium, sed prævia cooperatio: vel intelligit quod auxilium præveniens sit supernaturalis excitatio, & cooperatio sit concursus naturalis, qua ratione illam licet præviam distinguit ab auxilio prævenienti.

Sed fallitur valde, quia sicut pro motionibus naturalis ordinis datur & prævia excitatio naturalis, & prævius influxus in causam, ita quòd utrumque est prævium voluntati, prout in toto tertio libro copiosè ostensuri sumus, ita & pro motionibus supernaturalibus, utrumque ad gratiam prævenientem pertinet, & gratia excitans, & adjuvans, ut clarè constat ex Concilio Trid. sess. 6. de justif. cap. 5. & canon. 3. & 4. quod infra hoc libro & copiosè in quarto manifestabitur. Gratia autem adjuvans verè distinguitur per operantem, & cooperantem, ut ibi erit ostendendum & Sanctus Thomas docet 1. 2. q. 111. artic. 2. Vtraque enim præveniendo voluntatem nostram ipsam adjuvat: operans gratia ad illum actum in quo voluntas movetur sed non se movet, qui est actus intentionis circa finem: cooperans verò ad actus in quibus voluntas mota se movet, qui sunt actus electionis circa media, ut in eodem quarto libro diligentiùs pertractabimus.

Quod autem subdit tertiò quod si cooperationem admitterent Semipelagiani, eam dicerent gratiam, & omnes bonas voluntates esse dona Dei, facilèque elusissent argumenta Prosperi, & aliorum: si intelligat de cooperatione supernaturali ac prævia, non dubium quin ex parte per illam salvarent gratiam Dei. Ex parte inquam, quia etiam gratiam operantem deberent admittere, & utramque prævium confitendo, veram gratiam Dei facientem nos facere confiterentur. Si verò intelligat de cooperatione subsequente arbitrij determinationem, quam revera Massilienses admiserunt, nullo modo possent verè eam gratiam vocare; cum illa daretur quia arbitrium vult, qua ratione esset jam debita. Unde gratiam initialem ipsi constituebant in facultate arbitrij gratis à Deo concessam, erat enim initialis gratia, cui gratia cooperans subsequendo debita reddebatur: veramque gratiam, & argumenta Catholicorum deluderent, sicut his temporibus per eam deluditur vera gratia & argumenta quæ pro illa efficiuntur, de quo copiosè in 4. lib. agendum est.

Quid autem mirum si prædicti moderni Authores ita Cassianum, & Faustum laudent, atque defendant, cum ipsi illorum in hac materia & causa sequantur doctrinam, nec aliam agnoscant gratiam, nisi quam illi prius tradiderunt. Cum enim Moderni dicant gratiam prævenientem, quatenus præveniens est, solum moraliter excitare, suadendo, invitando atque alliciendo, ut ex relatis eorum assertionibus infra inducendis apertè constat; & hæc præveniens gratia eadem sit in terminis, quam Cassianus, & Faustus prius tradiderunt, quæ ut manet expositum non recedit à lege atque doctrina, etiam fit manifestum Modernos prædictos veram prævenientem gratiam non admittere, sed tantùm aliquid per modum legis, atque doctrinæ.

Diximus illos nullam veram prævenientem gratiam admittere, quia neque efficacem gratiam admittunt, nec verè sufficientem. Auxilium enim gratiæ verè sufficiens voluntati veras sufficientes vires tribuit & verum posse supernaturale concedit, ut est satis notum, sed interior præveniens gratia tantum moraliter excitans, suadens, & invitans, veras sufficiantes vires, & verum posse bene operari non tribuit, ut etiam est satis notum. Qui enim exhortatur, invitat, & allicit aliquem ad aliquid efficiendum per hoc illi vires sufficientes veras ad operandum non tribuit: lex namque, & doctrina, vel aliquid quod tantum habet normam legis, atque doctrinæ vires sufficientes veras homini ad operandum non tribuit. Unde quod est considerandum & nos lib. 4. clarius ostendemus Moderni isti authores nec etiam verum auxilium gratiæ sufficiens reipsa admittunt, licet voce illud publicent.

CAPUT X.

De erroribus Cassiani & aliorum Semipelagianorum circa divinam prædestinationem.

EX dictis relinquitur manifestum Semipelagianos sensisse Deum prædestinatis dare prima dona gratiæ, intuitu, sive occasione illorum conatuum, qui illa prima dona gratiæ antecedunt, & ex consequenti constat illos prædestinationem & gratiam constituisse ex illis antecedentibus conatibus, sicut ex occasionibus saltem; cum enim sic Deus det gratiam in tempore, sicut ab æterno præordinavit se daturum, & in tempore dari prima dona gratiæ illis præcedentibus conatibus ipsi affirmaverint, fit manifestum eosdem sensisse Deum ab æterno prædestinasse illa prima dona gratiæ tribuere conatibus illis, & intuitu, sive occasione illorum; & iste fuit unus ex erroribus quos circa prædestinationem habuerunt, videlicet prædestinare Deum ad gratiam ex prævisione illorum conatuum naturalium. In quo sine dubio ex parte illius arbitrij constituebant primum prædestinationis effectum ex prævisione operum ex sola facultate naturæ procedentium. Non autem hic fuit solus ipsorum error ut malè quidam recentiores arbitrantur, ut Gabr. Vasquez 1. part. q. 23. disp. 89. de quo infra copiosius erit dicendum inter examinandum assertiones horum recentiorum. Quod adhuc magis explicabant, cum dicebant neminem posse salvari sine gratia. Universis tamen hominibus illam esse propositam, ut quicumque ad fidem, & Baptismum accedere voluerint, salvi esse possint. Vt refert S. Prosper Epist. ad S. August. vers. *propositum autem*, & vers. *Itaque* dicens: *quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam, quantum autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Vbi iterum initium prædestinationis, & gratiæ in naturæ operibus collocabant, & in hoc puncto cum Pelagio etiam convenichant, licet ab illo differrent, quod illa prima initia non essent merita de condigno prædestinationis, sicut Pelagius astruebat.

Affirmabant secundò Deum non prædestinare homines ad æternam Beatitudinem secundùm firmum & stabile propositum voluntatis suæ antecedens humanas voluntates, & omnia prævia humana merita. In hoc sicut in fundamento conveniebant omnes, quia aliàs contendebant tolli libertatem, & sub nomine prædestinationis fatalem quandam induci necessitatem, nec aliquid frequentiùs habebant in ore contra S. P. Augustini sententiam constituentis prædestinationem secundùm firmum Dei propositum ante omnia prævisa merita, quàm quòd ex ejus sententia tollebatur libertas, & fatalis imponebatur necessitas. Refert S. Prosper Epistola ad S. Augustinum illis verbis: *Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani eligendorum, & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem temporis afferre, eò quòd in utramque partem superfluus labor sit, si nec rejectus ulla industria possit intrare, nec electus ulla negligen-*

negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint non posse aliud erga eos, quàm Deus diffinierit, accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem, cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit amittentis intentio. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas praveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem. Idem dicit in versu, *in istam verò*, & vers. *sed refugiunt.* Idem refert S. Hilarius in Epist. alia ad eundem S. Augustinum illis verbis: *Nam si sic prædestinati sunt, inquiunt, ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere, quò pertinet tanta extrinsecus correctionis instantia.* & vers. *cæterum*, ait de ipsis: *Cæterum quidquidlibet donatum sit prædestinatis, id posse amittere, & retinere propria voluntate contendunt.* Acerrimè quidem id contendebat Faust. cum lib. 1. de gratia, & humanæ mentis arbitrio cap. 11. pronuntiabat. *Dum liberi interemptor arbitrij in alterutram partem omnia ex prædestinatione statuta, & definita esse pronuntiat, etiam suprema remedia pœnitentiæ sensu abruptæ impietatis evacuat.* Et in cap. 4. præmiserat. *Quid enim ultra speret, quem jam gratia suum fecerit, in quo è contrario non desperet, quem præfinitio damnavit violenta?* Et lib. 2. cap. 2. & potissime tertio nihil aliud intendit, nisi quod prædestinatio ante omnem meritorum præscientiam tollit libertatem, & fatum constituit.

Et in hoc etiam fundamento cum Pelagio conveniebant, quia semper ipse astruxit Deum non prædestinare secundum suum firmum propositum.

Ex hoc fundamento inferebant tertiò prædestinatorum, & electorum numerum non esse certum, præfixum, & determinatum, sed posse minui, & augeri; sic de ipsis refert S. Prosper citata Epistola ad sanctum Augustinum cum dicit: *Sed refugiunt istud fateri, divinoque adscribere operi, sanctorum merita formidant, nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum nec augeri posse, nec minui.* Quod etiam expressit S. Hilarius in Epistola alia ad eundem S. Augustinum sic scribens: *Inde est, quod illud pariter non accipiunt, ut eligendorum, reiciendorumque esse definitum numerum velint*, qui error sic ab ipsis intelligebatur, quod prædestinatorum numerus definitus ex firmo proposito prædestinationis non erat, sed præscitus tantùm ex bonis præviſis operibus. Itaque certum numerum prædestinatorum præscitum admittebant, non præfinitum.

Contendebantque Semipelagiani numerum prædestinatorum certum & difinitum secundùm præscientiam, non autem certum ex prædiffinitione, aut determinatum secundùm Dei propositum; & S. Doctores Hilarius & Prosper penetrantes, quod si numerus prædestinatorum certus ex proposito, & prædefinitione non erat, simpliciter & absolutè certus, & determinatus non ponebatur: Ideo sententiæ Semipelagianorum negantium numerum prædestinatorum certum ex prædefinitione, recte attribuerunt, quod certus numerus talis non admittebatur. Vnde absolutè & simpliciter intulerunt eos non admittere certum numerum prædestinatorum. Aliud est enim quod verbis Semipelagiani proferebant, & & aliud quod ex illorum sententia manifestè consequebatur, quod & ipsis iustè verissimeque Ss. Doctores ascribunt.

Parique ratione quia non admittebant Semipelagiani certum, & determinatum numerum prædestinatorum ex Dei proposito, & prædefinitione; ideò dicebant posse augeri, vel minui ex diversis operibus hominum sive pro sua libertate bene gratia utentium & in ea perseverantium, sive ab illa discedentium, quos proinde à Deo præviſos, & præscitos certò statuebant. Vnde ex Dei proposito, & prædefinitione nullum determinatum numerum prædestinatorum statuebant, nec formaliter nec materialiter, idest, non tot prædestinatos, & non plures, quod pertinet ad numerum formaliter, nec hos in particulari, & non illos, quod pertinet ad numerum materialiter, sive ad numeratum. Nihil enim certum, & determinatum ex Dei prædefinitione circa prædestinatorum numerum admittebant, sed præscire tantùm Deum, qui salvandi essent; & quia homines possent diversimodè operari, ideo poterat augeri, vel minui prædestinatorum numerus, quam diminutionem, vel augmentum Deus præsciret.

Præterea quartò dicebant prædestinationem secundùm propositum exhortationi, & correctioni fidelium esse contrariam, ut patet ex verbis S. Hilarij modo citatis. Nam si prædestinati sunt, inquiunt, ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere, quò pertinet tanta extrinsecæ correctionis instantia.

Unde concludebant quintò Divinam prædestinationem firmam & stabilem esse secundùm præscientiam bonorum operum procedentium ex libero arbitrio bene utente ex se auxiliis gratiæ; & loquebantur expressè de prædestinatione ad gloriam, quam dicebant esse firmam & certam, non secundùm absolutum Dei propositum, sed secuddùm præscientiam boni vsus liberi arbitrij, utentis benè illa gratia sibi data, & in ea volentis perseverare vsque ad finem.

Quod enim prædestinationem, quam secundum præscientiam boni vsus gratiæ constituebant, intelligerent esse prædestinationem ad gloriam, declarat apertè S. Prosper citata Epistola ad sanctum Patrem Augustinum illis verbis: *Qui autem credituri sunt, quia in ea fide, qua deinceps per Dei gratiam sunt juvandi mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit.* Vbi apertè de prædestinatione ad Regnum, & gloriam locutos esse Semipelagianos expressis verbis refert, simulque declarat prædestinationem ad gloriam secundum illos, esse secundùm præscientiam boni vsus arbitrij utentis benè gratia, & in ipsa usque ad finem vitæ perseverantis. Et iterum. *Propositum autem vocantis gratiæ in hoc omnino diffiniunt, quod Deus constituerit nullum in Regnum suum, nisi per sacramentum regenerationis assumere.* Quibus verbis constat apertè Semipelagianos prædestinationem ad gloriam constituisse, non ex proposito Dei absoluto, sed ex præscientia boni vsus arbitri, simul & gratiæ illius, quam eos constituisse necessariam supra retulimus. Et hanc præscientiam boni vsus arbitrij simul & gratiæ illius expressit clariùs idem Sanctus in fine Epistolæ cum ait: *Pené omnium par invenitur, & una sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei.* ad gloriam videlicet, ut supra dixerat, *secundum præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ effecerit, quia finem uniuscuiusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præscierit.* Notanda sunt maximè verba illa: *& sub ipso gratiæ adjutorio*: quibus fit manifestum, hanc fuisse in summa Semipelagianorum de prædestinatione sententiam, videlicet prædestinationem ad Regnum, & gloriam non fieri firmam, & certam secundum Dei propositum, sed secundum præscientiam boni vsus, & non quomodocumque boni vsus, sed boni usus simul & gratiæ, vel boni vsus arbitrij vtentis bene illa gratia, & in illa perseverantis vsque in finem.

Sed quia ex Recentioribus aliqui non reputant Semipelagianos in hoc erasse, demonstrandum nobis

est

Digitized by Google

est breviter hunc fuisse potissimum Semipelag. errorem, & ut talem à S. Prospero relatum, & à S. Aug. in libro de prædest. Sanct. damnatum. Ideo enim Semipelagiani constituebant prædestinationē ad gloriam secundum præscientiam boni vsus arbitrij bene utentis gratia, & in ipsa finaliter (quia volebat) perseverantis; ut sic constituerent pendentem, & suspensam prædestinationem ad gloriam à bono vsu arbitrij bene utentis illa gratia, non ex efficaci Dei voluntate, sed ex sua innata libertate qua sibi subdebat gratia, & secum perseverare faciebat. Hic erat illorum finis, & præcipua intentio, & iste ipsorum damnatus error.

Si autem queratur de qua præscientia loquebantur in hac parte Semipelagiani, an de præscientia absoluta illius boni vsus arbitrij simul & gratiæ, an verò de præscientia conditionata, seu de præscientia alia media infra à nobis referenda, statim ostendemus, & nunc breviter dicimus eos loquutos fuisse de præscientia absoluta, ut relata verba manifestant, ita quod negata prædestinatione ex firmo Dei proposito eam constituebant sub absoluta præscientia, qua Deus prævidebat homines sub auxilio gratiæ, usque in finem perseveraturos. Quamvis enim ipsi vterentur scientia media seu conditionata, quod infra dabimus notum, ea tamen non vtebantur ad omnem prædestinationis effectū, ut statim explicaturi sumus.

Unde error Semipelagianorum secundùm quod distinguitur ab errore Pelagianorum in materia prædestinationis in hoc vltimo dicto consistit. Sicut enim in primo dicto cum Pelagio ipso conveniunt, ita in hoc vltimo propriam sectam Semipelagiani statuerunt. Constat hoc ex S. Thoma 1. part. q. 23 art. 5. ubi postquam docuit errorem Pelagianorum esse, quod merita præexistentia in hac vita sunt ratio, & causa effectus prædestinationis, quia posuerunt Pelagiani quod initium benè faciendi sit ex nobis, consummatio autem ex Deo, statim suppresso nomine Semipelagianorum ait: *Fuerunt alij qui dixerunt, quod merita sequentia prædestinationis effectum sunt ratio prædestinationis, ut intelligatur quod ideò Deus dat gratiam alicui & præordinat se ei daturum, quia præscivit eum benè vsurum gratia; sicut si Rex alicui det equum quem scit eo bene usurum.* Quibus patet, quod sicut cum ponunt Semipelagiani illa initia naturæ ob quæ Deus secundum meritum de congruo det prima dona gratiæ, & præordinet se daturum; ponunt merita de congruo antecedentia primum prædestinationis effectum, in hoc cum primis Pelagianis conveniunt. Qua ratione S. P. Augustin. lib. de prædest. Sanct. dicit, quod in talibus initiis cum Pelagij damnata sententia consentirent, ita cum asserunt Deum dare gratiam his, & non aliis, quia præscivit eos bene vsuros ea ex sui arbitrij libertate, & præordinasse se illis eam dare, quia præscivit eos benè illa vsuros, in hoc particularem sectam suam Semipelagiani statuerunt circa prædestinationem. Sed damnata est etiam ista sententia ut S. Thomas ostendit loco citato, eamque S. P. Augustinus reprobat, & damnatam ostendit lib. citato de prædest. Sanct. Vnde cavendi sunt, qui dicunt in defendenda hac sententia de prædest. liberum esse recedere ab Augnst. Vt enim agentes supra de erroribus Pelagij cap. 3. iam diximus, nulla talis est admittenda libertas, quia Semipelagianorum fuit propria, & illorum qui eos in hoc secuti fuerunt, quos ex catholica doctrina S. Doctor August. perfectiùs, & efficacius expugnavit: nec talis doctrina de prædestinatione secundum illam præscientiam fuit antiquorum PP. ante sanctum Augustinum, ut conantur defendere: quod in nostro secundo libro tractantes ex professo materiam prædestinationis apertiùs ostendemus.

Unum tamen advertendum, quod si attentiùs omnia ista Semipelag. dicta circa prædestinationem, seu electionem considerentur, convincitur, eos electionē ad gloriam ex merito solius arbitrij, & facultatis naturæ constituere. Nam primum effectum prædestinationis, nempe vocationem, seu prævenientem illam, quam dicebant gratiam ex puro arbitrij merito admittebant, unde iam gratia non erat, sed debita. Deinde quod arbitrium benè uteretur illa excitatione ex sola innata libertate ponebant, & quia arbitrium sic ex se incipiebat benè vti excitatione Deus cum illo cooperabatur, quia nempe arbitrium volebat, unde & ipsa cooperatio quam gratiam appellabant, pari ratione gratia non erat, sed debita illi bono arbitrij vsui, & ex consequenti iustificatio ad illam cooperationem secuta infallibiliter, non erat gratia, sed ex illo priori merito. Parique ratione, quòd in accepta gratia homines perseverarent ex innata etiam libertate benè utente ex se illa gratia, & illam facientes secum perseverare, proveniebat, & ex consequenti de primo ad vltimum totam prædestinationem ad gratiā, & gloriam ex merito solius arbitrij merentis gratiā, & illam efficientis efficacem, & perseverantem constituebant. Vnde & ex recentioribus, qui dicunt Semipelagianos electionem ad gloriam constituisse ex meritis solius arbitrij, benè quidem dicunt, sed ab eis toto cœlo fugere debent. In duobus tamen Semipelagiani discedebant à Pelagio circa prædestinationē. Primo, quia ille primum effectū prædestinationis dicebat dari ex merito de cōdigno actus naturalis, ut supra præmisimus. Secundò, quia nec ille gratiā in voluntate necessariam admittebat ad plenam, & perfectam salutem, at isti in voluntate gratiā admittebant necessariā, sed ex priori merito datam, ut manet explicatū. Distinguebantur tertiò, quia licet Pelagius in quinto statu hæresis suæ diceret, fieri prædestinationem ex operibus prævisis, & libero arbitrio, & interioribus revelationibus & ostensionibus, ut manet ostensum; nunquā tamē dixit fieri ex operibus factis exhabitibus necessariis, etiam ad perseverandū. At Semipelagiani constituebāt fieri prædestinationem, etiam ex bonis operibus factis ex habitibus, quos ad perseverandum necessarios esse dicebant, in aliis autem tribus cum Pelagio in materia prædestinationis conveniebant. Primò, quia sicut ille negavit prædest. fieri secundū absolutum Dei propositum, ita & isti posuerunt, & propter rationē eandem ne videlicet libertas læderetur arbitrij. Secundò, quia sicut ille, ita etiam illi primū effectum prædest. dixerunt fieri ex prævisione fidei habitæ ex nobis, in qua initiū nostræ prædestinationis constituebant. Conveniunt tertiò, quia sicut ille in vltimo statu hæresis suę prædestinatorem admisit ex bonis operibus factis ex libero arbitrio, & interioribus revelationibus suadentibus, ita & isti statuerunt. Quia ergo in tribus cum illo conveniunt, & in aliis tribus distinguuntur dicti sunt Semipelegiani, vel dicendi sunt Pelagiani in aliquibus, non tamen Pelagiani in omnibus.

CAPVT XI.

Quod Semipelagiani scientiam conditionatam admiserint.

CIRCA prædestinationem etiam fuit alius Semipelagionum error, quòd Deus ab initio ita ad unamquamque gentem dispensauit tempora ac ministeria magistrorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum, & qui non audierunt evangelium in qualibet ætate, tempore, vel lege, ideo non audisse quia nec fuerunt credituri, sub his modò relatis verbis, hoc de Semipelagianis refert S. Prosper citat. Epistola, verba sunt, *& ad unam quamque gentem* (supple dicebant Semipelagiani) *ita dispensata tempora, ac ministeria magistorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum.* Et post pauca. *Evangelium ideò non audierunt, quia nec fuerant recepturi.*

Digitized by Google

Et S Hylarius in Epistola adversus : vbi sic habet. *Cum autem dicitur eis quare aliis, vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, vel nunc prædicetur, quod aliquando penè omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit, dicunt id præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore, & ibi, & illis veritas enuntiaretur, quando & ubi prænuntiabatur esse credenda.* Quibus verbis S. Hilarius apertè demonstrat Semipelagianos scientiam conditionatam, seu mediam introduxisse, qua nempe sciret Deus quod si iis, & ibi, & eo tempore prædicaretur Evangelium crederent, & si aliis prædicaretur non crederent, & propterea his, & non aliis prædicatum fuisse Evangelium, quia isti præsciti sunt credituri, & non alij. Ex quo etiam deducebant, parvulos qui baptizantur, & salvantur, ideo baptizari, quia præsciebantur, si viverent bona acturi. Illos autem qui non baptizantur, & pereunt, ideo perire, quia Deus similiter præscivit, quod si viverent mala facturi essent : ubi etiam scientiam mediam, seu conditionatam ad suos defendendos errores intromittebant. De qua media scientia, & erroribus, qui ex illa consequuntur copiosius plura dicenda sunt infra inter examinandum hanc mediam scientiam, quam ut singulare fundamentum omnium suarum assertionum infra à nobis expugnandarum sibi recentiores elegerunt. Sed nunc solum de Semipelagianis dicimus, illos media illa scientia sub nomine præscientiæ vsos fuisse, quam ordinabant ad aliam absolutam, sicut ad finem. Sicut enim dicebant Deum præscire ante suæ voluntatis decretum, qui credituri erant ex sua innata libertate, si eis Evangelium prædicaretur, ita hac conditione impleta quod eis Evangelium esset prædicatum, consequenter dicebant illos ex sua innata libertate credere, & hoc Deum præscire.

Plurima alia testimonia, quibus monstratur Semipelagianos vsos fuisse hac scientia media, sive conditionatorum sub nomine præscientiæ videantur infra hoc primo libro parte 2. Id enim nunc ex professo nec probamus, sed supponimus, quia authores cū quibus agimus expressè fatentur hac media scientia vsos fuisse Semipelagianos : de quo videatur in particulari Franciscus Suar. in opusc. de hac media scientia, & signanter lib. 2. de causa prædestinationis cap. 5. §. *in hac verò*, n. 5. ubi in §. immediatè præcedenti probat Semipelagianos vsos hac media scientia tali ratione. *Necesse est quod illa præscientia Semipelagianorum conditionata tantùm fuerit, quia in illo signo nondum Deus decreverat, ut talibus hominibus prædicaretur Evangelium ; ergo nec per absolutam scientiam prævidere poterat bonum vsum, seu effectum talis prædicationis, ut iam præsentem in æternitate, quia hac præscientia supponit illud decretum : ergo solum esse poterit præscientia conditionata, qua Deus præscivit, si talibus hominibus dedero prædicationem, bono affectu illam recipient.* Hæc ille : vbi advertendum prædictum authorem & alia dicere huc spectantia : docet enim tria hoc ordine posita à Semipelagianis. Primum quod quibusdam prædicetur Evangelium & non aliis esse ex illa conditionata præscientia, qua Deus prævidit illos bono affectu recepturos, non alios. Secundum quod jam eis Evangelio prædicato absolutè præsciebat Deus bonum illum affectum ob quem fidem dabat. Tertiò dicit quod ut aliis detur pœnitentia, aliis non detur & similiter ut alij perseverent, alij non, non fuisse secundum Semipelagianos ex præscientia conditionata, sed absoluta, quod quidem verum esse arbitramur ; licet enim possent Semipelagiani etiam in ordine ad pœnitentiam, & perseverantiam illa media scientia vti, dicendo, quod ideo huic, & non alteri pœnitentia, & perseverantia datur, quia præscivit Deus, quod si illi daretur benè ipse operaturus, & perseveraturus erat, id tamen non dicebant, sed in ordine ad pœnitentiam & perseverantiam præscientia absoluta vtebatur, ut supra dictum est. Quod si inquiras, cum Semipelagiani expressè dicerent Deum dare fidei prædicationem istis, quia isti prævisi sunt fidem recepturi, si eis Evangelium prædicaretur, quare non consequenter idem per eandem mediam seu conditionatam scientiam posuerunt respectu pœnitentiæ, & perseverantiæ vsque in finem. Dicendum est hoc fuisse ut prædestinationem in manu prædestinatorum collocarent, & ut ex decreto Dei præsupponente scientiam mediam nullus esset definitus numerus, sed expectaret Deus, quod ipsi benè de facto operarentur, & usque in finē perseverarent, & tales introduceret in Regnum suum. Si enim Deus per scientiam illam mediam, seu conditionatam ita ordinaret, si isti constituantur in tali ordine rerum, credent, bene operabuntur, & vsque in finem perseverabunt ; unde hos volo in tali rerum ordine collocare, quod est prædestinare : videbant Semipelagiani iam definitum prædestinatorum numerum, videbant non alios nisi illos posse salvari, videbant ex aliis ad alios neminem posse transire, videbant non fuisse positum in manu illorum qui exclusi sunt, quod in tali rerum ordine non essent constituti ; quæ omnia ipsi dicebant prædestinationi repugnare, & hac ratione non sub illa media scientia, sed sub absoluta expectante quid homines facturi essent ex sua libertate cum auxilio gratiæ prædestinationē astruere.

Illud autem quod ex hac media scientia Semipelagiani inferebant de parvulis, nimirum quod ideo quidam baptizantur, quia prævidit Deus, quod si viverent, bene operaturi erant, & quidam qui non baptizantur, ideo eis baptismum negari, quia præsciebantur malè operaturi, si viverent, S. August. vbique redarguit, & quòd talia dicant admiratur. Argumenta illius hæc sunt. Primò, quia si Deus iudicaret homines ex operibus quæ numquam facturi sunt, sed quæ facerent si diutiùs viverent, falsum redderetur illud Apostoli. *Referet unusquisque prout gessit in corpore*, quia etiam referret, prout non gessit, sed gessurus esset, si duraset in corpore. Secundò, quia parum valeret illud aliud eiusdem Apostoli, *ante quàm bonum, vel malum egissent : non ex operibus, sed ex vocante*, quia potuisset discrimen fundari in operibus bonis, quæ facturi essent, vel malis, si hoc vel illud facere permitterentur. Tertiò frustra etiam dicerentur *breviati dies propter Electos* Antechristi tempore, ut dicitur Matthæi 24. cùm non propterea minus puniendi essent propter peccata, quæ essent facturi, si persecutio duraret ; quod tamen est contra illud Christi *Sed propter electos breviabuntur*, nempe ut sic salvētur, quia nisi breviati essent *non fieret salva omnis caro*, ut expressè litera habet. Quartò quia aliàs præmatura mors, qua homo divinâ Providentia prævenitur tempore quo est iustus, ne à gratia discedat, nullum ei esset beneficium, quia nihilominus puniendus esset propter peccata quæ commissurus esset, si viveret, quod est apertè contra illud Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Quo testimonio ad hoc propositum utitur S. Doctor sæpè de correp. & gratia c. 8. de anima & ejus origine cap. 12. de prædest. sanct. c. 12. & lib. 2. ad Bonif. cap. 7. ad quem etiam finem illud inducit Cypr. lib. de mortalitate sub finem, Nissenus oratione de infantibus. Hyeronymus dialogo 3. contra Pelagianos. Gregorius Magnus lib. 27. moral. cap. 2. & S. Prosper lib. 1. de vocat gent. cap. 21. Quibus quatuor efficacissimis argumentis S. P. Augustinus totaliter Semipelagianorum, quoad hanc partem, stultam, & insanam sententiam expugnat.

Ad quæ alia tria conjungi possunt. Primum, quia potiùs ex illa media scientia, qua ut fundamentum

Digitized by Google

mento illi vtebantur, oppositum sequebatur. Sicut enim, ut dicebant, dabatur prædicatio his qui prævidebantur crediturí; si eis Evangelium prædicaretur, & eis negabatur, qui præsciebantur non crediturí si eis proponeretur: ita dicendum illis erat consequenter, quod parvuli qui præsciebantur bene operaturi, ex hoc merebantur ut viverent, ut bene operarentur; & illi qui præsciebantur malè operaturi, etiam diutius permitendi essent vivere ex illo prævíso demerito. Hoc inquam, ex illa scientia, & fundamento quo utebantur, inferre consequenter debebant, non autem quod ex bono vel malo usu sub conditione prævíso, si viverent, ambo pariter arriperentur à vita. Secundum est: quia de quolibet parvulo si viveret, præsciebat Deus, etiam illa illorum admissa media scientia quòd positus sub his circunstantiis bene operaturus esset, & sub aliis malè esset acturus. Hoc enim nec Semipelagiani negare poterant, nisi quosdam constituerent ita ad bonum determinatos, ut numquam præscirentur malè posse operari, & alios ita ad malum, ut nec possent præsciri sub quibusdam conditionibus positi, bene operaturi.

Quam tamen determinationem, sive ad unam, sive ad alteram partem illi execrabantur, & meritò: Ergo quoad has conditionales, est quædam æqualitas inter omnes parvulos, imò inter omnes homines: ergo ex illis non poterant illi sumere diversam rationem providentiæ circa illos, ut quidam ob bonum prævisum usum sub conditione, baptizarentur, & salvi fierent; alij verò ob malum usum præscitum sub conditione, non baptizarentur: & ex consequenti tandem convincebantur fateri quod negabant, nempe ex solo divino beneplacito illum baptizari, alium non & huic gratiam dari, non alteri. Quod fundamentum velint nolint tenebantur admittere absque aliqua personarum acceptione; vel injustitia; quia sicut respectu parvuli qui baptizabatur, magna ei erat gratia collata omnino gratis sicut ratio gratiæ postulat; ita respectu alterius qui non baptizatus moriebatur, nulla erat injustitia, & personarum acceptio nulla, quia nullum sibi debitum negabatur, imò debita sibi pœna ob peccatum originale cui tenebatur astrictus reddebatur, à quo pari delicto alius ex magna misericordia liberabatur.

Tertium argumentum est illudque efficacissimum, quod sæpe etiam S. P. Augustinus inducit, quia iste modus dicendi apertè cum divina Scriptura pugnat, in qua legimus sæpè prædicari Evangelium his qui prævidentur non crediturí, ut docet Christus Mathei 10. & Lucæ 9. & idem legimus factum act. 13. & 18. & in ipsa prædicatione Christi facta Judæis, ut ipse dicit Math. 11. E contrario autem Scriptura docet non prædicari Evangelium his qui crediturí erant si eis fuisset prædicatum juxta illud Ezech. 3. si ad eos mitteteris, audirent, & juxta illud Math. 11. si in Tyro, & Sidone &c. Et tamen secundùm istorum sententiam, his qui crediturí prævidebantur, si eis Evangelium proponeretur, esset ob tale meritum prædicandum, & illis qui prævidebantur non crediturí in demeritum erat negandum. Unde totum oppositum dicunt illius quod Scriptura sacra docet. Ex quo constat nihil omnino conducere, ut quis vocetur vel non vocetur, quod prævideatur, vel non prævideatur sic, vel sic operaturus si vocaretur. Quæ etiam ratio convincit nihil penitus posse conferre, ut parvulus baptizetur, quòd præsciatur bene operaturus si viveret, vel alteri nihil imputari ut non baptizetur quòd prævideatur malè operaturus si ad langiorem servaretur ætatem, de quibus copiosè dicturi sumus infra sæpius: nunc enim summitate labiorum hæc tanginus, quibus convicti fuerunt Semipelagiani.

CAPUT XII.

De Erroribus Semipelagianorum circa donum perseverantiæ.

CIRCA donum etiam perseverantiæ consequenter loquendo graviter Semipelagiani errarunt: Dicebant enim Deum dono perseverantiæ non facere homines perseverare, sed tantum tribuere id sine quo homines perseverare non possunt; ita quòd homines ipsi bene utendo per arbitrij libertatem dono sufficienti ad perseverandum, ipsum vel secum retinerent, vel de facto abjicerent: putabant enim, quod si Deus faceret homines perseverare, eo ipso ab eis auferebat in perseverando libertatem. Sic enim refert S. Hilarius in Epistola ad S. Patrem Augustinum cujus, & verba sunt: *Deinde molestè ferunt ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus detur; ut ille acceperit perseverantiam, non qua fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset: nunc verò sanctis in Regnum per gratiam prædestinatis, non tale adjutorium perseverantiæ detur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur, non solùm ut sine ipso dono perseverantes esse non possint; verum etiam, ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* Et ita hoc molestè ferebant ut dicerent, talem perseverantiam facientem homines perseverare, ab eis tollere libertatem.

Unde contendebant (ut subdit idem sanctus Hilarius) quodlibet donum datum prædestinatis, quodcumque illud sit, id posse & amittere & retinere propria voluntate, quod tamen falsum esset, si verum putarent eam quoldam perseverantiam percepisse, ut per eam perseverantes essent. Et iterum de illis sanctus Prosper refert: *Nolunt perseverantiam prædicari quæ non simpliciter emereri vel contemni contumaciter possit.* Et sumebant verbum *posse* in hac significatione, quod erat possibile vel quod fieri poterat ut amitteretur auxilium perseverantiæ. Unde sumebant verbum, *potest*, in hoc composito sensu (ut infra agentes de sensu composito explicaturi sumus) atque contendebant quoc si non possit homo amittere donum perseverantiæ in hoc composito & conjuncto sensu, nulla ratione salvabatur quod illud posset amittere: & sic clariùs dicebant, quòd videlicet posito dono perseverantiæ, quia ipsa libera hominis voluntas ex se bene illo utebatur, illud retinebat, & quia per oppositum illo male utebatur, illud cassum de facto reddebat, & amittebat; ita quod ex parte Dei tribuentis donum perseverantiæ erat æqualitas & indifferentia, & ex solo arbitrio proveniebat, vel illo bene uti, & retinere, vel malè uti, & abjicere.

Hæc erat illorum sententia de dono perseverantiæ, in quo, ut fit manifestum, nullam aliam gratiam perseverantiæ admittebant ex parte donantis, nisi solum dantem possibilitatem ad perseverandum, non autem ipsum velle, & perseverare. Imò in universum nullum aliud auxilium gratiæ admittebant; nisi tantum dans posse, non verò velle, & operari, quod in his sententiis, quas de perseverantia affirmarunt, satis expressérunt. Et hoc est quod Cassianus dixit collat. 13. cap. 18. in fine cum ait. *Tertium quoque ad Dei munera pertinere, ut acquisitæ virtutis perseverantia teneatur, sed ita ut captivitatem libertas addicta non sentiat.* Quorum verborum sensus est, asserendam esse perseverantiam sed non facientem perseverare, quia tunc addicta & captiva maneret libertas, nec suam libertatem posset exercere.

Itaque perseverantiam dicebant illi donum Dei

Digitized by Google

esse, sed perseverantia, quæ tantum daret posse perseverare. Dicebant secundo illam perseverantiam dantem tantùm possibilitatem ad perseverandum posse homines sibi retinere, vel eam reijcere si vellent. Dicebant tertiòetiam illam perseverantiam dantem antum posse perseverare, posse hominem simpliciter mereri. Ista tria notissima sunt in utraque Epistola S. Prosperi & Hilarij ad S. Augustinum, & ex toto libro istius de dono perseverantiæ, illaque inducta verba manifestè proponunt.

At circa modum quo Semipelagiani dicebant posse nos mereri perseverantiam, & de modo quo illam de facto sub hominis merito constituebant, non omnes rectè intelligunt illorum doctrinam, forsitan ut suam ab illa monstrent alienam. Dicit enim Pater Suar. lib. 2. de prædest. cap. 6. num. 7. §. *aliud*, & §. *respondè*, non fuisse Semipelagianorum errorem circa perseverantiam, quod illam homines mereantur per ipsa opera fundata in gratia, quia, ut ait, possumus gratiam mereri de congruo & perseverantiam. Asserit secundò errorem illorum fuisse quod per opera merè naturalia homines mereantur perseverantiam, quæ opera merè naturalia erant illa initia naturæ, quæ ipsi constituebant, videlicet voluntas desiderandi salutem, & voluntas credendi. Asserit tertio illos non posuisse homines mereri per illa opera merè naturalia totã perseverantiam, sed initium illius, nec tamen explicat quidnam sit illud initium perseverandi, quod secundùm Pelagianos, homines per prædicta naturæ opera merebantur: ut tamen ex ipsius sententia & verbis colligi potest, illud initium perseverandi erit habitualis gratia, vel auxilium sufficiens, quod daret posse perseverare, ita quòd illam perseverantiam., quam Dei donum dicebant Semipelagiani, quæ nempe daret posse perseverare, asserebant homines à Deo mereri per illa priora naturæ opera, & voluntatis credulitatem; & nulla alia ratione intelligit prædictus author, quòd constituerint Semipelagiani perseverantiam sub merito.

Hæc autem intelligentia in quibusdam verum proponit, sed in aliis à veritate discordat. Verum quidem est, quod dicit posuisse Semipelagianos nos mereri perseverantiam per illa modo relata opera naturæ, sic enim de illis S. Prosper affirmat. *Itaque quantùm ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam, quantum autem ad arbitrij libertatem ab his eam apprehendi qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Hoc autem gratiæ auxilium, quod mereri dicebant per credulitatem, quam ex naturæ viribus hominibus tribuebant, magis exponens S. Hilarius in alia Epist. ita de illis refert: *Sed id conveniens asserunt veritati, vel congruum prædicationi, ut cum prostratis & numquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendæ salutis occasio, eo merito quo voluerint, & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei argumentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum.* Quod nec est sic intelligendum quod per solum actum credulitatis, quem ex naturæ viribus homini tribuebant, consequerentur homines de facto totum effectum sanitatis suæ nullo alio appositio actu ex parte eorum, aliàs per solum illum actum fidei, sine alio ipsorum actu, & iustificarentur & in gratia perseverarent, quod nec ipsi dixerunt nec dicere potuerunt: sed sensus est, ut S. Prosper relatis verbis expressit, quod per illam naturalem credulitatem merebantur omne auxilium necessarium ad totam suam salutem v.g. merebantur auxilium ad perfectiorem fidem habendam, & similiter auxilium quo justificarentur. Pariquè ratione merebantur auxilium quo possent perseverare, si tamen gradatim his auxiliis bene ipsi pro sua libertate vti vellent.

Itaque in primo actu credulitatis meritum immediatum collocabant respectu auxilij supernaturalis, quo posset homo perfectiorem fidem habere, quo dato, si homo illo non bene uti voluisset, sed ipsum redderet cassum, non dabantur vlteriora auxilia, quia id iam demerebatur homo. Vnde meritum quod assignabant in primo actu naturalis credulitatis respectu perseverantiæ erat quasi remotum & radicale, imò conditionale, si nempe homo aliis intermediis auxiliis gradatim datis bene vteretur. Quod si sic intelligat prædictus author, bene quidem sentit, cum dicit quod per illum actum merè naturalem astruebant Semipelagiani hominem mereri perseverantiam.

Illud autem secundum quod asserit non posuisse Semipelagianos mereri hominem per illa opera merè naturalia totam perseverantiam, etiam verum est; quia mereri perseverantiam, qua homo potest perseverare, non est mereri totam perseverantiam, cum tota perseverantia non solum claudat posse perseverare, sed perseverare ipsum, ut est manifestum. Et præterea, quia hanc totam perseverantiam, quæ, ut dixi, claudit ipsum perseverare, pro illa parte qua dicit ipsum perseverare, in sola hominis voluntate ponebant Semipelagiani: unde nec à Deo dari contendebant, nec illam hominem mereri asserebant; sed potiùs affirmabant, supposito quod Deus daret posse perseverare ex priori illo merito, ut explicatum est, hominem ipsum in sua plenaria potestate habere, quod de facto perseveraret.

Cæterum illud aliud octavum quo prædictus author affirmat posuisse Semipelagianos hominem mereri per opera merè naturalia suprarelata initium ipsius perseverantiæ, vocans videlicet initium perseverantiæ gratiam qua homo potest perseverare, nec formaliter est dictum, nec rectè assertum: Imò ex eo sumitur errandi occasio non parva: ipsa namque gratia qua homo potest perseverare, quomodocunque à Deo detur, sive ex merito, ut male dicebant Semipelagiani, sive sine merito, ut veritas habet, non dicitur, nec est initium perseverandi, si formalis sit sermo: Est quidem, id sine quo non erit perseverantia, & est id quo homo potest perseverare, at non est initium perseverandi, loquendo formaliter, & propriè de initio perseverandi, ut patet in reprobis, qui justificati fuere; qui quidem ex Deo habuerunt donum quo possent perseverare, ut sine dubio dicendum est, quod & lib. 4. clariùs expendemus, non tamen habuerunt initium perseverandi. Bene autem est initium perseverandi donum efficax quo Deus facit homines perseverare. Actus enim perseverandi ex illo dono habet initium quo homo sequens completè de facto suis actibus perseverat. Sed ideo author iste vocat initium perseverandi ipsum donum, quod tantùm dat posse perseverare, ut salvet in sua sententia, quòd initium perseverandi est ex Deo per tale donum; cum tamen infra lib. 4. copiosiùs explicaturi simus, quod si Deus tantùm dat posse perseverare, initium actualis perseverantiæ ex libero arbitrio sit, quod determinat gratiam ad perseverandum, & facit ut secum de facto illa gratia perseveret. Præterquam quòd dicere Semipelagianos posuisse initium perseverandi sub merito, nec intelligitur, cum ipsi potius initium boni operis, & etiam perseverandi ex naturæ viribus astruerent; consummationem autem, & perfectionem dicerent ex merito illorum initiorum à Deo reddi, & sic semper intellecta fuit, & explicata Semipelagianorum doctrina, quod videlicet initium cujuscumque boni operis ex homine assignarent, & ob meritum illius initij daretur perfectio, & consummatio ex Deo.

Quod autem quarto asserit non fuisse Semipelagianorum errorem circa perseverantiam, quòd illam homines

Digitized by Google

homines mereantur per opera facta ex gratia, quia, ut ait, possumus per gratiam mereri de congruo perseverantiam, nulla ratione diceret, si advertere voluisset potissimè in hoc situm illorum errorem fuisse; sicut enim posuerant per actum merè naturalem mereri homines auxilia gratiæ, & gratiam ipsam, qua si vellent, possent perseverare, ut dictum est modò; ita posuerunt; quòd præhabita illa gratia dante posse perseverare, ipse homo ex sua libertate utebatur bene illa, & illam efficacem sibi reddebat, & faciebat ut ipsa de facto secum perseveraret: Unde incipiebat homo ex se de facto perseverare, & in meritum hujus incepti boni operis gratia cum illo perseverabat. Et hac ratione præcipuè initium perseverandi tribuebat homini ex homine, & consummationem, & perfectionem perseuerantiæ Deo adjuvanti hominem, quia perseverare voluit, non autem ut perseverans sit.

Itaque duplici ratione constituebant Semipelagiani initium perseverandi ex homine; perfectionem autem, & consummationem ex Deo. Primo in illa credulitate, vel alio simili actu, ex solis naturæ viribus facto. Per illum enim, initium fidei, & salutis, & perseverantiæ ex homine esse dicebant, initium quidem fidei proximum, perseverantiæ autem quasi radicale, & remotum, ut dictum est; quatenus propter talem actum naturalem homini dabatur gratia, qua posset perseverare si vellet. Secundo in illa voluntatis determinatione & influxu quo homo determinabat sibi gratiam, ut secum perseveraret, quæ determinatio & influxus, ex ipsa libertate procedebat non ex gratia, quæ determinatio naturalis est, & est *initium proximum* ad quod infallibiliter consequitur, ut Deus sua gratia illud opus consummet, atque perficiat, quasi tractus ab illa determinatione, ab illo initio, & à merito illo. Qua ratione salvatur quod DD. omnes semper de illorum hæresi dixerunt, quod initium dabant ex homine, consummationem & perfectionem ex Deo.

Ad rationem autem inductam facile respondetur, quod licet non sit error Semipelagianorum, quòd possimus mereri perseverantiam per opera nostra verè facta ex efficaci auxilio gratiæ. Semipelagianorum tamen est error damnatus, quod perseverantiam possimus mereri per opera nostra, quæ gratiam dantem tantùm posse perseverare efficacem reddant, illam determinando, & sicut pediſsequam trahendo, ut nobiscum de facto perseveret, hac sola ratione quia nos volumus. Quod erat ab illo Doctore considerandum, sed ut dixi, ideo hunc negat Semipelagianorum errorem, ne sententiam suam pariter condemnet. De qua tamen copiosiùs in quarto libro, ubi omnia ista clarius, & extensius comprobanda sunt. Nunc enim ista sufficiant pro intelligentia doctrinæ Semipelagianorum circa donum perseverantiæ.

CAPUT XIII.

De quadam Semipelagianorum inter se differentia, & erroribus circa initium fidei in homine.

QVAMVIS in supra relatis modò erroribus convenirent Semipelagiani omnes, parua tamen, illaque valde accidentalis inter ipsorum aliquos differentia fuit circa constituenda illa initia & conatus illos merè naturales. Alij enim plus, alij minùs extendebant conatus illos. Prima ergo differentia illaque notissima inter ipsos fuit, quod licet omnes illa initia, & conatus ex nobis procedere affirmarent; Cassianus tamen putavit necessarium non esse quòd semper præcederent, sed quandoque etiam Divinam gratiam seu excitationem priorem esse affirmabat, ut constat aperte ex tota collat 13. Unde duos hominum ordines constituebat, quorum alij liberè veniebant, & incipiebant, & à gratia adjuvabantur, & recipiebantur; alij verò totaliter à gratia præventi in illis suis actibus nullam habebant libertatem. Faustus verò semper illa initia ex nobis procedere contendebat, ut semper hominem libere incipere profiteretur, in quo Faustus omni ex parte priorum Pelagianorum hæresim obtinuit, potissimè Juliani. Cassianus verò, ut doctè Sanctus Prosper cont. collat. affirmat cap. 9. Vtrumque simul amplexus est, & Pelagianorum, & Manichæorum stultitiam: dicendo enim aliquos incipere, & à Deo adjuvari, Pelagianus fuit, asserendo autem in aliquibus Deum incipere, & homines venire absque ipsorum libertate, Manichæus extitit, & hæc est prima inter ipsos differentia.

Secunda differentia quæ ab aliquibus assignatur, est, quòd aliqui illud initium ex nobis tantùm in fide collocabant; cæterum ad omnia alia opera bona, quæ distinguebant à fide, asserebant excitationem semper præcedere, ita quòd non solum ad perficiendum, sed etiam ad incipiendum talia bona opera necessaria esset illa excitatio, quam prævenientem gratiam appellabant. Alij autem initia illa extendebant ad alia opera. Ita dicit Gabr. Vasquez 1. parte quæst. 23. disp. 89. cap. 5. vers. *tertio præmittendum*. Cæterum nec ipse author refert, qui fuerint constituentes illa naturæ initia in sola fide, & qui illa extenderint etiam ad alia sequentia opera; nec in Cassiano, & Fausto hæc differentia invenitur. Imò si ad sola verba attendamus, uterque initium fidei ex nobis ponit expressè, & uterque verbis tantùm dicit, ad alia bona opera incipienda, esse gratiam necessariam, ut jam diximus supra. Si autem ad sensum illorum & mentem attendamus, uterque tam initium fidei, quàm aliorum bonorum ex nobis assignat, quia uterque non solùm initium fidei ex nobis constituit, sed etiam voluntatem salvandi, & obtinendi salutem nobis ex nobis adscribit, & uterque cõstituit posse habere hominem quosdam actus attritionis, & contritionis, & dilectionis Dei naturalis super omnia, ex solis naturæ viribus, quibus actibus seu motibus dicebant Deum se inferere, & ex consequenti prædicti motus convincebantur esse initia salutis. Dico, convincebantur, quia id expressè ipsi Semipelagiani non admittebant. Et quidem in Cassiano hoc invenitur expressum. Collat. 13. cap. 13. in qua dicit pœnitentiam Davidis ex illius fuisse arbitrio & occasionem extitisse, ut Deus illi crimina remitteret. Quòd apertiùs dicit in lib. 12. institut. cap. 11. ubi admittens contritionem ex nobis dicit illam fuisse initium salutis. Faustus etiam id admittit lib. 1. de gratia & humanæ mentis arbitrio sæpè, potissimè cap. 5. 6. 7 & 9. Igitur nec in Cassiano, nec in Fausto, imo nec in Juliano hæc signata differentia invenitur. Quod si in altero ex Semipelagianis, cujus scripta vel opuscula non habemus id inveniatur, de hoc nec certum aliquid diffinire valemus; nec tamen hanc differentiam ab ipso authore moderno positam inter Semipelagianos respuimus; quippe qui scimus, & supra reliquimus declaratum ex Epistola Sancti Prosperi, quod quidam illorum ab aliis in assignandis hujusmodi initiis naturæ diffidebant, & poterant facilè diversi esse in hac differentia exposita, sed tantum dicimus quod differentiam hanc, nec in Juliano, nec in Fausto, nec in Cassiano invenimus: Unde perstendo in horum opusculis, & in his, quæ Sancti Doctores de Semipelagianis referunt, quid ipsi dixerint circa initia ista naturæ, & quæ initia posuerunt distinctius prosequamur.

Primò illud est certum Semipelagianos dixisse cre-

Digitized by Google

dere hominem se posse sanari, & velle sanari; (quorum alterum ex parte intellectus se tenet, alterum ex parte voluntatis) à sola hominis voluntate posse haberi, id enim expresse habetur in Epistola Hilarij ad S. P. Augustinum, statim in principio, *consentiunt omnem hominem*, & utrumque actum, verbis dumtaxat, contendebant, non pertinere ad salutem, ut ibi plane refertur.

Secundo illud etiam certum debet esse, eos asseruisse affectum, & voluntatem credendi, & veniendi ad Baptismum in nobis ex nobis existere, ut constat ex Sancti Prosperi, & Hilarij Episcopalis ad Sanctum Patrem Augustinum, & ex citato libro Fausti, sed potissimè ex Concilio Arausicano secundo can 5. in quo contra illos hoc damnat Concilium.

Tertium & illud est indubitatum eos initium fidei ex nobis constituisse, perfectionem autem, sive augmentum ex Deo; ut apertè constat ex citat. Concil. Arausic. 2. canone 5. ubi contra eos definit non solum augmentum fidei, sed etiam ejus initium donum Dei esse, nec posse naturæ viribus obtineri. Id etiam referunt Sanctus Prosper, & Hilarius citatis Epistolis ad Sanctum Augustinum & clariùs ipse Sanctus Augustinus lib. de præd. Sancto. cap. 2. ubi illud advertendum, non rectè à Moderno illo authore Suarez in citato loco, præcedenti cap. dici idem esse initium fidei, & affectum credulitatis, quod probat, ex eo quod Concilium Arausicanum in canone 5. damnationis hujus erroris, inquit, *non solum fidei augmentum, sed etiam initium fidei, hoc est ipsum credulitatis affectum esse ex gratia.* Cœterum contra hoc ipsemet author alibi hæc verba habet. *Posuerunt Semipelagiani sicut oportet credulitatis affectum naturalem, & forsan simul aliam fidem imperfectam, & ordinis inferioris, quæ sit initium non intrinsecum, sed extrinsecum perfectæ fidei.* Hæc ille. Igitur ille actus imperfectæ fidei distinguebatur ab alio actu, qui erat credulitatis affectus. Similiter Concilium non dicit id quod ipse asserit, nec enim explicat initium fidei esse ipsum credulitatis affectum, nam verba Concilij sunt. *Siquis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus.* Non dicit ipsum initium fidei hoc est credulitatis affectum, sed potius sicut duo distincta ponit, tum initium fidei, tum affectum credulitatis, quia revera duo circa fidem antecedentia ex mera natura liberi arbitrij constituebant Semipelagiani, alterum affectum credulitatis, alterum actum quendam credendi, quem initium fidei vocabant, ut statim clariùs ostendemus.

Verum est quod etiam ille affectus credulitatis initium aliquale fidei erat, sed remotum magis, quam illud aliud initium fidei, hoc enim erat proximum initium fidei, licet imperfectum, & erat actus, quò de facto jam homo credebat, ut infra exponemus. Vnde si omnia quæ circa fidem dixerunt perpendamus, quinque actus ab eis statuebantur. Primus credere se posse per susceptionem Religionis Christianæ salvari. Secundus, qui ad hunc sequebatur, erat velle sanari. Tertius, habere affectum credulitatis. Quartus ex tali affectu moveri ad de facto ad credendū qui ut dictum fuit, erat initium fidei. Quinto venire ad recipiendum baptismi Sacramentum; Et omnes istos actus homini sine gratiæ auxilio tribuebant.

Quis autem fuerit ille actus à sola hominis facultate elicitus, quem Semipelagiani vocabant fidei initium, & an expresse ipsi affirmaverint initium piæ Christianæ fidei esse ex nobis, an vero de hoc convincerentur, & quid intelligerent per fidei augmentum, quod dicebant ex Deo esse, quia non ita est apertum, & notum, nec in opusculis ipsorum, nec ex relatis expresse à Doctoribus Sanctis, investigandum est diligentiùs.

Circa primum horum dicendum, quod ille actus quem ponebant fidei, erat sine dubio certò assentiri omnibus revelatis, tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt. Hic autem actus, etiam si fingendi licentia detur, uno ex quatuor modis potest constitui. Primo verè, ita ut ab efficaci auxilio gratiæ efficiatur. Secundo ut fieri dicatur à revelante, & excitante tantùm gratia, & moraliter invitante. Tertio à sola revelatione se tenente ex parte intellectus, nulla posita excitatione ex parte voluntatis. Quarto & ultimo à sola facultate naturæ posita tantùm exteriori prædicatione. Certum est autem quod primo modo, non ponebatur ab illis, qui semper efficaciam gratiæ negabant. De secundo autem modo quidam DD. satis graves, & in doctrina Sancti Augustini versati, dixerunt Semipelagianos dixisse quod posita externa verbi prædicatione revelationę, & interiori excitatione ex parte voluntatis, homo ex seipso, actum credendi producebat; qui etiam à gratia cooperante perficiebatur, quo videlicet assentiebatur omnibus illis revelatis, propositis, & explicatis, ut à Deo revelatis, & quod iste actus erat initium fidei Christianæ, qui à Semipelagianis admittebatur. Cœterum, licet iste actus sic explicatus sit revera initium fidei ex nobis, & hoc convincatur, quia illa interna revelatio seu pura, & extrinseca excitatio initium fidei non est (quod est valde considerandum, quòdque accuratius in quarto hujus operis libro erit demonstrandum;) crediderim tamen non appellasse Semipelagianos istum actum initium fidei ex nobis, imò semper contendisse talem actum, & talem fidem ex Deo esse, sicut & modo prætenditur. Quod ipsos sensisse verissimum reputo. Semper enim illi contendebant, quod posita illa interna excitatione moraliter invitante à Deo immissa, illa erat initium salutis, ita quod actus, qui illam præsupponebat, initium habebat ex Deo, & non ex homine, imò istum fuisse unum ex potissimis ipsorum erroribus modo efficacius probarem, nisi à proposito longius irem: erit tamen probandum in quarto hujus ut dixi.

De tertio autem modo, videlicet posita sola revelatione ex parte intellectus, verum videtur, asseruisse Semipelagianos fidem, quam quis habebat, non per inspirationem in voluntate, sed per solam internam illuminationem intellectus à Deo, esse ex nobis, & non ex Deo, hoc enim expresse dicit Cassianus collat. 13. citat. cap. 14. per hæc verba loquens de fide Abraham. *Non enim illam fidem quam ei Dominus inspirarat, sed illam quam vocatus semel atque illuminatus à Domino per arbitrij, libertatem poterat exhibere, experiri voluit Divina justitia.* Vbi clariùs distinguit fidem, quam homo habet ex se, suppositā Divina illuminatione. Se tenente ex parte intellectus contra eam quam Deus inspirat. Dixi verum videri hoc sensisse Semipelagianos, quia certum non est talem fidem venientem ex interiori Divina revelatione dixisse initium fidei. Hoc enim initium fidei, quod ex nobis solum constituebant, sine aliqua interiori revelatione ponebant, ut statim dicemus. Vnde fidem ex interiori Divina revelatione dicerent ipsi aliquomodo, & secundum quid, ex Deo revelante solum, simpliciter autem ex homine, ut in citato loco Cassianus ait; cum illam homini tribuit. Vel dicendum, & fortè melius, per illuminationem à Domino intellexisse externam prædicationem. Potissimè autem illo quarto modo ponebant Semipelagiani initium fidei ex nobis, videlicet, quod posita tantùm exteriori prædicatione homo ex sola naturæ facultate certò assentiebatur omnibus revelatis, sicut ut revelata proponebantur. Et hoc de primo puncto. Et quod ita sit clariùs patet ex utraque Epistola Prosperi & Hilarij ad S. P. Augustinum, quæ manifestè docent illos

Digitized by Google

los fidei initium posuisse ex nobis posita solum exteriori Evangelij prædicatione, qua ratione ut supra ex S. P. Augustino & Thoma diximus, Cassianus, & Faustus cum Pelagio consentiebant, constituentes solam legem, atque doctrinam esse necessariam ad illud initium fidei, & propter quod daret Deus ipsius fidei augmentum; in utroque enim cum Pelagio consentiebant.

Circa secundum dicunt DD. graves Semipelagianos non solum reipsa, sed etiam verbis expresse affirmasse initium fidei ex nobis, & augmentum sive perfectionem ex Deo, quod enim non tantum reipsa sed etiam verbis affirmarent id, sibi videtur apertum ex utraque Epistola S. Prosperi, & Hilarij ad Augustinum, & ex libris Fausti, & ex ipso Sancto P. Augustino lib. de prædest. Sanct. cap. 2. & 11. Vbi refert illorum verba, quibus dicebant, *si credideris salvus eris. Vnum exigitur, & alterum offertur; quod exigitur in hominis, quod offertur in Dei est potestate.*

En quomodo de Christiana fide apertè loquebantur, & de ipsa manifeste dicebant, quod ex nobis erat credere, præbendo videlicet initium ex nobis, quod propterea à nobis exigebatur. Nec enim Deus à nobis aliam Christianam fidem exigit in illis verbis *crede*. Legatur Cassianus in illa collat. 13. de protect. Dei cap. 14. & quod dicimus reddetur manifestum. Ibi enim illam centurionis fidem ita à Domino in Evangelio laudatam, quæ propterea erat prout ad salutem oportet, dicit ex solis naturæ viribus illius Centurionis, in tantùm quod asserit, *quod nullius laudis esset ac meriti, si id in eo Christus quod ipse donaverat præstitisset.* Cum autem ipse nullo alio modo sentiat Deum donare fidem, nisi per illam excitationem, eo ipso quod negat Deum illi Centurioni dedisse fidem, planè negat aliqua supernaturali excitatione ad illam concurrisse. Item quia in eodem cap. ait fidem Abraham, non fuisse illi à Domino inspiratam, sed ex illius solius naturæ viribus habitam.

Præterea, quia Sanctus Thomas 2. 2. q. 6. art. 1. referens errorem Semipelagianorum circa fidem (per quos proculdubio intelligit Pelagianos omnes) docet quod pro causa interiori *ponebant solum liberum arbitrium hominis, & propter hoc dicebant, quod initium fidei est ex nobis, in quantum scilicet ex nobis est, quod parati sumus ad assentiendum his quæ sunt fidei, sed consummatio fidei est ex Deo per quam nobis proponuntur ea, quæ credere debemus.* Hæc Sanctus Thomas. Quibus verbis apertè dicit posuisse Semipelagianos initium fidei solum ex libero arbitrio, sine excitatione interiori gratiæ, quia propositionem sive revelationem credendorum ponebant pertinere ad consummationem fidei, non ad illius initium. Itaque illum errorem quem Sanctus Augustinus retractavit, scilicet quod fides Christiana erat ex nobis semper retinuerunt Semipelagiani, quoad illius initium, illumque errorem expressis verbis fatebantur, & hanc assignabant differentiam inter fidem, & alia opera, quod initium fidei ex nobis esse apertè dicebant, non autem sic apertis verbis initium salutis in in operibus aliis ex nobis constituebant; imo verbis tale initium salutis ex nobis esse negabant.

Cæterum ex alia parte apparet, eos nihil prorsus quoad expressa verba posuisse ex solo homine, quod dicerent abillo fieri prout ad salutem oportet. Nihil, inquam, nec fidem, nec aliquid aliud; Et quidem in Cassiano hoc videtur apertum, sicut supra relatum est. Dicit namque libro 12. de institutis cap. 17. *Instruit author salutis nostræ, quid nos oporteat in singulis quibusque quæ gerimus, non modò sentire, sed etiam confiteri.* In qua tam clara distributione etiam fidem nostram includere visus est, qua cum cæteris omnibus quæ operamur, inclusa, subdit: *Ille ex persona hominis assumpti dicit nihil à semetipso se posse facere, & nos cinis, & terra in his quæ ad nostram salutem pertinent, arbitramur ad utorio Domini non egere?* Quæ verba, quomodo ab ipso possent proferri, si ipse expresse fateretur fidem prout ad salutem oportet, sine Dei adjutorio esse ex nobis? Item generaliter loquens de illis seminibus virtutum, quæ omni animæ inserta esse contendebat, inter quæ non dubium quin fidem includeret, inquit, quod ad perfectionem, id est ad salutem (ut ex ipso dedimus explicatum supra) sine Dei opitulatione pervenire non poterunt, quia ut ex Apostolo ait, *neque qui rigat, nec qui plantat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* Sentit ergo quod qui plantat, (quod ad fidē pertinet) sine Dei excitatione, seu opitulatione nihil facit, quod pertineat ad salutem. Deinde in citata Collat. 13. cap. 12. ait: *Sed ne crederent se ad opus salutis divino auxilio non egere, subjungit: Deus est qui operatur in nobis.* Amplius S. Hilarius id videtur expressisse Epistola ad S. P. Augustinum illis verbis quibus Semipelagianorum sententiam refert, dicens: *Id conveniens asserunt veritati, vel congruum prædicationi, ut cum prostratis, & nunquam surrecturis suis viribus annuntiatur obtinendæ salutis occasio, eo merito quo voluerint, & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis sua consequantur effectum. Cæterum ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum quemquam sibi sufficere posse consentiunt, nec enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant exterrita, & supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari.* Et statim. *Quod enim dicitur crede & salvus eris, unum eorum exigi asserunt, aliud offerri;* Et continuò. *Nec negari gratiam si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipsa jam valeat.* Quibus videtur eos sensisse illam fidem, quam naturæ viribus dabant, nihil valere, vel fieri prout ad salutem oportet, sicut in allatis prioribus oppositum videtur eos astruere.

Vt ergo eorum mens detegatur, & cavillationes comprehendantur; & quæ in ipsis contraria apparent, in quo sensu dicta fuerint penetrentur. Considerandum eos per illum actū fidei naturæ viribus habitum, absque dubio intellexisse fidem Christianam esse, & sic eum nominasse; sed esse imperfectam asserebant, & inferioris ordinis ad illam, quæ post illam excitationem habetur. Unde illam vocabant initium extrinsecum perfectæ fidei, non intrinsecum, & cum postea à Deo excitabatur, illa divina excitatio, & vocabatur ab eis augmentum fidei respectu illius prioris imperfectæ, & dicebatur esse verum intrinsecum & perfectum fidei Christirnæ initium. Hæc in summa illorum sententia erat, & reipsa & verbis explicata.

Per hæc autem quasi sibi conciliare videbantur, quæ dissona in eorum doctrina apparebant. Quia enim ponebatur ab eis in illo actu pia & Christiana fides, consequenter dicebant hanc exigere ab homine Deum cum dicit: *crede & salvus eris;* non enim aliam, quam veram & Christianam fidem ab eo Deus exigit. Similiter dicebant esse alicujus laudis, & meriti secundum pietatem ut à Deo perficeretur. Quia autem contendebant esse imperfectam fidem, & inferioris ordinis, & esse initium extrinsecum illius perfectæ fidei; asserebant per consequens non sufficere per se ad salutem, nisi amplius adjuvaretur; nec fieri simpliciter, & absolutè prout ad salutem oportet; non per se aliquid absolutè & simpliciter valere, sed tantùm secundū quid, & imperfectè, quatenus extrinsecè conducebat ad illam divinam excitationem, seu ad illud perfectum & intrinsecum initium fidei. Itaque numquam ipsi illum actum appellabant intrinsecum initium Christianæ fidei, nec fieri absolutè & simpliciter prout

Digitized by Google

ad salutem oportet, sed tantum secundum quid sive imperfectè, sive extrinsecè, per quod se abscondere nitebantur. Vnde Sancti Patres, qui eos expugnarunt, hoc initium Christianæ fidei qualecumque ab eis constitueretur, ex solo homine fieri damnarunt. Convincentes illos in tali actu meritum respectu gratiæ adjutorij collocare, sicut revera taliter meritum illius erat, quòd gratia debita reddebatur, non autem gratuita donabatur.

Quia tamen ex Sancto Thoma dictum est supra, ideo Pelagianos constituisse initium fidei ex nobis, quia ex nobis dicebant esse, quod parati sumus ad assentiendum his quæ sunt fidei; consummationem autem ex Deo, in quantum nobis ab ipso revelantur, & proponuntur ea quibus assentiri debemus, explicare oportet, quomodo cum hoc stet initium fidei ex nobis potuisse Pelagianos in illo actu quo assentimur credendis, hoc enim ab illo primo quod S. Thomas docuit, non dissentit, sed potius ex eo consequitur. Sicut enim esse hominem paratum ex se ad assentiendum rebus fidei est primum & radicale initium fidei ex nobis, & proponere credenda est illius consummatio, ita actu ex tali præparatione assentiri est actuale initium fidei ex nobis; & cum Deus, ut à Pelagianis ponebatur, se inserendo, hominem in illo actu adjuvabat, actualiter etiam perficiebat, & consummabat quod actualiter ab homine incœptum erat.

Contra id verò, quod posita sola exteriori prædicatione dictum est eos ponere ex nobis initium fidei, videtur obstare, quod cum Pelagius, ut diximus supra, tandem ultimo suæ perfidiæ statu admiserit revelationem supernaturalem internam esse necessariam, non videtur verisimile quod Semipelagiani illam negarent tenendo primum errorem Pelagij in primo statu illius, & dicendo absque tali revelatione posse hominem habere ex se fidei initium.

Ad hoc dicendum primò videtur, quod cum Pelagius à principio respectu omnium operum, etiam perfectorum solum necessariam admiserit exteriorem legem, atque doctrinam, ad omnia ista opera Semipelagiani inchoanda vel perficienda gratiam illam revelantem, & excitantem admittebant, excepto tamen fidei initio, ut ex ipsorum verbis patet. Unde non conveniebant cum illo primo statu Pelagij erroris, nisi in solo initio fidei, quod admittere nullum inconveniens est. Dicendum secundò quod nec Pelagius in ultimo statu suæ hæresis dixit esse necessariam revelationem nisi ad perficiendam salutem, non ad incipiendam, ut visum est supra. Unde nec ad incœptionem credendi ipse admisit necessariam interiorem revelationem, sed sufficere exteriorem doctrinam; cui errori Semipelagiani adhæserunt.

Aliud etiam potest opponi: quod cum prædicato Evangelio Deus audientibus interius etiam revelet (hoc enim videtur inseparabiliter conjunctum cum Evangelij prædicatione) non videtur possibile aliud dicere, nisi quod prædicato Evangelio, & revelatione interiori præhabita dicerent Semipelagiani se ex ipsis habere initium fidei. Ad quod tamen respondetur, ut diximus, certum esse Semipelagianos non appellasse initium ex nobis, quod Deo interius revelante, & excitante fiebat, imò hoc fieri ex dono Dei contendebant. Vnde ad argumentum dicendum, vel quod Semipelagiani, sicut in aliis, ita in hoc errabant, putantes prædicato Evangelio non opus esse Deum interius revelare ut homines credere inciperent, imò fortè hoc ipsi reputabant superfluum, ut homo inciperet credere. Vnde secundò dicendum quod licet adesset talis revelatio, quia nec semper & in omni instanti quo prædicabatur Evangelium, vel post illud prædicatum aderat, salvari potest, quod ante talem revelationem, cum Evangelium audiebatur, vel post factam jam revelationem dicerent Semipelagiani posse hominem ex sola sua facultate naturæ credere: videlicet si hora tertia fuit Evangelium prædicatum, & Deo simul interius illustrante mentem multorum ex audientibus, qui tunc restiterunt, & credere noluerunt; postea hora nona, vel undecima, cum nulla jam esset interior revelatio, ex sola memoria & recordatione prædicationis homines ex seipsis incœpissent credere. Vel tertiò quòd etiam (prout ex Cassiano dictum est) posita sola revelatione ex parte intellectus, nulla admissa excitatione ex parte voluntatis asserebant hominem ex se solo credere.

Superaddebant autem, quod sic homini assentienti, atque initiative credenti, Deus per interiorem, & supernaturalem revelationem & excitationem se inserebat, eundemque præcedentem actum magis illuminabat, & adjuvabat, magisque acuebat, & hanc majorem illustrationem, & illuminationem, vocabant fidei augmentum vel fidei perfectionem. Vnde dicebant, quod ille actus prout à principio elicitus à solo homine, erat initium fidei, illa autem major illustratio quæ à solo Deo procedebat, vocabatur ab ipsis fidei augmentum, seu fidei perfectio, & sic etiam verificatur quod Sanctus Thomas supra relatus docuit, quod videlicet consummatio erat ex Deo in quantum ipse interiùs revelabat, & credenda proponebat.

Rursus dicebant, quod per illum actum fidei jam à Deo roboratum & magis illustratum excitabatur ipse homo, ut jam ulteriores actus fidei supernaturales & magis perfectos valeret elicere si vellet. Ista fuit sine dubio Semipelagianorum sententia circa initium fidei ex nobis, & ipsius augmentum ex Deo, & sic patet ad illud quod tertio loco quærebatur.

CAPUT XIV.

Quid dixerint Semipelagiani de initiis aliorum operum à fide.

Circa initia autem aliorum operum à fide, quomodo videlicet ab ipsis cõstituebantur, dicendũ omninò videtur. Primò illos reipsa expressè affirmasse desiderium salutis & orationem ex naturæ viribus factam, imò attritionem, contritionẽ, dilectionem Dei naturalem, & in summa quamcumque imperfectam boni cupiditatem respectu cujuscumque objecti posse esse in homine ex solis naturæ viribus, ut ex Juliano relato à S. P. Augustino lib. 2. ad Bonif. cap. 8. & ex relatis locis ex Fausto & Cassiano constat apertè, & ex illa universali propositione, qua dicebant inesse omni animæ naturaliter insita virtutum semina. Omnes autẽ hos naturales actus, licet inter se absoluti essent, & efficaces; eo solo, quia ex supernaturali excitatione non proveniebãt, appellabant Semipelagiani imperfectam boni cupiditatem, & virtutum semina, in quibus seminibus, & virtutum initiis defendendis omnes conveniebant, imò (suppositis illorum falsis principijs) omnes convenire debebant, si consequenter procedere vellent, erant autem & ipsi acuti, & consequenter sine dubio ad sua principia loquebantur.

Dicendum secundò istos actus, seu semina ista virtutum modo explicata per attritionem, contritionem, & dilectionem naturalem esse revera secundum quod à Semipelagianis constituebantur initia salutis, & de hoc convincebantur. Primò quia illis positis à solo homine, Deus supernaturalibus revelationibus, & excitationibus illicò se inserebat. Ex quo convincebatur, quod tales actus prout à solo homine, essent salutis initia, postquã ad illos infallibiliter consequebatur supernaturalis revelatio, & excitatio, & cœtera ad salutem pertinentia. Vnde ex illo actu ab homine incepto incipiebat salus, quod ita esse, à nobis in quarto hujus operis

Digitized by Google

operis libro apertiùs erit demonstrandum. Modò enim hoc summitate, ut dicitur, labiorum tangimus pro declaranda Semipelagianorum mente, quam non omnes penetrant ob difficultatem materiæ, & locorum diversitatem, cùm tamen valde necessarium sit illorum mentem clarius denudare, quia ex hoc pendet totius hujus materiæ resolutio. Convincebatur etiam ratione alia, attritionem, contritionem, & dilectionem Dei super omnia naturalem, utpotè absolutos actus, & efficaces, esse salutis initia, & ad salutem pertinere quia ex objecto fotmali & essentiali isti actus sunt pertinentes ad salutem: Unde cum à Semipelagianis ex solis naturæ viribus constituebantur, convincebantur & ipsi quòd tales actus dicerent fieri à solo homine, secundùm quod pertinebant ad salutem: de quo ex professo accuratiùs, atque diffusiùs agemus in tertio hujus operis libro, ubi demonstrabimus istos actus à quocunque fiant, fieri prout ad salutem oportet, secundum doctrinam Sanctorum & Conciliorum.

Dicendum est tertiò & ultimò Semipelagianos verbis tantùm semper negasse illos actus, & illa virtutum semina esse salutis initia, aut pertinere ad salutem antè illam supervenientem revelationem, & hoc est quod S. Hilarius Epistola ad S. P. Auguinum dicit: in qua postquam retulit Semipelagianos initium fidei ex nobis constituere explicato modo, statim subdit hæc verba: *Cæterum ad nullum opus vel incipiendum nedum perficiendum quemque sibi sufficere posse consentiunt.* Ecce dicebant apertè hominem non sufficere ex se solo ad incipiendum opus aliud à fide quod esset salutare; sive pertinens ad salutem: quod Cassianus in collatione 13. citata semper affirmat, & hoc ipsum est, quod S. P. Augustinus de Semipelagianis refert lib. de prædest. sanct. cap. 1. & 2. ubi docet Semipelagianos constituentes ex nobis fidei initium, negasse hominem ex se solo posse incipere opus illiud pertinens ad salutem, quia videlicet verbis id ita publicabant.

Sed hinc oritur difficultas non omittenda; quia S. August. utroque loco modò citato expressè docet Semipelagianos erasse constituendo initium fidei ex nobis, non tamen errasse, sed cum Christi Ecclesia convenisse in illo secundo quod dicebant, non sufficere videlicet hominem se solo sine gratia ad opus aliud bonum incipiendum: sic enim expressis verbis dicit Sanctus Doctor cap. 1. de prædest. sanct. & id ipsum in cap. 2. confirmat: Ergo si secundùm Augustinum in hoc secundo non errabant, non constituebant reipsa Semipelagiani in illis operibus initia salutis: aliàs si revera id constituebant, & de hoc convincebantur licet id verbis dumtaxat negarent, quomodo Sanctus Augustinus dicit illos jam fateri cum Ecclesia Christi necessariam gratiam ad bonum opus salutare incipiendum? Verba Sancti Augustini sunt ex illo cap. de prædest. sanct. *Pervenerunt autem isti fratres nostri; pro quibus solicita est pia charitas vestra, ut credant cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo, nisi per justitiam secundi hominis aliquem liberari: pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia faterentur, atque ad nullum opus bonũ, vel incipiendum; vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant. Retenta ergo ista in qua pervenerunt, plurimum eos à Pelagianorum errore discernunt.* Quibus clarè docet Semipelagianos vocatos, in aliis initiis à fide non errasse, sed verè illa à gratia dixisse præveniri. Ad hoc dicendum quod S. P. Augustinus hoc dixit ex relatione S. Prosperi, atque Hilarij, qui sibi per Epistolas retulerant Semipelagianos negare hominem ex se solo sine gratia ullum posse inchoare opus bonum aliud à fide: Sanctus autem Prosper, & Hilarius hoc retulerunt, quia ita Semipelagiani verbis dicebant, nec ita fuerunt noti à S. Prospero atque Hilario, sed postea ipse S. Prosper detegens ipsorum cavillationes, & in particulari agens de istis actibus, contritionis videlicet, & dilectionis Dei, demonstravit in libro contra collatorem illos actus constitui à Semipelagianis secundùm quod pertinebant ad salutem. Undè à principio cùm audirent Sancti Semipelagianos dicere sic in generali, ad nullum bonum opus hominem se solo sufficere, neque tunc in particulari aliud Semipelagianos exprimere, putarunt viri Sancti, quod ita res se habebat, sicut verbis publicabatur, & id retulerunt S. Augustino sic in generali, sicut illa verba sonabant. Quare ipse S. Augustinus credens illos ità re sentire, ut verbis fatebantur, rectissimè dixit: quod videlicet supposita tali relatione, jam fatebantur cum Ecclesia Christi, quod ad nullum opus bonum inchoandum sufficeret homo sine gratia. Si autem in particulari retulissent Sancti illi S. Augustino Pelagianos dicere posse hominem sine gratia, solis suæ naturæ viribus, habere contritionem, & dilectionem Dei super omnia naturalem, & similia, & simul ipsos asserere tales actus non pertinere ad salutem, nec esse salutaria vel salutis initia, sine dubio doceret id quod jam docuerat contra Iulianum, tales actus esse ad salutem pertinentes, nec diceret Semipelagianos requirere gratiam ad inchoandum opus salutare, nisi tantum verbis externis.

Similiter si S. P. Augustinus contra illos Semipelagianos disputaret, non dubium quin illorum cavillationes statim deprehenderet, sicut etiam S. Prosper, ut dixi, postea deprehendit. Facile est enim Sanctos falli ab hominibus cavillosis, qui aliud re, aliud verbis proferunt, quousque id manifestè sancti conspiciant. Sic à principio S. Prosper, ut supra diximus, quia verbis Semipelagiani dicebant peccatum originale esse in parvulis, credidit illos sic verè affirmasse, & id etiam S. Augustino retulit, quousque posteà deprehensa ipsorum malitia, & cavilatione, seu equivocatione docuit in suis aliis suis opusculis illos reipsa peccatum originale negasse veram esse culpam in parvulis, & ista sufficiant pro illa secunda differentia, quæ ad aliquibus assignatur inter ipsos Semipelagianos, & pro vera istorũ intelligentia, & mente circa fidei initium, & bonorum operum. Hæc enim fuit inter omnes convenientia, quod & re, & verbis initium fidei ex nobis esse dicebant, respectu autem aliorum bonorum operum à fide reipsa initia salutis in ipsis constituebant, verbis autem id negabant; ne tantùm viderentur libero arbitrio contra divinam gratiam ascribere.

Ubi etiam aliud venit considerandum, aliquos temporibus istis ex relatis nunc verbis S. Augustini & ex aliis similibus cap. 2. ejusdem libri, absolutè, & simpliciter asserere Cassianum, & Faustum in nullo Pelagianum tenuisse errorem, nec etiam in illo initio fidei ex nobis constituendo. In quo nimis falluntur vel nos fallere volunt. Quod enim in initio fidei Pelagium sequerentur, ipse S. P. August. in terminis docet citat. lib. de prædest. Sanct. cap. 2. quod non tantũ distabat à primo ut id non videret, sed voluerunt se occultare. Verba sunt S. P. August. *Sed nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hac re adhibuimus ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo; tanquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantùm augeatur in nobis eo merito, quo cœpit à nobis. Non ergo receditur ab ea sententia, quam Pelagius ipse in Episcopali judicio Palæstino, sicut eadem gesta testantur, damnare compulsus est: Gratiam Dei secundum merita nostra dari.* Quid clariùs illos in hoc cum Pelagio convenire? Sed jam ad aliam differentiam tertiam quæ etiam ab aliquibus inter ipsos Semipelagianos assignatur, deveniamus; quod si in hoc ultimo aliqui diversi sint, nihil omnino retulerit.

Tertia differentia quæ ab aliquibus inter Semipelagianos assignatur, est quod illorum quidam ità cum Pelagio conveniunt quòd solam gratiam creationis admitterent, aliis id nullo modo dicentibus, sed affirmantibus necessariam esse supernaturalem gratiam. Hanc differentiam sibi videntur colligere ex verbis S. Prosperi Epistol. ad S. Patrem Augustinum, cum ait: *Quidam verò horum intantum à Semipelagianis semitis non declinant, ut cùm ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, cogantur; ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur; ad conditionem hanc velint unius cujusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec existentem, liberi arbitrij & rationalis, gratia creatoris instituat, ut per discretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus possint suam dirigere voluntatem.* Cæterum hæc differentia inter illos minùs bene assignatur, neque enim aliqui ipsorum tantùm gratiam creationis admiserunt, imo postquàm S. Prosper hæc prædicta verba potuit, statim declarat eos gratiam supernaturalem admittere cum subdit. *Atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, pervenire per naturalem scilicet facultatem petendo, quærendo &c.* Igitur admittebant illi, de quibus priora relata verba dixerat, necessariam Christi gratiam in qua renascimur, præter gratiam creationis, licet illam acquiri dicerent per facultatem naturæ, petendo, quærendo, & pulsando, & ex meritis illius operis mere naturalis.

Sed dices, cùm omnes Semipelagiani in istis initiis naturæ petentis gratiam, quærentis, & pulsantis convenirent, quare S. Prosper quasi apertam constituens differentiam dixit (*quidam verò horum*) quos ab universitate omnium distinguit? Quid ergo isti in particulari dicebant?

Ad hoc videtur dicendum omnes asserere & proviribus contendere illa initia ex nobis, cum essent imperfecta etiam si præcederent gratiam nihil derogare gratiæ, quia gratia præveniebat opera perfecta, & absolutè bona, & ista erat communis illorum doctrina. Quidam autem horum oppressi illo argumento, quòd gratia debebat omnia bona opera, etiam minima ad salutem pertinentia præcedere, recurrebant ad gratiam creationis, dicentes satis esse illa minima initia præveniri à gratia creationis, & isti multo magis cum Pelagio conveniebant, ut dicit sanctus Prosper, nominantes gratiam creationis & illam iterum introducentes in hac materia, vel ad illam recurrentes, ut salvarent quod illa initia præveniebantur à gratia saltem creationis.

Quia verò plura de Cassiano, pauca verò de Fausto retulimus, & Faustus fuit unus de præcipuis qui doctrinam sancti Augustini impugnando, hæresim Juliani defendit, ideo magis expresse illius errores oportet aperire. Quod verò à quodam moderno authore pro istis naturæ initiis quæ Massilienses constituebant, citatur Hieronymus lib. 1. Dialog. contra Pelagium in principios illis verbis. *Constat ergo inter nos*, & illis aliis: *oro te non legisti* & lib. 3. in illis, *jàm in Domini potestate.* S. P. Augustinus lib. 2. retract. cap. 31. lib. 3. de lib. arb. cap. 19. tract. 26. in Joann. Epistola 89. ac Sanctus Prosper lib 1. de vocat. gent. cap. 4. & lib. 2. cap. 15. de quibus ait author prædictus, quod licet ista initia in istis locis teneant, in aliis tamen se explicant. Quod, inquam, hoc opponitur, falsum omnino est, quia illi S. Patres in illis locis tale non dicunt, imò nihil magis perpetuò expugnarunt: quod in nostro quarto libro illam tractantes propositionem; *Facienti quod in se est ex suis naturæ viribus Deus non denegat gratiam*, apertius ostendemus. Dato autem gratis, quod quid simile in aliquo illorum locorum videatur alicui apparere, si ut fatetur, in aliis locis se explicant, quod tale non intendant, nihil ad favorem illorum initiorum adducitur, sed ut iterum dicam nihil tale in illis locis habetur, ut citato loco monstrabimus.

CAPUT XV.

De erroribus Fausti Rhegiensis Episcopi contra divinæ gratiæ adjutorium.

Quia ut diximus illi duo libri Fausti, qui de gratia & humanæ mentis arbitrio inscribuntur, ipsissimi sunt, qui à Gelasio in cap. *sancta Romana* damnantur, & impugnantur à Maxentio, in quibus proinde de profunda calliditate S. Isidorus Faustum notavit, quod etiam inducta verba ex præfatione ad Vincentium Lyrinensem testantur, visum est nobis, ne incauti fallantur, eandem ejus astutiam aperire, errores illius denudando.

Cœpit ergo ipse Pelagium oppugnare de eo quod peccatum originale, & Dei gratiam negaverat; sed nihil aliud postea novis coloribus, & latebris proposuit, & tenuit, nisi quod fictè primò in Pelagio damnare videbatur, ut notat Maxentius in Epistola ad Hormisdam.

Undè illius fuit primus error, quo cum Juliano, cujus doctrinam sequitur, sensit peccatum originale non esse veram culpam in parvulis, quæ arbitrij vires læderet, & extenuaret, sed tantùm esse pœnam, sicut Julianus priùs dixerat, undè quoties peccatum originale nominat sub hac ratione illud admittit. Ut enim supra ex S. Prospero ostendimus, tùm in libro contra collat. tùm in prosa de ingratis, de hoc Semipelagianos accusat, quod voce peccatum originale publicarent, re autem ipsa illud esse veram culpam lædentem arbitrij facultatem inficiarentur. Quod ex primo libro Fausti cap. 1. & 2. non est difficile comprehendere; totum enim primum, & secundum caput ferè consumit in probando contra Pelagium non futuram esse mortem si peccatum primi parentis non esset. Cùm enim tam ex professo Pelagium in materia peccati originalis impugnet, & mortem solùm nominet, nec culpæ mentionem faciat, hæresim Juliani ponentis non culpam, sed mortem in posteros Adæ transisse, sequitur sine dubio.

Ex hoc autem principio, quod liberum hominis arbitrium non læsum, nec viribus extenuatùm poneret in hominibus, sed firmum & forte, deducebat omnes alios errores suos; inferebat enim ipsum arbitrium ex sua naturali facultate potentes vires habere ad desiderandum, quærendũ, & petendum salutem, cui sic desideranti, quærenti, & petenti quæsita lux se ingerebat. Ita habet lib. 1. cap. 15. in quo simul duos errores protulit. Primò quod vires dedit arbitrio, quas non habet, ad sic videlicet desiderandum, quærendum, & petendum. Secundò quod illis naturæ operibus gratiam dari ex debito ponebat, sed & hic se occultabat calliditate maxima, dum reipsa illa merita gratiæ astruebat, sed merita esse contra Pelagium voce dumtaxat negabat.

Intantùm autem liberum arbitrium sanum, & integrum viribus constituebat, ut diceret tertiò posse ipsum ex sua innata libeatate si velit, mandata servare. Nam lib. 1. cap. 13. ex illo Eccles. 15. *Si volueris mandata servare conservabunt te*, ita dicebat. *Videmus ergo & in bonam, & in contrariam partem posse humana mentis transire consensum.* Et intelligebat posse ex sua innata libertate talem consensum prebere circa observantiam mandatorum, in quo liberum arbitrium sanum constituebat etiam ad diligendum Deum super omnia, quod est primum & maximum mandatum, in quo ut S. Augustinus probat, totam hæresim Pelagianorum fundabat.

Digitized by Google

Imò in tantum liberum arbitrium forte, & firmum constituebat, ut assereret posse illud ex sua innata libertate credere proposita tantum Evangelij exteriori prædicatione, asserens quod credentibus ex se hominibus Deus fidem augeret: in quo duplicem asserebat errorem, & quòd homo possit ex se sine dono gratiæ fidem habere, quasi fides donum Dei non esset; & quòd tali fidei naturæ viribus inceptæ auxilium ulterioris fidei à Deo ex illo priori hominis merito redderetur. Hoc ipse statuit in primo libro cap. 7. dicens: Quod Deus expectat fidem à parvulis, & illam ab eis exigit, quia illam ipsi ex se solùm præstare possunt. Unde lib. 2. cap. 2. ait: Quòd sicut Deus dedit à principio homini intellectum & rationem, ita dedit fidem, id est facultatem & possibilitatem ad credendum: hanc enim facultatem ad credendum intelligit ipse nomine fidei. In quo etiam apparet ipsum sensisse per peccatum originale non fuisse vulneratum, vel sauciatum liberum arbitrium in illa facultate, quam à principio homo recepit. Quamvis etiam in hoc fallatur, quòd homo sanus sine peccato originali, & sine gratia, ut potè si in puris naturalibus conderetur, possit credere proposito tantummodó Evangelio.

5. Error quod sic homini bene operanti, & facienti quod in se est ex solis suis naturalibus viribus Deus suam semper confert gratiam & misericordiam, ita habet 1. lib. cap. 16. dicens. *Nam Deum quolibet tempore qui quæsivit, invenit, & qui invenisse non visus est, nec quæsivit.* Et cap. 18. *Cùm enim mens humana ad videndum mentis oculos aperuerit, statim se desideranti quæsita lux ingerit*: In quo, ut dictum est, gratiam sub priori naturæ merito collocabat, licet ut se occultaret, illa esse merita gratiæ sola voce negabat.

6. Error hinc asserebat, quod illa lux quæ se ingerebat bene operanti homini, erat gratia præveniens quia ut aiebat, licet illa daretur illis prævisis bonis operibus, quia tamen contendebat, quod opera illa merita gratiæ non erant, salvabatur, quod vera esset gratia præveniens: In quo non considerabat; quod gratia quam secundùm propriam phantasiam prævenientem vocabat, præventam ab homine manifestè ponebat, imò ex priori illo merito dari, hoc patet ex citatis locis pro errore præcedenti.

7. Error, explicans autem quænam esset illa, quam prævenientem gratiam vocabat, asserebat illam non esse ex Deo ipso efficacem, & verè facientem hominem facere; dando videlicet ei efficacissimas vires ad consentiendum, nam 1. lib, cap. 8. inquit: *Improbæ persuasionis assertor,* (idest gratiæ efficacis prædicator) *æstimat hominem violento tantùm authoris imperio pertrahi.* Et cap. 9. in explicatione illius, *posui ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum elige vitam ut vivas*, inquit, *quod neminem hic premit fati, vel impositæ perditionis necessitas, ubi competit eligendi potestas*, & cap. 11. explicans illud Apostoli: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est*, ait, *cum ergo audis, ex vocante dictum est, invitantem intellige, non cogentem.* Quod ideo dicebat, quia efficaciam prævenientis gratiæ cogentem esse contendebat, & cap. 14. *Audi Dominum non duris nexibus, sed manibus attrahentem, & dilectionis brachiis invitantem.* Ubi per illa verba non duris nexibus, efficaciam gratiæ prævenientis negat, quam duris nexibus arbitrium ligare putabat.

8. Error illius erat, quod illa præveniens gratia tantùm erat suadens, invitans, alliciens, & moraliter attrahens. Negata enim efficacia gratiæ, solam eam quæ invitaret, prevenientem esse dicebat, nec aliam gratiam dantem voluntati vires constituit, quod est maximè considerandum. Qui enim suadet, & invitat vires non tribuit: Quod ipse ex suo illo principio quo viribus sanum & forte arbitrium constituit, deducebat. Unde hoc ipse declarans in cap. 9. primi libri explicans illud: *Vis sanus fieri*, ait, *conscius quantùm cordi humano potens factor indiderit; voluntatem illius, quem est sanaturus, interrogat.* Item ibi *si quis*, inquit, *vult post me venire abneget semetipsum, & sequatur me, hoc est dicere meæ miserationis est ut voceris, sed tuæ voluntati commissum est ut sequaris.* Et cap. 14 explicans qualiter Deus ad se gratia sua homines vocat, ait: *Quid est autem attrahere nisi prædicare, nisi scripturæ consolationibus excitare, increpationibus deterrere, desideranda proponere, intentari metuenda, judicium comminari, præmia pollicere &c.* Quibus verbis apertè gratiam prævenientem non ex parte voluntatis, sed intellectus tantum constituit, cujus proprium est consolationibus excitare, & illa alia quæ dicit efficere, in quo nedùm Julianum relatum supra, sed ipsum Pelagium sequitur relatum à S. P. Augustino lib. de gratia Christi cap. 10.

9. Aliquando dicebat; *Quod non tantum dandum erat gratiæ, sed aliquid reservandum humano labori.* Quod expressè ponit in cap. 1. lib. 1. Aliquando dicit, *quod totum ad authorem gratiæ referendum est.* Ut constat apertè eodem 1. lib. cap. 14. quorum concordia est, quòd cum ait, non totum esse dandum gratiæ, intelligit non esse ponendam gratiam efficacem, quia aliàs putabat, quod ita totum gratiæ dabatur, quod nullus locus relinquebatur labori humani arbitrii; quia ejus impediebatur libertas. Cùm autem asserebat totum ad authorem gratiæ referendum esse se explicabat, quod totum est referendum ad authorem gratiæ, tanquam ad docentem, illuminantem, & sic suadentem, seu invitantem, ipsius enim verba sunt 1. lib. cap. 14. *Pro eo verò quod totum ad authorem gratiæ referendum est, legimus, qui docet hominem scientiam, vel Dominus illuminat cæcos*, & iterum *illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: & beatus homo, quem tu erudieris Domine & de lege tua docueris eum.*

10. Error. Posita illuminatione ex parte intellectus voluntatem sic suadente & invitante, asserebat, quòd Deus expectabat hominis consensum, & si ipse ex se consentiebat, Deus illi cooperabatur, seu eum consensum adjuvabat, ita quod nihil aliud requirebatur ad justificationem, & gratiam habendam, ita lib. 1. de lib. arb. cap. 5. dicens. *Iuxta Catholicam regulam opera legis evacuantur, quæ secundùm literam sunt, & ea quæ post gratiam, committante gratia gerenda sunt asserunrur. Quòd Deus præcepta divina per laboriosæ servitutis officia, gratia cooperante servantibus regnum cœleste promisit.* Et cap. 12. *Nam cùm homo per gratiam esse cœperit vas electionis & honoris, invigilandum est, ut acceptus honor divina cooperatione servetur.* Quibus gratiam cooperantem, & adjuvantem consentiente jam arbitrio constituit. In quo Julianum supra relatum apertissimè sequitur dicentem, hominem adjuvari à Deo in bono opere incepto ab ipso homine, posita supernaturali illustratione intellectus. Et hanc quam ille adiuvantem gratiam in eodem opere nominabat, iste cooperantem vocat.

11. Ejus error erat, quod liberum arbitrium, & gratia concurrebant sicut duæ causæ pertiales ad eundem actum perficiendum. Hoc habet expressè 1. lib. cap. 1. dicens: *Quod si partibus properietates suas reddas, & Christum Deum simul & hominem credas, perinde est ac si gratiam cum labore conjungas.*

Digitized by Google

12. Asserebat quòd jam sic homo justificatus nullo alio indigebat auxilio ipsum faciente perseverare, quia læderetur arbitrium, sed ipse poterat si vellet, perseverare, posito tamen auxilio sufficiente, & dante posse perseverare, ita de illo & sequacibus Hilarius refert Epistola ad Augustinum, ut dictum est supra.

13. Asserebat prædestinationem non esse firmam, & certam ex Dei proposito, sed ex præscientia boni usus, ita quòd illum Deus prædestinabat quem prævidebat sic bene operaturum ex naturæ viribus, credendo, pulsando, petendo, quærendo, & quem rursus præsciebat existenti gratiæ consensurum, & justificandum, & quem tandem prævidebat in ipsa gratia usque in finem vitæ perseveraturum; econtra autem illum reprobat quem usque ad finem vitæ perseveraturum non prævidebat. Unde prædestinationem post præscientiam statuebat, & ex ipsa certitudinem ejus astruebat, & propter talem boni usus præscientiam illam esse dicebat, sic enim ait lib. 1. cap. 4. *Si enim unus ad vitam alter ad perditionem, ut asserunt deputatus est, sicut quidam sanctorum dicit, non judicandi nascimur, sed judicati, nec ulla sibi justa hæc poterit æquitas constare judicij*, & cap. 9. *Neque enim in unam partem trahit prædestinatio, ubi utriusque partis defertur electio.* Idem dicit cap. 10. in explicatione illius, *& tunc reddet unicuique secundum opera sua*, & in fine explicans illud. *Potens est enim Deus statuere.* Et in cap. 11. inquit, *Igitur dùm liberi interemptor arbitrij in alteram partem omnia ex prædestinatione statuit, & diffinita esse pronunciat, etiam suprema remedia pœnitentiæ, sensu abruptæ impietatis evacuat:* Idem repetendo confirmat lib. 1. cap. 13. & lib. 2. cap. 2. 6. & 7.

Ut se autem occultaret, solis verbis asserebat. *Quod ita dicentes non laborem gratiæ coëquamus, sed omnino gratiam sine comparatione præponimus.* Quæ sunt ejus verba in 1. lib. cap. 9. in fine, & iterum cap. 11. *Qui verò vel initium operis sibi præsumit arrogare, vel finem; ad illum merito dicitur. Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Ecce principaliores partes dicit se dare gratiæ, sed gratiæ tantum illuminanti, & moraliter excitanti, quæ nec recedit à lege atque doctrina, ut supra probatum manet. Undè hæc illius profunda calliditas fuit, quòd verbis prædicabat, quod re ipsa negabat. Item negat initium boni operis ex nobis, seu finem, cùm initium in nobis ex nobis manifestè constituat, ut patet ex dictis; imò merita gratiæ, licet verbis ea merita neget: finem etiam perseverantiæ ex nobis constituit, qui pro innata libertate perseverare volumus, ut faciamus quod gratia in nobis perseveret.

Igitur, ut ad unum reducatur tota hujus hæretici perversa doctrina ipse initium boni operis ante gratiam ex homine ponit, cui detur ex merito infallibiliter gratia. Secundò posita sic gratia suadente, & excitante ex merito data, ponit quod homo ex sua innata libertate incipit illi consentire, & sic adjuvatur à Deo, (quia consentire vult) promeritis videlicet illius suæ bonæ voluntatis, & idem dicit de perseverentia: Unde semper constituit in omni opere bono initium salutis ex nobis, consummationem ex Deo, quæ est ipsissima hæresis Pelagiana. Rursus illam quam vocat gratiam perseverantem, prævenies non ponitur, sed meritis humanæ voluntatis præventa. Postremò illa gratia cum tantùm constituatur in illiustrationibus intellectus excitantibus voluntatem, ipsamque methaphoricè, & moraliter attrahentibus; videlicet alliciendo, suadendo, & invitando, officio & munere non recedat à lege, atque doctrina, nullam aliam gratiam admittit, ut ex S. Prospero probavimus supra nisi illam, quæ sit Magistra, & non recedat à lege atque doctrina. Itaque actuale adjutorium gratiæ prævenientis solùm in illis illustrationibus, & suasionibus voluntatis collocabat, quæ à lege, & doctrina officio & munere non recedebant, & de tali adjutorio ait S. Prosper, quod illud asserentes non recederent à lege, atque doctrina. At verò de habitibus gratiæ, quos admittebat, qui & dant veras vires animæ, non dixit, nec nos dicimus quòd non recedant à lege atque doctrina, quia vera gratia habitualis sunt.

De Cassiano verò jam supra diximus, sed uno verbo modò dicam, ipsum in omnibus, & per omnia hos eosdem errores fuisse secutum, uno excepto, quòd ipse posuit duos ordines hominum qui salvantur, unum eorum qui incipiunt naturæ viribus, & adjuvantur, ut ex Fausto relatum est; alter aliorum, in quo nihil ipsis efficientibus Deus gratiam tribuit, quam tamen sine libertate recipiunt, in quo ultimo solùm à Fausto differt Cassianus: Faustus enim cum Juliano omnibus in universum hominibus illa merita salutis tribuit, quibus à Deo attrahantur, ut ex supradictis sit manifestum.

CAPUT XVI.

Summatim referuntur omnia Semipelagianorum placita, tam in impugnanda S. Augustini sententia, quam in sua defendenda.

EXPEDIRE maximè videtur, ut omnes Semipelagianorum errores hac brevi summa comprehendamus, ut quisque illos faciliter comprehendere possit, & qui cum eis conveniant, vel ab eis differant. sine magno studio discernere.

Primò ergo doctrinam quam impugnabant proponemus, deinde illam, quam illi acrius defendebant. Massilienses primò contra S. Augustinum clamabant quidquid ipse in suis libris contra Pelagianos editis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasset, totum id Antiquiorum Patrum opinioni, ac sensui Ecclesiasticorum esse contrarium.

2. Quòd Scripturæ, quas ex Pauli ad Rom. Epist. ad manifestationem divinæ gratiæ electorum merita prævenientis proferret, aliter ab aliis scriptoribus intellectæ forent, qui omnes una sententia propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt.

3. Per præoperantis, seu præparantis Dei gratiæ, & prædestinationis, doctrinam liberum tolli arbitrium.

4. Sub prædestinationis ejusdem nomine absolutam, & fatalem quandam induci necessitatem.

5. Item S. Augustini doctrinam de gratia humanos omnes præveniente conatus, audientibus ædificationi esse contrariam.

6. Si omnia opera bona Deus in nobis operatur, meritum omne nostrum excludi.

7. Si Dei constitutio humanas prævenire voluntates cum Augustino ponatur, omnem removeri industriam virtutesque tolli.

8. Quòd Augustini de prædestinatione & reprobatione doctrina, lapsis curam adimat resurgendi, sanctis offerat torporis occasionem, adeòque in utramque partem superfluus sit labor, si nec rejectus ulla industria possit intrare, nec electus ulla negligentia excidere.

9. Quòd ex prædestinatione quam S. August. affirmat sequatur Deum ad peccatum prædestinare.

10. Quòd prædestinatio secundùm Augustinum explicata desperandi necessitatem injiciat.

11. Quòd præceptis, & exortationibus adversetur.

12. Quòd cum propitiatione, quæ in Sacramento Sanguinis

Digitized by Google

Sanguinis Christi universis hominibus sine exceptione proposita est, non satis consentiat.

13. Postremò parvulorum causam non rectè in hoc argumento ad exemplum majorum ab Augustino afferri.

Hæc sunt præcipua, rejectis aliis minutioribus, quæ contra S. Augustini sententiam Massilienses olim promulgavere convitia, suæ sunt quæ multiplicavere querelæ: quæ maledicta verba in S.P. Augustinum reprehendit, castigavit, & æterno silentio damnanda esse Cœlestinus primus in Epistola decretali ad Episcopos Galliæ sanctissimè decrevit.

Jàm verò quòd attinet ad ipsorum Massilienſium sententias, & opiniones, hæc in summa protestabantur.

Primò contendebant eligendorum, & rejiciendorum discretionem, non ex Dei vocantis pendere proposito, sed ex prævisis cujusque operibus, ac meritis, prævidisse enim Deum quinam crediturí, & in suscepta fide permansuri essent: eos itaque in regnum suum prædestinare, quos gratis vocatos dignos electione futuros, & bona fide excessuros esse præviderit.

2. Certum electorum numerum, qui nec augeri nec minui posset præordinatum à Deo non esse, sed præscitum.

Item quantùm ad Deum pertinet, paratam æqualiter omnibus vitam æternam, quantùm autem ad arbitrij libertatem ab eis eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.

4. Credendi possibilitatem ex Deo, cuicumque autem esse credendi voluntatem, & effectum à se ipso.

5. Præterea ad Dei cognitionem, mandatorum obedientiam, regenerationis gratiam posse quemquam pervenire per naturalem facultatem, petendo, quærendo, pulsando, ut ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ benè usus, ad istam salvantem gratiam meruerit pervenire. Undè gratiam prævenientem præventam constituebant.

6. Præterea quòd Dei gratia humanam non præveniat sed sequatur voluntatem, ut non ideo velit, quia adjuvatur à Deo; sed à Deo adjuvatur, quia priùs voluerit.

7. Insuper, quòd si Dei constitutio humanas præveniat voluntates tollitur humani arbitrij libertas.

8. Item per gratiam Dei non opus ipsum, sed operis tantum possibilitatem donari.

9. Perseverantiæ donum in hoc generaliter positum, non quo perseverans quisque fiat, sed ut perseverare possit, si velit.

10. Sanctis omnibus munus perseverantiæ donari.

11. Persevetantiam semel donatam amitti cum effectu posse.

12 Actuale auxilium prævenientis gratiæ solùm illuminare intellectum, & excitare voluntatem invitando, & suadendo; non autem vires dando, quòd non recedere à lege atque doctrina S. Prosper supra relatus ostendit. Unde cum in alia supra relata assertione dicant, tale actuale auxilium dare possibilitatem, non de vera possibilitate per veras vires habita intelligunt, sed de illa quæ datur per tales illuminationes, quæ vera possibilitas non est, ut supra contra Pelagium manet ostensum.

13. Non aliam, nec potentiorem nunc electis perseverantiam dari, quam primis hominibus collata fuerit.

Omnia autem ista, quæ malè contra adjutorium gratiæ proferebant S. Prosper his verbis brevissimè comprehendit. *Nec considerant se gratiam, quam comitem, non præviam volunt esse humanorum meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundùm suam phantasiam non negant esse præventas.* Quibus duo comprehendit. Primum, quod gratiam prævenientem, præventam re ipsa ponebant, comitem, & pedissequam humanorum meritorum, quam tamen secundum suam Phantasiam dicebant prævenientem. Secundo quòd adhuc istam sic vocatam prævenientem gratiam, sed re ipsa præventam subdebant humanæ voluntati, quæ illi pro innata libertate consentiebat, vel dissentiebat reddens gratiam illam efficacem, & faciens ut sibi cooperaretur. Itaque nec illi subdebant liberum arbitrium, sed potiùs eam libero arbitrio subdebant, ut quocumque placeret eam traheret.

Has fuisse olim Massilienſium, aliorumque quorundam per Gallias, inter cæteras opiniones quas adversus S. Augustini doctrinam retinendas putabant ex S. Prospero & Hilario intelligi potest in suis citatis Epistolis ad S. Augustinum, quibus si addas id quod de peccato originali ex ipsis per S. Prosperum retulimus supra, quòd videlicet illud pœnam & mortem, non autem veram culpam in parvulis callidè astruebant, habebis potissimos Massilienſium Semipelagianorum errores, in hac brevi summa redactos. Propterea enim contendebant non dari nunc potentiorem perseverantiam electis quàm primis hominibus collata fuerit, quia tantas ac tales vires in eis agnoscunt, ac in illis primis parentibus & ex consequenti non læsum per originale peccatum constituunt in eis arbitrium liberum, nec magis læsam inferiorem partem, ut fortiori indigeat auxilio.

Quo si desideras ad breviorem reducere summam, ad tria reducas oportet omnes Pelagianorum, & Semipelagianorum errores, sicut reduxit Gelasius Pont. Max. Epistola decretali ad Episcopos Picenos.

Primum est parvulos sine peccato originali nasci.

Secundum, hos pro solo peccato originali non damnari.

Tertium gratiam ad omne opus salutis non esse necessariam, illamque secundum hominum merita conferri, quæcunque illa ponatur. Habetur Epist. 1. tom. Epist. decret. pag. & est Epist. 5. Gelasij, qui adversus posteriores Pelagianos, seu Semipelagianos veritatem defendit.

Ex quo iterum confirmatur magis quod supra diximus cap. 7. Semipelagianos reipsa peccatum originale negasse esse veram culpam. Nam Gelasius contra posteriores Semipelagianos tractabat, & tamen docet eos peccatum originale negasse esse veram culpam in parvulis, propter quam meritò damnarentur.

Vitandi etiam sunt duo Gennadij libri, alter qui de viris illustribus, alter verò qui de Ecclesiasticis Dogmatibus prænotatur, quibus præter alia falsa dogmata, Semipelagianorum errores apertissimè continentur; in primo namque de viris illustribus contra etiam apertissimam sententiam Gelasij summi Pontificis in Concilio 70. Episcoporum (ubi opera S. Prosperi approbat & Cassiani, Apochripha pronuntiat) damnato S. Prospero, dogmata Cassiani prosalutaribus ab Ecclesia suscipi mentitur. Eulogias etiam Pelagii, undè Pelagiani hæretici dicti sunt, plurimũ laudat, quas S. Hieronymus in Dialogo contra Pelagianos plenas hæresibus refert. S. Augustinum valdè deprimit, Faustũ, & eius duos libros de gratia, & lib. arb. probat, quos tamen Gelasius & Concilium Romanum damnat. Aliud eius opus de Ecclesiasticis dogmatibus non esse Catholici scriptoris adnotaverũt Lovanienses, sed viri Semipelagiani & de factione Gallorum ideſt Massilienſium, cui operi, licet à quodam studioso appositа sint plurima Concilij Arausicani secundi capitula, in duobus tamen capitulis, ita suum Pelagianismum inculcat expressè, ut nullum omnino pati possit bonum sensum. Videantur potissime cap. 15. 21. 46. & 81.

Lovanienſium autem citata Academia relatum li-

Digitized by Google

brum de Ecclesiasticis dogmatibus sub his verbis qualificat: liber hic non est Catholici scriptoris, sed Gennadij Massilienſis in Gallia Presbiteri, qui supplevit Catalogum, quem Beatus Hieronymus de viris illustribus scripsit: unde Uvalfridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 2. *Gennadius*, inquit, *Massilienſis Presbyter in dogmate Ecclesiastico, &c.* Sub eodem nomine citatur ab Algero lib. 1. de corpore, & sanguine cap. 22. in 1. editione, & à Magistro sent. lib 2. dist 8. in editione Lovanienſi, & manuscriptis, ac vetustis, quos consuluimus, codicibus. Scio utroque loco haberi in quibusdam editionibus, non est Augustini, sed hoc referendum videtur ad quosdam audaces, & ad præposteras castigationes, nam & D. Thom. agnovit librum Augustini non esse, sed Gennadij quodlib. 12. art. 11. in catena ad primum caput Mathæi. Idem Platina in Symmacho, Gennadio tribuit Massilienſi, ubi tamen errat Episcopum eum nominans cum tantùm fuerit Presbyter de factione Gallorum, contra quam scribunt Prosper, & Hilarius Augustino, & contra quam fuit congregatum Concilium Arausicanum secundum. Sic ut sæpius in Cathologo virorum illustrium graves habet errores, sic & in his dogmatibus Ecclesiasticis quædam habet à lectore cavenda, prout ad marginem suis locis est notatum. Sanè hic author nunquam meminit peccati originalis, aut Baptismatis infantium in remissionem peccatorum, cùmque multos nominet hæreticos, nunquam meminit Pelagij, aut Catholici dogmatis contra eum prolati, sed è contrà diligenter inculcat animas non esse ex traduce, eò quod sciret Pelagium indè suum dogma statuere. Prædicta censura habetur tom. 3. operum S. Augustini ante librum dictum de Ecclesiast. dogmat. in impressione Lugdunensi anno 1586. & nova Parisiensi anno 1616.

CAPUT XVII.

Quare sint dicti Semipelagiani.

NON multùm refert omnes qui Semipelagiani fuere, vel cognoscere, vel referre, cùm præsertim de ipsorum præcipuis capitibus post Julianum, Cassiano, & Fausto satis constet. Post Julianum, inquam, quia jam supra dictum est fuisse Julianum primum Semipelagianorum caput, in quo illorum secta originem sumpsit, sed ipsorum etiam errore fuit detentus Gennadius. Ruffinus præterea malè de divina gratia, & libero arbitrio fuit locutus, ut est notissimum apud S. Hieronymum, quòd & Gelasius refert cap. sancta Romana dist. 15. De hoc etiam numero fuit Vincentius quidam sententiæ S. Augudini impugnator, contra quem extant responsiones Prosperi ad objectiones Vincentianas.

Quis autem fuerit Vincentius iste, non ita est manifestum. Arbitrantur enim viri docti Vincentium istum fuisse illum Monachum de Conventu Lyrinensi quem satis notum nobis reddit libellus ille volumine parvus, sed sententiarum pondere magnus, & elegantissimus, quem pro fidei Catholicæ antiquitate, & veritate adversus prophanas omnium hæresum novitates conscripsit. Quod tamen mihi nunquam potuit esse persuasum: primò quia libellus ille planè aureus modò relatus testatur virum novitatum maximum impugnatorem. Sed quia huic poterit aliquis dicere Semipelagianos suam sententiam vetustam, & vetustate esse defensam putasse, unde ex hac parte poterat Vincentius, retenta Semipelagianorum hæresi, quam vetustissimam putaret, librum contra prophanas hæresum novitates componere. Aliud fortius & efficax pro liberando Lyrinensi ab hac nota oportet sumere argumentum: quod est tale, & fortissimum mihi semper apparuit. Quia Vincentius Lyrinensis in ultimo cap. illius sui libri allegat Cœlestini Epistolam ad Episcopos Galliæ, in qua apertè Semipelagiani inveniuntur damnati, eamque summopere laudat; quomodo ergo ipse Semipelagianus potuit esse, si damnationem Semipelagianorum ita laudando concelebrat? Illius hæc verba sunt: *Sed & Papa Cœlestinus pari modo, eademque sententia, ait enim in Epistola quam Galliorum Sacerdotibus misit, arguens eorum conniventiam, quòd antiquam fidem silentio destituentes, prophanas novitates exurgere paterentur: meritò*, inquit, *causa nos respicit si silentio foveamus errorem: Ergo corripiantur hujusmodi. non sit his liberum habere pro voluntate sermonem.* Hic aliquis fortasse addubitet quinam sint illi, quos habere prohibeat liberum pro voluntate sermonem, vetustatis prædicatores, an novitatis adinventores? Ipse dicat, & dubitationem legentium ipse dissolvat: sequitur enim, *desinat*, inquit, *si ita res est, ideſt si ita est, ut apud me quidam Urbes, & Provincias vestras criminantur, quòd eas quibusdam novitatibus consentire noxiæ dissimulatione faciatis. Desinat itaque*, inquit, *si ita res est, incutere novitas vetustatem. Ergo hæc sint beati Cœlestini beata sententia, non ut vetustas cessaret obruere novitatem, sed potius novitas desineret incutere vetustatem.* Hæc Lyrinensis. Qui hæc dicit, quomodo Semipelagianorum tenuit errorem, cùm fateatur ea quæ S. Prosper, & Hilarius adversus Semipelagianos criminabantur, id est accusabant, sive deponebant esse hæreticas, & noxias novitates contra quas proindè collaudat Cœlestini definitionem? Ob quam etiam causam Gabriël Vasques 1. p. quest. 23. disp. 89. cap. 4. cum dixisset ab aliquibus inter Semipelagianos referri Vincentium Lyrinensem posteà disp. 91. cap. 8. rectè dicit alios meritò existimare Vincentium cujus sunt objectiones Vincentianæ apud Prosperum non fuisse Lyrinensem illum Monachum qui contra hæreses scripsit, sed alium Vincentium Presbyterum Gallum, cujus meminit Gennadius libro de viris illustribus cap 80 nam cap. 64. de Vincentio Lyrinensi mentionem facit. Hæc ergo nominis æquivocatio forsan causa extitit, ut Semipelagianorum errores Vincentio Monacho Lyrinensi attribuantur, cùm alteri Vincentio Presbytero etiam Gallo attribuendi videantur, quæ ideò dicta sunt, ut authorem illius libelli planè aurei contra hæresum novitates ab errore tanto cum fundamento liberemus.

Post ista à nobis dictata legimus præfationem quandam ad prædictum librum Vincentij ex impressione nova Coloniæ anno 1600. in qua mirificè Vincentius Lyrinensis laudatur & ab alio Vincentio (cujus sunt objectiones Vincentianæ) distingui monstratur, cujus & hic verba referre non gravabor. *Sed quod hic advertas*, inquit, *hæreticorum nomine ipsi potissimè intelligendi sunt Pelagiani, & qui callidiores ipso in specie damnato ipsissimos ejus errores introducebant, quales erant in Gallia Presbyteri aliquot, qui vivo, & mortuo detrahebant Augustino, quibus se murum pro domo Deioppoſuit S. Prosper, & præstantissimi Galliarum Episcopi, & aliquot ordine Romani Pontifices, atque hic noster Vincentius, qui ex propinquo pestem hanc præsentiens certissimum præbuit antidotum, sed quia ab his Gallicanis, maximè territorij Massilienſis, Presbyteris quæstiones aliquot delatæ erant ad S. Prosperum à Vincentio quodam scriptæ Vincentianæ, putarunt aliqui fortè hujus nostri esse. Quæ conjectura præterquam quòd solo nomine nititur, falsa imò absurda est.* Quod & ibi satis probat.

Quare autem dicti fuerint Semipelagiani Massilienſes illi, si supradicta attendantur, non erit multum difficile

Digitized by Google

ficile perluſtare, à principio enim poſteriores Pelagiani vocabantur, vel reliquiarum priorum Pelagianorum ſuſcitatores, ut ex Epiſtola S. Proſperi ad S. Auguſtinum ſæpiùs citata fit manifeſtum, qui illos hoc nomine appellat, ſed poſtea communiter vocati ſunt Semipelagiani. Sed ante omnia illud advertendum, non dici Semipelagianos, quia errores illorum, non ſint completæ & damnatæ jam hæreſes, ſed comparatione ad alios priores graviores dicuntur Semipelagiani errores. Advertendum præterea non dici Semipelagianos, quia ipſi conſtituerent duos ordines hominum, aliorum qui liberè incipiunt naturæ viribus, & à Deo recipiuntur, & ad juvantur; aliorum verò in quibus Deus omnino præveniendo incipit, & ipſi in tali actu ſine libertate operantur, cum tamen priores Pelagiani omnes in univerſum homines liberè prius incipere, & poſtea à Deo adjuvari conſtituiſſent; quia licet, ſi Semipelagiani omnes illos duos hominum ordines componerent, rectè hac ratione Semipelagiani poſſent nuncupari, quia in dimidia hominum ſorte Pelagianorum errorem admitterent: tamen quia inter Semipelagianos ſolus Caſſianus illos duos hominum ordines conſtituere deprehenditur (nam Julianus & Fauſtus omnes homines ſemper incipere, & poſtea à Deo adjuvari contendunt) non videtur eos omnes ex hac parte Semipelagianorum ſortitos fuiſſe cognomen, niſi quis dicat à famoſiori Caſſiano, quem fortè plures ſecuti ſunt nobis incogniti, ſumptam fuiſſe illam vocabuli ſignificationem.

Igitur dicti ſunt primò Semipelagiani quia peccatum originale quod primi Pelagiani, Celeſtius videlicet, & Pelagius totaliter negaverunt, nec in poſteros vel quoad culpam vel quoad corporis mortē tranſiiſſe perfidè contendebant: Maſſilienſes cum ſuo primo capite Juliano, quaſi ex dimidio hunc errorem dividentes, dicebant peccatum quidem originale quoad culpam in poſteros minimè tranſiiſſe, bene tamen mortem, & pœnam, quam ſolam intelligebant, cum peccatum originis voce acclamabant, ut declaratum fuit ſupra. Qua ratione propriè Semipelagiani dici potuerunt.

Secunda ratio ad idem: ſimiliter commodè potuerunt Semipelagiani nuncupari, quia illa initia naturæ, ſecundum quæ Pelagius malè gratiam dicebat conferri, affirmabat ipſe eſſe cupiditatem perfectam boni, perfectaque opera, tum in credendo, tum in ſperando, & diligendo, ſive in operando. At vero illi quaſi hæc opera è dimidio dividentes in perfecta & imperfecta, aſſerebant initia illa quibus gratia reddebatur, eſſe quidem imperfecta, perfecta verò non poſſe in hominibus eſſe niſi per gratiam, ut conſtat ex relatis ſupra contra Julianum & contra Caſſianum & Fauſtum.

Potuerunt tertiò apertè Semipelagiani vocari, quia primi Pelagiani (ut diximus ſupra) affirmabant illa opera noſtra, quibus gratia dabatur, eſſe merita de condigno ipſius gratiæ, unde dicebant nos gratiam mereri, ut ſupra de Pelagio fuit manifeſtum. At verò Maſſilienſes attendentes ſecundum hanc condignitatem humanorum meritorum, omnino gratiam negari, quæ nulla eſſe poteſt ſi hominis meritis ſecundùm condignitatem tribuatur, errorem iſtum per medium dividentes, & quaſi temperantes, dixerunt illa initia naturæ non eſſe merita de condigno, eſſe tamen merita de congruo, ita tamen quod illis ſecundùm pietatem infallibiliter gratia correſpondebat.

Ultimò crediderim illos rectè potuiſſe Semipelagianos appellari, quia Pelagius præter interiorem illam revelationem ex parte intellectus ſe tenentem nullam aliam interiorem gratiam admittebat neceſſariam, ut uiſum fuit ſupra: cæterum Maſſilienſes, imò priùs Julianus, ut diximus, ſupra revelationem illam addebant cooperationem gratiæ cooperante jam arbitrio libero, in quo quaſi errorem Pelagij temperabant, & quaſi ex parte aliquid addentes, ab ipſo dividebantur. Ob iſtas rationes crediderim illos potuiſſe commodè Semipelagianos vocari, ſicut etiam poſt primos Arrianos alij dicti ſunt Semiarriani, quia licet in dogmatis falſitate cum Arrianis convenirent, in aliquo tamen diſſentire videbantur. Quod autem illud ſit, S. P. Auguſtinus ex Epiphanio exponit lib. ad Quodvult. hæreſi 51. dicens: *Semiarrianos Epiphanius dicit, qui ſimilis eſſentiæ dicunt Patrem & Filium, tanquam non plenos Arrianos, quaſi Arriani nec ſimilem velint, cum hoc Eunomianos dicere celebretur.* Quia verò omnia iſta quæ addebant, vel ſi btrahebant hæreſi primorum Pelagianorum, quædam accidentia ſunt comparatione ſubſtantialis illius prioris hæreſis, quæ in ſubſtantia in hoc conſiſtebat, quod gratia dabatur ſecundum merita noſtra, ita quod ipſa eſſet debita, & hoc Semipelagiani aſſerebant ſecundùm majorem meritorum perfectionem; & ſimiliter quia ſubſtantialis error Pelagij fuit admittere gratiam ut neceſſariam ad poſſe tantùm, id eſt, ad poſſibilitatem, quamlibet, vel qualemcumque, vel ubilibet ipſe eam conſtitueret, ut ex S. P. Auguſtino retulimus ſupra, & hoc ipſum Semipelagiani tenebant in ſubſtantia, licet aliquibus accidentibus admiſſis, quæ ſi à Pelagio non ſunt expreſſa, ab ipſo minimè negantur, & quia de accidentibus non eſt curandum, cum in ſubſtantia hæreſis convenitur; ideo videtur nobis multò commodius debere vocati tales, poſteriores Pelagianos, poſtquam & Pontifices ſummi eoſdem Pelagianos vocant, ut Gelaſius in decretali ad Honorium, quæ eſt inter Epiſtolas Gelaſij tertia in 1. tomo Epiſt. decret, ubi hæreſim Pelagianam apertè dicit eſſe damnatam per Innocentium, Zozimum, Bonifacium, Cœleſtinum, Sixtum, Leonem; & tamen Leo, imò & Cœleſtinus, ut conſtat, hos qui vocantur Semipelagiani expugnarunt, quos tamen Pelagianos appellat Gelaſius.

Conducunt ad hoc duo egregia teſtimonia, alterum ex S. Proſpero, alterum verò ex Leone Magno. Sanctus quidem Proſper ita dicit contra collatorem Caſſianum cap. 41. in fine: *Igitur hujuſmodi hominum pravitati, non tam diſputationum ſtudio, quam authoritatum privilegio eſt reſiſtendum, ut de proſtrati dudum dogmatis corpore nullum membrum ſinatur exſurgere. Quia notum eſt ita ſe falſitatis iſtius habere verſutias, ut ſi eis licet pretenſa correctionis imagine aliquid ſibi faventium radicis ſuæ germen excipere, totam ſe poſſe in exigua ſui parte reparare.* Ecce dicit apertè quod in parte ſeu particula totum dogma ſervabant. Sanctus verò Pontifex Leo Epiſt. 86. ad Epiſcopum Aquileien. tradens formam quomodo Semipelagiani damnare debeant hæreſes ſuas, ita docet. *Nihil in verbis eorum obſcurum, nihil inveniatur ambiguum, quoniam novimus hanc iſtorum eſſe verſutiam, ut in quacunque particula dogmatis execrandi, qua ſe à damnatorum ſocietate diſcreverint, nihil ſibi ſenſuum ſuorum exiſtimant eſſe non ſalvum.* In quacunque ergo particula, ſive Pelagianorum reliquiis totum ipſorum dogma conſurgit. Ratio etiam hoc manifeſtat, ſi omnia ſupradicta de Semipelagianis attendantur, ipſi enim in illis Pelagianorum reliquiis liberum arbitrium non læſum per originale peccatum conſtituebant, quòd ut diximus fuit ipſius Pelagij primum fundamentum: deinde gratiam Dei ſecundum merita noſtra dabant, quæ eſt ipſiſſima Pelagij hæreſis damnata: ergo iſti Semipelagiani, ſeu reliquiæ Pelagianorum, poſteriores Pelagiani meritò nuncupari debent, cum idem omnino ſub novis cavillationibus teneant. Certum

Digitized by Google

tum est enim quod ipsi vocati Semipelagiani initium & inchoationem ponebant ex nobis, consummationem ex Deo, sed S. P. Augustinus & Thomas supra non semel inducti, docent Pelagianorum hæresim in hoc consistere, quod initium & inchoatio sit ex nobis, consummatio ex Deo: ergo illi in hoc verè dicendi sunt Pelagiani.

Concludamus ergo dicendo vocatos illos communiter Semipelagianos, seu Pelagianorum reliquias, aut posteriores Pelagianos, propriè occultos Pelagianos appellandos esse. Quod enim palam Pelagius evomuit retinentes, frivolis quibusdam cavillationibus occultare nitebantur, & voce dumtaxat Pelagium negantes reipsa ipsius sententiam defendebant, quod ex eo relinquitur manifestum, quòd cum Pelagius palam originale peccatum negaret, potissimè contendendo illud culpam non esse, illi, ut visum est supra, similiter culpam esse negantes, voce dumtaxat peccatum originale dicebant, prætendentes illud pœnam esse non culpam, & ita se occultabant, ut plerosque fallerent à principio, quousque S. Prosper, Fulgentius & alij id denudantes illos originale peccatum negasse clarius ostenderunt. Similiter quod Pelagius palam dixit gratiam Dei secundum priora merita nostra dari, id est secundum priora initia, & inchoationes, quibus consummatio ex Deo respondebat, illi equidem, cum eadem initia & inchoationes admitterent & eis infallibiliter gratiam dari contenderent, se occultantes dicebant non dari secundum merita nostra, sed secundum congruitatem, totum in illis initiis ponentes & voce sola id se occultando negantes. Parique ratione quòd Pelagius tandem interiores revelationes, & suasiones gratiam dixit ad perficiendum necessariam, ut ostensum fuit supra, illi nomine gratiæ easdem interiores revelationes, & suasiones admittentes se occultabant prætendentes se insuper excitationem ex parte voluntatis admittere, quam vel nullam reipsa admittebant, vel illam solùm qua voluntas excitaretur in indeliberatum actum, quæ nihil de priore errore diminuit, ac tandem illam cooperantem gratiam addentes, quam Pelagius non admisit ex alio capite cum ipso consentiebant ponentes illam secundum priora merita humanæ voluntatis dari. Unde verissimè S. Prosper contra collat in fine ait: *Quod ne hypochritarum obtineatur insidiis confidimus Domini protectione præstandum, ut quod operatus est in Innocentio, Zozimo, Bonifacio, Cœlestino, operetur & in Sixo, & in custodia Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reservata pastori: ut sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos.* Pelagium atque Celestium, Julianum lupos vocat manifestos; Cassianum verò, & Faustum, & cæteros Massilienses lupos appellat occultos: & iterum de eisdem Massilienſibus sic continuò subjungit: *Sunt enim quidam justissimè damnati, qui impietates adhuc liberius defendendas putant, & sunt qui occultiùs penetrant domos, & quod in aperto clamare jam metuunt, in secreto seminare non quiescunt: sunt autem qui omnino siluerunt magno timore compressi, sed adhuc corde retinent quod ore jam proferre non audent, qui tamen esse fratribus possunt ex priore ipsius dogmatis defensione notissimi.*

Qua etiam ratione eodem lib. contra collat. cap. 36. de Cassiano sic dicit. At exigua confessione penè totum Pelagianum dogma confirmas.

CAPUT XVIII.

De damnatione hæresis Semipelagianorum seu Posteriorum Pelagianorum.

PRÆTER determinationes, quibus tum Concilia sacra tum Pontifices summi hæresim damnarunt Pelagianam in prioribus illis tanti sceleris authoribus Pelagio, Cœlestio, atque Juliano: & præter Imperatorum decreta contra ipsos totius boni hostes edita & promulgata, quæ omnia abundè retulimus supra, aliæ etiam diffinitiones inveniuntur Ecclesiæ adversus Semipelagianos seu posteriores Pelagianos. Extat enim primò illa Cœlestini Epistola ad Episcopos Galliæ in qua determinatur primò omnes in Adam peccasse, & neminem inde sine gratia posse exurgere.

2. Neminem esse per se ipsum bonum; nisi participationem sui illi donet, qui per se ipsum est bonus.

3. Neminem etiam baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit.

4. Quòd nemo nisi per Christum libero bene utatur arbitrio.

5. Quòd omnia studia, & omnia opera, ac merita ad Dei gratiam, laudemque referenda sint; quia nemo aliunde ei placet nisi ex eo quod ipse donaverit.

6. Quòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium Consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit.

7. Quòd Deus agat in nobis, ut quod vult, & velimus & agamus.

8. Quòd hoc auxilio & munere Dei non auferatur liberum arbitrium sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum.

9. Quòd Deus transferat homines in regnum lucis adeo totum divini operis esse, ut hæc efficienti Deo gratiarum actio laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione, referatur.

10. Quòd tanta est erga homines omnes bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est, cœterna præmia sit donaturus.

Ista decem in particulari, in illa continentur Epistola Cœlestini, quomodo autem compilator Epistolarum decretalium, quæ prælo mandata sunt anno 1591 in præfata Epistola apposuerit annotationem, qua dicit ista decreta Cœlestini non esse, sed à S. Prospero addita, plane non videmus: sicut neque id quod etiam affirmare videtur Cardinalis Baronius ad annum 421. num. 183. & author libri operis tripartiti lib. 1. prologom. 6. cap. 1. §. *Alterum verò.* Non inquam videmus, cur ista de novo modò dicantur, cum usque ad ista tempora sine contradictione ab omnibus antiquis, illa decreta sicut verè à Cœlestino approbata edita, & publicata, sine contraditione agnoscantur. Quod efficacissimè in principio nostri tertij libri, in quo de hoc agimus ex professo ostendemus: Et inefficaces rationes, tum Cardinalis Baronij, tum authoris illius operis tripartiti clariè solvemus. Et quidem quòd illa decreta verè sint Cœlestini, ab ipso in illa Epistola ad illos Episcopos missa, quoad præsens id efficaciter probare videtur; quòd Petrus Diaconus gravis author, qui non multos annos post Cœlestinum vixit & librum de Incarnatione, & gratia scripsit, in cap. 8. illius libri illam Epistolam usque ad ultima illius decreta inclusivè ex

Cœlestino

Digitized by Google

Cœlestino allegat, Titulus illius libri sic habet [D. Petri Diaconi & aliorum, qui in causa fidei à Græcis ex oriente Romam missi fuerunt, De Incarnatione & gratia Domini nostri Jesu Christi, seu de gratia, & libero arbitrio ad Fulgentium, & alios Episcopos Africæ] Habetur inter opera Fulgentij, à impressione Basileæ, apud Sebastianum Henric. Petri. Vixit autem Petrus Diaconus ad annum 486. ferè temporibus Cœlestini.

Unde communiter nomine Cœlestini citantur capitula illa, & fortè de his capitibus loquebatur Hormisdas cum dicit in scriniis Ecclesiæ expressa capitula contineri circa materiam gratiæ & liberi hominis arbitrij, cujus Hormisdæ verba jam relata sunt supra.

Præterea quomodo supradicta marginalis annotatio noviter apposita fuerit, non videmus, cum in vetustis impressionibus ac codicibus non habeatur, potissimè in illo qui in Vaticana asservatur, quem ideo inspeximus, & talem annotationem non invenimus. Fuit autem annotatio illa marginalis apposita, ut jam diximus anno 1591. quo Epistolæ decretales Sum. Pontif. prælo mandabantur, ad quam modernam impressionem annotatio illa adhibita fuit, timendumque propterea cum jam sub anno 1584. & seqq. controversia hæc inceperit ventilari, quòd ab aliquo vel aliquibus illarum decretalium compilatori suggestum sit hanc apponere annotationem, ut illius antiquissimæ decretalis & Pontificiæ definitionis jus & authoritas tolleretur, quod non semel evenisse in similibus controversiis compertum est, de quo & exempla aliqua poteram inducere, sed nec necessarium putamus, cùm potissimè in principio nostri tertij libri de hoc tractemus copiosè, & illa capitula Cœlestini esse, manifestiùs ostendemus. Idem observandum dicimus in impressione Conciliorum Venetiis anno 1585. ubi tomo 2. folio 21. simile quid habetur malè notatum circa Epistolam illam Cœlestini.

Insuper Cœlestinus ipse in alia Epistola ad Nestorium, ita incipit. *Aliquantis diebus vitæ nostræ, post nefandum & sepè damnatum Dogma Pelagij, atque Celestij Catholica fides quietem habuit quando eos cum suis disputationis sequacibus, telis unitæ sententiæ Oriens Occidensque percussit.*

In Concilio etiam Magno Ephesino sub Cœlestino congregato passim inveniuntur Pelagiani damnati, nam tomo 3. illius Concilij cap. 5. §. Quod si eo animo. Ita dicitur: *Nestorium, & omnes qui eo utuntur, illiusve placitis consentiunt, & eos denique qui Celestio, vel Pelagio astipulantur, quorum omnium dogmata numquam suscipimus, anathematizamus, & execramur.* Et cap. 8. §. Placuit autem: *Maximè verò cum alij ex illis jam pridem sint ordine moti, alij prava doctrina Celestij infecti.* Et in cap. 9. §. cum juxta: *Quippe cum plerique ex illis gradu sint moti, omnes autem Celestij, aut Nestorij erroribus infecti.* Et eodem cap. 9. in canone 4. sic habetur. *Si qui Clerici desciverunt privatimque vel publicè Nestorij, aut Celestij doctrinam tenere profiterivè ausi fuerint, illos sacra Synodus pro depositis habendos esse æquum censuit.* Et tandem prædictum Concilium in Epistola ad Cœlestinum ita habet in fine. [Porrò autem perlectis ijs in sancta Synodo, quæ de impiorum Pelagianorum Celestij, Pelagij, Iuliani, Perfidij, Flori, Marcellini, Orentij, reliquorumque eadem cum illis sentientium depositione à pietate tua istic decreta & constituta sunt, judicavimus & nos quoque ea solida firmaque permanere debere. Quare idem omnes vobiscum sentientes, & nos itidem eos omnes pro depositis habemus:] Unde magnus Gregorius lib. 5. Epistol. Epistola 14. in Ephesina Synodo damnatum fuisse dicit Pelagium, & lib. 7. earundem Epistol. Epistola 48. de Synodo Ephesina ait. *Cum Pelagius, atque Celestius in eadem Synodo damnati sint, quomodo possunt illa capitula recipi, quorum damnabantur authores.* Idem docet S. Prosper in Epitaphio Nestorianæ, & Pelagianæ hæresis ante carmen de ingratis.

Dices cum Ephesina Synodus damnaverit Pelagium, atque Celestium qui non Semipelagiani, sed priores fuerunt & Pelagiani suprà dicti sunt, quomodo inter damnationem Semipelagianorum à nobis recensentur? Dicendum ita esse quod primi Pelagianæ hæresis ipsi fuerint inventores, sed nos ordinem temporis sequuti, post illas priores damnationes Pelagianæ hæresis; has per Cœlestinum, & Concilium Ephesinum tempore eodem celebratum, quo Semipelagiani insurrexerant, apponendas censuimus; potissimè quia cùm Cœlestini Summi Pontificis definitiones contra Semipelagianos in illa sua decretali à nobis relatæ sint, omniaque ad ipsum pertineant & ad Concilium Ephesinum ab ipso celebratum, sive contra Pelagianos, sive contra Semipelagianos sint, simul ea apponere visum fuit.

Sixtus etiam tertius qui Cœlestino successit Semipelagianorum refutavit errorem, anno 442. Cum enim Iulianus Episcopatu dejectus multimoda fallendi arte correctionis spem præferens molitus esset in Ecclesiæ communionem venire, hujus insidiis Sixtus tertius Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus habere permisit, ut Author est S. Prosper in Cronico, quamvis ista non tàm nova damnatio, quàm prioris confirmatio fuerit.

Præterea Leo ille Primus & Magnus in Concilio Arausic. 2. per 25. canones funditus reliquias Pelagianorum, seu Semipelagianorum doctrinam evertit, & Massilienses demo pullulantes damnavit; illos enim Canones à Sancto Prospero ordinatos, Pontifex ipse Summus approbavit, & confirmavit, ac suos fecit, & illi Concilio seu Patribus in illo congregatis destinavit, ut ab ipso toto Concilio approbarentur, & reciperentur, sicut veram & Catholicam fidem continentes, adversus illos posteriores Pelagianos, qui Massiliæ & aliis Galliarum populis errores damnatos palliantes, iterum introducere conabantur. Qui propterea Canones ab illo Concilio facti, aut ordinati non sunt, sed à Leone Magno pro vera fidei regula ad Concilium missi, ab eodem Concilio pari consensu, ut veram fidem continentes recepti sunt: undè qui latenter, (nam publicè nullus audet) temporibus istis, illis fidei regulis authoritatem detrahit, illas fidei regulas evertere nititur.

Quamvis autem hoc Arausicanum Concilium Provinciale sit, nec legamus fuisse postmodū subsequente Apostolica approbatione confirmatū; nihilominus Canones illi infallibilem continent fidei firmitatem, quia antecedenter fuerunt Pōtificia authoritate confirmati, cùm ad Patres illius Concilij per Leonem Primum, ut veram fidem continentes fuerunt transmissi, illisque præceptum, ut illos ipsi & reciperent & publicarent. Quod & Patres illius Concilij hujusmodi verbis testantur. *Vnde & nobis secundum authoritatem & admonitionem sedis Apostolicæ justum, & rationabile visum est, ut pauca capitula ab Apostolica Sede nobis transmissa, quæ ab antiquis Patribus de certis scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collata sunt, ad docendos eos qui aliter quam oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere debemus. Quibus lectis, qui hucusquè non sicut oportet, hæc de gratia & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei Catholicæ conveniunt animum suum*

Digitized by Google

inclinare non differat. Ecce fatentur Patres illos canones sibi ab Apostolica Sede transmissos, fatenturque illos veram, & Catholicam fidem in materia gratiæ, & liberi arbitrij continere.]

Illos itaque canones Pontifex Summus confirmavit; cum ad Concilium misit, & ut reciperentur ab eis, & publicarentur sicut Catholicam fidem continentes, præcepit. Sub Leone fuisse illud Arausicanum Concilium celebratum, habetur in præfatione ad libros de prædestinatione Sanctorum ante Epistolas Prosperi, & Hilarij in impressione Antuerpiæ anno 1576. & asserit author Epistolæ præfixæ operibus S. Prosperi editis Duaci anno 1577. Idem habetur in fine septimi tomi S. P. Augustini & in secundo tomo Conciliorum in collectione Surij, qui omnes docent fuisse hoc Concilium celebratum circa annum Domini 443. vel 444. sub Leone. Undè quod Cardinalis Baronius ad annum 443. dicit celebratum fuisse sub Felice, vel sub Hilario, ut habet in Appendice tomo 10. in fine, cum contra communem sententiam procedat, ut patet ex dictis, minùs veritate subsistit; potissimè quia nec de Hilario, aut de Felice, aliquid ipsos contra Pelagianos, vel Semipelagianos egisse legimus, aut aliquam temporibus ipsorum de gratia extitisse controversiam, benè autem contritas Pelagianorum reliquias per Leonem omnes affirmant; eo præsertim, quia ad illud de Felice tenendum movetur Cardinalis Baronius incertis quibusdam conjecturis, quibus cum alij satis respondeant, nec id duximus repetendum.

Præterea Leo ipse primus decretalem aliam publicavit Epistolam, quam ad Nicetam Aquileiensem Episcopum misit contra posteriores Pelagianos, in qua illi Episcopo tradens formam, qua cum illis se gerere debebat in illorum retractatione, seu abjuratione, ita habet. *Nihil in verbis eorum obscurum: nihil inveniatur ambiguum, quoniam novimus hanc ipsorum esse versutiam, ut in quacumque particula dogmatis execrandi, qua se à damnatorum societate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum. Cumque omnes definitiones suas ad subripiendi facultatem improbare se simulent, atque deponere, hoc ibi tota arte fallendi, nisi intelligantur excipiunt, ut gratia Dei secundum merita dari accipientium sentiatur.* Habetur hæc Epistola Leonis tomo 2. Epistol. Pontif. Epistoia 74. alibi 76. & aliàs 89. Alia etiam est Leonis Epistola ad Metropolitanum Venetiæ, ut idem Leo refert Epistola sequenti postmodùm lata, & est Epistola 83. in secundo tomo Conciliorum, & in aliis operibus 85. quæ est quædam summa, & confirmatio præcedentis.

Gelasius præterea Epistola 3. inter ipsius Epistolas, quæ est ad Honorium ita ait: *Nuntiatum est nobis in Regionibus Dalmatiarum quosdam residua Pelagiana pestis Zizania seminasse, tantùmque illic istorum prævalere blasphemiam, ut simplices quoque mortiferi furoris insinuatione decipiant. Et quidem error ipse nefarius tanto perniciosior ad subrependum, quantùm ad fallendum verisimilitudinis colore versutior.* Et post pauca: *An fortè nescitis de qua loquamur, & ab Apostolica dudùm sede per Beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zozimum, Bonifacium, Cœlestinum, Leonem continuis, & incessabilibus sententiis fuisse prostratum, nec tantùm Ecclesiæ Catholicæ legibus, sed Principum quoque Romanorum eo tenore damnatum, ut nusquam terrarum recidendi locum sectatores eorum habere sinerentur.*

Et in Epistola quarta iterum eandem hæresim damnat, potissimè autem in Epist. 5. paulò post principium ita ait. [Oblatus est enim nobis miserabilis senex Seneca nomine, qui non modò totius est eruditionis alienus, sed ipsius quoque intelligentiæ communis prorsùs extraneus, in Pelagianæ votaginis cœno, sicut de quibusdam in Apocalypsi legimus, velut una ranarum impudenter submersus.] Insuper in Epistola 6. iterum omnes Pelagianos condemnans, illa verba dicit, jam supra à nobis relata. *De Pelagianis sensibus, blasphemisque sacrilegis.*

Et tandem Gelasius ipse in Concilio 70. Episcoporum, posteriorum Pelagianorum errores Apostolico mucrone truncavit, & Cassiani, atque Fausti opuscula prohibuit in materia liberi arbitrij, & gratiæ, utpotè quæ pestem continebant Pelagianam: ut patet ex capite Sancta Romana.

Præterea Hormisda Pontifex Summus Epistola ad Possessorem citata, quæ ut diximus, inter Epistolas ejus est 67. & primo tom. Epist. decret. habetur, & quinto tomo etiam Biblioth. Sanctorum Patrum, sententiam Fausti damnat per hæc verba. *Hi verò, quos vos de Fausti cujusdam Galli Antistitis dictis consuluisse literis indicastis, id sibi responsum habeant, neque illum, nec quemquam quos in authoritate Patrum non recepit examen Catholicæ fidei, aut Ecclesiasticæ disciplinæ ambiguitatem posse gignere, aut Religionis præjudicium comparare.* Quibus verbis illud notandum, extrà numerum Patrum, quos Catholica recipit fides, excludere Faustum. Quod Molina debebat advertere in concord. q. 23. disput. 1. memb. ult. §. Juxta hæc. Et non ibi Faustum inter Sanctos Patres nominare; sed quid mirum quòd inter Patres annumeret Faustum, qui ejus profitetur sequi doctrinam? Similiter hoc ipsum advertere debebat Franciscus Suarez qui postquam dicit Faustum suspectum Pelagiano errore, quia Joannes Maxentius, Petrus Diaconus, atque Hormisda ipsum damnant ut ait, statim hoc ipsum quasi in opinione relinquit, his verbis concludens. *Quapropter multi moderni scriptores libros illos Fausti cum authore rejiciunt, quamvis non desint nonnulli qui Faustum hac nota liberare studeant, quia in ejus libris nihil videtur inveniri, quod cum Catholica doctrina apertè pugnet:* Hæc ille. Quomodo autem studet hic author Faustum excusare & in excusatione illius Ruardum, Driedonem, & Covarruviam adducere? An isti comparari debent cum Hormisda, Gelasio, Petro Diacono, Prospero, atque Fulgentio, qui Faustum Pelagiana hæresi dicunt fuisse infectum? quomodo dicit in libris ejus nihil inveniri quod apertè sit Catholicæ fidei contrarium, cum in terminis ejus verba, & sententiæ damnentur in Concilio Arausicano secundo, quod potissimè contra ipsum, & Cassianum, & similes fuit congregatum?

Post Hormisdam, & Gelasium, Joannem Maxentium notemus, qui Faustum dicit callidè refutasse Pelagij sententiam, cùm eam potiùs novis coloribus variatam teneret, atque doceret. Efficacius etiam aliud contra Faustum extat testimonium Petri Diaconi, & aliorum sociorum in libro de Incarnatione, & gratia D. N. I. Christi, seu de gratia, & libero arbitrio ad Fulgentium, in quo ita contra Fausti doctrinam pronuntiant. *Anathematizamus Pelagium & Cœlestium, simulque etiam Julianum Eborensem & qui illis similia sapiunt, præcipuè libros Fausti Galliarum Episcopi, qui de Monasterio Lyrinensi profectus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est, in quibus non solum contra horum Sanctorum Patrum, verum & contra ipsius Apostoli contradictionem veniens humano labori subjungit gratiæ adjutorium, atque totam omninò Christi evacuans gratiam, antiquos Sanctos, non ea gratia, qua & nos, secundum quod docet Beatissimus Petrus Apostolus, sed naturæ possibilitate salvos impiè profitetur.* Cùm ergo tàm apertè doctrina Fausti in illis ipsius libris damnetur, & cùm ipse expressè gratiam

Dei

Dei subjungat labori humano, quod in terminis contra ipsum damnatur in Concilio Arausicano secundo: Quomodò dicit ipse author, quod nihil in ejus doctrina invenitur, quod apertè Catholicæ veritati contradicat? Sed quid mirum quod huic authori non appareat ista damnata doctrina, cùm ipse in terminis dicat gratiam Dei subdi libero usui arbitrij, quod ex ipso referemus inferiùs.

Præterea anno 840. in Concilo Valentino tertio sub Lothario Imperatore fuit S.P. Augustini doctrina in materia prædestinationis, & gratiæ approbata, & contraria Pelagianorum & Semipelagianorum reprobata, ubi multa deprædestinatione, atque præscientia ex mente, & sententia Sancti Augustini docet Concilium illud, cujus verba omitto alibi commodius referenda: Vnde omninò non venit probandum quod jam supradiximus tractantes errores Pelagij, & horum posteriorum Pelagianorum ex quodam moderno authore, qui pariter cum modo supra relato nihil contra fidem in Fausto, & Cassiano inveniens, eos excusare præsumit, imo illorum sequens errantem doctrinam dicit liberum esse à sententia S.P. Augustini recedere in materia prædestinationis, quam libertatem; nisi in posterioribus Pelagianis & his qui illorum sequuntur sententiam, nullus penitùs videre poterit; Etenim per Petrum Diaconum, & ejus socium relatis verbis invenitur sententia Fausti de prædestinatione reprobata, & sub anathemate condemnata, quam reprobationem, & anathematizationem Fulgentius cum aliis 17. Episcopis pariter recipit confirmat, atque condemnat. Prosper etiam Sanctus nihil magis in Cassiano, & alijs damnat, quam illorum de prædestinatione, & gratia sententiam: & potissimè Concilium Valentinum nunc citatam doctrinam S. P. Augustini in materia prædestinationis, & gratiæ approbat, atque confirmat: Quare manifestum est, quod si liberum sit à sententia Sancti Augustini recedere in materia prædestinationis etiam liberù sit recedere à sententia supradicti Concilij quod illam approbavit, quod à nullo Catholicorum poterit affirmari. Cœlestinus etiam, & alij Pontifices Summi qui doctrinam Sancti Augustini approbarunt in materia prædestinationis, & gratiæ contra priores, & posteriores Pelagianos hujus authoris libertatem damnant, & quòd recedere à S. Augustino in materia prædestinationis tradita contra omnes Pelagianos priores, & posteriores nihil est aliud, quam recedere à doctrina Ecclesiæ confirmant; itaut meritò Cardinalis Bellarminus dicat doctrinam S. Augustini in materia prædestinationis, & gratiæ ipsam esse fidem Ecclesiæ, quod & ratio ipsa convincit. Cùm enim eadem sit disputatio & ratio eadem de gratia, & de prædestinatione cum prædestinatio sit gratiæ præparatio, gratia autem ipsa donatio, & sententia posteriorum Pelagianorum Cassiani, & Fausti in materia de gratia Pelagiana sit, & damnata, utique & illorum sententia in materia prædestinationis etiam Pelagianorum est, & damnata, quod nec ad præsens probamus, sed supponimus copiosius probandum in secundo nostro libro ubi ex professo de prædestinatione tractamus.

Vltimo Concilium Trident. sess. 6. canone 1. 2. & 3. efficacissimè omnium Pelagianorum, & Semipelagianorum confutat errores, sicut canone 4. & deinceps sententiam Lutheri, & Calvini condemnat, ut suo loco ex Concilio ipso ostendemus apertè.

Joannes etiam hujus nominis quartus Scotorum genti literas mittens de die celebrationis Paschatis in eadem Epistola ita de Pelagianorum hæresi scribit. *Et hoc quoque cognovimus, quod virus Pelagianæ hæreseos apud vos denuo revivixit, quod omnino hortamur, ut à vestris mentibus hujusmodi vanitatum suggestionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa quoque execranda hæresis damnata est latere vos non debet, quia non solum per istos ducentos annos abolita est, sed & quotidie à nobis perpetuo anathemate sepulta damnatur. Hortamur ne quorum arma combusta sunt apud vos eorum cineres sustententur.* Hæc Joannes quartus in Epistola prædicta, quæ tamen non extat, sed illius verba modo relata inter alia plura transcribit & refert Venerabilis Beda lib. 2. Eccles. histor. gentis Anglorum: Vbi etiam refert idem omnino ad Scotos in damnatione Pelagianæ hæresis scripsisse Honorium Primum. Habetur etiam hæc tertio tomo Conciliorum circa decreta Honorij primi Venetijs 1585. pag. 62. & 63. Quomodo verò hanc posteriorem Pelagianorum hæresim glorioſissimè expugnaverint insignes illi Sancti Divinæ gratiæ defensores. Prosper, Hilarius, Fulgentius, probare necesse non est, cum illorum opuscula, & Epistolæ id apertissimè convincant. Sanctus etiam Constantius Romæ fortiter Pelagianis resistens, eorum factione multa pertulit, quæ illum Sanctis Confessoribus sociarunt, ut in Calendario legimus pridie Kalend. Decembris.

Vt ergo contra hos Pelagianorum omnium priorum, & posteriorum semel concludamus errores, & omnes diffinitiones contra ipsos prolatas, in Epilogum redigamus, si illis 17. difinitionibus, tum ex Conciliis, tum ex Summ. Pontif. relatis supra, quæ contra Primos Pelagianos, Pelagium videlicet, Celestium atque Julianum promulgatæ fuere, alias undecim nunc enumeratas contra posteriores Pelagianos conjungas, constabit apertè 28. diffinitiones contra hanc execrandam hæresim fuisse ab Ecclesiâ prolatas, atque publicatas per Pontifices plures & Concilia multa.

CAPUT XIX.

Quomodo ista damnata sententia per quendam Petrum de Rivò postea infestavit Ecclesiam.

A Temporibus Innocentij Primi plures interfuerunt Pontifices, & anni plures, quibus toties sepulta Pelagianorum hæresis consurgere iterum conabatur, verum tantis multiplicatis damnationibus detruncata, tandem per annos plures, & aliquot sæcula mortua & sepulta remansit. Nullus enim ex Sanctis ex Scholasticis Doctoribus de illa dubitavit, aut quippiam aliud præter id quod à prædictis Summis Pontificibus sacris Conciliis, & Doctrina Sancti Augustini traditum in hac materia fuerat innovare, aut attentare aliquando præsumpsit. Cum enim tempore Sancti Thomæ in plurimis floreret valde Scholastica doctrina, Sapientissimique essent Magister sententiarum, Magnus Albertus, Sanctus Thomas, S. Bonaventura, Alensis, Scotus, & plures alij insignes Doctores, quorum acutissima ingenia, studiorum assiduitas, præclara exercitia, nota sapientia, & doctrina celebris universam illustrant Ecclesiam; nihil tamen, vel omnes, vel illorum aliquis, circa hanc materiam innovarunt, sed communi, parique consensu doctrinam à S. P. Augustino in hac materia traditam suscipientes, venerati sunt.

Hac pace, atque concordia Theologorum schola feliciter potita quievit, usque ad Sixti quarti tempora sub anno 1476. quo tempore adversus S. Augustini, & Sancti Thomæ sententiam, ex illa quæ in præcedentibus relata est, quædam dogmata repullulare cœperunt, atque publicam lucem aspexerunt Lovanij divulgata per quendam Petrum de Rivo Doctorem, quibus nervosè, & efficaciter insignis illa

Digitized by Google

contradixit Academia bonarum Artium Magistra, & Doctrinæ S.P. Augustini addictissima, in eaque versatissima.

Inter alia quæ prædictus Petrus de Rivo è sopito illo igne, & demortuis errorum cineribus suscitavit, & iterum ad lucem reduxit circa rerum contingentiam & humanam libertatem, illud fuit præcipuum, ac potissimum: Quidquid ex suppositione, quæ in potestate nostra non sit, per necessariam consequentiam sequitur, id ità esse necessarium, ut liberum esse nullo modo possit. Ex quo pessimæ doctrinæ principio consequentet loquendo asserebat, nullam propositionem de futuro contingenti esse determinatè veram. Cùm adversus Authorem istum perillustris illa Academia semper instaret, tandem controversia ad Sedem Apostolicam devoluta est, ac pervenit, & à Sixto IV. præfata Petri de Rivo doctrina damnata fuit, & ab ipsomet Authore Romæ abjurata, ut refert insignis illa Academia in Prologo libelli cujusdam, quem justificationem inscripsit, de quo statim copiosiorem sermonem facturi sumus. Egit autem Romæ causam istam Academia Lovaniensis per Henricum Zomerum virum doctum, religiosumque. Hujusce damnationis sententia in Urbe promulgata fuit anno 1476. ut refert etiam Franciscus Sylvius in suo perutili tractatu de Motione primi Motoris Duaci typis mandato anno 1609.

Verùm enim verò, quemadmodum priscis illis & antiquioribus temporibus, ut relatum est, damnata ista sententia statimatque velut Hydra reviviscebat caput extollens, haud secùs posteaquàm Lovanij emortua & extincta est, ad annum 1538. iterùm in Gallia ad vitam revocatur & sicut cancer serpit. In hujus expugnationem extat liber Lugduni prælo mandatus sub illo anno 1538. 21. Septembris, editus per R. Ad. P. Fratrem Franciscum Romæum Ordinis Prædicatorum, cujus fuit postea Generalis Magister inauguratus: titulus autem hujusce libri est: *De libertate Operum, & Necessitate Gratiæ adversus Pseudophilosophos Christianos.*

Cùm in Galliis per aliquod tempus hæc lues grassata fuisset & consopita, sub anno 1551. iterùm resumptis viribus Lovanium remigrat; sed cùm ibi sedem locare, & radices figere moliretur, acerrimus, & infensissimus ei fuit obviam hostis Sapientissimus ille Magister Fr. Petrus de Soto Ordinis Prædicatorum, omnium suffragio Doctrinæ laude clarissimus, & fama super æthera notus. Hic celeberrimus vir certior redditus, quòd nonnulli facultatis Lovaniensis Doctores non rectè de Prædestinatione, Divinæ Gratiæ auxilijs, ac libero hominis arbitrio sentirent, adversus antiquam & probatissimam S. P. Augustini Doctrinam communiter ab Ecclesia Catholica receptam, imminenti huic malo remedium adferre constituit, & ea de causa doctissimam quandam conscripsit Epistolam Ruardo Tapert Lovaniensi Decano, in qua se valdè mirari significat, quod hujusmodi Doctrinam ipse probaret, ac sustineret: imò & ab alijs sustineri, ac defendi pateretur, ac sineret: efficacissimis dein argumentis probans, eam à Pelagianorum errore toties temporibus illis damnato, & anathematizato, minimè discrepare.

TRACTATVS

TRACTATVS SEXTVS

DE P. MOLINA ET ALIORVM RECENTIORVM PLACITIS ET SENTENTIIS CIRCA PECCATVM originale, divinam causalitatem, voluntatem, prædestinationem, & futurorum scientiam.

CAPUT I.

Vnde Patris Molina, & aliorum Recentiorum sententia circa hanc materiam ortum duxisse existimetur.

RECENSITIS jam Pelagij, Pelagianorumque erroribus, supereſt ut animum admoveamus, calamumque divertamus ad P. Molinæ, aliorumque recentiorum sententiam noſtris temporibus vulgatam circa cauſalitatem, & concurſum primæ cauſæ, divinamque illius Prædeſtinationem, atque futurorum ſcientiam. Quid igitur ipſi ſenſerint & docuerint fideliter exponemus, & referemus: Et primùm quidem unde hujuſmodi ipſorum ſententia originem traxiſſe exiſtimetur.

Patres Societatis ſemper curam adhibuere maximam circa rationem inſtitutionemque ſtudiorum, ceu fontem uberrimum, unde ſoleat probitatis, ac Religionis optimus quiſque profectus dimanare. Ad hujuſmodi igitur rationes ſtudiorum probè inſtituendas anno 1584. Romam ex variis diverſiſque ejuſdem Societatis Provinciis ſex Patres, ipſique doctiſſimi accerſiti ſunt; nimirum RR. PP. P. Ioannes Azor Hiſpanus P. Gaſpar Gonzalez Luſitanus, P. Iacobus Tirio Gallus, P. Petrus Buſæus Auſtriacus. P. Antonius Guiſanus Teutonicus, & P. Stephanus Tutius Italus, qui omnes, & unanimiter in eum ſcopum collimantes, libellum quendam ediderunt inſcriptum: *Ratio atque inſtitutio ſtudiorum Societatis Ieſu.* Prælo hic liber mandatus fuit Romæ 1586. ex quo & alio ſimili iterum excuſo, ſequentia de verbo ad verbum deſumpſimus. In hoc ergo libello, ſub titulo particulari de opinionum delectu in Theologica facultate, poſtquam præmittuntur hæc verba ſecundæ impreſſionis pagina mihi 10. Reg. 5. *In Theologia doctrinam S. Thomæ noſtri ſequantur exceptis paucis*; & ſtatim pag. 11. propoſitione 6. ſubdunt: *Noſtri igitur non cogantur defendere, quæ ſequuntur.* Et inter propoſitiones alias ex 1. p. D. Thom. excerptas ad quas defendendas non ſunt cogendi, hanc in ordine ſextam conſtituunt: *Secundas cauſas eſſe propriè, & univocè inſtrumenta Dei, & cùm operantur, Deum in eas primum influere, aut eas movere.*

Circa quam propoſitionem duo lectorem monitum velimus: primum eos planè agnoviſſe ceu manifeſtiſſimam Divi Thomæ ſententiam, Deum in cauſas ſecundas priùs influere, ipſaſque movere antequam operentur: alterum eſt, eos quibuſdam à ſe adhibitis verbis, totam S. Doctoris ſententiam planè invertiſſe. Quamvis enim S. Thomas perpetuò doceat, Deum priùs natura influere in cauſas ſecundas: humanaſque voluntates, velutiipſius Dei inſtrumenta ſe habere, quantum ad hoc, quod niſi prius à Deo moveantur, ſe liberè non moveant: contra tamen expreſſam D. Thomæ ſententiam, atque mentem, veritatemque militat, quod humanæ voluntates ſint univocè, & propriè inſtrumenta reſpectu Divinæ voluntatis eas moventis. Quinimò D. Thom. expreſſimè contrariũ docet q. 24. de verit. a. 1. ad 5. his verbis *Ad quintum dicendum, quod inſtrumentum dupliciter dicitur. Vno modo propriè, quando ſcilicet aliquid ita ab altero movetur, quod non confertur ei à movente aliquod principium talis motus; ſicut ſerra movetur à Carpentario, & tale inſtrumentum eſt expers libertatis. Alio modo dicitur inſtrumentum magis communiter quidquid eſt movens ab alio motum, ſive ſit in*

Digitized by Google

ipso principium sui motus, sive non; Et sic ab instrumento non oportet, quod omninò excludatur ratio libertatis, quia aliquid potest esse ab alio motum, quod tamen se ipsum; & ita est de mente humana.

Idem expressius (si expressius quid dici potest) docet 2.2. quæst. 23. art. 2. per hæc verba: *Similiter etiam non potest dici, quod sic moveat Spiritus Sanctus voluntatem ad actum diligendi.* (& idem dicendum est de alio quocumque actu virtutis, ad quem Spiritus Sanctus movet) *sicut movetur instrumentum, quod & si sit principium actus, non tamen est in ipso agere, vel non agere: sic enim tolleretur ratio voluntarij, & excluderetur ratio meriti: Cum tamen supra habitum sit, quod dilectio charitatis est radix merendi: sed oportet, quod sic voluntas moveatur à Spiritu S. ad diligendum, quod etiam ipsa sit efficiens illum actum.* Et conformiter ad hanc doctrinat docet 1.2. quæst. 105. art. 4. potissimè solutione ad 2. & 3. quod, licet voluntas moveatur à Deo sicut à principio extrinseco, ipsa tamen à se tanquàm à principio intrinseco movetur; asserens, quod sic moveri ex se non repugnet ei, quod est ab alio moveri: etenim, si voluntas à Deo mota, inquit, non moveretur ex se ipsa, propria ejus opera ipsi ad meritum, vel demeritum non imputarentur. Idem planè affirmat quæst. 68. art. 3. ad 2. ejusdem 1.2. ubi, cùm sibi objecisset hominem à Spiritu Sancto sicut instrumentum moveri, & agi, ac subinde non posse ei competere, ut habitu perficiatur, respondet *dicendum: quod illa ratio procedit de instrumento, cujus non est agere, sed agi; tale autem instrumentum non est homo, sed sic agitur à Spiritu sancto, quod etiam agit, in quantum est liberi arbitrij, unde indiget habitu.* Quæ verba, si attentè perpensa fuissent, nunquam D. Thomæ tribuendum à quoque foret, quod doceat, humanas voluntates propriè, & univocè instrumenta respectu Divinæ voluntatis esse: cùm his expressimè contrarium doceat. Sed de istis diffusior, & amplior nobis redibit sermo infra tomo 3. & 4.

Et pag. 13. Propositione 8. hanc doctrinam à suis defendendam statuunt: *Deus de quibuscumque rebus, de liberis etiam actibus quamquam nunquam futuris, certo & infallibiliter cognoscit quid quibus positis futurum esset.* In his duabus propositionibus potissima doctrinæ fundamenta constituta videntur, quibus prima Divina causalitas, & supernæ Gratiæ efficacia impugnari possit. Deinde aliam tertiam propositionem adjecerunt: *Nostri*, inquiunt, *non cogantur defendere ex 1. part. S. Thomæ prævidere Deum futura contingentia in eorum reali coexistentia cum sua æternitate.* Hæc habentur pag. 11. propositione 4. ac tandem pag. 316. Propositione 12. sic concludunt: *Fieri potest, ut æqualis gratia duobus collata sit efficax in uno, inefficax in altero, quia non vult consentire, licet possit per sufficientem Gratiam, sine novo augmento gratiæ.* In qua ultima Propositione tota gratiæ Christi efficacia enervari videtur. Hanc doctrinam novam, vel noviter in Ecclesiam invectam prædicti Recentiores suam vocavere Theologiam, per quam gloriam, & splendorem humanum non infimum conquirere se posse arbitrati sunt: ut constat ex prædicto libello pag. 27. & 29. vers. *Quòd verò*, & vers. *Ad hæc.* Quod egregiè ante nos animadvertit vir eximiè eruditus Henricus Enriquez eiusdem Societatis in quodam memoriali oblato Fœlicis recordationis Clementi VIII. in quo, inter cætera, hæc deduxit; *De artificio utendum monet libellus de mandato Prælati editus ante quatuordecim annos, qui dicitur de ratione studiorum, in quo habetur pertinere ad honorem hujus familiæ, ut cum libertate ingenij componatur nova quadam Theologia.* Hæc illæ, & hoc ego, quantum ad illum libellum.

De ipsa quidem nonnulli ante hujus præfati libelli editionem, vel saltem impressionem doctrinam hanc divulgare cœperunt; mediamque illam scientiam in lucem proferre, & fovere tentarunt. Etenim P. Molina ipse in sua Concordia prælo mandata sub anno 1588. & potissimè in editione Antverpiensi sub anno 1195. quæst. 14. art. 13. disput. 53. memb. 2. §. *Parvipendunt*, de hujusmodi scientia Media loquens, quæ totiusce doctrinæ ipsorum basis, & fundamentum est, sic habet: *Atque à triginta annis in privatis, & publicis disputationibus; à viginti verò in nostris ad I. P. commentariis, eam sub nomine scientiæ naturalis idcirco tradiderimus, quod libera in Deo non sit.* Ex quo Molinæ testimonio satis, superque constat sub annum 1558. secundùm primam editionem, vel iuxta secundam saltem sub annum 1564. in lucem prodire cœpisse, & à quibusdam recentioribus amplexam, & defensatam fuisse. Et profecto non leve conjecturæ fundamentum est, quod ante hæc tempora sub annum 1547. suum habuerit initium: enim vero, ut exactis sac. Concil. Tridentini constat (quæ asservantur Romæ in Castello S. Angeli; quæ & nos vidimus, & legimus) P. Lainez ex eadem Societate in eodem Concilio Tridentino, cum ageretur de formando Canone 4. sessionis 6. suadere prætendit, nullatenus esse dicendum: *Liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, &c.* (Hæc sunt Concilij verba) sed *mentem à Deo motam, & excitatam.* Hæc fuit P. Lainez elocutio non admissa: quæ quidem sessio celebrata fuit die 13. Ianuarij dicti Anni 1547.

Esto inquam nonnulli hæc dogmata prædictis temporibus vulgare cœpissent, attamen maximum suscœpit incrementum hæc sententia post edictum, & typis excusum præfatum libellum; nam anno immediatè sequenti 1587. publici Theologiæ in societate Professores hanc Doctrinam mirificè amplecti, benevole fovere, communiter docere, & totis conatibus propugnare studuerunt in publicis conclusionibus, & certaminibus. Præsertim verò Lovanij dicto anno 1587. Professores quidam in Prælectionibus suis multa contra communem sententiam in materia de Prædestinatione, & gratia evulgantes, & docentes, præfata dogmata discipulis, & Auditoribus communia fecere.

Et quia prima fonte visa sunt contra receptissimam S. P. Augustini sententiam militare, nec à Pelagianorum, Massilienssiumque erroribus procul distare, celeberrima Lovanienssium Vniversitas arbitrata, quod in hac materia: nec à sanctissimi Doctoris, nec à communi sententia expediret, aut tutum esset recedere, Præfatos Patres, ac Professores amicè, benevoléque benignè, ac charitativè per Epistolam hortata est, ut ab illis edocendis abstinerent, breviter, & transcursim ostendens hujusmodi doctrinam videri aliquam cum præfatis Pelagianorum, ac Massilienssium erroribus communionem habere. Idcirco præfati Patres Apologeticum librum in suæ doctrinæ tutelam, ac propugnaculum conscribendum existimarunt, & expostulationes apud summum Pontificem de hoc habendas; quod à præfata Lovanienssium Vniversitate de prædicta doctrina notarentur. Quod & perfecerunt. Ea propter illius toto orbe terrarum celeberrimæ Vniversitatis Doctoribus, & Professoribus per superiores injunctum fuit, ut huic Apologerico responsum præberent. Id ipsi libentissimè præstiterunt Apologiam alteram conficientes, quam propterea justificationem nuncupavere, quòd in defensionem propriæ censuræ adversus prædictam doctrinam illatæ constructa esset.

Utique similem fore coronidem suis Apologeticis tracta-

Digitized by Google

tractatibus imposuere. Patres quidem societatis, & Professores, cùm epilogando concluſissent in assertione 33. quod; *Hæc sententia de Prædestinatione, & reprobatione maximè consentanea est Divinæ Bonitati, scripturarum authoritati, Patrum testimoniis, & naturalis rationis æquitati, in nulla re omnino Pelagio favens, & quam longissimè à sententia Lutheri, & Calvini, & reliquorũ hæreticorum nostræ tempestatis recedens, à quorum sententia, & argumentis difficile est alienam sententiam vendicare*: Lovanienses respondendo terminarunt: *Imò verò justius fortassis alius quispiam dixerit: Sententia hæc divinam bonitatem obscurat; justitiam enervat, scripturas eludit, Patrum testimonia in sensus alienos detorquet, humanæ rationis corruptioni applaudit, humilitatis fundamenta evertit, precandi necessitatem non magnam relinquit, propriarum virium fiduciam ingenerat; in salutis negotio quod præcipuum est homini donat, quod minus Deo, & gratiam Dei libero subdit arbitrio, ac pedissequam facit: Lutheri vero, Calvini, & reliquorum nostræ tempestatis Hæreticorum sententiam, dum ab ea videri vult quàm longissimè recedere, potentiusque debellare, magis imprudens stabilit, atque confirmat.*

Huic florentissimæ scholæ insignis æquè ac docta Duacensium Vniversitas quamprimum manus præbuit auxiliares, compositâ contra præfatam doctrinam acerrimâ censurâ, & redargutione. Vnde augescentibus hinc inde rumoribus, negotium ad summum Pontificem Sixtum V. tunc sanctam Apostolicam sedem tenentem, devolutum est: qui iustis de causis utrique Parti super hujusmodi doctrina silentium imponendum decrevit, usque dum super illa aliud per eandem sanctam Sedem fuisset ordinatum, datis litteris Apostolicis à se emanatis, quas ad Episcopum Calatinum, tunc Apostolicæ Sedis ad partes inferioris Germaniæ Nuntium, destinavit; & sunt sequentis tenoris.

SIXTVS PAPA V.

[Venerabilis Frater salutem & Apostolicam benedictonem. Ex fraternitatis tuæ litteris ad nos proximè allatis controversias inter Vniversitatis Lovanienſis Theologos, & sacerdotes Societatis Iesu, qui Lovanij Theologiam profitentur, in quibusdam sacræ Doctrinæ articulis ortas fuisse agnovimus. Qua in re vehementer in Domino commendamus prudentiam tuam, pietatis zelum, diligentiam, & curam omnem, quam oportunè adhibuisti, ut iam pernicioso dissidio occurreres. Cum autem ejusmodi contentiones, quarum consuetudinem, nec nos, nec Ecclesia Dei habet (ut ad Corinthios Apostolus scribit) perpetuo seditionum authore sathana suggerente, Ecclesiarum scissuras parere consueverint, verendum maximoperè est, ne damnum exitiale Ecclesiæ Catholicæ afferant, nisi confestim tollantur. Ideo nos pro Apostolicæ servitutis nostræ munere, tam gravi malo, ne sensim latiùs serpat, mederi volentes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, ut Lovanium cum primum fieri potest, te conferas, & quibuscumque fieri potest, omni charitatis officio, & qua es prudentia studiosissimè agas, ut earum contentionum, ac dissensionum omnino finem faciant universi, & singuli, qui de ipsis articulis tam graviter inter se dissident. Quod si officium hoc illico exequi coram non poteris, idem literis tuis diligentissimè præstari nostro mandato jubebis, nempe ut illi inter se dissidentes ab omni interea decertatione desistant, quoad Apostolica nostra authoritate de eorum controversiis, ac disceptationibus maturè discernamus. Præsertim cùm id persuasissimum illi habere debeant, B. Petri tantùm successori Pontifici Romano licere doctrinæ Christianæ res controversas diffinire, alij verò nemini. Itaque hoc valdè curabis, & quam primum efficias, ut omnia quæ earum quæstionum, aut contentionum scripta illi, vel universè, vel sigillatim habent, tibi tradant, eaque tradita simul atque poteris obsignata ad nos rectè mittas, ut duce, authoreque Spiritu Sancto ea definiamus, quorum certam doctrinam eos habere oportet. Quod si paternitatis tuæ cohortationibus, quas nomine nostro adhibueris parere illi recusaverint, tunc demùm potestatem fraternitati tuæ omnem facimus inhibendi, ut ab hisce opinionum dissidiis, & contentionibus penitus se abstineant, propositâ excõmmunicationis latæ sententiæ pœna, & aliis pœnis arbitrio tuo, quam te exequi volumus, invocato etiam, si opus erit, brachij sæcularis auxilio. Non obstantibus in contrarium quibuscumque. Speramus autem illos planè obedientes fore, vsque adeo, ut tui religiosi, necessarijque studij, atque officij, quod ea in re præstiteris, fructus nobis constet. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 15. Aprilis 1588. Pontificatus nostri anno tertio. Subscriptum hoc. Thomas Gualterutius.]

A tergo scriptum erat. Venerabili fratri Episcopo Calatino Nostro, & Apostolicæ Sedis ad partes inferioris Germaniæ Nuntio.

Ex his te unum doceri optamus, lector benevole, nimirum quàm vanè, & perperam nonnulli, dum Romæ ferveret de hac materia disputationum æstus, suadere enixi fuerint, quæstionem hanc nullatenus in eorum albo adscribi posse, quæ fidem concernunt, aut specialiter ad illam spectant, sed unicuique licere circa hanc materiam suo in sensu abundare: cùm in in his literis Summus Pontifex omnino oppositum innuat ibi: *Duce, authoreque Spiritu sancto, ita diffiniamus, quorum certam doctrinam eos habere oportebit.*

CAPVT II.

De progressu, quem P. Molina, & aliorum Recentiorum sententia variis libris, tùm ab istis, tum ab illo editis brevi temporis intervallo fecit.

ILLIS Apostolicis literis sedata cùm fuisset controversia prædicta Lovanij, ecce illo eodem anno 1588. alia multo major in Hispania succenditur per P. Ludovici Molinæ librum in Regno Lusitaniæ in civitate Vlisipona prælo demandatum, cui titulus erat. *Liberi arbitrij cum gratiæ donis, divina præscientia, providentia, prædestinatione, & reprobatione concordia Doctore Ludovico Molina primario quondam in Eborensi Academia Theologiæ Professore è Societate Iesu Authore.*

In hoc libro præfatam Doctrinam in libello de ratione studiorum traditam, & vulgatam anno 1586. Lovanijque publicatam, & extensam anno 1587. sequenti 1588. magis adauxit, & amplioribus fusioribusque rationibus munivit, ut ex ipso referendis dabimus manifestum. Verùm enim verò, quia omnia nova placere solent, liber ille novam (ut videbatur) continens doctrinam à quampluribus acceptatus fuit, & ejus dogmata amplexata; ita ut in communibus disputationibus publicisque congressibus, imò & in scholis nihil aliud audires, quàm hanc Molinæ doctrinam: quorum plurimis Vallisoleti congressibus, ac disputationibus interfuimus, & pro viribus contra hanc doctrinam pro antiqua SS. Patris Augustini, & D. Thomæ sententia pugnavimus.

Digitized by Google

mus. Vnum monitum velim lectorem, nimirum, quod nos omnia, quæ in his noſtris operibus adducturi ſumus ex libro Concordiæ dicti P. Molinæ, citabimus ex illo Vliſſiponę impreſſo dicto anno 1588. & ex libro eodem Concordiæ impreſſo Antuerpiæ anno 1595. cujus etiam Concordiæ principales aſſertiones continentur in eadem Concordia excuſa Lugduni 1593.

Quomodo huic doctrinæ noviter in lucem erumpenti totis viribus ſe oppoſuerit ſacra Prædicatorum familia, præſertim in Hiſpaniæ Provincia, & in defenſionem divinæ gratiæ viriliter aſſurrexerit per inſignes, ac doctiſſimos Magiſtros (quibus Provincia illa abundè ornari ſolet) tùm publicè diſputando, & novam illam doctrinam feliciter confutando, tum receptiſſimam tuendo ſententiam Sancti Patris Auguſtini, ac denique ſcriptis multimodis refellendo, non eſt noſtrum referre; id aliis, qui Hiſtoriam texunt, lubenter dimittimus. Quomodo etiam inſignis illa Provincia, nullis parcens ſumptibus, ad ſanæ doctrinæ tutamen, & novæ illius doctrinæ refellendæ cauſa, unum alterumque Patrem Romam mittendos curarit, atque tranſmiſerit, qui coram Sede Apoſtolica antiquam defenderent doctrinam, & novæ illi contradicerent, quia omnibus eſt manifeſtum, in præſentiarum omittimus. Quomodò etiam per novem continuos annos, imò per decem Romæ controverſia iſta magna fuerit agitata, ad ultimum uſque apicem diſcuſſa, & diligentiſſimè examinata in diſputationibus, & congregationibus plurimis, primò apud fœlicis mem. Emin. D. Cardinalem Madrutium, & cenſores Theologos plurimos à S. Sede deputatos: deinde ultimò in præſentia fœl. rec. Clementis VIII. & Pauli V. referre non poſſumus; ea enim omnia unus non caperet liber, ſed plures eſſent conficiendi (quem admodum dum licuerit præſtabimus) ſi acta omnia, & diſputationes vniverſæ conſcribendæ aſſumerentur.

Ab his ergo ſuperſedendo, illud ad præſens notandum eſſe putavimus, illo eodem anno, quo Sixtus V. ſilentium in hac parte, & Lovanienſibus, & recentioribus Lovanij commorantibus impoſuiſſet, eo inquam anno recentiores Romæ curaſſe, & feciſſe typis mandari Caſſianum cum annotationibus illis Stephani Tutij, de quibus jam ſupra mentionem fecimus, & illo eodem anno Ludovicum Molinam in Hiſpania prædictum librum Concordiæ edidiſſe, in quo multa contra S. Auguſtinum, & Thomam pronunciat, eorum in hac parte doctrinam quaſi parvipendens. De impreſſionibus autem plurimis in diverſis terræ partibus, quibus liber iſte Antuerpiæ, Venetiis, & alibi, ſemper quibuſdam de novo additis, & quoad ordinem mutatis fuit excuſus; ita ut quando citabatur Molina in uno loco, oſtendentes Patres Societatis aliam impreſſionem, prætenderent id in tali loco ob ordinis mutationem non inveniri, quod non ſemel fecerunt, nec noſtrum eſt in particulari numerare.

Unum tamen ſilere non poſſumus adeò librum iſtum, cum primùm excuſus fuit, piorum Theologorum animos offendiſſe, ut etiam ex Societate ipſa Doctor Henricus Enriquez adverſus eum copioſam cenſuram protulerit, in qua poſt recenſitas ex eo 52. aſſertiones gravi qualificatione notatas, quas ob brevitatem omittimus, quia eas, & alias in toto horum operum proceſſu confutabimus, generali cenſura totum librum ſub his verbis qualificat: [Licet Author admittendus videatur, apud cenſores fidei purget ſe de vehementi ſuſpicione, & intentione hæreſis Pelagianæ, cui ſæpè favet, ſæpè monitus non deſiſtit: liber tamen dignus eſt, ut omnino prohibeatur; nec enim purgari poteſt, cum paſſim infinitis locis ſcateat periculoſis, & erroneis doctrinis, &c.]

[In illa nova doctrina, quam in præfata Concordia Author ſibi arrogat) aſſerit etiam SS. Auguſtinum, Thomam, & reliquos Patres, imò & Pelagium, alioſque hæreticos (ſi advertiſſent illam) fuiſſe ſibi conſenſuros. Inſuper haud ſatis modeſtè de ſanctis Patribus, & Theologis loquitur, quin imò iſtorum ſententias, quas ipſi certas, & indubitatas aſſerunt, ait author iſte periculoſas eſſe, & errorum occaſionem, imò tollere arbitrij noſtri libertatem, & nec ab illis, nec à Conciliis fuiſſe veritatem de prædeſtinatione, & gratia, atque libertate arbitrij declaratam, aut planè intellectam, antequam ipſe hunc librum conderet.] His notavit, & aliis multò gravioribus (quæ hic non referimus, ne injuriam videamur inferre) librum illum P. Molinæ præfatus P. Enriquez.

Agnoſcens itaque prædictus P. Molina doctrinam ſuam eſſe contra Theologos omnes, optat, ut paulatim procedente tempore fiat probabilis, & recipiatur. verba ipſius ſunt in quæſt. 14. art. 13. diſput. 19. in principio *Quare, quæ tam in hac quæſtione 14. diſp. 19. in favorem poſterioris ſententiæ, ideſt ſuæ, dicta ſunt, ita accipiantur, ut propoſita potius, quam aſſerta à nobis ſint: illa namque eo animo in medium protulimus, ut intelligatur quanta eis opinionibus inſit probabilitas. Neque enim filere debuimus, quæ nobis de novo ea de re occurrebant, ſi fortè temporis decurſu ab aliis probarentur.* Et in fine totius libri quæſt. 23. art. 4. & 5. diſput. 1. memb. ultimo de ſua ſententia hoc & ipſe profert teſtimonium: *Et hæc noſtra ratio conciliandi libertatem arbitrij cum divina prædeſtinatione, à nemine, quem viderim, hucuſque tradita eſt; ideò ſatius hæc duxi paulo diffuſius explicare.* En quomodo author iſte doctrinam ſuam in hoc libro traditam omnino novam, & ab alio nemine traditam hucuſque fateatur. Idcirco cum in materia graviſſima ſit, & toties ventilata in Eccleſia, atque per Concilia, & Patres diffinita, non videtur facilè admittenda, ut colligitur ex Vincentio Lyrinenſi in aureo illo libello, quem contra prophanas vocum novitates inſcripſit.

Videntes autem recentiores, & animadvertentes multis diſplicere, quod P. Molina doctrinam SS. Auguſtini, & Thomæ reſpueret, & quod de hoc non benè Romæ apud Apoſtolicam Sedem audiretur, quæ toties Doctrinam horum ſanctorum Doctorum ſumma cum eorum laude approbavit, cogitare cœperunt, & in animum ſuum inducere, qualiter ſuâ retenta ſententâ, illam non contra S. Auguſtini mentem, ſed illius eſſe ſententiam ſuadere valerent. Ea propter, eo præſertim fine videtur poſteà editus in lucem alius ipſorum liber, authore P. Franciſco Suar. cujus titulus fuit. *Doctoris Franciſci Suarez Granatenſis è Societate Ieſu in celebri Conimbricenſi Academia Theologiæ facultatis primarij Profeſſoris varia opuſcula Theologica, &c. Matriti ex Typographia Regia* 1599.

In iſto libro edito poſt illum alium Ludovici Molinæ annis undecim, ut ipſi libri teſtantur, duo illius author principaliter, ut ex ipſo libro ſatis apertè oſtenditur, videtur intendere. Alterum doctrinam à Molina priùs traditam defendere, & explicare, & eſſe veluti illius prioris commentatorem, ſeu interpretem. Alterum verò ſuadere, illam ipſam doctrinam eſſe S. Auguſtini, in illoque fundari, multa ad id contorquens ex S. Auguſtino teſtimonia, ut plenius ſuo loco dicemus. Quis verò illorum duorum authorum majorem irroget S. P. Auguſt. iniuriam, an ille primus ejus doctrinam reijciendo, an hic poſterior eidem Doctori ſancto ſententiam, quam ipſe per tot annos glorioſiſſimè debellavit, attribuendo, prudenti Lectori committimus iudicandum.

Eiſdem

Digitized by Google

Eisdem temporibus dum gravissima ista causa studio summo, accuratissimaque diligentia apud S. Sedem tractaretur, & recentiores, multis præcipuis ex suis Romam convocatis, in defensionem P. Molinæ persisterent, alij tres libri; non immediatè ab illis, sed ab aliis in defensionem P. Molinæ, & illorum qui ejus defendunt sententiam, favorem excuduntur, atque publicantur.

Istorum primus divulgari cœpit anno 1601. duobus annis videlicet post illum Pater Francisci Suarez, cujus jam mentionem fecimus. Titulus hujus libri ita habebat. *Tractatus de Prædestinatione. In scripturam sacram, & veram Evangelicam lucem divina mediante gratia, ab idiota Ferdinando de las Infantas Presbytero Cordubensi compositus, & extra omnem pretensionem ipsi veræ luci Christo Dei filio, à quo accepit omnia, dicatus. Parisiis anno 1601.* In isto libro author fingit se idiotam, & à Deo per revelationem accepisse, quæ in illo scribit. Qui cum à Superioribus mihi examinandus de doctrina committeretur, ipsum attentè considerando inveni totum esse erroribus Pelagianorum plenum, & prædestinationem; & gratiam jam sine pallio contra Apostolum ex ipsa officina Pelagij tradere, atque diffamare: unde quindecim Pelagianas propositiones fundamentales, ex quibus totus pendebat, aliis minutioribus omissis ex ipso colligens, & alias duas apertè Arianas; omnium illarum tunc brevem composui censuram, illam superioribus tradens, & in fine illius ita concludens: *Hujus libri Author, ut ex revelatione, quam sibi illuxisse in prologo ipse fatetur, videtur de illorum esse secta, qui illuminati dicuntur, suamque illuminationem ordinat, ad totum Pelagij dogma apertissimè suadendum. Nec his contentus, duos alios manifestos Arianorum errores apponit, ut ex præcedentibus fit manifestum. Vnde liber iste, quia perniciosissimus prohiberi debet in perpetuum, & tantò magis, quantò vulgari sermone, ut ipse Author affirmat, dicitur fuisse primò conscriptus.* Visa autem prædicta censurâ statim Romæ Magister sacri Palatij librum in perpetuum prohibuit. Et ut mihi fideliter relatum est, liber ille cum censura missus fuit à quodam doctissimo, & zelo Dei ferventissimo Prælato Hispano ad Hispanias, ut ibi simili sententia damnaretur.

Sequenti anno 1602. Romæ imprimuntur commentaria nomine Cardinalis Toleti super Epistolam ad Romanos, quibus multis in locis hæc eadem traditur doctrina, quod videlicet, licet prædestinatio fiat, & gratia detur propter bona opera prævisa dummodo negetur fieri ex merito de justitia, nihil omnino divinæ gratiæ derogatur. Quod certè salva dicti Cardinalis reverentia (si jam ista ipsius sunt commentaria, cùm post ipsius mortem fuerint excusa eo tempore quo ista causa Romæ tractabatur) dici nullo modo potest, nisi Massilienssium sopitas sententias iterum in medium proferamus.

Post annos duos, videlicet 1603. Patavij alius excuditur liber eiusdem farinæ cum primo supra dicto, cujus & titulus erat. *Qua tandem ratione dirimi possit controversia, quæ in præsenti de efficaci Dei auxilio & libero arbitrio inter nonnullos Catholicos agitatur. Ad SS. & Beatissimum Clementem VIII. Pont. Max. Authore Paulo Benio Eugubino inter Patavij Collegij Theologos minimo: anno* 1603. Liber iste cùm Romam mitteretur, sacri Palatij Magister mihi etiam illum de doctrina examinandum transmisit, quem cùm attentè considerarem, id quod in priori nunc relato inveni fundatum magis, magisque excensum, eundemque finem in isto; sicut in illo priori præfigi apertè deprehendi; videlicet Dei prædestinationem ex operum fieri prævisione, idque contendebat inter alia illud Apostoli ad Rom. 8. *Qui secundum propositum vocati sunt sancti*, de hominis proposito, non Dei esse intelligendum. Ex quo proinde libro vigintiquatuor, & plures assertiones, quæ à Pelagianorum errore minimè recedebant, deduxi, & suis numeris præfixas Magistro Sac. Pal. tradidi: quo omnia an ita essent examinante, & SS. Clementi VIII. id referente, prædictus liber ex summi Pont. expresso mandato totaliter fuit prohibitus, & ejus prohibitio Romæ publicata, typisque excusa, in viis publicis vulgari Italica lingua conscripta affixa fuit.

EDITTO
del Maestro del sacro Palazzo Apostolico.

Noi Fratre Gio Maria de Brisighella Maestro del sacro Palazzo Apostolico Giudice ordinario, &c. Di ordine espresso di N. S. Papa Clemente VIII. prohibiamo affatto il libro intitolato. Qua tandem ratione dirimi possit controversia, quæ in præsens de efficaci Dei auxilio, & libero arbitrio inter nonnullos Catholicos agitatur. Ad sanctissimum, & Beatissimum Clementem VIII. Pont. Max. Authore Paulo Benio Eugubino inter Patavij Collegij Theologos minimo. Cum triplici Indice primo capitum, altero locorum sacræ scripturæ, postremo rerum. Impressum Patavij in officina Laurentij Pasquati anno 1603. *E commandiamo à ogniuno, chel hà, quanto prima debbi presentarlo nel nostro officio. Dato nel Palazzo Apostolico li* 15. *di Maggio* 1604. *Fr. Ioannes Maria qui supra manu propria. Pro D. Paulo Spadæ Notario Stephanus Spada substitutus. In Roma appresso li Stampatori Camerali* 1604.

Fuit etiam post libri prohibitionem ejus Author Romam vocatus, & graviter reprehensus, similiter & accersiti sunt Romam illius libri examinatores, atque reprehensi.

Prædictus liber ad Hispanias cum prædicta censura transmittitur ab eodem doctissimo Prælato Hispano, ut in illis partibus à venenata doctrina illius caverent omnes, illumque etiam ibi perpetuò damnarent, quod in Regno illo egregiè Catholico statim executioni mandatur, & liber ille etiam in illis partibus totaliter prohibetur.

Intantum doctrina ista serpere contendebat, ut etiam post has duas librorum prohibitiones, quarum prima sufficere deberet, ut ampliùs talis doctrina non divulgaretur; iterum tertius liber publicatus sit & Antverpiæ excusus eandem omnino doctrinam continens, cujus titulus est: [De gratia efficaci, decretis divinis, libertate arbitrij, & præscientia Dei conditionata, disputatio apologetica Leonardi Lessij è Societate Iesu sacræ Theologiæ in Academia Lovaniensi Professoris. Duæ aliæ ejusdem Authoris disputationes, altera de Prædestinatione, & reprobatione Angelorum, & hominum, altera de Prædestinatione Christi. Antverpiæ ex officina Plantiniana, apud Ioannem Moretum 1610.] In quo eadem Doctrina Patris Molinæ, & aliorum defenditur, & magis publicatur. Iste autem fuit ille, qui Lovanij illas triginta & unam propositiones in prælectionibus scripserat, ut supra relatum est. Cum autem putaremus omnes eorũ rationes in conscribendis libris

Digitized by Google

esse consumpras, ecce novus cuditur liber sub anno 1611. *De concursu Dei ad actus liberos voluntatis creatæ, opuscula Theologica*, in quo potissimè author intendit in Concilio Tridentino probare tota illa sess 6. de justificatione, & potissimè canone 4. sermonem fieri in sensu composito. De quo ex parte hoc nostro libro agemus, sed ex professo magis in quarto in quo huius materiæ propria sedes est. Sed & Martinus quidam Becanus Theologus ex Societate Iesu in Academia Moguntina Professor per tres continuos annos, videlicet 1611. 1612. & 1613. tres libros, seu tractatus publicat. In primo opuscula conficit contra Calvinum, in quo suam, & suorum doctrinam defendit. In secundo impresso anno 1612. qui inscribitur Theologiæ scholasticæ pars prima agens de scientia Dei, voluntate, providentia & prædestinatione, contra Dei scientiam, voluntatem, providentiam, & prædestinationem eadem statuit, quæ priores divulgarunt, efficaciam divinæ voluntatis in providendo, & prædestinando negans. In tertio autem, qui anno 1603. typis mandatur, quique de libero arbitrio inscribitur, ipsum arbitrium post Adæ peccatum non læsum in naturalibus, sed in illis forte, & sanum constituit.

Novissimè anno 1619. prælo mandantur duo libri sub nomine Francisci Suarez post illius mortem relicti, sub hac inscriptione: *Doctoris Francisci Suarez Granatensis ex Societate Iesu in Regia Conimbricensi Academia olim primarij Theologiæ Professoris emeriti, operis de Divina Gratia tripartiti pars 1. Conimbricæ anno Domini 1619.* Cujus primum tomum, in quo agit de Gratia vidi, & quæ notavi inserta suis locis proponam.

De alio verò novissimè prælo mandato anno 1619. cujus author inscribitur Thomas Pius, jam supra agentes de Cassiano, & Fausto mentionem fecimus. Item anno 1614. Parisiis impressæ circumvoluntur sub nomine S. Valeriani Cemelensis Episcopi Homiliæ undeviginti, in quibus eadem Semipelagianorum doctrina continetur. Alius etiam extra vrbem prælo mandatur à quodam Canonico regulari in vrbe existente compositus, cujus titulus est: *Propugnaculum humanæ libertatis*, qui quidem liber per S. Sedem prohibitus fuit. Item anno 1923. excurrit liber P. Valentini Soc. Jesu, excusus Pampilonæ eandem continens doctrinam. Alios ab aliis libros in hac materia, & causa eandem defendentes doctrinam legimus publicatos, quorum mentionem facere, eorumque authorum reminiscei justis de causis minùs necessarium putamus.

CAPVT III.

Referuntur duo veluti prima principia, seu fundamenta, quibus tota P. Molinæ, & aliorum recentiorum doctrina innititur, nimirum liberum hominis arbitrium post primi parentis peccatum in naturalibus sanum mansisse, atque esse primum suæ determinationis principium.

Multa sunt planè, illaque gravissima, quæ in prædictis libris contra divinam causalitatem, & gratiam ab istis authoribus publicantur. Multa, inquam, quæ circa Dei voluntatem, scientiam, providentiam, prædestinationem, divinum concursum, tam respectu naturalium, quam supernaturalium actionum, quæ à libero hominis producuntur arbitrio, malè præfati recentiores affirmant. Ex quibus præcipua capita, præcipuaque principia sunt enumeranda, quia omnia quæ habent, nisi eorum libri integrè transcribantur, referri minimè possunt. Ab universalioribus autem ipsorum principiis, quibus totam suam fundant doctrinam, erit sumendum exordium. Quia si ipsorum comprehendantur doctrinæ, duo potissima sunt, quibus duobus veluti polis tota ipsorum machina volvitur, & circumfertur.

Alterum est, quod post peccatum Adæ liberum hominis arbitrium non manserit læsum in naturalibus respectu finis naturalis, sed tantum in gratuitis: quod propterea ut suæ doctrinæ fundamentum P. Molina in principio suæ Concordiæ disp. 3. fundavit, ut postea dicemus. Alterum verò principium ipsorum est, liberum creatum arbitrium esse primum suæ determinationis principium, ita quod à nullo alio priori principio ut se determinet pendeat in operationibus suis, sed quod ipsum ex sua sola innata libertate se determinat, sive ad moralia opera, sive suppositâ excitante gratia ad supernaturales actiones omnes. Ex utroque ergo isto principio plures deducunt prædicti authores conclusiones, & assertiones, quibus novam, & peregrinam, maximéque fugiendam componunt doctrinam, ut infra constabit.

Vt ergo ex principiis ad conclusiones à priori procedendo descendamus, priùs referenda ex illis sunt illa duo universalia principia, deinde assertiones omnes, quæ ex ipsis dimanant recensebuntur.

In referendis autem horum authorum cum quibus disputamus dictis, & assertis, illud perpetuò observabimus ut non solum sensum, & substantiam doctrinæ ipsorum referamus, sed de verbo ad verbum propria ipsorum verba transcribemus, etiamsi aliquando prolixiora esse videantur, ne fortè dicant nos, vel non opponere quæ ab ipsis dicuntur, vel malevolo animo, quæ non ita dicta sunt in alium sensum vertere,

Sit ergo prima ipsorum assertio, quæ illud principium nunc relatum sub his verbis proponit: Eo ipso, quod primus parens peccavit, totum genus humanum ab eo propagandum donis omnibus supernaturalibus iustè fuit spoliatum, destitutæque sunt vires naturales eo vigore, quem à iustitia originali, & ab aliis donis supernaturalibus erant recepturæ. At vires naturales tales secundum se manserunt quales illas essemus habituri, si in puris naturalibus ad finem tantum naturalem à principio conditi fuissemus. Peccatum namque primi parentis solum in gratuitis nobis nocuit, & ob id naturalia in nobis, & in Angelis post peccatum integra remanserunt, qualia essent suaptè natura, si nullo dono supernaturali fuissent affecta, ut D. Thom. 1. part. q. 95. art. 1. docet. Itaque hoc solum interest inter naturam humanam post peccatum ante illa dona gratiæ, & eandem si in puris naturalibus fuisset condita, quod exclusio à gloria, carentia gratiæ, iustitiæ originalis, & aliorum donorum supernaturalium habent propriè rationem privationis comparatione naturæ post peccatum, eo quod oppositâ dona, vel certè ius ad illa fuerit Adamo collatum; comparatione verò naturæ in puris naturalibus spectatæ negationis, eo quod nullum omnino jus habuisset ad ea dona. Quare natura humana post peccatum rectè dicitur spoliata donis supernaturalibus, quæ habebat in Adamo, condita verò in puris naturalibus non diceretur spoliata eisdem donis, cum ea nunquam antea habuisset. Inde etiam facilè intelligetur tam negationes proximè commemoratas, quam defectus, qui inde sunt secuti, nempè rebellionem passionum, mortem & cæteras corporis ærumnas habere quidem propriè, ac verè rationem pœnæ comparatione naturæ humanæ post

Adæ

Digitized by Google

Adæ peccatum, non verò comparatione eiusdem naturæ, si in puris naturalibus esset condita.] Ita in terminis hoc suum principium fundat P. Molina statim in principio suæ Concordiæ quæst. 14. art. 13. disput. 3. §. *Tertius status.* Et disput. eadem §. *illud verò advertendum* magis explicans addit. *Atque hinc etiam emanavit dictum illud, hominem per peccatum spoliatum esse gratuitis, & vulneratum fuisse in naturalibus, liberumque arbitrium per peccatum non fuisse quidem extinctum, at fuisse attenuatum & inclinatum, immutatamque fuisse libertatem illius, ut Concil. Trident. sess. 6. cap. 1. & Arausicanum can. 1. affirmant. Loquuntur namque comparatione virium quas liberum arbitrium habebat in statu innocentiæ, & præsertim justitiæ originalis; non verò comparatione virium, quas habuisset, si homo in puris naturalibus esset conditus.* Quod suum fundamentale principium magis confirmans, magisque declarans in prædicta Concord. quæst. 23. art 4. & 5. disput. 9. in principio ita prosequitur. [Illud in primis admonuerim, multum interesse inter prædestinationem eorum qui ante usum rationis è vita decedunt, & eorum qui ad eum perveniunt (illos omnes parvulorum, hos verò adultorum nomine deinceps significabimus.) Etenim in prædestinatione & reprobatione parvulorum solùm agebatur de gratuitis donis consequendis, aut amittendis : parvuli namque reprobati in reliquis perinde se habebunt, ac si in solis naturalibus fuissent constituti. Imò post diem iudicij, cùm ipsorum animæ suis fuerint corporibus restitutæ, ab omnibus molestiis & ærumnis, quibus in hac mortali vita subjacemus, supernaturaliter liberabuntur, melioremque in naturalibus vitam à vitio omni mentis & corporis immunem in perpetuas æternitates ducent, quàm vllus unquam mortalium duxerit.] Hæc ille. Quibus verbis non rectè de peccato originali videtur sentire, nec illud veram culpam in parvulis videtur fateri, sed pœnam, ut in examine hujus suæ assertionis dicetur inferiùs.

In isto principio, licet non similibus verbis, omnes hi authores, aliis æquivalentibus videntur convenire, cum liberum arbitrium ita forte & sanum constituunt, ut possit solis naturæ viribus, sine aliquo gratiæ auxilio, cum solo illo generali simultaneo seu concomitante facere omne opus morale bonum etiam eximium ; ut diligere Deum authorem naturæ super omnia. Imò ut ita loquar, plusquam sanum in natura constituunt, cùm asserunt, solùm supernaturaliter illuminatum ex parte intellectus, & excitatum purè moraliter ex parte voluntatis, ex sua natura esse principium sufficiens effectivum actus ad salutem pertinentis, cum quo Deus simul concurrat. Itaque in ratione principij effectivi nullo indigere auxilio reipsa dicunt ad similia opera, quod etiam natura integra sine gratia efficere non poterat. Verum est quod Leonardus Lessius verbis quidem satis clarè dicit in suo libro excuso Antverpiæ anno 1610. quod status naturæ lapsæ super statum naturæ nudæ nihil addit præter labem peccati, quæ sunt illius verba satis quidem expressa : an verò hoc dicere sufficiat, cùm ex alia parte sanum ad omnia supradicta opera arbitrium constituat, Doctores iudicent.

Ex isto principio multa deducit P. Ludovicus Molina circa parvulorum reprobationem ; ut in secundo hujus operis libro manifestabimus. Deducit etiam libertum hominis arbitrium in natura lapsa sine aliquo auxilio gratiæ posse naturæ viribus facere quodlibet opus morale bonum, & ex virtute morali posse conteri, & diligere Deum authorem naturæ super omnia absoluta dilectione, & plura similia, quæ suo ordine recensebuntur.

Illud autem alterum principium, quo hominem constituunt primum suæ liberæ determinationis principium, sub his verbis constituunt [licet opera moralia in Deum tanquam in naturæ authorem primamque rerum omnium causam referenda sint, mala autem opera nostra non in Deum tanquam in causam sint referenda, sed in nos ipsos, qui nostra libertate & nequitia arbitrio nostro, & concursu Dei generali ad ea abutimur, ad quæ ab authore naturæ collata nobis non sunt ; nihilominus si liberum arbitrium, & concursus Dei generalis ea ratione spectentur quoad bonum & malum ipsum usum, ad bonumque, ac malum actum moralem indifferentia sunt ; simulque attendatur in nostra potestate situm esse uno, aut altero modo eis uti, ut ea ratione virtutis, laudis, atque præmij capaces simus, à nostroque libero influxu in unam aut alteram partem provenire, quod illis benè utamur, operaque eliciamus moraliter mala & peccata ; sanè quod bene aut malè ea opera exerceamus, quæ per solam arbitrij nostri facultatem & concursum Dei generalem possumus efficere, in nos ipsos tanquam in causam particularem ac liberam, & non in Deum est referendum.] Ita in terminis dicit Concordator arbitrij Pater Molina in Concordia disput. 33. vel juxta aliam impressionem 32. §. hæc itaque opinio. Quibus verbis, ut ex ipsis formaliter constat, tria manifestè concludit. Primum est, quod malè utamur arbitrio in malis operibus moris in nos est referendum, & non in Deum. Secundum quod benè utamur arbitrio in bonis operibus moris in nos est referendum sicut in causam particularem, & non in Deum. Tertium, quod nihilominus omnia nostra opera bona moralia in Deum sicut in causam referenda sunt. Hæc dicit apertè. Quamvis autem contrarietas appareat in secundo & tertio dicto, nulla tamen in eis est, quia non aliter bona nostra moralia in Deum dicit referenda, nisi inquantum nobis dedit liberam possibilitatem & facultatem ad benè operandum, ut in examine hujus assertionis apertè ex ipso monstrabimus. Id quod ipse magis declarat 1. part. q. 14. art. 13. disp. 12. §. *Tertia conclusio*, dicens, quod prima radix contingentiæ est divina voluntas creans liberum arbitrium hominum & Angelorum ; unde actualiter libertatem & contingentiam nostrorum bonorum operum hac sola ratione ad Deum refert, quia ipse creando liberum arbitrium, dedit liberam possibilitatem & facultatem benè operandi, & ad hoc dedit illam, ut homo ex se ipso benè illa uteretur. Consentit & apertiùs P. Franciscus Suar. lib. 1. opusculorum supra jam relato cap. 8. §. *Quapropter*, sic enim habet : *Si primum liberum dicatur illud agens, à quo in suo genere primò est determinatio libera, sic verum est omnem voluntatem liberam posse in suo genere dici primam radicem suæ determinationis, quia scilicet sine illa fieri non potest, nec aliter quam ex intrinseca & libera applicatione eius ; sed hæc est impropriissima huius vocis acceptio, & ideò illa utendum non est, nec voluntati humanæ attribuenda. An verò hic modus operandi satis sit, ut voluntas creata dicatur primum initium suæ determinationis, dicemus ultimo capite. Nam in quibusdam actibus voluntatis, scilicet in malis, possumus simpliciter ita loqui; in bonis autem, præsertim supernaturalibus non item, quia licet in tali determinatione libera voluntas habeat suas partes, tamen primum initium ejus non est ab ipsa, sed ex Deo qui eam præparat, & adjuvat ut se determinet, ut latius suo loco explicabimus.* Et capite ultimo ad quod se refert hoc ipsum ex professo probat, quod videli-

Digitized by Google

cet sit creata voluntas suæ determinationis principium primum, ubi hæc formalia verba habet in §. *Denique*, loquens de voluntate: *Nam ad illam spectat movere alias potentias, nec ipsa potest ab alia moveri.* Et iterum capite 15. eiusdem libri sub finem ait: *Quod creata voluntas ex sola indifferentia libertatis posito auxilio Dei indifferenti actum incheat quando, & qualem vult, & ideò in eam tanquam in radicem proximam hæc determinatio revocatur.* Ecce apertis verbis fatetur esse creatam voluntatem primum movens non motum ab extrinseco movente Deo, & esse primum initium suæ determinationis: licet enim hoc primis verbis relatis cum formidine concesserit, postea tamen id apertiùs confitetur, cujus verba & sensum suo loco aperiemus: modò enim solum referentis officium exerceamus.

His igitur duobus jactis totius suæ doctrinæ fundamentis, & quod liberum arbitrium sanum, & non læsum manserit post peccatum primis parentis; & quod ipsum sit primum suæ determinationis principium, consequenter ascendunt ad negandam omnem aliam efficientiam, seu priorem causalitatem, quæ à creato arbitrio auferat hanc primam suæ determinationis radicem.

Vnde est tertia ipsorum assertio, atque propositio: *Deus opera nostra bona moralia, quæ à cooperatione libera nostri arbitrij, & non à solo concursu Dei generali pendent, ut existant, vult in primis voluntate conditionata, si & nos pro nostra libertate ea velimus, eo pacto, quo vult omnes homines salvos fieri, si & ipsi velint.* Ita prædictus Molina supradicto lib. Concord. quæst. 14. art. 13. disput. 33. §. *Nonum est.* Et eadem Concord. quæst. 19. art. 6. disp 2. postquam proposuit, quandam esse absolutam Dei voluntatem de aliquo fiendo independenter à creata hominis voluntate, quod ejus lædit libertatem, statim subdit hæc verba: *Altero modo dicitur Deus velle aliquid, dependenter quidem ab arbitrio creato, quo liberum est, atque adeo sub conditione, si creatum arbitrium id etiam velit.* Et iterum quæst. 22. §. *Illud etiam*, versu *omnia* ita habet: *Omnia namque, quæ ab arbitrio creato pendent, sub quibus beatitudinem etiam, & merita comprehendimus solum, voluit Deus voluntate conditionata, si scilicet homines, & Angeli id etiam velint.* Confirmat idem P. Suarez prædicto libro opusc. cap. 15. num. 5. ubi sic dicit: *Ita tamen, vt ex vi hujus actus voluntatis suæ non prædeterminet creatam voluntatem ad talem actum, nec illum absolutè velit, sed cum dependentia ejusdem actus à proxima causa, seu voluntate creata, & includendo in se implicitam conditionem, si ipsa consentire voluerit.* Et lib. 2. num. 5. cap. 3. in fine ita dicit: *Nec oportet, ut Deus absoluta, & efficaci voluntate velit nostram voluntatem agere ad hoc, quod ipsa agat, sed satis est, quod eam agere permittat, aut sinat, atque adeo ut velit eam agere non simpliciter, sed subintellecta conditione, si ipsa velit.* Et lib. 1. de scientia absol. futur. conting. cap. 6. §. *Superest.* iterum confirmat voluntatem Dei non esse absolutam omnino, sed conditionem aliquam virtute includere. Conveniunt in his duabus fundamentalibus assertionibus quotquot hanc doctrinam P. Molinæ sequuntur; unde illorum libros, & dicta referre necessarium non putamus.

CAPUT IV.

Quid P. Molina, & alij recentiores contra divinæ voluntatis prædefinitiones dixerint, & constituerint refertur.

QVAMVIS autem idem omnino sint voluntas Dei absoluta, qua vult quod homo benè operetur, & prædefinitio divinæ voluntatis, ut est apertissimum, quod & recentiores fatentur, & nos infra explicabimus: Vnde negata ab his authoribus, prout supra, Dei absoluta voluntate circa nostra opera bona, ex consequenti negata maneat divinæ voluntatis prædefinitio circa opera talia: placet tamen ipsis negare divinæ voluntatis prædefinitionem, sicut & absolutam ejus voluntatem negarunt.

Quare est istorum assertio 4. desumpta ex formalibus verbis Molinæ in Concord. q. 14. a. 13. disp. 53. in principio: [Quidam ut tales Dei præfinitiones ad omnes actus liberi arbitrij non malos inducant, ac tueantur, quæ arbitrij libertatem ad eosdem actus de medio tollunt, scientiam illam mediam, quam disp. præcedenti, & aliis antecedentibus statuimus, atque ex suis principiis deduximus, testimoniisque scripturarum, ac Sanctorum Patrum, imò & scholasticorum corroboravimus, tametsi eo nomine non eam appellent, impugnant, ac totis viribus dissuadere conantur. [*Et disput. eadem* §. Nunc ad id, *iterum ait*]: Nunc ad id unde digressi sumus redeamus, & hanc secundam conficiamus argumentationem ad præfinitiones, quæ confinguntur excludendas. [*Et alibi* 1. *part. ita dicit*:] Si Deus ita prædefinit omnes actus morales non malos arbitrij creati, ut ad eos movere, & determinare statuerit per concursum de se efficacem, sine quo arbitrium non potest illos elicere, & quo posito non potest eos non elicere, manifestè periit arbitrij libertas.] Idem dicit alibi sæpè, præcipuè in Concord. disput. 27. in fine. Confirmat P. Suarez relato opusc. lib. 1. cap. 12. per totum, & cap. 13. probat per illas divinæ voluntatis prædefinitiones tolli libertatem. Et cap. 16. num. 12. sic ait: [Et ut à posteriori incipiam, prædefinitio hæc non est simpliciter antecedens vsum libertatis, quæ supponit præscientiam ejus, saltim ut futuri sub conditione, sine qua præscientia nullo modo intelligi posset talis prædefinitio, nisi includens ordinem ad physicam prædeterminationem voluntatis, quia secluſa illa præscientia non esset aliud medium certum, & infallibile ad prædefinitionem implendam.] Idem tenet eodem lib. opuscul. lib. 3. de auxiliis divinæ gratiæ cap. 13. n. 4. & lib 1. de absoluta scientia futurorum contingentium cap. 6. n. 12. Consentiunt alij hujus doctrinæ defensores. Greg. de Valentia 1. p. q. 22. puncto 5. Gabriel Vasquez 1. p. q. 23. disp. 99. per totam præcipuè cap. 4. §. *sed dicitur*, §. *hac opinio*, cap. 6. in principio, & §. *Hoc facto fundamento*, & *sequentibus*, & cap. 7. Conveniunt omnes alij plurimi quorum aliquos consultò non nominamus, alios autem multiplicare necessarium non putamus, quia notissimum est omnes illos in negandis his divinæ voluntatis præfinitionibus convenire. Tandem Leonardus Lesius in suo alio libro excuso Antuerpiæ anno 1610. has divinas prædefinitiones oppugnat cap. 3. sicut cum humana voluntate oppositas, dicens, quod fundamentum defendentium notionem prædeterminantem est, quod putent Deum omnes actiones, & effectus positivos, qui in mundo à creaturis fiunt, absoluta voluntate prædefinivisse, & decrevisse ab æterno. Et subdit: Hoc capite refutandum est hoc prius fundamentum.

Ex

Digitized by Google

Ex hac autem aliam quintam assertionem inferunt in hunc modum q. 14. art. 13. disput. 37. §. Undecimum: [Naturalis bonitas actus mali moraliter, ac materialis peccati, eatenùs in Deum tanquàm in naturæ authorem, primamque rerum causam reducitur, quatenùs contulit facultatem arbitrij, à qua emanat, peccatore illam inflectente ad id, ad quod collata non est. Et quatenùs non denegat peccatori concursum suum generalem ad eam bonitatem naturalem necessarium, quo etiam peccator ad id abutitur, ad quod ei à naturæ authore non impenditur.] Quod magis declarans q. 19. art. 6. disp. 2. §. *Sit nihilominùs*, dicit: [Quo fit, ut Deus non omnes entitates reales, quæ producuntur in rerum natura, velit esse voluntate absoluta, tametsi ad omnes voluntate absoluta velit concurrere, saltem per concursum generalem, atque ut universalis omnium rerum causa.] In hac fundanda sententia P. Suarez versatur diffusissimè lib. 2. opusc. cap. 2. in quo num. 22. in fine ità concludit: [Concedo ergo loqui Concilium de actu malo secundum se, ut actus est à tali creata voluntate liberè positivéque factus, hunc verò negat posse referri in Deum, ut in primum authorem, & causam propriam, id est ex se determinantem absolutè, & efficaciter suum influxum ad illum, & ideo non sequi excludi generalem concursum, qui de se indifferens est. [Et lib. 2. cap. 3. n. 18. §. Respondetur, sic dicit: [Respondetur concedendo aliquem realem effectum à voluntate creata fieri, quem Deus absoluta voluntate beneplaciti non vult esse. Nec hoc mirum est, quia nec talis voluntas absoluta Dei necessaria est, ut ille effectus fiat, sicut declaratum est, nec ille effectus, prout in re fit, est objectum decens divinam voluntatem.] Item ibi, & cap. 4. ità concludit: [Diximus hanc (prædiffinitionem scilicet) supponentem scientiam mediam non repugnare actibus liberis, etsi prior determinatio repugnet. Nunc ergo addimus, licet hæc prædefinitio non repugnet actibus voluntatis, eo quod liberi sunt, repugnare his actibus malis, quia mali sunt, seu quia malitiam habent necessariò adjunctam.] Consentiunt omnes alij citati Authores 1. part. ubi sup. Immo hæc est illorũ assertio & potissimum illorum fundamentum ad negandas divinas prædefinitiones respectu aliorum actuum bonorum moralium, ut in examine hujus latiùs ostendemus.

Hinc consequenter loquendo aliam sextam universalem assertionem colligunt in hunc modum: *Necessitas ex suppositione antecedente tollit libertatem, necessitas autem ex suppositione consequente non tollit libertatem.* Ad hanc assertionem fundandam totus ille Concordiæ liber ordinatur, & ille alius opusculorũ ab altero conscriptus; immò omnis illorum doctrina hoc tenet, atque defendit: undè P. Franc. Suarez lib. 1. opusc. cap. 3. n. 7. ita ait: [Hoc denique confirmat vulgaris illa, sed non minùs vera, quàm necessaria Anselmi doctrina, qui dixit suppositionem antecedentem tollere libertatem, non autem consequentem.] Et cap. 13. num. 14. iteràm dicit: [Addi etiam hic possunt nonnulla principia, quæ sæpè Patres docent, ex quibus hæc veritas sumitur. Primum est illud supra positum, quod necessitas antecedens, & necessitas simpliciter est repugnans libertati.] Consentit Gabriel Vasquez 1. part. q. 14. art. 13. disp. 64. cap. 4. ubi ita habet: [Secundo notanda est alia doctrina ipsius Anselmi, quam sæpius repetit, & explicat Thomas Waldensis, atque nostro instituto mirificè accommodari potest; videlicet necessitatem illam præcedentẽ pugnare prorsùs cũ libertate &c. At necessitas consequens, ut ijdem docent, non pugnat cum libertate, sed ipsam illæsam omninò relinquit, immò supponit:] In hoc suo fundando principio omnes conveniunt: immò hoc ipsum principium verum esse contendebat ante annos 130. Petrus ille de Rivo, cujus jàm mentionem fecimus sup. & Leonardus Lessius in suo libro de efficaci gratia excuso Antuerpiæ anno 1610. idem omninò tenet, & fundare procurat in cit. cap 3 §. *Tertio quia quando suppositio*, & §. *Quando necessitas suppositionis*, & §. *Secundò quando suppositio*, & §. *Tertiò quando suppositio*, cujus nec verba referre oportet, quia ejus sententia expressa est, quod in solis tribus casibus suppositio, seu necessitas suppositionis non tollit libertatem. Primò quando suppositio est in nostra potestate. Secundò quando suppositio pendet aliquo modo ab eo quod est in nostra potestate. Tertiò quando suppositio supponit aliquid, quod aliquo modo à nostra libertate dependet; quæ omnes suppositiones, ut est manifestum aliquo modo consequentes sunt nostram voluntatem, à qua pendere dicuntur. Undè sentit apertè, quod suppositio antecedens libertatem nostram, ex qua infallibiliter sequitur eam operari, ejus lædit libertatem.

Ex hac aliam septimam concludunt dicentes, quod cùm communiter Doctores affirmant necessitatem in sensu composito non tollere libertatem, intelligunt necessitatem ex suppositione consequente non tollere libertatem; cum autem Authores dicunt necessitatem in sensu diviso libertatem auferre, id dicunt, quod necessitas antecedens tollit libertatem: & ità universaliter affirmant, quod, cùm communiter à Doctoribus dicitur, necesse est ut sit id, quod à Deo est præscitum, provisum, prædestinatum & motum, ita quod non potest non esse, id ità est intelligendum, quod videlicet supposito, quod liberum arbitrium prævidetur operaturum, & suppositio quod jam vult & operatur, necesse est quod velit & operetur; & non potest esse quod non velit, aut quod non operetur, quia necessitas est jàm consequens humanam libertatem. Ita Molina, Suarez, Greg. de Valent. Gabriel Vasquez, & omnes alij sæpè. Et quia illorum receptissima, & notissima sententia est, nec in referendis ipsorum testimoniis oportet immorari, quamvis & illa in examine hujus adducamus. Solum Leonardi Lessij, qui hoc anno scripsit, videlicet 1610. verba referam, quæ ita se habent in citato suo lib. cap. 3. §. Secunda Responsio [: Tertiò, inquit, ut necessitas, quæ est in sensu composito non tollat libertatem, requiritur, ut id quod componitur cum mea voluntate sit in potestate voluntatis, ut sunt actus voluntatis, vel aliquo modo pendeat ab eo, quod est in potestate voluntatis, vel aliquid suppona. quod à tali pendeat, sicut dictum est de suppositione.] Itaque necessitatem admittunt cum actu voluntatis, suppositio, quod voluntas vult, & cum præscientia, quæ supponit voluntatis actum, asserentes quod postquam homo vult, non potest non velle in sensu composito, & postquam Deus præscivit me dictaturum, non possum non dictare in sensu composito, bene tamen absolutè possum non dictare, quia potui non dictare; quod si fecissem sicut potui, nec præscientia præsciret me dictaturum. Et hoc modo tantùm admittunt distinctionem de sensu diviso, & composito.

CAPUT V.

Quid P. Molina, & alij Recentiores de divina futurorum contingentium præscientia senserint exponitur.

CIRCA divinam præscientiam respectu omnium futurorum contingentium, & humanarum nostrarum operationum sic philosophantur prædicti authores consequenter ad sua principia. Quia enim di-

Digitized by Google

vinæ voluntatis absolutam efficaciam, & prædefinitiones comparatione nostrarum humanarum operationum negant, à qua efficaci, & absoluta voluntate habeant, quod sint certò futuræ, dicentes velle Deum illas esse sub conditione, si nempe humana voluntas illas elicere voluerit; imaginati sunt ad certitudinem fundandam harum operationum, quandam esse scientiam in Deo futurorum sub conditione, qua Deus certò sciat quid liberum arbitrium acturum est ex innata sua libertate si in tali, vel tali occasione, & rerum ordine constituatur. Quam scientiam, sicut refugium unicum ad omnia sua dicta componenda, & concilianda tradidit illis priùs libellus ille de ratione studiorum supra relatus; quamque magis explicantes Lectores ex Societate Lovanij publicarunt anno supra relato 1587. Eandem etiam tradidit Fonseca 6. Metaph. q. 6. sect. 8. nec illius ipse primus fuit inventor, quantumvis de hoc citato loco glorietur, quia antiquiorem multò esse quæ infra in hac materia dicenda sunt clariùs ostendent. Sed diffusiùs Ludovicus Molina in Concord. q. 14. art. 13. disp. 50. aliàs 52. §. *Triplicem*; cujus verba, licet aliquantò longiora oportet referre, quia ad hanc suam scientiam ut ad sacellum in omnibus confugiunt: sic ergo habet citatis nunc locis. [Triplicem scientiam oportet distinguamus in Deo, nisi periculosè in conciliandâ libertate cum divina præscientia allucinari velimus; alteram merè naturalem, quæ proindè nulla ratione potuit esse aliter in Deo, per quam omnia ea cognovit, ad quæ divina potentia, sive immediatè, sive interventu causarum secundarum sese extendit, tùm quoad naturas singulorum, & complexiones eorum necessarias, tùm etiam quoad contingentes, non quidem quod futuræ essent, vel non essent determinatè, sed quod indifferenter esse, & non esse possint, quod eis necessariò competit, atque adeò sub scientiam Dei naturalem etiam cadit. Alteram merè liberam, qua Deus post liberum actum suæ voluntatis absque hypothesi, & conditione aliqua cognovit absolutè, & determinatè ex complexionibus contingentibus, quænam reipsa essent futuræ, quæ non item. Tertiam denique mediam scientiam, qua ex altissima, & inscrutabili comprehensione cujusque liberi arbitrij in sua essentia intuitus est, quid pro sua innata libertate, si in hoc, vel illo, vel etiam infinitis rerum ordinibus collocaretur, acturum esset, cùm tamen posset, si vellet, facere reipsa oppositum.]

Insuper in defensionem hujus mediæ scientiæ quatuor integras disputationes consumit, videlicet 50. 51. 52. & 53. in quibus passim hujus mediæ scientiæ sermonem facit. In haç defendenda scientia media jurarunt omnes hujus doctrinæ defensores. Gabriel Vasquez 1. p. q. 14. art. 13. disp. 67. cap. 2. in principio ita de illa dicit: [Deinde cum multa in materia de prædestinatione, & gratia, quæ juxta doctrinam Patrum necessariò dicenda sunt, ex scientia sub conditione sequantur, eam utilissimam, & verissimam esse; vero namque verum semper consonat.] Et disp. 98. cap. 6. num. 36. ita ait: [Quare non solùm cognoscit Deus scientia visionis quid hic homo facturus est postquàm ipsum decrevit vocare, verùm etiam quid esset facturus si vocaretur, antequàm nostro modo intelligendi decernat ipsum vocatione illa prævenire.] Et post pauca: [Scientiam verò eventuum sub conditione futurorum Deo convenire satis monstravimus supra] Et eodem loco numero 39. hæc verba addit: [Hinc sequitur, necessariam esse in Deo scientiam conditionalium veritatum, ut dicatur majorem gratiam, majus beneficium, & donum conferre, cum vocat aliquem tali peculiari modo, quo facit ipsum consentire.] Et tandem disp. 99. n. 44. post multas laudes hujus scientiæ, ita concludit: *Hac eadem scientia sub conditione, quæ providentiæ divinæ sternit viam, ut illæsa nostra libertate opera nostra dicernat, ducitur etiam divina voluntas, ut in tempore cum nostra voluntate eadem suavitate concurrat, ne illi ullo modo noceat.* Hactenùs hic Author. Consentit Gregorius de Valentia 1. p. 4. q. 14. art. 13. puncto § q. 1. sic dicens: *Tria tamen sunt hic observanda. Primum est, hanc scientiam, quam quibusdam positis dicemus Deum habere de futuris eventibus, etiam ut non existunt in aliquâ differentia temporis, non esse nominandam scientiam visionis, sed scientiam simplicis intelligentiæ.* Et in §. *Secundum*, ait: *Secundum est non habere Deum hanc scientiam ex vi dispositionis causarum contingentium.* Potissimus autem hujus mediæ scientiæ defensore est P. Franciscus Suarez, qui postquàm illam tradidit in sua Metaphysica disp. 30. sect. 10. ut Philosophi, & Metaphysici hâc in primis imbiberentur, posteà Theologis perfectioribus eam consignavit 3. p. disp. 5. Sed in libris opusculorum illam ità passim fundat, atque defendit, ut etiam in ipsius defensionem integrum condat opusculum, quod de scientia conditionata futurorum contingentium nuncupavit. In quo etiam cap. 4. postquam docuit eam esse necessariam ad divinam providentiam, prædestinationem, gubernationem, vocationem, efficaciam, & ad perseverantiæ donum, ita dicit: *Ac denique ex tota ratione divinæ providentiæ idem concludi potest; nàm revera imperfecto modo procederet Deus, si non præsciret, quid ex omnibus suis ordinationibus, vel permissionibus sit eventurum, donec effectus ut jàm factos prævideret. Alioquin necesse esset illum quasi dubitando, & tentando procedere, præsertim in effectibus causarum liberarum, & motionibus earum, ita quod non posset Deus postquam aliquid permittit aliquid diffinitè statuere, quod indè pendet, nisi priùs veluti expectet, ut videat quid causa secunda efficiat, & sic de alijs.* Unde de hac media scientia in brevi resolutione controversiæ de auxilio efficaci ita in ultimis verbis concludit: [Supererat nonnihil dicendum de scientia illa, quam conditionatam appellant, quoniam ut necessarium fundamentum à nobis supponitur ad declarandam efficaciam, vocationem, & totum dixinæ prædestinationis mysterium, cùm tamen non omnes Catholici illam scientiam in Deo admittant. Sed hujus veritatis demonstratio longiorem postulat disputationem, quam in alio opere copiosè tractatam dedimus. Nunc autem satis est, hanc veritatem ferè esse expressam in scriptura, in qua multas similes veritates contingentes futuras tantùm sub conditione Deus revelavit, quod facere non potuisset, nisi illas certò novisset; nec enim ea quæ revelat Deus incerta esse possunt. Sat etiam nobis sit, quod ferè omnes Patres hanc scientiam Deo attribuunt, multaque ex illa operari docent. Sed denique sit, quod cùm majoris sit perfectionis, Deo neganda non est, & qui eam in Deo negaverint, probare tenentur eam esse impossibilem, aut imperfectionem involuere; quod cum facere nequeant, ut facilè ostendi posset illorum argumenta solvendo, relinquitur apud omnes de Deo & de fide rectè sentientes indubitatum esse, Deum hac scientia non carere.]

Ille etiam liber Episcopi Ferdinandi Martinez Mascharennas editus anno 1605. cujus supra mentionem fecimus, inter multa alia, quibus non rectè procedit, in pag. 145. contendit, necessariam esse in Deo scientiam illam mediam, seu conditionatam. Et pag. 177. dicit; *Scientiam illam ab his tantùm negari, qui nec divinas litteras aptè interpretantur, nec doctrinam Patrum perspectam habent.* At Eugubinus ille Paulus Benius in tractatu suo Patavij impresso 1603. cujus & supra mentionem fecimus, à pag. 67. usque ad 69. illam mediam scientiam impugnat, nec illa utitur,

Digitized by Google

tur, cùm tamen prævenientem Dei gratiam ex Deo ipso efficacem neget. Cujus etiam dicendi modus contra efficacem Dei gratiam infrà suo loco commodiùs expugnabitur.

Posteà sub annò 1610. Leonardus Lessius in suo libro, cujus supra mentio facta est, hanc mediam scientiam defendit cap. 19. dicens, in Deo verè esse præscientiam conditionatam, qua certò norit, quid voluntas creata, posita quavis hypothesi illam aliquo modo excitante, esset volitura, & factura: [Dico (inquit) posita quavis hypothesi, quæ voluntatem aliquomodo excitet ad opus, sive mediatè, sive immediatè; quia non loquimur hìc de hypothesi prorsus extranea, quæ nullam cum opere habet connexionem, nec ullo modo hominem moveat.] Hæc ille. Sed quod est advertendum, hanc mediam scientiam, seu præscientiam conditionatam ipse posteà non admittit pro prædestinatione necessariam, sed absque illa, & sine divinis prædefinitionibus prædestinationem constituit secundùm absolutam præscientiam, de quo infra dicemus.

Omitto plurima, quæ defensores Molinæ Romæ, dùm causa de divina gratia contra ipsos ageretur, in defensionem hujus scientiæ, quæ totius suæ doctrinæ est fundamentum protulerunt, tùm variis scriptis, tùm disputationibus tribus de hac media scientia habitis coram fœl. rec. Clemente VIII. quibus & nos divina adjuvante gratia satis respondimus, efficaciter ostendentes impossibilitatem hujus mediæ scientiæ, seu præscientiæ, utpotè divinæ causalitati, & gratiæ *inimicæ*, per quam non defendi, sed destrui liberum arbitrium etiam monstrabimus. Quod fiet suo loco, cùm scilicet ad hujus examen fuerit perventum.

CAPUT VI.

Quid P. Molina, alijque Recentiores circa divinam humanarum operationum præscientiam constituerint elucidatur.

QUIA admissa semel in Deo media illa scientia relata futurorum sub conditione, qua Deus certò cognoscat ante suæ voluntatis absolutum decretum, quid liberum creatum arbitrium pro sua innata libertate acturum est, si in tali rerum ordine constituatur, inseparabiliter alia præscientia absoluta dimanat, qua Deus liberum arbitrium jàm in tali ordine rerum constitutum intueatur, & videat ex sua innata libertate se ad id determinaturum, & illud in particulari operaturum; ideò prædicti Authores ex illa sua media scientia futurorum sub conditione aliam præscientiam futurorum absolutorum inferunt in hunc modum.

Non quia prævidit Deus liberum arbitrium cooperaturum, ideò cooperaturum est, sed quia cooperaturum est, ideò vidit Deus cooperaturum: sic dicit P. Molina prædicto libro Concord. q. 14. art. 13. disp. 12. §. *Est autem*: [Neque enim, quia Deus prævidit illum cum eis auxiliis liberè cooperaturum actum credendi, accessumve per eum ad Christum, ideò adultus eum actum est cooperaturus, sed è contrario, quia ita illum pro sua libertate est cooperaturus, cùm pro sua libertate possit in eum non influere, ad Christumque non accedere, Deus altitudine & eminentia sui intellectus, supra id quod rerum contingentia libertasque ad utrumlibet habet, id prævidit, ut suo loco in sequentibus ostendemus.] Et iterum, §. *Sciscitabitur* ex disp. 52. supra cap. præcedenti relata idipsum confirmat; & §. *Ex dictis*. Et disp. 51. §. *In quo ergo*, in impressione Antuerpiæ. Olisiponæ autem sunt istæ disput. 49. & 50. in ordine. Consentit P. Franciscus Suarez in illo opusc. lib. 1. cap. 13. n. 15. cujus, & verba sunt: [Secundum principium est in superiori fundatum, quod præscientia Dei ideò non tollit libertatem, quia non est suppositio antecedens, sed consequens secundum ordinem rationis in nunc æternitatis, quod aliis verbis dicunt multi ex Patribus; quia non ideò actus liberi arbitrij futurus est, quia Deus præscivit illum futurum, sed è converso ideò Deus præscivit, quia futurus est.] Et lib. 1. de absol. scientia fut. conting. cap. 3. n. 7. iterùm dicit: [Atque ad hoc confirmandum valent testimonia Patrum dicentium, futura non esse futura, quia præsciuntur, sed potiùs præsciri, quia futura sunt.] Consentit item 1. part. cit. q. 14. puncto 5. §. *Insinuarunt*, ita dicens: [Insinuarunt etiam hanc eandem rationem D. Chrysostom. homil. 60. in Matth. & D. Hieronymus cap. 2. Ezech. & in cap. 26. Hieremiæ, & alij Patres, cùm dicunt: non ideò aliquid evenire, quia Deus illud eventurum præscivit, sed ideò Deum præsciviisse, quia eveniet.] Similiter Gabriel Vasquez 1 part. cit. q. 14. art. 13. disput. 68. cap. 6. ita affirmat: *Verùm communi doctrina Patrum, & ratione benè perspecta, res hæc extra controversiam esset, si animus indaganda veritati potiùs quàm contentioni esset intentus. Sunt enim in primis præclara quædam testimonia Patrum, quibus docentur, ideò rem aliquam à Deo præsciri, quia futura est, non è contrà.* Conveniunt & omnes alij hujus doctrinæ defensores in suis libris, & scriptis; undè qui ultimò scripsit P. Leonardus Lessius in citato jam suo lib. capite 3. sub finem sic ait: *Est etiam contra communem sententiam Patrum, qui ut ostenderent divinam providentiam non adferre necessitatem actibus humanis, dicere solent; non ideò actiones humanas esse futuras, quod sint præscitæ à Deo, sed contra ideò à Deo præsciri, quia futuræ sunt.*

Hinc ultimam aliam circa Dei præscientiam respectu nostrarum humanarum operationum colligunt in hunc modum. Tollitur libertas arbitrij, si dicamus res priùs fuisse in æternitate, quàm in tempore extiterint, & Deus certò eas cognoscere ut suæ æternitati præsentes. Ita Molina in Concord. Olisiponæ quidem disp. 47. Antuerpiæ verò disp. 49. cujus & verba sunt: [Quod autem liberi arbitrij nostri, rerumque contingentia omninò tollatur, si quis asserat, ex eo quod æternitas sit tota simul, priùs res in ea, quàm in tempore existere, ita ut omnia, quæ in tempore sunt futura, jàm hoc temporis puncto in eo ex æternitate sint extra suas causas secundùm veras existentias in æternitate, idque tanta firmitate, ut ex ea radice Deus certò cognoscat ea, quæ in tempore sunt contingenter futura, facilè ostendi potest.] Consentit Gabriel Vasquez in Comment. sup. 1. part. q. 14. art. 13. disp. 64. per aliquot capita. Similiter P. Suarez in sua Metaph. disp. 30. sect. 15. n. 32. & expressiùs in opusc. lib. de absol. scient. fut. conting. cap. 7. per numeros plures. Accedit Gregorius de Valentia in Comment. sup. 1. p. q. 14. art. 13. puncto 5. ubi satis diffusè negat coëxistentiam rerum futurarum nobis in æternitate. Ultimò Leonardus Lessius in illo suo libro citato idem omninò tenet; sic enim habet cap. 20. pag. 235. *Hoc modo intelligenda est D. Thomæ sententia de præscientia æternitatis, nimirùm ut non sit præscientia coëxistentiæ, sed objectiva, quæ non minùs est in futuris ex hypothesi, quàm in absolutè futuris, etsi non eodem prorsus modo. Hæc ratio cognoscendi non differt reipsa ab ea, qua dicimus, Deum ex vi infinitæ sui luminis cognoscere hæc futura in seipsis secundum suum esse determinatum, quod haberent posita hypothesi extra suas causas; hoc enim est illi præsens objectivè ab æterno.* Hæc ille.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Quid P. Molina, & alij Recentiores circa divinam providentiam ſtabiliverint, & aſſeruerint; refertur.

CIRCA divinam providentiam alia affirmant prædicti Authores, in quibus à communi, & antiqua doctrina recedentes, particularem ſuæ Societatis doctrinam tuentur, atque defendunt, quam ſequentes propoſitiones manifeſtant.

Sit ergo in ordine undecima ipſorum Aſſertio, quam habet P. Molina in ſua Concord. q.22.art.1.diſp.2.§. *Alterum*, ſub his verbis: [Alterum eſt (ſive ordo divinæ providentiæ ad primariam, ſive ſecundariam intentionem ſpectet) ſemper effectum omnem, qui à libero arbitrio creato aliquomodo pendet, poſſe reipſa evenire, ac non evenire, ac proindè ordinem cauſarum, ac mediorum, qui à divina providentia conſtitutus eſt, nullam omninò neceſſitatem libero arbitrio affert. Quod intelligendum eſt non ſolùm de neceſſitate conſequentis, ſed etiam conſequentiæ.] Hactenùs ille loco cit. Et poſt pauca magis ſe declarans, ait: [Si namque loquamur ſolùm de ordine ipſo cauſarum, & mediorum divinæ providentiæ conſtitutorum, ſublatâ præſcientia, quod futura ſint, quæ nullo modo eſt cauſa rerum, ut q.14. art.8. & 13. latè oſtenſum eſt, utique effectus nec neceſſitatem conſequentis, nec conſequentiæ habent comparatione illius, nullumque omninò abſurdum ſequitur, ſi illis ità exiſtentibus eveniret contrarium ejus, quod reipſa eventurum eſt. Si verò loquamur de præſcientia, contrahunt quidem neceſſitatem comparatione illius; at id non tollit, quominùs effectus reipſa poſſit aliter evenire, quandoquidem ut art. 13. cit. oſtenſum eſt, non quia Deus præſcivit effectum ità eventurum, eveniet, ſed quia ita eſt eventurus, cùm poſſit non evenire, Deus altitudine, ac perfectione ſui intellectus præſcivit effectum eventurum.] Et in §. *Quando*, immediatè ſequenti ita ſubdit: [Quando ergo D.Thomas, & Boëtius locis citatis, ac quidam alij affirmant, ordinem divinæ providentiæ eſſe certum, immobilem, & indiſſolubilem quoad effectus aſſecutionem, ordinemque illum appellant fatum (qua ratione Boëtius, & plerique alij aſſerunt, tantam certitudinem eſſe in fato illo modo ſumpto quoad eventum effectus, quanta eſt in divina providentia, differreque fatum à divina providentia, quòd divina providentia ſit ordo cauſarum & mediorum in finem mente, ac voluntate divina præſcriptus ac conſtitutus, formaliterque in ea exiſtens, fatum verò ſit executio ordinis, qui mente ac voluntate divina præſcriptus ac conſtitutus eſt:) quando inquam hæc ità affirmant, ſi divina providentia ea præcisè ratione ſpectetur, qua ratio ſeu conceptio eſt ordinis mediorum in finem cum propoſito talem ordinem, quantum eſt ex parte Dei, exequendi, in quo ratio divinæ providentiæ eſt poſita, ſecludaturque divina præſcientia, qua quid indè per liberum arbitrium creatum ſit, aut non ſit eventurum cognovit, quæ non tàm ad providentiam, quàm ad perfectionem providentiæ ſpectat; planè non ſolum falſum affirmant, ſed etiam id aſſerunt, quod non dubitarem errorem in fide appellare.] Idem diffusè defendit P.Vaſquez 1. part. q.14. diſp.68. & 69. & q.22. diſp.87. cap.4. cujus verba, quia longiora ſunt omittuntur, ſed non illa, quæ ad hoc propoſitum habet Gregorius de Valentia p.part.q.22.puncto 3.§. *Caput*, ubi inquit: [Caput illorum argumentorum eſt, quod ità ſunt certi hujuſmodi actus divini, ut tamen habuerit Deus ab æterno in illis quendam reſpectum ad cauſam ſecundam, ex qua proventurus eſſet effectus, ac proindè voluerit eum eſſe nonniſi juxta modum, & conditionem ſecundæ cauſæ, à qua etiam eſſet futurus, ut docet optimè D.Thom. hic art.4. & quæſt. ſequenti art.6. & alij multi Theologi, qui rectè ſentiunt, non prædeſtinari à Deo cauſas liberas, ſeu contingentes ad ſuos effectus, itàut Deus antè omnem reſpectum ad illarum actualem concurſum prædeſtinaret earum effectus, ſed ſimùl ab æterno prævidiſſe concurſum ejuſmodi cauſarum, & eum eis concurrere ſtatuiſſe.] Idem latè proſequitur P. Suarez in opuſc. potiſſimè lib.2.cap.7. ubi per totum nihil aliud intendit, quàm quod divina prædefinitio non antecedat providentiam Dei, & quod ad illius perfectionem nō pertineat. Undè n.15. ita concludit: [Igitur de certitudine, & infallibilitate divinæ providentiæ ſimpliciter loquendo, nec dubitari poteſt, nec ex dictis ſequitur aliqua dubitandi ratio, quia certitudo & infallibilitas ad intellectum pertinet. Oſtendimus autem Deum cum perfectiſſima providentia omnibus providere, ſemperque vel ordinare, vel permittere, aut velle ut aliquid fiat hoc, vel illo modo infallibiliter, ac certiſſimè præſciens an eventurum ſit. Et hoc modo dicit S. Thom. 1. part.q.23. art.6. providentiæ ordinem eſſe infallibilem, quod eſt veriſſimum, loquendo de providentia prout eſt in Deo, & prout illam conſideramus quando de illa ſimpliciter loquimur.] Et proſequitur: [Si autem præſcindamus in providentia voluntatem à præſcientia, & è contrario, nec ex vi ſolius voluntatis erit ſemper certò effectus futurus, niſi præſcientiam adjungas, nec ex vi præſcientiæ erit certitudo de effectu futuro abſolutè, ſed tantùm conditionatè, niſi adjungas voluntatem.] Favent reliqui, qui ex Societate ſcripſerunt de divina providentia.

Undè Leonardus Leſſius, qui ultimò ſcripſit anno 1610. idem dicit cap.4. pag.33. & alibi. Poſtquàm enim negavit ad perfectiſſimam Dei providentiam requiri, ut ſingulæ actiones ſint præfinitæ, & certæ ex vi ordinis, ità ait, ut explicet quomodo habeat Deus omnium perfectiſſimam providentiam, dicens quod hoc ita fit [Quia nihil fit in mundo ab ulla creatura, quin Deus circa illud habeat hos actus: Primò præſcit illud per præſcientiam conditionatam, nempè ex iſta diſpoſitione cauſarum illud futurum ſi permittatur &c. Secundò decernit, vel deſiderat id fieri, vel certè decernit permittere fieri. Tertiò vult præbere concurſum. Quarto prævidet illud præſcientiâ abſolutâ. Quinto habet circa illud actum complacentiæ, vel diſplicentiæ. Sexto ordinat illud ad ſuam gloriam. Si enim eſt actus bonus, ſtatuit remunerare, ſi malus punire. Hinc [inquit] patet, quomodò omnia ſub ejus providentiam cadant in particulari. Hinc tamen nemo colligat omnia per ejus providentiam fieri.] Hactenùs prædictus Author.

Hinc duodecimam Aſſertionem inferunt in hunc modum: Ex his facillimè iſta ſequuntur. Primum eſt, voluntatem divinam exequendi ex parte ſua ordinem præconceptum mediorum ad finem, non comparatione cujuſcumque ordinis, ſeu providentiæ, eſſe voluntatem abſolutam finis, ſed ſæpe eſſe conditionatam, conditione pendente à libero arbitrio, ſi ſcilicet uno, vel altero modo cooperari velit.] Ita P. Molina in Concord. q.22. diſput.2.§. *Ex his.* In qua aſſertione ſicut in fundamento conveniunt & cæteri hujus doctrinæ defenſores, ut relatum eſt ſupra.

Ex hoc itaque aliam conſtituunt aſſertionem in hæc verba: *Quare non omnis ordo divinæ providentiæ eſt certus, immobilis, & inſolubilis quoad effectus conſecutionem.* Ita P. Molina ubi ſup. q.22. §. *Arbitror.* Conſentiunt & cæteri Recentiores, qui illius doctrinam defendunt.

Quarta

Digitized by Google

Quartadecima assertio : [Non videtur necessarium concedere omnes effectus fortuitos divinâ providentiâ esse intentos ; ut enim fortuiti non sint, satis est, si omnes in particulari cum minimùm sint, sint prævisi ; atque à divina providentia ob debitum finem permissi, ut partes videlicet hujus universi accommodatè ad suas naturas agere sinat.] Ità Molina in Concord. q. 22. art. 2. §. *Circa effectus.* Et eadem q. art. 4. §. *Hinc etiam patet*, addit hæc verba : [Hinc etiam patet, interfectiones quibus aliqui interdùm prætex ipsorum spem à grassatoribus interficiuntur, suffocationesque aliorum in fluminibus, & his similia, cum saltem à peccato primorum parentum, tanquàm pœnæ ex illo subsequutæ pendeant, nec futuræ essent si peccatum illud non præcessisset, certitudine divinæ præscientiæ circa illud ipsum peccatum certas, eaque sublata non esse certos ejusmodi effectus. Imò verò nec dicendum est, eos à providentia divina fuisse intentos ut ità evenirent, aut nexum causarum ex quibus proficiscuntur præparatum, quod tamen nonnulli Doctores non satis considerate affirmare solent.] Quid simile publicarunt Recentiores Lovanij ante annum unum quo P. Molina hæc in Hispania divulgavit. Refert enim Academia illa insignis Lovaniensis in quadam censura contra has novitates, illos sic legisse, & publicasse Lovanij: *Indignum videlicet videri Deo, si antè prævisionem secundarum causarum de rebus etiam minimis disponat, atque præordinet.* Verum tamen est in hac assertione non ita alios ex Recentioribus convenire, ut Gregorium de Valentia 1. part. q. 14. art. 13. disp. 67. & quæst. 22. D. Cardin. Bellarmin. lib. 5. de amiss. grat. cap. 20. §. *Vt donum justitiæ :* hi enim authores licèt in præcedentibus consentiant assertionibus, quas de Providentia notavimus, imò in aliis anteà relatis ; hanc tamen non defendunt.

CAPUT VIII.

P. Molinæ, & aliorum Recentiorum de divina prædestinatione sententia proponitur.

Circa divinum autem prædestinationis mysterium multa, illaque gravissima sunt quæ ab his Authoribus publicè defenduntur, quorum tamen præcipua capita recensemus, incipiendo ab intelligentia Apostoli in Epistola ad Romanos cap. 9. Sunt enim ex ipsis multi, qui valdè sinistrè illud Apostoli capitulum interpretantur, illud trahentes contra Apostoli intentionem & mentem ad sua placita suadenda, atque defendenda. Etenim P. Gabr. Vasquez 1. p. q. 23. disp. 9. cap. 8. postquàm ex S. P. Augustino, Sanctisque Patribus retulit illud Apostoli (Jacob dilexi, Esau autem odio habui &c.) intelligi de electione unius ad regnum & gloriam, & de reprobatione alterius, statim in §. *Verum*, subdit hæc verba : [Verùm si contextum, & mentem Pauli in eo capite altiùs cõtemplemur, fortassè comperiemus, ibi non agere de spirituali reprobatione Esau, & prædestinatione Jacob, sed de regno & primogenitura temporali, ad quam electus fuit Jacob, rejecto fratre suo Esau, non ex operibus, sed ex sola Dei voluntate vocantis, & dicentis Gen. 25. Major serviet minori.] Hæc ille. Et in suum favorem citat Bartholomæum quendam Camerarium, & Joannem à Bononia. Idem confirmat disp. 89. capite 12. §. *Hæc dixerim.* Huic explicationi favet Pererius disput. 6. super 25. cap. Genes. cujus verba sunt : [Si Paulus ea testimonia accepit in sensu historico, quem habent in suis propriis locis, & secundum quem à propriis Authoribus scripta sunt, videtur dicendum B. Apostolum non esse loquutum de divina electione Jacob quantum ad gratiam, & de prædestinatione ejus ad vitam æternam ; sed quantum ad excellentiam bonorum temporalium ; in quibus prælatus est fratri suo Esau. Si autem Paulus citavit illa loca scripturæ loquens de divina dilectione & electione Jacob, atque odio & reprobatione Esau quantum ad vitam æternam ; videtur dicendum, ea testimonia Paulum non citasse secundùm litteralem & historicum sensum ; sed mysticum & allegoricum.] Et in fine his verbis concludit : *Ergo (ut in summa dicam ; quod fusiùs hic disputavi) utrumvis licet probabiliter opinari, aut Paulum citasse testimonia illa scripturæ de Jacob, & Esau secundùm litteralem & historicum sensum, aut etiam secundùm mysticum & allegoricum, Et item loquutum fuisse de electione Jacob, & reprobatione Esau quantùm ad bona solùm temporalia secundùm historicum sensum ; vel secundum mysticum & allegoricum etiam quantùm ad vitam æternam.* Hactenus ille.

Consentit etiam Cardinalis Toletus ; nam suprà prædictum 9. cap. ad Rom. annot. 21. sic dicit : *Omnia enim quæ Paulus in hac collatione, & comparatione narrat ad temporalia pertinent quantùm ad litteram ; ut per ea probet quæ spiritualia sunt.* Et iterum ait : *Attendendum maximè est pro recta & legitima intelligentia hujus loci Pauli, quem in hac Epistola præcipuam habere difficultatem affirmat Hieronymus Epist. ad Hedibiam q. 10. duo hæc testimonia, nempè (major serviet minori) & (Esau odio habui ; Jacob dilexi) ad litteram intelligenda esse de temporali hæreditate Abrahæ, quæ non Esau & ejus posteritati, sed Jacob data est ; de servitute etiam temporali, ac bonis hujus sæculi ; in quibus posteritas Jacob posteritati Esau prælata est, atque in hoc sensu loquitur Paulus dicens : Non ex operibus Jacob prælatum Esau fratri majori, nec hunc ab hæreditate exclusum, illum verò admissum ; sed ex Dei voluntate, & electione.* Et paucis interpositis ait : *Dicitur autem Deus odisse Esau, quia ab hæreditate Abrahæ eum expulit, ac solum Jacob in illius semen computavit, majoribusque beneficiis hujus posteritatem affecit, ut constat ex Malach. 1.* Hactenus Eminentissimus D. Cardinalis Toletus, quod ibi expressè probat. Hanc interpretationem intendebat fundare in toto suo libro Ferdinandus ille delas Infantas, cujus suprà mentionem fecimus.

Alia etiam traditur intelligentia illorum verborum à prædictis authoribus, quam & his explicant verbis : In illis ; *Jacob dilexi, Esau autem odio habui, & sequentibus*, Paulus per Jacob non intellexit omnes prædestinatos in singulari, nec reprobos omnes per Esau ; loquitur enim solùm in ordine ad majora dona gratiæ, quæ Deus dedit Jacob & illius posteritati, quæ non sunt data fratri ejus Esau, quia enim ex Jacob nasciturus erat Christus voluit illi Deus & ejus posteritati maxima dilectionis signa ostendere ; quæ non ostendit fratri ejus Esau, ita ut comparatione Jacob & populi Israëlitarum, Esau & Idumæi possint videri odio habiti. Ità explicat novus Concordator ; cujus & verba sunt : *Adde quod Paulus cap. illo 9. & duobus sequentibus de occultis Dei judiciis circa decursum Ecclesiæ ab Abrahamo usque ad consummationem sæculi disserit, nempe quod Ecclesiam, populumque sibi dilectum in posteris Abrahami per lineam Isaac, & Jacob : non verò per lineam Ismaëlis, & Esau eligeret, quod in adventu Christi maxima pars filiorum Israël, ad quos peculiariter erat missus, corruerit, eorumque loco gentes subintraverint in Ecclesiam, quodque circa consummationem sæculi post vocationem & ingressum gentium in Ecclesiam, Iudæi etiam sint vocandi.* Hactenus ille in Concord. q. 23. art. 4. & §.

Digitized by Google

disput. 11 §. *Vi veri*, vers. *Adde*. Verum est tamen, ipsum q. 23. art 4. & 5. disput. 4. §. *Ad tria*; & §. *Deindè ad primum*, prædictum locum Pauli de reprobis, & prædestinatis aliquo modo intelligere ad hunc sensum; quod dilectio Iacob in hoc sita fuerit, ut ei vellet dare auxilia talia, & multis ex eo descendentibus, cum quibus ipsos præsciebat perventuros in vitam æternam; odium autem circa Esau fuisse, talia auxilia sub tali præscientia voluisse ei denegare, quod alterius negotij est examinare; nunc enim de illius primo dicto tractamus. Consentit Gabriel Vasquez disp. 95. cap. 8. §. *Vt igitur*, ubi postquàm asseruit loca adducta ab Apostolo esse intelligenda ad litteram de bonis temporalibus, sic dicit. [Tertium, nihilominùs agere Paulum eo capite de spirituali electione non quidem Isaac & Iacob, sed populi gentilitij, & de spirituali reprobatione non Ismaëlis & Esau, sed populi Iudaïci, donec intret plenitudo gentium.] Idem affirmat Cardinalis Toletus loco supra citato præcedenti assertione. Refert etiam Academia Lovanienſis sic Recentiores publicasse Lovanij intelligendum esse illum locum Pauli.

Idem postea tenuit Leonardus Lessius in suo citato libro disp. de prædestinatione pag. 353. & sequentibus, sic enim habet: [Patres Græci, & multi Latini ita exponunt illud: Non ex operibus: ut solùm excludantur opera jàm facta, non autem prævisa. Secundò quia illi, qui opera etiam prævisa excludi volunt, ut D. Augustinus & multi alij ipsum sequuti, non interpretantur de electione, vel dilectione absoluta ad gloriam, sed ad gratiam justificationis &c.] Et post pauca: [Alij & meliùs exponunt de electione ad beneficia hujus vitæ partim temporalia, partim spiritualia. Cùm enim Deus elegisset Iacob, & posteritatem ejus, ut ex illis nasceretur Christus, statuit illos singularibus beneficiis prosequi, & disponere ad Christi adventum, idque non intuitu operum, sed ex suo beneplacito. Ex hac dilectione [inquit] processit illa populi intra breve tempus multiplicatio, deindè liberatio ex Ægypto, sustentatio in deserto, legislatio, Sacerdotium, institutio, protectio singularis in mille difficultatibus.] Et multa similia ibi connumerat, inter quæ illa præcipua refert in hæc verba: *Denique ipse Sanctus Sanctorum cum Sanctissima sua Matre, Præcursore, & Apostolorum Choro, qui omnes ex illa stirpe; Esau verò, & ejus posteris non præparavit tàm extrema beneficia.*

Præterea illum alium locum Apostoli 1. ad Timoth. 2. *Qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire*, sic intelligunt & interpretantur, ut ista proferant verba: *Hunc locum: Deus vult omnes homines salvos fieri, ideſt, vult omnes salvos fieri, qui salvi fiunt, non videtur exponere Augustinus secundum intentionem Apostoli.* Ita publicasse Lovanij refert insignis Lovanienſis Academia, similiter & alia Duacensis in censuris quibus prædictas Recentiorum sententias impugnarunt, ut jàm supra retulimus. Et sequenti anno 1588. P. Molina in Concordia q. 19. art 7. disp. 1. §. *Ex his constat*, ita dicit: [Ex his constat in Deo Opt. Max. constituendam esse volitionem, tùm pietate, ac bonitate ipsius dignissimam, tàm libero arbitrio creato, probationique qua ad præmij palmam nos perducere constituebat maximè consentaneam, qua videlicet homines omnes, & angelos, quos condere statuebat, ex æternitate voluerit salvos fieri, sempiternamque vitam, mediaque ad eum finem necessaria eis conferre, sub conditione tamen, si per ipsos, aut primum parentem non staret. Undè cessat objectio, quam sæpiùs Augustinus repetit, quæque in causa fuit, ut testimonium Pauli non de omnibus in universum exponeret, sed ad tres illas expositiones relatas confugeret.] Et quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. *Quod ad Augustinum*, ita loquitur: [Interim verò, dùm sub ea quasi caligine D. Augustinus ad hoc non attendit, arbitratus primo aspectu cum sua de prædestinatione opinione esse conjunctum, Deum non velle omnes universim homines salvos fieri, sed solos prædestinatos in multis suæ doctrinæ locis, ut quæst. 16. art. 6. disput. 1. relatum est, ita illum locum Pauli 1. ad Timoth. 2. interpretatus est, ut de solis prædestinatis intelligeretur. Cæteri tamen Patres, tàm Augustino antiquiores, quàm eo posteriores, Doctoresque Scholastici, communiter eam expositionem non probarunt, ut disput. cit. dictum est.] Eandem omninò expositionem Molinæ sequitur P. Suarez, relictis, imò impugnatis aliis ex S. P. Augustino relatis, in opusc. sæpè; sed ex professo, & magis extensè in Relect. de libertate voluntatis divinæ sect. 2 n. 8. §. *Prior difficultas*, cujus discursus, quia longissimus omittitur, & ad compendium relatus hæc in summa habet. *Quod S. Augustinus, Prosper, Fulgentius, Beda, & Anselmus illum locum ad solos prædestinatos restringunt; quam sententiam nonnulli ex Scholasticis sequuti sunt.* Hæc sunt priora ejus verba. Et statim in §. immediatè sequenti ità dicit: *At enim dicta sententia, in qua hæc responsio fundatur firma non est, neque admodum consentanea illis verbis Pauli 1. ad Timoth. 2. Qui vult omnes homines salvos fieri.* Et quod est advertendum, in eodem §. refert S. Prosperum lib. de vocatione gentium, & in responsione 2. ad objectiones Vincentianas explicare illum locum. *Qui vult omnes homines salvos fieri*, de omnibus in universum hominibus, contra illud quod immediatè ante præmiserat, S. Prosperum restringere illum locum ad solos prædestinatos, quæ apparet manifesta contradictio. Sed illam ad præsens omitto, quia eò tendit intentio ut horum Authorum interpretationem circa prædicta Apostoli verba referamus, & quibus verbis interpretationes S. P. Augustini rejiciant, manifestemus. In hac ipsorum expositione & intelligentia, sicut in suæ doctrinæ fundamento conveniunt omnes alij citati Authores ex Societate, Gregorius de Valentia, Gabr. Vasquez, & reliqui Authores, qui illorum defendunt doctrinam, quos proindè recensere, vel illorum propria verba referre minùs convenit.

Tandem P. Leonardus Lessius citato suo libro pag. 354. & 355. postquàm illum locum ex Apostolo posuit, ità ait: [Hunc locum de omnibus, nemine excepto, intelligendum patet, tùm ex universali locutione Apostoli, tùm ex ejus probatione duplici. Prima est, quia unus est Deus omnium, quo nomine cura, & providentia paterna in omnes signatur. Secunda, quia unus mediator Dei & hominum, qui seipsum dedit redemptionem, & pretium pro multis.] Et post pauca. *Hæc est mens Apostoli.* Et rursus: [Et quamvis S. Augustinus in Enchiridion cap. 103. & alibi interdùm aliter exponat, tamen libro de spiritu & littera cap. 33. hanc expositionem nostram probat. Similiter D. Prosper lib. 1. de vocatione gentium cap. 31. &c. Ubi magis temperata sententia loqui videntur, nec tàm apertè doctrinam S. Augustini rejiciunt, sicut alij relati priores, quia satis experientiâ comprobarunt, non sufferre Sanctam Sedem, quod ità irreverenter de magno defensore gratiæ Augustino, & Pelagianæ hæresis destructore ipsi loquantur. Argumenta autem quibus hanc explicationem contendit esse de Apostoli mente, illa communia sunt & trita, quæ P. Molina priùs proposuit, quæ & solvenda sunt infrà, cùm in libro nostro secundo de hoc fuerit ex professo tractandum.

CAPVT

CAPUT IX.

Quid predicti Authores de efficaci electione ad gloriam asserant, recensetur.

His præjactis universalibus fundamentis, quod videlicet Apost. ad Rom. 9. de dilectione ad gloriam, seu prædestinatione singulorum non loquatur, nec de malorum reprobatione, & quod in alio loco 1. ad Timoth. 2. non intelligatur de solis electis, & prædestinatis, sed quod necessariò de omnibus in universum hominibus debeat intelligi, statim procedunt ad explicandam suam intentionem, & mentem circa electionem efficacem ad gloriam, & electorum prædestinationem, & quomodo talis electio, & prædestinatio in divina voluntate, & mente fuerit à principio ex æternitate sua.

Unde talem subjiciunt assertionem: *Efficax electio ad gloriam non fit ante meritorum prævisionem, imò fit ex præscientia boni usus liberi arbitrij, & gratiæ.* Sic Molina in Concord. q. 23. art. 1. & 2. disput. 2. §. *Præterea*, cujus & verba sunt: [Præterea art. 5. ostendemus, Deum non alia ratione prædestinatos in vitam æternam elegisse, quàm complacendo sibi in mediis, ac fine ipso beatorum prævisis; præcognoscendo enim per quæ media perventuri essent reipsa in vitâ æternâ, & beatitudinem, ipsis, & nonnisi ut per talia media beati evaderent, exoptavit.] Et q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. §. *Multi* ait: [Multi tamen eam sententiam in hoc sensu amplectuntur, ac defendunt, quasi Deus ante ullam præscientiã usus liberi arbitrij, eiã ex hypothesi futuri, atque adeò nulla omninò habita ratione talis usus, elegerit quosdam in particulari ex hominibus, & Angelis, quos voluit, quibus beatitudinem cõferret, & reliquos ab ea excluserit; utrumque verò eo fine, ut in electis bonitas, ac misericordia sua splenderet, & in reliquis sua eniteret justitia vindicativa.] Hæc ille; Et hanc sententiam graviter reprehendit, ut in examine hujus erit referendum. Idem dicit apertiùs in Appendice post Indicem. §. *Tertius*, vers. *undè*, cujus & verba sunt: [Undè, quia Deus non voluit hominibus beatitudinem, nisi tamquam præmium, ad quod, si adulti essent, pervenirent per propria merita, quæ gratiæ ipsius, & meritis Christi post Adæ peccatum niterentur, sanè non priùs absoluta voluntate voluit Deus eis præmium, ad illudque eos elegit, quàm videret, velletque illa media ad illud accommodata, atque adeò quàm per illa media eos prædestinaret.] Et statim §. sequenti, quod incipit. *Certè*, ita ait: *Eligere verò hoc modo idem omninò est, quod prædestinare in Christo, & per Christum; undè sequitur manifestè non esse admittendam electionem ad beatitudinem, quæ prædestinationem antecedat.* Hanc electionem ad gloriam antecedere prædestinationem negat q. 23. art. 1. & 2. disp. 2. §. *Verùm*, concludens sub his verbis: *Fit, ut ratio mediorum ad finem cujuscumque prædestinati, atque adeò id quod prædestinatio cujuscumque dicit ex parte intellectus divini, non sit posterior electione ejusdem ad beatitudinem.* Ex quibus omnibus locis fit manifestum, ipsum sentire, efficacem electionem ad gloriam non fieri antè absolutam prævisionem boni usus arbitrij, & gratiæ, sed per talem absolutam prævisionem. Et eadem disp. 1. cit. memb. 13. §. *Verùm*, ait: *Verùm non arbitramur ità à Deo prædestinationem esse factam, quasi priùs ex his, quos creare decrevit, nulla ratione habita arbitrij cujuscumque, constitueret hos solùm prædestinare in particulari, perducereque in vitam æternam.* Quod latè probat in toto illo memb. 13. modò cit. Consentit Gab. Vasquez, qui diffusissimè hanc doctrinam conatur ostendere 1. part. disp. 89. à cap. 2. usque ad 13. inclusivè. Referam solùm ipsius priora verba ex cap. 2. in principio, ubi postquàm promisit se fundaturum sententiam non paucis, nec indoctis Theologiæ professoribus in Germania, Gallia, & Hispania hoc nostro sæculo probatam sic habet: [Opinio verò duas continet partes, prior est, nullam electionem efficacem ad gloriam ex sola Dei voluntate fuisse, antequã merita præviderentur ex gratia, sed quemlibet ad gloriam electũ fuisse ex meritis prævisis, quæ Dei gratia facturus erat. Posteriot est, ante merita gratiæ prævisa nullum peculiarem affectum dandi gloriam Deum habuisse erga prædestinatos, sed circa omnes etiam reprobos habuisse communem voluntatem simplicem, & antecedentem, qua omnibus vitam æternam, tamquam bravium, & præmium commune æquè proposuit, & desideravit.] Hæc ille. Quam sententiam, ut diximus, diffusissimè nititur suadere. His tamen duobus in hac sententia permanentibus duo alij Doctores inveniuntur contrarij. Primus est D. Cardinalis Bellarminus lib. 2. de gratia, & lib. arbitrio cap. 10. & P. Franc. Suarez lib. 3. opusc. cap. 16. & lib. 1. de essentia prædest. cap. 8. & sequentibus; ubi etiam latè tractat hanc materiam; qui omnes affirmant, electionem præcessisse ad beatitudinem ante formalem prædestinationem, & absolutam prævisionem meritorum, licèt illam electionem efficacem constituant post scientiam mediam, ut in examine dicemus.

Posteà Leonardus Lessius in relato suo libro pag. 251. cum Molina, & Vasquez consentiens, & à Cardinali Bellarmino, Patreque Suarez recedens, ita habet: [Itaque contrariam judicavi semper magis veritati, & pietati consentaneam; nimirùm electionem absolutam, & immediatam ad gloriam non esse factam ante prævisionem perseverantiæ, seu finis in statu gratiæ, sicut nec absoluta reprobatio facta est ante prævisionem finis in statu peccati. Nec singula bona opera esse illo modo cum suis circunstantiis prædefinita. Hæc est [inquit] sententia plurimorum Patrum, & Doctorum, tùm Scholasticorum, tùm recentiorum] Quam multipliciter probare nititur, ut suo loco hanc materiam tractantes dicturi sumus.

Si electio ad certum gradum gloriæ fit ante prævisa merita; igitur omnia justorum opera debent absoluta Dei voluntate esse præordinata, nec poterunt aliter, vel aliud operari, quàm sit à Deo præordinatum, quod est contra libertatem. Hæc assertio sequitur ex præcedenti, illamque multoties affirmat P. Molina in Concord. q. 22. disp. 1. ferè per totam; sed in terminis q. 14. art. 13. disput. 53. memb. 2. §. *Nunc ad id*, cujus verba sunt. [Nunc ad id, undè digressi sumus, redeamus, hancque secundam conficiamus argumentationem ad præfinitiones, quales confinguntur, excludendas. Si ante prædestinationem præcessit electio quorumdam ad beatitudinem voluntate Dei absoluta, & efficaci ante ullam prævisionem meritorum, ususque liberi arbitrij etiam ex hypothesi futuri; itemque rejectio cæterorũ voluntate simpliciter efficaci, prædestinatio verò adultorum posita fuit in prædestinatione conferendi eis auxilia efficacia, quibus ità arbitria eorum determinarentur, ut certò, certitudine proveniente ex qualitate auxiliorum exequerentur opera, in eisque perseverarent, quibus tales adulti ad vitam æternam devenirent; cæteri verò, quibus Deus similia auxilia conferre non statuit, eo ipso extra numerum manserunt prædestinatorum; in primis sequeretur, in facultate arbitrij adulti prædestinati non esse relictum deflectere à beatitudine, nec item à singulis mediis in particulari, per quæ ad illam deveniet, quod non dubito errorem esse in fide.] Hæc ille. Quæ ibi latè laborat ostendere. Consentit Gab. Vasquez citato loco in præcedenti assertione, ubi dicit, stultum esse, absque respectu ad bona opera futura aliquem

Digitized by Google

ad gloriam eligere, & non esse alium modum possibilem eligendi ad gloriam, nisi ex prævisione bonorum operum ex gratia, si semel admittamus (inquit) gloriam de facto dari ex meritis, ut est certissimum. Consentit etiam Leonardus Lessius, ut patet ex testimonio supra relato.

Non est voluntas Patris, ut omnes, quos ipse dat Filio, absolutè salventur, ut patet Joann. 15. ubi dicit Christus, quod ex illis, quos dedit Pater, periit filius perditionis, qui seipsum perdere voluit. Sed voluntas Patris est, ut omnes habeant sufficientia auxilia, & non stet per ipsum, quominus salventur. Ità publicasse, atque defendisse Lovanij prædictos Recentiores refert utraque Academia, & Lovanienses & Duacenses in supra relatis censuris suis. Fuit autem Leonardus Lessius, qui tunc ista Lovanij publicavit.

CAPUT X.

Quod præfati Authores per certitudinem prædestinationis communiter à Theologis assertam, libertatem auferri contenderint.

QUIA prior ratione est electio ad gloriam ex parte divinæ voluntatis, quàm prædestinatio, quæ actus est intellectus divini practici, statim post suam diffinitam sententiam, quam in præcedentibus exposuerunt circa efficacem electionem beatorum ad gloriam, consequenter loquendo, ad formalem prædestinationem devenientes; hæc sunt, quæ de illa tenent & affirmant.

Si dicamus, prædestinationem esse certam ex parte mediorum & auxiliorum, quæ Deus tribuit seclusâ præscientiâ mediâ, per talem positionem tollitur libertas arbitrij, incidimusque in quamplurimos errores. Ita affirmat P. Molina 1. part. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 12. §. *Licèt hactenus*, cujus & verba sunt: [Licèt hactenùs dicta satis superque sint ad nostram firmandam doctrinam, contrariamque evertendam, indè etiam sufficienter falsitatis arguitur, quod si ex sola voluntate Dei æterna ità ex parte sua opitulandi, auxilioque ipso divino certus esset bonus usus arbitrij, quo prædestinatus in vitam perduceretur æternam, confitendum sanè esset ex natura ipsa auxiliorum prævenientis gratiæ provenire, quod efficacia sint, aut non sint: non verò ex libera cooperatione, qua adultus pro suo arbitrio indifferenter potest vel præstare suam cooperationem, influxumve, ac consensum, eâque ratione efficere efficax quodcumque auxilium, vel suspendere suum influxum, cooperationem, ac etiam dissentiri, suaque nequitia & culpa efficere illud inefficax.] Hæc ille. Et post pauca: [Sanè non video quo pacto cum diffinitione Concilij Tridentini sess. 6. cap. 5. & can. 4. consentiat, neque quo pacto explicare, atque ostendere possint salvam arbitrij nostri libertatem,] &c. Idem dicit §. proximè sequenti. *Illud addamus.* Et eadem q. 23. art. 4. & 5. disput. 1. memb. 6. §. *Multi*, præmiserat: [Multi sanè eam sententiam in hoc sensu amplectuntur, atque defendunt, quasi Deus antè ullam præscientiam usus liberi arbitrij etiam in hypothesi futuri, atque adeò nulla omninò habita ratione talis usus, elegerit quosdam in particulari ex hominibus, & angelis quos voluit, quibus beatitudinem conferret, & reliquos ab ea excluserit; utrumque verò eo fine, ut in electis bonitas ac misericordia sua splenderet, & in reliquis sua existeret justitia vindicativa. Tunc verò ulteriùs fuisse progressum ad eos quos elegerit prædestinandos, providendo illis de mediis, quibus eandem beatitudinem assequerentur, atque ad statuendum permittere in eis quæ illos obdurare usque in finem vitæ, ut justè eos puniret, in eisque sua justitia eluceret.] Postquam autem hanc retulit sententiam prosequens adjunxit eodem membro §. *Ex his patet*: [Nec enim miror opinionem illam eo pacto intellectam à multis duram nimis, indignamque divinæ bonitate, & clementia judicari.] Unde & alia verba addit in hunc modum ibi pag. 431. [His ità confutatis, ut ad rem redeamus, salva reverentia quæ D. Thomæ debetur magna, non mirum si communior Scholasticorum sententia, præsertim eo modo intellecta, quo verba D. Thomæ hoc loco adsonare videntur à multis dura nimis, indignaque divinæ bonitate, & clementia judicetur.] Sed & in prologo ejusdem Concord. statim in fronte sic ait: *Cùm primam partem D. Thomæ, quem veluti Scholasticæ Theologiæ solem, ac principem sequi decernimus &c.* Nunc autè in gravissimo prædestinationis mysterio, absque hujus solis lumine novam viam in tenebris ingredi decernit.) Et post pauca in eisdem tenebris perseverans sic ait: [Quæ item æquitas, bonitas, & clementia postulat, ut pro sua tantùm voluntate absque ulla consideratione liberi arbitrij cujusque decreverit, ut ij in particulari essent prædestinati, illi reprobi? Certè id potiùs duri, feri, & crudelis, quàm elementissimi Principis, authorisque totius consolationis, bonitatis, ac pietatis esse videtur.] Et iterùm §. *Est præterea*, sic addit: [Profectò, si quod impugnamus verum est, fictiones potiùs & irrisiones, comparatione eorum qui vitam æternam non consequuntur, videntur istæ invitationes, atque objurgationes, quæ ex persona Dei factæ in scripturis sacris continentur.] Et iterùm ibi: [Denique præterquàm quod hæc sententia occasionem præbet hominibus deponendi animum, ne dicam desperandi, segniùs operandi, obtinendi occasiones, atque sentiendi de Deo non ut oportet in bonitate, eaque de causa minùs animos hominum erga Creatorem diligendum, ac colendum excitare videatur.] Statimque immediatè concludit: [Certè non video quanam ratione patentissima libertas arbitrij nostri, quam experimur, quæque tàm apertè in scripturis sacris traditur, cum divina prædestinatione ità tradita cohærere valeat.] Hæc ille. Sequitur P. Suarez lib. 1. opusc. cap. 16. ubi per totum defendit prædefinitionem actuum non fieri sine scientia media, & quod si datur actus prædefinitio non suppositâ scientiâ mediâ, debet consequenter dari temporalis prædeterminatio physica, quæ hominum libertatem auferat. Et lib. 3. cap. 17. sic habet in principio: [Primò ex opinione quæ negat Deum habere scientiam futurorum contingentium, quæ conditionata dicitur; nàm illâ seclusâ non posset Deus prædefinire actum supernaturalem infallibiliter futurum, nisi omninò efficaciter determinet causam secundam ad illum actum, ità ut resistere non posset, quia aliàs effectus non posset esse omninò infallibilis.] Et num. 4. prosequitur: [Nobis autem neutra via ex his extremis necessaria est, imò suppositâ conditionatâ scientiâ facillimè defendimus, posse Deum intra se, seu voluntate sua, absoluto & efficaci proposito decernere, ut aliquis actus in particulari, & cum talibus circumstantiis fiat in tempore à voluntate humana priùs ratione, quàm præsciat talem actum esse absolutè futurum: imò & priùs ratione in ordine finis, quàm velit applicare media, vel dare auxilia, per quæ talis actus futurus est, quamvis non sine illis, vel aliquo illorum, & hoc est præfinire talem actum conservata libertate.] Hactenùs ille. Longum esset tùm ipsius tùm aliorum referre plurima loca, quibus hoc passim affirmant, & tanquã singulare fundamentũ suæ sententiæ tuentur.

Ratio ordinis mediorum quibus Deus per scientiam naturalem, & mediam inter liberam, & merè naturalem prævidit

Digitized by Google

prævidit creaturam aliquam morte prædicta perventuram in vitam æternam, cum proposito & determinatione divina voluntatis ex parte sua id executioni mandandi, est prædestinatio talis creaturæ. Ita P. Molina in Concord. q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. memb. 11. in principio definit Prædestinationem. Idem repetit eodem membro §. *ut qua hactenùs*, in fine, & alibi sæpè, sed potissimè q. 23. art. 1. & 2. disp. 1. §. *aptiùs*, ubi relatis definitionibus prædestinationis ex S. P. Augustino, & Angelico Doctore S. Thoma, sic ipse concludit: *Aptiùs tamen, ut credo, ita definiri poterit: Prædestinatio est ratio ordinis, seu mediorum in Deo, quibus prævidet creaturam rationalem perducendam in vitam æternam, cum proposito eundem ordinem exequendi.* Idem reipsa dicunt omnes, qui prædestinationem constituunt secundum præscientiam illam conditionatam.

[Nos aiunt, ut ex dictis sæpè in superioribus liquet, dicimus prædestinationem adulti duo includere: Vnum ex parte divini intellectus, nempè rationem mediorum, per quæ Deus prævidet perventurum illum pro sua libertate in vitam æternam, cum possit pro eadem libertate non cooperari, eaque media impedire, ac destruere, & ad vitam æternam non pervenire. Alterum ex parte divinæ voluntatis, propositum scilicet, absolutamque voluntatem eo pacto ex sua parte illi opitulandi, conferendique illi ex sua parte ea media. Sicut autem illud primum, quod se tenet ex parte divini intellectus non habet simpliciter rationem prædestinationis sine hoc secundo, ita hoc secundum, nempe voluntas Dei eo pacto ex sua parte opitulandi, rationem non habet prædestinationis sine præscientia illa quod talis adultus eo pacto ex parte Dei adjutus ita per suum arbitrium cooperabitur, ut illa media existant, quoniam tunc non esset voluntas exequendi rationem ex parte intellectus, quæ vim, & essentiam prædestinationis retineret; eo quod sine ea præscientia non possit esse formalis ratio prædestinationis ex parte divini intellectus; id quod profectò satis esse debebat, ut intelligeretur, effectum prædestinationis adulti certum non esse per comparationem ad voluntatem Dei, ita ex parte sua illi opitulandi, si præscientiam illam secludas]. Ita P. Molina in Concord. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 12. §. si quis hoc. Quam sententiam sequuntur recentiores omnes, qui prædestinationem constituunt secundùm præscientiam illam conditionatam.

CAPUT XI.

Quod predicti recentiores asserant id, per quod ratio prædestinationis completur, imò id quod magis formale est in ipsa, non esse liberum in Deo.

QVIA ergo ex his omnibus quæ Prædestinatio Dei æterna in sua ratione formali includit, solum propositum voluntatis, per quod ultimò completur in ratione prædestinationis liberum est in Deo, ratio verò mediorum, & prævisio, quod eis si concedamur reipsa deveniant in vitam æternam, libera in eo non sunt, sed antecedunt omnem liberum actum divinæ voluntatis; inde est, quod quando Doctores quærunt, utrum prædestinationis detur causa, ratio, aut conditio ex parte prædestinati, cur à Deo prædestinatus sit, id solum controvertere intendunt? An actus voluntatis divinæ, qua prædestinato ea media conferre voluit, quibus in vitam æternam deveniat, detur ex parte arbitrij illius causa, ratio, aut conditio, ob quam vel illi, vel potiùs illi, quàm alteri sint volita. Ita dicit in Concord. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro 11. §. *Et quidem*, vers. *quia propè finem.* Itaque dicit idem P. Molina, aliquid quod formalè est in prædestinatione non esse liberum in Deo, sed necessarium, imò id quod est magis principale in prædestinatione dicit esse necessarium, & non liberum; præmiserat enim in eadem quæst. 23. art. 1. & 2. disp. 2. §. *statuenda est*, hæc verba: *Statuenda est nihilominus hæc Conclusio: Prædestinatio utrumque actum conjunctum significat, præcipuè tamen actum intellectus.* Hæc ille. Consentit P. Vasquez disp. 89. cap. 10. n. 89. sic enim dicit: *Numerus autem prædestinatorum solùm certus est in præscientia; nam certitudo non ipsis rebus, sed earum cognitioni, & scientiæ convenit:* imò in hac omnes recentiores, qui prædestinationem constituunt secundum illam præscientiam unanimiter conveniunt.

Licet adultus prædestinatus certò, hoc est absque ulla Dei deceptione, vitam æternam consequatur, certitudo tamen non est ex parte mediorum, effectusque prædestinationis, sed ex parte divinæ præscientiæ, qua Deus altitudine, illimitataque perfectione sui intellectus supra id quod natura rei habet, certò cognoscit prædestinatum taliter pro sua libertate cooperaturum per suum arbitrium, ut eisdem mediis in vitam æternam reipsa debeat pervenire, cùm tamen, si vellet, posset reipsa ita operari, ut neque ea media, effectusque prædestinationis in rerum natura existant, neque ipse in vitam æternam perveniat. Sic dicit P. Molina in Concord. quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 11. §. *Secunda conclusio.* Et §. *Ex his omnibus*, eodem membro ita adjunxit: *Vt enim explicatum est, in æterna prædestinatione non alia est certitudo, quod prædestinatus sempiternam sit beatitudinem consecuturus, quàm quæ est in divina præscientia, qua Deus certò cognovit eum, cui talia, vel talia auxilia, ac media ex æterna dispositione præparavit, perventurum in vitam æternam, esto, si vellet, posset ad eam non pervenire.* Quod magis explicans eadem disput. & membro §. *Nos*, sic dicit: *Nos ergo collocantes præterea totam certitudinem divinæ prædestinationis, non in decreto, quo Deus, quem prædestinabat, providere statuit de iis mediis, quibus libertate sua perventurum in vitam æternam prævidebat, nec etiam in ratione ipsa providendi, sed in præscientia, qua id prævidebat, ratione cujus tale decretum, ac providentia sortita sunt rationem prædestinationis.* Sequitur Franciscus Suarez in illo opusc. de scientia conditionata citato: nihil enim aliud intendit, nisi quod sine hac præscientia media nulla erit certitudo in mediis, sed quod remanerent in ratione communis providentiæ incerta. Idem dicit. 1. lib. opusc. c. 16. & lib. 3. cap. 17. nam in illam certitudinem illius mediæ præscientiæ reducit totã certitudinem omniũ effectuum prædestinationis. Item in illo c. 7. n. 11. sic dicit: *Circa secundum ordinem actuum probabilius etiã censeo prædefinire Deum in individuo, & in particulari, & cum omnibus circumstantiis omnes actus bonos, & supernaturales, quibus Prædestinati salutem consequuntur.* Et num. 13. sic iterum ait: *Ex his ergo omnibus concludimus, Deum præfiniviſſe omnia supernaturalia opera, qua sunt media, ut electi consequantur gloriam, ad quam electi sunt.* Hæc ibi. Sed lib. 1. opusc. cap. 16. num. 4. præmiserat talem prædefinitionem supponere illam mediam scientiam sub conditione; & in toto illo cap. imò in toto illo libro affirmat sine illa non posse dari similes prædefinitiones. Et eodem lib. 1. cap. 16. num. 8. in fine expressè dicit, quod illud medium sic prædefinitum ex suppositа scientia sub conditione est infallibile, & certum ex illa videlicet præscientia. Vnde concludit quod certitudo prædestinationis in vitam æternam provenit ex illa præscientia media. Idem dicit Gabr. Vasquez Comment. in 1. part. q. 13. disp 89. & 95. nec oportet verba referre. Idem dicit

Digitized by Google

Gregorius de Valentia in comment. super 1.p. q.23. puncto 4. in secunda concluſione, & ipſius probationibus, & ut vno verbo dicam, in hac uniformiter omnes defenſores ſcientiæ mediæ relati ſupra conveniunt; ad hunc finem enim illam introducunt, ut certitudinem prædeſtinationi, & effectibus illius aſſignent, ſiquidem certitudinem ex Dei propoſito, & ex vi mediorum negant.

Martyria & afflictiones ſanctorum, quas patiuntur ab impiis ſunt excellentiſſima remedia ſalutis ipſorum, ergo etiam hæc ante omnem prævisionem erant præordinata, quod eſt falſum, quia Deus non eſt author peccati.

CAPUT XII.

Quod aſſerant ex parte prædeſtinatorum dari prædeſtinationis cauſam, & qualiter eam conſtituant prafati recentiores.

CONSTITVTA ab ipſis formali ratione prædeſtinationis per illam præſcientiam ſub conditione, & divinam liberam voluntatem illam ſequentem, ulteriùs procedunt hi Authores ad declarandum qualiter ex parte noſtra detur, vel non detur illius prædeſtinationis cauſa, unde conſequenter alias aſſertiones conſtituunt in hunc modum.

Licet prædeſtinationis adulti quoad actum voluntatis divinæ, per quem completur ratio prædeſtinationis, nempè quoad propoſitum conferendi illi ea media, quibus Deus altitudine ſui intellectus prævidit, illum pro ſua libertate perventurum in vitam æternam, nec ratio, nec conditio modo explicato detur ex parte prædeſtinati; præſcientia tamen, qua Deus ante eum actum id prævidit ex hypotheſi, quod ex ſua parte conferre illi vellet ea media, datur conditio, & ratio ex parte uſus, ſeu cooperationis liberæ talis prædeſtinati, ſine qua ea ſcientia non præexiſteret in Deo, quod multi non attendunt. Ita expreſsè P. Molina in Concord. quæſt. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. §. Septima Concluſio.

Ex hac aliam infert in hunc modum: *Sumpta in particulari prædeſtinatione cujuſcumque adulti, quæ re ipſa jam ex æternitate fuit in Deo, ſanè ſicut præcedenti concluſione eſt oſtenſum, rationem ſeu conditionem, ſine qua non fuiſſet in Deo prædicta præſcientia, eſſe, quod adultus ipſe pro ſua libertate ita ſit cooperaturus per ſuum arbitrium, ut ad vitam æternam perveniat, ſic etiam ab hoc ipſo, ſimili modo fuit dependens, quod reliquum, quod ea prædeſtinatio includit, vel ſortiretur rationem prædeſtinationis, vel retineret ſolum rationem providentiæ circa illum in beatitudinem.* Ita P. Molina in Concord. quæſt. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. §. octava concluſ. & in §. poſtremo eiuſdem diſput. & membr. ſe magis declarans continuò ſubdit: [Sed quod ij, qui cum maioribus auxiliis prædeſtinati, & ſalvi non fuerint, illi verò cum minoribus prædeſtinati, & ſalvi fuerint, non aliunde fuit, niſi quia illi pro innata libertate noluerunt uti ita ſuo arbitrio, ut ſalutem conſequerentur, hi verò maximè. Ergo, inquit, quod voluntas illa Dei æterna, qua adultis ea media ex ſua parte conferre ſtatuit, quibus in beatitudinem perveniunt, rationem prædeſtinationis habuerit, tanquam à conditione, ſine qua eam rationem non habuiſſet, ex eo fuit dependens, quod adulti ipſi eo modo pro ſua innata libertate uſuri erant, ut ad eam pervenirent, idque Deus altitudine ſui intellectus previderit.] Hactenus ille. Conſentit Gregor. de Valent. 1. part. q.23. punct. 4. cond. 2. & 1.2. quæſt. 3. de divina gratia, punct. 4. §. *Nunc ſit quinta Concluſio:* ubi dicit, quod decretum prædeſtinationis efficax non antecedit ordine rationis omnibus modis præſcientiam actualis cooperationis futuræ prædeſtinati, ſed ſecundum aliquam rationem antecedit, ut ait, præſcientia decretum illud. Accedit, & P. Suarez, qui lib. 3. opuſc. cap. 4. num. 9. explicans naturam vocationis efficacis dicit, ejus efficaciam conſiſtere, non in ipſa vocatione ſeu auxilio, ſed in ipſa prout ſubeſt illi præſcientiæ, qua Deus ſcivit iſtum conſenſurum.

Quod decreta illa divina, rationeſque providendi, vel prædeſtinationis rationem habuerint, aut ſolùm providentiæ circa vitam æternam, dependens fuit tanquam à conditione ſine qua non ex eo quod unuſquiſque pro ſua innata libertate erat facturus, quod Deus ideo altitudine ſui intellectus prævidit futurum, quia pro eorum libertate ita erat futurum, & non è contrario. Ita Molina q.23. art.4. & 5. diſp.1. memb. 11. §. *Denique*, cui conjungit aliam ſimilem: *Angeli relicti ſunt communi providentiæ, ut per liberum arbitrium talis providentia prædeſtinationis rationem haberet.* Ita dicit P. Molina q.23. art.4. & 5. diſp.1. memb. 11. §. *Hinc iam patet, & §. Poſſumus.*

Prædeſtinatio adulti quoad ſuum integrum effectum nullam habet cauſam ex parte ipſius prædeſtinati, ſed tota ea in Dei voluntate miſericorditer prædeſtinantis tanquam in cauſam reducenda eſt. Ita P. Molina in Concord. quæſt. 23. art. 4. & 5. diſput. 1. memb. 11. §. Quarta concluſio. Quod explicans in §. His ita conſtitutis eadem diſp. & memb. dicit, nullam dari cauſam ex parte prædeſtinati, nec conditionem, ut Deus poſtquam habuit illam ſcientiam mediam, qua cognovit hos benè uſuros gratia, & in illa perſeveraturos propter talem prævisum uſum, vellet eos conſtituere in illo ordine rerum, in quo benè operaturi prævidebantur, ſed hoc fuiſſe ex ſola miſericordia prædeſtinantis.

[Punctum prædeſtinationis, abyſſuſque inſcrutabilis divini conſilij in eo ſunt poſita, quod cum Deus infinitas alias providendi non prædeſtinatis rationes noverit, quibus pro eadem ipſorum libertate in vitam deveniſſent æternam, fuiſſentque proinde prædeſtinati; itemque infinitas alias noverit rationes providendi prædeſtinatis, quibus ſua libertate beatitudinem amitterent, fuiſſentque reprobi, pro ſua tantum libera voluntate, & non pro qualitate uſus liberi arbitrij prævisi, ne ut conditione quidem ſine qua non; eum providendi modum utriſque elegerit; per quem prævidit illos in vitam æternam pro ſua libertate non perventuros, hos deventuros eſſe, atque adeò illos futuros reprobos, hos verò prædeſtinatos exiſtere, neutris interim uſſam injuriam irrogando.] Quod magis explicans eadem diſp. 1. memb. 13. §. *Quod verò*, ſic dicit: *Quod verò de eis eum ordinem rerum, circumſtantiarum, & auxiliorum quo quidam ſolùm in particulari fuerunt reipſa prædeſtinati, reliqui verò minimè, potiùs elegerit, quàm quemcumque alium ex infinitis, in quibus prævidebat rem longè aliter eventuram, atque adeo quod eligendo eum ordinem voluerit his in particulari, &c. Nulla profectò fuit tam ex parte eorum, qui prædeſtinati, quàm ex parte eorum, qui non prædeſtinati fuerunt cauſa, aut ratio, quæ eos ita diſcreverit, ac impares fecerit, ſed id totum in liberam Dei voluntatem referendum eſt.* Et ſtatim paucis interpoſitis: *Quare autem, cùm tantam prævideret hominum, & Angelorum multitudinem ipſorummet, aut primi parentis libertate perituram, id ita voluerit; exclamandum eſt cum Paulo, O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ eius. Et ex hoc capite ſpectata hominum prædeſtinatio meritò in ſcripturis ſanctis dicitur fuiſſe ſecundùm propoſitum, & liberam electionem Dei, qui quos voluit elegit.*

Digitized by Google

git, & hos potiùs, quàm illos prædicto modo prædestinavit, meritò etiam, qui ita electi, & prædestinati sunt. Idem dicit P. Suarez lib. 3. opusc. c. 17. §. *Addendum.*

Trigesima secunda illorum asserrio, quam quidam sub his verbis constituunt: [Atque hinc præterea intelligi potest, quæstionem hanc nonnisi de illis prædestinatis moveri, qui communi & ordinario modo prædestinantur, ita videlicet, ut mortaliter etiam peccare possint, ac proinde liberè, non modò libertate contradictionis quoad exercitium bonorum actuum qua nullus prædestinatus careat, sicut nec medio vitæ æternæ, sed etiam libertate contrarietatis, qua possent peccando mortaliter damnari, salutem suam consequentur. De his enim dumtaxat explicare oportet, quomodo in illorum potestate libera sit cum Dei auxilio salutem consequi, quamvis eam consequi nequeant nisi prædestinati sint. Nam alij qui singulari quadam & excellenti ratione prædestinati sunt, ut fuit in primis B. Virgo, & Apostoli, & si qui alij in gratia ita sunt confirmati, ut peccare mortaliter non possent, cum in ea gratia, in qua confirmati sunt, necessario perseverent, & hactenus, non liberè libertate contrarietatis, sed necessario salventur, non opus est quærere, utrum propter aliquod ipsorum meritum liberum prædestinentur, quia ex eo solum, quod Deus vult ipsos necessario fieri salvos, minimè sanè liquet, eos ita singulariter prædestinari sine vllo suo merito. Quæri enim nihilominus posset, an idipsum illi liberè promereantur, ut scilicet beneficio singulari eiusmodi prædestinationis necessariũ sit ipsos salvari.] Ita Gregorius de Valentia 1. p. q. 23. disp. 1. punct. 4. §. secundo versu. *Hinc præterea.* Et post pauca: *Verum de his Prædestinatis, ut dixi, non solet moveri hæc quæstio de causa meritoria prædestinationis, nam cum non oporteat defendere, ab ejusmodi prædestinatis obtineri salutem liberè, nemo magnopere repugnabit, quominus asseratur eos divina prædestinatione sic à Deo præveniri, ut sine ullo ipsorum merito prædestinentur.* Et postea punct. 6. §. *Denique*, ita dicit iterum: *Quod autem nulli omnino ex illo primo ordine liberè salventur, non opinor dixisse Catherinum; siquidem constat secundum legem ordinariam omnes liberè salvari, & nonnisi de quibusdam paucissimis concedere Theologos, quod singulari gratia, & quasi ex privilegio ita divinitus incitantur ad bonum, & in bono conservantur, ut sponte quidem, sed necessariò salvi fiant, qui nimirum confirmantur in gratia.* Sed & hic illud advertimus, verba hæc desumpta esse ex posteriori impressione anni 1608. in præcedenti vero editione hæc tantummodo haberi verba: *Atque hinc præterea intelligi potest, quæstionem hanc nonnisi de illis prædestinatis moveri, qui communi, & ordinario modo prædestinantur, ita videlicet, ut mortaliter etiam peccare possint, ac proinde liberè salutem suam consequantur. De his enim dumtaxat explicare oportet, quomodo in illorum potestate libera sit cum Dei auxilio salutem consequi, quamvis eam consequi nequeant nisi prædestinati sint. Nam alij, qui singulari quadam, & excellenti ratione prædestinati sunt, ut fuit in primis B. Virgo & Apostoli, & si qui alij in gratia ita sunt confirmati, ut peccare mortaliter non possint, cùm in ea gratia, in qua confirmati sunt necessario perseverãt, ac hactenus non liberè, sed necessariò salventur, non opus est quærere, an propter aliquod ipsorum meritum liberum prædestinentur, &c.* Ex quibus constat, illa alia verba (*non modo libertate contradictionis*, usque ad illa, *damnari*) introducta postea fuisse ad aliquo modo moderandam sententiam: unde & antecedentia, & consequentia minus cum illis cohærere videntur; ut explicabimus lib. 2. de hoc expressè agendo.

Advertendum tamen est, splendorem divinæ iustitiæ in damnatis non solùm non fuisse totum, atque integrum finem, ob quem Deus permittere peccata statuerit; sed nec ulla ratione videri concedendum fuisse, vel præcipuam, vel tantam totius finis partem, quæ sola sufficeret, ut Deus vellet peccata permittere. Ita expressè P. Molina in Concord. quæst. 23. art. 3. § *Advertendum*, dicitque ibi: *Absit namque à fidelium cordibus, de totius bonitatis, pietatis, ac clementiæ fonte suspicari.* Et iterum: *Bonitatem tamen ipsius id minimè videtur decere, neque lumen naturæ, quod tanquam participatio quædam increati luminis divini vultus in nobis consignatum est, id docet, quinimo ut quid præ se speciem crudelitatis ferens, miniméque cum divina bonitate consentiens respuit.* Et post pauca. *Licet ergo splendor divinæ iustitiæ à Paulo ad Rom. 9. inter fines, ob quos Deus peccata permittere, reprobareque eos impios voluerit, quos reipsa reprobavit, computetur, non tamen id est finis solus, nec præcipuus, nec sine aliis finibus apud benignum Patrem sufficiens censetur.* Hactenus ille. Idem dicit in §. Quia sequenti. Et q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. §. *Ex his patet*, sic dicit: [Neque enim miror opinionem illam eo pacto pacto intellectam à multis duram nimis, indignamque Dei bonitate, & clementia iudicari; maximè cum quicumque adulti eo ipso quod ex æternitate à Deo prædestinati non fuerint, permanserint reprobati, non solum ut à vita æterna excluderentur, doniisque gratuitis spoliarentur, sed etiam ut æternis acerbissimis cruciatibus manciparentur. Quæ enim, non dicam bonitas, & clementia, sed æquitas patitur, ut nulla omnino ratione usus liberi arbitrij habita, eo vel solo, vel præcipuo fine Deus certos quosdam homines ex æternitate elegerit, & prædestinaverit, reliquos verò penè innumeros non electos, & non prædestinatos reliquerit, sciens continuò eo ipso futuros reprobos, ut haberet quos puniret, & in quibus iustitia sua vindicativa commendaretur. Certè, ait, id potiùs duri, feri, & crudelis, quàm clementissimi patris, authorisque totius consolationis, bonitatis, ac pietatis esse videtur, eaque ratione potiùs obscuraretur divina iustitia, quã commendabilis redderetur.] Hucusque ille. Pater autem Suarez lib. 2. opusc. cap. 5. n. 7. sic dicit: [Si sermo sit de reprobatione positiva, quæ includit absolutam, efficacem, ac positivam Dei voluntatem excludendi aliquem à Regno, neganda est propositio ibi assumpta, scilicet, solam voluntatem Dei sine ulla ratione ex parte hominis esse causam hujus reprobationis, supponitur enim prævisa culpa hominis, & pertinacia, seu duratio in illa usque ad mortem, & propter illam tandem reeprobatur.] Idem Gregorius de Valentia explicatius docet 1. p. q. 23. punct. 3. §. *Nihilominus*, cujus verba sunt: [Nihilominus est secunda à nobis omnino defendenda, quæ asserit, peccata ea, cum quibus reprobus è vita decedit, esse causam meritoriam reprobationis illius, non modo quoad ultimum effectum reprobationis, qui est æterna punitio; hoc enim certum esse debet, sed etiam quoad primum illum effectum, qui est ea permissio, de qua supra diximus.] Similiter Gab. Vasquez 1. p. q. 23. disp. 95. c. 5. n. 24. §. Secundo, loquẽs de reprobatione à Regno, sic dicit: *Secundò si de reprobatione loquamur, quæ prædestinationi opponitur ex parte finis, qua videlicet homo, vel angelus in æterna præscientia excluditur à Regno, habet causam in ipso reprobo, peccata scilicet, in quibus vitam finit. Quare hæc reprobatio non incipit à prima permissione, & negatione gratiæ, sed ab ipsa prædestinatione, qua quis ex peccatis prævisis excluditur à Regno, & æternis cruciatibus mancipatur.* Hactenus ille. Dominus verò Cardinalis Bellarminus lib. 2. de gratia, & lib. arbitrio cap. 16. sic dicit à principio: *Reprobatio, quem Augustinus prædestinationem ad interitum vocat, duos actus comprehendit, alterum negativum, cujus nulla est causa ex parte hominum,*

alterum

Digitized by Google

alterum positivum, cuius causa est peccati originalis, actualisque prævisio. Videndus est eod. cap. §. *Adjecimus*, in §. *Quare idem*, & in §. *Porrò* Omnes hi Authores, licet in aliquo distinguantur, in hoc tamen omnes unanimiter conveniunt, reprobationem à regno positivam non fieri nisi ex prævisione operum, & finalis impœnitentiæ.

Solet Deus peccata Filiorum, & damnationem eorum æternam permittere, ut puniat delicta parentum. Ita P. Molina in Concord. q. 14. art. 13. disp. 34. §. *Illud secundi Regum.*

CAPUT XIII.

Quomodo circa parvulorum prædestinationem Philosophentur prædicti Authores ostenditur.

POSTQUAM prædicti Authores, quæ præmissa sunt de adultorum prædestinatione, & reprobatione fundarunt: de parvulorum prædestinatione, & reprobatione ita ille novus concordator arbitrij in sua concordia concludit q. 23. art. 4. & 5. disp. 9. in principio: [Illud inprimis admonuerim, multum interesse inter prædestinationem eorum qui ante usum rationis è vita decedunt, & eorum qui ad eum perveniunt. Etenim in prædestinatione, & reprobatione parvulorum solum agebatur de gratuitis donis consequendis, aut amittendis, parvuli namquè reprobati in reliquis perindè se habebunt, ac si in solis naturalibus fuissent constituti. Imò post diem judicij, cum ipsorum animæ suis fuerint corporibus restitutæ, ab omnibus molestiis, & ærumnis, quibus in hac vita mortali subjacemus, supernaturaliter liberabuntur, melioremque in naturalibus vitam vitio mentis, & corporis immunem in perpetuas æternitates ducent, quàm ullus unquàm mortalium duxerit. Quia ergo in prædestinandis, aut reprobandis parvulis solùm agebatur de gratuitis donis consequendis, aut amittendis, mirum non est, si quemadmodum per aliena tantùm merita, Christi videlicet servatoris nostri, prædestinantur: ita propter aliena tantùm demerita ad ipsos derivata, nempè propter peccatum, non sua, sed primi parentis voluntate commissum, ad ipsoque naturaliter propagatione transfusum, eisque inhærens reprobentur. Mirum etiam non est, si post innocentiæ statum, nec vitam æternam consequi, nec pœnam damni æternam evadere in eorum potestate collocatum sit, sed utrumque ex cursu universi, & causis potentibus eos, vel antequàm nascantur, vel baptismum suscipiant, interimere; atque ex aliena industria, & voluntate liberè eis applicante, aut non applicante remedium contra originis peccatum, id totum pendeat.] Ità formaliter, & expressè P. Molina ubi supra, cujus verba, licet in prima omnium assertione relata sint, necessarium fuit tamen illa in hoc loco repetere, ut completè de parvulorum reprobatione ageremus.

Ex hac aliam magis hujus prioris explicativam inducit prædictus author sub his verbis in prædicta concord. q. 19. art. 6. disp. 1. §. *Ex dictis constat: quod aliqui parvuli pereant, quibus nec alij, nec ipsi sibimet ipsis subvenire queant, effectus est atque pœna peccati primi parentis, idque non per se, sed per accidens ex ipsa dispositione causarum universi, ac primi parentis casu, præter Dei institutionem, ac voluntatem evenit: ad id quoque interdum confert malitia aliquorum, quæ omnia Deus minimè impedire tenetur.*

Aliam etiam circa parvulorum salutem apponunt hujus tenoris. *Parvuli ex parte Dei habent remedium sufficiens contra peccatum, præsertim in nova lege, nam Christus pro omnibus est mortuus, & pro omnibus instituit Sacramenta in remedium peccatorum, nemine excepto.* Ità legisse prædictos recentiores Lovanij anno 1586. refert Lovaniensis Academia in censura supra relata, qua hujusmodi constrgentem doctrinam cœpit impugnare: ubi & alia ipsorum verba refert in hunc modum: *Iubentur omnes baptizari: ergo Deus, quantum in ipso est vult omnibus dare gratiam baptismi.* Idem refert de ipsis alia gravissima Duacensis Schola illa alia sua censura contra hujusce modi assertiones illorum. Idem postea æquivalentibus omnino verbis dixit Molina in concord. q. 19. cit. art. 6.

Certitudo (inquit) *quod parvuli prædestinati vitam æternam consequentur, non est ex certitudine mediorum, effectusve prædestinationis, qui in se non est certò futurus, sed ex certitudine divinæ præscientiæ, qua Deus altitudine sui intellectus, quod in se est incertum cognovit certò futurum.* Ita P. Molina in concord. q. 23. art. 4 & 5. disp. 1. §. *tertia conclusio.* Et post pauca ita habet: [Secundò, quod parvuli prædestinati salutè per ea media consequantur, per quæ à Deo prædestinati sunt pendet ex eo quod nascantur, nec moriãtur, antequàm remedium contra peccatum originis applicetur, atque ex eo, quod ad usum rationis non perveniant. At seclusâ præscientiâ qua Deus ex altitudine sui intellectus certò cognoscit hæc omnia futura, nihil horum est certum. Undè ità ibi concludit: Quin potiùs nihil impediente divina præscientia, singula secundum se sunt contingentia, poteruntque non evenire, quando quidem potuerunt ejusmodi parvuli non nasci, parentibus, avis, proavis, & cæteris usque ad Adamum non contrahentibus, nec concurrentibus ad generationem, variisque aliis de causis impediri potuit eorum conceptio, & nativitas in uteris maternis; potuerunt etiam mori antequàm remedium contra peccatum applicaretur, orto bello, aut rixa, multisque aliis de causis: potuit item eis remedium contra peccatum non adhiberi, cum liberè fuerit adhibitum &c.] Et alibi ait: [Id undè fuit dependens, quod rationem prædestinationis parvulorum haberet ratio illis providendi voluntasque divina ex sua parte illis conferendi ea media, quibus beantur, & non solùm ipsa libera parentum conjunctio ad generationem; ex quibus prolis conservatio usque ad susceptionem remedij contra peccatum originis pendet, sed etiam libera ipsa ejus remedij applicatio, à quocunque illa fiat.] Consentit. P. Gab. Vazquez disp. 89. n. 86. in 1. part. ubi eandem de parvulis tenet sententiam.

Postquàm supradicta omnia ex relatis Authoribus collegimus, quibus, ut visum est, prædestinationem, & reprobationem cùm adultorum, tùm parvolorum ex illa media scientia, & secundùm illam tradiderunt, novissimè legi librum Leonardi Lessij supra citati, qui prælo mandatus fuit anno 1610. Antverpiæ, in quo ultimo apertiùs se prædicti authores declararunt, & jàm de medio sublata, atque negata scientiâ media pro prædestinationis negotio, sicut minus salvante Dei bonitatem, & justitiam circa prædestinatos, & reprobos: prædestinationem, & reprobationem ipsam, nec secundùm Dei firmum propositum certam statuunt, nec secundum illã priorem tantùm à se defensatam mediam scientiam; sed secundum absolutam prævisionem operum defendunt. Sic enim primò author illius libri proponit pag. 239. præfatione ad lectorem, postquàm præmiserat se traditurum prædestinationis modum, ut animi non perturbentur, sicut ex prædestinatione ab alijs tradita, & explicata scivit plurimos ex animi perturbatione in gravissimos melancholiæ affectus incidisse: *Sunt aliqui* (inquit) *tam fœlici, vel facili ingenio, ut nullæ absolutæ & insuperabiles Dei prædiffinitiones, nullæ prædeterminationes*

Digitized by Google

tiones in voluntatem humanam immisſæ eos commoveant. Et poſt pauca : *Nec deſunt qui dicant, ſe magnam ex hujuſmodi prædiffinitionibus capere conſolationem, malle enim ſe eſſe in manu Dei, quam relinqui in manu conſilij ſui.* Et oppoſitis argumentis, quæ olim (ut inter examen hujus doctrinæ dicemus) in terminis fuerunt objecta, & expugnata, accedens ad impugnandam prædeſtinationem ſecundùm mediam præſcientiam, ita ſubdit : [Alij confugiunt ad præſidium præſcientiæ conditionatæ, ſed etiam ex hac parum, aut nihil ſolatij; hæc enim ad nihil aliud ſervit, quam ut Deus ſumma facilitate ſua decreta poſſit exequi, illæsâ intrinſeca diſpoſitione liberi arbitrij, non ut nos debeamus eſſe ſolliciti, aut poſſimus excidere ab illo, quod ille nobis decrevit, aut conſequi quod ille nobis decrenere nolit. Hæc igitur & ſimilia remedia cum non ſufficiant, ea ratio prædeſtinationis ſtatuenda, quæ ſolidum mentis ſolatium adferat, quæ ſtudium bonorum operum, ſæculi contemptum, & Chriſtianæ perfectionis amorem excitet.]

Rejectis autem his duabus viis, & prædiffinitionum, & ſcientiæ mediæ, quam ipſe ſequatur, oſtendit pag. 251. & ſequentibus, aſſerens Deum nullum prædeſtinatorum elegiſſe ad gloriam abſolutâ, & efficaci voluntate ante abſolutam prævisionem bonorum operum, hoc enim ipſe latè fundat, ac probat uſque ad pag. 352. Hac autem poſitâ negativa ſententia à pagina citata & deinceps, modum quo prædeſtinatio fit ſic ſtatuit, dicens 2. quod.

Deus omnibus decrevit dare ſufficientia auxilia, tum ut ad fidem accedant, & credant, tum ut juſtificentur, tum etiam ut in bono uſque ad finem vitæ perſeverent, quibus ſi ipſi pro ſua innata libertate uti voluerint, credent, juſtificabuntur, & in bono finaliter perſeverabunt, & Deus à prævisione abſoluta horum bonorum operum eis dabit gloriam. E contra autem, qui eis malè uſi fuerint, nec in bono perſeveraverint, ſimiliter Deus ex prævisione illorum malorum opetum, ſub quibus vitam finierint, eos ad æternam mortem damnabit. Hæc in ſubſtantia prædeſtinatio eſt quam ipſe ſtatuit, per quam ſolatium magnum mentibus ſe præſtare dicit, & quietem, & omnem difficultatem in materia prædeſtinationis auferre.

Aſſerit tertiò id, quod ex præcedenti ejus dicto manifeſtè conſequitur quod videlicet, Deus non ſtatuit abſoluto decreto ante prævisionem operum, aut ſtatus finalis, qui ſunt ſalvandi, aut damnandi. Hæc enim illius verba ſunt pag. 365. in quarta aſſertione. Et pag. 373. §. *Sextò patet* : *Numerus* (prædeſtinatorum ſcilicet) *non eſt certus ex vi alicujus propoſiti, decreti, electionis, vel prædeſtinationis, quæ omnem præſcientiam futurorum eventuum antecedat.* Et loquitur ſemper de præſcientia abſoluta; nam illa media, ſive conditionata (ut diximus) in hoc prædeſtinationis negotio abipſo, ſicut & prædiffinitio reprobatur. Et ſubdit : *Nec ideirco eſt iſte numerus per accidens, & præter intentionem Dei, quia Deus revera illum intendit, quamvis hac intentio non fiat abſoluta ante prævisionem finis omnium hominum, & mundi conſummationis. Nulli enim numero ante illam prævisionem Deus ita eſt addictus, quin gratiſſimum ei ſit, ut plures ad ſalutem adducantur.*

Unde quartò dicit, omnes juſtificatos ſecundùm modum loquendi Scripturarum eſſe electos, & prædeſtinatos ad gloriam : *Hæc tamen electio, & prædeſtinatio non eſt completa, ſed ut compleatur requirit conditionem ex parte noſtra, quam implere, vel non implere eſt in noſtra poteſtate, ac proinde etiam in noſtra poteſtate eſt efficere, ut prædeſtinatio noſtra compleatur.* Quæ ſunt illius verba. p. 367. §. *Quinto dicimus.*

Loca autem Scripturæ, Teſtimonia ſanctorum, ac rationes quibus hanc doctrinam ſuadet, infra, cum fuerit examinanda, inducentur. Itaque author iſte adeò facilem conſtituit prædeſtinationem, ut eam penitus de medio tollat; ſed & illam, quæ in Fauſto damnata eſt, doctrinam, omni ex parte videtur ſectari, ut conſtare poterit legenti Epiſtolam Proſperi, & Hilarij ad Auguſtinum. Omnia etiam ipſius argumenta eadem ſunt cum illis, quæ ab antiquioribus Auguſtino opponebantur, quæque ab eodem libris citatis A Proſpero item, atque Fulgentio ſolvuntur, ut ſuo loco apertè monſtrabimus. Imo quod magis eſt conſiderandum, authores, cum quibus agimus: quod prædeſtinatio ſit ſecundum præſcientiam abſolutam eſſe Pelagianorum doctrinam ſæpius confeſſi ſunt, à qua ſe differere per illam conditionatam ſcientiam contendebant.

CAPUT XIV.

Quanam circa Chriſti prædeſtinationem aſſerant prædicti recentiores, aperitur.

ANte prædeſtinationē tam hominū quam Chriſti Domini quatenus homo eſt ut ſcilicet eſſe ſimul Filius Dei, atque adeò antequam Deus Incarnationem decerneret, præceſſit in mente divina cognitio omnium univerſim futurorum contingentium, non quidem quâ ea abſolutè futura novit, ſed ex hypotheſi, ſi eum totum ordinem naturæ gratiæ, & unionis hypoſtaticæ condere vellet quem reipſa condere ſtatuit, non verò cognitio peccatorum, qua ea abſolutè & abſque ulla hypotheſi eſſe futura prænoverit. Ita expreſsè P. Molina in concord. q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 8. §. *Hæc nihilominus.* Et quidem quod illa præſcientia præceſſerit Chriſti Domini prædeſtinationem, concedere tenentur qui dicunt illam præſcientiam antecedere omne abſolutum decretum liberū divinę voluntatis, quale fuit Chriſti Domini prędeſtinatio. Videatur P. Suarez lib. 3. opuſc. cap. 17. n. 18 §. quod in hunc modum, & §. ex hoc, & §. addendum.

Illud etiam, quod ad exaltationem, & laudem & honorem Chriſti, ſanctiſſimæque illius Matris expectat, mihi videtur admodum veriſimile ſanctiſſimis eorum duorum animabus, non ſolùm excellentiora dona Deum conferre decreviſſe, ſed etiam eaſdem prævidiſſe melius, quam cæteras pro ſua innata libertate uſuras ſuo arbitrio, eaque ratione in tantam dignitatem potius quam cæteras electas fuiſſe. Ita habet Molina in concord. q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. §. *Illud etiam.*

Chriſtus per ſua merita non fuit cauſa prædeſtinationis noſtræ, quoad integrum illius effectum, quatenùs comprehendit non ſolum dona ſupernaturalia, ſed etiam naturalia, qualia ſunt natum eſſe complexionem ad virtutem propenſam, natum potius eſſe ſub gratia, atque inter Chriſtianos, eoſque bene morigeratos, quam in alio tempore, aut inter improbos educatum. Ita Molina in concord. q. 23. art. 4. & 5. diſp. 2. §. *Sit nihilominus.*

[Chriſtus per ſua merita non fuit cauſa prædeſtinationis noſtræ quoad integrum ſupernaturalem effectum ejuſdem prędeſtinationis, quoniam non fuit cauſa Incarnationis, per quam effectum eſt, ut ipſe ſimul eſſet homo, & Deus.] Et poſt pauca : [Cum ergo inter effectus ſupernaturales noſtræ prædeſtinationis primū locum teneant Chriſti Domini Incarnatio, merita, & paſſio ipſius, à quibus reliqui ſupernaturales effectus originem habuerunt, fit ut Chriſtus per ſua merita integri ſupernaturalis effectus noſtræ prædeſtinationis cauſa non fuerit.] Sic habet Molina in cōcord. diſp. 23. art. 4. & 5. diſp. 2. §. *Tertia concluſio.* Gregorius etiam de Valent. 1. p. q. 23. puncto 4. §. *Sexto certum eſt.* Chriſti Domini merita vocat effectus prædeſtinationis noſtræ. Alij autem vocant Chriſti Incarnationem, Paſſionem medium noſtræ ſalutis.

Chriſti Paſſionem ac Crucem non fuiſſe æterna Dei voluntate

Digitized by Google

luntate præordinatam (dicunt) atque ut tempore suo eveniret, absolutè dispositam, sed ex præscientia tantùm Judaicæ malitiæ prævisam, atque permissam; Deum alioquin, si Christum absolutè crucifigi voluisset, peccati crucifigentium debere esse authorem. Ita refert insignis Lovanienſis Accademia in illo doctissimo tractatu quem edidit de quibusdam recentioribus, qui Lovanij publicè id docuerunt, vulgarunt, & contentiosè defenderunt.

Hæc sunt in summa potiora capita, quæ à recentioribus publicantur, & defenduntur circa divinam prædestinationem, comparatione electorum omnium; nam minutiora alia quæ ex his sequuntur omittimus.

CAPUT XV.

Recensentur quæ circa Dei concursum pro causis naturalis ordinis à prædictis recentioribus asseruntur.

CIRCA Dei concursum naturalem, quo ad extra cum causis secundis ordinis naturalis concurrit in tempore, ut suos proportionatos naturales producant effectus, hæc sunt, quæ communiter à prædictis recentioribus publicantur. Quorum omnium primum fundamentum sic constituunt.

Concursus Dei generalis non est influxus in causam secundam, sed est influxus immediatè cum causa in illius actionem, & effectum. Ita P. Molina, cujus & verba sunt: *Quo fit, concursus Dei generalis non est influxus Dei in causam secundam, quasi illa prius eo mota agat, & producat suum effectum, sed est influxus immediatè cum causa in illius actionem, & effectum.* Ita habet in concord. q. 14. art. 13. disp. 26. §. *dicendum.* Quod latè in prædicta disput. probare contendit. In hoc suo fundamento stabiliendo P. Suarez est totus; Primò enim in Methaph. sect. 22. hoc jecit fundamentum, quo cùm imbiberentur Philosophi, postea in Theologia consequenter loquerentur, & influxum similem in causam pro actionibus supernaturalibus negare non formidarent; quia quantùm ad hoc eadem de utroque in ordine proportionabiliter est ratio, ut ipsemet author fatetur lib. 3. opusc. cap. 3. n. 7. §. *Tertio observandum est.* Item in 1. lib. opusc. cap. 5. n. 6. §. *Atque*, sic dicit: [Atque ex his omnibus quoddam principium colligendum est, ad quod stabiliendum hæc omnia diximus, nimirùm hunc generalem concursum Dei ad actionem voluntatis, seu causæ secundæ quoad hunc proprium & immediatum influxum in ipsum effectum, non esse aliquid distinctum, vel prævium ad actionem causæ secundæ, neque circa causam ipsam versari, ei aliquid conferendo quo ad agendum vel inclinetur amplius, vel confortetur, aut in vi agendi consummetur.] Et iterum ibi: [Hæc actio tota versatur circa effectum ipsius causæ secundæ, nam in illum tendit ut in terminum, cui per eam esse confertur: ergo non versatur circa causam ipsam, nec ei aliquid confert.] Et iterum ibi: [Hic enim concursus nihil voluntati confert, quo ad agendum juvetur, inclinetur, aut confortetur, quia per hanc actionem non constituitur voluntas in actu primo, sed in actu secundo, & ideò supponit in voluntate quidquid ad agendum necessarium est.] Hæc ille. Idem laborat latè probare in cap. 5. 6. & 7. in cap. enim 6. §. *Principio*, sic dicit: [Principio ergo generali ratione causæ secundæ ostendendum à nobis est, voluntatem liberam ad suum actum liberum efficiendum non indigere speciali influxu Dei distincto ab ipso actu, seu actione sua, quo ei aliquid conferatur ad actionem, distinctum etiam ab ejus virtute activa permanente, naturali, vel infusa.] Quod ibi latè probat. Consentiunt unanimiter cæteri recentiores citati, quia hoc pro fundamento habent doctrinæ suæ, undè nec necesse putamus ipsorum plura adhibere testimonia. Pro omnibus sufficiat, quod in libello, quem Reverendissimus P. Generalis Societatis maxima (ut ipse in Prologo dicit) consultatione facta cum præcipuis Doctoribus ex multis Provinciis ad hoc convocatis, Typis Romæ mandavit anno 1586. cujus jam supra mentionem fecimus, hanc assertionem sicut fundamentalem pro doctrina Societatis ipsi constituerunt. Nam inter propositiones D. Thom. ex 1. part decerptas, ad quas defendendas cogi non debent Patres Societatis, hanc sextam sub his verbis constituunt: Secundas causas esse propriè & univocè instrumenta Dei, & cùm operantur Deum in eas primum influere, aut eas movere. Dè qua supra actum est. Sed modò tantùm advertimus, hoc esse commune illorum fundamentum, quod scilicet Deus causas secundas non movet, aut in eas influat.

Ex hac aliam inferunt in hunc modum, Deus non concurrit cum causis secundis duplici concursu, prævio videlicet, & simultaneo. Hæc patet ex prædictis illamque ipse P. Molina affirmat disp. 27. quæ inscribitur: *Appendix ad præcedentem*, quæ addita fuit post primam impressionem Olissiponæ, in editione Antverpiæ, in qua sic incipit: [Post primam hujus concordiæ editionem non defuit qui cùm nostram de hac re doctrinam magna ex parte transcripserit, & ad suum institutum accommodaverit; nonnulla tamen impugnet, atque in his quæ subjungam, à nobis dissentiat. In primis ad omnem universim actionem naturalem, quæ moraliter mala non sit, sive ea sit liberi arbitrij, sive alterius agentis naturalis, duplicem procul dubio concursum, seu influxum Dei generalem constituit. Unum quo immediatè immediatione suppositi influit in actionem, & effectum, verbi gratia, in calefactionem qua ignis calefacit aquam, atque in calorem ipsum, quem in ea inducit, eo quod, ut inquit, Deus ubique sit præsens; alterum verò quo immediatè influit in ipsum agens, illudque applicat ad agendum, ut ignem ad calefaciendum. Ni autem fallor, tot concursus Dei generales influxusque immediatos Dei, præter omnium opinionem multiplicat, ut tales Dei præfinitiones circa actiones non malas invehat, ac defendat, quæ libertati arbitrij non modicum præjudicium inferant: de hac re disput. ultima sermo erit.] Hactenùs ille. Consentit P. Suarez in Methaph. sect. 22. & lib. 2. opusc. locis citandis pro sequenti assertione. Et ut in summa dicam, omnes recentiores duplicem istum concursum non admittunt, quod & pro fundamento suæ sententiæ constituunt, ut in sequenti propositione copiosiùs referemus.

[Deus generali concursu influit ut causa universalis influxu quodam indifferenti ad varias actiones, & effectus; determinatur verò ad species actionum & effectuum à particulari influxu causarum secundarum, qui pro diversitate virtutis cujusque ad agendum diversus est, ut si causa libera sit, in ipsius potestate est ita influere, ut potiùs producatur actio hæc, quam illa, puta velle, quàm nolle, aut ambulare, quam sedere, & hic effectus potiùs quam ille, nempè hoc artefactum, potiùs quam illud, vel etiam suspendere omninò influxum, ne ulla sit actio.] Ita Molina disp. 26. §. *Neuter*; & sæpius in illa disp. dicit, Dei concursum universalem determinari ab influxu causæ secundæ particulari. Et disp. eadem 26. 27. 37. & 39. & super 1. part. disp. 6. 7. & 8. magis declarans indifferentem illum concursum, hæc verba habet: *Concursus generalis Dei est merè naturalis, & ejusdem rationis respectu omnium*

Digitized by Google

rum effectuum naturalium, supernaturalium, bonorum, & malorum, itaut actus ex vi illius concursus non habeat magis, quod sit assensus fidei, aut actus charitatis, quam infidelitatis, & odij Dei, aut fornicationis. Idem dicit q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. b. 11. §. *sextò*, §. *Ad confirmationem*. Hunc indifferentem concursum ubique prædicat P. Suarez lib. 1. opusc. ubi passim affirmat concursum Dei determinari à causa secunda, ex quo planè conficitur, quod ex parte Dei, & prout ab ipso venit, indifferens sit & indeterminatus, præcipuè cap. 12. per totum, sed magis expressè n. 16. ubi sic dicit: [Quocirca, ut voluntas secundum hanc potestatem proximam maneat indifferens ad multos actus, necesse est ut habeat in potestate sua concursum ad omnes illos: ergo huic indifferentiæ repugnat, quod habeat determinatum, & determinatum concursum ad unum solum actum.] Et eodem lib. 1. cap. 15. sic dicit: [His positis, ad primam difficultatem negamus, Deum confuso aliquo modo, aut imperfecto concursum suum offerre voluntati creatæ, eo quod non ad unum tantùm actum, sed indifferentur ad plures illum offert.] Et iterùm ibi: *Offerre autem indifferenter non est offerre confusè.* Et ibid. [Divina enim potentia indifferenter applicata est, & ex vi suæ efficaciæ, & illius voluntatis, per quam est ad concurrendum applicata, æquè posset ad hunc, vel illum actum influere, vel etiam ad nullum, si voluntas creata non influeret. Proxima verò causa, seu voluntas humana suo influxu determinat actionem ad hanc speciem, ad hoc tempus, &c.] Et lib. 2. opusc. cap. 3. n. 11. loquens de concursu pro actibus malis, sic di- [Undè ex vi talis decreti, seu actus suæ voluntatis, Deus non determinat concursum ad actum malum solum, sed indifferenter applicat potentiam suam executivam ad hunc, vel illum actum, ad quem voluntas se se applicuerit.] Et ne aliquis putet, ipsum tantùm pro actibus qui sunt mali hunc indifferentem concursum admittere, non autem pro aliis actibus moraliter bonis, tradiderat priùs regulam in eodem lib. 2. cap. 2. n. 5. & 9. & in lib. 1. cap. 16. potissimè, quod ideò ad actum moraliter malum Deus sic concurrit indifferenter, & non prædeterminando, quia ex vi subordinationis secundæ causæ ad primam in aliis actibus naturalibus & moraliter bonis, non requiritur concursus determinans, sed indifferens. Imò ex hoc, quod ad actum malum concurrat Deus concursu sic indifferenti concludit, quod nullus alius concursus requiritur ad actiones sive alias naturales, sive morales, & graviter impugnat eos qui non dicunt idem de utroque concursu consequenter loquendo. Eundem determinatum concursum Dei negat lib. 1. *de absol. scient. fut. conting.* cap. 6. §. *Atque hinc ulterius*, cum sequentibus. Et denique in hoc indifferenti concursu conveniunt quicumque affirmant concursum primæ causæ ab influxu secundæ causæ determinari. Idem ait Card. Bellarm. lib. 4. de gratia, & lib. arb. cap. 15. §. *Respondeo concursus Dei.*

Concursus Dei generalis est merè naturalis, & ejusdem rationis respectu omnium effectum naturalium, & supernaturalium. Sic author concord. in ipsa disp. 39. aliàs 37. §. *Quod si quis*, cujus & verba sunt: *In primis non puto concursum illum quantum est ex se esse alterius rationis ab eo quo Deus concurrit ad effectus merè naturales, neque ab illo credo habere actus illos quod sint supernaturales, sicut nec id habent ab influxu liberi arbitrij, sed solum habere esse supernaturales ab influxu Dei per gratiam prævenientem.* Alia verba quibus magis explicat istum generalem concursum indifferentem, allata sunt supra præcedenti assertione. Hoc idem toto citato §. semel atque iterùm repetit, & alibi sæpè, quod ob brevitatem omittimus. Patet autem Suarez in lib. 3. opusc. cap. 3. n. 4. §. *Cum hoc*, & §. *Quidem*, & §. *Mihi verò*, Licet probabilius reputet illum concursum pro actionibus supernaturalibus debere appellari supernaturalem, & non idifferentem, tamen omnem hanc diversitatem non in rem ipsam, sed in diversum tantum modum loquendi; qua in re nullam causat diversitatem, conatur refundere, sic enim dicit: [Cùm ergo hoc certum sit, in quibusdam loquendo formulis solet esse quædam ambiguitas, & consequenter sententiarum diversitas, quæ revera nulla erit, si termini explicentur. Quidam enim hujusmodi concursum non appellant speciale auxilium, sed generale. Aliis hoc valde displicet, quia cum sit auxilium gratiæ, necesse est esse speciale. Rursus quidam. nolunt hunc concursum vocare supernaturalem ex se, sed indifferentem, quia ut est à Deo (inquit) idifferens est.] Hæc ille, & multa similia dicit in defensionem ipsorum, qui dicunt hunc concursum esse indifferentem, & ejusdem rationis respectu omnium effectuum tam naturalium, quam supernaturalium.

Quartum quod ex præcedenti est. [Eodem numero concursu Dei generali & particulari liberi arbitrij, quo producitur unus & idem numero actus in genere naturæ posse indifferenter produci actum virtutis moraliter & vitij, seu peccati, ac proinde interdum hec majorem, nec alium concursum Dei requiri, ut producatur actus virtutis moraliter bonus, & ut producatur actus vitij ac peccati.] Ita in terminis habet Molina in concord. disp. 33. alias 32. §. *Quartum*, & in §. *Quintum* subsequenti sic dicit: [Quo fit ut per arbitrij facultatem, generalem Dei concursum non solum ad proprias voluntatis actiones determinent, sed etiam pro illius facultatis innata libertate, vel omninò actionem contineant, vel illum determinent ad volitionem potius quam ad nolitionem ejusdem objecti, & è contrario, & ad volitionem unius objecti potius quam alterius, atque adeò illum determinent, ut opus sit potius virtutis quam vitij, aut è contrario, prout, qui ea facultate sunt præditi, malverint, ea quippe ratione dicitur esse in eis libertas.] Et disp. 29. alias 28. §. *Tertio*, in fine ita concludit: *Si ergo des secundum: ergo concursus Dei generalis tunc impensus non est causa efficax volitionis potius quam nolitionis fornicandi, & & quod potius volitio hujus turpis objecti, quam alterius honesti eliciatur.* Idem dicit in terminis disp. 32. aliàs 31. §. *Legitima*. In hac necesse est convenire omnes, qui Dei concursum ex parte ipsius Dei indifferentem constituunt. Hæc enim per se sequitur ex illa, ut notum est: undè à citandis plurimis abstinemus.

Ex hac alteram inferunt in hunc modum: [Licet autem præstare velit suum generalem concursum indifferentem ex se ut sint vel illa, vel contraria opera bona, ut nos pro nostra libertate maluerimus, atque adeò indifferenter, & esse velit universalis causa quarumvis realium actionum, & effectuum quasi in confuso, quos nos voluerimus, eo quod ita ad nostrum meritum ac libertatem expediat.] P. Franciscus Suarez tamen negare conatur in lib. 1. opusc. cap. 15. n. 3. hanc causalitatem in confuso; sed tamen, quod infallibiliter sequatur ex illo concursu indifferenti, in examine hujus apertiùs ostendemus.

Ex hoc indifferenti concursu omnibus oblato aliam clariorem inferunt in hunc modum: *Ex quo etiam sequitur, ut licet in eodem prorsus momento temporis, & naturæ, Deus & voluntas operari incipiant, tamen*

non Deus operatur, quia voluntas operatur, non è contra. Et hoc est quod aliqui dicunt, voluntatem prius natura operari, quàm Deum, non prioritate instantis in quo, sed à quo. Ità illustrissimus Cardinalis Bellarm. lib. 1. de gratia, & lib. arb. cap. 15. Verùm quod postquam hæc dixit, statim subdit *Respondeo quod Deus non pendet, nec determinatur a voluntate creata, licet operetur quia illa operatur.*

CAPUT XVI.

Alia referuntur ipsorum placita circa concursum Dei pro causis naturalibus.

Deus suo auxilio generali, vel speciali gratuito se habet ut causa partialis. Hoc est potissimum Molinæ fundamentum & sectatorum ipsius, quod & his verbis exponit P. ipse Molina: *Totus effectus, totaque actio totalitate (ut vocant) effectus, & est à Deo, & ab arbitrio nostro tanquàm à duabus partibus unius integræ causæ tam actionis, quàm effectus, non secus ac quando duo agentia movent mobile aliquod, quod neutrum eo influxu quo actu influit illud moveret nisi cooperante alio, unumque illorum agentium magis, ac principaliùs influit, quàm aliud.* Ita P. Molina in Concord. disp. 12. in fine, & disp. 37. aliàs 36. §. *cum autem*, sic iterum dicit: [Quo fit, ut quivis illorum trium actuum sit unica actio, cui suus sit proprius assignandus terminus productus, ut q. 12. art. 2. hujus primæ partis ostensum est, tres nihilominùs habeat partes unius integræ causæ à qua ita emanat totus, ut à singulis etiam partibus particularitate (ut vocant) causæ totus emanet, diverso tamen modo, etenim à Deo influente per solum concursum generalem emanat ut à causa universali, à qua proinde non habet magis, quod sit assensus credendi, aut dolor de peccatis, quàm vel actus oppositus, vel actus cujusvis alterius potentiæ. Ab influxu verò liberi arbitrij una cum notitiis, & cæteris necessariis, à quo quoad substantiam actus producitur habet tamquam à causa particulari, ut quoad substantiam actus sit potiùs assensus fidei, aut dolor de peccatis, quàm aliquis alius diversus actus. A gratia verò præveniente, seu à Deo, vel per illam tamquàm per suum instrumentum unâ cum libero arbitrio influit in eundem actum, habet ut sit actus supernaturalis specie distinctus ab actu purè naturali credendi, aut dolendi de peccatis, quem liberum arbitrium suis solis viribus tunc eliceret, si cum eo non influeret simul gratia præveniens.] Idem repetendo confirmat sæpiùs, potissimè q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. §. *Secundum est.* Ita de divina causalitate philosophatur P. Suarez. Primò quidem in sua Metaphysica disp. 22. sect. 1. n. 23. & postea lib. opusc. cap. 5. n. 19. & clariùs lib. 3. opusc. cap. 4. reputat probabilem hunc Philosophandi modum, quo Deus constituatur partialis causa principalis modo explicato.

Ex his aliam deducunt sic. *Quamvis necesse sit, quod Deus determinationem voluntatis efficiat, tamen ut determinatio sit in potestate voluntatis necesse est Deum ita esse expositum ad cooperandum illi, ut solùm quasi spectetur liberi arbitrij influxus, & simul etiam ponatur in actu secundo influxus Dei, atque hoc modo dicetur ille influxus, vel concursus Dei esse in potestate voluntatis, quia in manu ejus positum est vel facere, ut ille concursus in actu secundo ponatur cooperando, vel non ponatur suspendendo suam cooperationem.* Ità in terminis dicit P. Suarez lib. 1. opusc. cap. ultimo § ultimo.

Prædeterminatio physica voluntati inhærens tollit ejus indifferentiam, & libertatem tam quoad specificationem, quam quoad exercitium. Hoc esse recentiorum unicum fundamentum nullus est qui ignoret, lippis enim, & tonsoribus, ut solet dici, constat hanc physicam prædeterminationem fuisse offensionis lapidem, & petram scandali, ad quam proindè destruendam, omnem suam doctrinam in præcedentibus, & subsequentibus assertionibus ordinant. Hæc eorum assertio ex præsuppositis manifestè deducitur, & in ipsis evidentissimè continetur: imò ut formaliùs loquamur, omnes illæ hujus radicis sunt fructus, hujus causæ effectus, & hujus principij certissimæ conclusiones. Passim P. Molina in concordia hanc physicam prædeterminationem impugnat. Frequenter P. Suarez lib. 1. opusc. imò in omnibus illis libris nihil aliud negat. Consentiunt Gabr. Vazq. & Greg. de Valentia locis cit. D. Cardinalis Toletus, & D. Cardinalis Bellarminus, & alij plures, qui scientiam mediam tuentur, expressè hanc physicam prædeterminationem exhorrent, ad invicem enim pugnant ex diametro scientia media, & physica prædeterminatio, itaut necesse sit alteram illarum stare alterâ destructâ, & penitùs eradicet, ut explicabitur infra.

Si physica prædeterminatio voluntati inhærens est necessaria ut voluntas operetur exvi subordinationis causæ secundæ ad primam, etiam eadem ratione erit necessaria pro actibus malis, & sic physicè Deus prædeterminabit ad peccatum, & culpam, vel si pro actibus peccaminosis non requiritur, nec pro aliis bonis moraliter erit necessaria. Hoc est unum ex fundamentis Recentiorum pro neganda physica prædeterminatione, sicut alterum est in antecedenti assertione expressum, quod videlicet per illam tolleretur hominum libertas. Unde P. Molina in concord. disp. 27. utrumque hoc fundamentum constituit, dum in §. *Sanè* sic dicit: [Adde præmotiones istas & applicationes causarum secundarum ad suas operationes multum præjudicare libertati arbitrij nostri, ut suo loco ostendemus.] Et §. *Sanè* immediate sequenti sic prosequitur: [Sanè quod arbitrium nostrum possit sine illis elicere operationes omnes reales malas, signum manifestum est, causas secundas creatas non pendere essentialiter in suis operationibus à præmotionibus, & applicationibus hujusmodi, sicut pendent à concursu Dei generali per influxum immediatum in actionem, sine quo nullam omnino operationem exercere possunt, quando namque causa aliqua essentialiter pendet ab alia in suis operationibus, nullam omninò operationem exercere potest sine illa.] Hactenùs ille. Idem multoties repetit in concord. Similiter P. Suarez lib. 2. opusc. cap. 2. n. 9. §. *Ultimò*, sic dicit: *Ultimò addendum est Deum non prædeterminare physicè creatam voluntatem ad actus malos efficiendos.* Et statim §. immediatè sequenti. [Primum igitur (ait) hanc prædeterminationem necessariam non esse ad generalem concursum, quem Deus ut prima causa ad hujusmodi actus præstare debet, ex dictis in superiori libro satis (ut existimo) constat. Quo supposito ferè evidens est, non posse Deo attribui illam prædeterminationem, quia Deus, cùm sit summè bonus non adhibet peculiarem curam, aut speciale auxilium, ut fiant mala, sed solùm propter necessarium, & generale munus (ut sic dicam) causæ primæ, suum offert universalem concursum, & libero arbitrio permittit. Solùm ego præbet Deus ad actum peccati illum concursum, qui necessarius est ex vi subjectionis causæ secundæ.] Hæc ille. Tandem Leonardus Lessius in suo citato libello totus insistit in negandis tum divinis & æternis prædeterminationibus, tum predeterminationibus ad extra, quibus

Digitized by Google

quibus Deus voluntates hominum prædeterminet, ductus communibus illis & tritis argumentis, quia videlicet libertas læderetur, causa peccati Deus constitueretur, & sufficientia ad agendum negaretur in voluntate, quæ prædeterminatione careret

CAPUT XVII.

Inducuntur alia ipsorum recentiorum dicta, & assertа circa ea quæ valet homo cum solo concursu generali agere, & operari.

POSTQUAM recentiores divinum concursum non influere in causam secundam, nec in ipsum hominis arbitrium dixerunt, sed immediatè agere in actionem secundæ causæ influxu de se indifferenti, & indeterminato, & à causis secundis determinari: hinc ulteriùs procedunt ad manifestandum opera omnia, quæ liberum arbitrium cum solo illo indifferenti Dei concursu exercere valet, undè & similes propositiones constituunt.

Post Ade peccatum tales vires naturales secundum se manserunt in homine, quales illas essemus habituri si in puris naturalibus ad finem tantum naturalem à principio conditi fuissemus. Hæc fundamentalis est ad extollendas liberi arbitrij vires: illamque statuit Molina in terminis in principio suæ concord. disp. 3. §. tertius status, & §. *Quia ergo genus*, & §. *Porro*, & §. *illud verò in eadem disput.* Concilia autem tùm Arausicanum, tùm Trident. quæ docent hominem per peccatum fuisse spoliatum gratuitis, & vulneratum in naturalibus, loquuntur ait comparatione virium, quas liberum arbitrium habebat in statu innocentiæ ex præscientia justitiæ originalis; non verò comparatione virium, quas habuisset homo si in puris naturalibus esset conditus. Idem confirmat disp. 19 memb. 3. §. tertia, & alibi sæpè. Hæc quia inter omnes fundamentalis est à principio omnium prima constituta fuit, & nunc non sine causa repetitur, ut assertionum ipsorum series ordinetur, & quæ immediatè ex illa sequuntur referantur.

Ex hac aliam infert prædictus author in hunc modum. *Cum solo concursu generali Dei absque alio dono vel auxilio gratiæ potest homo efficere opus bonum morale, quod fini hominis naturali accomodatum, atque comparatione illius sit verè bonum, ac virtutis opus, non tamen quod fini supernaturali sit accommodatum, quodque comparatione illius bonum simpliciter, ac virtutis opus dici queat.* Ita Molina in concord. disp. 5. in principio, quam magis explicans in §. *Verùm*, sic dicit: *Nihilominus cum unaquæque virtus ex suo proprio objecto, atque fine immediato bonitatem moralem sibi propriam vendicet, non verò ex relatione per virtutem superiorem ad finem superiorem, quis non videat necessariam non esse talem relationem, ut actus bonitatem moralem virtutis verbi gratia misericordiæ, aut justitiæ consequatur, sed satis esse, quod virtute ad Deum referatur?* Quod adhuc magis declarans disp. 19. memb. 2. §. *Authores*, sic affirmat: *Authores hujus sententiæ consequenter affirmant nullum esse in singulari opus bonum morale, quod homo naturæ lapsæ cum solo concursu Dei generali non possit efficere, id quod Scotus & Durandus expressè asserunt. Etenim si difficillimum, quale est mortem subire, ne mendacium proferat, Anselmi sententiâ potest præstare, majori cum ratione poterit cætera efficere, in quibus minor longè est difficultas.*

Ex hac aliam inducit sic author concordiæ in disp. 14. memb. 3. §. *Ex his. Ex his jam facilè intelligitur prater velleitatem, qua quis ex dilectionis, & amoris affectu vellet servare mandata omnia, simpliciter tamen, & absolutè id non vult, & prater voluntatem absolutam efficacem, qua ex eodem affectu idem vult, atque opere complet, concedendam esse voluntatem absolutam, & inefficacem, qua ex eodem affectu absolutè idem vult, sed opere postea non complet.* Et statim in alio paragrafo sic dicit: [Duo quædam colligere licet toto hoc membro. Primum est immeritò ex doctrina D. Thomæ art. 3. cit. adversus eundem in 4. loco memb. 1. cit. communemque Scholasticorum sententiam inferri, elici non posse solis viribus naturalibus arbitrij nostri, & concursu generali Dei actum absolutum merè naturalem dilectionis Dei super omnia, qui ad justificationem nequaquam sufficiat, & pari ratione propositum absolutum servandi in genere præcepta omnia præsertim quando occasiones, & difficultates omnes absunt, quod ad attritionem, & contritionem quoad substantiam actus sit sufficiens.] Et in §. *secundum est*, immediatè sequenti, postquàm dixit post peccatum primi parentis mansisse liberum nostrum arbitrium attenuatum ad dilectionem Dei naturalem, quæ includit impletionem naturalem omnium mandatorum, ut nequaquam eâ absque speciali Dei auxilio possit habere, statim quasi quod ædificaverat destruens, sic subdit: [Ex communi tamen Scholasticorum sententia non mansit arbitrium nostrum ita per peccatum inclinatum, atque extenuatum, quin homo naturæ lapsæ possit suis viribus elicere nudum, absolutumque actum placendi Deo in omnibus, servandique mandata omnia naturalia obligantia sub culpa læthali, tametsi & quemlibet alium actum virtutis moralis multò faciliùs, & promptiùs poterat elicere hòmo naturæ integræ, quam modò possit homo naturæ corruptæ.] Ita P. Molina ubi supra.

Ex hac aliam similem infert in hunc modum: [Negari non potest complurium esse Scholasticorum sententiam, liberum nostrum arbitrium cum solo concursu generali Dei posse elicere, non solum actum attritionis naturalem id est dolorem de peccatis ex Dei timore cum proposito non ampliùs peccandi, sed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propositum amplius non peccandi læthaliter includat.] Ita P. Molina disp. 14. statim in principio, quod sæpè alibi repetit.

Ex his aliam similem deducit quæ talis est: [Interim dùm judicium rationis non absorbetur, in arbitrio humano spectato in statu naturæ lapsæ sunt vires sine speciali auxilio Dei ad non consentiendum in quocumque temporis momento cuicumque gravi, vehementiorique tentationi, & ad superandam quamcumque magnam difficultatem, quam pro servanda in eo instanti lege naturæ necesse sit vincere, etiamsi ea de causa mors sit toleranda: eo quod, secluso alio quocumque majori auxilio, in potestate ipsius, tametsi non sine ingenti difficultate, positum est non trensgredi tunc legem.] Ita P. Molina q. 14. art. 13. disp. 19. memb. 1. in principio, & membro 2.

Nec his contentus novus ille concordator aliam doctrinam graviorem proponit his verbis: [Quod itaque disputamus est; utrum propositis, & explicatis iis, quæ credenda sunt, adhibitis insuper argumentis quæ afferri solent, ut homines meritò sibi persuadeant ea esse revelata à Deo, & jussa credi, ac denique accedente externa vocatione ad fidem per concionatores, aliosque Ecclesiæ Ministros; utrum inquam sit in facultate arbitrij cum solo concursu generali Dei; rebus propositis assentiri tanquam à Deo revelatis, actu tamen qui sit merè naturalis, quique ex parte intellectus non sit satis ad justificationem. An verò interna vocatio, mentis illustratio, & attractio per auxilium supernaturale; de quibus disputatione sequenti erit sermo, ità necessaria sint ad assentiendum iis,

Digitized by Google

quæ ad fidem ſpectant, ut non ſolum actu ſupernaturali, qualis ex parte intellectus ad juſtificationem requiritur, eis aſſentiri non poſſimus, ſed nec actu quidem merè naturali aſſenſum ipſis præſtare valeamus. Pars affirmans quæſtionis propoſita ſemper vera mihi viſa fuit cum Doctoribus inferius citandis.] Ita P: Molina in Concord. q. 14. art. 13. diſp. 7. §. *Vt ergò*, & §. *Pars affirmans*, quam multipliciter ibi ſuadere conatur.

Ex hac aliam deducunt in hunc modum: [Ex dictis jam facilè intelligi poterit, quænam ſit neceſſitas conſtituendi habitum fidei ſupernaturalem, eſto homo ex ſuis naturalibus aſſentiri poſſit revelatis actu merè naturali; nec enim, ut 2. 2. q. 6. art. 1. dicebamus ob eam cauſam neceſſariò ponendus eſt, ut intellectus facilè aſſentiatur contra intellectus duritiem, & diſcretè contra intellectus errores, ut Durand. in 2. diſt. 28. quæſt. 1. multique alij affirmant, nec item, ut actus aſſentiendi ſit certus, & firmus certitudine, & firmitate ex parte credentis, ut Sotus 2. de natura & gratia cap. 8. voluit. Hæreticus namque poteſt illo modo firmius aſſentiri, non ſolum articulis fidei, ſed etiam ſuis erroribus, quàm multi fidelium aſſentiantur fide infuſa veritatibus catholicis, ſed ideo neceſſario conſtituendus eſt, quoniam ad illos actus eliciendos, ut fini ſupernaturali ſunt accommodati, & quales ad ſalutem neceſſarij ſunt, requiritur, ut vel per inſpirationem, & auxilium particulare Spiritus ſancti eliciantur, vel per concurſum habitus ſupernaturalis.] Ita Molina in Concord. quæſt. 14. art. 13. diſp. 8. §. ex dictis.

Vt autem nihil deeſſet, quo prædictus author arbitrij vires extolleret, aliam ſententiam proponit his verbis: [Etenim liberum noſtrum arbitrium niſi à Deo, modo præcedenti diſput. explicato, auxilio gratiæ ſuæ præveniatur, & excitetur, non ſolum producere nequit eum actum, ſed etiam quidquid ex naturalibus homo efficiat, ſive ut actu merè naturali revelatis aſſentiatur, ſive ut poſtquam edoctus fuerit ſupernaturalem aſſenſum eſſe ad ſalutem neceſſarium optet ita credere, aut etiam conetur ex dono, & auxilio Dei ſupernaturali aſſentiri, ſive denique auxilium illud ſibi donari petat, aut ad illud recipiendum ſatagat ſe diſponere, ſanè id totum nullius eſt meriti, aut vigoris, ut ei gratia præveniens propter ejuſmodi diſpoſitiones impendatur.] Hactenus P. Molina in Concord. diſp. 9. in principio. Et diſp. 45. §. *Ex his* hoc ipſum magis aſſertivè ſic confirmat: *Ex his patet, hos duos motus gratiæ prævenientis actiones eſſe vitales intellectus, & voluntatis, multumque pendere à libero arbitrio, imò & liberum arbitrium poſſe illos deſiderare, & petere à Deo, & quodammodo ſe aptare, & diſponere, ut iuxta communem curſum, ac ordinem divinæ providentiæ faciliùs ſibi à Deo donentur.* Hactenus ille.

CAPUT XVIII.

Referuntur quæ ab his recentioribus dicta ſunt circa divinæ gratiæ concurſum.

POſtremò circa divinæ gratiæ concurſum, & auxilium, quo Deus cum intellectualibus creaturis ad ſupernaturalia opera elicienda mirabiliter dignatur concurrere, quàm multa ſunt, quæ à præfatis Theologis conſequenter ad ea, quæ de prædeſtinatione dixerunt, publicantur, quæ ad hunc catholorum reducenda videntur.

Quorum iſta eſt fundamentalis: *Quotieſcumque liberum arbitrium ex ſuis naturalibus conatur, præſtovè eſt ad conandum totum id, quod ex ſeſe poteſt, tam circa ea, quæ fides habet addiſcenda, & amplectenda, quàm circa dolorem de peccatis, ac juſtificationem, à Deo conferri gratiam prævenientem, auxiliave, quibus id faciat, quod oportet ad ſalutem, non quidem quaſi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullaque ratione illa promereatur, ſed quoniam id obtinuit nobis Chriſtus ob ſua merita, atque inter leges, quas tam ipſe, quàm Pater æternus ſtatuerunt de auxiliis, & donis, quæ nobis Chriſtus promeruit merè gratis conferendis, una, eaque rationi maximè conſentanea fuit, ut quoties ex noſtris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis eſt, præſto nobis eſſent auxilia gratiæ, quibus ea, ut oportet ad ſalutem, efficeremus, ut ea ratione dum eſſemus in via, ſemper in manu arbitrij noſtri poſita eſſet ſalus noſtra, per noſque ipſos ſtaret, quod ad Deum non converteremur.* Ita habet P. Molina in Concord. q. 14. art. 13. diſp. 10. ſtatim in principio, & diſp. 11. §. *Poſt hanc*, idem confirmat, & iterum diſp. 14. memb. 5. Poſtea verò P. Suarez lib. 3. opuſc. c. 2. n. 6. §. *Non*, ſic dicit: *Non omittam autem hoc loco advertere, quoſdam ſcholaſticos non ignobiles, aut recentiores tantùm, ſed etiam graves, & antiquos docuiſſe poſſe hominem per vires naturæ aliquid efficere, quo primum gratiæ auxilium, ſeu primâ vocationem obtineat, atque ita expoſuiſſe illud: Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam, de illo, qui per vires liberi arbitrij quod in ſe eſt facit. Sed horum Theologorum ſententia piè explicanda eſt, & non ſtatim cum Semipelagianorum errore involvenda; habet enim catholicum ſenſum, quamvis fortaſsè commodius, magiſque ſine occaſione, aut veſtigio ſuſpicionis poſſet aliis verbis declarari. Studuerunt*, inquit, *hi Doctores catholici, ut ſufficientiam, & neceſſitatem gratiæ declararent, invenire modum, quo ſit in poteſtate hominis habere illam, etiam quoad primum auxilium, quia alioqui non appareret quomodo ſit in poteſtate illius ſalutem obtinere, ſi non eſt in poteſtate illius eam inchoare.* Et ſtatim ſubdit in §. *Hinc verò* immediatè ſequenti: [Hinc verò ulterius fit, quod ſi homo habens ſolum naturale lumen rationis ita ſe gereret, ut nullum novum impedimentum gratiæ adhiberet, infallibilitèr opportuno tempore auxilium, vel vocationem gratiæ reciperet, non ex ſuo merito, ſed ex generali illa liberalitate Dei, qua ſtat ad omnium oſtium, & pulſat. In hoc ergo ſenſu dixerunt illi authores: facienti quod in ſe eſt, Deum non denegare gratiam; & clariùs diceretur, non ponenti obicem, & impedimentum per id, quod in ſe facere poteſt, Deum ex ſua liberalitate dare gratiam, quam homo promereri non poteſt.] Hæc ille. Publicarunt quidem Lovanij prædicti authores hanc eandem aſſertionem ſub æquivalentibus verbis dicentes: [Omnes infideles ſemper, & ubique habent ſufficiens auxilium ex parte Dei, ſeu in actu primo. Si enim facerent quod in ipſis eſt, & quantum poſſent ſecundum præſentem diſpoſitionem naturalem, vel ſupernaturalem, quam habent, Deus illuminaret eos, & credere poſſent.] Ita illos legiſſe, & defendiſſe refert Acacemia Lovanienſis, & alia Duacenſis in cenſuris ſuis, quas contra has peregrinas doctrinas ediderunt.

[Quin ſicut unum peccatum permitti ſolet in pœnam alterius peccati, ſic propter eleemoſinas, & alia opera moraliter bona facta ab exiſtente in læthali peccato cõſuevit ſæpè Deus opitulari citius, ac magis uni, quàm alteri, ut à peccato reſurgat, eaque ratione ejuſmodi opera non immeritò appellari conſueverunt diſpoſitiones remotæ ad gratiam. Ita P. Molina in Concord. q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. §. *Illud addendum*, & q. 14. diſp. 34. §. *Quoad primum*, ita dicit: *Quoad primum attinet prima ratio eſt, quoniam motus gratiæ prævenientis ſæpè ſunt admodum debiles, tum propter modicam præparationem, & conatum noſtrũ, & præcedẽtia multa delicta, pravaſque affectiones. Planè ſine ulla intermiſſione ad oſtium cordis ſtat, paratus*

Digitized by Google

ratus semper conatus nostros adjuvare, desideransque ingressum, non tamen sine intermissione pulsat specialibus auxiliis, sed sæpe non solum quando se apta occasio offert, sed etiam quando torpens ac pigrum liberum nostrum prospicit arbitrium. Ita Molina in concord. q. 14. art. 13. disp. 10. in fine §. 1. & immediatè præmiserat: *Profectò hæc omnia apertissimè ostendunt, Deum semper paratum esse ad opitulandum, ac per nos ipsos semper stare, quod ad Deum non convertamur, fidemque & gratiam non consequamur. Apocal. 3. sto ad ostium, & pulso.* Et statim infert verba supradicta: *Planè sine ulla interm:ssione, &c.* Et in præcedenti disp. 9. præmiserat hæc verba: *Etenim, quamvis Deus illam (videlicet gratiam prævenientem) non conferat propter ea quæ antecedunt, sed mere gratis, nihilominus nisi illa antecedant, conferre eam non solet.*

Ex hac aliam similem, & quæ magis explicat priorem inducit in eodem contextu sub his verbis: *At verò arbitrio præsto adest per auxilium gratiæ ja.tem sufficiens ob merita Christi, qui ut verus Redemptor & nobis promeruit, atque obtinuit, eamque legem subveniendi hominibus cum Patre constituit, quod planè satis innuunt multa scripturæ loca: Ioannis enim 1. dicitur; dedit eis potestatem (Christus scilicet suo adventu) Filios Dei fieri. Quod ut Roffensis in art. 36. Lutheri rectè annotavit, intelligendum non est de iis qui per gratiam facti sunt jam Filij, dignitatemque possident, sed de iis qui ad eam nondum pervenerunt. His enim eatenus facta est potestas ut Filij Dei fiant, quatenus si quantum in se est conentur, præsto illis aderit Deus ut fidem, & gratiam consequantur, ne desiderio suo fraudentur: quære earatione in potestate eorum est, ut Filij Dei fiant. Primæ item ad Timoth. 2. vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem Dei venire. Quod si conantibus ex suis naturalibus facientibusque quod in se est, vel ut fidem amplectantur, vel ut de peccatis doleant, Deus non est semper præsto per auxilia & gratiam prævenientem, ut actus sint quales ad salutem oportet, quanam ratione verum erit, Deum velle omnes homines salvos fieri, eaque ratione acceptum coram eo esse, ut obsecrationes, orationes, & postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus fiant, ut eo loco Paulus docet.* Ita P. Molina prædicta disp. 10. §. *Illud etiam.* Similiter & hanc sicut & præcedentem defendere procurarunt Molinæ defensores cotam Sanctissimo ut explicabimus infrà.

Deus voluit dare Christum in Redemptorem pro omnibus nullo excepto: ergo omnibus præparavit sufficientia remedia per Christum. quia hactenùs est Christus omnium Redemptor, quatenùs per ipsum omnibus sufficientia auxilia dantur quibus resurgant à peccatis, si enim non darentur sufficientia, verus non esset eorum Redemptor, quia nec quoad sufficientiam, nec quoad efficaciam Redemptor esset. Ita Lovanij legisse atque publicasse prædictos recentiores refert gravissima illa Lovaniensis Schola in censura sua, cum alia doctissima Academia Duacensi, quæ idem omninò refert in alia sua censura. Quæ etiam referunt eosdem affirmasse, & sub his verbis, quæ sequuntur idipsum aliter probasse: *Tota Scriptura plena est præceptis, & exhortationibus, ut peccatores convertantur ad Deum; at Deus non præcipit impossibilia: ergo dat illis sufficiens auxilium ut possint converti.* Et ne ex peccato originali eis responderetur, quod in pœnam illius saltem Deus aliquibus denegat auxilium sufficiens, tandem hanc aliam propositionem publicarunt: *Deus post prævisum peccatum originale habuit voluntatem dandi Adamo, & toti ejus posteritati sufficientia media contra peccata, & auxilia ad consequendam vitam æternam: ergo dat illis sufficientia auxilia ut possint converti.*

Indurati, & excæcati habent sufficiens auxilium ex parte Dei ut convertantur. Ita publicarunt Lovanij prædicti recentiores, hoc referente doctissima illa Lovaniensi Schola, quam doctrinam amplificavit postea P. Molina in concord. disp. 10. §. *Hanc sententiam*, sic dicens: [Incredibile namque videtur, & indignum Dei clementia asserrere, eum qui ita Mundum dilexit ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat; sic propter multitudinem, & gravitatem criminum alicui dum in hac vita est, atque à participatione meritorũ Christi minimè excl:sus, claus:sse viscera misericordiæ suæ, ut constitueret quidquid talis peccator ex suis naturalibus facere attẽtaret, numquam se opem laturum, ut à peccatis resurgeret. Præterea eo dato, concedendum esset, miserum illum hominem antequam per egressum ex hac vita exclusionem à regno cœlesti, habitu spei supernaturalis (si fidelis esset) unâ cum fide ipsa spoliaretur, carere omni spe vitę ęternę, quod tamen nulla ratione videtur concedendum de homine in via constituto. Item non tantoperè vituperanda esset desperatio Judæ, & blasphemia illa Cain. Gen. 4. major est iniquitas mea, quam ut veniam merear, si aliqua scelera sint, propter quæ Deus in hac vita statuat denegare omne auxiilium, quo homo ad pœnitentiam posset adduci, & veniam consequi.] Hactenùs ille. Idem aliis verbis dicit Gab. Vazquez 1. p. disp. 97. cap. 2. in principio. Consentit Greg. de Valentia 1. 2. q. 3. de divisione gratiæ. Puncto 4. § *Respondeo* Franciscus etiam Suarez idem tenet lib. 3. opusc. cap. 6. in principio, & Card. Bellar. lib. 2. de gratia, & lib. arb. cap. 7. ferè per totum. In idem etiam redit quod dixerunt Lovanij prædicti authores sub his verbis: *Omnia loca Scripturæ, quæ significant esse impossibile quosdam converti, intelligenda sunt, ut impossibile accipiatur pro eo quod est valde difficile.*

CAPUT XIX.

De prævenienti gratia secundum quod ab his recentioribus constituitur.

POstquam prædicti authores fundarunt nemini in hac vita negari auxilium sufficiens supernaturale ad salutem, sed quod omnes illud habent in potestate sua, quia si faciunt quod in se est ex solis naturę viribus, illud de facto semper obtinebũt: ulterius procedunt ad explicandũ quid sit hoc supernaturale auxiliũ gratiæ sufficiens. Illud enim constituũt in sola & pura excitãte gratia, ut sequentes ipsorum assertiones manifestant, Undè sit in ordine sexagesima nona assertio: *Ut peccator possit converti non est necessarium ut recipiat utrumque auxilium prævenies scilicet, & concomitans in actu secundo, sed satis ut accipiat auxilium præveniens in actu secundo, & tunc verè habet auxilium sufficiens ad actualem conversionem.* Sub his verbis legisse, & publicassa Lovanij narrat utraque illa Lovaniensis, & Duacensis schola in citatis censuris suis. Hoc autem auxilium præveniens sufficiens magis explicavit postea P. Molina in concordia dicens.

[Accipe ergo ordinem motuum gratiæ prævenientis, simulque cognosces quinam sint isti motus, & quomodo fiant. Dum homo nondũ ad fidem supernaturaliter interius vocatus, cogitat & expendit res credendas per notitias concionatoris ministerio aut aliundè comparatas, influit Deus in easdem notitias influxu particulari, ac supernaturali, quo cognitionem illam adjuvat, tùm ut res melius & dilucidius expendatur, ac penetretur, tùm etiam ut notitię illę jam limites notitiæ supernaturalis, & ad finem supernaturalem in suo ordine, & gradu accommodatè attingant; influxus verò ille dicitur motus gratiæ prævenientis ad finem supernaturalem; & illuminatio, notitiaque illa, & cognitio effecta jam à Deo supernaturalis per talem influxum, appellatur gratia præveniens ex parte intellectus. Ex cognitione verò & penetratione earum rerum quæ ad fidem spectant, nempè cùm expenditur quam dignæ sint quibus assensus

Digitized by Google

adhibeatur quantumque id expediat, oritur naturaliter in voluntate motus affectionis ad res cognitas, quo allicitur, & quasi invitatur ad imperandum intellectui assensum, quo eis assentiatur. Cum hoc ergo motu quasi se inserit etiam Deus influens in illum per auxilium particulare, illumque illo auxilio quasi acuit, ut magis urgeat, & alliciat, efficiatque illum supernaturalem, ut in suo ordine, & gradu sit etiam ad salutem accommodatus: auxilium itaque particulare quo Deus in illum motum influit appellatur auxilium gratiæ prævenientis, motus verò ille atque affectus voluntatis circa ea, quæ ad fidem spectant quatenùs à Deo supernaturalis efficitur per auxilium illud, dicitur gratia præveniens ad assensum fidei ex parte voluntatis.] Ita P. Molina q. 14. art. 13. disp. 45. §. *Accipe*, & sequentibus. Pater verò Suarez idem omninò dicit lib. 3. opusc. cap. 4. §. *Hinc ergo*, cujus verba sunt. [Hinc ergo Theologi diffiniunt hanc gratiam nihil aliud esse, quam motum aliquem intellectus, vel voluntatis infusum à Deo vel illuminante intellectum, & sanctam aliquam cogitationem in eo operante circa objectum aliquod, vel veritatem ad salutem animæ pertinentem, vel per eam motionem inspirante voluntati, & excitante in illa affectionem aliquam amoris, timoris, aut alterius similis effectus supernaturalis quidem, sed in eo ordine imperfecti & non liberi, sed necessarij, accommodati tamen, ut per eum præparetur voluntas, & paulatim sublevetur ad perfectum & supernaturalem consensum præstandum.] Hactenùs ille. Consentit Gabriel Vasquez 1. part. q. 23. disp. 88. cap. 6 n. 24. §. *Porrò*, sic enim dicit: [Porrò ad gratiam prævenientem pertinere motum voluntatis nec deliberatum, & testimonia Patrum, & ratio demonstrat.] Sequitur Greg. de Valentia disp. 8. prima 2. q. 3. de diuisione gratiæ puncto 3. §. *Nam*, sic enim dicit: [Nam gratiam vocantem, seu excitantem appellant Theologi divinas quasdam inspirationes, seu motus quosdam divinitùs in mente hominis excitatos, quibus Deus homines ad se allicit, & invitat.] Idem confirmat D. Cardin. Bellarmin. lib. 4. de gratia, & lib. arbitrio cap. 15. §. *Sexta*, ubi gratiam prævenientem, seu excitantem vocat motum repentinum omnem deliberationem rationis prævenientem. Quod etiam affirmaverat Molina ubi supra, qui & ex verbis modo relatis in prima parte hujus assertionis aliam infert sub his verbis.

Ex dictis infertur, internam Dei vocationem ad idem, licèt donum Dei sit, multum tamen à ministris, & conatu Ecclesiæ pendere, atque à libero arbitrio ejus qui vocatur. Ita P. Molina q. 14. art. 13. disp. 9. §. *Ex dictis*. Et §. *Patet tertio* in eadem disputatione subdit: [Patet tertiò, vocationem internam multum etiam pendere à libero arbitrio ejus qui vocatur, tùm quia potuit accedere, vel non accedere ad audiendum, vel legendum verbum Dei, undè notitias compararet, quibus Deus se inserere, & ad fidem vocare solet: tùm etiam quia postquàm accessit potuit divertere aliò cogitationem, nec intendere iis, quæ credenda proponebantur, tùm denique quia accedere potuit, vel animo addiscendi, atque amplectendi quod verum, bonumque esse judicaret, vel animo irridendi, aut impugnandi quæ dicerentur. Licèt enim Deus non vocet ad fidem propter merita aliqua eorum qui vocantur, imò sæpè etiam eos misericorditer vocet, qui pertinaciter resistunt, & contradicunt, nihilominùs magis indignus ut supernaturaliter adjuvetur, & vocetur is est, qui sinistra intentione, quam qui paratus obedire veritati, eamque amplecti ad audiendum accedit, rationique valdè consentaneum est, ut hunc potiùs, quàm illum misericorditer adjuvet Deus, utpotè minùs ineptum, & minùs indignum ad dona Dei recipienda.] Et §. sequenti sic prosequitur: [Quod hæc & præcedenti disput. dictum est de interna vocatione ad fidem, intelligendum est etiam de excitatione interna fidelis ad pœnitentiam per gratiam prævenientem, imò & illustrationibus, & auxiliis, quibus justificati à Deo adjuvantur, tùm ut majora spiritus incrementa percipiant, tùm ne tentationibus succumbant; pendent enim quàm maximè a Ministris, & conatu Ecclesiæ, atque à libero cujusque arbitrio, quo liberè ad audiendas conciones, ad lectiones scripturarum sacrarum &c.

Motus gratiæ excitantis non semper concurrit simul tempore cum concursu voluntatis; interdùm enim præcessit gratia excitans per sanctam cogitationem, & timorem, & posteà sola recordatione illius timoris, & divinæ motionis homo liberè convertitur, & incipit pœnitentiam agere: non est autem verisimile solam illam memoriam esse principium supernaturale sufficiens ad efficiendam illam conversionem, sed potiùs concurrere tantùm proponendo objectum. Denique in primo actu supernaturali fidei vix potest assignari motus gratiæ excitantis, qui possit esse principium supernaturale ad eliciendum illum, quia ibi solùm antecedit apprehensio objecti, & judicium practicum de ejus credibilitate, post quod accedit voluntas credendi; nihil autem horum potest esse principium eliciens actum credendi, nam voluntas potiùs est imperans, quàm eliciens, reliqui autem actus sunt valdè imperfecti, & remoti.] Ita P. Suarez lib. 3. opusc. cap. 4. n. 13.

Tota causalitas auxilij excitantis est moralis. Ità explicando suam, & suorum sententiam apertè dicit P. Suarez lib. 3. opusc. cap. 5. num. 10. & verba sunt: [Denique tota hæc causalitas reducitur ad motionem finis, quæ metaphorica est; nam per hanc gratiam excitantem fit, ut objectum quod amandum proponitur honestius, & amore dignius appareat, & quod timendum horribilius, quod odio habendum turpius, & sic de cæteris.] Ità Suarez ubi supra. Ubi satis aperuit, gratiam excitantem, quam ipse, & sequaces dicunt prævenientem habere solùm causalitatem moralem, & metaphoricam, non verò activè propriè efficientem ut nos faciamus: & de hac morali, & metaphorica excitatione explicat illud Joannis 6. [Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum,] sic dicens lib. 3. opusc. cap. 11. n. 7. §. Hæc autem: [Item in scriptura sicut dicitur Deus trahere ad bonum, ita Dæmon ad malum. Apoc. 12. trahebat secum tertiam partem stellarum, non physica prædeterminatione, sed suasione.] Et cap. 10. n. 5. hæc verba præmiserat: [Item ad actus malos potest Dæmon tam vehementer inducere hominem suasionibus illis, & suggestionibus, ut nisi gratia Dei juvetur, moraliter non posset sese continere, quin consentiat; ergo multo magis potest Deus sua excitante gratia, ita inclinare hominem, & affectus ejus inclinare, & accendere, ut moraliter eum ad consentiendum trahat, ac determinet.] Hactenùs ille. Hanc moralem causalitatem priùs explicaverat sæpiùs P. Molina, dum in Concordia passim dicit, gratiam prævenientem, quia præveniens est excitare, allicere, & invitare. Ita habet disp. 39. aliàs 37. §. *Ex dictis*, & alibi sæpè. Consentit Gregorius de Valent. 1. 2. q. 3. *de divisione gratiæ* puncto 3. §. *Nam gratiam*, & §. *Prima propositio*, & §. *deindè* cum sequentibus. Similiter Gabr. Vasquez 1. part. q. 23. disp. 88. n. 20. §. *Docent*, sic ait: [Docent igitur Augustinus & qui ejus doctrinam posteà sequuti sunt, gratiam operantem, quam dicunt Deum in nobis sine nobis operari, esse ipsam sanctam cogitationem, quæ est ante consensum, atque eodem modo motum voluntatis subitum sine nostra libertate ex pia illa cogitatione ortum, quo deteremur à malo, & ad bonum provocamur.] Et in c. 3. n. 23. inducens locum Prosperi, sic concludit: [Quibus

Digitized by Google

bus verbis in primis, cum dicit voluntatem noſtram eſſe excitatam præſidiis, appellat gratiam excitantem præſidia ipſa, quibus fuit excitata, nempè ſuaſiones, monitiones, terrores: & intellectum, quæ ſunt ſancta cogitatio, & motus primus voluntatis.] Confirmat Card. Bellarmin. lib. 1. de gratia, & lib. arb. cap. 14. §. *At ſi conſideremus*, adjunctis duobus præcedentibus, ſic enim dicit: [At ſi conſideremus cauſam illius ejuſdem actus moralem, id eſt cauſam moventem ſuadendo, hortando, conſulendo, ea ſolus eſt Deus; voluntas autem ſecundum hoc genus cauſæ non eſt movens, ſed tantùm mota. Non enim ipſa ſe voluntas impellit ſuadendo, & hortando ut velit, quod non vult; ſed Deus per inſpirationes ſuas intus animæ loquens & ſuadet, & perſuadet ut velit. Hæc eſt igitur grati operans, quæ prævenit conatum, & induſtriam noſtram, & operatur ut velimus quod anteà nolebamus ſine nobis operantibus ut velimus.] Hactenùs ibi.

[Quocirca plurimùm à Sanctorum Patrum, præſertim Auguſtini mente aberrant; qui de hac phyſica prædeterminatione interpretantur locutiones illas, quæ ex ſacra ſcriptura ſumuntur, & apud Auguſtinum ſunt frequenter, Deus facit ut velimus, facit ut faciamus, operatur in nobis velle, convertit corda noſtra, & ſimiles. Hæc enim omnia, quatenùs aliqua ratione ſoli Deo tribuuntur, dicta ſunt ratione gratiæ excitantis, & moraliter regentis, & dirigentis greſſus noſtros vocando, inſpirando, & excitando. Quatenus verò noſtra cooperatio, & liber conſenſus requiritur, tribuuntur Deo ut principali cooperatori.] Ita P. Suarez lib. 3. opuſc. cap. 12. n. 5. §. *Quocirca*, in qua, (ut manifeſtè patet ex præcedenti) conveniunt prædicti omnes Recentiores citati. Quia & Lovanij anteà ſic hanc aſſertionem publicarunt: [Auguſtinus ubicumque dicit, nos non tantùm indigere gratia, qua poſſimus, ſed etiam qua faciamus, intelligendus eſt de concomitante concurſu, alioquin dictum ejus non eſſet univerſaliter verum. Nam ut faciamus, non requiritur efficax excitatio, quæ voluntatem infallibiliter determinet, qualis fuit fortè in Paulo, Magdalena, aliiſque nonnullis, ſed ſufficit multo minor, qui pleniſſimam relinquat libertatem.]

CAPUT XX.

Quomodo gratia excitans fiat adjuvans in ſententia horum Recentiorum.

DE modo quo gratia excitans, ſeu præveniens fiat adjuvans, ſeu cooperans, aut concomitans, & qualiter diſtinguantur, & quomodò ſe habeant reſpectu liberi noſtri conſenſus, pleraque ſunt quæ à Recentioribus defenduntur; quidam enim ſic dicunt.

In primis non video, præter auxilium particulare gratia prævenientis, & concurſum Dei generalem, neceſſarium eſſe auxilium aliud particulare gratiæ, ut liberum arbitrium aliquem illorum actuum poſſit elicere. Etenim illa tria unam integram & ſufficientem cauſam illorum complere videntur, ut diſp. 37. ſatis à nobis explicatum eſt; quare eſtò Deus quodcumque aliud auxilium particulare denegaret, ex illis ſolis ſequeretur effectus. Ita P. Molina in Concord. q. 14. art. 13. diſp. 39. aliàs 37. §. *Verùm multa*. Quam ſuam ſententiam magis explicans continuò ſubjungit §. immediatè ſequenti: [Deinde falſum omnino videtur, & diſcrepans à dictis Patrum, & Concilio Trident. locis cit. aſſerere, gratiam coadjuvantem diſtinctam eſſe à gratia prævenient & excitante. Illa enim eadem gratia quæ liberum arbitrium prævenit, ac excitat ad actus, quibus ſe ad juſtificationem diſponit dicitur cooperans, ſi arbitrium cum ea conſentiat, atque ſimul pro ſua libertate influat.] Quod adhuc magis confirmans, ſic iterum dicit: [Non ergò ſunt diſtinctæ gratiæ, prævenians, & cooperans, atque adjuvans, ſed una & eadem, quæ ſpectata antequam liberum arbitrium cum ea cooperetur, eliciatque actum liberum, per quem ad juſtificationem diſponatur, dicitur prævenians: ſpectata verò provt cooperante cum illa jam libero arbitrio, ipſa etiam cooperatur & influit in eundem actum, dicitur cooperans & adjuvans.] Ita habet P. Molina in Concord. diſput. 39. aliàs 37. ejuſdem art. §. *Deindè*. Quod iterùm confirmat in diſput. 40. aliàs 38. ſic enim proſequitur: [Ex dictis intelligatur facilè, unam & eandem numero gratiam, quatenùs excitat, allicit, & invitat arbitrium noſtrum ad actus credendi, ſperandi, diligendi, aut pœnitendi, appellari prævenientem, ac excitantem, eaque conſideratione prævenire arbitrium noſtrum ad hujuſmodi actus: quatenùs verò conſentienti jam noſtro arbitrio, & cooperante actus, ad quos illa invitat, & allicit, ipſa quoque novo influxu & actione cooperatur eoſdem actus, appellari adjuvantem ac cooperantem gratiam.] Ita P. Molina ubi ſupra. Et diſp. 40. hoc magis explicans ſic dicit in §. *Hinc patet*: [Ratio verò horum eſt, quoniam licet gratia prævenians qua prævenians eſt antecedat conſenſum noſtri arbitrij, & cooperationem ipſius ad actus credendi, ſperandi, pœnitendi, quibus ad Deum convertimur, influxus tamen & cooperatio ejuſdem gratiæ cum noſtro arbitrio ad eoſdem actus, à quo gratia prævenians rationem ſortitur gratiæ cooperantis, non antecedit liberum noſtrum conſenſum, & cooperationem ad noſtram converſionem, ſed concomitatur, & ab ea pendet non ſecus atque concurſus habituum virtutum ad noſtras operationes pendet à cooperatione ipſarum potentiarum, ut ſupra fuit explicatum, id quod in cauſa eſt ut habitibus utamur ad noſtras operationes, quando pro arbitrio noſtro volumus operari, eiſque non utamur quando ab operatione pro eodem arbitrio ceſſare volumus.] Hactenùs ille. Hanc doctrinam laborarunt defendere, & ab erroris nota excuſare Molinæ defenſores coram Sanctiſſimo in pluribus diſputationibus.

Idem affirmant P. Franciſcus Suarez lib. 3. opuſc. cap. 5. num. 4. §. *Habemus*, ipſius enim verba ſunt: [Non operatur autem Deus in nobis initium ſalutis niſi per excitantem gratiam, ut ex Concilio Tridentino ſupra oſtendimus. Eſt ergò idem munus operantis, & excitantis gratiæ, & conſequenter idem erit etiam cooperantis, & adjuvantis. Denique ratio etiam horum nominum ex eodem loco colligitur; & quidam denominatio cooperantis gratiæ per ſe notiſſima eſt, & aptiſſimè quadrat in gratiam adjuvantem, quæ ſtudiis cooperatur humanis, ut rectè Ambroſius dixit lib. 2. in Lucam, & (quod valdè notandum eſt) indicatur in illa voce, quædam ſimultanea conjunctio voluntatis, & gratiæ adjuvantis ad eundem actum, vel actionem, ad quam mutuò cooperari dicuntur, ita ut ſub ea ratione neutra alteram antecedat, vel impellat, ſed ſolùm ſimul operentur.] Idem latè proſequitur eodem cap. in §. *Quo fit*; & eodem lib. 3. cap. 20. §. *Sed apud* ſimiliter Gabriel Vaſquez 1. par. q. 23. diſp. 88. cap. 9. §. *Quartò denique*, ubi poſt gratiam excitantem ſic dicit: [Secunda verò gratia dicitur adjuvans, quæ jam ab eo incipit momento, quo quis aperit oſtium cordis ſui, & excitatus à ſomno vocanti, liberè reſpondet.] Et in §. *Obſervandum* eodem capite ſic proſequitur: [Obſervandum igitur eſt, eandem vocationem, & cogitationem ſanctam, & ſubitum primum motum voluntatis dici gratiam operantem, & prævenientem, & cooperantem, & concomitantem, eandem (inquam) diverſo modo conſideratam, nam quatenus conſenſum

Digitized by Google

nostrum antecedit est operans, & præveniens: quatenus verò permanens in nobis efficit consensum nobiscum, est cooperans, & concomitans. Consentit Gregorius de Valentia 1. 2. disp. 8. q. 3. *de divisione gratiæ* punct. 3. §. *Gratiam autem*, ubi sic dicit: *Gratiam autem adjuvantem appellant Dei dona, & beneficia, quibus Deus hominem divinæ vocationi, & excitationi consentientem adjuvat; tùm in eo ipso, quod consentit, & convertitur; tùm in aliis actionibus pietatis.* Idem confirmat D. Card. Bellarm. lib. 6. de gra. & lib. arb. cap. 15. ubi postquam in §. *Quarta* præmiserat necessitatem gratiæ excitantis internæ, posteà in §. *Septima* dicit, necessariò requiri ad assentiendum gratiæ excitanti internæ gratiam adjuvantem. Et in §. *Gratia verò adjuvans*, declarat consistere adjuvantem gratiã in cooperatione intrinseca ad eliciendum actum cum ipsa voluntate. Et addit, quod cooperanti illa non alio modo concurrit, quàm auxilium generale: sicut enim (ait) ad opera naturalia facienda necessarium est auxilium generale, sic ad opera supernaturalia auxiliũ speciale. In hoc sicut in fundamento persistunt prædicti Recentiores, gratiam videlicet adjuvantem ut distinguitur ab excitante non antecedere influxum liberæ nostræ voluntatis, sed ipsum concomitari, vel ad ipsum sequi, ut ex propriis eorum dictis in examine hujus convincemus.

Habitus fidei, spei, aut Charitatis supernaturalis habent rationem gratiæ operantis, nec alia requiritur. Ita Molina in Concord. cujus verba sunt: [Nos comparato habitu fidei, aut charitatis supernaturalis possumus cum communi auxilio Dei elicere unum, aut alterum actum Fidei, spei, aut Charitatis supernaturalis, elicereque unum, aut aliud opus meritorium: licèt diù totam legem propter rebellionem virium sentientium, & debilitatem corporis, & molestiam implere non possimus.] Ità Molina in Concord. q. 14. art. 13. disput. 4. §. *Quod ex eo.* Idem sub eisdem verbis confirmat in disp. 39. aliàs 37. §. *Quod si quis*, quibus hæc verba superaddit: [Eodemque modo credo, intellectum perfusum lumine gloriæ cum solo concursu generali Dei posse producere visionem beatificam, idemque existimo de cæteris supernaturalibus causis secundis, quæ suaptè natura aptæ fuerint ad supernaturales effectus producendos.] Et disp. 41. §. *Occasione*, sic dicit: [Occasione horum testimoniorum illud addendum erit hoc loco, quod & titulus disp. 37. propositus postulare videbatur, & paulò post erat subjiciendum, nempè habitus Fidei, spei, & Charitatis supernaturalis semel acquisitos rationem habere gratiæ prævenientis, & cooperantis, comparatione actuum, qui ab illis emanant.] Idem præmiserat in terminis disp. 8. §. *Ex dictis*. Et iterum q. 23. art. 4. & 5. disput. 3. §. *In titulo*, sic dicit: [In titulo hujus quæstionis nomine gratiæ prævenientis comprehendimus etiam gratiam gratum facientem, & cætera spiritualia dona habitualia, quæ ut q. 14. art. 13. disp. 41. dictum est rationem gratiæ prævenientis sortiuntur comparatione sequentium operum, quatenùs homini, aut Angelo jam justificato adjumento sunt, ut faciliùs bona opera eliciat, tentationibus resistat, atque à peccatis se contineat.] Sic ille in supradicto loco.

Primi actus supernaturales qui non producuntur ab habitu, non habent in homine principium physicum effectivum sibi inhærens præter voluntatem hominis, Deumque ipsum, qui per se supplet efficaciam habitus: unde Deus tunc dicitur virtus assistens, non autem inhærens.] Hactenùs P. Suarez lib. 3. opusc. cap. 4. n. 16. & 17.

CAPUT XXI.

Quæ Recentiores asserunt circa divinæ gratiæ efficaciam recensentur.

OMNIA quæ Recentiores in præcedentibus assertionibus omnibus de concursu divinæ gratiæ dixerunt, ad enervandam efficaciam divinæ gratiæ, provt venit à Deo independenter ab arbitrij nostri libertate, ordinarunt. Undè & consequenter, similem proferunt doctrinam sequentibus assertionibus explicatam.

[Nonnulli ità sententiam hanc defendunt, ut duplex auxilium divinum constituant, quoddam efficax, quoddam sufficiens, verumtamen inefficax. Quid verò auxilium efficax sit, aut inefficax censent nulla ratione tribuendum esse libero arbitrio, quasi ex eo auxilium quodcumque sive magnum sive parvum, efficax aut inefficax sit, quod cum arbitrium pro sua libertate possit consentire & non consentire, cooperari cum illo & non cooperari, si consentiat & cooperetur ut potest, efficiet illud efficax, si autem non consentiat neque cooperetur, ut etiam potest, reddet illud inefficax: sed ipsi auxilio, sive Deo, aut efficaciter aut inefficaciter per illud moventi tribuendum esse, quod liberum arbitrium consentiat, aut non consentiat: ita, vt quotiès Deus moverit per auxilium, quod ex modo motionis divinæ atque ex Deo ipso habet quod sit efficax, liberum arbitrium consentiet cooperaturque ad salutem, quod si movérit per auxilium quod ab eo non habet ut sit efficax, liberum arbitrium non consentiet, neque cooperabitur ad salutem.] Ità Molina in Concord q. 23. art. 4. & 5. disput. 1. memb. 6. §. *Nonnulli.* Et §. *Certè* immediatè sequenti sic prosequitur: [Certè non dubitarem sententiam hanc hoc ultimo modo explicatam errorem in fide appellare. Etenim ea data, non video qua ratione libertas illa arbitrij nostri salva possit consistere: quare quæst. 14. art. 13. disp. 23. apertissimè ostendimus, etiam posita divinâ gratiâ, præscientiâ, & prædestinatione non minùs quàm hæc ipsa esse de fide. Si namque arbitrium nostrum ab efficacia, aut inefficacia auxilij divini habet, quod consentiat, aut non consentiat Deo vocanti, & cooperetur, aut non cooperetur ad salutem, perseveretque, aut non perseveret in gratia, certè non ab innata & propria liberrate id pendet, sed à qualitate auxilij & motionis divinæ, atque adeò neque est quod illi cẽdat in laudem, & meritum, quin potiùs perit omninò libertas arbitrij ad salutẽ.] Et in q. 14. art. 13. disput. 40. aliàs 38. sic concluserat: [Quo fit ut divisio sufficientis auxilij in efficacem, & inefficacem, nostrâ sententiâ, ab effectu qui simul ab arbitrij libertate pendet, sumatur, illudque auxilium sufficiens sive majus sive minus in se sit, efficax dicatur, cum quo arbitriũ pro sua libertate convertitur, cum tamen nihil eo auxilio impediente potuerit non converti; illud verò inefficax dicatur, cum quo arbitrium pro eadem sua libertate non convertitur, cum tamen potuerit converti, alioquin tale auxilium sufficiens non esset ad conversionem. Hinc quinto loco asserimus, auxilia prævenientis, atque adjuvantis gratiæ, quæ lege ordinaria viatoribus conferuntur, quod efficacia, aut inefficacia ad conversionem, seu justificationem sint, pendere à libero concursu, & operatione arbitrij nostri cum illis, atque adeò in libera potestate nostra esse, vel illa efficacia reddere consentiendo, & cooperando cum illis ad actus quibus ad justificationem disponimur, vel inefficacia illa reddere continendo consensum, & cooperationem nostram, aut etiam eliciendo contrarium dissensum.] Hactenùs ille. Sequitur P. Suarez lib. 3. opusc. cap. 7. in principio, sic enim habet: [Docent enim quidam

Theologi

Digitized by Google

Theologi efficaciam hanc consistere in vi quadam prædeterminandi voluntatem ad consensum.] Et statim cap. 8. in principio sic prosequitur: [Priusquàm declarem in quo efficax auxilium, seu efficacia auxilij posita sit, propositam sententiam falsam esse ex principiis fidei variis modis ostendam.] Et eodem lib. 3. cap. 6. numero 8. §. *Auxilium*, referens sententiam quæ dicit, auxilium gratiæ esse efficax ab effectu, sic dicit: [Verumtamen hæc etiam sententia hoc tantùm modo declarata, & nihil ei addendo nobis non probatur, non quia falsa, sed quia diminuta, & quia non satis declarat mentem S. Augustini.] Sed quamvis hæc dicat, à sententia tamen quæ constituit efficaciam gratiæ ab effectu, non recedit, ut suo loco constabit. Consentit Gabr. Vasquez 1. part. quæst. 23. art. 3. cap. 5. §. Primò, disp. 88. sic enim ait: [Primò igitur quidam prædictam sententiam ità intelligunt, ut affirment primum, cum eo solo auxilio quod appellatur sufficiens nullum respondere posse, nisi efficax concedatur.] Deinde [addunt concesso illo efficaci, ita voluntatem ad consentiendum moveri, ut ei dissentire non possit. Quæ sanè interpretatio si de auxilio gratiæ prævenientis, & excitantis intelligatur, & de impossibilitate antecedenti quæ est ex parte causæ, ut Recentiores intelligunt, mihi semper admodùm difficilis visa est.] Et iterùm alibi sæpiùs clamat, quod necessitas antecedens tollit libertatem. Eodem modo impugnat efficaciam gratiæ prævenientem omnem nostrum consensum Gregorius de Valentia 1. 2. q. 3. de divisione gratiæ puncto 4. §. *Quarta propositio*, ubi sic ait: [Gratia hæc efficax quæ omnibus jam vocatis, & excitatis necessaria est, ut liberè convertantur, & qua posita certò & infallibiliter ex hypothesi homo convertitur, in aliquo dono consistit, quod homo jam præventus à gratia vocante & excitante possit cum auxilio Dei consequi per pium usum sui liberi arbitrij; ita ut defectus sit hominis si ea gratia careat. Quocirca quamvis hoc donum gratiæ efficacis in uno genere causæ (nempè efficientis) antecedat pium usum liberi arbitrij hominis excitati & vocati, tamen in alio quodam genere causæ, eo posterior est, ut sequenti propositione explicabimus, ac proinde id donum non antecedit modis omnibus tempore aut natura omnem pium usum libertatis hominis jam præventi per gratiam vocantem & excitantem.] Et 1. p. quæst. 23. puncto 4. §. *Itaque* cum subsequentibus, & antecedentibus ita dicit. [Itaque vix assertionis nostræ est, decretum Dei efficax & æternum de salute hominis, quo prædestinatio ipsa continetur nequaquam ordine rationis in Deo antecedere modis omnibus præscientiam actualis cooperationis futuræ prædestinati, sed simul hanc præscientiam in se includere.] Hactenùs ille. Idem tenet D. Cardinalis Bellarmin. lib 1. de gra. & lib. arbit. cap. 12. sic enim dicit: [Est igitur alia sententia in alio extremo aliorum qui dicunt gratiam efficacem esse actionem Dei physicam, quæ determinat voluntatem ad volendum & eligendum bonum, quod illi fuerat per gratiam excitantem inspiratum, & quia non potest fieri ut physicè Deus determinet voluntatem, quin ipsa voluntas determinetur & velit id ad quod determinatur, ideo fieri non potest, ut gratia ista non habeat effectum infallibilem. Hæc opinio videtur mihi aut etiam omninò eadem cum errore Calvini, & Lutheranorum aut parùm ab illo distare.] Hactenùs ille. In summa omnes Recentiores conveniunt in negando auxilium gratiæ, quod ex vi motionis divinæ & provt venit à Deo efficax sit independenter ab hominum voluntate, & antecedenter ad omnem usum illius prævisum per illam mediam scientiam; quod auxilium solet vocari physica prædeterminatio, & hæc est illorum sententia.

Hanc efficaciam gratiæ ab effectu aliis verbis sic explicant: [Si verò sit efficax (supple gratia) non rejicitur unquam, nec potest rejici ex hypothesi, sed absolutè rejici potest, ut ostendimus cap. superiori; & ratio est quoniam gratia quantumvis efficax, nihil est aliud nisi suasio quæ non determinat voluntatem, sed inclinat per modum proponentis objecti; sed ideò nunquam rejicitur, quia Deus sic suadet, ut videt aptum esse homini ut suasori acquiescat. Ita D. Cardinalis Bellarminus, lib. 6. de gra. & lib. arb. cap. 15. §. *Octava sententia.*

CAPUT XXII.

Quæ Recentiores affirmant circa divinæ gratiæ efficaciam in ordine ad bona opera, & bonum usum liberi arbitrij, magis in speciali explicatur.

EX negatione auxilij efficacis provt venit à Deo, & ex vi motionis divinæ antecedentis omnem nostram liberam cooperationem, & omnem præscientiam illius etiam conditionatam consequenter loquendo Recentiores, alias clariores inferunt propositiones, quibus se magis declarant in hunc modum.

Concursus Dei particularis ad opera supernaturalia liberi arbitrij, hoc est gratia liberum arbitrium prævenies non est causa efficax hujusmodi operum, quin potiùs in libertate liberi arbitrij eadem gratia adjuti est consentire, aut non consentire. Ita Molina in Concord. disp. 29. in fine. §. Postremò.

Hinc iterùm affirmant: Bonus usus auxiliorum gratiæ spectatus ut præcisè emanat ex influxu liberi arbitrij, non est effectus gratiæ prævenientis. Ità P. Molina in Concord. quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 10. §. *Vidè* Cujus verba in forma, & substantia sunt modò relata.

Ex hac aliam inferūt sub his terminis: [Quod actus à gratia præveniente & ab arbitrio elicitus liber sit, eaque de causa capax rationis, virtutis, laudis, & honoris, quæ propter eum homini liberè eo pacto influenti tribuantur, profectò non est effectus gratiæ prævenientis, sed arbitrij per eum influxum. Gratia namque præveniens determinata est ad unum, eoque ipso quod tunc in arbitrio prædestinati recipitur, ex necessitate naturæ movet ac sollicitat; ipsum autem arbitrium est quod sua innata libertate per eum influxum sibi proprium liberè agit, ex eoque solo influxu habet actus ille quòd liberè ab homine prædestinato eliciatur; eaque ratione in laudem, & honorem ipsius cedit.] Ita Molina in Concord. quæst. 23. c. 4. & 5. disp. 1. memb. 11. §. *Quod enim.*

[Si de hac prima vocatione loquamur, non ut in nobis fit, aut ut nobis donetur, quæ est effectus prædestinationis, sed ut in nobis sit congrua & efficax, non solùm liberum arbitrium est conditio sine qua non, quæ nullo modo sit causa, ut Recentiores posteriùs allegati autumant, nec solum est causa sine qua non & per accidens, nec solùm est ratio, sed etiam est vera causa per se & efficiens cooperans primæ vocationi & gratiæ.] Ita Gabr. Vasquez 1. p. disp. 91. cap. 7. n. 4. §. *Porrò.*

[Deinde, aiunt, in potestate arbitrij adulti eo pacto à Deo præventi & excitati, esse consentire aut non consentire Deo ita per prævenientem gratiam excitanti & vocanti, atque adeo in potestate ejusdem arbitrij esse reddere cassam, aut non reddere, ejusmodi prævenientem Spiritus sancti gratiam.] Ita Molina in concord. disp. 40. aliàs 38. §. *Deinde.* Sequitur

Digitized by Google

Franciſcus Suarez lib. 3. opuſcul. cap. 13. num. 15. Cujus verba ſunt : [Ubicunque Sancti de libertate arbitrij loquuntur, dicunt ita ſe gerere Deum cum voluntate noſtra, ut nullam vim ei ingerat, ſed in poteſtate ejus motum ejus conſtituat, itaut eum inchoare poſſit, ſi velit, vel ſuſpendere tam in ſpiritualibus, quam in naturalibus actibus. Imò in illis ſpecialiter ; aiunt, [quamvis Deus pulſet, ac tangat, tamen non inferre vim, ſed expectare ut ipſa voluntas cõſentiat cum Dei adjutorio, quod ſemper neceſſarium & paratum eſſe ſupponunt. Hæ autem loquutiones omnes, quæ non ſolùm Sanctorum ſunt, ſed etiam S. Scripturæ, non poſſunt ſatis intelligi, & ad veram praxim reduci, ſi ſupernaturalis conſenſus etiam poſita excitatione, & aliis ex parte hominis prærequiſitis inchoandus eſt ab illa efficaci Dei voluntate prædeterminante ad unum, quæ nec in poteſtate noſtra eſt, ſi ex ſe non eſt poſita, nec ei reſiſtere poſſumus, ſi fuit jam poſita.] Hactenus ille. Conſentiunt Recentiores alij ſupracitati, ut ex præcedentibus conſtat.

Aliam etiam inducunt ſub his terminis : [Canon quartus Concilij Arauſicani, aut malè ab iſtis authoribus intelligitur, aut immeritò ad præſentem cauſam adducitur. Nam, cum dicitur, Deus non expectare voluntatem noſtram, ut à peccato purgemur, duobus modis intelligi poteſt : primò non expectare Deum peccatoris diſpoſitionem, & liberam operationem ut in eo inchoet juſtificationem, per quam à peccato purgatur ; & hic eſt ſenſus Concilij, ut ſtatim oſtendam, & in eo nihil ex ea definitione contra noſtram ſententiam ſumitur, ut per ſe conſtat. Alter ſenſus eſt, Deum non expectare voluntatem noſtram ut liberè conſentientem, & ſe diſponentem cum divino adjutorio, ut à peccato purgemur ; & in hoc ſolo ſenſu poſſet ille Canon contra nos afferri, hic tamen ſenſus nec eſt, nec eſſe potuit à Concilio intentus.] Ita Franciſcus Suarez lib. 3. opuſcul. cap. 15. num. 12. In quo P. Molina, & alij Recentiores conveniunt. Quorum ſententiam confirmat Cardinalis Bellarminus lib. 2. *de gratia & libero arbit.* cap. 6. §. *At poſterior* : Ubi ſic dicit : [At poſterior hæc reſponſio manifeſtè incidit in errorem Caſſiani & Fauſti, quem refutavimus cap. 2. & omnino tollit è medio gratiam prævenientem : quomodo enim gratia præveniens, ſi ſemper expectat ut à voluntate humana præveniatur ? Sed neque trahi dicendus eſt, qui antequam trahatur voluntatem habet eundi. Denique expectat quidem ille qui pulſat ad oſtium cordis, ut ei aperiatur, & ideo dixit : Si quis aperit mihi intrabo ad eum ; ſed non expectat ut invitetur ad pulſandum, ſed ipſe prævenit pulſando, & vocando, ut definitum eſt in Concilio Arauſicano Canone quarto.

CAPUT XXIII.

De aliis Recentiorum placitis circa poteſtatem accedendi ad Chriſtum, converſionem, juſtificationem &c.

PROSEQUUNTUR Recentiores in deducendis concluſionibus aliis ex ſuis principiis ſupra relatis, unde conſequenter loquentes ſic aiunt : [Licet Deus dona ſuæ gratiæ prævenientis, excitantis, & cooperantis ad acceſſum ad Chriſtum, non diſtribuat pro qualitate uſus liberi arbitrij, ſed pro ſua tantùm voluntate, quod tamen adultus cum his vel illis auxiliis, hìc & nunc ad Chriſtum accedat, rationemque dati Chriſto à Patre æterno habeat, pendens eſt à libera cooperatione arbitrij ipſius, quam innatam habet, & quam hoc ipſo quod viator eſt, exigit ſibi relinqui, ut virtutis ac vitij, meriti & demeriti, laudis & vituperij, præmij ac ſupplicij capax ſit.] Ita Molina quæſt. 14. art. 13. diſput. 12. §. *Quod itaque.* Quod & alibi ſæpiùs confirmat. Eodem modo explicat P. Suarez lib. 3. opuſc. cap. 11. num. 9. & 10. §. *Secundum*, & §. *Sed quamvis* ; Sic enim dicit. [Denique eodem modo poſſent exponi ſi periora Chriſti verba : Omne quod dat mihi Pater ad me venit. Dat enim Pater filio homines in ipſum credentes, non ſolùm quia eos vocat, ſed etiam quia adjuvat ut credant. Quod ſignificavit Chryſoſtomus hom. 44. & 45. in Joan. dicens. His omnibus ſermonibus nil aliud voluiſſe Chriſtum docere, quam neminem poſſe in ipſum credere ; niſi illuminetur, & cœleſti virtute juvetur : quamvis nec credere poſſit, nec trahi, nec dari à Patre niſi ſimul libero arbitrio cooperetur, & veniat.] Hactenus ille. Quibus verbis eandem dependentiam datorum Chriſto à Patre conſtituit in ipſorum libero arbitrio. Aliam etiam explicationem ibi adducit de vocatione congruâ, quæ parum aut nihil differt ab hac prima, ut dicetur infra.

Ex hac aſſertione alia ſimilis ab ipſis conſtituitur ſub his verbis. [Eademque ratio eſt de eodem modo affectis, æqualiterque à Deo ad fidem vocatis. Pro ſola namque eorum libertate poteſt evenire ut unus amplectatur fidem, alter verò eandem contemnat.] Ita Molina in Concord. q. 14. art. 13. diſp. 12. in principio.

[Quare fieri poteſt, ut duorum qui æquali auxilio interiùs à Deo vocantur, unus pro libertate ſui arbitrij convertatur, & alius in infidelitate permaneat. Sæpe enim accidit, ut cum quo auxilio unus convertitur, alius non convertatur. Id quod ſatis apertè docuit Chriſtus Dominus ex ea collatione incolarum Bethſaïdæ & Corozaïm, cum Tyriis & Sydoniis. Imò fieri poteſt ut aliquis prævenius, & vocatus longè majori auxilio pro ſua libertate non convertatur.] Ita Molina q. 14. art. 13. diſput. 12. in principio. Idem docet quæſt. 23. art. 4. & 1. diſput. 1. memb. 11. aliàs 9. §. *Poſtremò.* Sequitur Franciſcus Suarez lib. 3. opuſc. cap. 20. §. *At verò*, cujus & verba ſunt : [At verò loquendo de auxiliis omnibus, quæ dantur ut principia actus, & ex ſe præſcindunt ab actuali concurſu, ſimplicitèr verum cenſeo poſſe fieri ut ex duobus habentibus æqualia auxilia unus conſentiat, credat, aut pœnitentiam agat, non alter.] Hoc idem probare contendit in toto illo capite 20. & in cap. 21. §. *Atque hinc*, ſic dicit : [Eadem vocatio reſpectu ejuſdem hominis eodem modo diſpoſiti, quantùm eſt ex ſe, poteſt eſſe efficax, vel inefficax, nihil ei addendo, vel ſubtrahendo ex effectibus gratiæ prævenientis ; alioquin jam non eſſet eadem vocatio : ergo eadem proportione ſimiles vocationes in duobus ſimiliter, ſeu æquè affectis poſſunt non eſſe ambæ efficaces, ſed altera tantùm abſque dicta inæqualitate.] Hæc ille. Aſſertum hoc eſt antiquiſſimum horum Recentiorum fundamentum omnibus univerſim propoſitum in ſupradicto libello *de ratione & inſtitutione ſtudiorum* ; in quo ſub ſpeciali titulo de opinionum delectu in Theologiæ facultate num. 12. pag. 116. his expreſſis verbis habetur : *Fieri poteſt, ut æqualis gratia duobus collata, ſit efficax in uno, ineffieax in altero, quia non vult conſentire, licet poſſit per ſufficientem gratiam ſine novo augmento gratiæ.* Ex quo loco hæc aſſertio ab ipſis recentioribus tranſumpta dignoſcitur. Ob quam cauſam ab omnibus è Societate, paucis quibuſdam exceptis (ut ſupra retulimus) ſemper defenſata fuit. Hæc manifeſtè conſequitur ex aſſertione illius ſcientiæ mediæ, & negatione auxilij efficacis provenit

Digitized by Google

venit à Deo, & ex vi motionis divinæ, seu prædeterminationis physicæ, ut fit manifestum. Similiter Cardinalis Bellarminus lib. 6. de grat. & lib. arbitr. cap.15. §. *Nona sententia*, ait: *Fieri potest, ut eadem motione interna duobus adhibita unus convertatur, alius non convertatur; & unus magis, alius minùs proficiat.*

[Postremò (inquiunt) quia cum auxiliis ex parte Dei, cum quibus unus iustificatur & salvatur, alius pro sua libertate nec iustificatur nec salvatur, & è contrario: ut patet ex illo Matth. 11. Si in Tyro & Sydone, &c. Neque dubitandum est multos torqueri apud inferos, qui multo maioribus auxiliis ad salutem à Deo donati fuerunt, quam multi qui in Cœlo divino conspectu fruuntur, de quorum numero videntur esse Iudæi, qui Christum Dominum prædicantem, & miracula facientem viderunt, de quibus referente Paulo ad Rom. cap.10. conqueritur Deus per Isaiam dicens: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi. Et Christus Matth. 23. Quoties, inquit, volui congregare filios tuos sub alas, & noluisti? Sed quod hi qui cum maioribus auxiliis prædestinati, & salvi non fuerint, illi verò cum minoribus auxiliis prædestinati & salvi fuerint, non aliunde fuit, nisi quia illi pro innata libertate noluerunt uti ita suo arbitrio, ut salutem consequerẽtur; hi verò maximè.] Ita expressimis verbis habet Molina quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 11. aliàs 9. §. Postremò.

Ex hac assertione aliam deducunt sub his verbis: [Quod item è duobus qui æquali motu gratiæ pręveniuntur ac moventur, unus consentiat, concurratque cum gratia, eliciat actum, & convertatur, alter verò non: certè solum provenit ab innata, & propria, atque intrinseca libertate utriusque, bonis & malis, reprobis & prædestinatis communi.] Ita Molina in Concord. quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 10. §. *Quod item.*

Et quamvis ex qualibet harum, & multò magis ex omnibus simul apertè convincantur hi authores quod efficaciam divinæ gratiæ libero subdant arbitrio, hoc ipsum, quod magis est, in terminis concedere non formidant. P. Suarez in suis opusc. lib. 3. de auxil. divinæ gratiæ. cap. 12. n. 6. §. *Dicet fortasse*, ubi impugnans veram Thomistarum sententiam defensorum efficacitatis divinæ gratiæ prædeterminantis voluntatem in actu primo, & ejus cum libero arbitrio amicissimæ concordiæ, ita ait: *Hoc diceretur quidem rectè, si illud auxilium positum in voluntate subderetur usui libero ejus, non autem sic ponitur, sed potius subdens voluntatem usui necessario suo; & ideo libertas, vel indifferentia, quam voluntas ex se habet nihil conferre potest ad usum liberum talis actionis, quia ad illam nullo modo applicatur, sed impeditur prorsus.*

[Illud præterea vehementer displicet quod subjungunt, videlicet pro qualitate auxilij gratiæ cooperantis spectandam esse quantitatem actus, quem liberum arbitrium tali auxilio adjutum producit, quasi existente æquali auxilio Dei non possit esse intensior, & ferventior actus contritionis, aut dilectionis in homine uno quam in alio, quandiu in via sunt, aut existente auxilio inæquali non possit esse æqualis actus in duobus, aut major in eo qui minori auxilio adjuvatur. Etenim cum liberum arbitrium unâ cum auxilio Dei, efficienter in actum quo se ad justificationem disponit, influat, sitque causa libera potens majori aut minori conatu pro sua libertate influere, utique ab inæquali conatu & influxu liberi arbitrij provenire potest, ut conferente Deo duobus hominibus æquale auxilium gratiæ adjuvantis unus eorum intensiùs operetur, meliúsque se disponat ad gratiam iustificantem, quam alius: & ut conferente eisdem inæqualia auxilia æquè operentur, aut is interdum plus, qui minori suffultus est auxilio] Ita Molina in Concord. q. 14. art. 13. disp. 39. aliàs 37. §. *Illud præterea.* Quod & alibi frequenter confirmat. Sequitur P. Suarez lib. 3. opusc. c. 20. n. 8. §. *Atque*, sic dicens: *Denique similiter sequitur cum æquali vel minori gratia per modum principij sub ea includendo habitualem quantumvis intensam, & omnem vocationem, vel præmotionem necessariam contingere, inquam, posse intensius operari eum qui æqualem, vel etiam minorem habet gratiam hujusmodi; quia pro sua libertate potest homo minùs illi cooperari.* Hactenus ille. Consentiunt etiam alij recentiores; nec enim putamus necessarium semper nominatim omnes referre.

[Respondeo, Deus non pendet, nec determinatur à voluntate humana, licet operetur quia illa operatur; nam liberè Deus condidit liberam voluntatem, & potuisset non condere. Et rursus liberè voluit, & ab æterno decrevit concurrere ad opus liberæ voluntatis, quando ipsa operari voluerit, & denique potest etiam quando vult non concurrere, si velit præter ordinem à se constitutum aliquid fieri.] Ita Card. Bellarminus lib. 4. de grat. & lib. arbit. c. 5. §. *Respondeo Deus.*

CAPUT XXIV.

Recentioris cujusdam peculiaris sententia refertur tollens in aliquibus eximiæ sanctitatis hominibus libertatem.

POST relatas supra dictas recentiorum sententias, quibus plus justo libero arbitrio tribuunt contra efficacitatem divinæ gratiæ, aliam è diametro oppositam alterius recentioris sententiam oportet inducere, qua in aliquibus eximiæ sanctitatis viris liberum arbitrium in operis exercitio conatur auferre; sic enim ait: [Quare notat vega lib. 12. in Concil. Trident. c. 20. auxilium quoddam specialissimum datum esse confirmatis in gratia. Apparet enim hujusmodi confirmationẽ cõtineri protectione illa singulari Dei, qua hujusmodi auxilio specialissimo confirmatis in gratia ita Deus adfuerit, ut necessariò præstiterint quidquid præstandum ipsis erat ad vitanda peccata mortalia.] Ita Greg. de Valentia 1. 2. q. 3. de divisione gratiæ, puncto 3. §. *Quare.* Et statim sibi opponens in §. Sed objiceret aliquis fieri non posse per ullum auxilium specialissimum ut voluntas necessariò respondere debeat, sic respondet: [Respondeo necessitatem respondendi alicui tali auxilio inde oriri, quod tametsi neque objectum, neque actus, neque natura voluntatis per id auxilium mutetur; ab initio tamen talis est facta nostra voluntas à Deo, ut eo auxilio invitata ad actum aliquem bonum, necessarium sit illi talem actum exercere; eo autem auxilio remoto non necessarium, sed liberum.] Hactenus ille. Idem omnino affirmat in controvers. lib. de divina grat. c. 2. §. *Existit autem.* Cujus etsi longiora verba referre non piget, sic enim habet: [Existit autem hic, quoniam de specialissimo auxilio dicimus, non prætereunda difficultas; nam si infallibiliter, & semper huic specialissimo & extraordinario auxilio homo acquiescit, consequens videtur hominem non posse liberè illi reniti. Alioquin enim nonnunquam accideret tale auxilium frustrari. Quod verè liberum non sit ei auxilio resistere difficile est ad explicandum. Cum enim per illud non mutetur natura voluntatis, neque objecti, aut actus, ad quem eliciendum voluntas per id auxilium invitatur, non apparet cur voluntati ad-

Digitized by Google

matur per id auxilium libertas repudiandi eum actum, quem alioquin liberè repudiare posset, si specialissimo auxilio non pulsaretur. At similem, vel eandem difficultatem habet quod dici solet, eos qui in gratia confirmati fuerunt, peccare graviter non potuisse. Apparet namque hanc confirmationem fuisse prædictum auxilium, aut aliquid simile, aut semel vel certè toties impertitum hominibus in gratia confirmatis, quoties habuerunt occasionem peccandi mortaliter.] Et respondet in §. *Hoc dupliciter*, solutione duplici, quarum secunda, & quæ ab eo præeligi videtur, ita habet: *Secundò, etiamsi admittamus non esse possibile tale auxilium rejicere, præsertim cum quis in gratia confirmatur, inde tamen peti poterit proposita difficultatis explicatio unde difficultas ipsa est nata, nempe ab ipsamet natura voluntatis, non quod ea per auxilium specialissimum mutetur, sed quod à principio talem illam Deus finxerit, ut eadem peculiari illa Dei voluntate remota, qua ei vult specialissimum auxilium conferre, eique respondere, non necessariò sed liberè actum supernaturalem eliciat, vel peccatum vitet; ejusmodi verò Dei voluntate, & auxilio existente, necessariò prodeat in bonum actum; quemadmodum eadem natura voluntatis, existente visione Dei clara, necessariò elicit actum amoris divini, & eadem visione illâ remotâ, liberè.*

CAPUT XXV.

De his quæ à recentioribus asseverantur circa magnum Perseverantiæ donum.

CIRCA magnum illud divinæ perseverantiæ donum, quæ sequuntur affirmant recentiores, & omnium primus Molina sic dicit: [Hoc jacto fundamento dicendum est Pattes Concilij Arausicani eo in capite hanc potissimum conclusionem adversus Pelagianos intendisse definire. Homo salutem spiritualem amissam recuperare non potest suis viribus sine gratia, hoc est sine Dei supernaturali adjutorio modò paulò explicato: ut verò eam definirent, præmiserunt. Natura humana & si in illa integritate in qua est condita permaneret, nullo modo seipsam, suis scilicet solis viribus naturalibus (ut Pelagiani dicebant) creatore suo non adjuvante saltim per influxum habituum justitiæ originalis, & gratiæ, & theologicarum virtutum servaret: unde cum sine gratia Dei (solo scilicet influxu suarum virium naturalium) salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia, solis scilicet suis viribus, poterat recuperare quod perdidit? Quare nemo potest ex ejusmodi definitione colligere primos parentes in innocentiæ statu ad vitanda lethalia peccata, perseverandumque in gratia eguisse auxilio particulari superaddito habitibus justitiæ originalis, gratiæ, theologicarumque virtutum.] Ita Molina quæst. 14. art. 13. disp. 4. §. *Hoc jacto fundamento.* Hoc idem alibi sæpiùs affirmat, videlicet disput. 14. memb. 3. §. *Quartò ponendum est.* Ex parte consentit P. Suarez lib. 3. opusc. cap. 15. §. *Atque hinc*, ubi ait: [Posterior est, quod in statu naturæ lapsæ potentiori gratia indiget homo ad salutem consequendam, & ad perseverandum in bono, quàm ante lapsum propter carnis pugnam, & alias difficultates hujus status proprias. Ex quibus provenit ut homo in statu innocentiæ posset per commune auxilium gratiæ in justitia accepta perseverare si vellet; post naturæ autem lapsum, gratiæ justitiam reparatam, & commune auxilium ejus necessaria sit specialis Dei protectio, & gubernatio ad perseverandum in bono.] Cardinalis autem Bellerminus in lib. unico de gratia primi hom. cap. 4. in principio hæc habet: *Primus homo justitia originali, & habitu gratia gratum facientis ornatus non eguit auxilio speciali, quo excitaretur ad benè operandum, vel ad vitanda peccata.*

Prædicti recentiores ex hoc præcedenti asserto aliud inferunt in hunc modum: *In statu innocentiæ sufficiebat homini ad salutem illa gratia, qua poterat perseverare si vellet; ergo & nunc sufficit.* Ita de ipsis referunt insignes Academiæ, Lovanienses in censura supra relata assert. 22. & Duacenses in alia itidem censura supra citata assert. 22. quæ & hanc eis doctrinam subsequentem arrogant: [Est quoddam perseverantiæ donum consistens in quodam speciali auxilio & protectione, qua Deus ita protegit, & munit quosdam, ut fere indeclinabiliter in gratia perseverent usque ad mortem, quod quibusdam conceditur, ut fortè Apostolis post acceptum Spiritum Sanctum, & aliis qui dicuntur confirmati in gratia. Aliud est perseverantiæ donum quod consistit in quodam auxilio, & protectione, qua Deus ita adest ut possint in gratia perseverare, si velint; & hoc donum est necessarium ad salutem, & datur omnibus justis immediatè in actu primo. Quæ sententia eadem videtur cum illa quam ex Gregorio de Valentia supra adduximus, ut ex verbis adinvicem collatis facilè cuique colligere licebit.

Præterea de eodem perseverantiæ dono sic philosophantur: [Etenim ostendimus nullum quidem adultum perseverare posse diu in gratia sine speciali auxilio Dei, ob idque perseverantiam in gratia esse Dei donum, at nulli Deum denegare auxilium quod ad perseverandum sit satis: præterea cum auxilio cum quo unusquisque ad finem vitæ perseverat, posse si velit non perseverare; & cum auxilio quod Deus confert, & præstò est conferre ei qui non perseverat, posse perseverare, per eumque stare quod non perseveret. Quo fit ut ad donum perseverantiæ duo sint necessaria, unum ex parte Dei, videlicet ut ea auxilia conferre statuerit, cum quibus prævidebat adultum pro sua libertate perseveraturum. Alterum ex parte arbitrij adulti tanquam conditio sine qua voluntas conferendi talia auxilia non habuisset rationem voluntatis conferendi donum perseverantiæ, nempe ut adultus pro sua libertate ita sit cum eis cooperaturus ut perseveret, quod in potestate ipsius est collocatum. Quare non ita intelligendum est donum perseverantiæ esse à Deo, quasi per illud potestatem auferat ad non perseverandum, aut quasi per Deum stet, quominus is perseveret, qui in peccatum labitur.] Ita Molina q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. ult. §. *Secundum est.* Eandem sententiam docent omnes defensores scientiæ mediæ; donum enim perseverandi per illam scientiam mediam constituunt. Videatur Gregorius de Valentia 1. 2. q. 1. de necessit. grat. punct. 6. §. *Ad secundum:* ubi hæc dicit: *Nihil autem minus D. Augustinus, & alij Doctores volunt, quam perseverantiam ideo petendam esse, quia Deus quantum in ipso est, non omnibus dare velit auxilia sufficientia, & necessaria ad perseverandum.* Vbi per auxilia sufficientia, & necessaria ad perseverandum, intelligit illa auxilia, quibus positis nullo alio indiget homo, ut de facto si sibi placuerit, perseveret. Et in hoc sensu loquitur prædictus author, & cum eo sentit P. Vasquez 1. p. q. 98. c. 4. Id ipsum affirmat P. Suarez lib. 3. opusc. c. 11. n. 13. §. *Atque ex his*, ubi habet: [Atque ex his facilè declaratur quinta objectio de dono perseverantiæ, quo Augustinus ait, dari homini non tantùm ut possit perseverare, sed etiam ut perseveret. Nam inprimis ad perseverandum in gratia necessarium est speciale Dei adjutorium, quod per gratiam excitantem, & adjuvantem

eam

confertur. Vt ergo actu perseveret homo, necesse est ut Deus per illud auxilium, effectum obtineat, quem intendit, & consequenter necessarium est ut auxilium tribuat tali tempore, & accommodatum tali homini ut in eo infallibiliter habeat effectum, & hoc est illud magnum perseverantiæ donum, quod Deus tribuit suis electis.] Et in §. Deinde sic dicit: [Deinde etiam respectu perseverantiæ fatendum est esse in hominis potestate perseverare, quamvis fortasse perseveraturus non sit: quia si est injustus, justificari potest, & postquam jam justus est, non deseretur à Deo, nisi ipse Deum deserat. Quaproter auxilium recepit sufficiens, non solum ut possit perseverare, sed etiam ut perseveret si velit; alioquin vel non esset verè sufficiens respectu singulorum operum, vel saltim respectu collectionis non esset moraliter sufficiens, quod etiam est inconveniens, ut argumenta superiùs facta cap. 9. probant. Quia verò perseverantia non consistit in uno actu, sed in progressu vitæ successione quadam, non est necesse ut auxilium sufficiens ad illam simul, & actu detur, sed successivè, & in potentia seu præparatione, quantùm est ex parte Dei. Itaque si justus per auxilium, quod nunc actu recipit, faciat quod in se est, recipiet à Deo, si necessarium moraliter fuerit, majus & sufficiens auxilium, quo in actibus proximè sequentibus benè operari, & perseverantiam continuare possit. Quod si cum auxiliis illis rectè se gesserit, in posterum recipiet maiora, prout moraliter necessaria fiunt ad perseverandum amplius, atque in hunc modum est in cujuslibet justi potestate perseverare usque in finem vitæ.] Hactenus ille.

CAPUT XXVI.

Reliqua istorum recentiorum placita hanc materiam concernentia recensentur, & breviter perstringuntur.

RECENTIORES prædicti omnem suam concordiam & doctrinam sequentibus propositionibus concludunt: *Eodem modo Deus sua sapientia leges, quibus vitam supernaturalem atque ejus incrementum conferret, accommodavit; ut sicut per gratiam hominis naturam ex se liberam perficiebat, ita & ante receptionem gratiæ, & in ipsa receptione gratiæ & postea in augumento illius suum locum libero relinqueret arbitrio, quatenus ipse author esset omnium bonorum, omniaque ei acceptâ referrentur, ut nihilominus libero arbitrio propria industria, & laus servaretur.* Hæc assertio, quia generalissima est, & omnem hominis statum in hac præsenti vita complectitur, licet ab authore concordiæ statim in principio, videlicet disput. 9. citata constituatur, tamen visum fuit nobis in hoc loco eam collocare, ut hoc pacto cum omni doctrina hac generaliter concludamus; nam duæ sequentes assertiones non tam doctrinam tangunt, quàm nimiam in loquendo libertatem hujus authoris ostendunt.

[Quamvis (inquit) hi hæretici, vel divinæ gratiæ, vel libertati arbitrij præjudicium afferre moliti sunt, ex scripturis sanctis principiisque fidei efficaciter sunt expugnati. Haud tamen scio an explicata penitus sit, & abundè reddita ratio integra conciliandi libertatem arbitrij cum illis tribus, & hæreticis aditus, quo faciliùs ad pacem unitatemque Ecclesiæ redirent, sit patefactus, & concertationes, quæ ante mille annos inter viros Catholicos obortæ sunt, quantùm par est, sint compositæ.] Ita habet Molina quæst. 23. memb. ultim. §. *Licet semper in disputatione prima.*

[Nos verò pro tenuitate nostra rationem totam conciliandi libertatem arbitrij cum divina gratia, præscientia, & prædestinatione, quam toto art. 13. q. 14. & art. 6. quæst. 19. quæst. 22. & tota hac quæstione tradidimus, sequentibus principiis; ex quibus eam deduximus, quæque variis in locis tradidimus, inniti iudicamus, quæ si data explanataque fuissent, fortè neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam imprudenter liberi nostri arbitrij libertatem fuissent ausi negare; obtendentes cum divina gratia, præscientia, & prædestinatione cohærere non posse; neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent, faciléque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in epistolis Prosperi, & Hilarij fit mentio, fuissent extinctæ, ut patet ex iis, in quibus homines illos cum Catholicis convenisse, & ab eis dissensisse eædem epistolæ testantur, concertationes denique inter Catholicos facilè fuissent compositæ.] Ita concludit eadem quæst. 23. memb. ult. §. Nos pro nostra. *Longior fui*, inquit, *in hac disputatione quam optarem, vereorque ne aliquarum rerum repetitio lectori molestiam attulerit; quia tamen res est magni momenti, ac valde lubrica, & hac ratio nostra conciliandi libertatem arbitrij cum divina prædestinatione à nemine, quem viderim, hucusque tradita; ideo satius hæc duxi paulò fusiùs explicare, ne fortè eorum pressior explicatio efficeret, quominus mens nostra ab his, qui minus ingenio pollent, perciperetur.* Hæc ille. Quibus dissertissimis verbis suam hanc doctrinam in re tanti momenti ut novam agnoscit, & agnitam novitatem in Ecclesiam introducit. Et iterum ibidem §. *credens*, ait: [Credens autem Augustinus cum his, quæ de gratia adversus hæresim Pelagianam ex scripturis rectissimè docuerat, conjunctum esse, prædestinationem Dei æternam non fuisse secundum merita, qualitatemque usus arbitrij à Deo prævisi, sed solum secundum Dei beneplacitum, iuxta etiam doctrinam Pauli ad Rom. 9. quæ doctrina plurimos ex fidelibus, præsertim ex his qui in Gallia morabantur, non solum indoctos, sed etiam doctissimos viros, atque in Episcopali dignitate constitutos mirum in modum turbavit; ne dicam illius occasione salutem eorum fuisse periclitatam; ne enim hujusmodi doctrinæ adhærerent, potiùs Pelagianæ ex parte assentiendum putabant. Sententiam verò Augustini secutus fuit D. Thomas, & post eum plerique Scholasticorum.] Idem contra sententiam S. P. Augustini tradit eadem quæst. 23. memb. 6. §. *Quoad Augustinum*: ubi ita habet: *Interim verò dum, sub ea quasi caligine, Augustinus ad hoc non attendit, &c.* Fas ne est, amabo vos? quod in materia prædestinationis & gratiæ S. P. Augustinus sub sua quasi caligine degat, & Molina perspicaciter videat? Et quod ad id non attenderit Augustinus, ad quod Molina attendit? Quodque dura sit S. P. Augustini in hac materia sententia, & doctrina; suavis autem & facilis ea quam Molina noviter in Ecclesiam invehere nititur; cum ipsa S. P. Augustini sententia in materia prædestinationis, & gratiæ sit ipsamet Ecclesiæ fides, ut infra in his nostris operibus passim ostendemus. Quod & ipse Cardinalis Bellarminus fatetur.

Hucusque illorum Catholicorum sententiam, qui de hac materia scripserunt, in hoc tractatu retulimus, simplicemque & veram historiam texuimus, nihil ex nobis tanquam ex nobis (sicut fidelem historiam decet) superaddentes. Nunc jam, quod

Digitized by Google

quod Theologi est proprium munus agentes, prædictam doctrinam, secundùm quod Dominus dederit, discutiamus, & an veritate subsistat expendamus, ea sola intentione ut agnita veritas relicta falsitate ab omnibus amplexetur. Sed antequam huic tractatui vale dicamus pios ac doctos Theologos rogamus, ut saltem ad ea, quæ in hac ultima assertione relata sunt, dignentur attendere. In qua plura animadversione digna reperire est.

Primò, doctrinam hanc, vel ipso recentiorum judicio, & publica confessione sancti Augustini sententiæ omnino adversari; quæ reipsa, imò & secundum ipsosmet, asserit prædestinationem non fieri secundùm præscientiam boni usus liberi arbitrij etiam conditionatam, seu quam vocant mediam, sed secundùm Dei propositum. Secundò, quomodo, & verè quidem fateatur Molina eandem doctrinam de prædestinatione D. Thomam amplexatum fuisse, secutum Sancti Patris Augustini sententiam. Tertiò, eam etiam plerosque Theologos scholasticos defendere cum SS. Augustino & Thoma, quam tamen contrariam fatetur ut dicit prædestinationi, quam ipse statuit secundum mediam illam præscientiam. Et quod magis mirandum est, ex sententia sancti Augustini turbatos fuisse asserit fideles. Sed quia hæc ipsius verba accuratius veniunt infra suo proprio loco faciliès expendenda, cum de prædestinatione agendum erit, nec hîc plura dicemus, contenti quod omnes adverterint ipsum fateri suam de prædestinatione sententiam oppositam, & contrariam doctrinæ SS. Augustini & Thomæ; hoc enim ad præsens satis est aperire.

Cum autem ipse minùs dubitare posset S. Augustini de Prædestinatione sententiam Pelagianorum doctrinæ omnino esse oppositam, & illam sancti Augustini manifestè rejiciat, attendat lector ad quam ipse declinet. Unde verba quædam doctissimi cujusdam ex eadem familia, nimirum P. Henriq. quem honoris causa nominaverim referam, is enim in quodam memoriali exhibito Clementi VIII. ab istis authoribus Molina videlicet, & sequacibus sequentia, & assarta refert, nimirum; *Si Patres in Conciliis, in quibus damnatus est Pelagius, advertissent, & Pelagius se potuisset defendere, Patres illum non ita damnassent.* In quibus præfatus author brevi compendio rem magni momenti & magna attentione dignam expromit, quam debent omnes attentiùs inspicere.

Plures aliæ assertiones satis peregrinæ referri poterant, quæ ab his recentioribus defendi solent, esset tamen laboriosum opus, lectoribusque tædium non minimum generaret, si omnia hîc adducerentur, totus enim ille Concordiæ liber his respersus est, & abundat, quæ à Theologis minimè probantur, aut probari debent.

Prædictas omnes, & singulas assertiones supra relatas, quas authores citati tuentur, ac publicè defendunt, innumeris penè allegationibus Doctorum, & Sanctorum Patrum testimoniis corroborare, & communire laborant, quibus prædictum concordiæ librum, aliosque similem continentes doctrinam protegant, & defendant. Quod simplices, & incautos, & in his materiis minus versatos turbavit plurimùm. Dabit tamen Dominus, ut apertè ostendamus sacros Ecclesiæ Doctores, & SS. Patres, Conciliaque Oecumenica, ac demum summos Pontifices hanc illorum doctrinam efficaciter redarguere, & penitus expugnare. Dabit quidem, ut aperiamus omnes sanctorum in contrarium prætensas allegationes, vel falsò omnino adduci, vel truncatè, vel in alieno, & distorto sensu, ab eo quem prædicti SS. Doctores semper intellexerunt.

Unum autem sub brevitate referemus, nimirum præcipuas ex assertionibus relatis accuratissimè Romæ examinatas, & reprobatas à censoribus fuisse à Sancta Sede ad id deputatis. Deinde secundò eandem causam fuisse revisam, & easdem præcipuas ex relatis assertionibus, frequentibus disputationibus fuisse exagitatas in præsentia eorundem censorum ab Apostolica Sede deputatorum. Ac tandem tertiò postea per triginta & septem disputationes habitas coram fœlic. record. Clemente VIII. Pontifice maximo, & per alias totidem Congregationes, in quibus post disputationes conveniebant censores cum Illustrissimis & Reverendissimis Dominis Cardinalibus sancti Officij coram fœl. record. eodem Clemente VIII. Vbi maturiùs omnia ista examinabantur. In quibus disputationibus nos divina gratia efficaciter, ut putamus præventi, acerrima conflictatione contra plures Patres è Societate Iesu ad hoc electos, & deputatos pro divina gratia propugnavimus, quorum omnium acta apud nos habemus, sperantes obtenta priùs à Sancta Sede Apostolica licentia nos illa aliquando in lucem posse committere.

Mortuo autem Clemente VIII. 3. Maij 1605. & in Pontificem electo Leone XI. cum tantum per viginti sex dies Petri Sedem tenuisset, nihil potuit circa hanc magnam controversiam definire. Post ipsius obitum electus fuit in summum Pontificem Paulus V. à quo speratur ut omnia in rectum finem perducat. Qui superaddictis decem aliis publicis disputationibus, & totidem censorum auditis suffragiis, rem ampliùs voluit examinari. Ita quod quadraginta septem publicæ coram utroque Sanctissimo Domino disputationes habitæ fuere: & censorum coram eisdem congregationes aliæ quadraginta septem. In quibus omnibus, præterquam in prima, & in altera, quia tunc infirmitate detinebamur, nos pro divinæ gratiæ efficacitate semper disputavimus.

Igitur in nomine Domini hanc illorum concatenatam doctrinam, quam contra divinam causalitatem & gratiam, non in defensionem, sed in superbam elationem arbitrij fundare procurant, refellere & expugnare incipiamus, imò jam expugnatam & repulsam fuisse per antiquos Patres ostendamus. Exordium autem, & initium sumamus eradicando, & funditùs evertendo illud primum principium in prima assertione relatum, quo dicunt liberum arbitrium post peccatum primi Parentis spoliatum fuisse in gratuitis, non autem læsum in naturalibus.

TRACT.

Digitized by Google

INDEX,

TRACTATVVM ET CAPITVM

SECVNDÆ PARTIS TOMI PRIMI.

TRACTATVS PRIMVS.

De læsione liberi arbitrij per peccatum originale.

CAPUT I. *Opinio modernorum circa læsionem liberi arbitrij per peccatum originale.* pagina 1.

CAP. II. *Adducuntur rationes quæ recentiores adduxerunt ad dicendum liberum hominis arbitrium per peccatum originale minimè læsum fuisse.* pag. 3.

CAP. III. *Per peccatum originale non solum fuisse liberum arbitrium spoliatum gratuitis, sed verè læsum in naturalibus demonstratur.* pag. 5.

CAP. IV. *Quædam exponuntur quæ forent homini propria, si in puris naturalibus conderetur.* pag. 7.

CAP. V. *Sex recapitulantur status in quibus potest homo considerari, & ostenditur quæ sint hominis lapsi statui peculiaria & propria.* pag. 9.

CAP. VI. *Per originale peccatum nedum hominis arbitrium spoliatum gratuitis fuisse, sed verè ac propriè læsum in naturalibus semper sanctus Thomas, docuit.* pag. 11.

CAP. VII. *Quod in homine per peccatum originale diminuta fuerit ad virtutem inclinatio ex sancto Thoma comprobatur.* pag. 13.

CAP. VIII. *Cujusdam recentioris evasio, & sinistra sancti Thomæ testimoniorum interpretatio præcluditur.* pag. 16.

CAP. IX. *Quomodo concupiscentia in homine lapso sit peccati originalis materiale deteriorans naturæ illius vires ex D. Thoma ostenditur.* pag. 18.

CAP. X. *Per peccatum originale fuisse læsum ac vulneratum hominem, in suis naturalibus; S.P. Augustinus non obscurè tradidit.* pag. 20.

CAP. XI. *Hominem in suis naturalibus per peccatum originale fuisse læsum & deterioratum ex Concilio Tridentino demonstratur.* pag. 25.

CAP. XII. *Per peccatum originis fuisse hominem in naturalibus vulneratum ex Concilio Arausicano & sanctis Patribus comprobatur.* pag. 27.

CAP. XIII. *Hominem in suis naturalibus peccato originis læsum mansisse ex communi quodam proloquio Theologorum per Scripturæ sacræ testimonium confirmato ostenditur.* pag. 29.

CAP. XIV. *Hominem in suis naturalibus peccato originali remansisse læsum convincitur ex ignorantia, & ex pronitate ad malum quibus modò afficitur, & in puris naturalibus non inficeretur.* pag. 30.

CAP. XV. *Idem demonstratur ex rebellione appetituum inferiorum adversus superiorem.* pag. 31.

CAP. XVI. *Argumenta opposita ex quibus D. Thomæ testimoniis petita diluuntur.* pag. 34.

CAP. XVII. *Aliis testimoniis ex S. Thoma oppositis respondetur.* pag. 35.

CAP. XVIII. *Aliæ solvuntur objectiones ex discipulorum S. Thomæ authoritatibus allatæ.* pag. 40.

CAP. XIX. *Solvuntur objectiones aliæ ex authoritate Patrum tùm Græcorum, cùm Latinorum petitæ.* pag. 42.

CAP. XX. *Patris Molinæ rationes & de peccato originali sententia discutiuntur.* pag. 44.

CAP. XXI. *Quod non rectè de peccato originali loquatur prædicta sententia in particulari magis ostenditur.* pag. 45.

CAP. XXII. *Magis in particulari aperitur quod ista sententia non admittat peccatum originale esse veram culpam. Vbi & de beata illa vita à parvulis sine baptismo decedentibus post judicij diem possidenda.* pag. 51.

CAP. XXIII. *Quædam evasiones præcluduntur.* pag. 53.

CAP. XXIV. *Dubium quoddam circa parvulorum sine baptismo decedentium miseriam proponitur, & dissolvitur.* pag. 55.

TRACTATVS SECVNDVS.

De natura contingentis & radice contingentiæ. pag. 57.

CAPUT I. *De natura contingentis & multiplici ejus acceptione.* ibid.

CAP. II. *Quod prima radix libertatis ac contingentiæ non sit aliqua causa secunda explicatur.* pag. 60

CAP. III. *Recentiores constituentes causam secundam esse primam libertatis radicem, ex Divo Thoma refelluntur.* pag. 61.

CAP. IV. *Recentiorum evasiones præcluduntur quibus conantur ostendere se constituere primam radicem contingentiæ ipsam divinâ voluntatem.* pag. 62.

Digitized by Google

Index Tractatuum & Capitum.

CAP. V. *Proponuntur argumenta quæ probare videntur quod in causas secundas rerum contingentia reducenda sit.* pag. 64.
CAP. VI. *Argumenta in superiori capite proposita solvuntur.* pag. 65.
CAP. VII. *Non negatur creatum arbitrium, sed firmatur cum ponitur à Deo moveri.* pag. 66.
CAP. VIII. *Quod prima radix contingentiæ ac libertatis, creata, non sit divinus intellectus, sed divina voluntas.* pag. 68.
CAP. IX. *Solvuntur argumenta quæ adducta sunt suprà ad probandum divinum intellectum & non divinam voluntatem esse primam contingentiæ radicem.* pag. 70.
CAP. X. *Quod prima radix contingentiæ sit divina voluntas ut habens adjunctam divinam libertatem.* pag. 71.
CAP. XI. *Quod nulla esset contingentia & libertas in rebus, si Deus ex necessitate naturæ operaretur.* pag. 72.
CAP. XII. *Quod supposito universi ordine, sicut modò est, si Deus ex necessitate operaretur nullus esset effectus liber, vel contingens è causis secundis emanans.* pag. 73.
CAP. XIII. *Si Deus mundo jam producto, sicut modò est, ex necessitate naturæ operaretur, æquè potenti etiam vel intenso concursu, ac illo quo modò operatur, nullus produceretur in exercitio effectus liber, vel contingens.* pag. 74.
CAP. XIV. *Proponuntur argumenta contra prædictam resolutionem, & dissolvuntur.* pag. 78.
CAP. XV. *Proponuntur argumenta quibus adversarij probare nituntur, quod Deus potest voluntatem necessitare præsupposito objecto indifferenti per rationem.* pag. 79.
CAP. XVI. *Quod præsuppositio per rationem objecto indifferenti, impossibile omninò est quod voluntas necessitetur ad actum.* pag. 80.
CAP. XVII. *P. Martini Becani sententia confutatur & rationes ejus dissolvuntur.* pag. 82.
CAP. XVIII. *Solvuntur argumenta contraria.* pag. 84.

TRACTATUS TERTIUS

De divinis Prædefinitionibus.

CAPUT I. *Quid sit divina voluntatis prædefinitio.* pag. 87.
CAP. II. *Quod divinæ prædefinitiones antecedere debent præscientiam conditionatam futuri actus.* pag. 89.
CAP. III. *In scripturis vera prædefinitiones divinæ voluntatis traduntur.* pag. 92.
CAP. VI. *Eadem divinæ voluntatis prædefinitiones ostenduntur ex Patribus.* pag. 96.
CAP. V. *Æternas Dei prædefinitiones docuit S. Thomas semper & cum eo Theologi.* pag. 100.
CAP. VI. *Quod divinæ prædefinitiones potissimè ad divinam voluntatem pertineat.* pag. 103.
CAP. VII. *Quod omne quod habet rationem entis sit à divina voluntate prædefinitum.* pag. 104.
CAP. VIII. *Quod omnia bona à Deo sint prædefinita aliis rationibus probatur.* pag. 105.
CAP. IX. *Proponuntur adversariorum argumenta ex authoritate Patrum desumpta contra SS. divinas prædefinitiones.* pag. 107.
CAP. X. *De rationibus quibus recentiores divinas oppugnant prædefinitiones.* pag. 108.
CAP. XI. *Respondetur argumentis, & primo ostenditur quod Patres citati non negant divinas prædefinitiones.* pag. 110.
CAP. XII. *Quod alij Sancti Patres inducti non negant divinas prædefinitiones.* pag. 112.
CAP. XIII. *De vera intelligentia sancti Hyeronimi & sancti Thomæ in locis inductis.* pag. 115.
CAP. XIV. *Ex divina voluntate absoluta & prædefiniente humanas operationes, non ladi liberum arbitrium; sed liberari ostenditur & primum adversariorum argumentum diluitur.* pag. 117.
CAP. XV. *Alia solvuntur argumenta.* pag. 122.
CAP. XVI. *Ultimum solvitur argumentum & ostenditur Deum prædefiniendo actionem, quæ est in peccato ad peccati malitiam non concurrere.* pag. 124.
CAP. XVII. *Proponuntur argumenta quibus probari intenditur, quod necessitas ex suppositione antecedente tollat libertatem.* pag. 127.
CAP. XVIII. *Quod secundum Sanctum Augustinum necessitas ex suppositione divina antecedente, non tollat libertatem.* pag. 129.
CAP. XIX. *Quod secundum S. Thomam necessitas ex suppositione divina antecedente non tollit libertatem.* pag. 131.
CAP. XX. *Ex Sancto Anselmo manifestatur quod ex suppositione antecedente divinæ voluntatis non tollatur libertas in humanis operationibus.* pag. 132.
CAP. XXI. *Rationibus ostenditur quod ex suppositione antecedente divinæ voluntatis non impeditur humana libertas.* pag. 137.
CAP. XXII. *Solvuntur argumenta contra in cap. 17. apposita.* pag. 139.
CAP. XXIII. *Alia proponuntur & solvuntur argumenta.* pag. 142.
CAP. XXIV. *Solvuntur argumenta.* pag. 144

TRACTATUS QUARTUS.

De sensu composito & diviso.

CAPUT I. *Distinctionem de sensu composito & diviso seu omninò necessariam admitti; & probari debere ex sacra Scriptura ostenditur.* pag. 146.
CAP. II. *Distincto prædicta de sensu composito & diviso ex S. Concilo Tridentino & Patribus stabilitur.* pag. 148.
CAP. III. *Ex Sancto Thoma & Scholasticis eadem distinctio aperitur.* pag. 151.
CAP. IV. *Quomodo recentiores admittant distinctionem de sensu diviso & composito.* pag. 152.
CAP. V. *Impugnatur primum adversariorum fundamentum.* pag. 154.
CAP. VI. *Secundum recentiorum fundamentum evertitur.* pag. 156.
CAP. VII. *Tertium recentiorum destruitur fundamentum* pag. 157.
CAP. VIII. *Vera traditur intelligentia de sensu diviso, & composito.* pag. 159.
CAP. IX. *Ad pleniorem sensus divisi & compositi intelligentiam; quædam regulæ adducuntur.* pag. 160.
CAP. X. *Distinctio sensus compositi & divisi, aliis verbis, sed eodem sensu ex aliorum doctorum sententia amplius explicatur.* pag. 162.

CAP.

Digitized by Google

Index Tractatuum & Capitum.

CAP. XI. *Quod in Deo est realis potentia ad non producendum Antichristum postquam determinavit producere.* pag. 162.

CAP. XII. *An posse resistere & posse dissentire involuant sensum compositum vel divisum cum eo cui resistitur & dissentitur.* pag. 166.

CAP. XIII. *Omnes propositiones tam affirmativæ, quam negativæ, quæ possunt formari per hæc verba posse resistere & posse dissentire, adducuntur & quam compositionem involuant, quomodove se habeant ad veritatem seu falsitatem ostenditur.* pag. 168.

CAP. IV. *Hanc propositionem, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum posse dissentire, Deo vocanti & excitanti, componere cum Deo vocante & excitante, non cum Deo efficaciter movente.* pag. 170.

CAP. XV. *Prædictam propositionem non sumi compositè seu non componere simpliciter dissensum cum efficaci Dei motione, ex eodem. S. Concilio amplius demonstratur.* pag. 174.

CAP. XVI. *Errores Calvini & hæreticorum contra quos ibi sacrum Concilium Tridentinum definivit. Breviter referuntur & ex iis ostenditur mens ipsius Concilij circa efficaciam divinæ motionis* pag. 180.

CAP. XVII. *Eandem non solum excitationem sed veram prævenientem motionem esse à sacro Concilio traditam amplius explicatur.* pag. 183.

CAP. XVIII. *Quid sit excitans & adjuvans gratia, & quomodo ab invicem distinguantur, breviter explicatur.* pag. 186.

CAP. XIX. *Idem amplius ostenditur ex Concilio Tridentino in Canone 3. & 4. illius sessionis. 6.* pag. 186.

CAP. XX. *Vera stabilitur intelligentia illius propositionis. Liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum potest dissentire si velit, quam tradit Concilium Tridentinum sessionis. 6. de justificatione.* pag. 192.

CAP. XXI *Solvuntur argumenta contra distinctionem de sensu diviso & composito.* pag. 196.

TRACTATVS QVINSVS.

Examinatur scientia media & impugnatur.

CAPUT I. *Aperitur quid sit hæc scientia media sive conditionata.* pag. 200.

CAP. II. *Fundamenta pro hac media scientia proponuntur, & primò ex sacris litteris.* pag. 205.

CAP. III. *Eandem scientiam mediam probant adversarij ex Sanctis Patribus.* pag. 206.

CAP. IV. *Ex Scholasticis probant scientiam mediam adversarij.* pag. 209.

CAP. V. *Rationibus eandem scientiam persuadent.* pag. 209.

CAP. VI. *Hanc mediam scientiam Pelagianorum fuisse damnatum, fundamentum ostenditur ex Sanctis Hilario & Prospero.* pag. 211.

CAP. VII. *Hanc mediam scientiam damnat S. Augustinus sæpè præcipuè capite 9. de prædestinatione Sanctorum.* pag. 214.

CAP. VIII. *Quædam recentiorum ad Divi Augustini testimonia responsiones præcluduntur & rejiciuntur.* pag. 218.

CAP. IX. *Prædicta doctrina tradita in cap. 9. de prædestinatione Sanctorum magis explicatur & falsa intelligentia illius capitis præcluditur.* pag. 221.

CAP. X. *Quod hanc mediam scientiam damnaverit S. Thomas.* pag. 223.

CAP. XI. *Quod in locis à recentioribus pro media scientia stabilienda inductis Sanctus Thomas scientiam mediam non approbet.* pag. 225.

CAP. XII. *Rationibus falsitas hujus mediæ scientiæ demonstratur.* pag. 228.

CAP. XIII. *Aliis rationibus impossibilitas hujus mediæ scientiæ aperitur.* pag. 230.

CAP. XIV. *Rationibus aliis scientia media impugnatur.* pag. 232.

CAP. XV. *Rationibus aliis impossibilitas mediæ scientiæ demonstratur.* pag. 234.

CAP. XVI. *Impossibiltas mediæ scientiæ demonstratur ex eo quod per illam Deo denegetur certa futurorum cognito.* pag. 236.

CAP. XVII. *Quod per mediam scientiam nostra tollatur libertas ostenditur.* pag. 240.

CAP. XVIII. *Quod scientia media voluntatem humanam ex natura rei determinatam ad unam partem constituendo ejus libertatem auferat.* pag. 244.

CAP. XX. *Ex universali Dei providentia de rebus omnibus disponente, ad excludendam scientiam arguitur & demonstratur, nec eminenter in Deo illam reperiri posse.* pag. 247.

CAP. XXI *Quod varia sint futura conditionata & multiplex eorum cognitio, seu scientia.* pag. 251.

CAP. XXII. *Quænam futura per scientiam simplicis intelligentiæ, quæ verò per scientiam visionis cognoscantur quinque appositis regulis ostenditur.* pag. 253.

CAP. XXIII *Quod in Deo dentur decreta circa aliqua futura conditionata quæ numquam erunt ex Sacra Scriptura demonstratur.* pag. 260.

CAP. XXIV. *Quod in Deo dentur & quomodo hujusmodi decreta circa aliqua futura conditionata, quæ numquem erunt rationibus ostenditur.* pag. 262

CAP. XXV. *Satisfit argumentis quibus contrarij ostendere nituntur quod ista decreta non sint in Deo.*

CAP. XXVI. *Quorumdam Thomistarum rationes negantium in Deo illa decreta circa futura conditionata, quæ numquam futura sunt adducuntur & solvuntur.* pag. 267.

CAP. XXVII. *Vera intelligentia locorum Scripturæ quæ videntur favere illi scientiæ mediæ & supra eductæ sunt.* pag. 268.

CAP. XXVIII. *Variæ traduntur explicationes illius loci, si in Tyro & Sidone &c. & ea quæ est recentiorum confutatur.* pag. 370.

CAP. NXIX. *Vera illius loci sacræ Scripturæ Matthæi 11. & Lucæ 10. si in Tyro & Sydone &c. traditur explicatio præsertim ex D. August.* pag 272.

CAP. XXX. *Solvuntur argumenta contra prædictam explicationem.* peg. 274.

CAP. XXXI. *Respondetur argumentis deductis ex S. Patribus.* pag. 277.

CAP. XXXII. *Aliis locis ex Sanctis Patribus satisfit.* pag. 278.

CAP. XXXIII. *Explicatur locus sancti Augustini ex libro primo ad Simplicianum q. 2. de vocatione congrua.* pag. 279.

CAP. XXXIV. *Aliis testimoniis pro vocatione congrua adducuntur ex eod. D. Augustino & D. Chrisostomo satis fit.* pag. 283.

CAP. XXXV. *Rspondetur locis adductis ex Scholasticis pra scientia media.* pag. 284.

CAP. XXXVI. *Vera intelligentia aliorum Scholasticorum qui falsò allegantur pro scientia media.*

Digitized by Google

Index Tractatuum & Capitum.

dia. pag. 286.

CAP. XXXVII. *Rationibus pro scientia media satisfit.* pag. 290.

CAP. XXXVIII. *Aliis rationibus respondetur.* pag. 292.

TRACTATVS VLTIMVS.

De vero modo, quo Deus futura contingentia cognoscit.

CAPUT I. *Quòd Deus certò cognoscat futura contingentia & libera absoluta antequam sint.* pag. 295.

CAP. II. *Variæ referuntur sententiæ circa modum quo Deus futura contingentia & libera cognoscit.* pag. 296.

CAP. III. *Quòd nulla sit objectiva veritas in futuris contingentibus & liberis ante decretum divinæ voluntatis ut certò à Deo cognoscantur.* pag. 299.

CAP. VI. *Solvuntur argumenta quæ videntur impugnare prædictam resolutionem.* pag. 303.

CAP. V. *Quod ut Deus certò cognoscat futura contingentia, illa debent esse determinatæ veritatis.* pag. 306.

CAP. VI. *Quod futura libera non cognoscantur à Deo ante formalem actum divinæ voluntatis.* pag. 307

CAP. VII. *Quod futura libera cognoscantur à Deo in determinatione suæ voluntatis, ex D. Thoma ostenditur.* pag. 309.

CAP. VIII. *S. Thomam minimè docuisse futura hujusmodi cognosci à Deo in determinatione suæ voluntatis, opponunt recentiores, sed reffelluntur & S. Thomæ mens amplius elucidatur.* pag. 312.

CAP. IX. *Explicatur magis mens & sententia S. Thomæ circa cognitionem futurorum contingentium respondendo iis quæ ipso in oppositum objiciuntur.* pag. 315.

CAP. X. *Ostenditur quod subtilis Doctor Scotus senserit, Deum certò futura, contingentia cognoscere post determinationem, seu prædefinitionem suæ voluntatis.* pag. 317.

CAP. XI. *Contendunt recentiores quod liberum arbitrium, non ideo cooperaturum est, quia Deus præscivit sed è contra.* pag. 318.

CAP. XII. *Ostenditur ideo liberum arbitrium cooperaturum esse, quia Deus præscivit cooperaturum.* pag. 320.

CAP. XIII. *Aperitur vera intelligentia Sanctorum cum dicunt ideo Deum præscire futura quia ipsa erunt.* pag. 322.

CAP. XIV. *Continuatur prædicta Sanctorum Patrum vera intelligentia.* pag. 325.

CAP. XV. *Quomodo in Deo concedi debeat futurorum præscientia.* pag. 328.

CAP. XVI. *Adducuntur qui dixerunt futura, præsentia Deo in æternitate non esse secundum suas naturales existentias, cum fundamentis eorum.* pag. 330.

CAP. XVII. *Futura non esse priùs per quandam anticipationem coexistentia in æternitate, quam existant in tempore suo.* pag. 330.

CAP. XVIII. *Ex Sanctis Patribus ostenditur omnia, præterita, præsentia & futura, secundum suas reales existentias æternitati coexistere.* pag. 335.

CAP. XIX. *Sancti Thomæ testimoniis ac veris rationibus probatur vera coexistentia rerum etiam futurarum ad æternitatem.* pag. 338.

CAP. XX. *Quare Sanctus Thomas tractans quæstionem de cognitione divina respectu futurorum contingentium, recurrit semper ad coexistentiam eorum in æternitate.* pag. 341.

CAP. XXI. *Ostenditur breviter quomodo cognoscat Deus futura contingentia per coexistentiam eorum ad æternitatem.* pag. 344.

CAP. XXII. *Solvuntur contraria argumenta supra adducta.* pag. 345.

CAP. XXIII. *Diluuntur argumenta Durandi & P. Suarez.* pag. 346.

CAP. XXIV. *Quod ex coexistentia futurorum in æternitate non tollitur eorum libertas.* pag. 348.

CAP. XXV. *Solvitur potissimum adversariorum fundamentum.* pag. 350.

FINIS.

Digitized by Google

TRACTATVS PRIMVS.

DE LÆSIONE LIBERI ARBITRII per Peccatum Originale.

CAPUT I.

Opinio Modernorum circà Læsionem Arbitrij per Peccatum Originale.

Incipit examinari assertio recentiorum.

MERITÒ in his nostris Libris non ab alia ex centum assertionibus, quas ex authoribus cum quibus agimus, suscipimus examinandas, sed ab hac, quæ de læsione liberi arbitrij hominis per peccatum originale sermonem proponit, duximus sumendum exordium: quia singulare fundamentum est, ex quo quasi omnes aliæ originem trahunt: Quod proinde si rectè, ut par est, jaciatur, & in veritate explicetur, plures consequenter veritates clarescent, sicut ex ipso perperam, aut sinistrè præsuppositò necesse erit plura etiam falsa, & in his materiis fugienda deduci. Quis enim dubitet ad rectè differendum de justificatione & gratia, de prædestinatione & reprobatione, ac de his quæ homo potest facere sine auxilio gratiæ cum solo illo ordinis naturalis generali concursu multum suprà modum juvare sanam ac rectam intelligentiam læsionis, vel non læsionis arbitrij in suis naturalibus per peccatum originis? Nec solùm ad ista juvat; verùm talis perfecta hujus principij notitia simpliciter ad id noscitur necessaria. Quod ipsum Tridentinum Concilium, antiquiora illa Africana renovans, satis apertè docuit cum sessione 6. de Iustificatione cap. 1. inquit: *Primùm declarat sancta Synodus ad justificationis doctrinam probè, & sincerè intelligendam, oportere, ut unusquisque agnoscat, & fateatur, quod cum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti immundi, & ut Apostolus inquit, natura filij iræ, quemadmodum in Decreto de Peccato Originali exposuit, usque adeò servi erant peccati, & sub potestate Diaboli ac mortis, ut non modo gentes per vim naturæ, sed nec Judæi quidem per ipsam etiam literam legis Moysi indè liberari, aut surgere possent; tametsi in eis liberum arbitrium minimè extinctum esset, viribus licet attenuatum, & inclinatum.* Quibus duo in substantia proponit. Primum necessarium esse ad justificationis materiam rectè intelligendam illud primum fundamentum de peccato originali; tenere videlicet, atque confiteri omnes ex Adamo per naturalem generationem descendentes verè immundos, ac peccatores esse, & filios iræ nasci, nec inde sine gratia Christi posse consurgere. Alterum verò, liberum eorum arbitrium licet per originale peccatum extinctum non fuerit, verè tamen mansisse viribus attenuatum, & inclinatum. Et quidem si hæc ultima verba sacri Concilij in veri intelligentia ab omnibus reciperentur, verèque omnes traderent liberum hominis arbitrium, quod extinctum per peccatum non fuit (ut fides docet contra Lutherum, & Calvinum, & eorum sequaces) verè tamen viribus mansisse attenuatum, & inclinatum per originale peccatum; quod eadem Catholica veritas contra Pelegianos omnes pariter tenet. Si, inquam, omnes hæc verba Concilij in pura, ac vera intelligentia, tenerent, atque faterentur, verè ac propriè liberum hominis arbitrium per peccatum originale, quod in singulis est, mansisse viribus attenuatum, & infirmatum, nec modo id esset explicandum, & defendendum, nec multa quæ consequenter in suis libris tradunt aliqui Authores, scripsissent, facilèque perirent quæstiones multæ, & controversiæ variæ, quæ his temporibus passim inter Catholicos agitantur, nec tot ac tanta contra verum adjutorium gratiæ publicarentur, nec arbitrium ipsum quasi non infirmum, sed sanum adversus Dei gratiam extolleretur; omnia enim hæc & plura alia ex hoc principio scaturire noscuntur quod per peccatum originale non verè fuerit arbitrium hominis læsum in naturalibus, sed tantum spoliatum gratuitis.

Qua ratione advertens Molina hoc totius suæ doctrinæ existere fundamentum illud præmisit in principio concordiæ suæ q. 14. atr. 13. disp. 3. Verba ipsius summatim & ad brevitatem reducta hæc continent.

Sententia Ludovici Molinæ circa læsionem arbitrij per

Primò. Quod post primi hominis peccatum totum genus humanum rectè fuit supernaturalibus bonis spoliatum.

Secundò. Quod naturales vires destitutæ fuere

Digitized by Google

peccatum originale.

eo vigore, quem originalis justitia tribuebat.

Tertiò. Eædem vires naturales tales secundum se manserunt, quales eas essemus habituri, si in puris naturalibus conditi fuissemus.

Quartò. Quod naturalia sive in nobis, sive in Angelis post peccatum integra manserunt.

Quintò. Hanc solum esse differentiam inter naturam lapsam sine donis gratiæ, & eandem si in puris naturalibus condita fuisset, quod exclusio à gloria, carentia gratiæ, & justitiæ originalis habent propriè rationem privationis respectu naturæ lapsæ, non autem respectu naturæ conditæ in puris naturalibus.

Sextò. Quod tùm carentia gratiæ, & justitiæ originalis, tùm exclusio à gloria, tum etiam rebellio passionum, mors, & defectus cæteri naturalitatis hujus habent propriè rationem pœnæ, comparatione naturæ humanæ post peccatum primi parentis; non verò comparatione ejusdem naturæ si in puris naturalibus esset condita.

Hæc sex habet expressè in prædicta disp. 3. §. *Tertius status, in quo:* & §. mediatè subsequenti incipiente, *illud verò*, subdit. *Hinc effectum est, ut comparatione naturæ humanæ interdum tam justitia ipsa, quàm vigor, quem ex præsentia illius voluntas, & aliæ vires in statu innocentiæ consequebantur, inter naturalia hominis computetur, licet sit donum simpliciter supernaturale; dona verò quæ ulterius disponebant hominem in finem supernaturalem, appellantur gratuita. Atque hinc etiam emanavit dictum illud, hominem per peccatum spoliatum esse in gratuitis, & vulneratum fuisse in naturalibus, liberumque arbitrium per peccatum non fuisse quidem extinctum, at fuisse attenuatum, & inclinatum, immutatamque fuisse libertatem illius, ut Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. & Arausc. can. 1. affirmant. Loquuntur namque comparatione virium, quas liberum arbitrium habebat in statu innocentiæ ex præsentia justitiæ originalis, non verò comparatione virium quas habuisset, si in puris naturalibus fuisset conditus.* Hæc ille.

Q. 23. art. 4. & 5. disput. 1. membro 9.

Ac tandem in fine concordiæ, ut finis suo responderet principio in quæst. 23. art. 4. & 5. disput. 1. membro 9. Hæc addidit. *Illud in primis admonuerim multum interesse inter prædestinationem eorum, qui ante usum rationis è vita decesserunt, & eorum qui ad eum pervenerunt (illos omnes parvulorum, hos adultorum nomine significabimus) etenim in prædestinatione, & reprobatione parvulorum solùm agebatur de gratuitis donis consequendis, vel amittendis. Parvuli namque reprobati in reliquis perinde se habebunt, ac si in solis naturalibus fuissent conditi. Imò post diem judicij, cùm ipsorum animæ suis fuerint corporibus restitutæ, ab omnibus molestiis, & ærumnis, quibus in hac mortali vita subjacemus, supernaturaliter liberabuntur, melioremque in naturalibus vitam vitio omni mentis, & corporis immunem in perpetuas æternitates ducent, quam ullus unquam mortalium duxerit;* Eandem solam arbitrij spoliationem, & non vulnerationem statuit Gabriël Vasquez in 1. Tomo 1. 2. disput. 138. cap. 2. dicens. *Mihi verò summopere placet communis sententia quæ affirmat naturam humanam non fuisse aliquo positivo vulnere sauciatam, sicut præcedens opinio asserit, sed dumtaxat & vulneratam fuisse, quia spoliata donis gratiæ, suæ propriæ inclinationi relicta fuit, eodem prorsus modo inclinata, sicut qui in pura natura esset.* Quam sententiam S. Thomæ tribuit 1. 2. quæst. 82 art. 1. ad 3. & aliis Thomistis, sed sine fundamento, ut ex dicendis constabit.

Tom. 1. 1. 2. disp. 138. cap. 2.

1. 2. q. 82. art. 1. ad 3.

Idem tenet Martinus Becanus in libro de lib. arb. cap. 4. q. 4. qui cum rectè dicat contra Calvinistas, & Lutheranos liberum hominis arbitrium non manssisse extinctum post peccatum primi parentis: malè tamen defendit ipsum in suis naturalibus non mansisse læsum, & vulneratum; sed tantùm donis supernaturalibus, & gratuitis spoliatum. Videns autem antiquos Theologos asserere naturam nostram per peccatum primi parentis corruptam, depravatam, vulneratam, inclinatam, attenuatam, quæ ultima verba Concilij Tridentini sunt sess. 6. perperam ea intelligit non de propria vulneratione in suis naturalibus, sed de spoliatione tantùm gratuitorum. Idem confirmat supradictus Gabriël Vasq. in 3. Tomo super 1. 2. disp. 195. cap. 2. ubi contendit probare libertatem humanam per primum peccatum non ablatam, nec in aliquo diminutam.

Lib. de lib. arb. cap. 4. q. 4.

Postea Ferdinandus Salazar in lib. pro Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione cap. 1. §. 6. vers. *Verum*, num. 34. nedum vulnerationem in naturalibus negat per peccatum primi parentis in statu naturæ lapsæ, sed omnem rationem voluntarij auferit ab hominibus, qui originale peccatum contraxerunt. Hanc enim conclusionem statuit. *Quapropter cum nostro Gabriele Vasq. loco suprà citato, & cum aliis plerisque ita docemus, peccatum originale non aliis quam ipsi Adam voluntarium fuisse.* Et in utroque versu sequenti negat fuisse voluntarium peccatum originale in parvulis voluntate eorum etiam interpretativa, seu implicita & virtuali, quod idem est. Ac tandem in eodem cap. §. 2. explicans rationem peccati originalis ita asserit. *Aio igitur originis peccati essentiam in privatione justitiæ originalis debitæ in esse constituendam esse cum annotatione voluntariæ culpæ, quam primus noster parens Adamus, non sibi solum, sed nobis etiam justitiam amisit.* Idem defendit cum Molina Author operis tripartiti lib. 1. Prolegom. 4. cap. 8. & 9. qui omnes hanc suam sententiam S. Thomæ esse contendunt & Discipulorum ejus; sed, quàm sine fundamento, & causâ ostendemus inferius. Ioannes enim Azor lib. 1. instit. cap. 3. habet: *Quod si Rex vel Princeps Castrum donet, vel privilegium concedat Titio eo pacto, ut accipiat sibi & posteris, Titij voluntas ex pacto, & institutione judicatur voluntas posterorum; itaut si privilegium concessum conservet, aut perdat, censeatur sibi & posteris perdidisse aut retinere. Et hac ratione*, inquit, *peccatum originis est voluntarium in posteris Adæ.* Sed ne ad hunc authorem revertamur, explicare certè debuisset privationem justitiæ originalis non fuisse solùm in posteris Adæ pœnam ex peccato primi parentis resultantem, sicut in posteris Titij privatio Castri sola pœna est ex demerito Titij in illis promanans. Hoc sine dubio explicare debebat, ne occasionem ex illis verbis sumeret quis, ad arbitrandum ipsum sensisse privationem justitiæ originalis nihil aliud esse in parvulis nisi solam pœnam, qui esset error damnatus.

Ioannes Azor.

Alterius gravis Doctoris ad idem sententia. Cardin. Bellarm. Lib. de gratia primi hominis c. 5.

Diffusè magis alius præcipuus ejusdem familiæ Doctor istam materiam pertractans, ita illam exponit: *Nos verò existimamus rectitudinem illam etiam partis inferioris donum fuisse supernaturale, & quidem per se, non per accidens, itaut nec ex naturæ principiis fluxerit, neque potuerit fluere, & quia illud donum supernaturale erat, ut statim probaturi sumus, eo remoto natura humana sibi relicta pugnam illam experiri cœpit, partis inferioris cum superiori, quæ naturalis futura erat, idest ex conditione materiæ sequuntura, nisi Deus justitiæ donum homini addidisset. Quare non magis differt status hominis post lapsum Adæ, à statu ejusdem in puris naturalibus, quàm differat spoliatus à nudo, neque deterior est humana natura (si culpam originalem detrahas) nec magis ignorantia, & infirmitate laborat, quàm esset, & laboraret in puris naturalibus condita. Proinde corruptio naturæ non ex alicujus doni naturalis carentia, neque ex alicujus*

Digitized by Google

male qualitatis acceſſu, ſed ex ſola doni ſupernaturalis, ob Adæ peccatum amiſſione profluxit. Quæ ſententia communis eſt Doctorum Scolaſticorum veterum, & recentiorum. Neque enim quod nos docemus ex uno Dominico à Soto accepimus, neque contrarium ſcripſit S. Thomas cum ceteris probatioribus authoribus (ut quidam viri alioquin inſigniter docti cenſent) ut dixi, & hæc eſt ſententia communior, ut teſtimonia quæ ſubjungemus indicabunt. Et rurſus; *Natura igitur humana talis nunc eſt ex ſententiâ S. Thomæ qualis fuiſſet, ſi donum illud ſupernaturale numquam habuiſſet, eo excepto, quod nunc eſt pœna ex peccato inflicta, quod tunc ex natura, & conditione materiæ profluxiſſet.* Et iterùm. *Quia enim juſtitia originalis languorem illum impediebat, qui in natura humana exiſtere potuiſſet ex conditione materiæ, ideo remoto originalis juſtitiæ dono languor ille ſe prodidit, & factum eſt vulnus peccati, quod languor naturæ eſſe potuiſſet.* Ac tandem. *Sciendum 2. Divinam providentiam initio creationis, ut remedium adhiberet huic morbo, ſeu languori naturæ humanæ, qui ex conditione materiæ oriebatur, addidiſſe homini donum quoddam inſigne.*

Convenit ergo authot prædictus cum Ludovico Molina ſuprà relato, quod languor, qui modo eſt in natura lapſa ex ablatione juſtitiæ originalis, eſſet in puris naturalibus. Convenit 2. quod homo in puris naturalibus, & in natura lapſa differunt ſolum ſicut nudus & nudatus. Convenit 3. quod æquales vires habet uterque. Convenit 4. quod in puris naturalibus languor ille eſt pura negatio juſtitiæ originalis; at in natura lapſa eſt illius privatio, & pœna. Convenit 5. quod non eſt modò natura lapſa deterior, vel quo ad ignorantiam, vel quo ad difficultatem, quàm eſſet in puris naturalibus; ſed ab illo differt in illis verbis *(ſi tamen culpam originalem detrahas)* quæ à Molina non ſunt appoſita. Idem omnino tenet Mag. Medina 1. 2. quæſt. 85. art. 1. & alij ex diſcipulis S. Thomæ, de quibus inferius, & repetendo, idem Magiſter Medina confirmat quæſt. 109. in Proëm. & a. 2.

Hanc autem doctrinam ſuam, quam & S. Thomæ adſcribit contra illos inſigniter doctos, qui illam potius contrariam S. Thom. teſtantur, in ipſo S. Doct. ex aliquibus ex eo deſcriptis teſtimoniis fundare procurat. Quæ antequam opponantur, ad unum verbum, quod prædictus author adhibuit, oportet attendere: Dixit enim non eſſe deteriorem nunc humanam naturam, nec magis ignorantia & infirmitate laborare; quàm ſi fuiſſet condita in puris naturalibus, ſi tamen culpam originalem detrahamus. Tripliciter autem hoc poteſt intelligi. Primo modo, ſi detrahamus peccatum originale in renatis per juſtificantem gratiam, ita quod ſenſus ſit, quod conſiderata natura humana in ſuis naturalibus poſt gratiam juſtificantem non ſit deterior nec magis ignorans aut infirma, quàm eſſet in puris naturalibus. Et in hoc ſenſu poſſet ſuſtineri hæc ſententia, quia ſicut tunc culpam non haberet, ita nec in voluntate malitiam, aut poſitivam pronitatem ad malum, quia eſſet ſanata quo ad partem ſuperiorem per gratiam; imò voluntas in ſuis naturalibus ex præſentia gratiæ meliori modo ſe haberet, quam in homine in ſolis naturalibus conſtituto. Similiter iraſcibilis ex aliis habitibus ſupernaturalibus, etiam in ſua infirmitate fortificaretur adhuc magis quàm eſſet in puris naturalibus; & idem videtur dicendum de concupiſcibili, qui etiam per partem ſuperiorem ſanam melius regi poſſet, & rationi ſubdi quam in puris naturalibus; quia ut S. Th. ait in 2. ſent. diſt. 32. quæſt. 1. art. 1. fomes qui eſt in concupiſcibili, licet per baptiſmum totaliter non tollatur, minuitur tamen, ipsâ gratiâ in contrarium inclinante ei, ad quod fomes diſponebat. Ad iſtum ſenſum, ut arbitror, non procedit ille author, nec in hoc ſenſu locutus eſt.

Poteſt eſſe ſenſus aliter, quod per rationem ſubtracto, & præciſo peccato originali quo ad formale & materiale, & quo ad omnem effectum, qui ex illo provenit, non ſit deterior natura nunc, quam eſſet ſi conderetur in puris naturalibus, & tunc licet etiam ſtare poſſet ejus doctrina, quod modo non expendo, tamen nec in hoc ſenſu ab ipſo tradita fuit.

Unde ſupereſt 3. ut intelligat quod ſubtracto per rationem atque præciſo peccato originali quantum ad ſuum formale, in quo culpæ ratio conſiſtit, non ſit deterior modò natura, quam eſſet in puris naturalibus. Et hic ſine dubio videtur ſenſus ab eo intentus. Arbitratur enim, quod præciſa ratione culpæ nullus alius effectus eſt modò in natura corrupta, qui tunc non eſſet; itaut non ſit modò magis ignorans, nec magis infirma, nec magis vulnerata ex peccato originali quam tunc eſſet. Et ſuam ſententiam in hoc ſenſu eſſe accipiendam contextus verba declarant. In quo proinde ſenſu illam S. Th. attribuit.

Unde in ſumma hæc ſententia tria dicit. Primum, ſecluſa culpa originali æquales omnino vires habere liberum arbitrium in natura lapſa, ac haberet ſi in puris naturalibus conderetur. Dicit conſequenter, peccatum originale ſolùm fuiſſe removens prohibens. Ex quo etiam apertè concludit non magis læſum ac infirmum liberum arbitrium in naturalibus in natura lapſa, quam eſſet in puris naturalibus.

CAPUT II.

Adducuntur rationes, quæ Recentiores adduxerunt ad dicendum liberum hominis arbitrium per peccatum originale minimè læſum fuiſſe.

UT diutius poſſimus in expugnanda doctrina Molinæ præcedenti cap. relata, immorari, (cum illa plurima addat quæ nec in aliis authoribus reperiuntur) illius authoris ultimo loco citati fundamenta ſunt expendenda, & potiſſimè illud, quo contendit hanc ſuam ſententiam S. Thomæ eſſe doctrinam: Hoc enim diligentiùs diſcutere noſtrum eſt proprium.

Opponit ergo 1. ex S. Th. 1. p. q. 95. a. 1. ubi loquens de rectitudine in qua conſtitutus fuit Adam. *Manifeſtum*, inquit, *eſt quod illa ſubjectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem non erat naturalis, alioquin poſt peccatum manſiſſet, cum etiam in Dæmonibus data naturalia poſt peccatum permanſerint.* Et infra. *Ex quo datur intelligi, ſi deſerente gratia, ſoluta eſt obedientia carnis ad animam, quòd per gratiam in anima exiſtentem inferiora ei ſubdantur.* Ex qno loco conſtat hominem in puris naturalibus habiturum fuiſſe rebellionem illam carnis ad ſpiritum, quam nunc poſt primi hominis peccatum omnes experimur; ſiquidem obedientia carnis ad ſpiritum non fuit in primo homine naturalis, ſed ſupernaturalis & gratuita, data per originalem juſtitiam; ergo ſine gratia eſſet in homine illa rebellio. Et etiam quia ſi naturalia manſerunt integra: ergo in naturalibus læſio non fit ex peccato.

Præterea idem S. Th. 1. 2. quæſt. 82. art. 1. ad 3. ait. *Quod ex peccato originali ſequitur aliqua inclinatio in actum inordinatum non directè, ſed indirectè, ſcilicet per remotionem prohibentis, ideſt originalis juſtitiæ, quæ prohibebat inordinatos motus.* Fuiſſent ergo in homine inordinati motus, niſi donum ſupernaturale acceſſiſſet. Et 1. 2. q. 85. a. 5. idem docet, affirmans peccatum originale non eſſe per ſe cauſam illorum defectuum, ſed per accidens

Digitized by Google

sicut removens prohibens, ideſt, removens juſtitiam originalem, quæ illos defectus impediebat.

Deinde in quæſt. 4. de malo inquit in art. 1. *Eſt autem conſiderandum quod primo homini in ſua inſtitutione datum fuerat divinitus quoddam ſupernaturale donum, ſcilicet originalis juſtitia, per quam ratio ſubdebatur Deo, & inferiores vires rationi, & corpus animæ.*

Item lib. 4. con. Gent. cap. 52. *Secundùm doctrinam*, inquit, *fidei ponimus hominem à principio talizer eſſe inſtitutum, quod quandiu ratio hominis Deo eſſet ſubjecta, & inferiores vires ei ſine impedimento deſervirent, & corpus ab ejus ſubjectione impediri non poſſet per aliquod impedimentum corporale, Deo & ſua gratia ſupplente, quod ad hoc perficiendum natura minùs habebat.* Ex quo inferunt quod ablata illa originali juſtitia per peccatum, ſive denegata, homini in puris naturalibus conſtituto eadem omnino eſſet infirmitas, ignorantia, & concupiſcentia, atque rebellio.

Præterea in 2. ſent. diſt. 31. quæſt. 1. a. 1. ait. *Deus humanæ naturæ in ſui principio ſupra conditionem ſuorum principiorum contulerat, ut eſſet in ratione rectitudo quædam originalis juſtitiæ, quam ſine aliqua reſiſtentia imprimere poſſet inferioribus viribus, quia hoc gratis collatum fuerat, ideo juſtè per ingratitudinem inobedientiæ ſubtractum eſt. Unde factum eſt ut primo homine peccante natura humana quæ in ipſo erat ſibi ipſi relinqueretur ut conſiſteret ſecundùm conditionem ſuorum principiorum.* Ex quibus concludit prædictus author talem nunc eſſe naturam humanam ex ſententia S. Thomæ, Qualis fuiſſet ſi donum illud ſupernaturale nunquam habuiſſet, eo excepto, quòd nunc eſt pœna ex peccato inflicta, quod tunc ex natura, & conditione materiæ profluxiſſet.

Inſuper hanc ſententiam dicit eſſe omnium Interpretum S. Thomæ, omnes enim communi conſenſu docent rectitudinem primi hominis effectum fuiſſe doni cujuſdam ſupernaturalis, & eo dono remoto manſiſſe naturam qualis eſſet, ſi in puris naturalibus condita fuiſſet quod attinet ad motus inordinatos partis inferioris. Ita Capreolus in 2. diſt. 30. a. 1. Caiet. 1. 2. q. 85. art. 3. ad 2. dub. & q. 109. a. 2. Ferrarienſ. lib. 4. contra Gent. cap. 52. Conrad. & Medin. 1. 2. q. 85. art. 3. & 6. Qui author ultimo loco citatus dicit hanc eſſe communem ſententiam omnium Theologorum. Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 13.

Pro ea etiam citatur Scotus in 2. ſent. diſt. 29. q. unica verſ. *Poteſt dici ergo.* Et Durand. in 2. diſt. 20. q. 5. verſu. *Juſtitia originalis.*

Ex recentioribus deinde Scholaſticis ſicut conſentientibus cum antiquioribus allegantur ab eo, Jaonnes Driedo lib. 1. de Gratia, & lib. arb. cap. 3. par. 4. in fine, ubi docet temperaturam, ſeu conſonantiam illam omnium virium ſub imperio rationis non fuiſſe hominis ſecundùm naturam, ſed ſecundùm peculiarem gratiam Dei dantis, per ipſam autem, amiſſa virtute hac, quæ erat originalis juſtitia, jam natura humana ſibi derelicta ſecundum diverſitatem naturalium complexionum diverſimodè movetur.

Ruardus Tapert in defenſione art. 2. has duas ponit propoſitiones inter alias; primò, firma fide tenendum eſſe, quod virium rebellio, & motiones inordinatæ, ignorantia, infirmitates, mors, & univerſæ miſeriæ quas patiuntur homines ſunt pœna peccati, & non naturales hominis conditi conditiones. 2. Quod univerſa hæc mala potuiſſent eſſe naturales hominis conditiones, ut ſi homines creaſſet ſine gratia, & juſtitia originali.

Vega lib. 2. in Conc. Trid. cap. 11. ait: Rebellionem carnis ad ſpiritum ex conditione eſſe naturæ noſtræ, ac perinde fuiſſet in hominibus creatis in puris naturalibus. Albertus Pyghius controverſia prima, & alij.

In confirmationem tandem ſententiæ hujus inducuntur Patres plures tum ex Græcis, tum ex Latinis. S. Dyoniſ. Areopag. lib. de Divin. nominibus cap. 4. ubi de Dæmonibus loquens: *Nec Angelica*, inquit, *munera his tributa aliquando permutata, ſed integra ſunt, penituſque conſpicua.* Ex qua ſententia illud commune axioma ſumitur Theologorum: naturalia in Dæmonibus poſt caſum manſerunt integra; quod idem ſine dubio de homine quoque aſſerendum eſt.

Chryſoſtomus homil. 15. in Geneſim de Adamo, & Eva ita loquitur. *Gloria quæ ſuperne venerat, veſtiti ſunt.* Ubi juſtitiam originalem vocat ſupernaturalem veſtem. Idem habet Cyrillus in Joan. cap. 9. & 13. & lib. de Adoratione in ſpiritu ante medium, & in lib. quod ſpiritus ſit Deus, propè initium. Quibus docet præter naturalia donatum fuiſſe Adamum ornamentis ſupernaturalibus.

S. Ambroſius ubique docet Adamum accepiſſe præter naturalia, dona gratuita ſupernaturalia, quibus ſpoliatus fuit per peccatum, ut patet in lib. de Iſaac, & anima cap. 5. & lib. 2. de Jacob, & Beata vita cap. 5. lib. de Elia & Jejunio cap. 4. lib. 7. in Lucam cap. 47. & lib. de Paradiſo cap. 14.

S. Pater Auguſt. lib. 13. de Civit. Dei cap. 13. loquens de primis parentibus ait: *Poſteàquam præcepti tranſgreſſio facta eſt, gratia deſerente Divina, de corporum ſuorum nuditate confuſi ſunt.* Et lib. 11. de Geneſi cap. 31. *Mox*, inquit, *ut præceptum tranſgreſſi ſunt intrinſecus gratia deſerente, omnino nudari in ſua membra oculos injecerunt.* Et lib. 4. in Julianum cap. ultimo. *Quid eſt*, ait, *guſtato cibo prohibito nuditas indicata, niſi peccato nudatum, quod gratia contegebat? Gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum & animale corpus, beſtialem libidinem non habebat. Qui ergo veſtitus gratia non habebat in ſuo corpore quod puderet, ſpoliatus gratia ſenſit quod pudere debebat.* In quibus omnibus locis ſemper S. P. Auguſt. Juſtitiam originalem primo homini datam gratiam nominat, & motum beſtialem terreno & animali corpori docet convenire, quem tamen ex magna illa gratia originali non habebat.

Idem docet S. Anſelmus cap. 22. de Conceptu Virginali, & de peccato originali; & S. Bernardus in Serm. 1. de Annunciatione.

Deinde rationibus id perſuadent, & prima ſic procedit. Naturale eſt corpori, animali ſenſu & appetitu prædito concupiſcere bonum ſenſibile; naturale eſt ſpiritui rationali concupiſcere bonum ſpirituale: Compoſita ergo natura ex utroque, naturale erit illi habere diverſas & inter ſe pugnantes propenſiones: ergo neceſſariò illæ eſſent, ſi homo in puris naturalibus conderetur, & ſic eſſet in illo rebellio, quo modo eſt in natura lapſa.

2. Si corruptio, quæ nunc eſt in natura humana, non eſt conſecuta ex ſola remotione doni ſupernaturalis; nec fuiſſet in homine in puris naturalibus condito; ergo aliquam debet habere cauſam, ſed nulla apparet ex his quæ ſolent ſignari; quia non Deus ut eſt manifeſtum, nec flatus ſerpentis, vel pomum vetitum: Igitur ad iſta præſcindenda talis corruptio ſequitur ex conditione naturæ, & ſic eſſet in naturalibus puris.

3. Ex peccatis, quæ ab hominibus poſt lapſum primi hominis committuntur licet graviſſimis, nullum principium aut donum naturale corrumpitur, nec acquiritur aut augetur propenſio ad omnia vitia, nec minuitur inclinatio ad omnes virtutes, ut ipſa experientia teſtatur, ſed tantum gratia amittitur, &

Digitized by Google

inclinatio minuitur ad virtutem illi peccato contrariam. Igitur cum peccatum Adæ fuerit certum, & speciale quoddam peccatum, & ejusdem generis cum his quæ ab hominibus committuntur, non videtur alium effectum producere potuisse, quàm cætera producant, hoc excepto, quòd illud, ut capitis totius naturæ, in omnes posteros redundavit. Non igitur ex peccato ipsius concupiscentia illa nascitur, quæ est propensio ad omnia vitia; ergo illa concupiscentia, remota originali justitia, ex ipsa conditione naturæ secuta est.

4. Probat author operis tripartiti sicut intrinseca perfectio, vel virtus alicujus naturæ seu potentiæ solùm potest diminui duobus modis, vel per subtractionem alicujus realis, ac Physicæ perfectionis talis rei, vel per additionem alicujus habitus vel qualitatis disconvenientis naturæ illamque inclinantis in malum; sed in homine lapso nihil horum reperitur comparatione hominis conditi in puris naturalibus: ergo, &c. Major traditur à S. Th. 1. p. q. 48. art. 4. in corpore & ad 3. Et 1. 2. q. 85. art. 1. & 2. ubi duobus tantum modis, ait, posse peccatum diminuere bonum naturæ, scilicet per subtractionem, & appositionem. Minor quo ad 1. partem constat, quia per peccatum originale nihil reale physicum subtractum est ab anima aut ab aliqua ejus potentia, quæ esset illius intrinseca perfectio, & modò sublata sit. Quo ad 2. autem partem probatur. Quia per peccatum originale nulla qualitas vel habitus aut entitas aliqua positiva addita est homini lapso. Unde illa opinio quæ qualitatem morbidam dicebat addi per peccatum originale ab omnibus pari consensu rejicitur sicut impossibilis, vel sicut minus intelligibilis. Cùm ergo homo in natura lapsa per originale peccatum nihil reale, & physicum de sua virtute & perfectione naturali amiserit, nec aliquid reale ipsi additum fuerit, quo naturalis vis, & virtus inclinetur in malum, magis quàm sit in homine, si in puris naturalibus conderetur, fit consequens quod in illis puris naturalibus non sit magis læsus quam ille.

5. Ideo authores oppositæ sententiæ dicunt naturam in puris naturalibus non habere hanc infectionem, & corruptionem, quam habet natura lapsa seclusâ culpâ, quia aliàs non posset non peccare, sicut & natura lapsa secluſa gratia non potest non deficere, & tunc peccatum Deo tribueretur à quo habet talem naturam, quæ non potest non peccare; sed ista ratio nulla est. Ergo, &c. Minor probatur; quia aliàs nec Deus posset mortuum ad vitam revocare cui dimissum sit originale peccatum. Probatur sequela, quia etiam Deus sola sua actione, sicut sola creatione ad vitam reduceret hominem, qui non posset non peccare: Ergo etiam ei tunc peccatum imputaretur: At plures ex Scripturis sacris novimus resuscitatos, & ex eis nonnullos, quibus dimissum fuerat originale peccatum, ut patet de Lazaro, qui tales sine dubio resuscitabantur, quales sunt cæteri qui ex parentum generatione procrearentur excepta originali culpa. Sicut ergo potest Deus hos resuscitare absque eo quod ipsis imputetur peccatum, ita & poterit aliquem creare in puris naturalibus, absque eo quod ipsi, quod ille cadat, imputetur.

Ex his concludunt prædictam sententiam Sanctorum Patrum esse, & S. Thomæ, ac discipulorum ejus, & communem inter Scholasticos.

CAPUT III.

Per peccatum originale non solùm fuisse liberum arbitrium spoliatum gratuitis, sed verè læsum in naturalibus demonstratur.

QUIA ex certis quibusdam principiis, plura per non legitimas consequentias in hac materia (quæ universaliter gravissima, satisque difficilis est) valde falsa videntur deduci: priùs certa sunt firmanda principia, & quam falsò ex eis alia deducantur, deinde aperiendum.

Non est de fide primum hominem in gratia gratum faciente supernaturali fuisse creatum.

Primum igitur principium sit, non esse de fide certum primum hominem in gratia supernaturali gratum faciente fuisse creatum. Quod ex eo constat, quia gravissimi authores tenent ipsum sine gratia gratum faciente conditum in sua prima institutione fuisse: quorum sententia hucusque à nemine ut fidei contraria pronunciatur. Sunt autem authores prædicti Hugo de S. Victore. Mag. Sent. Alens. S. Bonav. Ægidius, & alij. Nec Concil. Trid. oppositum docet, cum diffinit. sess. 5. can. 2. primum hominem per peccatum amisisse sanctitatem, & justitiam, in qua constitutus fuerat. Quia non dicit in qua creatus, vel conditus fuerat, sed in qua constitutus fuerat. Aliud est enim creatum esse in sanctitate, & justitia, & aliud in ea constitutum: Nam primus homo in Paradiso dicitur constitutus, ideſt positus, qui tamen in ipso creatus non fuit. Magis autem urgere videntur Verba Concilij Arausic. 2. can. 19. quæ hujusmodi sunt: *Natura humana, etiam si in illa integritate, in qua est condita permaneret, nullo modo seipsam creatore suo non adjuvante servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non posset custodire quam accepit, quomodo sine gratia Dei poterit reparare quod perdidit?* In quibus tamen verbis non est judicandum intendisse Concilium diffinire quod homo creatus in gratia fuerit, ut putemus jam hoc de fide esse: Nam alia fuit sine dubio intentio Concilij, & aliud voluit diffinire; illud videlicet, de quo tunc contra Pelagianos tractabatur, nimirum sine gratia Dei nec posse hominem custodire salutem, ideſt justitiam, neque eam reparare: Illa autem verba, quòd fuit natura humana condita in integritate intelligi possunt de integritate data per originalem justitiam non per gratiam.

Lib. 1. de sacr. par. 6. In 2. sent. dist. 29. 1. p. q. 96. In 2. sent. dist. 29. a. eadem dicta parte q. 2.

Magis cõforme est sacris Cõcilis primum hominem fuisse creatum in gratia justificante.

2. Fundamentum seu principium sit. Multò magis esse conforme scripturæ sacræ, Conciliis, ac Sanctis Patribus, primum hominem in gratia justificante, seu gratum faciente creatum fuisse, quam propterea S. Th. ubique tradit quæst. 4. de malo art. 2. lib 4. contra Gentes cap. 52. 1. p. q. 95. art. 1. & q. 100. art. etiam 1. 1. 2. q. 81. & 85. & 109. a. 3. quam veritatem nec modo probandam putamusque sed supponendam: Quod enim magis conforme sit sacris Conciliis allata verba Concilij Tridentini non obscurè suadent: Et potissimè illa alia ex Arausic. Concilio inducta, quæ magnum pondus afferunt huic veritati sine dubio, & robur adjiciunt.

Ante peccatũ primus homo habuit gratiam gratum facientem

3. Fundamentum. De fide est primum hominem ante peccatum gratiam justificantem habuisse, sive ab initio suæ creationis acceptam, sive postea ipsi tributam, hoc patet: quia Concil. Arausic. 2. imò Tridentinum sess. 5. manifestè docent primum hominem per peccatum sanctitatem, & justitiam amisisse: ergo ante peccatum sanctitatem habuit atque justitiam, quæ per gratiam justificantem habetur.

Homo fuit creatus in justitia originali.

4. Fundamentum. Ad fidem pertinet asserere primum hominem in justitia originali fuisse creatum: & non solum in puris naturalibus ipsi naturæ debitis; ita in terminis docet D. Th. 4. cont. Gent. cap. 52. sic dicens: *Sic igitur secundum fidei doctrinam ponimus, hominem à principio taliter esse institutum quod quandiu ratio hominis Deo esset subjecta, inferiores vires ei sine impedimento deservirent, & corpus ab ejus subjectione impediri non posset per aliquod impedimentum corporale: Deo, & sua gratia supplente quod ad hoc perficiendum natura minus habebat.* Ubi per verbum, *sua gratia*, non intelligit gratiam justificantem, tanquam hoc ad fidem pertinere velit, ut dictum est in primo fundamento, sed per illa verba intelligit

Digitized by Google

justitiam originalem, quæ fuit donum gratuitum ex gratia primo parenti collatum: cujus proinde proprium effectum relatis verbis expressit. Unde quod aliqui Doctores graves non ad fidem volunt pertinere hanc veritatem, cùm ejus oppositam tantùm dicant vel temerariam, vel non sine periculo; non illis, sed S. Thomæ est assentiendum. Quod efficaciter probaremus, nisi contingeret ab illa nostra intentione, qua ista fundamenta breviter proponere proeuramus, longius ire. Illud ad præsens sufficiat, quod secundùm fidem, si primus homo non peccasset, nunquam de facto moreretur; ergo secundùm fidem ipse fuit creatus in justitia originali, quæ hanc immortalitatem ipsi præstabat, quam proculdubio non haberet si in puris naturalibus tantùm naturæ suæ debitis conderetur.

Mag. Bannez, Squill, Æstius.

Nec contra hanc veritatem militat quod S. Th. q. 4. de malo art. 2. & 1. 2. q. 109. art. 3. referendo illorum sententiam, qui dixerunt hominem conditum in puris naturalibus, illam non grâviter sicut contra fidem reprehendit: sed tantùm dicit, non credo verum esse quod homo sit creatus in naturalibus puris: quia ibi per pura naturalia intelligit hominem sine gratia justificante, cum originali tamen justitia sicut illi relati authores constituebant. Quomodo vero per pura naturalia etiam originalem justitiam intelligat infra dicendum erit copiosiùs.

5. Fundamentum. Hæc originalis justitia primo homini in sua creatione collata, nec ex principiis naturæ causabatur, nec aliquo modo naturæ debita erat, sed merum donum gratuitum fuit divinitus à Deo datum. Hæc communis omnium Scholasticorum sententia est, quam ubique S. Thomas docet 1. p. q. 95. art. 1. & q. 97. art. 1. & q. 100. a. 1. 2. 2. q. 164. art. 1. & alibi sæpe & ab aliquibus determinata per Ecclesiam dicitur ante paucos annos à Pio V. & Gregorio XIII. in damnatione cujusdam articuli 26. qui ita proponebat. *Integritas primæ conditionis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* Verùm nec ex hac determinatione constat id de fide ibi esse, quia articulus ille procedit de illa prima integritate quatenus gratiam comprehendebat: ut patet tum ex mente authoris, qui de gratia agebat in illo articulo, & aliis similibus qui sunt 21. 23. & 24. per quos magis explicatur quòd ille, 26. etiam sicut priores de integritate includente gratiam justificantem procedat. Tum etiam ex declaratione facultatis Theologiæ Lovanensis, qui in manu scripto ita intelligit determinationem illam damnare, nempe quod integritas illa prima, prout etiam includebat gratiam justificantem, sit non indebita naturæ, sed naturalis ejus conditio. Quamvis autem veritas in nostro fundamento contenta de fide non sit, nec in illa damnatione diffinita; negari tamen non potest multò magis conforme esse illi determinationi, quòd justitia originalis nullo modo sit naturalis conditio naturæ debita.

Justitia originalis à gratia justificante sicut á 1. radice procedebat. In quo sicut in subjecto erat justitia originalis.

6. Fundamentum. Hoc donum originalis justitiæ intrinsecam connexionem habebat cum supernaturali gratia gratum faciente; & ab ipsa defacto, sicut à prima radice procedebat. Sententia manifesta est S. Thomæ q. 4. de malo, a. 2. 1. p. q. 95. a. 1. & q. 100. ariculo etiam primo 1. 2. q. 109. a. 3.

7. Fundamentum. Hoc donum justitiæ originalis tanquam in subjecto erat, primò & principaliter in ipsa essentia animæ; deinde in voluntate: & sic non una entitas erat, sed duplex, & ex utraque integrum resultabat in essentia sua donum hoc originalis justitiæ. Hanc esse S. Thomæ sententiam in citatis locis (etiamsi aliqui illud donum tantùm in essentia animæ constituant) obscurum non est: cum expressè doceat rectitudinem voluntatis, qua bene se habet in ordine ad Deum fuisse formale justitiæ originalis: & per oppositum consequenter tradit privationem, qua voluntas privatur justitia originali, esse formale peccati originalis. Et præterea, quia ubique docet tale donum esse primordialiter in essentia animæ: ergo non ibi ipsum totaliter constituit. In intellectu verò, & aliis potentiis inferioribus erat justitia originalis non secundùm suam essentiam, aut formalem rationem, vel secundùm seipsam, sed sicut in effectibus, qui ex ipso dono existente in essentia animæ & voluntate, naturali ordine consequebantur: & sic ex omnibus resultabat illa harmonia quâ bene ratio se habebat ad Deum, inferiores virtutes bene ad superiores, & corpus animæ perfectè subdebatur.

8. Fundamentum: Certum debet esse hoc donum justitiæ originalis; quo, ut dictum est anima perfectè Deo subdebatur: inferiores potentiæ perfectè superioribus, & corpus perfectè animæ in ordine ad Deum authorem & finem naturæ, hanc rectitudinem in anima, & ejus potentiis tribuisse: ut nempe omnes perfectè starent sub ordine rationis; hoc enim & omnes concedunt, & S. Th. docet expressè in illo loco ex 4. contra gent. citato cap. 52. hoc constat, quia Deo ut fini supernaturali anima per gratiam gratum facientem, & per charitatem subdebatur. An verò vigor quidam naturalis realiter distinctus ab illo dono justitiæ originalis, & ab ipso in anima productus, constitui & multiplicari debeat, licet Caiet. affirmet propter testimonium S. Thomæ 1. 2. q. 95. art. ult. dicentis, quod fuit privatus homo justitia originali, & etiam vigore illo rationis: non tamen necessarium videtur illum sic multiplicare: quia ipsum donum originalis justitiæ per seipsum, illum vigorem sicut suum formalem effectum in anima causabat: sicut enim gratia gratum faciebat; ita originalis justitia illam rectitudinem, seu illum vigorem causabat per seipsam, & animam vigorosam reddebat, cum autem S. Th. loco citato docet fuisse primum hominem privatum justitia originali, & etiam illo vigore intendit privatum fuisse, & originali justitia, & illo vigore, qui erat effectus formalis illius: quòd dicimus ne tot reales entitates sine necessitate multiplicemus.

Utrum verò hoc donum justitiæ originalis in sua essentia & entitate supernaturale fuerit, vel potiùs naturale, idest an fuerit supra totum ordinem naturæ, vel supremum quid in ordine naturæ, non ita certum est: nec ita Doctores conveniunt. Et hinc inde ex S. Th. possunt sumi argumenta. Communior sententia tenet illud donum in sua entitate supernaturale fuisse. Et quidem S. Th. originalem justitiam vocat; donum gratiæ, beneficium supernaturale, 4. contra gent. cap. 52. & 1. p. q. 95. art. 1. dicit subjectionem partium inferiorum ad superiores non fuisse naturalem, sed supernaturalem. Quod si aliquando originalem justitiam dicit naturalem, cum addito est: dicendo quod aliquo modo potest dici bonum naturæ: 1. 2. q. 85. art. 1. quia videlicet perficiebat naturam in ordine ad finem naturalem. Unde 4. contra gent. cit. cap. 52. originalem justitiam vocat supernaturalem ex parte principij, naturalem vero ex parte finis ad quem ordinatur, ut supra explicatum est. Alij graves authores sentiunt justitiam originalem in sua essentia naturalem esse: inter quos Guillelmus Æstius, qui ultimo de hac materia scripsit in 2. sent. dist. 25. §. 6. Ubi illam diffusè tractat, & quasi pro utraque parte sub probabilitate reliquit: licet magis inclinet quòd naturalis sit, & naturæ debita si homo in puris naturalibus conderetur. Cujus doctrina, licet ad id quod dicit originalem justitiam esse naturalem, sustineri possit: attamen, quantum ad id quod sit naturæ debita, & connaturalis homini, si in puris natu-

Digitized by Google

talibus conderetur : si intelligat de justitia originali illa, quæ perfectè subdebat animam Deo, inferiores potentias superioribus, & corpus perfectè animæ: nullo modo substinenda est : Hoc 2. constat, quia S. Th. 1. p. quæst. 100. art. 1. dicit originalem justitiam non fuisse causatam ex principiis naturæ, sed Divinitus datam : quod etiam docet in 2. sent. dist. 31. q. 1. art. 1. q. 4. de malo art. 2. 4. contra gent. cap. 52. quibus in locis, & pluribus aliis docet justitiam originalem fuisse donum gratuitum ex gratia, & supernaturali beneficio datum. Item quia si justitia originalis esset homini connaturalis : etiam non mori, quod per illam tradebatur esset connaturale homini, & ejus naturæ si in puris naturalibus conderetur: quod dici non potest. Tandem minus conformis hæc doctrina est damnationi illius articuli relati in superioribus. Unde fortè ille author nomine justitiæ originalis, quam dicit fore connaturalem homini si in puris naturalibus conderetur, non intelligit illam perfectam, quæ primo homini collata fuit, sed imperfectam quam statim explicabimus.

Illud autem aliud quod relatus author affirmat justitiam originalem esse in sua entitate naturalem, non minimum habet fundamentum in S. Thoma, quia 1. p. q. 100. art. 1. justitiam originalem dicit esse accidens naturæ speciei, non tamen ex principiis naturæ causatum : si autem supernaturale donum in sua essentia esset, nec accidens speciei à S. Th. vocaretur, condistinguendo illud contra id quod ex principiis causatur, ut ibi condistinguit; & 4. contra gent. ubi supra dicit fuisse donum quodammodo naturale. Et opponens, quare quodammodo naturale sit : subdit non quasi ex principiis naturatæ causatum : sed quia sic fuit homini datum, ut simul cum natura propagaretur : qua etiam ratione 1. 2. q. 85. art. 1. docet quod potest dici bonum naturæ; quia nempe, licet fuisset gratuitò homini concessum, erat tamen accidens naturæ, quod cum ipsa natura erat propagandum. Præterea quia loco citato ex 4. contra gent. justitiam originalem dicit ordinatam ad finem naturalem : id verò quod in essentia est supernaturale ad supernaturalem finem ordinatur; unde quòd illam vocat supernaturalem ex parte principij activi, videtur intelligendum ex parte gratiæ justificantis, ex qua sicut ex radice, & activo principio procedebat : ut aliis locis affirmat. Sic etiam videtur intelligendum quod dicit 1. p. q. 95. art. 1. cum eam vocat non naturalem sed supernaturalem, intelligit enim ex parte radicis, scilicet gratiæ justificantis à qua procedebat. Similiter quod ait per gratiam in anima existentem inferiora illi subdi, eandem videtur habere intelligentiam, quòd nempe inferiora animæ subdebantur immediatè quidem per originalem justitiam : sed quia hæc defacto procedebat in primo homine à gratia justificante, sicut ex prima radice, ideo dicuntur inferiora subdita animæ per gratiam; vel nomine gratiæ intelligit donum gratuitum homini datum supra conditionem, & debitum naturæ suæ, licet in sua entitate supremum donum in naturalibus fuerit. Tandem Doctores graves, ut diximus, sine gratia posuerunt hominem creatum cum justitia originali, qui proinde supponebant, atque tenebant justitiam originalem quid naturale esse licet supremum in toto naturæ ordine : quos & S. Th. refert, nec impugnat ex eo quod justitiam originalem naturalem esse dicebant. Nec videtur negandum potuisse Deum sine aliquo dono in sua essentia supernaturali creare, vel primum hominem, vel alium quemlibet cum justitia originali, perfectum in ordine ad finem ejus naturalem, in quo homine tunc justitia originalis esset in sua essentia quid naturale. Non tamen multum referre putamus quidquid in hac quæstione dicatur de justitia originali, quod nempe in sua entitate naturalis sit, vel supernaturalis, dummodo concedatur illam non esse naturæ debitam, nec ex principiis naturæ causatam, sed merum donum gratuitò homini datum, simulque alia teneantur, quæ in prædictis fundamentis explicata sunt.

CAPUT IV.

Quædam exponuntur, quæ forent homini propria si in puris naturalibus conderetur.

POSTQUAM dicta sunt quæ ad justitiam originalem pertinere videntur, & hoc sub brevitate, perstringendo quæ à Doctoribus diffusè tractantur, necessarium apparet pauca quædam notare, quæ propria essent homini si in puris naturalibus, ideſt in eis quæ sunt suæ naturæ debita conderetur.

Dicendum ergo est 1. Quod si homo in puris naturalibus conderetur, ideſt in solis suæ naturæ debitis, sine justitia videlicet originali (quam gratuitam omnino esse, nullo modo naturæ debitam diximus) sicut originali justitia ita illius proprio effectu careret. Unde corpus subditum animæ non esset, sed ipsam aggravaret, & sicut compositum ex contrariis per mortem dissolveretur; similiter nec essent in illo inferiores partes perfectè rationi subjectæ, sed motus inferiorum partium præter rationem insurgerent, aut etiam contra illam.

Homo in puris naturalibus ad breve tempus posset omnem legem naturalem implere.

Dicendum 2. Si Deus crearet hominem in puris naturalibus ipsi naturæ debitis absque ordine aliquo ad supernaturalem finem cum solo ordine ad finem naturalem, (quem posse ita Deum creare, nec est vertendum in dubium) posset cum generali Dei concursu illi statui proportionato per aliquod breve tempus Deum authorem naturæ super omnia diligere & totam naturalem legem implere. In hoc omnes sine controversia conveniunt. Unde nec probanda venit sed supponenda; & per hoc homo talis in illo statu ab homine in statu naturæ lapsæ non reparato per gratiam distingueretur, quia nec ad breve tempus sine gratiæ auxilio posset Deum super omnia actu absoluto diligere, aut totam legem implere. Quod licet ab authoribus cum quibus ista tractamus, negetur, qui easdem omnino vires homini in utroque statu attribuunt, verissima tamen sententia est, ut infra in hoc libro, & in 3. copiosè ostendemus. Unde quod author illius operis de gratia tripartiti in 1. lib. de necessitate gratiæ asserit nimirum falsum esse id denegare homini in natura lapsa sine auxilio gratiæ, & præter mentem omnium Theologorum de quo nullam dicit esse controversiam, multò magis ipse hoc dicens falsum asserit, & contra Patres ac Theologos, qui absolutè docent non posse hominem lapsum servare sine gratiæ auxilio omnia Divina mandata, nec illud verbum, *diù*, aliquando addiderunt, sed etiam ad breve tempus hoc illi negarunt : esseque negandum ob gravissima inconvenientia, quæ ex oppositò consequuntur in 3. nostro libro efficaciter ostensuri sumus; unde ad præsens, quia longiorem postulat disputationem, nec probamus sed ad illum 3. librum remittimus.

Hoc non potest homo in natura lapsa sine aliquo auxilio gratiæ.

Author operis tripartiti de gratia lib. 1. de necessitate gratiæ cap. 20. §. at nihilominus.

Dicendum 3. Talem hominem in natura pura cum eodem solo generali Dei concursu non posse diu totam naturalem legem servare, & multò minus in bono rationis finaliter perseverare. Hæc inter S. Th. Discipulos communis est : Videantur rationes quibus illam probant. Omnes huc tendunt, quod cum in illo statu vehementes insurgerent passiones, & motus concupiscentiæ, gravissimæ ac multiplices tentationes, licet arbitrium suis naturalibus viribus, & cum Dei generali concursu aliquibus posset resistere, tamen omnes vincere, & diu illas omnes superare mi-

Non posset homo in pura natura cum solo generali Dei concursu diu totam legem servare.

Digitized by Google

nus posset. In quo etiam fundamento authores cum quibus disputamus, conveniunt, ut patet ex authore operis tripartiti loco citato. §. *Nihilominus.*

Dicendum 4. Posse hominem illum in puris naturalibus sic constitutum cum particulari, & extraordinario auxilio, vel auxiliis in sua substantia naturalibus omnia Divina mandata diu servare, totam legem collectivè sumptam implere, imò in ipsa servanda finaliter perseverare. In hac etiam authores relati conveniunt, ut patet ex authore in dicto loco §. *Propter objectionem.* Quis enim neget posse Deum hominem illum, si ipsum conderet in ordine ad solum finem naturalem, auxiliis specialibus illius ordinis illi naturali fini proportionatis ita juvare, ut illum naturalem finem consequi valeret? Nisi dicamus inter omnes creaturas infœliciſſimum hominem illum: imò minùs potentem Deum, si non posset hominem à se conditum in ordine ad naturalem finem, mediis illi fini proportionatis ita juvare, ut suum naturalem finem consequi posset. Nec modò disputamus quisnam tunc ille finis naturalis esset, quem homo assequi valeret; certum est enim non posse esse finem naturalem perfectum, hunc enim Deum esse, dubium non est, quem in seipso, hominem talem minus assequi posse æque certum est; sed esset beatitudo quædam naturalis extra Deum, quæ proinde perfecta non esset etiam in ratione beatitudinis naturalis de quo alibi Doctores disputant.

Homo in natura pura cum auxilio speciali Dei ordinis naturalis posset usque in finem in bono rationis perseverare.

Dicendum 5. Ad Dei providentiam pertineret, ut (si talem hominem sic in pura natura crearet minus potentem generali Dei concursu ad diu omnia servanda mandata, totam collectivè legem implendam, ac in bono rationis finaliter perseverandum) illa particularia auxilia in substantia ordinis naturalis ei conferret, quibus posset diu totam legem implere, & finaliter in bono perseverare. In hoc fundamento, licet non ita illud expresè constituant S. Thomæ discipuli, tamen re ipsa conveniunt: solum enim ipsi negant humanam naturam in illo statu integritatem posse habere, vel consonantiam ad rationem diuturnam cum solo generali Dei concursu. De particulari autem, & extraordinario id negant, inter quos Guillermus Æstius supra citatus in hoc sensu videtur fuisse loquutus, cum dixit justitiam originalem homini in illo statu esse naturalem; nec enim intelligit de propria & perfecta justitia originali, quæ illam perfectam integritatem naturæ tribuebat in superioribus explicatam; sed de hac consonantia rationis, quæ illi homini esset connaturalis, si sic originaliter à Deo conderetur Divina providentia ita eum adjuvante, ut in illa diu posset perseverare, illamque finaliter conservare. In ista sententia etiam authores supra inducti consentiunt, ut patet ex relato 1. libro cap. 28. §. *propter objectionem.*

Ad Rom. cap. 7.

Probatur; quia si Apostolus hominem in natura lapsa infœlicem vocat, *infœlix homo, &c.* propter nimirum continuam pugnam carnis ad spiritum (sed consolationem statim adhibet subjungens: *quis me liberabit à corpore mortis hujus, gratia Dei per Jesum Christum:*) infœliciſſimus plane in natura pura esset, cum pateretur insurgentes concupiscentias, quas tamen nullo modo nec per se, nec cum Dei adjutorio generali vincere posset, nec ab illis aliqua ratione liberari, unde nullam prorsus consolationem haberet, sed suprema miseria æternæ damnationis miser esset, quam nulla via posset evadere. Quòd si talis homo intelligeret, quomodo in desperationem non laberetur? Constituere autem sic hominem talem, nec ei Deum sua providentia subvenientem, ut æternam damnationem posset evadere, affirmare non debemus, cum ei pœnitus possibilitas ad salutem deficeret, & hoc utique sine aliqua culpa sua.

Deinde hanc esse expressam sententiam S. P. Augustini lib. de corrept. & gratia cap. 11. constat ex illis verbis. *Si adjutorium* (quo, scilicet, posset permanere si vellet) *vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti sunt, defuisset, quia non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset permanere si vellet, non utique sua culpa cecidisset, adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent:* Si ergo homo ille conditus in suis naturalibus puris adjutorium non habuisset, quo posset si vellet diu legem servare, & in bono rationis permanere, non utique ipse suâ culpâ cecidisset secundum S. P. Augustini sententiam, à qua cognita nec Magister Medina recedere debuisset, quia S. P. Augustini doctrina recedere si in omnibus aliis materiis minus tutum est, in hac, quam contra Pelagianos tractat, omnes ipsum sequi debent, & Magistrum agnoscere, quia in hac materia & causa, ejus doctrina non semel per Ecclesiam approbata est. Unum itaque cum sanctiſſimo Doctore concedendum est, aut hominem illum in suis puris naturalibus conditum habiturum fore adjutorium, quo posset in bono rationis, in quo creatus tunc esset, permanere si vellet, vel suâ culpâ minimè casurum. Quod secundum, cum nullus possit admittere, quid restat, nisi ut illud primum omnes concedamus?

S. P. Aug. de corr. & gr. cap. 11.

Nec enim verum est S. P. Augustinum citatis nunc verbis tantum loqui de auxilio, quod habuit Adam ad illud speciale præceptum implendum, quod si non haberet non utique suâ culpâ cecidisset, non vero de adjutorio ad diu perseverandum, seu finaliter in sanctitate permanendum; ut noviter quidam absque fundamento & causa conatus est limitare: quia totum oppositum & S. P. Augustini intentio, & ipsa inducta ejus verba pronunciant, quorum planè sensus est: quod si primus homo non haberet adjutorium, quo etiam finaliter in bono perseverare posset, si vellet, utque culpâ suâ nec caderet, nec ipsi, quod finaliter non perseveraret, imputaretur.

Nec huic contrarium est quod ipse sanctiſſimus Pater, & Doctor affirmat 1. Retract. cap. 9. quòd nimirum, licet ignorantia & difficultas essent primordia naturæ, non tamen esset culpandus Deus, sed laudandus: Ubi per ignorantiam, & difficultatem intelligit impotentiam, & insufficientiam tam ex parte intellectus quàm voluntatis, quam modo patitur lapsa humana natura, antequam adjuvetur per gratiam. Dicendum est enim id veriſſimum esse, licet id ita esset; supponit enim S. Doct. quod, si illa essent primordia naturæ, Deus sua providentia adjutorium daret naturale, quo posset homo bene operari, si vellet, & in bono perseverare; Unde semper Deus esset laudandus.

Non etiam est simile, quòd de morte corporis solet induci, quæ tunc minus ab homine posset evitari: quia aliud est compositum ex contrariis corrumpi, quod sibi connaturale est, & aliud satis diversum, non posse hominem sine sua aliqua culpa in bono perseverare, aut ipsum operari, & sine culpa æternam damnationem evitare: Unde jam ut S. docet Augustinus sine sua culpa caderet, & ex consequenti sine culpa sua damnaretur, quod nullus potest asserere; imò prætensum simile de morte corporis contrarium suadet: sicut enim homini, ex eo quod ex contrariis componitur; est naturale esse corruptibilem, & quòd defacto corrumpatur, nisi à Deo à morte præservetur: ita, quia homo rationalis est, sibi est connaturale ut secundum rationem vivat, vel secundum illam vivere possit, & in illa possit perseverare: Unde ad Divinam pertinet providentiam tale homini adjutorium dare, quo secundum rationem vivere possit, & in illa perseverare, parique

ratione,

Digitized by Google

ratione, quia naturale est homini componi ex superiori ratione & inferiori appetitu, & naturale est quemlibet appetitum in propria ferri, & proprium est inferioris appetitus ferri in bonum delectabile, quod aliquando præter, aliquando contra rationem est; ita etiam debet esse naturale homini in solis, & puris naturalibus condito posse per rationem, & per partem superiorem moderari, vincere, & superare omnem inferiorem motum insurgentem contra rationem; quia de ratione superioris partis est, nisi læsa sit per peccatum, & ex culpa sua, posse inferiorem refrænare, & sibi subjicere.

Verùm & rationes ad idem suffragantur; quia aliàs in illo statu esset homini simpliciter impossibile legem naturæ diu servare, unde nec ad illam diu servandam teneretur, quia ut S. P. August. Hieron. Prosper, Hilarius, atque Fulgentius contra Pelagianos docuerunt, & novissimè Trid. Conc. sess. 6. de Justificatione cap. 11. *Deus impossibilia non jubet*: Ponere ergo ex parte una, quod homo ille teneatur diù legem servare, & in ipsa servanda perseverare, & ex parte alia asserere ipsum non posse in illo statu hoc ipsum præstare, simulque defendere hanc impossibilitatem, & impotentiam non illi provenisse ex aliqua sua priori culpa, videtur eum ad impossibile simpliciter obligare.

Quæret fortè aliquis an illud speciale auxilium, quod in illo statu Deus homini daret, esset tunc homini in illo statu debitum, an non? Ad quod dicendum non esse debitum illi statui, sed Deus ipse deberet sibi, & providentiæ suæ, (supposito quod talem hominem sic condere vellet) illi dare tale speciale auxilium, quo posset diù totam naturæ legem servare, & in illa perseverare si vellet, sicut & modò gratia infallibiliter contrito homini datur, nec tamen contrito homini debetur, sed sibi ipsi Deus debet, & legi quam statuit, talem gratiam dare.

Distinguunt tandem hìc Doctores aliqui status plures, sub quibus posset considerari humana natura, & illorum aliqui statum innocentiæ à statu naturæ integræ, & utrumque à statu justitiæ originalis secernunt; sed hos tres, quos dicunt status diversos, unum re ipsa esse sub ratione diversa tenemus. Dicitur enim status justitiæ originalis, quia ex sua origine justitiam habet. Dicitur naturæ integræ, quia ex originali justitia perfectam habet integritatem, quæ explicata est supra. Dicitur status innocentiæ, quia innocentiam habet homo in statu illo, quam & poterat servare si vellet immunem omnino nedum à mortali culpa, verum etiam veniali.

Status innocentiæ, naturæ, integræ, & justitiæ originalis unus est cum ratione diversa.

CAPUT V.

Seu recapitulantur status, in quibus potest homo considerari, & ostenditur quæ sint hominis lapsi statui peculiaria & propria.

IN summa nos 6. status, in quibus potest considerari humana natura in hac materia distinguimus, cum Discipulis S. Thomæ, sed non eodem modo quo illorum aliqui distinguunt; quia illi duo priores, hominis nempe considerati in puris naturalibus sibi debitis, & hominis, si conderetur cum consonantia rationis, non duo status sunt, sed unus & idem ut dictum est, & copiosiùs infra expendetur. 2. Est hominis si sine gratia justificante cum sola originali justitia, sicut à quibusdam conditus dicitur, crearetur. 3. Est hominis & cum originali justitia, & cum gratia gratum faciente sicut defacto creatus fuit. 4. status, sit hominis lapsi per originale peccatum, & alia actualia si adultus fuerit, antequam sanetur, & reparetur per gratiam. 5. Est ipsius hominis lapsi jam reparati per gratiam justificantem. 6. & ultimus status, Est hominis in statu gloriæ. Quæ propria sunt; & conveniunt his duobus ultimis statibus, videlicet hominis justificati, & glorificati, nota sunt omnibus, & communiter à Doctoribus recipiuntur; Unde nec ordo doctrinæ postulat ut explicentur, sed ut supponantur à nobis. Quæ autem sunt propria illius primi status, si nempe homo in puris naturalibus sibi debitis conderetur, modo explicata sunt. Similiter quæ sint propria status cum sola originali justitia etiam manet explicatum; parique ratione declarata fuere supra quæ per se conveniunt statui hominis cum originali justitia, & cum gratia gratum faciente, cum quibus defacto creatus est. Illa autem quæ sunt propria statui hominis lapsi, & in quo distinguitur ab homine, si in puris naturalibus conderetur, in quo tota difficultas est, modò venit denudandum: Et in summa dicimus, quod præter privationem justitiæ originalis, in qua formale peccati originalis consistit, statui hominis lapsi sunt propria, quæ illis quatuor vulneribus per peccatum primi parentis toti naturæ humanæ inflictis, continentur. Quæ sunt ignorantia pravæ dispositionis in intellectu, malitia seu pronitas ad malum in voluntate; infirmitas, & concupiscentia non superabilis per rationem hominis lapsi, nisi adjuvetur à gratia, iii magnis nempe, & vehementibus tentationibus, ut ex dicendis constabit. Quæ quatuor vulnera à S. Thoma 1. 2. q. 85. art. 3. apertiùs declarantur, & in solutione ad 5. docet, quod ista 4. vulnera S. P. August. comprehendit in illis duobus à se positis; lib. de natura, & gratia, scilicet ignorantiam & difficultatem; nam præter ignorantiam intellectus, difficultas posita à S. Doctore Augustino includit ista tria, quæ pertinent ad appetitivas potentias, scilicet malitiam, infirmitatem, & concupiscentiam: ex his enim tribus contingit quod aliquis non facilè tendat in bonum.

Quæ sunt propria Status hominis lapsi ante gratiam.

Lib. de natura & gratia cap. 67.

Verùm vulnus ignorantiæ non significat quamlibet ignorantiam, puræ videlicet negationis; sed ut diximus, pravæ dispositionis, qua facilè approbantur falsa pro veris. Similiter per alia tria, malitiam nimirum, infirmitatem, & concupiscentiam, quæ nomine difficultatis à S. P. August. comprehenduntur, significatur quædam impotentia, qua se homo non potest à libidinosis operibus liberare. Quod ipse S. P. August. expressis verbis affirmat lib. 3. de lib. arb. cap. 18. in fine dicens: *Nam sunt verò omni peccanti animæ duo ista panalia, ignorantia, & difficultas, ex ignorantia dehoneſtat error, ex difficultate cruciatus affligit, sed approbare falsa pro veris ut erret invitus, & resistente, atque torquente dolore carnalis vinculi non posse à libidinosis operibus temperari, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Idem dicit lib. de natura & gratia in fine, & lib. de dono perseverantiæ cap. 11. & 1. retract. cap. 9. Similiter S. Thomas 1. 2. q. 85. art. citato ignorantiam quæ est vulnus peccati explicat per hoc, quod ratio destituitur ordine ad verum, & hebetatur præcipuè in agendis; & malitiam quæ est vulnus voluntatis dicit esse per hoc, quod voluntas destituitur ordine ad bonum, & redditur prona ad malum. Infirmitatem dicit esse inquantum irascibilis destituitur ordine ad arduum. Inquantum verò concupiscibilis destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiæ; concupiscentia autem destituta tali ordine rationis, est absque dubio concupiscentia non superabilis per rationem, quæ concupiscentia est secundum apertam S. Thomæ sententiam, contra naturam, & materiale peccati originalis, & nullo modo naturalis esset homini, si in puris naturalibus conderetur, ut ex allatis ex S. Th. constat; & ex infra dicendis constabit apertiùs. Hæc in S. P. August.

Explicantur quatuor vulnera toti humanæ naturæ per peccatum primi parentis inflicta.

Auguſt. & S. Thoma ſunt apertiſſima. Quæ certè vulnera ſic explicata in homine condito in puris naturalibus non eſſent, nec in illo, illa, vel S.P. Auguſtinus, vel S. Thomas unquam, vel à longè conſtituerunt.

Oppoſitio ex S. Thoma 4. contra gent. c. 52.

Quod ſi quis opponat S. Thomam 4. contra gent. cap. 52. expreſsè docere nudum mortem corporis, ſed etiam debilitatem rationis, qua homo difficiliter pervenit ad veri cognitionem, & de facili labitur in errorem, & appetitus beſtiales quos homo non poteſt omnino ſuperare (quæ ſunt ſine dubio illa naturæ vulnera modo explicata) eſſe homini naturales, & competere naturæ humanæ ſecundum ſe abſolutè conſideratæ, nam ejus verba ſunt. *Sic igitur huiuſmodi defectus, quamvis naturales homini videantur abſolutè conſiderando humanam naturam ex parte ejus, quod eſt in ea inferius, tamen conſiderando Divinam providentiam & dignitatem ſuperioris partis humanæ naturæ, ſatis probabiliter probari poteſt huiuſmodi defectus eſſe pœnales, & ſic colligi poteſt humanum genus peccato aliquo originaliter eſſe infectum:* Ergo conveniret hujuſmodi defectus homini ſi in puris naturalibus conderetur, cum ejus naturæ abſolutè conſideratæ naturales à S. Th. dicantur.

Solutio ad objectionem.

Reſpondetur, quod conſultò S. Doctor illa verba adhibuit, *quamvis naturales homini videantur conſiderando, &c.* non tamen aſſertivè dixit, eſſe homini naturales, intendebat enim Reſpondere illorum argumento, quibus videbantur naturales, & ex hoc inferebant non eſſe pœnales effectus illos, nec ex originali peccato procedere, ad quod ipſe reſpondet, quod licet homini naturales videantur, vel id detur ſeu concedatur, tamen attentâ Divinâ providentiâ, quæ ex originali juſtitia omnino gratuita hominem condidit ſine illis defectibus, ſatis colligitur quod pœnales ſint, & ex originali peccato proveniant, ſicut hac ratione mors, quæ homini, ſi conderetur in puris naturæ debitis, naturalis eſſet, hac ratione pœna peccati eſt, ut omnes fateri tenentur. Art. 1. 2. ſuam de hac re aſſertivam, & ultimam ſententiam ſtatuens memorata illa quatuor vulnera, inflicta toti naturæ per peccatum primi hominis docuit, & concupiſcentiam per quam, ut ipſe exponit, intelligitur deordinatio omnium potentiarum appetitivarum, diſtinguit, & ait, quod eſt homini naturalis ſecundum quod moderabilis eſt per rationem; cæterum prout excedit rationis limites, ita quod ei ratio reſiſtere non poteſt, dicit non eſſe homini naturalem, ſed effectum peccati originalis. Ad quod ſi advertiſſent Doctores aliàs graves, non illo loco ex contra gent. convincerentur.

1. 2. Quæſt. 85. art. 1. 2. & 3. & alijs locis in eadem 1. 2. ubi de pecc. originali agit.

Oppoſitio 2. ex S. Thoma.

Sed opponunt 2. D. Th. 1. 2. q. 82. art. 1. ad 3. & 87. art. 7. 2. 2. quæſt. 164. art. 1. 4. contra gent. cap. 52. & quæſt. 4. de malo art. 2. expreſsè docere peccatum originale fuiſſe removens prohibens juſtitiam originalem, quæ impediebat motus illos, qui modo ſunt in natura lapſa, & fuiſſe cauſam ex qua indirectè ſequuntur modo motus illi inordinati, & hoc fuit ſecundum fundamentum præter illud primum modo ex contra gent. allatum, quibus moti ſunt plures Diſcipuli S. Th. ad tenendum, ut de mente ipſius, illos quatuor defectus futuros eodem modo, ſi homo in puris naturalibus conderetur, ac modò ſunt in natura lapſa præter formalem rationem peccati originalis.

Verùm non planè, ut arbitror, hoc ab omnibus intelligitur; licet enim ſententia aperta S. Thomæ ſit, fuiſſe peccatum originale removens prohibens, non tamen intelligit quod in ordine ad omnia quæ modo ſunt in natura lapſa, fuerit peccatum originale purum & ſolum removens prohibens. Itaque fuit removens prohibens ſed non in ordine ad omnia, ſed in ordine ad aliqua: nam reſpectu aliquorum, ex aperta ſententia S. Thomæ fuit vera cauſa, & iſta non diſtinguere, ſeu conſiderare attentius, cauſa fuit ut ab aliquibus S. Thomæ Diſcipulis attribuantur homini, ſi in puris naturalibus conderetur, iidem prorſus defectus, ſeu eadem vulnera, quæ conveniunt naturæ lapſæ, eaſdemque vires reſpectu boni rationis utrique tribuerent, eoſque diſtinguerent ſicut nudum & nudatum, ſeu ſpoliatum; Igitur diſtinctione opus eſt, atque dicendum: quod in ordine ad mortem corporalem fuit originale peccatum ſolum & purum removens prohibens, quod apud omnes debet eſſe certiſſimum: quia illa ſequeretur ad hominem, ſi in puris naturalibus conderetur, ipſamque originalis juſtitia impediebat. Similiter fuit removens prohibens reſpectu hujus quod eſt appetitum inſurgere contra & præter rationem; detinebantur enim per originalem juſtitiam ne aliquo modo ſic præter aut contra rationem inſurgerent: Unde ablata per peccatum originale juſtitia originali, ipſi conſurgunt, & reſpectu horum tantum, ſi quis velit attendere, docet S. Thomas in locis inductis fuiſſe originale peccatum removens prohibens: Verùm comparatione ignorantiæ pravæ diſpoſitionis, qua intellectus obtenebratur ut facillimè erret circa agenda per rationem, & qua facilè approbat falſa pro veris, & reſpectu malitiæ voluntatis, & concupiſcentiæ partis inferioris ſuperantis rationem, cui ipſa pars ſuperior ſine gratiæ auxilio vehementer inſurgenti non poteſt reſiſtere; non fuit peccatum originale tantum removens prohibens, ſed vera cauſa, ut ex ſententia S. Thomæ erit apertiùs oſtendendum; & hoc ſecundo modo conſiderati hujuſmodi defectus dicuntur, & ſunt vulnera naturæ humanæ per peccatum primi parentis inflicta; quæ vulnera non eſſent in natura non lapſa per peccatum, ſi in ſuis puris naturalibus conderetur.

Reſpectu quorum fuerit originale peccatum removens prohibens.

Quod ex eo conſtare poteſt, quod ſi Deus ſicut per ſeipſum originalem tribuit juſtitiam, ita abſque aliqua hominis culpa etiam per ſeipſum illam auferret, non ſequeretur in natura ſic ſpoliata illis donis gratuitis, hæc poſitiva potentiarum deordinatio, vulneratio, infectio, atque corruptio in ſuis naturalibus, & tamen ſi peccatum primi parentis fuiſſet tantum removens prohibens reſpectu horum, à quacumque cauſa illud prohibens removeretur, ex conditione naturæ talis corruptio, & infectio ſequeretur; ſicut ſi à quacumque columna auferatur prohibens deſcenſum lapidis, idem omnino fieret deſcenſus ex natura gravis, ut eſt apertiſſimum.

Originale peccatum non fuit tantum removens prohibens.

Dicent fortè quod in caſu poſito, ſi Deus per ſe ſolum auferret ab homine originalem juſtitiam, ſequeretur ex conditione naturæ, ſicuti mors, ita illa deordinatio, infectio, & corruptio naturæ. Et quidem conſequenter ad ſuam ſententiam loquerentur; ſed jam hic incipit apparere falſitas doctrinæ hujus. Quis enim ſibi perſuadeat nullum majus nocumentum peccatum originale, quod vera culpa animæ eſt, humano generi attuliſſe quantum ad vires animæ infirmandas, extenuandas, & inclinandas, quam afferret Deus ſi per ſeipſum ſine aliqua hominis culpa ab eo tolleret originalem juſtitiam? Aut quis affirmet verum peccatum in anima ex ſua intrinſeca ratione non magis vires debilitare, quàm ſi in ea peccatum nullum eſſet? Vel quis ſibi proponat infirmam naturam, & lethaliter infirmam, lapſam, debilem, attenuatam viribus, inclinatam, atque corruptam (omnibus enim his nominibus ac vocibus ſacra Concilia, ac Patres nominant naturam humanam poſt primi parentis peccatum) non magis læſam, infectam, & corruptam in viribus ſuis manere per originale peccatum, quam ſi nullum peccatum haberet, vel antequam

Digitized by Google

quam verè infirma non esset. Proculdubio, qui sic opinantur, concedere adstinguntur peccatum mortale per se & ex propria ratione non infirmare, & attenuare naturales vires ad bonum, nec magis extenuatas vires in homine esse cum peccato existente quàm sine ipso; Quod à veritate declinat.

Non solum peccatum actuale, sed etiam originale lædit vires naturæ.

Nec juvat, si dicatur, ut aliqui concedunt: Peccatum quidem actuale infirmare & debilitare animæ vires ad bonum, propter inclinationem, quia propter peccatum actuale inclinantur ad malum, non verò peccatum originale, quod non importat hanc inclinationem ad malum. Quia licet originale peccatum in suo formali hanc inclinationem ad malum non includat, sicut actuale, certum est tamen quod pro materiali seu pro effectu consequente ipsum, hanc deordinationem, infectionem, seu vulnerationem, & inclinationem ad malum comprehendit; ut apertissimè S. Th. cum communi sententia docet 1. 2. citata quæst. 85. art. 3. in quo per peccatum primi parentis docet inflicta fuisse toti naturæ humanæ quatuor illa vulnera, ignorantiam in intellectu, malitiam seu pronitatem & inclinationem ad malum in voluntate, & infirmitatem ac concupiscentiam: post quam doctrinam statim subdit, quod etiam per actuale peccatum eadem vulnera infliguntur personæ, quæ illud committit. Ubi obscurum non est quod sicut illa vulnera per se, & non per accidens, seu per solum removens prohibens infliguntur personæ peccanti per peccatum actuale; ita toti naturæ eadem quatuor vulnera per se & non per accidens, seu tantum per removens prohibens, infligantur per originale peccatum, secundùm S. Thomæ sententiam. Sed quomodo insuper dicunt ista quatuor vulnera futura si homo in puris naturalibus conderetur? An tunc in illo ante peccatum esset ignorantia pravæ dispositionis in intellectu circa principia rationis practicæ, qua facile approbaret falsa pro veris? Et similiter esset in illo malitia, seu pronitas, & inclinatio positiva ad malum, & concupiscentia insuperabilis per rationem? nullo modo, aliàs haberet ex Deo immediatè homo ille istos morales defectus. Moralis enim defectus est sine dubio pronitas, & inclinatio ad malum in voluntate, quæ non nisi ex peccato potest oriri. Ex quo etiam sequitur nec in homine condito in suis naturalibus puris, futuram talem rebellionem carnis ad spiritum, quia hæc in suo conceptu includit repugnantiam contra rationem præcipientem, & quam ipsa ratio superare non potest: De qua ait Apostolus: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in legem peccati.* Hanc igitur rebellionem repugnantem legi mentis & captivitatem, cui videlicet ratio resistere non potest, quam S. Thomas vocat concupiscentiam contra rationem, non haberet homo ex vi illius status, si nempe in puris naturalibus conderetur. Aliam autem rebellionem, quæ nempe licet esset contra rationem, posset tamen vinci, & superari per rationem, esset in homine, si in puris naturalibus conderetur. Duplex enim est rebellio, altera qua inferior pugnat contra superiorem, licet à superiori vinci, & superari possit. Altera qua ita contra superiorem vehementer insurgit, quod ei superior resistere non possit; illa prior esset in homine condito in puris naturalibus, non hæc secunda, ut diximus; illa prima non est contra naturam hominis, bene tamen hæc secunda, ut docet S. Th. Non distinguere autem inter utramque causa falsitatis est.

Nec satisfaciunt dicentes non ex Deo, sed ex conditione naturæ, tum creatæ ex nihilo, tum compositæ ex contrariis provenire in homine vulnera illa, si conderetur in naturalibus puris; (concedunt enim esse naturalia humanæ naturæ non tamen ex Deo haberi, vel in ipsum referri; sed quia creatus est ex nihilo, & quia compositus ex contrariis;) Non, inquam, satisfaciunt ista dicentes, quia ex eo quod sit creatura ex nihilo solum sequitur ad naturam defectibilitas, seu quod defectibilis sit, non autem quod sit positivè inclinata, & prona in malum, quia potius est conditio talis naturæ, quod vivat secundum rationem, & habeat inclinationem in bonum, ut legitmè docuit Sanctus Thomas. Similiter quod sit ex contrariis composita solum infert, quod inferiores potentiæ possint appetere sibi propria; & quod pars superior illas possit moderari per rationem, illisque resistere, cum præter rationem in sibi propria feruntur, non autem quod concupiscentia sit talis, cui ratio non possit resistere: Illud enim primum, vulnus non est, sed conditio naturæ. At hoc secundum manifestè vulnus est ex peccato proveniens & in peccatum inclinans. Nec potest dici naturale sequens naturam à Deo creatam, aliàs in datorem naturæ, ad quem inseparabiliter hoc consequitur, esset referendum; si enim secundum S. Thomam non potuit homo in primo instanti peccare, vel Angelus, quia illud peccatum esset ut complementum naturæ, unde Deo tribueretur (quod est impossibile) quanto magis tribueretur Deo, quod crearet talem hominem, cui esset naturalis malitia in voluntate, sive inclinatio, & pronitas positiva in malum & ignorantia pravæ dispositionis circa agenda per rationem: Non ergo ista vulnera possent esse homini naturalia, si in puris naturalibus conderetur. Sed jam id ex sacris Conciliis, Sanctis Patribus, ac Sancto Thoma ostendamus, & quàm valde conformis ista sententia omnibus illis sit apprimè demonstremus, incipientes à Sancto Doctore Angelico.

CAPUT VI.

Per originale peccatum nedum hominis arbitrium spoliatum fuisse gratuitis: sed verè ac propriè læsum in naturalibus semper Sanctus Thomas docuit.

QUI attentius consideraverit S. Thomæ doctrinam inveniet sine dubio ab illa, quæ supra relata est, illique tribuitur, totaliter recedere, verissimeque dixisse viros illos insigniter doctos, qui ab illo authore relati sunt supra, sanctum Doctorem oppositum potius statuisse. Docet namque per originale peccatum non solum spoliatum liberum hominis arbitrium donis gratuitis, sed etiam verè læsum in naturalibus illis, quæ haberet homo si in puris naturalibus conderetur. Unde ejus sententia est, deteriorem esse hominem in natura lapsa, etiam secluſa formali ratione culpæ originalis, quæ in privatione originalis justitiæ consistit, magisque læsum in naturalibus viribus, quàm esset si in puris naturalibus conderetur.

Ne autem in æquivoco disputatio procedat, explicandum est diligentius, quid per has voces, homo in puris, vel solis naturalibus, tam S. Thomas, quam Doctores cæteri intelligant; nec enim semper idem omnino per illas significant. Aliquando enim per voces istas intelligunt pura naturalia, non solum quæ sunt naturæ debita ex principiis ejus emanantia, verum etiam naturam cum justitia originali, sicut ab aliquibus sine gratia justificante condita ponebatur. In qua significatione, pura & sola naturalia, tantum excludunt gratiam justificantem, & alia supernaturalia dona elevantia hominem in finem supernaturalem. Aliquando verò per pura naturalia, illa sola naturalia intelligunt, quæ sunt naturæ debita, & quæ ex principiis fluunt naturæ. In qua acceptione pura & sola naturalia excludunt etiam originalem justitiam; Et ad hoc attendere causa est æquivocationis magnæ,

Digitized by Google

& sinistræ intelligentiæ Doctorum.

Hoc autem in uno Sancto Thoma est manifestum, ut alios ad præsens omittamus. Etenim 1. 2. q. 10. art. 3. in arg. sed contra, per hominem constitutum in puris naturalibus intelligit planè hominem cum puris naturalibus captum in acceptione priori, idest, cum illo etiam vigore, qui perfectè integram naturam constituebat. Quod ex eo patet quia dicit se loqui de homine condito in puris naturalibus, ut à quibusdam conditus ponitur, quod dicit propter Magistrum sententiarum, qui in 2. dist. 24. ita illum videtur constituere, sine gratia videlicet gratum faciente, vel aliquo supernaturali dono, sed cum illo vigore integrante perfectè naturam, quem & vocabat originalem justitiam, ut ex verbo Magistri ibi constat, & ex S. Thoma clariùs q. 4. de malo art. 2. ergo sic sumit hominem in puris naturalibus in illo loco 1. 2. videlicet pro condito in puris naturalibus, includendo inter naturalia, etiam illum naturæ tributum vigorem, & excludendo sola dona supernaturalia, sicut Magister, quem suppresso nomine refert, constituebat.

Sed, quod adverterim, non solùm in illo articulo sic loquitur de homine perfectè integro, verum etiam intellexit hominem in puris naturalibus solis naturæ debitis, ita quod hominem in utroque statu comprehendit. Quod ex eo patet, quia distinguit ibi hominem integrum contra hominem per peccatum lapsum seu corruptum, constat autem talem hominem non solum esse integrum perfectè vigore originalis justitiæ, sed etiam esse integrum, idest, non corruptum per peccatum, quod convenit homini in puris naturalibus, naturæ debitis constituto. Et hac ratione tam in corpore illius articuli, quàm in articulo secundo præcedenti vocat talem hominem in natura sua integrum, idest, non læsum seu corruptum in illa, licet perfectè integer sit cum illo vigore, non tamen ita perfectè integer sine illo; Unde quod Caiet. ad illos articulos dixit loqui ibi S. Th. de homine integro per vigorem illum, verè quidem dicit, si non doctrinam & literam restringeret ad solum illum.

Eandem veritatem magis declarat Sanctissimus Doctor 1. 2. quæst. 109. art. 2. agens enim ibi an homo sine gratia possit bonum velle, docet quod natura humana potest dupliciter considerari; uno modo in sui integritate sicut fuit in primo parente ante peccatum; Alio modo secundum quod est corrupta in nobis post peccatum primi parentis, & statim explicans de qua integritate loqueretur, quæ fuit in primo parente, inquit: *In statu naturæ integræ quantum ad sufficientiam operativæ virtutis poterat homo per sua naturalia velle, & operari bonum suæ naturæ proportionatum, quale est bonum virtutis acquisitæ, non autem bonum supernaturale. quale est bonum virtutis infusæ.* Quibus manifestè declarat se loqui de illa integritate, quam habuit primus parens in suis propriis naturalibus suæ naturæ debitis; cum dicit quod per sua naturalia poterat velle, & operari bonum suæ naturæ proportionatum. Non verò loquitur de alia multò excellentiori integritate, quam primus parens habuit ante peccatum per gratuita dona, nempe justitiæ originalis, & gratiæ; si enim de hac loqueretur non diceret, quod non poterat velle bonum supernaturale, cum manifestum sit quod per talem integritatem supernaturale bonum velle poterat. Unde, quod aliqui ex ejus discipulis advertere debebant, duplicem integritatem in primo parente ante peccatum S. Thomas in hoc articulo constituit; Alteram merè naturalem, quam habuit in suis naturalibus naturæ debitis; Alteram multò excellentiorem quam habuit ex superadditis donis gratuitis; illa prima præsupponebatur ad hanc secundam, & esset in illo etiamsi hanc secundam non habuisset, essetque in homine si in puris suis naturalibus conderetur. Quod adhuc magis declarans subdit: *Sed in statu naturæ corruptæ etiam deficit homo ab hoc, quod secundum suam naturam potest, ut non possit totum hujusmodi bonum implere per sua naturalia. Quia tamen natura hominis per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere, sicut ædificare domos, plantare vineas, & alia hujusmodi; non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quod in nullo deficiat: sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere, non tamen potest perfectè moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ. Hæc S. Th.* Quibus apertissimè ponit naturam post peccatum primi parentis manere corruptam respectu boni sibi connaturalis, ita quod non potest illud totum velle, & operari, sicut poterat si esset sine peccato integra in suis puris naturalibus suæ naturæ debitis. Quis hìc dicat, constituere solum Doctorem sanctum manere in hominibus post peccatum primi parentis humanam naturam corruptam respectu tantum donorum gratuitorum, nempe justitiæ originalis & gratiæ, quibus totaliter manet spoliata, atque privata? Quis, inquam, hoc dicet? cum tam apertè affirmet illam naturam corruptam non totaliter respectu sui boni connaturalis, sed corruptam ita quod totum illud naturale bonum velle non possit? cum dicat esse infirmam, taliter quod bona quædam facilia naturalia velle, & operari possit, ut ædificare domos, & plantare vineas? Quæ exempla S. Doctor ex lib. 6. Hyponost. desumpsit, & totam hanc doctrinam ex S. P. August. quam ille perpetuò contra Pelagianos docuit. Mirum plane est quod ad illam aliqui ex Discipulis S. Thomæ non attendant.

Clariùs autem idem sanctissimus Præceptor in citata quæst. 4. de malo art. 2. hoc docet in arg. sed contra, & in solutione illius; cum enim in argum. sed contra opposuisset quod justitia originalis non includit gratiam gratum facientem quia ut videtur per Magistrum sent. in 2. primus homo conditus fuit in originali justitia non etiam in gratia gratum faciente. Ad illud argumentum ita respondet. *Ad primum vero quod in contrarium objicitur dicendum, quod originalis justitia includit gratiam gratum facientem, nec credo verum esse quod homo sit creatus in naturalibus puris.* Quibus verbis necesse est quod S. Thomas per hominem conditum in puris naturalibus intelligit hominem cum justitia originali, & vigore illo naturæ, secludendo tantum gratiam gratum facientem, & alia supernaturalia dona, ut ex litera est apertissimum.

At quod lib. 1. art. 8. magis in secunda acceptione usurpat hominem in puris naturalibus pro eo qui condi potest in puris naturalibus etiam sine illo vigore, quod ex duobus videtur apertè deduci. Primò, quia loquitur de homine, non quem aliqui constituerunt conditum in puris naturalibus, & cum illo vigore, vel originali justitia, sed de homine quem Deus potest condere in puris naturalibus, etiam sine illo vigore gratuito, sed solum in his quæ ex necessitate natura postulat. 2. Quia loquitur de homine, vel Angelo sic condito in puris naturalibus, de quo si sic conderetur plures authores asserebant ipsum non posse diligere Deum super omnia amore amicitiæ, ut patet ex relatis in illo articulo. Manifestum est autem quod hanc dilectionem negare nullo modo poterant homini condito in puris naturalibus cum illo vigore, & justitia originali, cum adeò esset potens in natura integra? ut non solùm omnia peccata mortalia, verum & venialia posset effugere. Necesse est ergo, quod tam illi quam S. Thomas in illo articulo,

Digitized by Google

articulo, in quo eos refert, procedant de homine condito in puris naturalibus secludendo illum gratuitum vigorem minus naturæ debitum. Diximus magis ibi loqui S. Th. de homine in puris naturalibus, & sine illo vigore, quia ob rationes factas multo magis litera ad hoc inclinat. Quod si aliquis contendat ipsam etiam comprehendere, vel extendi posse ad hominem cum illo vigore, quem Deus sine gratia sic condere posset, nec multum renuimus, quia nihil omnino retulerit etiam ad illum extendere.

Hac distinctione præhabita, quæ æquivocationem præcludit in hac quam tractamus quæstione, certum est sermonem non fieri de homine condito in puris naturalibus, secundum priorem acceptionem, ideſt, habente vigorem, & originalem justitiam prædictam. Manifestum est enim apud Doctores omnes deteriorem multò illo, esse hominem in natura lapsa, etiamsi ratione præscindamus in ipso formalem rationem originalis culpæ, magisque corruptum, & infirmum viribus illis, quibus integer ille manebat. Nec hoc aliquando fuit sub dubio revocatum. Igitur solum disputatio procedit de homine condito in puris naturalibus juxta secundam acceptionem, ideſt, de homine illo, sine vigore gratuito superaddito. Et de hoc asserimus constantem esse S. Thomæ doctrinam, non ita deteriorem fore si sic conderetur in viribus suis, nec læsum, aut corruptum vel infectum, aut viribus attenuatum, sicut est modò in natura lapsa ex peccato originali, etiamsi ratione præscindamus formalem rationem culpæ. Unde sententia S. Thomæ est, per peccatum originale reverà mansisse omnes potentias infectas, corruptas, & extenuatas, seu inclinatas, ac privatas, etiam viribus illis, quas haberet si in puris naturalibus conditus esset.

Itaque in sententia S. Thomæ (quod jam supra diximus) homo sic conditus in puris naturalibus medium quemdam statum haberet inter hominem conditum cum illo vigore justitiæ originalis, & hominem lapsum: neque enim tam integer esset ac ille; nec tam perfectam inclinationem in bonum; nec tam læsus corruptus, ac iste in viribus suis, sed medio modo se haberet: quia ille integer per originalem justitiam, nec ignorantiam, nec malitiam in voluntate, nec aliquid in appetitu inferiori sentiret, quod vel contra, vel præter rationem esset, sed perfectè portiones inferiores subjectæ essent superiori. In natura autem lapsa per peccatum originale, magnam pugnam, contradictionem, & rebellionem ad spiritum sentit, cui cum vehemens sit, homo solis suis naturalibus resistere nequit. At in puris naturalibus conditus, licet sentiret motus concupiscentiæ insurgentes præter rationem, ideſt antevertentes rationis judicium, advertente tamen ratione, illos ratio, licet vehementiores posset refrænare, & superare, ita quod si advertens ratio illos, defacto impediret sicut reverà poterat, & tenebatur, conservaret in se homo statum illum in puris naturalibus; si verò eos non impediret sicut posset, ac teneretur, sed eis consentiret, jam peccaret; & per peccatum talem statum illum purorum naturalium amitteret, & statum naturæ lapsæ ipso facto incurreret. Similiter in illo statu naturæ puræ essent motus concupiscentiæ contra rationem; ac perinde esset aliqua rebellio, illos tamen licet vehementiores posset ratio vincere, & refrænare: quos tamen superare, & vincere, cum sunt vehementiores, non potest homo sine gratiæ auxilio in natura lapsa. Et ista est sine dubio mens S. Thomæ. Itaque in statu originalis justitiæ nullo modo essent illi concupiscentiæ motus; in statu naturæ puræ essent præter, & contra rationem modo dicto; in statu vero lapsæ naturæ ante gratiam, sunt nedum positivè contra rationem; sed eis ratio, quia infirma, cum sunt vehementiores non potest resistere. In statu denique ejusdem naturæ lapsæ, sed sanatæ per gratiam, sunt motus concupiscentiæ, fomes, & pugna contra rationem, quia pars ista inferior non sanatur per gratiam; sed illam pugnam, & contradictionem, licet vehementem, potest ratio utpotè sanata per gratiam vincere, & superare, quæ sine dubio, ut diximus, est Sancti Thomæ sententia.

Quadrupliciter itaque possunt, & debent motus illi concupiscentiæ considerari. 1. Ut sunt rationi subditi. 2. Ut sunt præter rationem. 3. Ut sunt contra rationem, moderabiles tamen, & refrænabiles per ipsam. 4. & ultimo, Ut insurgunt ita vehementer contra rationem quod ipsos ratio superare nec vincere potest. Tribus modis prioribus non sunt contra rationem, sed vel naturæ, vel præter naturam. 4. Vero modò contra naturam sunt ut ex S. Thoma dictum est supra, & copiosiùs infra dicetur, & isto solo quarto modo non essent in natura pura; sunt autem sic in natura lapsa sine gratia, & sunt materiale peccati originalis, ut infra ostendetur.

Quod 1. sic ostenditur, nam in quolib. 1. art. 8. illam quæstionem tractans, an homo in statu innocentiæ dilexerit Deum super omnia, ita illam resolvit: *Respondeo dicendum quod, si homo fuit factus in gratia (ut ex verbis Basilij, & Augustini haberi potest) quæstio ista locum non habet: manifestum est enim quod existens in gratia per charitatem diligit Deum supra seipsum; sed quia possibile fuit Deo, ut hominem faceret in puris naturalibus, utile est considerare ad quantum se dilectio naturalis extendere possit.* Et de isto homine, si in puris naturalibus conderetur, probat quod Deum poterat super omnia diligere, non amore concupiscentiæ, ut aliqui contendebant sed amore amicitiæ, quod nos infra 3. nostro libro ostensuri sumus. Quod enim de hoc homine, si in puris naturalibus conderetur absque gratia, & justitia originali loquatur; utraque ratio manifestat: & quæ adhibetur in argumento sed contra; & quæ formatur in corpore articuli. In argumento enim sed contra, ita habet: *Si non diligebat Deum plusquam seipsum; aut ergo minus se, aut æqualiter sibi, & utroque modo sequitur quod seipso homo frueretur dum se non referret in Deum: frui autem seipso inducit perversitatem peccati, ut Augustinus dicit: ergo primus homo in statu innocentiæ jam erat perversus per peccatum quod est impossibile, sequitur ergo ut diligeret Deum super omnia.* Secunda etiam ratio idem intendit, quia hanc dilectionem super omnia tribuit S. Doctor omni rei naturali, suo tamen cuilibet proprio modo: Unde concludit: *Manifestum est autem quod Deus est bonum commune totius universi, & omnium partium ejus; unde quælibet creatura suo modo naturaliter plus amat Deum quam seipsam: insensibilia quidem naturaliter, bruta vero animantia sensitivè, creatura vero rationalis per intellectualem amorem, quæ dilectio dicitur.* Hæc S. Thomas.

Igitur secundum S. Thomam in isto loco patet quod, si homo in puris naturalibus conderetur sibi debitis, etiam sine justitia originali (nam de homine cum illa, ratio non procedit, nec id aliquis verterit in dubium) posset Deum authorem naturæ super omnia diligere. Hanc autem naturalem dilectionem Dei super omnia negat posse habere hominem in natura lapsa 1. 2. q. 109. art. 3. viribus propriis, sine gratia: ergo secundùm S. Th. homo in natura lapsa, & corrupta per pecatum originale non habet æquales vires, ac homo si in puris naturalibus conderetur. Cum ille posset naturali dilectione diligere Deum super omnia; quia nempe in suis naturalibus læsus non esset; hic autem, quia in naturalibus est infectus, & vulneratus non potest Deum super omnia diligere;

Digitized by Google

ſicut poſſet homo in ſuis naturalibus, ex eo quod talem naturæ corruptionem non haberet. Conſultò autem non induximus ad probandum ex S. Thoma poſſe hominem in puris naturalibus ſine illo vigore diligere Deum ſuper omnia, articulum illum 3. ex 1. 2. q. 109. quia, ut præmiſimus, S. Doctor ibi loquitur de homine cum illo vigore, quod & ibi Caiet. advertit, ſaltem magis principaliter ut dictum eſt.

Nec valet aliquorum reſponſio dicentium S. Th. non negare dilectionem Dei naturalem ſuper omnia homini in natura lapſa, ex eo quod minores vires habeat, & magis infirmus ſit quam eſſet in ſuis naturalibus puris, ſed quia in natura lapſa cum dilectione Dei naturali ſuper omnia conjungitur, quod ſimul ſit in gratia & charitate ſupernaturali, quæ conjunctio non eſſet ſi homo in puris naturalibus conderetur. Hæc enim ſolutio in primis contra S. Thomam eſt, tum alibi, tum citata quæſt. 109. art. 2. & 3. ex 1. 2. Ubi reddens rationem in illo articulo 3. quare homo in natura lapſa non poteſt ſine gratia diligere Deum naturali dilectione ſuper omnia, apertiſſimè dicit, quod propter corruptionem naturæ, ſequitur homo privatum bonum, niſi ſanetur per gratiam. Ecce quomodo in naturæ corruptionem ſequentem bonum privatum, hanc impotentiam reducit; quæ planè corruptio in pura natura non eſſet. Non ergo ex parte dilectionis Dei ſupernaturalis conjunctæ cum illa naturali, ſolum provenit hæc impotentia, ſed per ſe ex corruptione naturæ inclinatæ propter peccatum in bonum privatum. In articulo autem 2. præmiſerat, quod natura lapſa per peccatum non poteſt in omne bonum ſibi connaturale: negat ergo manifeſtè vires in homine in natura corrupta reſpectu totius ſui boni connaturalis, & non ſolum comparatione ſupernaturalis deſuper venientis, ut iſta ſolutio prætendit. Unde ex utraque ratione modò in utroque articulo à S. Thoma adhibita conſtat poſſe hominem, ſi in puris naturalibus conderetur, Deum authorem naturæ ſuper omnia diligere; cum enim in illo ſtatu non eſſet natura per peccatum corrupta, non ſequeretur bonum privatum, poſſetque in omne bonum ſibi connaturale; cum ſequi bonum privatum & non poſſe in omne bonum ſibi connaturale S. Thomas naturæ corruptæ per peccatum tantum adſcribat. Præterea homo in natura lapſa ſine gratiæ auxilio non poteſt reſiſtere nec ad breve tempus graviſſimæ & vehementiſſimæ tentationi; & tamen ibi non conjungitur dilectio Dei ſupernaturalis, vel aliquod ſupernaturale, ratione cujus poſſet dici hominem illum non poſſe illi tentationi reſiſtere: neceſſe eſt ergo fateantur id provenire ex corruptione naturæ, ut ex S. Thoma dictum eſt modò; quia nempe ob illius corruptionem non habet ad id vires, ut ſic poſſit reſiſtere; quas tamen haberet ſine dubio in ſua pura natura, quibus ſaltem ad breve tempus illi graviſſimæ tentationi reſiſtere poſſet. Tandem non eſt dubium, quod homo lapſus per peccatum ſit averſus à Deo ut authore & fine naturæ; ergo per ſe ſolum vires non habet ad ſe convertendum in eundem Deum ut authorem, & finem naturalem, quantumvis nullo modo cum tali naturali Dei dilectione conjungeretur ſupernaturalis gratia, & charitas. Sed de his copioſiùs in noſtro tertio libro tractaturi ſumus.

Nec eſt verum, valde probabile eſſe peccatum originale, ut contractum ex Adamo, ſicut non convertit hominem ad bonum commutabile, ita nec avertere à bono in commutabili ut eſt finis naturalis; quia hæc averſio non poteſt fieri per puram privationem, ſed per contrariam converſionem, ut Author operis tripartiti dicit lib. 1. Prolog. ex cap. 12. §. ad 2.

Non, inquam, hoc eſt probabile, ſed valde falſum, quia aliàs homo per originale maneret converſus in Deum ut finem naturalem ſicut erat ante peccatum, ſi per originale ab illo non eſt averſus. Et quidem ſi ratio hujus authoris aliquid probat, probat utique quod etiam non ſit averſus homo per originale à Deo ut fine ſupernaturali; quia, ut ait, iſta averſio non poteſt fieri per puram privationem ſine converſione, quam omnem ipſe in tali homine negat, & ſic tolleret in peccato originali veram rationem culpæ: Verum ergo eſt illum hominem lapſum verè averſum eſſe à Deo ut fine ſupernaturali, & naturali, manereque converſum ad bonum commutabile; licet iſta converſio non ſit de ratione formali peccati originalis, ſed ſit materiale ipſius, ut infra dicetur.

CAPUT VII.

Quod in homine per peccatum originale diminuta fuerit ad virtutem inclinatio, ex S. Thoma comprobatur.

QUAMVIS quæ dicta ſunt ſupra ſatis oſtendant S. Thomæ doctrinam illi eſſe plane contrariam, quæ æqualem omnino in viribus facit hominem lapſum ſine gratia, cum homine ſi in puris naturalibus conderetur; ut hoc tamen 1eddatur magis conſpicuum, & conſonantia doctrinæ S. Thomæ clarius innoteſcat, idem ex aliis S. Doctoris teſtimoniis eſt aperiendum. Inter quæ nec infimum obtinet locum illud quod docet eadem 1. 2. q. 85. art. 1. Ubi inquirens an peccatum diminuat bonum naturæ, ſub triplici diſtinctione de bono naturæ reſpondet, quod primum bonum naturæ, ideſt ipſa principia naturæ ex quibus natura conſtituitur, & proprietates ex ipſis cauſatæ, ſicut ſunt potentiæ animæ, nec tollitur nec minuitur per peccatum. Et de hoc primo bono naturæ explicat, ſolutione ad 1. S. Dionyſium dicentem quod poſt peccatum in Dæmonibus naturalia manſerunt integra, & eodem modo, ut ait, in homine poſt peccatum eadem naturalia integra manſerunt. Aliud docet poſſe dici bonum naturæ (quod ibi tertio loco conſtituit, nempe originalem juſtitiam) quod fuit in primo parente collatum toti humanæ naturæ; & hoc bonum dicit per peccatum primi parentis totaliter fuiſſe ablatum, inter quæ duo bona naturæ, ibi ſecundo loco ſtatuit aliud naturæ bonum medium, quod videlicet ſequitur ad naturam antequam originali juſtitia dotaretur, & hoc bonum, ideo dicitur, & reverà eſt bonum naturæ, quia eſt inclinatio ad virtutem; hoc enim homini convenit, quatenus rationalis eſt, ut plane docet eadem quæſt. art. 2. & quæſt. 63. art. 1. Talem inclinationem ad bonum vocat inchoationem virtutis, hanc autem inclinationem ad virtutem, & hoc bonum naturæ docet, in illo priori citato loco, nec totaliter fuiſſe ablatum, ſicut totaliter ablata fuit originalis juſtitia, nec totaliter integrum, ſeu integram illam inclinationem ad virtutem manſiſſe: ſicut illud primum naturæ bonum jam collatum, ſed diminutam per peccatum manſiſſe & læſam. Præterea clarius hanc eandem inclinationem ad virtutem diminutam & læſam manſiſſe per originale peccatum, manifeſtat eadem quæſt. 85. art 3. ſequenti: per peccatum ergo originale diminuta fuit hæc inclinatio ad virtutem, & attenuatum ac læſum fuit illud naturæ bonum, in quo naturæ bono, & in qua inclinatione ad virtutem manet in ſtatu naturæ lapſæ per originale peccatum homo læſus, attenuatus, infirmus, & vulneratus ſecundum apertam S. Thomæ doctrinam.

Cum ergo in homine conſiderato in ſua pura natura peccatum non eſſet; nec eſſet proculdubio hæc diminutio inclinationis ad virtutem, nec iſta læſio,

Digitized by Google

seu vulneratio, quæ tantum ex peccato in homine provenit: non ergo potest dici in S. Thomæ doctrina, quod eadem vires naturales ad bonum habeat homo lapsus, etiamsi formalem rationem culpæ præscindamus, & homo in puris naturalibus conditus, nec id in sententia S. Doctoris potest fundari, quod tam attenuatus viribus ad bonum & infirmus esset homo si in puris naturalibus conderetur, ac homo lapsus cum originali peccato.

Objectio ex Sancto Thoma.

Verùm ad hoc, quod doctrinam eorum evertit, Respondere quidam laborant, dicentes, S. Thomam citato nunc loco ex 1. 2. quæst. 85. art. 1. cum docet per peccatum diminutam fuisse inclinationem ad virtutem læsumque hominem in illo naturæ bono: non loqui de peccato originali sed de peccato actuali, ex quo concedunt oriri in eo, qui actualiter peccat oppositam inclinationem, inclinationi ad virtutem, quæ diminutio inclinationis ad virtutem, & inclinatio ad peccatum, ut aiunt, non provenit ex peccato originali, cum in eo nullus sit actus ex quo illa inclinatio ad peccatum proveniat. Unde ex consequenti admittunt Adam per peccatum, quod actu commisit, & quod in ipso actuale fuit mansisse inclinatum in peccatum, & sic læsum, & vulneratum in illo naturæ bono, ideſt in illa inclinatione ad virtutem, non autem ejus omnes posteri, in quibus est originale peccatum, absque aliquo ipsorum actu.

Solvitur objectio.

Sed modus iste dicendi, & explicatio ista ad illum citatum articulum 1. quæst. 85. in primis contra apertam intentionem, ne dicam literam, ejusdem sanctissimi Præceptoris procedit. Quod constat primò, ex illo eodem articulo 1. sicut & ex 2. ac tota illa quæstione 85. in qua manifestè loquitur de peccato ut sic, abstrahendo ab originali & actuali; unde id velle restringere ad solum actuale contrarium literæ est; quia in corpore etiam agit de peccato originali, & in argumento sed contra, id probat de illo descendente ab Jerusalem in Jerico Lucæ 10. quem dicit spoliatum gratuitis, & vulneratum in naturalibus quod non solum de Adam, sed de toto humano genere lapso per originale peccatum communiter intelligitur: & de tali homine per peccatum originale lapso duo distinguit, & quod fuit gratuitis omnibus spoliatus, & quod fuit in naturalibus vulneratus: ergo etiam loquitur expressè de peccato originali, & non de actuali tantùm.

Nec huic opponitur, quod subdit ad probandum quod per peccatum minuitur inclinatio ad virtutem, quod nimirum per actum peccati fit inclinatio in similes actus. Ad quæ sola verba attendunt, qui articulum illum exponunt procedere de solo actuali peccato; quia verissimum est quod per actum fit ista inclinatio in similes actus, & per actum quo Adam peccavit fuit facta in ipso hæc inclinatio ad peccatum, & quia nos in Adam peccante peccavimus: si non actualiter, virtualiter tamen & habitualiter inclinati in peccatum manemus. Illud enim quod transacto actu mansit in Adam, manet & in omnibus in quibus est originale: Adam autem mansit habitualiter inclinatus in peccatum. De habentibus enim peccatum originale dicit scriptura, quod proni sunt sensus eorum in malum ab adolescentia sua; licet illa pronitas, & inclinatio habitualis in malum, non sit de ratione formali peccati originalis, sed ad materiale ipsius pertineat, quod alterius negotij est disputare.

Diximus mansisse in hominibus per peccatum originale habitudinem ad alia peccata, vel mansisse habitualiter illos sic in malum inclinatos, non tamen per hoc intelligimus in eis manere aliquem positivum habitum, quo habitualiter inclinentur (talis enim positivus habitus non datur in illis) sed sentimus ipsos manere pronos, & habiles, atque inclinatos ad peccatum per quamdam habilitatem, quæ licet non sit habitus, habet tamen se ad modum habitus; Quæ habilitas aliquando relinquitur ex privatione, ut in terminis S. Thomas docet in 2. sent. dist. 30. q. 1. art. 3. ad 1. & 2. Verba ejus sunt: *Ad 2. dicendum quod differt dicere potentem, & habilem; quod enim aliquis sit potens concupiscere est ex potentia concupiscibili, sed quod sit habilis ad concupiscendum est ex aliquo habitu, vel ex eo quod per modum habitus se habet. Contingit enim ut etiam privatio aliquam habilitatem relinquat in quantum privatur aliquo, quod impedimentum præstare posset; & ita dicitur concupiscentia habitualis esse peccatum originale.*

Cæterum gratis admisso quod in illo art. 1. tantum S. Thomas loquatur de actuali peccato, verissimum est in art. 3. eum expresè de peccato originale sermonem facere; in quo apertè docet per originale diminutam fuisse illam inclinationem ad virtutem: quàm & ibi vocat naturæ vulnerationem. Sive ergo in art. primo, sive in 3. manifestum est per peccatum originale poni diminutam illam inclinationem ad virtutem, quæ homini connaturalis est secundum quod rationalis est; & quæ proinde esset in homine, si sine peccato aliquo in puris, & solis naturalibus conderetur.

Quod vero concedunt in primo parente hanc inclinationem ad virtutem per illud primum peccatum, quod actu ipse commisit, fuisse diminutam; non verò in omnibus ex ipso descendentibus cum originali peccato, nec dicerent, si advertere voluissent; quod sicut in Adam peccâte omnes peccavimus, ita omnem defectũ quem ipse peccando meruit nos omnes contraximus: Cum ergo ille fuerit, ut admittunt, spoliatus omnibus gratuitis totaliter, & insi per læsus & vulneratus in naturalibus, ideſt in illa inclinatione ad virtutem, ita omnes nos per originale peccatum illam gratuitorum totalem spoliationem, & vulnerationem in illa inclinatione ad virtutem contraximus: Etenim, ut dicere incepimus, originale peccatum in nobis, est id quod mansit habitualiter in Adam transacto actu peccati: Cum igitur, ut concedunt, manserit ipse vulneratus in illa inclinatione ad virtutem, in eadem & nos mansimus vulnerati, licet in ipso conversio actualis ad peccatum fuerit de ratione formali peccati; in nobis autem conversio habitualis ad malum, ad materiale peccati pertinet, ut docet semper S. Thomas.

Sed ad verba S. Thomæ revertamur in illo art. 3. 1. 2. q. 85. in corp. quæ clare quod supra dictum est, proponunt *hæc autem originalis ustitia*, inquit, *subtracta est per peccatum primi parentis, sicut iam dictum est, & ideo omnes vires animæ remanent quodammodo destitutæ proprio ordine, quo naturaliter inclinatur ad virtutem, & ipsa destitutio, vulneratio dicitur naturæ.* Ergo secundum S. Thomam per peccatum originale manet natura vulnerata in quantum destitutæ sunt per peccatum potentiæ animæ ordine ad virtutem, quæ est homini naturalis: ergo hæc vulneratio in hoc ponitur à S. Thoma quod sit diminuta inclinatio ad virtutem per peccatum originale, & non tantum per actuale, ut illa explicatio contra apertam literam S. Doctoris exponit.

Nec hic patet recursus, ut explicent hæc S. Thomæ verba modo relata de destitutione naturalis virtutis quam habebat homo in justitia originali pro illum vigorem naturæ integræ, non autem de destitutione illius virtutis naturalis, quæ haberet homo si in puris naturalibus conderetur: quia naturalis inclinatio ad virtutem, licet magis perfectè, homini inesset ex illo vigore naturæ integræ, tamen etiam ei competeret

Digitized by Google

ret, licet non ita perfectè, si in naturalibus puris sine illo vigore conditus esset, ut supra manet ex S. Thoma probatum: potissimè quia solutione ad 3. ostendit S. Doctor se loqui de destitutione naturalis inclinationis ad virtutem, quam habet homo si in puris naturalibus conditus esset, cum dicat concupiscentiam exorbitantem ab ordine rationis non esse homini naturalem, sed esse materiale peccati originalis. Imò in illo art. 2. illius quæst. 85. in corpore, ut omnem auferat dubitationem, ita inquit: *bonum naturæ quod per peccatum diminuitur, est naturalis inclinatio ad virtutem, quæ quidem convenit homini ex ipso quod rationalis est.* Quid clariùs, ut doceret per peccatum fuisse diminutam inclinationem illam quæ conveniebat homini in puris naturalibus, nisi dicant illum tunc rationalem non esse? Et de hac inclinatione ad virtutem quæ competit homini secundum quod rationalis est, loquitur etiam in art. 1. nunc citato, cum se referat in illo ad id quod dixerat supra quæst. 63. art. 1. ubi planè loquitur de inclinatione ad virtutem, quæ convenit homini secundùm quod rationalis est, & hanc dicit fuisse diminutam per peccatum. Sed dato, ut diximus, quod de peccato originali non loquatur in illo art. 1., manifestè de vulneratione facta in natura & in illa naturali inclinatione ad virtutem quæ competit homini secundùm quod rationalis est, loquitur in art. 2. & 3.

Quòd si dicant se tantum loqui de art. 1. non 3. Respondemus quod & 3. qui non multùm distat à primo considerare debuerant, ut apertè viderent manifestam D. Thomæ sententiam esse, & suæ totaliter oppositam, nec in sancto Doctore fundarent, quod ille apertis verbis impugnat.

Insuper recensitis ibi illis quatuor vulneribus naturæ, ipsisque explicatis, nempe ignorantiâ, malitiâ, infirmitate, & concupiscentiâ, quibus læsæ manent potentiæ omnes operativæ, scilicet intellectus, voluntas, irascibilis, & concupiscibilis ita concludit: *Sic igitur ista quatuor sunt vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis.* Ista vulneratio naturæ ex peccato originali fit, ut S. Thomas planè docet; sed ista vulneratio est diminutio inclinationis ad virtutem, quæ est homini naturalis, ut idem S. Doctor affirmat, ergo ex peccato originali diminuta est inclinatio hominis ad virtutem quæ ei erat naturalis. Quomodo ergo dici potest S. Thomam solùm loqui de actuali peccato, non originali, cum etiam ibi de peccato originali, ut istam falsam intelligentiam præscinderet, expressum sermonem instituat. Cum ergo oppositæ sententiæ Defensores expressè concedant, quod si in sancto Thoma sit manifestum per peccatum originale diminui inclinationem ad virtutem homini naturalem, etiam sit manifestum quod magis sit læsus, & vulneratus homo in natura lapsa, quàm in puris naturalibus, si in eis conderetur, quod ultimum ut negent, negant consequenter & illud primum; nimirum per originale peccatum diminutam talem inclinationem fuisse ad virtutem, quæ illi est naturalis. Et ut ex modò relatis, & inductis S. Thomæ testimoniis apertum est in S. Thomæ Doctrina tradita, sive in illo art. 1., sive in 2., sive in 3. sive in omnibus simul, quod per peccatum originale diminuta est inclinatio ad virtutem, quæ hominibus est naturalis; etiam manifestum est in eadem S. Thomæ Doctrina magis infirmum, læsum, & vulneratum mansisse in suis naturalibus hominem in natura lapsa quàm esset si in puris naturalibus conderetur.

Imò notentur S. Thomæ verba in art. illo 3., postquam enim docuit per originale peccatum fuisse naturam humanam vulneratam per diminutionem inclinationis ad virtutem, quæ homini est naturalis, statim subdit: *Sed quia inclinatio ad bonum virtutis in unoquoque diminuitur per peccatum actuale, ut ex dictis patet, etiam illa sunt quatuor vulnera ex aliis peccatis consequentia.* Non ergo solum diminuitur inclinatio ad virtutem homini naturalis per actuale peccatum; sed per originale in omnibus, & per actuale in uno quolibet peccante. Manifestè enim litera dicit illam naturæ vulnerationem per quatuor illa relata vulnera in quatuor potentiis hominum factam per diminutionem inclinationis ad virtutem, hominibus naturalis, factam quidem fuisse in omnibus per originale peccatum: fieri etiam per quodlibet peccatum actuale in uno quolibet actualiter peccante. Unde etiam posse dici illa quatuor vulnera causata per alia peccata. Quid clarius, aut manifestius? Ecce apertè S. Thomas docet per originale peccatũ vulneratam fuisse humanam naturam per diminutionem inclinationis ad virtutem, quæ est homini naturalis. Manifestum est ergo in S. Thomæ sententia non fuisse futuram illam vulnerationem per diminutionem inclinationis ad virtutem, quæ est homini naturalis, in homine si in puris naturalibus conderetur. Cum ista inclinatio ad virtutem; quæ est homini naturalis non diminuatur nisi per peccatum sive originale sive actuale; Et utroque careret sine dubio homo ille in suis puris naturalibus conditus. Profectò hæc in S. Thomæ sententia clarissima sunt, nec video cur aliqui ex ejus discipulis ad illa minùs attendant. Clarissimum est ergo in eodem Doctore sancto, & aperta ejus doctrina, non æqualiter vires habere hominem in naturæ lapsa ad bonum morale, ac si in puris naturalibus conderetur; nec æquè vulneratum, & deteriorem esse utrumque hominem illum, quo ad ignorantiam, malitiam, infirmitatem, & concupiscentiam, sed lapsum hominem multo deteriorem, utpotè infectum, læsum, & vulneratum in suis naturalibus, idest in illa inclinatione ad virtutem.

In specie autem de his quatuor naturæ vulneribus agere, quæ ex originali peccato promanarunt; utpotè, qualia sint, & circa quæ objecta, & quoad illa vulnera, quæ ignorantia in intellectu sit, & quomodo, & circa quod objectum; & quomodo multò magis sit læsa voluntas per malitiam, quæ est vulnus secundum, & ad quæ naturalia, seu moralia bona opera vires habeat, & respectu quorum non, & de aliis per singula dicere ad nostrum 3. pertinet librum ad quæ discutienda transmittuntur; quia ad præsens ut ordo doctrinæ postulat generalis doctrina traditur, quod videlicet non eodem modo se habeat liberum hominis arbitrium post originale peccatum, sicut se haberet si in puris naturalibus constitueretur, nec æquales vires ad bonum habeat sicut ille haberet.

CAPUT VIII.

Cujusdam Recentioris evasio, & sinistra S. Thomæ testimoniorum interpretatio præcluditur.

VErùm contra tam apertam S. Thomæ doctrinam dicit Author operis tripartiti ubi supra, quod S. Thomas in illis 1. 2. & 3. declarat corruptionem naturæ solum factam fuisse per ablationem donorum tribuentium integritatem naturæ, quam in se ipsa, & per se natura non haberet.

Ad quod dicendum in æquivoco laborare prædictum authorem, aliud est enim quod corruptio naturæ lapsæ sit facta per ablationem donorum dantium integritatem naturæ, & aliud valde diversum quod in solis illis donis dantibus integritatem naturæ quæ ablata sunt, fuerit facta talis corruptio, non verò in aliis naturalibus remanentibus. Illud primum verum

Digitized by Google

rum est, & à S. Thom. ibi & ubique traditum, secundum valde falsum & contra apertam literam D. Th. jam inductam manifestè procedit.

Sicut etiam contra S. Thomam est, quod præmisit relatus author nimirum S. Doctorem in illa art. 1. solut. ad 1. explicare S. Dyonisium, non solum quod potentiæ animæ, proprietates, & principia naturæ integra manserunt post peccatum; sed etiam quod integra post peccatum mansit illa sæpiùs repetita inclinatio ad virtutem. Quod ex eo colligit, quia in illa solutione ad 1. refert se S. Thomas ad illud bonum naturæ, de quo in corpore articuli loquutus fuerat, & sub quo comprehenderat potentias, proprietates, & principia naturæ, atque alia hujusmodi: per quæ verba, & alia hujusmodi dicta à S. Thoma intelligit prædictus author etiam inclinationem ad virtutem. Nihil enim magis contra literam articuli dici potuit: cum manifestissimè in corpore art. S. Thomas condistinguat principia naturæ, proprietates, ac potentias, & alia hujusmodi contra inclinationem ad virtutem, & de illis omnibus condistinctis contra inclinationem ad virtutem dicat intelligi S. Dionys. cum docuit post peccatum naturalia manere integra: nullo verò modo intelligit sub illis verbis, *& alia hujusmodi*, inclinationem ad virtutem, cum clarissimè hanc dicat diminutam per peccatum fuisse; Unde talis supradicti Authoris explicatio apertissimè contra literam procedit.

Pec. orig. inheret essentiæ animæ, & inclinat animæ potentias ad actum.

Insuper S. Th. 1. 2. q. 83. docet manifestè quod si consideretur peccatum originale per inhærentiam ad subjectum, hoc modo, primò respicit essentiam animæ; si autem consideretur inclinatio ejus ad actum, hoc modo respicit potentias animæ, unde oportet quod illam per prius respiciat, quæ primâ inclinationē habet ad peccandum. Hæc autem est voluntas, ut ex supradictis patet, unde peccatum originale per prius respicit voluntatem. Hæc S. Th. Præcindendo ergo formale peccati originalis, quod, ut dictum est modo, est inhæsivè in essentia animæ, ex ipso inseparabiliter consequitur, quod infecta sit voluntas per inclinationem ad peccatum: ergo secundum apertam sententiam S. Thomæ etiam præscindendo essentiam culpæ originalis animæ, potentiæ ex ipso infectæ manent, & corruptæ per inclinationem ad peccatum: ergo ista infectio per se sequitur ex peccato: ergo sine peccato nec esset in puris naturalibus; Potissimè notanda sunt illa verba, quod præter inhærentiam peccati in essentia animæ, oportet considerare deinde, sive secundò inclinationem ejus ad actū sive ad peccatum: ergo per se habet inclinare in peccatum, animæ potentias; quia hoc secundariò habet respicere. Quomodo ergo author operis tripartiti; ubi supra, & alij cum illo contendunt originale peccatum in privatione consistere; & nullo modo in inclinatione ad actum? Quod est ipsorum totale fundamentum. Ecce jam manifesta D. Thomæ opinio, cum S. Doctor expresse dicat, quod peccatum originale consideratum ut dicit inclinationem ad actum, respicit potentias animæ: inclinationem ergo ad actum, dicit peccatum originale. Quid clarius? Quid apertius? per quod solum totum enervatur, atque confunditur illorum sententia cum suo adæquato fundamento, considerare enim deberent id quod in litera hac Sanctus Thomas & in aliis multis suæ doctrinæ locis repetit quod sic ut primo & per se, ac de sua ratione formali habet originale peccatum consistere in privatione originalis justitiæ (quia privat animæ essentiam in quo est per inhærentiam ad subjectum) ita secundario & tanquam materiale, seu effectum, habet inclinare potentias animæ ad actum. Et hoc est pronitas, malitia, seu inclinatio in malum per diminutionem inclinationis ad bonum, quam in potentiis hominis causat originale peccatum quia verò eorum, qui contrariam sententiam defendunt, illud potissimum fundamentum est, quod S. Thomas definiens peccatum originale dicit illud esse privationem justitiæ originalis. Unde ipsi solùm esse privationem contendunt, nec ullam aliam læsionem, seu vulnerationem causare affirmant. Quia, inquam, hoc est clarè illorum fundamentum; considerandum quod cum S. Thom. dicit originale peccatum esse privationem originalis justitiæ ibi originale peccatum pro formali definit; nam pro materiali, sive pro effectu apertè docet causare læsionem, & vulnerationem in naturalibus, ut manet ostensum. Imo, cum illud pro formali definit esse privationem justitiæ originalis nullo modo intelligit esse puram & meram privationem, sed cum hoc includere inordinatam dispositionem partium animæ respectu Dei. Hoc enim sanctissimus Doctor docet expresse 1. 2. quæst. 82. art. 1. tum in corpore tum in solutionibus argumentorum: ut enim alia verba omittamus solutione ad 1. sic ait: *Ad 1. ergo dicendum quod sicut ægritudo corporalis habet aliquid de privatione, in quantum tollitur æqualitas sanitatis, & aliquid positivum, scilicet ipsos humores inordinatè dispositos: ita etiam peccatum originale habet privationem originalis justitiæ, & cum hoc inordinatam dispositionem passivam animæ. Unde non est privatio pura, sed quidam habitus corruptus.* Hæc S. Thomas quod autem loquatur de peccato originali pro formali constat 1. quia loquitur de peccato originali absolutè, unde sermonem facit de illo secundùm suam formam, & rationem propriam: cum enim loquitur de illo pro materiali, hoc ipse declarat; sicut loquens de illis quatuor vulneribus, ignorantia, malitia, concupiscentia, & infirmitate dicit esse effectus ipsius originalis peccati. Præterea id manifestat in exemplo de ægritudine, sicut enim ægritudo pro formali dicit privationem cum indebita dispositione humorum; ita originale peccatum pro formali dicit privationem originalis justitiæ cum illa inordinata partium animæ dispositione. Ac tandem id clariùs constat ex solutione ad 3. illius articuli, in quo docet, quod habitus inclinans potentiam in actum inordinatum consequitur ad illum habitum corruptum, amissionem scilicet justitiæ originalis, in qua consistit peccatum originale: loquitur ergo de peccato originali pro formali ex quo sequitur tanquam effectus inclinatio in actum inordinatum, ut sæpe diximus.

Nec obstat quod in argumento sed contra inducit testimonium S. P. Augustini ad probandum, peccatum originale esse habitum, quod manifestè procedit de materiali peccati originalis, seu de effectu illius, cum procedat de concupiscentia qua parvuli sunt concupiscibiles. Ad hoc enim dicendum, quod sicut in argumento sed contra loquitur de originali pro materiali, seu de effectu illius; ita etiam in corpore articuli & in solutione argumentorum sermonem facit de peccato originali pro formali, utrumque enim in illo articulo concludit, & de utroque apertè dicit esse habitum corruptum, sed diversimodè, nam pro formali docet esse habitum corruptum non inclinantem potentiam ad actum inordinatum, & hæc inter alia est una differentia, qua originale peccatum differt ab actuali; de ratione enim actualis peccati est non sola aversio à Deo, sed etiam conversio ad creaturas, seu pronitas, sive inclinatio ad actum inordinatum, sed tamen est de ratione formali illius privatio justitiæ originalis cum illa inordinata dispositione partium animæ respectu Dei secundum quam manet homo dispositus, & Deo minimè subjectus, ac partes animæ non subditæ Deo

Digitized by Google

sicut erat per justitiam originalem. Sed ad principale intentum revertamur, amplius confirmando per originale peccatum mansisse liberum hominis arbitrium læsum verè, & vulneratum in naturalibus.

Præterea in eadem 1. 2. quæst. 85. art. 2. apertè dicit, quod bonum naturæ, quod per peccatum diminuitur est naturalis inclinatio ad virtutem, quæ convenit homini ex eo quod rationalis est, ex hoc enim habet, quod secundùm rationem operetur, quod est agere secundùm virtutem. Quid clariùs? Ecce docet id quod certissimum est, inclinationem ad virtutem esse bonum naturæ, & convenire homini quatenus rationalis est, & hoc bonum diminui per peccatum, manifestum est ergo quod si homo in puris naturalibus conderetur haberet illam inclinationem ad virtutem sibi convenientem secundùm quod rationalis est; quam non habet homo in natura lapsa, quatenus in illo est diminuta inclinatio illa ad virtutem per peccatum; & explicuit ibi quomodo manet diminuta non ex parte radicis ipsius, quæ est ipsa natura voluntatis, seu ipsa libera facultas; quia hæc non diminuitur per peccatum, cum peccatum non diminuat naturam voluntatis, nec ejus intrinsecam libertatem; sed diminuitur ex parte termini, in quantum ponitur impedimentum pertingendi ad terminum; quod impedimentum est peccatum; cum ergo hoc impedimentum in puris naturalibus non esset, nec ibi esset talis diminutio. Et apertè ipse S. Præceptor respondet ad illud quod pro magno opponitur; nimirum hanc diminutionem non posse fieri nisi duobus modis, vel per substractionem alicujus realis, & physicæ perfectionis, vel per additionem alicujus qualitatis, habitus, vel dispositionis. Respondet, inquam, S. Thom. quod neutro illorum modorum fit ista diminutio, sed hoc tertio modo relato ex parte termini per peccatum scilicet ponens impedimentum, ne voluntas ad illum terminum perveniat, de quo copiosiùs in solutione argumentorum dicemus.

CAPUT IX.

Quomodo concupiscentia in homine lapso sit peccati originalis materiale, deteriorans naturæ illius vires ex D. Thoma ostenditur.

TANDEM quia placet non omnia, quæ ex Sancto Thoma induci poterant ad præsens multiplicare, sed clariora tantum, idcirco audiendus est ipse sanctissimus Doctor 1. 2. quæst. 82. art. 3. tum in corpore tum solutione ad 1. & quæst. 83. art. 2. ad 4. & quæst. 85. art. 3. ad 3. & alibi sæpe docens, quod concupiscentia est materiale in peccato originali, explicans simul quæ sit ista concupiscentia, quæ se habet ut materiale in peccato originali. Necesse est ergo dicere quod aliquid habeat concupiscentia secutum ex formali peccati originalis, per quod ipsa constituitur materiale peccati originalis quod non esset in ipsa in puris naturalibus. Consequentia manifesta est, quia si nihil ponitur nihil habet nunc concupiscentia magis quàm haberet in puris naturalibus, nec modo magis esset materiale peccati originalis, quam tunc; Ac tunc quis dicat concupiscentiam in homine esse materiale peccati originalis, cum ibi formale peccati originalis non esset? materiale enim suum respicit formale, & ordinem dicit ad illud. Igitur si secundùm apertam S. Thomæ sententiam, concupiscentia modò est materiale peccati originalis, necesse est dicere quod aliquid habeat ex peccato originali, per quod ipsa constituatur materiale illius, & per quod inseparabiliter ipsum formale peccati originalis respiciat; At hoc nihil aliud potest esse nisi major quædam infectio atque corruptio ipsi communicata ex peccato originali, quæ proinde sine illo peccato non esset; ergo secundùm S. Thomam necesse est dicere majorem infectionem, & corruptionem habere modo concupiscentiam ex peccato originali inflictam, quam haberet in homine in puris naturalibus, & absque peccato: deterior est ergo in viribus suis homo in natura lapsa etiam præscindendo rationem formalem culpæ, quam esset in solis naturalibus, quia habet materiale peccati, quod tunc non haberet, ut planè S. Thomas affirmat; hoc autem materiale peccati, quæ concupiscentia est, est peccati fomes; at fomes peccati in puris naturalibus non esset; ergo nec concupiscentia quæ est materiale peccati. Rursus hoc materiale, & hic peccati fomes, est illa concupiscentia contra rationem, & illa rebellio, cui ratio in natura lapsa non potest resistere cum fuerit vehemens; ergo illa non esset in puris naturalibus ante peccatum, ut supra manet expositum.

Sed jam verba S. Doctoris inducamus, in quæstione 82. artic. 3. ubi ita habet. *Ad primum dicendum quod quia in homine concupiscibilis naturaliter regitur ratione, in tantùm concupiscere, est naturale in quantum est secundum rationis ordinem. Concupiscentia autem, quæ transcendit limites rationis inest homini contra naturam, & talis est concupiscentia originalis peccati*: Quæstione verò 83. artic. 2. ait: *Ad quartum dicendum quod concupiscentia se habet materialiter, & ex consequenti in peccato originali, ut supra dictum est*: nempe quæst. 82. artic. 3. nunc citato: in quæstione autem 85. artic. 3. inquit: *Ad tertium dicendum, quod sicut supradictum est, concupiscentia in tantum est naturalis homini, in quantum subditur rationi, quod autem excedit limites rationis, hoc est homini contra naturam.* Quod clarissimè explicat quæst. 4. de malo artic. 2. ad 1. & 2. Ad primum enim, in quo opposuerat non pertinere concupiscentiam ad peccatum originale, cum sit naturalis, ita respondet: *Dicendum quod aliquid potest esse naturale homini dupliciter. Uno modo in quantum est animal, & sic naturale est ei quod concupiscibilis feratur in delectabile secundum sensum communiter loquendo. Alio modo in quantum est homo, id est animal rationale, & sic naturale est ei quod concupiscibilis feratur in delectabile secundum ordinem rationis. Concupiscentia ergo per quam prona est vis concupiscibilis, ut feratur in delectabile sensus præter ordinem rationis, est contra naturam hominis in quantum est homo, & ita pertinet ad peccatum originale.* Hæc S. Thomas quid clarius dicere potuit ut ostendat ex peccato originali esse in hominibus concupiscentiam, qua præter ordinem rationis fertur in bonum delectabile, & hanc non potuisse esse in homine in puris naturalibus; quia talis concupiscentia esset contra naturam hominis. Et solutione ad 2. iterum ait: *Quod sicut vis concupiscibilis, naturalis est homini secundum naturam institutam, ita & quod subdatur rationi est ei naturale secundum id quod Philosophus dicit in tertio de Anima quod appetitus sensitivus sequitur appetitum rationis sicut sphæra movetur à sphæra.* Igitur secundum Sanctum Thomam concupiscentia in tantum est materiale peccati, in quantum transcendit limites rationis; in quantum autem materiale peccati est transcendens rationis limites, contra naturam hominis est, quæ concupiscentia contra naturam, ut constat, non esset in homine condito in pura natura. Et quæstione 3. de malo artic. 1. ad 5. inquit. *Dicendum quod peccata non proveniunt ex inclinatione irascibilis, aut concupiscibilis secundum*

Digitized by Google

dum quod sunt à Deo instituta, sed secundum quod deficiunt ab ordine institutionis ipsius sic enim sunt instituta in homine quod rationi subjaceant: Unde quando præter ordinem rationis ad peccatum inclinant, hoc non est ex Deo; Non solum autem vult S. Thomas concupiscere contra rationem, esse materiale originalis peccati, sed etiam concupiscere præter rationem, esse materiale ipsius; sed cum hoc dicitur, pro eodem sumit, *præter*, in hoc loco, quod in aliis dixit, *contra*; Nam si concupiscere præter rationem sumat propriè, ut distinguitur contra concupiscere contra rationem (quæ est illa rebellio jam explicata) ut sic posset in natura condita in puris naturalibus esse motus concupiscentiæ præter rationem, sicut in superioribus diximus, dummodo simul dicatur quod insurgentes illos motus præter rationem, vel secundum quod homo animal est, possit ipsa ratio refrenare, & impedire faciendo quod concupiscerent secundum rationem. Itaque quod appetitus sensitivus præter rationis ordinem feratur in bonum delectabile est homini naturale quatenus animal est. Similiter quod feratur in tale appetibile contra rationem per aliquam rebellionem, dummodo illa sit moderabilis, & superabilis per rationem etiam est homini naturale quatenus animal est; At ita ferri in delectabile quod non possit refrænari à ratione est contra naturam tam hominis ut homo est, quand contra naturam ipsius ut animal est, quia natura animalis in homine, est ut possit regi, & refrænari à ratione.

Hæc etiam tam aperta testimonia ad suam falsam intelligentiam retorquere non cessant contrarium opinantes dicendo non significare S. Thomam, cum dicit concupiscentiam transcendentem limites naturæ esse contra naturam, non fuisse concupiscentiam talem futuram in homine condito in puris naturalibus, contrarium enim expresè docet cum ait: *Inordinatos motus consecutos esse ex peccato originali tamquam ex removente prohibens.* Unde significare voluit istam concupiscentiam non fuisse futuram ut bonum aliquod naturale sed ut languorem, & vitiũ naturæ, non ex intentione conditoris, sed ex conditione naturæ consequens, quale vitium est in gladio, subjectum esse rubigini; omne enim vitium contra naturam dici potest.

Cæterum luce clarius hæc explicatio literæ S. Thom. opposita est, quia sanctissimus Doctor impossibile dicit esse inclinationem naturalem & esse ad peccatum, ut constat ex quodlibeto 1. art. 8. ubi id ex professo demonstrat. Similiter impossibile dicit, quod concupiscentia, quæ est naturalis homini, & à Deo sibi data sit, ut transcendens limites rationis, quia tunc ut S. Th. etiam ostendit, Deo imputaretur quod homo concupisceret contra rationem, ut ex rationibus postea ex D. Thoma acceptis dabimus manifestum. Parique ratione nihil absurdius dici potest quàm esse inclinationem datam ab Authore naturæ, & esse contra naturam. Sicut ergo nihil magis contra S. Thomam dici potest imò nihil impossibilius, quàm aliquam esse naturalem hominis inclinationem, & simul esse contra hominis naturam, ita nihil magis est contra S. Thomam, nihilque impossibile magis quam concupiscentiã esse in homine condito in puris naturalibus, quæ illi esset à Deo, & per consequens naturalis, esseteque transcendens limites rationis, & per consequens contra naturam: Unde cum S. Th. citatis locis docet concupiscentiam transcendentem rationis limites, contra naturam hominis esse plane docet quod non est homini naturalis, nec ei potest esse à Deo, si consideretur in solis ac puris naturalibus suis; Quid autem intelligat per concupiscentiam transcendentem limites rationis, actum est supra, quod est ita rebellare contra rationem, ut ei ratio ipsa resistere, ipsamque moderari omnimodè non possit.

Nec S. Doctor umquam dixit, aut dicere potuit, quod tunc haberet homo in puris naturalibus morbum, atque languorem, vel vitium aliquod contra ejus naturam, imò totum oppositum docuit sine dubio. Nec etiam asseruit originale peccatum esse tantùm removens prohibens originalem justitiam, ita quod in puris naturalibus esset inordinatus motus transcendens rationis limites, quia contrarium expressit tribus citatis locis, & in illo articulo in quo vulnera dixit inflicta toti naturæ per peccatum originale; In quo simul asseruit; primum originale peccatum removisse originalem justitiam, quod dicit in principio Corporis. 2. addidit quod inflixit vulnera deordinando potentias à rectitudine rationis, quæ est homini naturalis, dicendo enim inclinationẽ ad virtutẽ naturalem esse homini, planè docuit adesse debere homini in puris naturalibus condito, à qua proinde inclinatione naturali ad virtutem peccatum originale positivè deordinavit ut supra manet explicatum. Omnia ista appertissimè cõfirmãtur ex his quę docet 1. 2. q. 91. art. 6. agens enim de lege fomitis quam homo per peccatum originale inhaurit, inquit: *dum homo à deo recessit incurrit in hoc quod feratur secundum impetum sensualitatis, & unicuique etiam particulariter hoc contingit quanto magis à ratione recesserit, ut sic quodammodo bestiis assimiletur, quæ sensualitatis impetu feruntur, secundum illud Psalm. 48. homo cum in honore esset non intellexit comparatus est jumentis insipientibus & similis factus est illis; sic igitur,* ait, *ipsa sensualitatis inclinatio, quæ fomes dicitur, in aliis quidem animalibus simpliciter habet rationem legis, in hominibus autem secundum hoc non habet rationem legis, sed magis est deviatio à lege: sed in quantum per Divinam justitiam homo destituitur originali justitia, & vigore rationis, ipse impetus sensualitatis, qui eum ducit habet rationem legis.* Manifestum est autem, quod prædictam fomitis legem in homine, si in puris naturalibus conderetur, non constitueret.

Concludendum est itaque apertam sententiam S. Thomæ esse, hominem in natura lapsa, etiam per rationem præscindendo formalem rationem originalis culpæ quæ in essentia animæ est, infectas atque corruptas habere potentias, quas corruptas in naturalibus puris non haberet, læsumque esse, ac vulneratum in naturalibus suis per diminutionem inclinationis ad virtutem, quæ est homini naturalis, & quæ in condito in solis naturalibus esset; esseque proinde deteriorem quoad vulnera toti naturæ inflicta, quam si conderetur in solis naturalibus. Quia hanc diminutionem virium naturalium, & hanc corruptionem atque infectionem potentiarum docet consequi secundario ex ipsa originali culpa, essentialiter in essentia animæ residente. Unde oppositum S. Doctori velle tribuere est penitus ad illius doctrinam nolle attendere.

In summa, per quodlibet peccatum non tolli sed minui habilitatem, & capacitatem ad gratiam, quæ est illa naturalis inclinatio ad bonum (per ipsam enim quando recta est, magis est homo habilis, & capax gratiæ, quam cum est obliqua) semper S. Thomas docuit 1. p. q. 85. art. 4. In qq. disputatis quæst. 2. de malo quæ est de peccatis art. 11. & quæst. 16. de dæmonibus art. 6. ad 12. Quod enim homo sit minus habilis ad bonum, & magis habilis ad malum in adductis supra testimoniis satis exposuit; quod nempe sit tum in parte superiori, tum in inferiori habilis ad malum, in intellectu quidem per ignorantiam, in voluntate per malitiam seu inclinationem ad ma-

Digitized by Google

lum resultantem non ex aliquo habitu, sed per impedimentum oppositum, nempe peccatum quod impedit inclinationem ad bonum, & sic manet prona, & habilis ad malum. In parte autem inferiori nempe in concupiscibili manet habilis ad effrenatè concupiscendum ex privatione boni, & destitutione; quæ causat vel potius relinquit hanc habilitatem ad male concupiscendum, quæ habilitas est materiale peccati, & fomes illius. Verba S. Thomæ sunt in 2. dist. 38. q. 1. art. 3. ad 2. ut hic ex integro referantur licet supra ex parte inducta sint: *Ad 2. dicendum quod differt dicere potentem, & habilem, quod enim aliquid sit potens concupiscere ex potentia est concupiscibili, sed quod sit habilis ad concupiscendum est ex aliquo habitu, vel ex eo quod per modum habitus se habet. Contingit enim ut etiam, privatio aliqua habilitatem quamdam relinquat in quantum privatur aliquid, quod impedimentum præstare posset, & ita dicitur concupiscentia habitualis esse peccatum originale; non quidem vis concupiscibilis, neque iterum aliquis habitus, qui aliquid positivè dicat, sed ipsa habilitas, qua relinquitur in inferioribus viribus ad inordinatè concupiscendum, ex hoc quod ab appetitu subtrahitur retinaculum rationis, quo detinebatur ne effrenatè posset in sua objecta tendere.*

Adeò autem verum est hanc esse S. Thomæ sententiam ac veritatem tenendam ut etiam Cardinalis Bellarminus qui oppositum tenet in cap. 7. illius sui libri de gratia primi hominis hoc fateatur. In §. enim *Porro*, inquit: *Porro vitia omnia privationes sunt naturalium bonorum, ideſt naturalis rectitudinis, non qualis in primo homine fuit; sed qualis esse potuit si in puris naturalibus conditus fuisset; natura enim creata sine justitia, & sine peccato (id enim vocamus in puris naturalibus) suam quandam habet rectitudinem, quatenus Videlicet nullam habet vitij curvitatem.* Hæc ille. Ex quibus verbis, ut ipse Manifestè infert magis læsam naturam per peccatum quam in puris naturalibus, cum in illo statu haberet naturalem quandam rectitudinem, & vires ad operandum secundum illam, in qua rectitudine, & viribus per peccatum læsionem, & corruptionem accepit, ut ex aperta S. Thomæ sententia ostensum est. Dicent Cardinal Bellarminum loqui de peccatis actualibus non de originali, cum in specie de originali oppositum dicat, fateor quod hoc forsan ipse intendit. Verùm cum dicat omnia vitia id causare, & originale peccatum verè sit vitium, & peccatum, id etiam debet habere saltem pro materiali & secundario; nempe secundum quod respicit potentias, ut ex sancto Thoma dictum est supra. Et quando omnia inducta cessarent id quod dicit 1. 2. q. 109. art. 2. plane sufficeret pro sententia S. Thomæ in hac parte clarificanda. Sic enim ait. *Sed in statu naturæ corruptæ etiam deficit homo, ab hoc, quod secundum suam naturam potest, ut non possit totum hujusmodi bonum implere per sua naturalia*, verba illa secundum suam naturam, naturam absolutè sumptam demonstrant, & non tantum cum justitia originali ornatam, & quod sic naturam accipiat, sequentia verba magis notificant cum subdit: *Quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere, sicut ædificare domos, plantare vineas, & alia hujusmodi non tamen totum bonum sibi connaturale ita quod in nullo deficiat.* Ecce docet per peccatum non esse totaliter naturam corruptam: ergo aliquo modo eam dicit corruptam respectu boni sibi connaturalis. Et explicans per exempla quid possit, apponit quædam faciliora nempe ædificare domos, quomodo, & quando oportet, quod bonum naturale facile est, difficile autem etiam morale bonum propter corruptionem non potest, quod tamen sine dubio posset si in puris naturalibus conderetur ut modo 3. lib. ostendemus cum S. Thoma sentire Capreolum, Cajet:, & alios Doctores discipulos ipsius, qui in hac parte ab aliquibus malè intelliguntur, & sic apertè tenuisse Magistrum sentent. etiam aperiemus.

CAPUT X.

Per peccatum originale fuisse læsum, ac vulneratum hominem in suis naturalibus. S.P. August. non obscurè tradidit.

DOCET planè S. P. Augustinus veritatem prædictam, & multò deteriorem cognoscit hominem in natura lapsa, quo ad ignorantiam & difficultatem operandi bonum, quam si in puris naturalibus conderetur. Nam in 3. lib. de lib. art. cap. 18. postquam probavit ignorantiam, & difficultatem pœnam fuisse peccati, inquit, *Nam sunt rè vera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia, & difficultas.* Ex quo probat Adam ex peccato suo illa duo incurrisse, illaquè in posteros trasfudisse. Ergo secundum sanctum Augustinum etiam si Adam conditus fuisset in puris naturalibus eò ipso quod peccaret, hæc duo pœnalia, scilicet ignorantiam, & difficultatem incurreret, aliàs verum non esset quod sunt rèvera omni peccanti animæ, duo ista pœnalia ignorantia, & difficultas. Quod ut rectiùs intelligatur gratis, seu per impossibile admittamus id quod Philosophi admiserunt, creatum videlicet primum hominem in solis naturalibus. Tunc inquiro, an per peccatum incurrerit ignorantiam aliquam, & difficultatem quam antea non haberet, vel non? si non incurrit, falsum est quod S. Augustinus pro verissimo supponit, esse rèvera omni animæ peccanti hæc duo pœnalia ignorantiam, & difficultatem: si autem illa incurrit, ut illius dictum salvetur, ergo majorem aliquam ignorantiam, & difficultatem operandi bonum habuit ex peccato quàm ante illud haberet. Igitur secundum sententiam S. Augustini multò deterior fit homo ex peccato quoad ignorantiam, & difficultatem, quàm si sine peccato esset: ergo ex peccato originali, quod verum peccatum est, multò deterior est homo lapsus, quoad illa duo, scilicet ignorantiam & difficultatem, quàm si esset in puris naturalibus ante peccatum, secundum S. Augustini sententiam, illam autem læsionem, quam in suis naturalibus bonis habuerat Adam & omne genus humanum in ipso, si in puris naturalibus conditus esset, constat, quod illam etiam incurrit per peccatum quod ipse commisit creatus in gratia, & justitia originali. Cum talis privatio bonorum naturalium per se peccato conveniat.

Probatur ex Augustino pro dictum intentum.

Confirmat hoc satis quod habet in Enchirid. cap. 11. Dum animorum quæcumque sunt vitia, naturalium dicit privationes bonorum, sunt autem vulnera illa, scilicet ignorantia malitia, infirmitas, & concupiscentia ex peccato originali descendentia vitia quædam animorum ergo naturalium bonorum privationes sunt, non igitur essent vitia talia in puris naturalibus, in quibus privationes naturalium non haberentur. Nec licet audire qui dicunt per naturalia bona, quorum dicit privationes esse illa vitia, intelligi subjecta virtutum, quia

Id ipsum ex sancto Doctore amplius probatur.

Digitized by Google

quia subjectis nullo modo privant, unde contraria literæ est explicatio. Restat ergo ut per naturalia bona, quibus vitia rectè privare dicuntur, intelligatur ipsa rectitudo, & inclinatio ad virtutem, quæ homini est naturalis, ut ex sancto Thoma ostendimus, & qua magna ex parte privamur per vitia illa, & naturæ vulnera, ut etiam authores oppositæ sententiæ veritate ipsa convicti tandem fatentur, ut dicemus infrà in solutionibus argumentorum. Non etiam juvat dicere, quod peccata sunt privationes naturalium bonorum, ideſt actualia: originale autem est privatio justitiæ originalis, quia hoc verum est quoad formale peccati originalis, pro materiali verò convenit cum omnibus aliis peccatis, quod nempe peccatores privet naturalibus bonis, ut infra copiosiùs comprobabitur.

Præterea citato loco ex lib. 3. de lib. arb. cap. 18. ita ait: *Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Quæ verba repetit lib. de natura, & gratia cap. 68. in quibus duo simul proponit. Alterum quod ignorantia, & difficultas sint pœna damnati hominis (quod & authores cum quibus agimus sine dubitatione recipiunt): Alterum quod illa duo non sint natura instituti hominis, quod prædicti authores contra propriam significationem verborum limitant ad solum Adam, dicentes, ideo non esse illa duo naturam primi hominis instituti, quia fuit creatus ipse sine ignorantia, & difficultate propter justitiam originalem hæc impedientem, quæ tamen revera essent in primo homine instituto, si non superadesset originalis justitia. Sed ista intelligentia, & limitatio sententiæ Augustni contra Sancti Doctoris mentem, & doctrinam militat.

3. Ex S. Patre Augustino id explicatur.

Primò. Quia si hoc S. Augustinus intenderet, non dixisset non esse naturam hominis instituti ignorantiam & difficultatem sed potiùs diceret naturam quidem hominis esse, illa habere, illáque ex natura hominis instituti debuisse effluere, nisi ex gratia, & justitia originali impedita fuissent. Cum ergo hoc non dicat, nec in gratiam refundat carentiam ignorantiæ, & difficultatis, sed in naturam hominis conditi, planè negat ex pura natura conditi hominis, inseparabiliter sequi ignorantiam, & difficultatem. Non, inquit, est natura instituti hominis habere inseparabiliter talem ignorantiam, qua approbet falsa pro veris, & talem difficultatem, ut à libidine temperare non possit. Hæc certè duo non sequuntur inseparabiliter, inquit Augustinus, ex natura hominis à Deo condita. Itaque de natura hominis loquitur, ut de eis quæ sibi adveniunt per gratiam. Quamvis enim natura primi hominis postularet ut sine ignorantia pravæ dispositionis à Deo conderetur, & sine impossibilitate ad operandum bonum rationis, multa tamen alia, illaque egregia habuit ex gratia, & dono originalis justitiæ; majorem videlicet cognitionem naturalium, majoremque promptitudinem ad bonum operandum, magnam illam virtutem, qua posset semper perseverare si vellet, & omne vitare nedum mortale, sed veniale peccatum, & quod inferior pars perfectè & in omnibus superiori subderetur, & similia. De his enim præcipuis donis quæ ex gratia, & originali justitia, primo homini in sua institutione divinitùs collata sunt S. P. August. citatis locis non loquitur; si enim de eis ageret, non in naturam hominis instituti, sed in gratiam, qua institutus est, illa referret; sed tantùm loquitur de ignorantia pravæ dispositionis, qua falsa pro veris approbantur, & de difficultate, qua homo temperare passiones non potest. Et ista docet esse pœnalia ex peccato solo provenientia, nec esse naturam hominis instituti, quomodolibet à Deo immediatè condatur. Et ista est ejus aperta sententia secundum quod & propriè voces significant.

Deinde hoc etiam satis declarat sanctissimus Doctor cum inquit lib. de dono perseverantiæ cap. 11. & alibi sæpè ignorantiam, & difficultatem non esse primordia naturæ. Per quæ verba non solum docet non fuisse primordia naturæ in primo parente propter originalem justitiam illa impedientem; sed non fuisse primordia naturæ, cum illa videlicet natura primò & inseparabiliter connexa, atque conjuncta; si enim agnosceret sanctus Augustinus, illa esse primò, & originaliter naturæ rationem consequentia profectò diceret illa quidem primordia naturæ esse, sed impedita per gratiam, & originalem justitiam.

Id magis ex Sancto Augustino aperitur.

Ad hæc idem S. Aug. de pecc. mer. & remiss. lib. 1. cap. 35. & 36. ita exagerat ignorantiam, & difficultatem, quas patitur ex peccato originali humana natura, ut mirum sit quod ipsi tribui possit eam miserrimam ignorantiam & difficultatem habiturum hominem si in puris naturalibus conderetur à Deo. Multiplicatis enim vocibus illam vocat profundissimam ignorantiam, tenebras mentis, densissimas ignorantiæ tenebras, profundam ignorantiæ caliginem qua involutus est homo, magnum ignorantiæ atque infirmitatis malum. Quis autem dicat tam magnum hoc malum connaturale esse homini absque ullo peccato, eo ipso quod homo à Deo creetur, & hoc docuisse S. P. August. atque dixisse inseparabile esse hoc malum ab hominis natura, si sola & pura, sine donis gratiæ à Deo institueretur. Imò potiùs in citato loco agens rationibus contra Pelagianos totum plane oppositum manifestat, dum sic prosequitur. *Hoc tam magnum ignorantiæ, atque infirmitatis malum, si in hac vita jam nati parvuli contraxerunt, ubi, quando, quomodo magna aliqua impietate commissa, repentè tantis tenebris involuti sunt?* Quibus planè docet apertè quod nisi propter impietatem, atque peccatum tam magnum ignorantiæ malum in humana natura non esset. Ex consequenti nos instruit quod si homo in puris naturalibus conderetur, hoc magnum malum, quod peccati est proprium, non haberet.

Cap. 36. cit.

Adhuc hoc ipsum efficaciùs in citato cap. 36. ita persuadet. *In illas igitur ignorantiæ densissimas tenebras, ubi anima infantis recentis ab utero, utique anima hominis, utique anima rationalis, non solùm indocta, sed indocilis jacet, quare, aut quando, aut unde contrusa est, si naturæ est hominis sic incipere, & non jam vitiosa est ista natura; Cur non talis creatus est Adam?* Ubi duas simul planè convincentes rationes adhibet contra Pelagianos. Prima, si natura est hominis sic incipere cum ignorantia, & difficultate, & non potiùs est vitiatæ naturæ, cur anima hominis, & anima rationalis, cujus est proprium ratione uti, sic jacet indocta, atque indocilis, tenebris ignorantiæ involuta? Ac si clariùs dicat: Nulla causa assignari potest, ob quam anima rationalis sic creetur; & ex consequenti nec dici potest, quod naturæ ejus sit, sic incipere, sed tantùm hoc proveniat ex vitiata natura. Secunda ratio urgentior. Si naturæ hominis est sic incipere cum tali profunda ignorantiæ caligine, cur non sic creatus fuit Adam? Si enim hoc esset homini naturale ex institutione sua, utique & Adam ex sua institutione illud haberet. Nec tamen poterant Pelagiani respondere quod ex gratia creatus fuit Adam sine ignorantia, & difficultate, licet ejus natura eadem deberet habere. Hoc, inquam, respondere Pelagiani non poterant, qui contendebant, primum hominem nullum originalis justitiæ donum in sua institutione accepisse, sed creatum solùm fuisse in naturalibus suis, quos tamen hoc argumentum detruncat. Si enim secundum illos nullum gratuitum donum originalis justitiæ habuit Adam in creatione sua, ergo creatus fuit

Sexta præ-hatio ex eodem Doctore Sancto.

solum

solum in naturalibus puris, & tamen capax præcepti, ut scriptura docet, utens ratione, & valens imponere nomina rebus: Ergo non est proprium hominis conditi in puris naturalibus habere ignorantiam, & difficultatem, aliàs hæc, Adam creatus secundum illos in puris naturalibus, haberet. Igitur si omnes ex Adam descendentes tam profundam ignorantiam, & difficultatem habent, hæc non sunt primordia naturæ conditæ in puris naturalibus, sed revera sunt pœna peccati; descendentia videlicet ex illo peccato originali in quo tenentur obnoxij. Iste est ibi totus S. P. Augustini convincens discursus, simulque probans ignorantiam, & difficultatem non esse primordia naturæ vel conditæ cum originali justitia, ut fides habet, vel conditæ in puris naturalibus, ut malè Pelagiani ponebant; sed esse veram pœnam peccati illius, sub quo parvuli nascuntur adstricti.

Ampliùs. In citato loco cap. 37. ita ex adverso opponit. Dicet aliquis, si hæc naturæ puræ non sunt, sed vitiosæ primordia: quia talis non est creatus Adam, cur Christus longè excellentior, & certè sine ullo peccato natus ex Virgine, in hac tamen infirmitate, atque ætate procreatus apparuit? Cui ita Respondet. *Huic propositioni Respondemus. Adam propterea non talem creatum, quia nullius Parentis præcedente peccato, non est creatus in carne peccati. Nos ideo tales, quia illius præcedente peccato nati sumus in carne peccati. Christus ideo talis, quia ut de peccato condemnaret peccatum, natus est in similitudinem carnis.* Hæc S. Augustinus. Quibus argumento oppositio apertissime ostendit non esse puræ naturæ ignorantiam, & difficultatem. Quid clariùs? Notanda valde sunt verba, non sunt puræ naturæ, sed primordia naturæ vitiatæ. Non ergo illi defectus sunt puræ naturæ, seu in puris naturalibus conditæ, quod idem omnino est, sed sunt primordia ex peccato venientia. Notetur præterea argumenti solutio, & causalis, quam reddit, & erit manifestum ignorantiam, & difficultatem non in puram, & nudam naturam referri, sed in vitiatam. *Respondemus*, inquit, *Adam propterea non talem creatum, quia nullius parentis præcedente peccato factus est in carne peccati.* Quæ ratio æquè currit de homine si in puris naturalibus conderetur, quod quia nullius parentis præcedente peccato, factus esset in carne peccati, ideo nec cum ignorantia, nec cum difficultate illa nasceretur.

Quod autem subdit de Christo Domino, non est intelligendum in ipso admittere ignorantiam, & difficultatem operandi interiùs in anima, quia alibi eum cum perfecto usu rationis, plena scientia, & gratia constituit; sed debet intelligi de infirmitate, & difficultate carnis, seu corporis, quod infirmum & parvum habebat, sicut & parvuli alij, ad statim operandum minùs idoneum. Et quia ista est perpetua Sancti Doctoris doctrina, sæpissimè in libris contra Pelagianos omnes priores, & posteriores fundata, minùs oportet alia ex Sancto Doctore inducere testimonia, satis erit clariùs ejus mentem aperire. Deinde lib. de Natura, & Gratia, cap. 53. contra Pelagianos ita habet: *Quid tantùm de naturæ possibilitate præsumitur? Vulnerata sauciata, vexata, perdita est.* Sed Pelagiani naturæ possibilitatem adstruebant, non per justitiam originalem quam negarunt, sed per naturam secundum sua pura naturalia, ergo cum contra illos doceat S. P. August. quod ista naturalis possibilitas, vulnerata, sauciata, vexata, & perdita est, planè intelligit vulneratam, & sauciatam in illa naturali possibilitate debita naturæ, seu connaturali naturæ, quam Pelagiani asserebant. Ad quod insuper ostendendum in ultimo cap. ejusdem libri hæc addidit verba *hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Quibus verbis apertè docet facilia præcepta posse hominem in natura corrupta, viribus naturæ facere, at difficilia non posse sine gratiæ adjutorio, quod propterea petimus à Deo. Quod est illud supra ex Sancto Thoma allatum posse hominem in natura corrupta ædificare domos, plantare vineas, id est facilia posse implere non difficilia.

Insuper sanctissimus Doctor lib. 22. de Civit. Dei cap. 22. innumera mala, & pœnalitates enumerat, quas in hac mortali vita patimur ex peccato originali, quod verè contraximus: ita dicens: *Nam quod ad primam originem pertinet omnium mortalium originem fuisse damnatam, hæc ipsa vita, si vita dicenda est, tot & tantis malis plena, testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo à illo liberari sine labore, dolore, timore non possit? Quid amor ipse rerum vanarum, atque noxiarum, & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia, discordia, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, invidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, sævitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta, & contra naturam utriusque sexus, tot stupra atque immunditia, quas turpe est etiam dicere, sacrilegia, hæreses, blasphemia, perjuria, oppressiones innocentium, calumniæ, circumventiones, prævaricationes, falsa testimonia, iniqua judicia, violentiæ, latrocinia, & quidquid talium malorum in mentem non venit, & tamen de Vita ista hominum non recedit: Verùm hæc hominum sunt malorum, ab illa tamen erroris, & perversi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam nascitur.* Et post pauca; (quia omnia referre ejus dicta longum esset:) *Quid est enim* (ait) *quod cum labore meminimus, sine labore obliviscimur, cum labore discimus, sine labore nescimus, cum labore strenui, sine labore inertes sumus, nonnè hinc apparet* (inquit) *velut pondere suo proclivis, & prona sit vitiosa natura, & quanta ope, ut hinc liberetur indigeat.* Ecce apertissimè dicit omnia ista mala relata, à vitiosa natura provenire. An tot numerata mala haberet homo sine omni peccato, si in puris naturalibus conderetur? Quis ista dicat? *Sexta. Id est sanctus Augustinus dicit.*

Præterea in Epist. 106. redarguit Pelagium quod aliquando diceret nos quotidiano gratiæ Dei muniri auxilio, quamvis habeamus ad non peccandum forte ac firmum liberum arbitrium, quod utique invalidum, & infirmum debuit confiteri, donec sanentur omnes languores animæ nostræ; qui certè languores animæ, non essent in homine si in puris naturalibus conderetur ante omne peccatum. Et ex consequenti nec haberet tunc invalidum Arbitrium, & infirmum ad non peccandum, cum ista infirmitas ex languoribus Animæ proveniat, qui tunc in anima non essent, magis ergo nunc homo lapsus, est invalidus, magis infirmus, magis languidus viribus suis ad non peccandum, quàm esset si in puris naturalibus conderetur. Sed opponunt quod idem sanctissimus Pater & Doctor lib. 3. de libero arbitrio, cap. 20. 21. & 22. docet quod potuit creari homo, qui talis esset ante peccatum, qualis nunc est per peccatum, quantum ad ignorantiam; & difficultatem; sed talis absque dubio esset homo conditus in puris naturalibus: ergo si sic homo creetur, haberet eandem ignorantiam, & difficultatem, quam modo habet homo in natura corrupta. *S. P. August. epist. 106.* *Quædam objectio contra D. Augustinum.*

Ad hoc non nos, sed ipse huic objectioni factæ à Semi-

Solvitur talis objectio.

à Semipelagianis respondet lib. de Dono persev. cap. 11. Et 1. Retract. cap. 9. Videnda sunt utrobique verba, quæ & nos lib. 3. commodiùs recensemus, in quibus tamen hæc est in substantia solutio; quod in 3. lib. illo de libero arbitrio nihil absolutè & definitivè asseruit, quod videlicet si crearetur homo in puris naturalibus haberet talem ignorantiam, & difficultatem, quam nunc homines habent post primi parentis peccatum. Hic enim tantùm loquitur contra Manichæos, qui dicebant peccatum non esse ex libero arbitrio, sed ex quadam congenita natura determinata ad malum, & ad confundendum istum errorem, disputativè procedit, dicendo quod licet gratis admitteretur, quod homo si in solis naturalibus conderetur, haberet eandem ignorantiam, & difficultatem, quam modo homo habet post peccatum, adhuc non sequitur, quod vituperandus esset Deus qui talem naturam daret, sed laudandus; quia vel daret adjutorium quo posset & ignorantiam illam, & difficultatem vincere, ac bene operari, vel si non dedisset, nec illi homini imputaret, quod non operaretur. Unde in lib. de Dono perseverare cap. 11. dicit. *Quamvis ergo in lib. 3. de libero arbit. ita de parvulis disputaverim, ut etiamsi verum esset, quod dicunt Pelagiani, ignorantiam, & difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia essè naturæ, vincerentur tamen Manichæi, qui volunt duas, boni scilicet & mali coeternas esse naturas. Numquid ideo fides in dubium revocanda, vel deserenda est, quam contra ipsos Pelagianos Catholica defendit Ecclesia, quæ asserit originale esse peccatum?* Et infrà cap. 12. *Sicut autem nunc ut ostenderem gratiam Dei non secundum merita nostra dari, secundùm utrumque sensum hoc defendere malui: & secundùm nostrum scilicet, qui obstrictos originali peccato parvulos dicimus, & secundùm Pelagianorum, qui originale negant esse peccatum; nec tamen ideo mihi est ambigendum habere parvulos quod eis dimittat, qui salvum facit populum suum: ita & in 3. libro de libero arbitrio secundùm utrumque sensum restiti Manichæis, sive supplicia, sive primordia naturæ sint ignorantia, & difficultas, sine quibus nullus hominum nascitur, & tamen unum eorum teneo: Ibi quoque à me satis evidenter expressum est, quod non sit ista natura instituti hominis, sed pœna peccati.* Et lib. 1. Retract. cap. 9. inter alia quæ retractat ex libro de libero arbitrio, ita de præsenti difficultate, quæ sibi opponi posse videbat Respondet. *In his inquam libris ita multa disserta sunt, ut incidentes nonnulla quæstiones, quæ vel enodari non poterant, vel longam sermocinationem in præsenti requirebant, ita differrentur, ut ex utraque parte, vel ex omnibus earumdem quæstionum partibus in quibus non apparebat quid potiùs congrueret veritati; ad hoc tamen ratiocinatio nostra concluderetur, ut quodlibet eorum verum esset, laudandus crederetur, vel etiam ostenderetur Deus.* Et propè finem: *Deinde dictum est*, inquit, *ex qua miseria peccantibus justissimè inflicta liberet Dei gratia, quia homo sponte, ideèst libero arbitrio cadere potuit, non etiam surgere, ad quam miseriam justa damnationis pertinet ignorantia, & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suæ, nec ab isto malo liberatur quisquam nisi Dei gratia. Quam miseriam nolunt Pelagiani ex justa damnatione descendere, negantes originale peccatum. Quamvis ignorantia, & difficultas etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus, sicut in eodem libro 3. disputavimus.* Manifestum est ergo quod non tàm retractando, quàm seipsum explicando docet Sanctus Doctor, se non assertivè dixisse ignorantiam, & difficultatem esse primordia naturæ, sed oppositum potius assertivè firmasse, addidisse verò, quod quamvis gratis daretur illa esse naturæ primordia, (ut nolunt Pelagiani) adhuc convincendi essent Manichæi, qui in Deum, & non in liberum arbitrium peccatum refundebant culpantes Deum, & non liberum hominis arbitrium. Sed de his copiosè tracturi sumus in 3. ac 4. nostro libro varias quæstiones resolvendo, quæ ex istis dependent, ubi proinde abundantius explicanda sunt omnia. Nunc satis est inconcussam sancti Augustini mentem, & sententiam aperuisse, modo explicato; quod videlicet, si talem Deus hominem crearet cum ignorantia & difficultate, non esset culpandus Deus, qui daret ex altera parte auxilium, quo posset omnia illa vincere, & superare. Addendum tamen quod sic creando hominem, non dedisset illi voluntatem positivè pronam & inclinatam in malum, sicut modo habent homines ex peccato originali, quæ pronitas ad malum dicitur malitia voluntatis.

Id. S. Doctor lib. 1. Retractationum c. 9.

Circa cujus verba utroque loco modo inducta illud maximè est attendendum quomodo per hanc sententiam, quam defendimus penitus detruncatur illud principium, quo Pelagiani nitebantur ad peccatum originale negandum: quale erat ignorantiam, & difficultatem esse primordia naturæ humanæ, & illi esse propria: Ex hoc enim deducebant Adam sic creatum fuisse in natura cum ignorantia, & difficultate: & pari modo sic nasci homines cum tali ignorantia, & difficultate sibi connaturalibus. Qui discursus Pelagianorum omnino revincitur, negando illud eorum principium: quod nempe ignorantia & difficultas sint primordia naturæ ipsi conjuncta: & sic quod humana natura illas modò patitur, non quia naturæ sint connaturalia, sed quia sunt vulnera ipsi inflicta per originale peccatum.

Tandem hanc esse S. P. Augustini sententiam fatetur Mag. Medina superioribus relatus, propter aliam doctrinam ejusdem S. Patris, qua docet, quod si primo homini defuisset auxilium, quo perseverare in bono posset, non sua culpa cecidisset. Ut ergo homini, si conderetur in puris naturalibus posset imputari peccatum; illi concedi debuisset, quo posset utique in bono perseverare.

Addendum quod Pelagius referente S. Patre Augustino lib. de Natura, & Gratia cap. 19. sicut peccatum originale negabat, ita consequenter non mansisse post Adæ peccatum humanam naturam debilitatam contendebat. Sanctus autem Doctor Augustinus sicut verè peccatum originale contra illum defendit in illo cap. 19. & 20. ita consequenter etiam ex Divinis Scripturis. Debilitatam, infirmam, & ægram, per illud, humanam naturam docet. Quia ista duo, peccatum originale, & infirmitas in natura inseparabiliter conjunguntur, sicut negatio debilitatis naturæ, & peccati originalis. Verba S. P. Augustini sunt. *Jam nunc videte, quod ad rem maximè pertinet, quomodo humanam naturam, tanquam omnino sine vitio sit, conetur ostendere.* Et post pauca referens Pelagij argumentum: quo id nitebatur ostendere, inquit: *Quomodo potuit humanam debilitare, vel mutare naturam, quod substantia caret.* Hæc igitur tria secundum S. P. Augustinum consequenter se habent: Natura humana post Adæ peccatum non est debilitata & infirma, ergo sine vitio, ergo sine peccato originali. Cum ergo doctrina, quam impugnamus, concedat naturam post Adæ peccatum non esse debilitatam, & infirmam viribus, imò concedat eam parvulis decedentibus sine Baptismo esse sine vitio mentis, ut relata

verba

Digitized by Google

verba ostendunt, sequitur quod sine peccato originali sit, quod in illis sit vera culpa.

Ad argumentum autem Pelagij contendentis non potuisse peccatum originale, quod substantia non est, debilitare substantiam Animæ. Respondet sanctissimus Pater, quod sicut abstinere à cibo non est substantia, & tamen substantia corporis si omnino abstineat à cibo languescit, valetudinis inæqualitate corrumpitur, exhauritur viribus, lassitudine debilitatur & frangitur, sic peccatum quamvis non sit substantia, potuit humanam debilitare naturam, ejus vires minuere, & infirmam reddere.

Nec satisfit si dicat S. P. Augustinum rectè Pelagium convincere, quia ipse non admittebat fuisse spoliatam gratuitis naturam humanam post primi parentis peccatum, non autem contra sententiam quam tractamus, quia ipsa verè admittit spoliatam fuisse naturam gratuitis, & respectu eorum debilitatam & infirmatam. Nam & si in hoc sententiæ istæ distinguantur, non tamen est dubium quin etiam adversùs hanc sententiam prædicta S. P. Augustini doctrina convincat, quod in viribus naturalibus sit infirma & debilitata humana natura, quod, etiam si omnia inducta deessent, id planè convinceret; quod docet in Enchirid. cap. 30. *Libero arbitrio*, inquit, *male utens homo & se perdidit, & ipsum. Cum enim libero arbtrio peccatur, victore peccato amissum est & liberum arbitrium? à quo enim & quis devictus est, huic servus addictus est.* Ecce, dicit hominem primum per peccatum amisisse liberum arbitrium, non quia post peccatum non habuerit liberum arbitrium ad bonum, ut ipsi Pelagiani opponebant, sed quia libertatem arbitrij omnem, licet non perdiderit, eam tamen circa aliqua opera bona eximia moralia perdidit, vel ut formalior sit sensus; libertas arbitrij vulnerata est in viribus suis naturæ debitis, ut non possit ea quæ antea poterat; & hanc plenam facultatem dicit amisisse. Aliàs quomodo S. Augustinus hominem diceret amisisse liberum arbitrium, si nihil de illius facultate perdidisset? Dices cum Magist. sentent. amisisse libertatem à miseria & peccato; Verum est; sed ipse Magist. docet, illi miseriæ servus factus est, quia amisit facultatem, qua ante peccatum poterat omne bonum sibi connaturale efficere, quod post peccatum non potest.

Circa quod Sancti Augustini testimonium videatur Magist. sentent. in 2. distinct. 25. quæst. 1. liter. D. ubi verè vulneratum in suis naturalibus, & non solum in gratuitis docet hominis arbitrium per originale peccatum: cujus verba infra adducemus. Item idem S. P. August. in propositione 18. super epist. ad Rom. sic habet: *In nobis ante gratiam non est liberum arbitrium ut non peccemus, sed tantum ut peccare nolimus.* Quibus ultimis verbis licet aliquam nolitionem homini tribuat ante gratiam ad non peccandum, non tamen absolutam, & efficacem, aliàs illam executione posset mandare, quod negat in verbis prioribus, licet inquam talem inefficacem nolitionem ad non peccandum homini tribuat ante gratiam, negat tamen ipsum habere libertatem in executione ad non peccandum, id est potestatem & facultatem. Hanc autem haberet homo si in pura natura conderetur, haberet enim ex divino adjutorio, quod illi Deus in illo statu non negaret sufficientem facultatem ad non peccandum, sicut supra manet probatum, quam facultatem ad non peccandum, malè negat homini in pura natura condito Author operis tripartiti lib. 1. Prologom. 4. cap. 8. §. *Nec contra.*

Potissimè, quia Pelagius in duobus errabat. Primo quia dicebat hominem non fuisse conditum nisi in suis naturalibus, & in naturæ debitis viribus. Secundo quod per peccatum Adæ illæ naturæ vires læsæ aut infirmatæ non sunt, ita quod peccatum illud non spoliavit gratuitis, nec nocuit in naturalibus. Quamvis ergo, in primo errore ab illo distet doctrina de qua agimus, tamen secundum non omni ex parte vitare videtur. Accedit quod ut S. Prosper infra referendus cap. 78. expressè dicit quod posteriores Pelagiani temporis illius hac ratione peccatum originale negabant; quia contendebant naturalem facultatem nihil sui amisisse in alieno peccato: sed sententia ista, quam impugnamus, docet non amisisse humanam naturam per originale peccatum naturalem sui facultatem in suis naturalibus, sed in gratuitis tantum, nempe in data sibi gratuitò originali justitia; non ergo rectè salvat amisisse humanam naturam per illud peccatum naturalem sui facultatem aliqua ex parte, ita quod per peccatum tale, fuerit diminuta ejus naturalis facultas.

Tandem idem S. Doctor August. in utroque libro contra secundam responsionem Juliani, de quo jam supra mentionem fecimus, passim docet, quod nisi esset in parvulis originale peccatum, nec in eis esset illa miseria, quæ incipit à gemitibus eorum, quam proinde negat in homine si in puris suis naturalibus conderetur; Etenim lib. 1. pag. 25. sic ait: *Nulla enim modo sub causa omnipotentis, & justi*, scilicet Dei, *eadem tam magna miseria naturæ irrogaretur humanæ, nisi in duobus hominibus tota de Paradisi fœlicitate, in hanc infœlicitatem peccati morte pelleretur.*

Et pag. 26. idem confirmans contra Julianum ait: Ostende justum esse, nempe Deum, ut cum tam manifesta miseria ad tam manifestam miseriam nascatur à quo peccatum originale non trahit. Si ergo in puris naturalibus homo conderetur à justissimo Deo, sub tali ac tanta miseria non constitueretur.

Idem habet pag. 27. & 29. dicens: Illud grave jugum, sub quo homines constituuntur ab adolescentia sua à justissimo Deo, nisi esset peccatum originale, hominibus non imponeretur. Quod jugum grave exponens eodem primo citato lib. pag. 87. & 218. ad id explicandum illud inducit Apostoli: Non quod nolo bonum hoc ago, sed quo odi malum id facio: ex quo adversus Julianum ita concludit: *Certè vel in isto fatemini humanam voluntatem vires bonorum operum perdidisse.* Et pag. 273. ejusdem libri subdit. *Nam si peccatum non pertransisset, non omnis homo cum lege peccati nasceretur.* Quis vero dicat. Illam legem peccati quam sentiebat Apostolus in membris suis ita captivantem hominem in legem peccati, ut verè dicat, non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum id facio, futuram in homine fuisse si in puris naturalibus immediatè à Deo conderetur? Unde pag. 283. in eodem lib. ita contra Julianum prosequitur; *Cum autem ait de eo peccato loqui Apostolum, quod æquitate punitur: expergescere, & vide ibi esse & originale peccatum, non enim aliter æquitas Dei grave jugum imponeret ipsis quoque exordiis parvulorum, quod jugum cura nostra sæpe commemorat; ut cervicem tuam si non inflexerit frangat.*

Similiter lib. 2. pag. 325. & 327. id confirmans sic ait: *Cum dicitis nullum peccatum parvulis imputandum, injustum facitis Deum, qui eis grave jugum à die exitus de ventre matris imposuit.* Ac tandem cum hoc gravi jugo concludens eodem 2. lib. pag. 343. ita dicit: In illo gravi jugo, quo etiam parvuli premuntur, quomodo est justus Deus si nullus nascitur reus? In puris ergo naturalibus, quomodo homini à se condito illud grave jugum imponeret, justus Deus ubi nullus esset tunc reus?

In eodem præterea utroque illo citato lib. sic arguit:

Digitized by Google

guit: Cum homo sit factus ad imaginem, & similitudinem Dei, id scriptura testante, (quod proculdubio, & de homine si in puris naturalibus conderetur esset verificandum,) quomodo etiam tunc homo ille vanitati similis factus esset, sicut de homine lapso scriptura pronunciat, si ante omne peccatum vanitati similis à Deo crearetur, sicut modò generatur? Hinc ergo intelligant magnam differentiam omnes, inter hominem lapsum, & illum si in puris suis naturalibus tantum conderetur, & quod eadem vires ad bonum habere nequeat; sed mansisse illum magis læsum, infirmum, & viribus attenuatum propter originale peccatum, quod in illo alio non esset. Et hanc esse apertissimam S. P. Augustini doctrinam contra Pelagianos agnoscant, & ut verissimum tueantur atque defendant; etenim omnia ista argumenta S. Augustini nihil omnino contra Julianum, & alios Pelagianos probarent, si istæ miseriæ; & hoc jugum grave essent in homine si conderetur in naturalibus puris, quia diceret Julianus, ista omnia futura fuisse in homine condito in puris naturalibus & sic etiam haberi in pueris, etiamsi nullum originale peccatum esset in eis, quia sequerentur ex conditione naturæ, sicut & modò quidam inadvertenter affirmant. Et tandem quid opponebat Julianus August. quod per peccatum originale poneret extinctum liberum arbitrium, si ipse debilitatum in suis naturalibus viribus non constituebat? Manifestum est ergo illum, S. Augustinum debilitatum in viribus naturalibus constituisse.

CAPUT XI.

Hominem in suis naturalibus per peccatum originale fuisse læsum, & deterioratum ex Concilio Tridentino demonstratur.

SI quis attentiùs verba Concil. Trident. inspexerit, & intentionem ipsius consideraverit hanc veritatem ipso firmatam videbit etenim Sessione 5. Canon. 1. & 2. manifestè definit Adam, & in eo omne genus humanum per illius peccatum sanctitatem, & justitiam in qua constitutus fuerat amisisse, ubi sicut per sanctitatem gratiam, & charitatem, ita per justitiam originalem illam, in qua constitutus primus homo fuerat, videtur significare, utramque enim per peccatum amisit, gratiam nempe, & originalem justitiam, & post hujusmodi amissionem seu spoliationem omnium gratuitorum traditam in illo primo & secundo Canon. Sess. 5. statim in principio sessionis 6. ita subjungit, atque superaddit: *Oportet ut unusquisque agnoscat & fateatur, quod cum omnes homines in prevaricatione Adæ innocentiam perdidissent facti immundi; & ut Apostolus inquit natura filij iræ, quemadmodum in Decreto de peccato originali exposuit usque adeo servi erant peccati, & sub potestate diaboli ac mortis, ut non modo gentes per vim naturæ, sed nec Iudæi quidem per ipsam etiam literam legis Moysi inde liberari, aut surgere possent: tametsi in eis liberum arbitrium minimè extinctum esset, viribus licet attenuatum, & inclinatum.* Quibus verbis postquam amissionem, seu spoliationem sanctitatis, & justitiæ originalis præmiserat, læsionem & vulnerationem liberi arbitrij, statim apposuit, his nimirum verbis *Attenuatum & inclinatum.* Unde secundum aliud, & respectu diversorum spoliationem, seu amissionem statuit, & secundum aliud læsionem, & vulnerationem; spoliationem quidem, seu amissionem sanctitatis, & justitiæ respectu justitiæ originalis, & omnium donorum gratuitorum: læsionem verò seu vulnerationem, & attenuationem respectu virium naturalium; quas liberum hominis arbitrium secundùm se habet, antequam attenuatum, & ad malum inclinatum sit per peccatum.

Et quod ista sit mens Concilij ex eo constat, quia expressè præter amissionem, seu spoliationem sanctitatis, & justitiæ originalis; attenuationem, & inclinationem virium in libero arbitrio per originale peccatum constituit: Necesse est ergo quod per attenuationem, & inclinationem non intelligat amissionem seu spoliationem, respectu donorum gratuitorum, sed virium naturalium; aliàs sufficeret dicere illud primum sine hoc secundo, nempe amisisse sanctitatem, & justitiam originalem, in qua fuerat constitutus: nec insuper adderet mansisse liberum hominis arbitrium per originale peccatum viribus attenuatum, & inclinatum.

Præterea si per attenuationem, & inclinationem virium intelligit vulnerationem illarum virium, quas justitia originalis præstabat, non diceret mansisse liberum arbitrium in illis attenuatum, sed potiùs totaliter spoliatum; quia vires illæ ablata originali justitia totaliter sublatæ sunt. Concilium autem expressè loquitur de viribus arbitrij, quæ extinctæ non sunt, aut totaliter ablatæ, sed de illis quæ attenuatæ & inclinatæ manserunt; ergo loquitur de viribus naturalibus, quæ præter illas, quas præstabat originalis justitia, competunt homini quia rationalis est; ut ex sententia S. Thomæ satis manet expositum.

Deinde duos ibi extremos errores Concilium oppugnat, mediam Catholicam veritatem inter utrumque consistentem statuendo; & Pelagianorum contendentium libetum hominis arbitrium post Adæ peccatum, nec attenuatum, nec inclinatum suis naturalibus viribus mansisse, sed in illis illæsum, & sanum; & Lutheranorum ac Calvinistarum, qui asserebant per originale peccatum mansisse liberum hominis arbitrium extinctum. Et quidem quod Lutherani, & Calvinistæ extinctum ponerent liberum arbitrium ad bonum in suis naturalibus viribus, quas sanas haberet, si in puris naturalibus conderetur, evidentissimum est, nihil enim aliud ipsi dicebant, nisi quod & homo fuit solum in suis naturalibus conditus, & quod per originale peccatum tam ipse, quam omnes in illo, illam libertatem penitus amiserunt, manente in eis determinatione ad malum. Quod vero Pelagiani sanum arbitrium ponant in eisdem naturalibus dictum est supra.

Contra utrosque verò factum Concilium procedit, & utrosque, in eo scilicet in quo conveniebant, & in eo in quo opponebantur, æqualiter damnat. Primò namque & contra Pelagianos, & contra Lutheranos, ac Calvinistas docet, hominem primum non solùm in puris naturalibus, antequam peccaret fuisse constitutum, sed insuper in sanctitate ac justitia originali, quam per peccatum tam sibi, quàm toti humano generi amisit; & qua totaliter, & ipse, & omne genus humanum mansit spoliatum, atque privatum; hoc autem utriusque hæresis & Pelagianorum & Calvinistarum ac Lutheranorum destructo communi fundamento. Rursus & contra Lutheranos ac Calvinistas tradit liberum hominis arbitrium post illud primum Adæ peccatum non mansisse extinctum in illis naturalibus viribus, in quibus solùm ab ipsis constitutus ante peccatum ponebatur. Contra Pelagianos verò statuit in illis naturalibus viribus sanum, & illæsum non mansisse, sed in illis verè attenuatum, & inclinatum, quod ipsi negabant; & contra illas omnes hæreses perfectam tradit de peccato originali doctrinam, dum ut diximus Pelagianorum, Lutheranorum, & Calvinistarum omnium primò damnat commune omnium illorum pravum fundamentum jam expositum, & postea oppositos, & contrarios ipsorum er-

Digitized by Google

rores. Cum ergo tam Pelagiani, quam Calvinistæ, & Lutherani, alij extinctum, alij verò sanum, & non læsum ponerent arbitrium, non quidem respectu virium datarum arbitrio per gratiam & originalem justitiam, quia hoc ipsi non admittebant; sed tantum Alij extinctum dicerent arbitrium per peccatum originale in viribus illis naturalibus, quas homo haberet si in puris naturalibus conderetur; Alij vero in eisdem solis naturæ viribus arbitrium non attenuatum & inclinatum dicerent, sed & sanum: sacrum Concilium utrosque damnet manifestum est, quod sicut condemnat liberum arbitrium non esse extinctum per originale peccatum in viribus naturalibus, quæ competerent homini si in puris naturalibus conderetur; ita damnat quod non sit sanum in eisdem viribus, sed læsum, attenuatum, & inclinatum in illis, aliàs contra Pelagianos, & Calvinistas non definiret, nec illorum errores damnaret, sicut ab ipsis prolati sunt. Quod à nullo Catholicorum dici potest.

Parique ratione in illa sessione 5. & 6. citata, Pelagianorum errores perfectè, & omni ex parte condemnat, docens primò contra ipsos Adam & omne humanum genus in illo sanctitatem, & justitiam, in qua ante peccatum primus homo constitutus fuerat, per peccatum amississe, quod illi negabant. 2. eosdem condemnat quia contendebant post illud primum Adæ peccatum, liberum hominis arbitrium sanum, & integrum in suis viribus naturalibus mansisse, sicut fuerat secundum ipsos in Adam ante peccatum: Istum enim ipsorum errorem damnat cum tradit liberum hominis arbitrium per Adæ peccatum viribus suis naturalibus, nempe attenuatum, & inclinatum. Denique 3. eos damnat, quia Catholicis opponebant ex eo quod liberum hominis arbitrium attenuatum, & inclinatum suis naturalibus viribus fatebantur; quod illud extinctum per originale peccatum viribus suis affirmarent, sicut Julianus S. Patri & Magno Doctori Augustino obviabat, quia minus ipsi distinguebant inter attenuationem, seu inclinationem virium & omnium earum totalem extinctionem: Hanc ergo illorum calumniam sacrum Concilium refutat, cum statuit mansisse quidem liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum, licet non extinctum viribus omnibus suis naturalibus, in illis tamen attenuatum, & inclinatum; hanc vero calumniam à Pelagianis, Catholicis objectam, Lutherani, & Calvinistæ ut dictum est pro sua assertiva sententia elegerunt.

Ex dictis constat nimis falsi authorem operis tripartiti dum lib. 1. Prologom. 4. cap. 8. §. *Unde* ait. Concilia & potissimè Tridentinum ac Patres tradere atque docere totam commutationem hominis per originale peccatum positam fuisse in amissione sanctitatis, & justitiæ originalis, non autem in læsione aliquarum virium naturalium. Constat enim id falsò omnino dici, & contra doctrinam sanctorum Patrum, Antiquorum Conciliorum, contra Pelagianos, & potissimè sacri Concilij Tridenti: ut manet ostensum; docent namque & tradunt primò, & principaliter totum humanum genus in pejus commutatum per originale peccatum per amissionem sanctitatis, & justitiæ originalis; deinde etiam commutatum in suis naturalibus viribus; In illis enim prioribus, sanctitate nempe, & justitia originali mansit totaliter spoliatum, & privatum; In his verò posterioribus non totaliter privatum, nec spoliatum, nec totaliter sanum mansisse, sed læsum, attenuatum, & inclinatum: quam inclinationem, & attenuationem in viribus suis, ut distinctam à totali spoliatione sanctitatis, & justitiæ originalis constituunt: quod clarius infra ex Arausic. Concilio aperiemus. Unde licet Concilia sacra, & Patres perpetuò doceant primò & principaliter per originale peccatum totaliter amissam fuisse sanctitatem, & justitiam originalem, non tamen docent in hoc solùm in pejus hominem per originale peccatum fuisse commutatum, sed etiam vulnerationem, & attenuationem, ac inclinationem in viribus naturalibus tradunt, & docent. Quod præter jam dicta ex Tridentino Concilio id amplius ex eodem sic ostenditur; Planè enim docet, quod licet arbitrium hominis per originale peccatum non manserit extinctum, mansit tamen viribus attenuatum, & inclinatum: In illis ergo viribus in quibus docet contra Calvinistas non esse extinctum, in illis plane docet esse attenuatum, & inclinatum, sed in viribus naturalibus docet non esse extinctum, ut est apertissimum ergo in illis naturalibus viribus docet esse attenuatum, & inclinatum.

Idem ex plius docet natura Concil.

Confirmantur hæc omnia ex illo verbo adducto ex Concilio Tridentino *& inclinatum* quod, quæ diximus, satis ostendit. Docet namque liberum hominis arbitrium mansisse viribus attenuatum, & inclinatum; si enim spoliatum tantum fuit illis viribus quas justitia originalis præstabat: quomodo salvatur quod mansit viribus inclinatum, vel ad quod inclinatum remansit? Absque dubio viribus inclinatum, non alia ratione videtur dictum, nisi quia ex illa inclinatione, quam habet homo ante peccatum ad virtutem, quatenus rationalis est, quam supra ex S. Thoma reliquimus explicatam, quæ licet per peccatum extincta non fuerit, mansit tamen attenuata, prona, & inclinata in malum. Unde consultò Concilium utitur verbo *Inclinatam*, ut ostendat se loqui de illa inclinatione ad virtutem, quæ non extincta fuit, sed attenuata, & in malum prona, & inclinata.

Preterea: si sermo Concilij in illis verbis esset de libero arbitrio comparatione illarum virium, quas homini originalis justitia tribuebat, cum de illis nec Pelagiani, nec Calvinistæ loquerentur, non plenè viderentur per Concilium illorum errores reprobati; nec tam propriè diceretur Arbitrium attenuatum viribus, sed totaliter eis privatum, & spoliatum. Nec tandem diceretur arbitrium viribus suis inclinatum. Qui enim vulnerationem, & attenuationem liberi arbitrij constituerunt tantùm, & precisè in privatione, & spoliatione virium, quas originalis justitia homini tribuebat, minùs aptè poterunt explicare ad quid, vel ad quod objectum manserit liberum arbitrium hominis *inclinatum*. Igitur cum Concilium docet non extinctum sed attenuatum, & inclinatum manere liberum arbitrium hominis post peccatum viribus suis; de illis naturalibus viribus venit intelligendum, quæ conveniunt arbitrio hominis secundum se; utpote si in puris naturalibus conderetur, ideſt de illa inclinatione ad virtutem, quæ est homini naturalis quatenus rationalis est; quæ attenuata, infirmata, & inclinata ad malum mansit per primum hominis peccatum.

Manifestatur ex Concil.

Tandem clariùs Concilium idem docet dum eadem sessione Can. ultimo postquam definivit in renatis nil manere, quod veram, & propriam rationem peccati habeat, statim subdit: *Manere autem in Baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hæc sancta Synodus fatetur, & sentit: Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, & propriè in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Ecce concupiscentiam, vel fomitem dicit etiam in Baptizatis effectum peccati, scilicet originis esse, & ad peccatum inclinare; *ex peccato*, inquit, *est &*

Idem manifestatur ex S. Concilio.

Digitized by Google

est & ad peccatum inclinat.

Hic non apparet locus explicandi Concilium, quod sentiat concupiscentiam esse quidem ex peccato originali non per se, sed tantum per accidens tanquam ex removente prohibens. Duo enim hanc falsam intelligentiam præcludunt. Primum quia si ita esset, & non potius verè, & propriè effectus peccati originalis existeret, non vocaretur ab Apostolo peccatum; incongruè enim effectus, qui per accidens sequitur ex aliqua causa removente prohibens, vocatur nomine talis causæ: satis autem congruè effectus, qui per se ex aliqua causa procedit, nomine suæ causæ appellatur. Secundum quia docet Concilium quod talis concupiscentia ad peccatum inclinat; sentit ergo verè & propriè effectum esse, ac proinde verè etiam ad peccatum inclinare. Etenim concupiscentia, quæ esset in naturalibus puris, sicut ex peccato non esset, ita nec ad peccatum per se inclinaret, ut præcedenti capite ex S. Thoma apertè monstravimus.

Illud etiam breviter circa prædicta verba Concilij notaverim: Ipsum nimirum consultò illa verba addidisse, *quod nempe in renatis talis concupiscentia verè, & propriè peccatum non sit*, ad insinuandum quod in non Baptizatis illa concupiscentia ex peccato originali proveniens, & ad peccatum inclinans: (quia in illis voluntaria est, sicut & originale peccatum est voluntarium, voluntate nempe primi parentis) etiam potest verè dici peccatum. Manifestum est enim, quod voluntaria concupiscentia ex peccato proveniens, & ad peccatum inclinans, peccatum est, peccat enim, qui talem vult habere concupiscentiam; sed de hoc aliàs.

CAPUT XII.

Per peccatum originis fuisse hominem in naturalibus vulneratum ex Concilio Arausicano, & sanctis Patribus comprobatur.

IDEM prius disertis verbis tradidit Concilium Arausicanum secundum Canon. 1. ubi damnat manifestè post originale peccatum illæsam arbitrij libertatem mansisse. Definit ergo læsam illam manere post peccatum originale. Quomodo igitur læsa mansit arbitrij libertas, si nil in sua naturali facultate ac libertate amisit, sed ita integra mansit sicut si sine omni peccato esset in homine condito in suis naturalibus puris. Verba Concilij sunt: *Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, idest secundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum; sed animi libertate illæsa durante, corpus tantummodo concupiscentiæ dicit obnoxium, Pelagij errore deceptus adversatur scripturis.* Ibi præter peccatum spolians hominem gratia & justitia originali docet Concilium læsam mansisse hominis libertatem, in illa nempe naturali sua facultate, quam haberet sine peccato, & sine gratia.

Dicent læsam mansisse arbitrij libertatem per comparationem ad naturam integram, & originalem justitiam, ac virium; quas illa præstabat. Cæterum explicatio ista cum verbis Concilij non subsistit. quia Canone octavo docuit Arbitrium hominū post primi parētis peccatum in omnibus fuisse vitiatum, & in Can. 25. docet quod credere debemus per peccatum primi hominis inclinatum, & attenuatum mansisse liberum hominis arbitrium. Per quod verbum *inclinatum*, ut in expositione sacri Concilij Tridentini præmisimus intelligit inclinationem & pronitatem ad malum ex originali peccato provenientem, quæ proinde in puris naturalibus non esset, ut dictum est.

Imò idem Concil. eodem Canone 25. se explicans atque declarans, exponit in ordine ad quid sic manserit attenuatum, & inclinatum continuò subjungens: *Ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit.* Quibus in ordine ad tria dicit hominis arbitrium attenuatum, & inclinatum per originale peccatum mansisse, & in ordine ad diligendum Deum prout oportet, idest super omnia; & in ordine ad credendum in Deum, & in ordine ad operandum bonum propter Deum: ex quibus duo idest diligere authorem naturæ super omnia, & operari bonum morale propter ipsum, homo si in puris naturalibus conderetur, facere utique posset, ut in tertio nostro libro apertius ostensuri sumus. Addit vero Concilium & illud aliud quod nec potest homo lapsus viribus suis sine gratia Dei credere in ipsum Deum, quod contra semipelagianos definit, qui in tantum liberum hominis arbitrium post originale peccatum, sanum, forte ac firmum constituebant, ut contenderent, quod proposito illi, & explicato Evangelio sine aliquo gratiæ auxilio credere homo poterat, unde & initium fidei ex nobis esse dicebant, ut ex Epist. S. Prosperi & Hilarij ad S. P. August. constat, & ex ipso S. Doctore per totum librum de prædestinatione sanctorum; quam tamen fidem homini, si in pura natura conderetur, non tribuerent; cum ille ordinatus non esset ad finem supernaturalem. Cum ergo à Concilio expresè tradatur, quod illa, quæ homo in pura natura facere poterat, non potest modò in natura lapsa viribus suis, quia nempe est attenuatum, & inclinatum liberum ejus arbitrium Constat quod illud attenuatum, & inclinatum in illis suis naturalibus viribus ponat; ex tribus ergo patet sic læsum constituisse liberum hominis arbitrium per peccatum. Primò quia docet non durare illæsam, sed læsam Arbitrij libertatem. Secundò quia dicit ipsum inclinatum ad malum nempe sicut manet ex S. Thoma, imò ex Tridentino Concilio explicatum. Tertiò quia exponit manere attenuatum & inclinatum ad facienda ea, quæ homo facere poterat si in puris naturalibus conderetur.

Idem apertiùs ex prædicto Concilio confirmatur; Concilium enim illud contra semipelagianos celebratum fuit, ut est apertissimum, semipelagiani verò voce protestabātur Primum hominem in originali justitia conditum, dicebant etiam originale peccatum non solum ipsi nocuisse sed omni humano generi; pariterque affirmabant spoliatum fuisse gratuitis illis; sed quartò contendebant non mansisse læsum in suis naturalibus viribus & quidem illa tria, pura voce solum admittebant non rè ipsa. Cum ergo contra illos definiat Concilium, non mansisse libertatem in hominibus illæsam, sed læsam attenuatam, & inclinatam, hanc læsionem in libertate naturali contra eos definit, docetque eos in hoc errore Pelagij deceptos, quia nempe Pelagius eandem læsionem in naturali facultate non admittebat, in quo saltem implicitè cum ipso peccatum originale non admittebant, ut dictum est supra.

Idem habet Concilium Valentinum asserens liberum hominis arbitrium infirmatum per peccatum, & sanandum per gratiam. Idem clariùs definit Concilium Moguntin. 4. Capite de peccato originali. Cum enim dicat hominem, & quo ad Corpus, & quo ad animam in deterius commutatum: explicans quomodo in anima sit deterior factus, dicit quod sic deterior factus

Digitized by Google

est per concupiscentiam ad malum, idest per inclinationem ad malum.

Hoc ipsum tradit Cœlestinus in illa sua Decretali ad Episcopos Galliæ (cujus jam supra mentionem fecimus) cum docet in prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse: Sicut enim per deperditam innocentiam intelligit deperditam fuisse originalem justitiam, & omnia dona gratuita, quæ ipsa præstabat, ita per naturalem possibilitatem perditam, intelligit deperditam fuisse respectu omnis boni rationis, ita quod licet aliquod rationis bonum facere possit, non tamen omne, sicut si in puris naturalibus conderetur utique posset. Unde postquam necessarium gratiæ auxilium proponitur necessarium ad bene operandum, sic de illo dicit; *Quo utique auxilio & munere Dei non auferetur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, & de pravo sanctum, de languido sanum, de imprudente sit providum.* Quibus manifestè vulnus ignorantiæ in intellectu, quo redditur arbitrium imprudens, & tenebrosum, & vulnus malitiæ in voluntate ex peccato originali toti humanæ naturæ inflicto constituit, quo malitiæ vulnere per inclinationem ad malum redditur arbitrium pravum & languidum, à quibus vulneribus per auxilium gratiæ sanatur.

Hoc idem Gelasius declarat in epistola ad Episcopos Picenos, cum docet per originale peccatum vitiatam esse naturam, atque vitiosam effectam. Quæ verba significant præter totalem spoliationem omnium gratuitorum, in suis naturalibus viribus remanentibus mansisse naturam vitiatam. Addit præterea summus ille Pontifex hæc verba *peccato originali humanam substantiam esse depravatam.* Manifestum autem videtur non posse rectè dici humanam substantiam esse depravatam, nisi intelligatur, in suis puris naturalibus pertinentibus ad substantiam humanæ naturæ (si nempe in suis puris naturalibus conderetur) depravationem accepisse seu pertulisse.

Sanctus etiam Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia Domini nostri Iesu Christi cap. 13. id magis declarat cum dicit, quod *ille primus homo, & in ipso humanum genus, spoliatus fuit vestimento fidei, carnaliumque concupiscentiarum vulneribus sauciatus.* Per quæ ultima verba hominem læsum in suis naturalibus constituit, sicut per illa priora eum dicit spoliatum vestimento omnium donorum supernaturalium & gratuitorum, quorum fundamentum est fides. Undè rectè ad marginem habetur, *Alludit ad Samaritanum à latronibus spoliatum, & vulneratum* Lucæ 10.

Idem traditur lib. 3. hypognost. cap. 4. ubi agens author illius libri, Fulgentius nempe, de facultate & possibilitate liberi arbitrij in natura lapsa, dicit posse hominem facere per suum liberum arbitrium ea, quæ ad præsentem vitam pertinent, sicut ædificare domos, plantare vineas, & cætera facilia de quibus jam supra ex S. P. Augustino & Thoma dictum est, non est autem dubium, quod præter & supra illa, excellentiora alia moralia opera posset efficere homo si in puris naturalibus conderetur.

Præterea S. Prosper in hac defendenda sententia est totus, non semel docens hominis arbitrium in natura lapsa læsum magis in suis naturalibus viribus, quam si in suis puris naturalibus conderetur; hoc enim primo contra collat. docet cap. 19. atque 20. & responsione ad capita Gallorum responsione 6. & in prosa de ingratis ad illa verba, *quod qui confirmat.* Epistola etiam ad Demetriadem, in qua sic ait: *hinc illa erat naturæ humanæ fraudulenta laudatio, & illesa per omnes homines originalis defensio dignitatis.* Certum est autem Semipelagianos, contra quos agebat, non ponere in homine illæsam justitiam originalem, sed humanam naturam in suis naturalibus viribus naturæ debitis illæsam esse contendebant: ergo in hoc fraudulenter humanam naturam laudabant; & post pauca de eisdem Semipelagianis subjungit: *Et cum inter nostros, originalis peccati vulnera faterentur, inter suos tamen hoc tenere ostenderent, quod primorum hominum prævaricatio solis imitatoribus obfuisset; naturalem autem facultatem nihil sui in alieno amisisse peccato, cui & possibile esset & liberum, per voluntariam devotionem promereri gratiæ largitatem.* Quia ergo Semipelagiani naturalem facultatem naturæ humanæ debitam, vel quod idem est, convenientem homini in suis puris naturalibus (de hac enim, ut dictum est, loquebantur, ut verba ipsa sonant, quid enim aliud sonare potest naturalis facultas) nihil virium naturalium suarum amisisse in alieno peccato contendebant. Concludit S. Prosper ipsos fraudulenter naturam humanam laudare, & primorum parentum prævaricationem solis imitatoribus obfuisse, asserere.

In cap. vero 19. & 20. contra collat. citatis, inter alia docet excæcationem, quam post peccatum patitur humana natura, non posse ad naturæ authorem referri, ad quem tamen talem excæcationem referunt, futuram illam in homine, si in puris naturalibus conderetur. Similiter in responsione quinta, ad objectiones Vincentianas contra illos, qui dicebant Deum talem plasmasse naturam, quæ naturali motu non posset non peccare, docet. *Deum justum, & bonum sic humanæ substantiæ & interiorum, exteriorumque sensuum novimus creatorem, ut prorsus ab illo sit quidquid pertinet ad naturam; ut prorsus non ab illo sit, quidquid contra naturam est.* Cum ergo excæcatio mentis, malitia voluntatis, seu pronitas, & inclinatio in malum, quæ sunt in natura corrupta, contra naturam sint (inclinatio enim in peccatum ex parte voluntatis sine dubio contra naturam est) quomodo ad Deum referrentur authorem, ut illa sequantur, & sint hominis propria, si à Deo in puris naturalibus conderetur? Illa itaque negans S. Prosper posse ad Deum authorem naturæ referri pariter negat illa futura fore in homine, si in pura natura conderetur: ita quod conditionem puræ naturæ, illa consequantur.

Præterea in cap. 40. cont. collat. inquit. *His itaque definitionibus hoc docetur, hoc scribitur, hoc ejus disputationibus prædicatur: quod Adam peccante, anima ejus læsa non fuerit, sanumque in eo manserit, unde peccavit. Siquidem scientiam boni, quam acceperat, non amiserit; nec potuerint posteriores ejus id perdere; cujus damnum nec ipse pertulerit.* Ecce Cassiani Semipelagiani dogma. Dicit, quod peccante Adamo, manserit illæsum id unde peccavit, idest naturalis libertas, ex qua peccavit. Ex quo errore errorem deducens, dicit, nec læsum arbitrium in sua naturali libertate esse in ejus posteris, cujus damnum nec ipse pertulerit.

Id ipsum prosâ de ingratis vers. 5. citato habet. Ubi ex eo quod Semipelagiani virtutes morales in homine lapso ante omne donum gratiæ constituebant, ut nempe ita posset natura in bonum, sicut in malum ferri, concludit eos peccatum originale negare; certum est autem quod si homo in pura natura conderetur, ex vi suæ propriæ institutionis posset in malum sicut in bonum sibi connaturale ferri, cum Dei concursu, possetque morales virtutes habere; ergo secundum S. Prosperum per originale peccatum læsa est humana natura in hoc bono sibi connaturali.

Nec obstat, ut putat author operis tripartiti in 1. lib. Prologom. 4. cap. 9. §. *possumus*, quod S. Prosper lib. de vocatione gent. cap. 7. hæc verba proponit. *Et si fuit qui naturali intellectu conatus sit vitiis relu-*

ctari,

Digitized by Google

ctari, hujus tantum temporis vitam ſteriliter ornavit, ad veras autem virtutes, æternamque beatitudinem non profecit. Inſtat enim prædictus author illis verbis. *Et ſi fuit qui naturali intellectu conatus ſit vitiis reluctari*, quaſi quis hoc neget, fuerunt quippe aliqui in natura lapſa, cum in eis liberum arbitrium ad bonum extinctum non eſſet, qui ſic conati ſunt naturali ingenio vitiis reluctari, non tamen veras potuerunt habere virtutes, nec omne bonum ſibi connaturale operari, ſicut poſſet homo, ſi in puris naturalibus conderetur. Quam eſſe S. Proſperi apertam ſententiam ex eo conſtat, quia tot ac tanta mala præmiſerat, conſequi hominem lapſum in eodem citato, & oppoſito loco, ut mirum ſit, ſi quis ea omnia contendat habiturum hominem ſi in pura natura conderetur ante omne peccatum, ſicut ſupra eadem mala S.P. Auguſt. naturæ per peccatum corruptæ attribuit, non autem naturæ in ſuis naturalibus puris ante omne peccatum.

CAPUT XIII.

Hominem in ſuis naturalibus peccato originis læſum manſiſſe, ex communi quodam Theologorum proloquio per ſcriptura Sacra teſtimonium confirmato oſtenditur.

ANTEQUAM tamen rationes formentur, illud ſupponatur, non fuiſſe conveniens, ut Deus hominem à principio in puris ac ſolis naturalibus conderet, ut S. Thom. docet & notat 4. contra gent. cap. 52. Unde tantum de poſſibili quæſtio procedit: An videlicet eædem omnino vires naturales ſint modo in homine lapſo reſpectu boni moralis ſibi connaturalis, quæ eſſent in homine ſi Deus illum in ſuis ſolis ac puris naturalibus condere vellet, & ſub hac poſſibilitate hanc eandem quæſtionem agitat S. Tho. in quodlib. 1. art. 8. jam ſupra citato. Sicut autem utrumque hominem & per originale peccatum lapſum, & in ſua pura natura conditum eaſdem vires non habere reſpectu boni moralis, & homini connaturalis, nec tam ſanum, ac firmum in ſuis naturalibus viribus reſpectu boni eſſe unum ac alium, ſed multò magis in illis naturalibus viribus infirmum hominem lapſum, quam illum, qui in puris naturalibus conderetur ex S.P. Auguſt. & S. Thoma, ac aliis SS. Patribus expendimus ſupra, idipſum modo rationibus probaturi ſumus.

Prima ergo ratio ad idem ſit, quæ ſumitur ex illo communi Theologorum proloquio aſſerentium per peccatum originale ſpoliatum fuiſſe hominem gratuitis, & vulneratum in naturalibus; quod ex Evangelio habere videtur exordium, dicente Domino hominem illum qui deſcendebat à Hieruſalem in Hierico (per quem intelligit primum hominem & omne humanum genus in illo, deſcendentem per peccatum ab innocentiæ ſtatu in ſtatum miſeriæ & naturæ lapſæ ſeu corruptæ ſpoliatum à latronibus fuiſſe, vulneratum, & ſemivivum plagis impoſitis dimiſſum. In quibus verbis præter ſpoliationem vulneratio expreſsè traditur; ergo præter ſpoliationem omnium gratuitorum vulnerationem in Adamo, & humano genere debemus admittere in ſuis puris naturalibus, quæ vulneratio in naturalibus ante peccatum non eſſet, cùm per peccatum fuerit inflicta.

Nec iſta expoſitio ad illum locum Lucæ 10. eſt tantum Gregorij Ariminenſis, vel aliquorum ſcholaſticorum (ut Gabriel Vaſq. 1.2. diſput. 138. tom. 1. affirmat) ſed eſt etiam multorum SS. Patrum intelligentia in illis verbis Salvatoris non obſcurè inſinuato.

In primis eam tradit S. Ambroſius ad illum locum Lucæ, ſic enim ait. *Hi latrones, id eſt, Dæmones ante deſpoliant quæ accepimus indumenta gratiæ ſpiritualis, & ſic vulnera inferre cenſuerunt*: Quibus verbis oſtendit, hominem ante, ideſt, priùs ſpoliatum fuiſſe gratuitis, & poſtea in aliis naturalibus remanentibus vulneratum.

S.P. Auguſt. lib. 2. qq. Evangelicarum, quæſt. 19. inquit; *homo quidam deſcendebat à Hieruſalem in Hierico, ipſe Adam intelligitur in genere humano, &* poſtea ſubdit. *Et incidit in latrones, diabolum & Angelos ejus, qui eum ſpoliaverunt in mortalitate: & plagis impoſitis, peccata ſuadendo, reliquerunt ſemivivum.* Quibus ad aliud refert ſpoliationem, & ad aliud vulnerationem; Et exponens quomodo, vel in quibus fuerit vulneratus, & ſemivivus relictus, ait ſtatim: *Quia ex parte, qua poteſt intelligere, & cognoſcere Deum, vivus eſt homo; ex parte qua à peccatis contabeſcit, & premitur, mortuus eſt: & ideo ſemivivus dicitur.* Ubi non ad ſpoliationem gratuitorum refert hanc vulnerationem, quæ hominem reddit ſemivivum, ſed ad illa, quæ illi conveniunt in ſuis naturalibus, qualia ſunt ex parte intellectus cognoſcere Deum authorem naturæ, & ex parte voluntatis, quia ipſum, dum eſt in peccatis, diligere non poteſt; vocatur mortuus, & ſic totus dicitur ſemivivus relictus.

Apertè Magiſt. ſent. in 2. diſtinct. 25. lit. D. Poſtquam docuit quòd homo per primum peccatum incurrit depreſſionem liberi arbitrij ſubdit. *Per illud namque, nempe peccatum, naturalia bona corrupta ſunt in homine, & gratuita detracta, hic eſt enim ille, qui à latronibus vulneratus eſt, & ſpoliatus; vulneratus quidem in naturalibus bonis, quibus non eſt privatus, alioquin non poſſet fieri reparatio, ſpoliatus vero gratuitis.* Et poſt pauca. *Hæc ſunt data optima, & dona perfecta, quorum alia ſunt corrupta per peccatum, ideſt naturalia, ut ingenium, memoria, intellectus; Alia ſubtracta ideſt gratuita.* Et poſtea. *Corrupta eſt ergo per peccatum libertas arbitrii, & ex parte perdita*, quod ibi ex ſententia S.P. Auguſt. probat. Quid apertiùs?

Clariùs S. Thom. in 2. ſentent. diſtinct. 29. art. 2. quæſt. 1. in argumento ſed contra ſic dicit. *Nullus ſpoliatur illis quæ non habet; ſed homo per peccatum fuit vulneratus in naturalibus, & ſpoliatus gratuitis, ut dicitur in gloſſ. Lucæ 10. ergo gratiam habuit.* In quibus ſatis clarè condiſtinguit vulnerationem naturalium contra ſpoliationem gratuitorum; Et ad aliud refert ſpoliationem, & ad aliud vulnerationem: illam ad gratuita; iſtam non ad gratuita, vel reſpectu, ſeu comparatione gratuitorum, ſed ad naturalia, & reſpectu naturalium virium; quæ naturæ conveniunt ſecundum ſe. Sed adhuc apertiùs id docet in 2. diſtinct. 30. quæſt. 1. art. 1. ad 3. cujus verba notanda ſunt, quæ ſic habent. *Ad tertium dicendum, quod bona naturalia dicuntur dupliciter, vel pro ut ſunt in ſe conſiderata ſecundum quod naturæ debentur ex propriis principiis, & ſic nec homo, nec Angelus per peccatum aliquid naturalium amiſit, vel in aliquo diminutus eſt, quia Dionyſius etiam integra data naturalia in Angelis peccantibus permanere dicit; vel ſecundum quod ordinantur ad finem ultimum, & hoc modo in utroque bona naturalia diminuta ſunt, non quidem penitus amiſſa, inquantum uterque factus eſt minus habilis, & magis diſtans à finis conſecutione, & propter hoc etiam homo gratuitis ſpoliatus dicitur, & in naturalibus vulneratus, Lucæ 10. in gloſſa.* Nihil planè clarius. Loquitur enim de illis naturalibus quæ naturæ hominis debentur, non de juſtitia originali, quæ omnino gratuita fuit, ut litera ſonat; Et iſta naturalia homini debita, dupliciter dicit conſideranda;

Digitized by Google

Vel secundum se, ideſt ut cauſantur ex propriis principiis, & ſic cum Dionyſio docet nec per peccatum ablata, nec diminuta; Vel ſecundum quod ordinantur ad finem, & ſic docet apertè quod tàm in Angelo, quàm in homine illa naturalia per peccatum fuerunt diminuta; Et hoc modo, vel propter hoc, ait, *quod dicitur homo ſpoliatus gratuitis, & vulneratus in naturalibus.* Ecce quàm clarè ponit vulnerationem in naturalibus per peccatum, quæ conveniunt homini ſecundum naturam ſuam. Et explicans hanc vulnerationem dicit, *quod redditur homo per illam minus habilis, & magis diſtans à finis conſecutione.* In ſolutione autem ad 5. docet, quod humana natura licet per ſe, ſeu viribus naturalibus ſuis non poſſit in viſionem Dei pertingere, ex ſe tamen habet habilitatem ut in illam perveniat. Ex his, quæ ſibi gratis in prima conditione collata ſunt, majorem habilitatem habebat, & hujus habilitatis diminutio pœna eſt hominis, & in diminutione hujus habilitatis dicit, fuiſſe vulneratum hominem in ſuis naturalibus, cum per peccatum ſit factus minus habilis.

Notanda diximus verba iſta ſolutionis ad 3. quia per ipſa manet explicatum quod præmiſerat in corpore articuli, quod nempe facta deordinatione per peccatum relictus eſt homo in illis tantùm bonis, quæ eum ex naturalibus principiis conſequebantur; intelligit enim manſiſſe in illis ſecundum ſe conſideratis, & inquantùm ex illis principiis ſequebantur, ut aperuit ſolutione ad 3. Similiter quod hìc dixit manſiſſe diminuta naturalia in illa habilitate ſecundum quod ordinantur ad finem. 1. 2. locis inductis clariùs explicavit, manſiſſe hominem diminutum in inclinatione ad virtutem, quæ eſt homini naturalis, non quidem ex parte radicis, ſed ex parte impedimenti perveniendi ad terminum, quod enim hìc, nempe in ſententiis dixit non manſiſſe diminuta naturalia ſecundum quod conſequuntur ex principiis. 1. 2. dixit non fuiſſe diminutam inclinationem ad virtutem ex parte radicis, quia ut ſic conſequitur ex principiis propriis: & quod hìc dixit manſiſſe diminuta naturalia in ordine ad finem, vel ſecundum quod ordinantur in finem ibi 1. 2. dixit manſiſſe inclinationem ad virtutem homini naturalem, diminutam ex parte impedimenti, ne perveniret ad terminum. Manifeſtum eſt ergo docuiſſe S. Thomam per originale peccatum manſiſſe hominem ſpoliatum non ſolùm gratuitis, & vulneratum reſpectu illorum gratuitorum, ſed vulneratum fuiſſe reſpectu illorum naturalium, quæ ſibi debebantur, ideſt in illa habilitate, & inclinatione ad virtutem, quæ homini convenit ſecundum naturam ſuam, ſi nempe in puris naturalibus conderetur. Si quis autem dicat non eſſe idem, habilitatem illam, & inclinationem ad virtutem, cum habilitas illa ſit ſecundum allata verba D. Thomæ, reſpectu finis ſupernaturalis nempe viſionis Dei, inclinatio vero ad virtutem ſit reſpectu finis naturalis. Reſpondetur utramque eſſe naturalem, quod ſufficit ad intentum. Secundò, Dicimus, quod per illam inclinationem ad virtutem redditur homo habilis ad viſionem Dei, & per diminutionem illius minùs habilis. Unde inclinatio ad virtutem ſub nomine habilitatis comprehenditur, habilitas enim ad viſionem Dei idem eſt, quod capacitas ad videndum Deum, quæ capacitas naturalis eſt.

Confirmatur, quia omnibus gratuitis, homo fuit totaliter ſpoliatus, atque privatus; Unde vulneratio facta reſpectu illorum comprehenditur ſine dubio à Doctoribus ſub nomine ſpoliationis, cum dicunt ipſum fuiſſe ſpoliatum ſive privatum gratuitis. Eapropter, cùm inſuper addunt ipſum vulneratum in naturalibus, intelligunt planè illum vulneratum in illis naturalibus, quæ ſuæ naturæ debebantur, & quæ eſſent in homine, ſi in puris naturalibus conderetur, ideſt in illa habilitate, & inclinatione jam explicata. Præterea S. Th. 1. 2. quæſt. 85. art. 1. docet tertium bonum, quod poteſt dici naturale, nempe juſtitia originalis, totaliter fuiſſe ablatum per peccatum primi Parentis. Medium autem bonum, ſcilicet ipſa inclinatio ad virtutem fuit diminuta per illud peccatum: ergo præter ablationem omnium gratuitorum, quæ juſtitia originalis dabat, in illis bonis naturalibus, ideſt naturæ debitis, manſit homo diminutus, & vulneratus, nempe in illa inclinatione ad virtutem, quam idem S. Thomas in articulo 2. illius quæſtionis 85. dicit eſſe homini naturalem ſecundum quod rationalis eſt. Igitur, ut concludamus, qui apertè negant hominem per originale peccatum, tantum fuiſſe ſpoliatum gratuitis non vulneratum in naturalibus, ſicut, & qui illius defendunt ſententiam, apertè etiam loquuntur contra Sanctos Patres inductos. Sed ſunt alij, qui animadvertentes id apertis ſermonibus non poſſe negari; verbis quidem id videntur concedere, ſed re ipſa nullam vulnerationem in naturalibus admittunt, cùm dicant hominem fuiſſe quidem vulneratum in naturalibus, ideſt reſpectu gratuitorum, quæ aliqua ratione dici poſſunt naturalia. Re enim ipſa idem dicunt ac Lud. Molina, & alij, licet ſolis verbis ab ipſis videantur diſtingui. Et ratio eſt quia reſpectu naturalium, quæ homini conveniunt, ſecundum quod rationalis eſt, nullam prorſus admittunt vulnerationem; Quam tamen Sancti Patres, ut manet probatum, admittunt.

Hanc verò rationem primam ex communi illo Proloquio deſumptam, & in Sancto Thoma ſatis apertè fundatam poſſumus ita confirmare: Si Deus, ſicut potuit, Adam creaſſet ſine juſtitia originali in puris naturalibus, & peccaret, ſine dubio vulneratus, & ipſe maneret in illis naturalibus puris, & omne genus humanum in illo: ergo etiam creatus in juſtitia originali, per peccatum etiam vulneratus manſit & ipſe, & omne genus humanum in ſuis puris naturalibus. Pat. conſeq. quia, quod habuerit originalem juſtitiam, nihil aufert ab eo quod peccatum ſuperveniens lædat naturam in ſuis puris naturalibus, ſed tantum infert, quod peccatum privet hominem etiam tali originali juſtitia; ergo ſi ſine juſtitia originali læderet pura naturalia, etiam poſita illa, naturalia pura læderet ſine dubio.

CAPUT XIV.

Hominem in ſuis naturalibus peccato originali remanſiſſe læſum convincitur ex ignorantia, & pronitate ad malum, quibus modo afficitur, & in puris naturalibus conditus non inficeretur.

DEINDE ſi homo in puris naturalibus conderetur, & haberet eandem deordinationem potentiarum reſpectu ſuorum propriorum objectorum, & eandem vulnerationem, & corruptionem quam modò habet in natura corrupta, ſecluſa ut dicunt formali ratione culpæ originalis: haberet in illo ſtatu pravæ diſpoſitionis ignorantiam obſcuratam & excæcatam rationem reſpectu finis naturalis, ſicut modò in homine lapſo eſt, & ſic non eſſet ei naturale vivere ſecundùm rectam rationem, ſed ſecundùm obſcuratam, & excæcatam rationem reſpectu finis naturalis, quod nullus planè concedet. Similiter haberet in illo ſtatu illam pronitatem ad malum, de qua Scriptura. Dicit, quod *proni ſunt ſenſus, & cogitationes humani cordis in malum ab adoleſcentia ſua*, Geneſ. 8. Et cùm iſta malitia, ſeu pronitas in malum perverſa

Digitized by Google

perversa sit; cum in peccatum inclinet, ista perversa inclinatio esset homini naturalis, & à Deo Authore naturæ indita, esset; quod rationi omnino repugnat, nihil enim homini naturale perversum esse potest; Quæ est ratio S. Th. quolib. 1. art. 8. ad probandum, non posse esse, ut aliqua perversa inclinatio sit in homine condito in puris naturalibus. Et quidem id saperet Manichæum, ponentem aliquam naturam hominis determinatam ad malum; nam illa inclinatio naturæ ad malum, aliqua ratione illum ad malum determinaret. Quod verò S. P. August. in lib. 3. de lib. arb. contra Manichæos dixit, quod licet ignorantia, & difficultas sint primordia naturæ, non esset inculpandus Deus, ideo dixit, quia illo admisso, daret auxilium tale, quo posset omnia illa vincere, & benè operari. Sed re attentiùs considerata in omnibus libris contra Pelagianos, docuit illa nullo modo esse primordia naturæ, sed pœnam peccati. Accedit minùs consequenter loqui etiam ad rationem ipsam, qui admissa ex una parte formali ratione peccati originalis in hominibus, asserunt non magis læsas, magisque infectas, ac debilitatas naturæ vires in ipso, quàm essent in homine condito in puris naturalibus absque peccato aliquo; nam peccatum, quod verè in anima peccatum est, revera habet naturales vires infirmare, & attenuare, & hoc ita peccato proprium est, cum illóque inseparabiliter conjunctum, ut oppositum intelligi nequeat. Cum enim peccatum originale avertat à Deo nedum ut authore supernaturali, sed etiam ut authore naturæ (quod est sine dubio certissimum, nec enim fieri potest, ut avertat à Deo quatenus supernaturalis est author, & non avertat ab ipso quatenus etiam est author naturæ, qua ratione peccatum dicitur contra naturam, quia videlicet à Deo authore naturæ avertit, & à bono rationis) non potest esse peccatum in anima, & quod ipsa non sit aversa in se, & in potentiis suis à Deo ut authore naturæ: ergo est aversa anima, & potentiæ illius à bono rationis, & ab inclinatione naturali ad virtutem; Ergo per se habet peccatum hanc deordinationem efficere; Ergo per se habet naturales vires inclinatas in bonum rationis, & virtutis, lædere, & vulnerare. Ista autem deordinatio, & vulneratio virium naturalium, sicut propria est peccato, & illud inseparabiliter concomitatur, ita in homine sine peccato esse nequit: Ergo in homine existente in puris naturalibus, in quo proinde nullum peccatum est; nec foret talis deordinatio, aut virium vulneratio. Non ergo ille in viribus naturalibus esset vulneratus sicut est modò. Itaque si homo in natura lapsa æquales vires omnino habet, ac si in puris naturalibus conderetur, unum è duobus manifestè convincitur; Vel hominem in puris naturalibus habere eandem impotentiam, & vulnerationem, quam habet homo in natura lapsa; Vel hominem lapsum ita esse sanum in suis naturalibus ac hominem, si in pura natura conderetur. Si primum admittatur, non multùm receditur à Manichæo, ut dictum est; si verò secundum concedatur, cum Semipelagianis id asseritur ponentibus hominem post peccatum non læsum in suis naturalibus, sed sanum; sicut ab ipsis ponebatur primus homo sanus in suis naturalibus ante peccatum, nullam enim aliam sanitatem ei tribuebant, nisi in suis naturalibus puris, quam minùs læsam esse contendebant.

Diximus, quod asserere eandem impotentiam, & vulnerationem, quam modo patitur natura lapsa, fuisse in Adam producto in solis naturalibus, ut Pelagiani ponebant, esseque proinde primordia naturæ, est non multùm distare à Manichæo. Cui addendum non solùm id aliqualiter cum Manichæo convenire, sed illud inter alia fuisse Dogma primorum Pelagiorum: Pelagij nempe, Cœlestij, atque Juliani, ut in terminis refert S. P. Aug. lib. de Dono perseverantiæ cap. 11. relatus supra. Dictum est etiam, quod ponere modò liberum hominis arbitrium sine vulneratione, nempe sine ignorantia ad bonum, & inclinatione ad malum, sicut esset si homo in puris naturalibus conderetur, fuisse Semipelagianorum errorem, ut constat ex S. Prospero supra inducto, & contra utrosque, Sanctus Augustinus, & Sanctus Prosper convincunt eos originale peccatum negare; sive una, sive altera via ponatur, peccatum originale nullo modo vulnerare naturam. Duo itaque Julianus & Pelagius dicebant, quæ in se minùs convenire videbantur: Primùm, Ut ex S. P. Augustino relatum est modò, ignorantiam, & inclinationem ad malum, quæ modò sunt in natura lapsa, esse primordia naturæ. Secundùm, modò liberum hominis arbitrium esse firmum & forte ad omne bonum faciendum ex solis viribus suis, & ad Divina omnia servanda mandata: Quomodo enim Arbitrium modo sic firmum, & forte ponebant si in ipso, sicut & in homine ante peccatum essent primordia naturæ vulnera illa, ignorantia, & malitia? Sed utramque Pelagius ita sibi componere videbatur, quod licet illa vulnera essent primordia naturæ, essentque proinde modò in homine lapso, tamen ipse facultate sui arbitrij, & viribus suis, posset omnem illam superare difficultatem, & omnia servare, si vellet, Divina mandata; in quo licet minùs consequenter loqueretur, tamen utrumque ipse affirmabat, id apertè testante S. P. Augustino in utroque loco citato, illud primum refert lib. de Dono perseverantiæ cap. 11. Hoc secundum Epist. 106.

Potest hoc explicari. Quis enim dubitat, quod si homo conderetur in puris naturalibus, & peccaret, eo peccato diverteret à bono rationis, & incurreret ignorantiam aliquam in intellectu, & difficultatem, seu impotentiam in voluntate, ac inordinatam concupiscentiam in appetitu, quæ essent per se effectus illius peccati: ergo cum Adam peccavit, præter ablationem justitiæ originalis, hos eosdem defectus incurrit, quos incurrisset homo in puris naturalibus conditus peccato suo. Non possumus ergo dubitare, quod peccatum in naturalibus, videlicet in naturali inclinatione ad bonum, lædat, & vulneret hominem. Unde S. Th. ad hoc attendens in quæst. 4. de Malo art. 2. sub fine inquit, quod si quis conditus in puris naturalibus, peccaret contra dictamen rationis naturalis incurreret culpam; & ex consequenti illa culpa, ut 1. 2. docuit, minueret bonum naturæ, idest inclinationem ad virtutem, quæ homini est naturalis.

CAPUT XV.

Idem demonstratur ex rebellione appetituum inferiorum adversus superiorem.

DEINDE conditus homo in puris naturalibus haberet animam superiorem appetitu inferiori: ergo ex naturali ordine virtutem deberet habere; quæ (licet cum difficultate) inferiorem partem posset moderari; hoc enim est de natura superioris. Similiter & pars inferior ex naturali ordine apta nata esse deberet ut à superiori regeretur. Mirùm enim est, si hunc naturalem ordinem inter superiorem, & inferiorem quis neget, cum Sanctus Thomas ex Philosopho doceat, quod appetitus sensitivus ex sua natura sequitur appetitum rationis, sicut Sphœra movetur à Sphœra, quod dictum fuisse de appetitu, qui est *Ratio 5.*

Digitized by Google

homini naturalis S. Doctor affirmat. Sic ergo non posset habere ignorantiam pravæ dispositionis ad verum nec pronitatem ad malum, nec concupiscentiam superexcedentem rationem, sicut modò habet homo in natura lapsa. Patet consequentia quia positis his languoribus in natura, pars superior non haberet dignitatem suam, qua posset inferiorem moderari; imò impotentiam haberet ad illam in re difficili reprimendam; nec inferior pars apta nata esset regi à superiori. Unde jam ille homo non esset conditus in solis, ac puris naturalibus, sed potius aliquid haberet contra suam propriam naturam, quod dici non potest. Itaque sicut tunc homo partem haberet superiorem, & appetitum inferiorem, & corpus ex contrariis compositum, ex naturali ordine propria singulis deberet obtinere; quoad dignitatem partis superioris, quod apetitui dominaretur, licet non ita perfectè ac per gratiam, quoad appetitum inferiorem, quod posset regi à ratione, licet non ita facile ac ex dono particulari Dei; quoad corpus, quod licet corrumperetur, utpote ex contrariis compositum, non tamen ita citò ac post peccatum.

Insuper quatuor à SS. PP. dicuntur vulnera naturæ ex peccato originali naturæ inflicta: videlicet ignorantia, malitia, infirmitas, & concupiscentia; mors autem non ponitur quintũ vulnus naturæ; Nulla autem hujus alia videtur assignari posse ratio, nisi quod mors esset connaturalis homini, si in puris naturalibus solis conderetur; ex eo enim quod esset ex contrariis compositus, illi mors conveniret, nisi altiori dono præservaretur, sicut fuit in statu innocentiæ. Eadem ergo ratione, si ignorantia, malitia, infirmitas, & concupiscentia essent homini naturales, eodem prorsus modo, quo modò sunt, non magis illa dicerentur naturæ vulnera quam mors, quod tamen contra omnium Theologorum sententiam procedit. Itaque si eadem omnino est ratio de morte ac de illis quatuor, quia eodem modo essent homini naturalia si in puris naturalibus conderetur, omnia pariter dicerentur naturæ vulnera, & non tantum dicerentur pœnæ, sicut mors non dicitur naturæ vulnus, sed pœna peccati; Verè autem dicuntur illa quatuor, naturæ vulnera, non autem mors: ergo illa connaturalia non sunt naturæ conditæ in puris ac solis naturalibus suis; sed reverà sunt ex peccato originali naturæ humanæ inflicta. *Ratio 6.*

Præterea, si homo in puris naturalibus conditus eandem ignorantiam pravæ dispositionis, & difficultatem seu impotentiam haberet ad bene operandum, ac nunc, aliquam gravem & difficilem tentationem vincere non posset, sed ab illa vinceretur, sicut modò sine auxilio gratiæ non potest, ut 3. libro dicemus; Tunc ego inquiro, an tentationi consentiendo peccaret, vel non, ita quod peccatum ei imputaretur? non potest dici quod non peccaret, quia consentire peccato, peccatum est; Nec etiam potest dici quod peccaret, quia non potest illud peccatum vitare, nec ex culpa alia sua priori talem impotentiam haberet; ergo nulla ratione peccaret, quia nemo peccat in eo quod vitare non potest, nec per ipsum stetit quin posset. Quod si dicatur, quod Deus deberet ei dare auxilium, quo posset, aliàs non peccaret; Tunc, hoc auxilium aut ordinis naturalis esse debet, aut ordinis gratiæ? si ordinis gratiæ, jam ille homo non esset in puris naturalibus constitutus, cum auxilium gratiæ haberet; si ordinis naturalis, vel esset generalis concursus, vel aliquid aliud? si generalis concursus, adhuc cum illo non posset non peccare, quia nec illi daret novas vires ad non peccandum, quæ tamen essent necessariæ, sicut & modò in sin i.i casu, quia necessariæ sunt, non si ffi- *Ratio. 7.*
cit generalis concursus ad gravem, & difficilem tentationem superandam; si aliquid aliud esset in ordine naturæ, vel esset naturæ debitum, vel non? si naturæ debitum, jam illud præhabuisset homo ipso facto quod in puris naturalibus esset conditus; si gratuitum, non apparet quod illud sit, nisi vigor ille, qui naturalis cum esset, ex conjunctione tamen ad originalem gratiam consequitur, qui fortè nisi ex conjunctione ad illam haberi non potest. Præterea si gratuitum est illud auxilium? ergo poterat illud Deus illi naturæ non dare, quia gratuita non omnibus dari in nostro 4. lib. apertè probabimus. Si ergo illud gratuitum illi Deus non daret: nec posset non peccare. Ex consequenti inconveniens illud illatum perseverat, quod scilicet non possit aliud facere; nec per ipsum, aut per prius peccatum illam impotentiam incurreret, & tamen sic peccaret, quod dici non potest. Ut igitur omnia ista inconvenientia, quæ sine dubio sunt magna, præcludantur, dicendum est hominem sic conditum in puris naturalibus, nec ignorantiam pravæ dispositionis habiturum, nec impotentiam ad resistendum tentationi illi difficili, sed fore ut posset illi resistere, & suâ culpâ illi consentire. Dicendum est igitur, quod homo ille posset viribus suis cum generali concursu Dei vincere quamlibet gravem tentationem; sed in statu naturæ lapsæ viribus suis naturalibus, cum generali concursu Dei non potest quamlibet gravem & vehementem tentationem superare, ut communis tenet sententia Theologorum, ergo non habet æquales vires, ac haberet homo in puris naturalibus conditus: ergo magis læsus & infirmatus est in suis viribus naturalibus quàm ille.

Ad hæc: Homo in natura lapsa ex peccato originali habet peccati fomitem, & concupiscentiam; quæ, ut supra ex Sancto Thoma diximus, est materiale peccati originalis. At, si in puris naturalibus conderetur, nec materiale peccati haberet, cum hoc dicat ordinem ad formale, quod in illo non esset; nec etiam potest dici quod haberet peccati fomitem; ergo infirmior, & deterior est homo in natura lapsa, etiam seclusa ratione formali culpæ, quam esset in naturalibus puris; nisi quis dicat non esse deteriorem habentem materiale peccati, & fomitem illius, quàm qui eum non habet. Quis autem dicat, quod non magis vires naturales debilitat atque infirmat fomes ac materiale peccati, quàm illius totalis carentia sive negatio? Nec satisfit si dicatur eandem omnino æqualem concupiscentiam in utroque homine esse, sed in lapso denominari fomitem, & materiale peccati, non verò in condito in solis naturalibus. Nam, si reverà eandem omnino æqualem concupiscentiam uterque haberet, cum illa sit ad peccatum inclinans, non apparet quare in utroque non dicatur fomes peccati. Hæc solum erit differentia, quod in uno est effectus peccati non in alio. Cæterum ex parte objecti, in quod tendit, eandem habebit deordinationem: cum ista ex objecto potissimè sumatur, nempe peccato in quod inclinat. Quod si in peccatum inclinat, utique ex peccato dimanat, ut Concilium Tridentinum docet; quod ideo vocatur peccatum, quia ex peccato processit, & in peccatum inclinat. Cum ergo in homine condito in puris naturalibus non proveniret ex peccato, nec in peccatum inclinaret, nullo modo haberet id quod requiritur ut fomes peccati diceretur, seu materiale peccati, & multò minùs peccatum dici posset. Accedit quod dici non potest, denominari quidem materiale peccati & fomitem, seu peccatum in homine lapso, non autem in condito in puris naturalibus cũ idem omnino in utroque esset defectus & inordinatio prorsus eadem; quia tunc, solum denominatione tantum extrinseca de- *Ratio 8.*

nominaretur

nominaretur fomes, & peccatum in homine laspo, non verò esset ille fomes, verus effectus peccati, quod nullo modo consonat doctrinæ Apostoli Ad Rom. 8. De quo videantur S. Thomas & alij Doctores ad illum locum.

Tandem sicut id quod naturale est, non tollitur totaliter per peccatum (qua ratione inclinatio ad virtutem, quæ est naturalis homini totaliter per peccatum tolli non potest ut S. Thomas docet 1. 2. q. 85. art. 2.) ita nec per gratiam aufertur, cum gratia perficiat & non destruat naturam. Si ergo habere ignoran[illegible]; qua approbentur falsa pro veris, & difficultatem, qua à libidinosis non possumus temperare, est homini naturale, nec auferretur per gratiam. At in primo homine per justitiam originalem fuit penitus sublata (nec enim hanc ignorantiam pravæ dispositionis habuit, aut difficultatem, & impotentiam ad operandum, ut est apertissimum): ergo illa non sunt homini naturalia, nec primordia naturæ ex conditione provenientia.

Possunt quidem respondere illa duo esse naturalia homini, si suæ naturæ relinquatur, sicut in puris naturalibus relinqueretur; non autem ita esse naturalia, quod non possint per gratiam auferri; sicut ablata de facto sunt in primo homine per justitiam originalem hæc impedientem: sicut esse hominem defectibilem, atque peccabilem, naturale est homini, si suæ naturæ relinquatur; non verò si præpotenti, & maxima quadam gratia præveniatur, ut patet de Beatis, qui defectibiles, & peccabiles non sunt, & de humanitate Christi Domini, quæ etiam nec peccabilis aut deffectibilis fuit propter gratiam unionis, & animæ beatitudinem, quod modò ut certissimum presupponimus.

Hæc solutio licet valde sufficiens prima fronte appareat, si tamen paulò attentiùs consideretur, facti argumenti vires non tollit. Si enim esset homini ex prima conditione naturæ proprium, habere pravam illam ignorantiam, atque impotentiam si natura sibi relinquatur, aliquis homo deberet sibi relinqui, ut talis defectus in eo appareret; sicut, ut in allato exemplo persistamus, quia esse defectibilem est consequens humanam naturam, si sibi relinquatur, in plurimis, imò in hac vita in omnibus, uno excepto Christo Domino id invenimus. Quod si in nullo inveniretur ista defectibilitas, nec rectè possemus dicere illam homini naturalem. At in nullo prorsus homine, in quo culpa non sit, ignorantia, & difficultas, seu impossibilitas inveniuntur; ergo nec videtur dicendum illa homini esse connaturalia. Probatur, quia in primo parente non fuerunt ante peccatum, nec in Christo Domino in quo etiam nullum potuit esse peccatum. Cum ergo in nullo sint, qui absque peccato sunt, & in omnibus, qui peccato subjacent, inveniantur, rectè certe colligimus non primordia esse naturæ, sed peccati potiùs pœnam atque defectum. Qua, ut crediderim, ratione motus S.P. August. in 1. libero de pecc. merit. & remiss. citato præcedenti capite inquit. *Si ista sunt non pœna peccati, sed primordia naturæ, quare non sic creatus est Adam?* Quasi clariùs diceret si illa essent naturalia homini, in illis utique Adam fuisset creatus, potissimè in sententia illorum, quos impugnabat, qui contendebant Adam in puris naturalibus conditum fuisse. Certè hoc est irrefragabile argumentum. Hæc sunt primordia naturæ ex conditione naturæ sequentia, ut dicitis; & per vos Adam fuit conditus in solis naturalibus; ergo illa debuit habere. Constat autem ex scriptura illa non habuisse, quia rectum illum Deus creavit & capacem præcepti, & cum tanta scientia, ut omnibus rebus congruentissimè nomina imponeret: ergo isti defectus non sunt homini naturales, quasi ex conditione naturæ sequentes. Quod argumentum Pelagianos quidem convincit, quod vel debeant fateri Adam in solis naturalibus creatum non fuisse, sed in originali justitia, ut veritas habet; vel si in puris naturalibus conditus ponatur, quod illi defectus non sint homini naturales. Licet autem sic non convincat authores, cum quibus disputamus, non obscurè tamen ostendit, nec naturalia esse nec primordia naturæ reperta in homine, qui absque gratia, & peccato conderetur in naturalibus solis.

Tandem argumentum principale, quod Pelagiani, & semipelagiani opponebant semper SS. PP. Augustino & Prospero, Fulgentio, atque Hilario, apertè manifestat illos SS. Patres (quorum in hac parte per Ecclesiam Doctrina approbata est) semper contra Pelagianos defendisse hominem lapsum non easdem vires habere ad bonum, sicut haberet homo, si in puris naturalibus conderetur. Hoc enim erat fundamentale argumentum, quod illi contra sanctos Patres opponebant: illos videlicet constituere liberum hominis arbitrium extinctum respectu boni, & determinatum ad malum, ut sæpius patet ex Juliano objiciente Sancto Patri Augustino, & ex semipelagianis relatis ubique à Sancto Prospero, potissimè responsione 6. ad Capita Gallorum; non enim alia ratione id in ore versabant, nisi quia videbant SS. Patres asserere hominem per Adæ peccatum mansisse ita viribus infirmum & attenuatum, quod non poterat operari bonum naturali fini proportionatum, sicut poterat, si in suis naturalibus viribus conderetur. Unde inferebant extinctas illas naturales vires Arbitrij ad bonum. Manifestum est ergo ex hac oppositione Sanctissimos Patres non easdem vires tribuisse respectu boni moralis, homini lapso ac non lapso, sed in puris naturalibus condito. Cui tamen argumento Sanctissimi Patres respondebant: non extinctum per peccatum liberum hominis arbitrium ad bonum connaturale, cum facilia bona moralia posset efficere; sed nec sanum, sicut in puris naturalibus esset, sed infirmum, & læsum; quia difficilia bona moralia nequeat facere, quod etiam Concilium Tridentinum docuit, prout supra, post Concilium Arausicanum.

Parique ratione Pelagiani, & semipelagiani ideo liberum arbitrium non læsum in suis naturalibus viribus & naturæ debitis, constituebant, ut consequenter inferrent, sicut inferebant, ipsum posse omnem tentationem licet vehementissimam superare, omne bonum morale facere, & Deum authorem naturæ super omnia diligere, & sic necessitatem gratiæ ad omnia ista facienda negabant. Sancti autem Patres hoc denegantes libero arbitrio sine gratia (ut omnino deneganda sunt) affirmabant ipsum infirmum, læsum, attenuatum in suis naturæ viribus per originale peccatum: unde nec illa poterat infirmus suis viribus naturalibus, naturaliter efficere. Quam hucusque impugnavimus oppositam sententiam, Censores coram summo Pontifice Clemente Oct. pelagianorum esse dixerũt & non post multum temporis, anno Videlicet 1623. mense Decembri prima mensis Censores in sancto Officio, Pelagianam esse dixerunt, & fundamentum plurimorum errorum Pelagij.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Argumenta oppoſita ex quibuſdam D. Thomæ teſtimoniis petita diluuntur.

NON erit jam difficile argumentis in oppoſitum reſpondere. Et quidem, quantum ad id quod præſupponunt, originalem juſtitiam, naturalem primo homini non fuiſſe, ſed gratuitam, & ſupernaturaliter datam, id nos ſupra de fide eſſe diximus. Ex hoc autem inferre, quod ablata illa originali juſtitia per culpam, talis in reliquis natura hominis manſerit, qualis futura eſſet, ſi in puris naturalibus condita eſſet, nec magis læſa, aut attenuata, id planè nec apparenter ſequitur, ſed omnino negandum eſt; quia culpa illa in anima exiſtens, præter ablationem juſtitiæ originalis, & donorum gratuitorum verè animam in ſuis potentiis vulneravit in naturali ejus inclinatione ad virtutem, quæ in homine in puris naturalibus eſſet ſine dubio, ſine poſitiva læſione, ſicut ex Sancto Thoma oſtenſum eſt ſupra docente, quod originale primò reſpicit eſſentiam animæ in qua eſt, ſecundò reſpicit potentias inquantum dicit inclinationem ad actum.

Quia verò potiſſimum pro ſua ſententia procurabant fundamentum ſumere ex Sancto Thoma, & jam ſupra ex Sancti Doctoris mente expreſſaque doctrina dedimus manifeſtum, quòd ipſe potiùs oppoſitum docuerit ſempet, nunc ad teſtimonia ex ipſo ſiniſtrè inducta, & pravè intellecta, reſpondeamus oportet.

Primum teſtimonium inducunt ex prima parte quæſt. 95. art. 1. ubi habetur originalem juſtitiam non naturalem eſſe, aliàs maneret poſt peccatum; quia ſecundum Dionyſium etiam in Dæmonibus poſt peccatum naturalia manſerunt integra. Ex quo deducunt quod originale ſolùm in gratuitis nocuit, non autem in naturalibus, quæ eſſent in natura condita in ſolis illis, ac proinde non manere naturam magis infectam ac corruptam ſecluſa culpa originali, quàm eſſet in puris naturalibus.

Ad hoc dicendum mirum eſſe, quod, qui iſtum locum opponunt, non attenderint ad alium in quo ex profeſſo S. Thomas hanc propoſitionem Dionyſij & ſuam manifeſtat, & de quibus naturalibus integris manentibus poſt peccatum procedat, apertè declarat 1. 2. quæſt. 85. artic. 1. 2. & 3. quæ & ſupra jam manet declarata. Ibi enim agens in terminis, utrum peccatum diminuat bonum naturæ, dicit. *Quod bonum naturæ humanæ poteſt tripliciter dici, primò ipſa principia naturæ ex quibus ipſa natura conſtituitur, & proprietates ex his cauſatæ, ſicut potentiæ animæ, & alia hujuſmodi. Secundò, ipſa inclinatio ad virtutem eſt quoddam bonum naturæ. Tertio modo poteſt dici bonum naturæ donum originalis juſtitiæ, quod in primo homine fuit collatum toti humanæ naturæ. Primum igitur bonum naturæ, nempe principia naturalia, & potentiæ, nec tollitur nec diminuitur per peccatum. Tertium vero bonum naturæ totaliter eſt ablatum per peccatum primi parentis. Sed medium bonum naturæ, ſcilicet ipſa naturalis inclinatio ad virtutem diminuitur per peccatum.* Ecce tria bona naturalia ut verè diſtincta enumerat, & eodem modo, quoad prioritatem rationis, quo in homine in ſua inſtitutione fuerunt, ſtatuit; primò namque in ipſo fuerunt naturæ principia, & proprietates. Secundò inclinatio ad virtutem ex illis fluens, & ipſi homini, quatenus rationalis eſt, connaturalis. Tertiò fuerunt ſuperaddita dona gratuita cum originali juſtitia, etiam omnino gratuita; Docetque apertè primum, bonum nec ablatum, nec per peccatum diminutum, tertium verò totaliter ablatum, ſecundum autem bonum naturale, nempe inclinationem ad virtutem, fuiſſe vulneratum. Manifeſtè ergo docet factam hanc vulnerationem, non reſpectu juſtitiæ originalis ac donorum gratuitorum, quia iſta, ut inquit, totaliter fuerunt ablata; ſed reſpectu inclinationis ad bonum, quæ ante originalem juſtitiam homini connaturalis erat, quatenus rationalis eſt, ut clariùs exponit art. 2. [illegible] ſequenti.

Similiter in artic. 3. in quo ex profeſſo agit de vulneribus naturæ inflictis per peccatum originale eandem doctrinam confirmans, ait, *quod juſtitiâ originali ſublatâ per peccatum primi parentis, omnes vires animæ remanſerunt quodammodo deſtitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, & ipſa deſtitutio, vulneratio dicitur naturæ.* Igitur in illa inclinatione, quæ erat homini naturalis ad virtutem, vulnerationem docet fuiſſe factam. Expreſſa ergo S. Thomæ proculdubio eſt ſententia, quod non ſolùm actuale peccatum, ſed etiam originale homini nocuit in naturalibus, ideſt in illa inclinatione ad virtutem, quæ homini naturalis eſt; ac proinde ibi docet ſatis clarè quod præter totalem privationem donorum gratuitorum, quibus homo fuit per originale totaliter ſpoliatus, aliud naturæ bonum, ſcilicet inclinatio, ad virtutem, fuit læſum diminutum, & attenuatum per originale peccatum. Quomodo ergo laborant aliqui authores in doctrina Angelici Doctoris fundare, præter ablationem juſtitiæ originalis, & aliorum donorum gratuitorum, non læſum manſiſſe hominis liberum arbitrium in naturalibus; cum ſanctiſſimus Doctor planè affirmet originale peccatum humanæ naturæ nocuiſſe in illo bono naturæ, quod eſt inclinatio ad virtutem homini naturalis, quatenus rationalis eſt, illam attenuans, atque diminuens?

Quod ſi illis facit difficultatem id quod nullam habet, videlicet naturalia ſecundum S. Thom. manſiſſe poſt peccatum integra tam in hominibus, quàm in Angelis, ut colligunt ex illo alio loco primæ partis inducto: Attendant quod hoc ipſum argumentum, ipſe Angelicus Doctor ſolvit in terminis in 1. 2. citato nunc loco; Cum enim in primo argumento oppoſuiſſet hoc ipſum argumentum ex S. Dionyſio, quod nempe naturalia poſt peccatum manerent integra, & ſic quod homo læſus non fuerit per peccatum in naturalibus ſuis: Reſpondet: *Ad primum dicendum quod Dionyſius loquitur de bono primo naturæ, quod eſt eſſe, vivere, & intelligere, ut patet ejus verba intuenti.* Quid clariùs, vel quid apertiùs? S. Dionyſium explicat, quod bonum naturæ, quod poſt peccatum integrum manſit, fuit eſſe, vivere, & intelligere, & alia principia naturæ, & proprietates naturales: ut præmiſerat in corpore art. 2. Nihil vero frequentiùs in ſua doctrina habet, quam aliud naturæ bonum, quod eſt ipſa inclinatio ad virtutem, manſiſſe poſt peccatum tam actuale quàm originale, læſum, diminutum, & extenuatum: docens ubique, quod originale peccatum præter totalem ablationem donorum gratuitorum & originalis juſtitiæ omnino etiam gratuitæ, nocumentum intulit homini, malum nempe poſitivum, poſitivamque deordinationem in illis naturalibus bonis, ideſt in ipſa inclinatione ad bonum homini naturale; ita quod humana natura non ſolùm fuerit per tale peccatum ſpoliata gratuitis, ſed etiam verè vulnerata in naturalibus, ideſt in illa ſæpius repetita inclinatione ad virtutem per appoſitionem poſitivi impedimenti,

Digitized by Google

pedimenti, ut explicat in art. 2. illius quæstionis 85. ex prima secundæ, verum est, hoc positivum impedimentum & positivam pravam inclinationem, & pronitatem ad peccatum non pertinere ad formale originalis peccati, sed ad materiale ipsius. Unde dicitur vulnus per peccatum originale naturæ humanæ inflictum. Prava autem intelligentia, quam adhibent ad illam solutionem ad primum jam supra rejecta est.

Quod verò insuper addiderunt illam explicationem à S. Thoma traditam illi loco S. Dionysij nec legitimam, nec ad mentem Dionysij esse, jam planè fatentur se contra S. Thom. tenere, nisi contendant illam à S. Thom. non tradi, quod contra literam procedit. Nec ratio, qua moventur, aliquid probat: dicunt enim illam propositionem Dionysij, *naturalia manserunt integra*, æquivalere universali ac si dixisset, omnia naturalia, & ex consequenti illam inclinationem ad virtutem integram mansisse. Quod si ita est, & ipsi fateantur S. Dionysium ibi magis principaliter loqui de peccato actuali, & de peccato Angelorum, convincuntur concedere per actuale peccatum non diminui inclinationem naturalem ad virtutem nec in Angelis, nec in hominibus, & sic in Dæmonibus concedent mansisse integram illam inclinationem ad virtutem, quam ante peccatum habebant, & per consequens, nec erunt obstinati in malo, cum secundum hos authores habeant integram illæsamque inclinationem ad virtutem & bonum, sicut habebant ante peccatum. Unde, si illa indefinita æquivalet universali; intelligi debet quantum ad omnia naturalia principia, & proprietates omnes adintegrantes naturam, vel per modum passionum ab illa promanantes, ita ut sit distributio accommoda, ne aliàs inducta inconvenientia sequantur, sicut in Dæmonibus sequi, ex illorum sententia denudatum est.

Sed adhuc instare possunt: Quod S. Thom. ipse citato loco docet, quod si illa subjectio corporis ad animam esset homini naturalis maneret utique post peccatum: si igitur ista ratio firma est, quare etiam non tenet in inclinatione illa ad virtutem, quod nempe etiam ipsa, quia naturalis est, maneat post peccatum?

Ad quod dicendum rationem illam procedentem de illa subjectione corporis & animæ optimam & firmam esse, & ad inclinationem ad virtutem, quòd post peccatum integra maneat, extendi non posse: utrumque enim S. Thom. docet, & in primo loco inducto, & prima secundæ citato. Ratio enim utriusque dispar est. Quia S. Thom. ut certissimum supponit nihil quod homini sit naturale ex principiis causatum, totaliter posse per peccatum auferri. Rursus, & illud supponit subjectionem corporis ad animam (de qua secunda parte tractat) in indivisibili consistere: Consistebat enim in hoc, quod appetitus inferior contra animam, & rationem non insurgeret, sed quod perfectè illi subderetur; unde lædi vel diminui minimè poterat, sed totaliter deberet auferri per peccatum.

Ex qua ratione docet S. Thom. quod si illa subjectio esset naturalis, maneret post peccatum, quia totaliter auferri per peccatum aliquid naturale causatum ex natura, non debet admitti: Cum ergo illa subjectio totaliter fuerit ablata per peccatum, concludit S. Thom. quod non erat naturalis, causata ex naturalibus principiis, sed quod à justitia originali tribuebatur, quæ originalis justitia, sicut totaliter ablata fuit, etiam totaliter fuit ablata illa subjectio corporis ad animam.

Cœterùm inclinatio ad bonum rationis licet sit homini naturalis, & ex suis principiis causata, quia tamen latitudinem habet, nec in indivisibili consistit, potuit optimè minui & extenuari, non tamen totaliter tolli, ut de facto per peccatum originale extenuata, & diminuta fuit, non tamen totaliter sublata, ut & S. Tho. docet prima secundæ loc. cit. potissimè art. 2.

In doctrina etiam S. Thomæ habemus accommodatissimum exemplum nam 1. p. quæst. 64. art. 1. in corpore ita habet. *Horum autem trium, cognitio naturalis, nec est ablata, nec diminuta; consequitur enim ipsam naturam Angeli, qui secundum suam naturam est quidam intellectus vel mens, propter simplicitatem autem suæ substantiæ à natura ejus aliquid subtrahi non potest, ut sic per substractionem naturalium puniatur; sicut homo punitur per substractionem manus, aut pedis, aut alicujus hujusmodi.* Ubi S. Doctor propter simplicitatem naturæ Angelicæ, ad quam naturaliter sequitur ejus cognitio, non admittit ablationem, nec diminutionem in ejus naturali cognitione. Sic ergo propter indivisibilitatem subjectionis virium inferiorum ad animam, si illa esset homini naturalis (secuta videlicet ad ejus naturam) docet citato alio loco, quod non posset ab eo auferri aut tolli; Quæ tamen ratio, ut dictum est, non currit de diminutione inclinationis naturalis ad bonum per peccatum originale facta.

Advertendum tamen attentiùs (ut æquivocationes secludantur) S. Thom. prima secundæ quæst. 82. art. 3. in cap. docere formale peccati originalis esse privationem originalis justitiæ per quam voluntas subdebatur Deo. Ex quibus verbis sic possent hi authores arguere: Formale peccati originalis est privatio justitiæ originalis: ergo homo lapsus in hoc solum distinguitur ab homine in puris naturalibus, quod iste habet puram negationem donorum gratuitorum, ille verò habet illorum donorum privationem, ita quod nulla alia sit inter utrumque differentia, sicut Molina asseruit.

Ad quod tamen dicendum, quod si nomine privationis justitiæ originalis intelligantur, & comprehendantur omnia, quæ S. Thomas intelligit, & comprehendit rectè quidem diceretur; Comprehendit enim S. Doctor nomine privationis originalis justitiæ, positivam deordinationem, & aversionem à Deo, & animæ maculam, quæ omnia illa privatio justitiæ originalis includit. Includit etiam tanquam suum effectum, positivam deordinationem potentiarum superiorum & inferiorum, ut clariùs S. Thom. expressit. Itaque licet peccatum originale secundum suum formale, tantùm dicat privationem justitiæ originalis aversionem à Deo; pro materiali tamen dicit deordinationem positivam potentiarum in actum inordinatum. Nam illa privatio justitiæ originalis, in qua docet consistere formale peccati originalis, est privatio justitiæ originalis secundùm quod per ipsam anima Deo subderetur, & ex consequenti privatio illius est privatio subjectionis animæ ad Deum, & sic dicit aversionem & positivam deordinationem à Deo. Quod ipse S. Doctor in illo articulo citato expressè affirmat dicens, ex privatione justitiæ originalis consecutam fuisse aversionem voluntatis à Deo, & ex aversione voluntatis à Deo, consecutam fuisse inordinationem in omnibus aliis partibus animæ. At verò hi Authores nomine privationis justitiæ originalis ista non intelligunt, nec comprehendunt, imò planè illa excludunt, ab illisque præscindunt: putant enim præter illam privationem justitiæ originalis nullum nocumentum in naturalibus fuisse illatum, nullam deordinationem esse magis in homine sic privato, quàm in homine si in puris naturalibus conderetur. Unde oportet ad omnia verba attendere, & in qua acceptione accipiant privationem justitiæ originalis contra expressam sententiam S. Th. cõsiderare. Diximus comprehẽdi, & includi deordinationem

Digitized by Google

positivam, & peccati maculam lædentem naturam in suis naturalibus, nomine privationis originalis justitiæ per originale peccatum; nam si sine peccato aliquo illa justitia originalis immediatè à Deo tolleretur, talis aversio, deordinatio, & macula non resultaret. Nec enim isti effectus causantur per se ex natura, eo ipso quod in suis naturalibus sit derelicta per quamcumque justitiæ originalis ablationem, nec peccatum est purum removens prohibens, sicut esset quælibet alia causa, quæ justitiam originalem auferret, ut clariùs statim aperiemus.

Omittimus etiam consultò Metaphysicales quæstiones, quæ immiscerì solent, an videlicet originale pro formali sit pura privatio, vel aliquid positivum, privationem habens annexam: Quidquid enim dicatur, parum ad præsens retulerit, dummodo dicatur, illud vel privativum purum, vel positivum cum conjuncta privatione, esse veram Animæ deordinationem, infirmitatem, & veram maculam. Verùm est tamen, quod si ponatur formale originalis peccati aliquid positivum habens conjunctam privationem justitiæ originalis (quæ videtur expressa S. Thomæ sententia eadem prima 2. quæst. 82. art. 1. per totum & potissimè ad primum) clariùs multò ostenditur qualiter ex peccato primi parentis, non remanet natura solùm & præcisè privata, sed remanet positivè infecta, & deordinata, & positivè infirma, & ex consequenti fit apertissimum non differre talem naturam à natura condita in puris naturalibus, solùm in hoc, quod ista haberet meram negationem donorum gratuitorum, illa autem habeat pœnalem privationem eorumdem; propter quam rationem, & plures alias quæ omittuntur, veriùs multo, magisque doctrinæ S. Thomæ conforme reputo, formale peccati originalis puram privationem non esse, sed habitum sive dispositionem habentem essentialiter conjunctam talem privationem; hoc enim S. Thomas apertè docere videtur in illa quæstione 82. art. 1. ad 1. sed de hac quæstione ex professo tractabimus 3. lib. in fine ubi testimonia alia quæ contrarium de mente Sancti Thomæ sonare videntur, in vera intelligentia explicabuntur.

Omittimus etiam explicare modò, quomodo aversio voluntatis à Deo, & deordinatio aliarum partium animæ includantur in privatione justitiæ originalis, vel ad illam consequantur, primò & per se, aut ex consequenti; quia ista omnia minùs tangunt præsens institutum, & quidquid, sic, vel sic, dicatur; dummodo nomine privationis justitiæ originalis illa comprehendantur, sive primò & per se, sive secundariò & mediatè, tenetur intentum & mens S. Th. quam principaliter hìc aperire curamus. Sed & quidam S. Thomæ Discipuli arbitrantur formale peccati originalis, non solùm esse privationem justitiæ originalis secundum quod per illam anima Deo subdebatur, nec solùm aversionem voluntatis à Deo esse formale in peccato originali; sed etiam conversionem voluntatis in bonum commutabile, sive pronitatem voluntatis ad malum, etiam ad formale peccati originalis pertinere, secundum S. Th. hoc enim ait Capreolus in 2. dist. 30. & Ferrarens. 4. contra Gent. cap. 52. licet Caiet. id videatur negare, nec tamen assertivè id Caiet. affirmat. Materiale autem peccati originalis est, secundum illos, omnium aliarum potentiarum à voluntate deordinatio. Quid tamen verius sit, magisque de mente S. Thomæ, ut præmisimus, infra in 3. lib. tractandum erit: hìc enim Metaphysicales quæstiones immiscere minùs ad præsens visum fuit expedire.

Nec aliquem moveat, quod diximus conversionem ad bonum commutabile esse aliquo modo in peccato originali, ex eo quod apud S. Th. legat. q. 24. de Veritate art. 12. ad 2. esse quidem in peccato originali aversionem habitualem à bono incommutabili, non autem habitualem conversionem ad indebitum finem, quam docet convenire peccato mortali actuali: Quia in illo loco tantùm intendit non esse in originali peccato habitualem conversionem causatam ex actuali conversione ad indebitum finem, sicut est in peccato mortali actuali, non tamen negat esse in originali peccato illam pronitatem ad indebitum finem, licet propriè conversio habitualis non dicatur; quia ista, propriè de illa loquendo, solùm causatur ex conversione actuali, quæ in peccato originali non est. Vel secundò & multò meliùs dicitur, quod negat habitualem conversionem pertinere ad formale peccati originalis, sicut pertinet ad formale peccati actualis, nullo tamen modo negat pertinere ad materiale peccati originalis, imò hoc 1. 2. expresè sæpiùs docuit, quod in nostro 3. lib. copiosè explicaturi sumus.

CAPUT XVII.

Aliis testimoniis ex Sancto Thoma oppositis Respondetur.

IN secundo argumento principaliter opponunt S. Thomam 1. 2. quæst. 82. art. 2. solut. ad 3. & 85. art. 5. expresè asserere peccatum originale fuisse removens prohibens, nempe originalem justitiam quæ impediebat motus inordinatos ac corporis mortem, nec inclinare directè in peccatum, sed indirectè sicut videlicet removens prohibens; & quia in hoc potissimè fundantur oppositæ sententiæ defensores, ut teneant, ablata justitia originali per originale peccatum, resultare ex conditione naturæ sibi derelictæ illos defectus, qui ex illa consequebantur, & per originalem justitiam impediebantur, qui non magis aut minùs quàm ex illa sequerentur, si à principio originalem justitiam non haberet; sicut ablata columna, nec majori propensione lapis superpositus descendit, quàm ex natura propriæ gravitatis habeat, quia removens columnam solùm est removens prohibens. Quia, inquam, hoc fundamento nituntur; videndum est oculatiùs quomodo S. Th. in citatis locis dicat, peccatum originale fuisse removens prohibens inordinatos motus, qui spirituales defectus sunt; an videlicet peccatum originale constituat purum, & solum removens prohibens, an non? Respectu, dixerim, spiritualium defectuum, quos homo lapsus patitur modò: Nam certum est respectu mortis corporalis, solùm & præcisè fuisse removens prohibens.

Dicendum est ergo, quod respectu eorum defectuum spiritualium, quos nunc patitur humana natura, asservit S. Thomas peccatum originale fuisse removens prohibens quantum ad aliquid quod in ipsis est, non autem esse solum & purum removens prohibens quantum ad omne id, quod est in defectibus istis, sed comparatione alicujus, esse veram causam ex qua parte illi sequuntur. Et ut clariùs dicamus, secundum mentem & sententiam Sancti Thomæ, fuit & est peccatum originale in omnibus removens prohibens hujus quod est, motus in appetitu consurgere præter, seu contra rationis ordinem, hujus præcisè sine dubio ponitur à Sancto Thoma, & ab omnibus admitti debet fuisse originale peccatum solum & purum removens prohibens, quia illi revera etiam in natura pura consurgerent, unde per originalem justitiam impediebantur. Quod jam supra manet explicatum. Cæterum comparatione ignorantiæ pravæ dispositionis offuscantis naturale lumen rationis, & malitiæ seu pronitatis voluntatis ad malum, ac concupiscentiæ insurgentis contra rationem vehementer,

Digitized by Google

menter, ut ratio illa vincere ac ſuperare non poſſit nullo modo, nullaque ratione S. Th. aſſervit fuiſſe originale peccatum ſolum & purum removens prohibens, & cauſam per accidens, ſed veram ac propriam cauſam per ſe, ut inductis ſuperiùs teſtimoniis ſatis oſtendimus. Eſt hujus accommodatum exemplum in Sancto Thoma 1. 2. quæſt. 85. art. 5. ad 1. de Corporalibus defectibus, qui inæquales ſunt in hominibus, exiſtente in omnibus æquali peccato originali; quia nempe illa inæqualitas corporalium defectuum, non provenit ex pecato originali removente prohibens, ſed per ſe provenit ex diverſa complexione, ex qua quorumdam corpora pluribus defectibus ſubjacent, alia paucioribus. Sic dicendum, quod originale peccatum inquantùm removens prohibens hoc efficit, ut inſurgant motus concupiſcentiæ in appetitu, qui per juſtitiam originalem detinebantur; quòd verò ita inſurgant, ut ratio illis reſiſtere non poſſit, cum ſunt vehementes, hoc non fecit ut purum removens prohibens, ſed ut vera cauſa efficiens illius pravæ deordinationis; quia ut dictum eſt, ſi per aliam cauſam illud prohibens removeretur, id non eveniret.

Quòd ſi objicias. Si peccatum originale eſt cauſa per ſe deordinationis, cùm ipſum ſit æquale in omnibus, omnes erunt æqualiter deordinati per concupiſcentiam, quia æqualitas cauſæ per ſe cauſat æqualem effectum, ut patet ex S. Thoma 1. 2. q. 85. art. 5. ad 1. ſed manifeſtum eſt non omnes per concupiſcentiam eſſe æqualiter deordinatos, ſed alios magis, alios minùs: ergo peccatum originale non fuit cauſa per ſe illius deordinationis, ſed per accidens.

Ad hoc dicendum, originale peccatum æqualiter eſſe in omnibus, quia æqualiter omnes carent originali juſtitia, & æqualem relationem dicunt ad peccatum primi parentis ſicut ad cauſam. Similiter effectus, qui per ſe ſequuntur ex ipſo, etiam æqualiter omnibus inſunt, æqualis enim ignorantia, & obſcuratio rationis, & æqualis malitia ſeu pronitas ad malum eſt in voluntate, nec enim parvulus unus magis ignorans eſt, aut magis pronus ad malum, quàm alter. Cæterum concupiſcentia, quæ eſt materiale ipſius, non eſt in omnibus æqualiter, quia ad illam multùm etiam adjuvat propria corporis diſpoſitio, diverſáque complexio, ſecundùm quod diverſimodè alij præ aliis magis in concupiſcibili deordinantur. Itaque ad diverſam relatam concupiſcentiam duplex cauſa per ſe concurrit, & peccatum originale, & propria corporis diverſa diſpoſitio, & ex hac ſecunda cauſa, licet non ex prima, eſt magis de concupiſcentia in uno, quàm in alio.

Ut autem omnia in ſumma concludamus. Dicendum primò quod originale peccatum fuit removens prohibens, & cauſa per accidens reſpectu hujus, quod motus animalis in appetitu conſurgerent. Secundò, Fuit cauſa per ſe, ut ita conſurgerent, quod ſuperior pars illis reſiſtere non poſſit, propter debilitatem cauſatam in parte ſuperiori, ut ſæpiùs dictum eſt. Quod autem in uno homine magis quàm in alio, vel frequentiùs vel vehementiores inſurgerent illi inordinati appetitus ſuperantes rationem, hoc ex peccato originali per ſe non provenit; ſed hæc inæqualitas ex diverſa diſpoſitione, & complexione hujus vel alterius provenire ſicut ex cauſa per ſe, dicenda eſt.

Et quod iſta ſit S. Thomæ mens, & ſententia, omiſſis ſuperiùs allegatis & appoſitis, aliis nunc teſtimoniis comprobatur, & potiſſimè ex art. 1. q. 82. ſolut. ad 3. ubi hæc ejus verba ſunt: *Quamvis enim ex peccato originali, ſequatur aliqua inclinatio in actum inordinatum, non directè, ſed indirectè, ſcilicet per remotionem prohibentis, ideſt originalis juſtitiæ, quæ prohibeat inordinatos motus; ſicut etiam ex ægritudine corporis indirectè ſequitur inclinatio ad motus corporales inordinatos.* Quibus verbis nihil aliud intendit, niſi quod peccatum originale primo & per ſe ac directè non ordinatur ad operandum, ſed removendum originalem juſtitiam; ſecundariò autem inclinare in actum inordinatum, atque per ſe eſſe cauſam illius inordinationis contrariæ ipſi rationi, quod manifeſtè in exemplo adhibito demonſtrat. Ægritudo enim primò & per ſe non inclinatur in motus corporoles inordinatos, ſed primò & per ſe, ſeu directè ſanitatem aufert, quæ illos impediebat, & ſecundariò ſive indirectè, & in ordine ad remotionem ſanitatis, per ſe cauſat ægritudo motus illus inordinatos. Quis enim dubitat, quin infirmitas removendo ſanitatem per ſe debilitet naturam, & ex debilitata natura per ſe ſequatur motus corporis debilis, ſeu inordinatus? Aut quis ſibi perſuadeat, quod ægritudo ſit ſolùm, & purum removens ſanitatem, itaut ſit cauſa per accidens & non per ſe illius motus debilis. Ex allato exemplo ſatis S. Th. oſtendit ſe non conſtituere ſolum & purum removens prohibens originale peccatum reſpectu contrariæ diſpoſitionis, quæ eſt in natura lapſa reſpectu rationis.

Confirmatur, quia ſententia S. Doctoris, ſæpiùs repetita, eſt, quod claudicatio per ſe reducitur in tibiam claudam; quoad id quidem quod habet de motu, per ſe reducitur in tibiam, & quoad id quod habet de defectu in tibiæ curvitatem. Igitur ſecundùm S. Thom. motus inordinatus claudicationis non per accidens tantùm reducitur in tibiam curvam; primum enim quod efficit curvitas eſt removere ſanitatem tibiæ. Secundum, eſt per ſe cauſare illum defectum claudicationis in quem per ſe influit tibia curva. Ad hunc ergo modum docet, quod originale peccatum primò & per ſe habet removere originalem juſtitiam; ſecundariò verò, ſeu indirectè per ſe inclinat in actum inordinatum, quem per ſe cauſat, ſcilicet ignorantiam pravæ diſpoſitionis, pronitatem in malum, & concupiſcentiam, illo modo ſupra ex S. Thoma expoſito.

Poteſt eſſe aliud exemplum ſimile, ad quod etiam advertant qui illo de removente columnam, cui lapis ſuperpoſitus eſt convincuntur. Si enim quis immediatè vim magnam imprimeret lapidi ſuperpoſito ad mittendum deorſum, & cum hac vi columnam ſimul removeret, numquid diceretur ſolùm removens prohibens reſpectu deſcenſus lapidis? Nihil minùs. Sic ergo convenit philoſophari in hac parte, quod homo per peccatum originale non ſolum fuit removens prohibens juſtitiam originalem, ſed ulterius hanc removendo, infecit, & corrupit potentias, & vires earum ad agendum bonum attenuavit, & inclinavit, ipſamque naturam in naturali ordine ad bonum valde vulneravit, unde non fuit purum & ſolum removens prohibens comparatione horum defectuum, quos nunc patitur poſt peccatum humana natura. Aliud quidem eſſet, ſi Deus ſe ſolo, ſicut originalem tribuit juſtitiam, illam ſine hominis culpa ab eo auferret, tunc certè diceretur Deus reſpectu inordinationis illius, quæ contingeret in appetitu, ſolum & purum removens prohibens, & ex conſequenti non maneret magis læſa aut vulnerata tunc natura, quàm ſi in puris naturalibus condita eſſet. Tria inducta exempla ſunt. Primum, de inæqualitate concupiſcentiæ in hominibus, exiſtente in omnibus æquali omnino peccato originali. Secundum, de Tibiæ curvitate. Tertium, de Lapide columnæ ſuperpoſito & impellente ipſum. Quartum, ex S. Thoma ſuperaddimus, qui tertia parte in materia de pœnitentia inquit, quod in illis qui à gratia per peccatum excideruntur, cum poſtea per contritionem reſurgunt, contritio illa non ſolùm eſt removens prohibens, (ideſt

pecca-

Digitized by Google

peccatum,) ut tota præcedens gratia reviviscat, sed etiam est dispositio, ut juxta illius quantitatem gratia detur. Sic ergo per oppositum, originale peccatum non solùm fuit removens originalem justitiam, verùm etiam vera causa fuit illius inordinatæ dispositionis, & deordinationis potentiarum; quia omnes deordinatæ manserunt respectu propriorum objectorum, & destitutæ recto ordine ad ipsa, ut ex S. Thoma dictum est sæpiùs.

Constat præterea hanc esse manifestam S. Thomæ doctrinam ex quæst. 85. art. 3. in corpore ubi docet expressè, *quod in infectione peccati originalis duo est considerare, primò quidem inhærentiam ejus ad subjectum, & secundum hoc, primò respicit essentiam animæ ut dictum est; deinde oportet considerare inclinationem ejus ad actum, & hoc modo respicit potentias animæ.* Quibus verbis id ipsum quod dixerat in quæst. 82. art. 1. ad 3. magis apertè declarat. Quod enim ibi dixit, *non ordinatur ad inordinatum actum directè*, hìc asserit quod primò & per se non ordinatur ad actum cum inhæreat in essentia animæ, quam privat originali justitia. Et quod ibi dixit quod *indirectè per remotionem justitiæ originalis inclinatur in actum*, hìc docet quod secundò est in voluntate, & sic illam in actum inclinat, sed quia non potest inclinare voluntatem ad actum inordinatum, nisi priùs privet animam in qua residet originali justitia, ideò dixit quod non ordinatur in actum, nisi removendo priùs justitiam originalem. In illa etiam quæst. 85. art. 3. de vulneribus inflictis naturæ per peccatum originale id planè docet, illa enim vulnera, non per accidens, sed per se inflicta fuere à peccato originali; per se quidem non primariò, sed secundariò, ut explicatum est. Nullo ergo modo Sanctus Thomas docuit, quod peccatum originale sit tantùm, & solum removens prohibens respectu vulnerum naturæ inflictorum, sed quod respectu alicujus est tantùm removens prohibens, & respectu aliorum, vera ac propria causa, & sic cessat fundamentum horum authorum, quod ex non recta intelligentia Sancti Thomæ sumebant.

Oppositio ex S. Thoma quæst. 4. de Malo.

Secundo loco inducunt S. Thomam in quæst. 4. de Malo art. 1. dicentem *quod primo homini in sua natura datum fuit divinitùs quoddam supernaturale donum justitiæ originalis, per quam ratio subdebatur Deo, & inferiores vires rationi & corpus animæ.* Ex quo planè testimonio non apparet, qua consequentia deducant easdem omnino vires habere hominem in natura lapsa, quas habiturus esset in puris naturalibus, nec deteriorem isto illum existere in ignorantia, ac difficultate. Quamvis enim non esset in homine in puris naturalibus ita perfectè subdita inferior pars rationi, sicut fuit in homine cum justitia originali (& hoc solum ex illo loco deducitur:) Tamen ex hoc inferre tam læsum, & attenuatum illum futurum, ac istum nulla ratione concluditur; quia ut manet probatum medium quoddam inter utrumque, homo ille si ita in puris naturalibus conderetur, haberet. Imò in art. 2. sequenti, si attendatur, invenient tum in corpore tum in solutione ad 1. 2. & 3. docere S. Thomam non potuisse esse in homine, si in puris naturalibus conderetur, eandem ignorantiam, & concupiscentiam, quæ ex peccato originali habetur in natura lapsa ante gratiam.

Solvitur oppositio.

In solutione enim ad 1. duplicem distinguit concupiscentiam, aliam naturalem, & aliam contra naturam hominis quatenus rationalis est, quæ nempe est præter rationem, & rationem superat, ut jam manet expositum; & hanc docet pertinere ad peccatum originale pro materiali. Sic ergo concupiscentia ista quæ est contra naturam hominis, quatenus homo est, & quatenus rationalis, non esset utique in pura natura, in qua homini convenirent illa, quæ ipsi competunt quatenus homo est, nihilque tunc haberet contra naturam. Quod magis exponens solut. ad 2. docet, quod sicut appetitus concupiscibilis naturalis est homini secundùm naturam institutam, ita, & quod rationi subdatur, homini est naturale. Quod ergo rationem superet, nec ei subdatur, sed ipsi contradicat, atque repugnet, ita quod per rationem refrænari non possit, nec est secundùm naturam institutam, nec homini naturale, ac proinde nec esset in natura in solis ac puris suis naturalibus instituta, sed potius esset contra naturam hominis si in puris naturalibus constitueretur, cùm sit proprium vulnus naturæ lapsæ per originale peccatum sibi inflictum, & materiale ipsius originalis peccati ut magis declarat in solutione ad 2.

Tertio loco objiciunt, quod S. Thom. 4. contra Gent. cap. 52. dicat in illa perfectione, in qua creatus fuit primus homo, Deum sua gratia suppleviſſe, quod ad hoc perficiendum natura minùs habebat: Ex quo concludunt, quod sine gratia esset homo in sua pura natura, cum eadem ignorantia, & difficultate, quas modò patitur in natura lapsa. Quod argumentum licet jam supra oppositum fuerit, & solutum; quia tamen in ipso quidam valdè insistunt, visum etiam illud iterum accuratiùs examinare, & illius loci Sanctissimi Doctoris veram intelligentiam tradere. Unde ad ipsum dicendum ex allatis S. Th. verbis, solùm inferri, quod non haberet homo ex sua natura, si in puris naturalibus crearetur, illam perfectam subjectionem in parte inferiori ad superiorem, quæ fuit in primo homine ex originali justitia, quam proinde subjectionem perfectam non potentem haberi ex sola & pura natura, Deus sua gratia supplevit; non tamen infertur quod haberet homo in pura natura conditus eandem corruptionem, atque læsionem, quam ex originali peccato habet in natura lapsa, cum inter utrumque illum statum detur medium, ut si prà dictum est.

Sed contra hoc possunt ampliùs urgere ex prædicto testimonio S. Th. quia in illo capite Doctor Sanctus docet, quod ex pœnis, quas homo nunc patitur, possumus certificari de culpa orig. Patitur autem, inquit, humanum genus diversas pœnas, & corporales, & spirituales; corporales sicut mortem, famem, &c. spirituales, ignorantiam, & appetitus bestiales quos nec superare potest, & postquam hoc statuit fundamentum ad probandum ex prædictis pœnis originalem culpam, ita subjungit: *Posset autem aliquis dicere hujusmodi defectus tàm corporales quàm spirituales non esse pœnales, sed naturales defectus ex necessitate naturæ consequentes. Necesse est enim humanum corpus cum sit compositum ex contrariis, corruptibile esse, & sensibilem appetitum moveri in ea quæ sunt secundum sensum delectabilia quæ interdum sunt contraria rationi: & intellectum possibilem, cum sit in potentia ad intelligibilia, nullum eorum habens in actu, sed ex sensibus natum ea acquirere, difficulter ad scientiam veritatis pertingere, & de facili propter plantasmata à vero deviare.* Et huic objectioni respondens, non negat illos defectus esse homini naturales ex conditione naturæ provenientes, sed inquit quod ad divinam providentiam & dignitatem animæ superioris, quam corpori infundebat, pertinebat, ut sine defectibus illis Deus hominem conderet, supplente gratia, quod natura præstare non poterat.

Admittit ergo Sanctissimus Præceptor hos defectus esse homini naturales ex conditione naturæ procedentes. Igitur illos haberet homo, sicut modò habet, si in puris naturalibus conderetur.

Digitized by Google

Facilè quidem ex litera hujus capitis, quis falli poteſt, niſi diligenter Doctrina S. Doctoris conſideretur. Qui autem attentiùs, & intentionem, & verba illius inſpexerit ex illo capite potius contrarium deducet; intentio enim S. Thomæ ibi fuit, non tàm de antecedente diſputare, quàm de illatione Admiſſo enim, quod omnes illi defectus eſſent homini naturales (ſicut quis concedere poſſet) adhuc intendit ratione inducta ex Divina providentia deſumpta, & animæ dignitate, quod hominem Deus cum illis naturalibus defectibus non creaſſet, ſed quod ex providentia ſua, gratia ſuppleret, quod natura præſtare non poterat; ut ſic concludat, quod defacto pœnales ſunt in hominibus; & ex conſequenti quod ex illis poſſumus de originali culpa certificari. Unde non ſequitur quod aſſertivè dicat illos omnes defectus naturaliter conſequi hominem ex neceſſitate naturæ, qui modò ſunt in natura lapſa; dico illos omnes, propter ſpirituales; nam corporales, utpote mortem, & alios ad mortem diſponentes, ſine dubio & in illo capite & ubique in Doctrina ſua docuit eſſe hominibus naturales, conſequentes ex neceſſitate naturæ, ex contrariis compoſitæ. Dixi etiam, omnes ſpirituales, quos patitur homo in natura lapſa, quia nec de illis omnibus ſupra inducta verba procedunt, ut ſtatim dicemus. De illis ergo defectibus ſpiritualibus narratis in litera ſtatim ſubdit. *Sic igitur hujuſmodi defectus, quamvis naturales homini videantur abſolutè conſiderando humanam naturam ex parte ejus quod eſt in ea inferius: tamen conſiderando Divinam providentiam, & dignitatem ſuperioris partis humanæ naturæ, ſatis probabiliter probari poteſt hujuſmodi defectus eſſe pœnales.* Et illi defectus eſſent quidem, in homine in natura pura, & modo etiam iſti ſunt pœnales ratione inducta. Alij autem, de quibus nec litera procedit qui per ſe conſequuntur ex peccato originali, non eſſent in homine ſi conderetur in natura pura, nec de illis loquitur S. Thomas, ut ſtatim dicetur.

Secundò conſiderandum de quibus defectibus ſpiritualibus loquatur, de qua videlicet ignorantia, & de qua difficultate. Planè loquitur de ignorantia puræ negationis, ut manifeſtiſſimè patet, & de difficultate qua appetitus movetur in ea quæ ſunt ſecundum ſenſum delectabilia, quia interdum ſunt contraria rationi; iſti autem defectus, licet ſint homini naturales & ex neceſſitate materiæ proveniant, non tamen ſunt illa ignorantia, & difficultas, quam modò patitur humana natura per originale peccatum; unde nec haberet homo eandem ignorantiam, & difficultatem in puris naturalibus quam modò habet, ſed quæ nunc eſt in homine, eſt illà multò deterior, quod eſt noſtrum principale intentum. Quòd ſic oſtenditur. Nam ignorantia, quæ provenit ex peccato, non eſt puræ negationis, ſed pravæ diſpoſitionis, quam & S. Th. expreſſit q. 4. de malo dicens. *Et ſic defectus intellectus etiam continetur materialiter ſub peccato originali. Qui quidem defectus eſt carentia illius ſcientiæ naturalis, quam homo in primo ſtatu habuiſſet, & per hunc modum, ignorantia materialiter continetur ſub peccato originali.* Hæc S. Th. Igitur ignorantia quam modo patitur homo lapſus eſt carentia, & privatio illius ſcientiæ naturalis quam habuiſſet, imò eſt inclinatio poſitiva intellectus ad falſum, quæ eſt ignorantia pravæ diſpoſitionis. Difficultas autem eſt pronitas poſitiva voluntatis in malum, & concupiſcentia tranſcendens limites rationis illamque ſuperans, ut ſupra ex S. Th. ſatis expendimus. Quæ ſine dubio multo deteriores ſunt, quam illi defectus, quos S. Thomas dicit poſſe prætendi eſſe naturales, ex conditione materiæ profluentes.

Tertiò attendendum quod illi defectus, quos in illo cap. 52. S. Thomas enumerat, & modò ſunt explicati, eſſent quidem homini naturales, & conſequerentur quidem ex neceſſitate matriæ, ſi homo eſſet in puris naturalibus, ita quod infans produceretur ex utero matris, ſicut nunc fit. Tunc enim, quia nec debitam corporis quantitatem haberet, etiam proportionaliter nec ſcientiam haberet, ſed eſſet tanquam tabula raſa, & in potentia ad omnia intelligibilia ut S. Th. docet apertè cum Mag. ſent. in 2. diſt. 2. q. 2. art. 2, imò in ſtatu innocentiæ pueri nati etiam uſum rationis non haberent, nec actualem cognitionem. Cæterum loquendo (ut modò loquimur) de homine quem immediatè Deus crearet perfectum in quantitate, ſicut illum creare habebat, quia Dei perfecta ſunt opera, unde proportionaliter ei uſum rationis tribuere debebat, & ſcientiam eorum, quæ ad ſe gubernandum ſecundum rationem eſſent neceſſaria; & quamvis in illo appetitus inſurgeret aliquando contra rationem, illum tamen ratio ſuperare, & reprimere poſſet. Et quod iſta ſit mens D. Thomæ præter omnia ſuperiùs allegata, in hoc capite ex ſupra allegatis videre licet. Ratio enim in qua S. Th. ſuam fundat doctrinam, & hanc probat, hæc eſt. Nam tunc & ſecundum Dei providentiam, & ſecundum dignitatem animæ ſuperioris debebat homo ille in puris naturalibus habere ſcientiam, ut ſe in puris naturalibus conſervare poſſet, & potentiam debebat habere anima ſuperior ad vincendam quamlibet appetitus paſſionem, & vires debebat habere ratio ſuperior ad gubernandam, & moderandam partem inferiorem, aliàs ſuperior pars non haberet quod ſibi proprium eſſet, quod eſſet contra Divinam providentiam & ordinem partis ſuperioris.

Ut igitur cum hac objectione concludam, tria in ſumma ſunt dicta. Primò S. Thomam, gratis admiſſo quod illi defectus ſint homini naturales, adhuc probare eſſe modò pœnales, & ex culpa quæ eſt in hominibus ſequi, non tamen aſſertivè dicit illos effectus eſſe homini naturales; ſecundò non docet illos effectus eſſe eoſdem cum illis, quos patitur homo in natura lapſa, ſed eſſe valde diverſos, unde ſemper deterior nunc eſt homo, quam tunc eſſet. Tertiò concedit quidem S. Doctor illos defectus eſſe naturales homini, ex conditione materiæ provenientes, ſi produceretur ex utero matris ſicut modò parvuli naſcuntur, non verò ſi homo immediatè à Deo conderetur in naturalibus puris, qui ſicut perfectus eſſet in corporis quantitate, ita & perfectus eſſe deberet in ratione & in ſcientia, qua ſecundum rationem viveret, potenſque appetitum reprimere, & ſine aliqua ignorantia pravæ diſpoſitionis, ac pronitate aliqua in malum, & ſine concupiſcentia tranſcendente, & dominante rationi.

Oppoſitio alia ex S. Thoma.

Indicunt ultimò evidenter Doctorem ſanctũ in 2. ſent. diſt. 31. q. 1. art. 1. dicentem quod Deus primo homini in ſua creatione dedit juſtitiam & rectitudinem originalem ſupra conditionem ſuorum principiorum & quod per peccatum ablata hac originali juſtitia, natura ſibi eſt derelicta, ut conſiſteret ſecundum conditionem ſuorum principiorum. Similiter idem confirmant ex prima 2. q. 87. art. 7. ubi dicit quod principaliter pœna peccati originalis eſt, quod natura humana ſibi relinquatur deſtituta auxilio originalis juſtitiæ. Quid eſt autem relictam ſibi naturam humanam, niſi relictam eſſe cum illis viribus, quas ſecluſa juſtitia originali, ipſa natura humana ex ſua naturali conditione poſtulabat? hæc autem omnia, & ſola ſunt, quæ homo in natura pura poſſet habere: ergo ex S. Thomæ doctrina, quantum ad vires naturales æqualitas eſſet inter hominem in natura lapſa, & in naturalibus puris, ſi ſic conderetur.

Ad

Digitized by Google

Ad quod tamen dicendum, unum S. Doctorem allatis verbis asserere, sed aliud non negare; asserit quidem relictam sibi fuisse naturam ablata per peccatum originali justitia, ut consisteret secundum conditionem principiorum; quod quidem verissimum est; sed aliud non negavit, quod alibi sæpius docuit, quod sibi mansit derelicta ut consisteret secundum conditionem suorum principiorum, corruptorum tamen, & infectorum per peccatum tale, secundum inclinationem, & pronitatem ad malum, ut eadem 1. 2. supra reliquerat explicatum, potissimè quæst. 83. art. 3. dicens. *Quod in infectione peccati originalis duo est considerare. Primo quidem inhærentiam ejus ad subjectum, & secundum hoc primo respicit essentiam animæ ut dictum est. Deinde oportet considerare inclinationem ejus ad actum, & hoc modo respicit potentias animæ.* Quid clarius? vel quid evidentius? Ecce apertè dicit inclinationem ad malum vulnerantem potentias animæ ex originali peccato resultantem, quæ inclinatio ad malum procul dubio non esset in homine, si in puris naturalibus cõderetur.

Itaque in utroque testimonio, tum ex 2. sent. tum ex 1. 2. solùm docet relictam fuisse humanam naturam post peccatum originale, secundum conditionem suorum principiorum, & secundum ea quæ ex illis principiis consequuntur ex parte radicis eorundem principiorum, ex parte, inquam, radicis eodem modo mansit post peccatum natura humana secundum conditionem suorum principiorum, ac fuisset si in puris naturalibus condita fuisset, cùm illa principia in sua radice alterata non sint; At verò ex parte impedimenti appositi per originale peccatum diminuta inclinatio ad virtutem fuit, & prona, ac inclinata ad malum, & vulnerata per illa quatuor vulnera jam explicata supra.

CAPUT XVIII.

Aliæ solvuntur objectiones ex discipulorum Sancti Thomæ authoritatibus allatæ.

INDUCTI præterea sunt ex S. Thomæ Discipulis Capreolus in 2. dist. 30. q. 2. art. 1. Caiet. 1. 2. q. 85. art. 3. ad 2. dubium & q. 109. art. 2. Conrad. ibi, atque Mag. Medina cum Ferra. 4. cont. gent. cap. 52. Soto lib. de natura, & gratia cap. 13. Ad quos omnes primò supradicta resolutione generaliter respondere possumus, nihil aliud eos sentire, quàm quod modò ex S. Thomæ doctrina manet explicatum, dixisse nempe peccatum originale esse quidem removens prohibens quantum ad aliquid, non autem esse purum, ac solum removens prohibens quoad omnes defectus, quos patitur modò genus humanum post ruinam. Et quando Medina dicit hanc esse communem Theologorum sententiam, juxta hunc modum debet intelligi id dixisse, & non aliàs licet id ipse non satis explicaverit. Hæc sit pro omnibus generalis responsio. Similiter, cum dixit quod homo in puris naturalibus, & homo in natura lapsa habet se sicut homo nudus & nudatus intelligit quãtũ ad illa dona gratuita, respectu quorum se habent sicut nudus, & nudatus; non autem quod respectu omnium se habeant solùm sicut nudus, & nudatus. Et similiter cum dicuntur habere æquales vires, debet intelligi respectu donorum gratuitorum. Quod si Medina aliud sentiat, ut ejus verba significare videntur, manifestè contra sententiam sancti Thomæ, S. Augustini, & veritatem ipsam satis supra fundatam, & approbatam id dicit. Unde nullo modo sustinendus est.

Sed ad particularia eorum dicta descendamus, & potissimè Capreoli, & Caietani, quibus potissimè illa à nobis supra impugnata sententia principaliter tribuitur. Et quidem Capreolus, licet in citato loco conclusione prima, ex Sancto Thoma probet peccatum originale secundum se esse removens prohibens, ac proinde asserat defectus corporales & spirituales, qui modo sunt in natura infirma, uno modo esse pœnales & alio modo connaturales: id tamen intelligit & de corporalibus, & etiam de spiritualibus, idest de motibus appetitus sensitivi, qui insurgerent præter rationem, nisi impedirentur à justitia originali, non tamen intelligit de ignorantia seu excæcatione mentis, & inclinatione ad malum seu malitia voluntatis, quia de istis, quæ sunt verè vulnera per originale peccatum toti humanæ naturæ inflicta, loquens in eodem 2. dist. 29. art. 3. expressè tenet non potuisse esse connaturalia naturæ ex sua institutione; imò hoc reputat, si dicatur, multùm accedere ad insaniam Manichæi ponentis humanam naturam ex sua prima institutione ex commixa substantia mala inclinatam esse ad malum. Unde cum Gregorio sic concludit: *Malum itaque velle, non ex naturæ suæ conditione bona habuit tamquam ex congenito malo, ut Manichæus credidit, sed ex accedenti desiderio pravo concepit: quod à radice vitiata, omnis ex illo orta natura humana propago contraxit.* Vitiatam radicem vocat Adam. Et paulò infra, *Nam Manichæus voluit quod pro omni statu suo, postquam fuit condita humana natura, semper fuit determinata ad malum, ita ut non posset vitare malum, & hoc quidem inerat sibi non ex vitio contracto ex aliqua culpa voluntariè commissa, sed ex ipsa natura quadam, & substantia materiali: ex qua dicebat naturam humanam essentialiter esse compositam, nec dicebat nos ignorantiam, & difficultatem contrahere ex peccato originali &c. Ego autem dico,* inquit Capreolus, *quod natura humana condita fuit bona, & absque vitio, & talis quod poterat peccare, & non peccare, & per peccatum primi hominis, in quo juxta Apostoli doctrinam omnes peccavimus, nos cum vitiis nasci.* Hæc contra Manichæum dicit Capreolus. Et licet in hoc Manichæum impugnet, quod de facto in primo parente sic conditam dicebat esse naturam cum determinatione ad malum: Minus tamen dubium est, quin etiam neget humanam naturam ex conditione suæ institutionis, quomodocunque condatur in puris & nudis naturalibus suis, posse oriri cum inclinatione & determinatione ad malum, quia tunc ratio Manichæi prævaleret, quod videlicet ex materiali substantia, & ex qua natura essentialiter componitur, habet hanc conditionem quod sit ad malum determinata. Imò ex eo Manichæus de facto sic dixit conditam in primo Parente, quia putabat quod ex conditione sua intrinseca habebat humana natura quod sic condatur cum determinatione ad malum. Si autem natura condita in puris naturalibus, esset ex conditione sua intrinseca prona, & inclinata ad malum, constat quod ex naturæ suæ conditione inclinata ad malum esset; nam illa naturalis inclinatio ad malum aliquomodo determinatio naturalis esset ad malum. Semper ergo Capreolus negavit pronitatem ad malum, seu inclinationẽ ad malum, esse connaturalem homini quomodocumque in suis puris, & nudis naturalibus condatur; & semper asseruit ex vitiata oriri natura per peccatum originis talem pronitatem ad malum. Igitur ut uno verbo concludam nunquam Capreolus dixit, errorem, seu ignorantiam intellectus, & pronitatem voluntatis ad malum, & concupiscentiam superantem rationem, cum videlicet vehemens est, esse connaturales defectus naturæ humanæ, sed potiùs asseruit eos tantum ex peccato originali processisse, ita quod illi non essent, quandiu natura duraret in suis solis, & puris naturalibus condita, absque omni peccato videlicet.

Eadem

Digitized by Google

Eadem omnino mens & intelligentia est Caietani, sed quia nimis quidam insistunt in verbis ipsius in particulari oportet ejus in hac parte sententiam aperire. Duo inducunt testimonia ex ipso, alterum ex 1. 2. q. 85. art. 3. dub. 2. ubi videtur asserere, quod ideo mors est homini naturalis, quia natura humana secūdū corp⁹ est naturaliter cōpositа ex contrariis (qua esset sine dubio, si in puris & solis naturalib⁹ conderetur) ita quia secundū animā est constans naturaliter ex cōtrariis appetitib⁹, ideo inordinatio animę est illi naturalis, ac per consequens esset in illa si in puris naturalibus condita esset. Utraque tamen tàm mors, quam inordinatio animæ, est pœna peccati per subtractionem illius harmonię ex justitia originali venientis quæ utrumque defectum impediebat; Ex quibus principiis ita concludit. *Est igitur humana natura sibi derelicta, sublata originali justitia, vulnerata, ac per hoc infirma in naturalibus, ideſt in his quæ sunt secundum naturam, ideſt in habilitatibus ad virtutis bonum, & hoc per appositionem.* En inquiunt, manifestè Cajet. dicens esse vulneratam naturam in illa harmonia, quę tribuebatur à justitia originali, quæ harmonia erat secundum naturam hominis, & propterea posset dici naturalis, & salvatur per hoc, quod homo per peccatum originale sit in naturalibus vulneratus.

Cæterum si quis legat ibi Caietanum, inveniet ipsum potius totum oppositum expressè asserere, triplicem enim ibi constituit vulnerationem, & triplicem naturæ integritatem. Postquam enim prædictam primam vulnerationem, eo modo quo relata est, expressit, continuò subjungit integritatem primam, dicens, *Integra autem in naturalibus, ideſt in natura & his, quæ sunt à natura, ideſt principiis & potētiis & inordinationibus ex parte subjecti, quia nihil per subtractionem ablatum est. Et hoc modo in natura sibi derelicta remanere naturalia sufficit, & salvari integra.* Et immediatè apponit aliā secundā vulneratione (ad quam prędicti authores attendere debebāt, nec ad illā oculos claudere) quā sub his verbis adhibet: *Est quoq; natura humana vulnerata & infirma secundū naturā rationalem ut sic. Est autem in naturalibus integra, secūdum utriusque mixtionem naturæ, scilicet rationalis, & sensitivæ.* Si præter illam primam vulnerationem, qua fuit natura vulnerata in illa naturali harmonia resultante ex originali justitia (quæ harmonia dicitur naturalis, ac propterea vulnerata dicitur in naturalibus.) aliam secundam vulnerationem expressè constituit, qua vulnerata est natura secundum quod est rationalis ut sic, necesse est quod hanc secundam vulnerationem ex peccato provenientem non haberet natura condita sine illa harmonia, si conderetur rationalis ut sic. Imò integritatem ponit in natura rationali ut sic, ideſt condita in puris, & solis naturalibus. Et postea superadhibet aliam tertiam vulnerationem, nempe secundum naturam donatam gratia justitiæ originalis per spoliationem ipsius, quæ minus nostrum tangit institutum. Constat igitur manifestè Caietanum non solùm tenere per peccatum originale vulneratam & infirmam fuisse naturam in illa plena rectitudine naturali, quam originalis justitia tribuebat, nec solum fuisse læsam comparatione harum virium, quas homo primus tunc habuit per illam primam harmoniam perfectam naturalem, sed etiam verè læsam, infirmam, & vulneratam respectu rectitudinis quæ naturalis est naturæ rationali ut sic, ideſt in inclinatione ad virtutem, quam ex S. Th. dicimus homini esse naturalem, qua parte rationalis est. Et ex consequenti constat apertè magis infirmum & vulneratum posuisse Caietanum hominem in natura lapsa, quam si rationalis ut sic in natura pura conderetur. Itaque tres infirmitates, & tres integritates illis oppositas Caiet. constituit; Primam integritatem, per gratiam cui opponitur infirmitas per privationem gratiæ. Secundā per originalem justitiam cui opponitur infirmitas per ablationem illius harmoniæ, quam tribuebat justitia originalis. Tertiam per sanitatem naturalem ipsius hominis quatenus rationalis est, & huic opponit infirmitatem & vulnerationem secundum rationalem naturam.

Hoc dicit satis clarè 1. 2. q. 85. art. 3. dub. 2.

Et hoc ipsum expræssiùs declaratum præmiserat eadem 1. 2. q. 82. art. 1. in resolutione dubij 3. cum enim in illo dubio quæsiisset, an languor qui est in natura lapsa, sit per respectum ad naturam nostram absolutè; an verò ad ipsam donatam justitia originali. *Ad 3. dubium* (inquit) *dicitur quod peccatum originale est languor naturæ etiam absolutè: quoniam consistit in contraria dispositione non solum justitiæ originali sed sanitati naturali ipsius hominis in quantū rationalis est.* Nihil certe clarius dicere potuit ut ostenderet non solùm peccatum originale læsisse naturam in illo vigore quem ei dabat originalis justitia, verùm etiam in illa sanitate naturali, qtæ ei competit quatenus rationalis est in pura sua natura. Et rationem reddit manifestam, quia languor ex peccato originali relictus, dicit contrariam dispositionem naturali sanitati naturæ rationalis, quatenus rationalis, quæ contraria dispositio (ut est manifestum) non esset in homine rationali condito in natura pura. Et rursus idem ex eo probat quod harmonia illa virium animæ, quæ fuit in primo Parente, tributa per originalem justitiā, erat naturalis, quia erat secundum naturam hominis; quia naturale ut habetur in 2. Phisic. dicitur de eo quod est secundum naturam, unde adhæc verba suddit. *Constat enim secundùm naturam nostram, qua rationales sumus, esse bonum secundum rationem in omnibus partibus animæ rationalis participibus, ut Dionysius in 4. cap. de divin. nominibus dixit; Naturalia autem & si non sint ablata à nobis sunt tamen infirmata, sed de hoc infrius.* Proculdubio nec nos, etiamsi vellemus, clarioribus verbis, id possemus explicare. Distinguit namque naturam nostram ab illa harmonia tributa per originalem justitiam, & illi sic distinctæ planè asserit esse naturale vivere secundum rationem. In quibus naturalibus docet manere infirmam per originale peccatum, conformiter ad ea quæ ex Sancto Thoma explicata sunt supra.

Et per hoc patet ad 2. testimonium, quod ex ipso Caiet. opponunt ex 1. 2. q. 109. art. 1. 2. & 3. ubi dicit peccatum originale fuisse removens prohibens, & hominem in natura lapsa, & in puris naturalibus distingui sicut nudatum, & nudum, & utrumque æquales vires habere. Quē locum pro magno opponunt, minùs consideratis aliis modò ex ipso relatis, per quæ proinde venit explicandus & intelligendus; quod nempe intendat in ordine ad corporis mortem, & in ordine ad hoc quod est in appetitu passiones consurgere, peccatum originale fuisse solum removens prohibens, cum ista non minùs futura essent in puris naturalibus, quam nunc sint in natura corrupta; & comparatione horum præcisè non differre magis hominem in puris naturalibus, & in natura lapsa, quam nudum, & nudatum; atque per respectum ad illa tantùm æquales vires utrumque habere, non autem in ordine ad alia, quæ superiùs satis sunt explanata. Similiter dicit quod uterque habet æquales vires respectu operationum supernaturalium, & aliarum provenientium ex justitia originali; nec enim unus magis quam alius respectu harum operationum poterat operari, sed æqualiter se habent ad ista in viribus suis. Et hanc esse ejus mentem constat ex illo fundamento, quo ait peccatum originale fuisse removens prohibens, dicens ubique in doctrina sua, quod sicut corpus hominis naturaliter constat ex contrariis elementis, ita secundum animam est compositus homo ex contrariis appetitibus; unde sicut mors est naturalis homini, ita est ei

Digitized by Google

naturale quod quilibet appetitus tendat in propria, & consequenter tam mors, quam tendentia appetitus in propria impediebantur per justitiam originalem; & illâ sublatâ per peccatum resultant in natura illa duo, sicut essent in homine in puris naturalibus. Hoc est ubique Caietani fundamentum tum 1. 2. q. 109. appositoloco, tum 1. 2. q. 85. art. 1. & alibi sæpe. Manifestum est autem hoc fundamentum solùm procedere respectu mortis & tendentiæ appetitus in propria; ergo solùm compatationi horum dicit fuisse originale peccatum removens prohibens, non autem respectu erroris in intellectu per pravæ dispositionis ignorantiam, nec respectu malitiæ voluntatis, ideſt pronitatis in malum, nec respectu concupiscentiæ ita tendentis in proprium objectum, ut superet rationem, ita quod ei ratio nequeat resistere; quia respectu languorum horum non semel constituit Caietanus læsam naturam, nedum in naturalibus viribus tributis ab originali justitia; sed etiam in viribus naturalibus, quæ vires, naturales sunt homini quatenus rationalis est ut sic, & secundum se absolutè consideratus in sua pura natura. Unde manifestè duplicem vulnerationem circa naturalia cognoscit, & tradit, admittens respectu naturæ rationalis ut sic, & absolutè consideratæ sine originali justitia, contrariam dispositionem per peccatum originale manere in natura lapsa, quam apertè negat competere homini quatenùs rationalis est, & secundùm se consideratur sine originali justitia & sine peccato.

Quod si opponant. Quod Caietan. cit. quæst. 109. art. 1. 2. 3. dicit quod quantum ad sufficientiam naturæ humanæ ad opera naturæ proportionata, idem est judicium de natura in puris naturalibus, & in natura lapsa: potissimè quia ibi dicit, quod nomine naturæ integræ, de qua loquitur S. Th. non venit intelligenda natura in puris naturalibus ob rationem factã.

Ad hoc dicendum quod intelligit idem esse de utraque judicium, quantùm ad aliqua opera naturæ proportionata; non vero quantum ad omnia, aliàs sibi ipsi contradiceret, ut ex citatis constat testimoniis ipsius. In ordine, inquam, ad aliqua; quia sicut homo in natura pura posset operari aliqua bona moralia, ita eadem potest homo lapsus; non autem quantum ad omnia, quia ille poterat facere omne bonum opus morale etiam difficile; iste autem solis suis infirmis viribus minus potest. Quod verò ait non intelligi apud S. Thomam nomine naturæ integræ naturam in puris naturalibus, intelligit, quod non ita primò & per se ac principaliter, nomine naturæ integræ intelligitur natura in puris naturalibus, sicut intelligitur natura cum justitia originali. Unum fateor Caietanum minùs verè dixisse, dum distinguit statum naturæ rationi consonum contra statum naturæ in suis puris naturalibus; quasi iste non sit status rationi consonus, antequam in peccatum labatur, cum sit status hominis rationalis secundum quod rationalis est, cui competit inclinatio ad rationem, & ad bonum rationis, ut S. Thom. citatus docuit, imò & Caietanus ipse inductis supra ex ipso testimoniis.

Pari ratione intelligendi sunt Conradus atque Medina, & Mag. Soto locis inductis, qui nihil aliud dicunt, quàm Caietanus (ex quo potissimè illi duo Thomistæ moderni suam sententiam sumpserunt) item Vega & Pighius. Nihil enim aliud intendunt quam respectu mortis, & illius motûs concupiscentiæ insurgentis præter rationem, fuisse originale peccatum solùm removens prohibens; non verò respectu aliorum, qui verè languores sunt. Verùm est quod non ita potest commodè explicari Ruardus Tapert inductus, propter illam universalitatem quam facit, dicendo quod omnia quæ patimur, (inter quæ enumerat ignorantiam) essent in puris naturalibus.

Unum tamen addendum: hanc sententiam (nimirum, quod homo per originale peccatum fuerit vulneratus in naturalibus præter spoliationem omnium gratuitorum, ita quod multo magis in illis naturalibus viribus læsus sit, quàm homo si conderetur in naturalibus puris) ita apertè, & repetitis verbis priùs docuisse Magistrum sent. ex doctrina Sanctorum Patrum, potissimè Sancti Patris Augustini, ut mirandum sit, quod ij authores, cum quibus agimus, nullam mentionem fecerint ipsius Magistri, sed illam tantum Gregorio Ariminensi attribuerint. Verba Magistri sent. sunt in 2. dist. 25. quæst. 1. littera D. *Per illud namque peccatum scilicet originale naturalia bona corrupta sunt in homine, & gratuita detracta: hic est enim ille qui à latronibus vulneratus est, & spoliatus, vulneratus quidem in naturalibus bonis, quibus non est privatus; alioquin non posset fieri reparatio, spoliatus vero gratuitis, quæ per gratiam naturalibus addita fuerunt. Hæc sunt data optima, & dona perfecta, quorum alia sunt corrupta per peccatum ideſt naturalia, ut ingenium, memoria, intellectus. Alia subtracta id est gratuita, quamque & naturalia ex gratia sint: ad generalem quippe Dei gratiam pertinent. Corrupta est ergo,* inquit, *per peccatum libertas arbitrij, & ex parte perdita.* Quam suam sententiam ibi ex S. P. August. probat ex loco supra à nobis ex S. Patre inducto, cum ex eo hanc sententiam fundavimus. Quid clariùs potuit Mag. sent. ex mente S. P. August. tradere aut distinctiùs explicare.

CAPUT XVIII.

Soluuntur objectiones aliæ ex authoritate Patrum tùm Græcorum, cùm Latinorum petita.

AD ea, quæ ex Sanctis Patribus, tùm Græcis, tum Latinis insi per addiderunt, non oportet respondere, quia SS. Patres illi citati, & plures alij quos poterant inducere nihil quod illorum faveat sententiæ penitus tradiderunt. Solùm namque docent id quod certissimum est, creatum fuisse primum parentem in gratia justificante, atque justitiam originalem non fuisse naturæ debitam, sed gratuitam, & supernaturaliter ei concessam. Ex hoc autem constanti certoque principio nec licet inferre per peccatum originale, quod hominem privavit illa sanctitate atque justitia, non fuisse hominem læsum etiam in illis naturalibus suis, quæ ei competunt quatenus rationalis est, ideſt in inclinatione ad virtutem, quæ homini est naturalis quatenus rationalis est, ut copiosè fuit dictum. Quinimò iidem Sancti Patres pro comperto habent, per illum hominem, qui descendebat ab Hierusalem in Hiericò, spoliatum à Latronibus, & plagis impositis semivivum relictum, intelligi primum parentem, per peccatum originale & spoliatum fuisse in gratuitis, & semivivum relictum in naturalibus, ideſt in illa inclinatione ad virtutem homini naturali.

Ad primum autem quod ex ratione opposuerunt, non nos, sed ipse S. Thom. in pluribus locis respondet 1. 2. quæst. 82. art. 3. & 83. art. 2. & 85. art. 3. & quæst. 4. de malo art. 2. ad 1. & 12. quod considerando hominem quatenùs est animal, sic naturale est ei quod appetitus sensitivus feratur in delectabile secundùm sensum, communiter loquendo; considerando verò illum, quatenus homo est ideſt rationalis, naturale est ei quod concupiscibilis feratur in delectabile secundùm ordinem rationis; quando autem ferretur in appetibile contra rationem, cui ratio resistere non posset, hoc ei esset contra naturam, ut manifestò

Digitized by Google

nifestè docuit S. Doctor. Itaque ferri in delectabile, inferiorem appetitum sensitivum, quod interdum est præter, aliquando contra rationem, est homini naturale quatenùs animal est, ut citatis locis S. Thom. docet, ferri verò in tale appetibile contra rationem, ita quod ei ratio non possit resistere, contra naturam hominis est, quatenùs rationalis, ac contra naturam partis superioris; ac proinde in pura natura absque omni peccato non esset: in quo statu ex sui institutione nihil homo contra naturam haberet, sicut id modò ex peccato originali habet, ut matèriale illius.

Ad secundùm mirandum quomodo causam inquirat arguens corruptionis, & infectionis naturæ, cùm illa sit apertissima, originale nempe peccatum, quod habet & hominem spoliare gratuitis, & vulnerare in remanentibus naturalibus, inclinando potentias ad malum, quod est materiale ipsius, ut ex S. Thom. illa quæst. 83. ex 1. 2. & ex aliis locis declaratum est. Proponebat quidam aliquando S. Doctori Augustt. atque dicebat, per quas rimas inter tot præsidia innocentiæ, peccatum fuisset ingressum? Cui protinus Respondit S.P. & Doctor: *Quid quaris latentem rimam, cum habeat apertissimam januam?* Ita & nunc respondere possumus. Quid quæris causam infectionis & læsionis naturalium virium ad bonum, cum illam habeas apertissimam nempe originale peccatum, quod sicut pro formali privat originali justitia, ita pro materiali inclinat animæ potentias ad malum?

Sed, ut hanc causam ipse præluderet opponit tertiò, quod sicut per actuale peccatum non potest quis inclinari in omnia peccata, sed in simile illius quod commisit; ita nec per originale; unde generalis illa concupiscentia quæ est in natura lapsa, non in originale peccatum, sed in conditionem naturæ refundenda est.

Ad quod dicimus etiam de hoc esse mirandum, quod, non in originale peccatum sed in conditionem, & institutionem naturæ, inclinationem illam ad malum, & pronitatem ad omnia peccata velit refundere. Si enim nec peccatum actuale, secundùm ipsum, hoc potest efficere; quantò minus conditio, & institutio naturæ, quæ sine dubio bona est, & à Deo authore naturæ producta, illud efficiet. Respondetur ergo, quòd nec actuale peccatum, nec originale expressè, & in particulari hominem reddit pronum, & inclinatum ad omnia peccata; cum enim peccata sint contraria peccatis, ad ista contraria non est in peccatore homine expressa pronitas aut inclinatio, sed per originale peccatum pronus efficitur homo ad bonum delectabile, contra rationem captivantem hominem in lege peccati; & iste est fomes peccati. Ex quo facile omnia peccata possunt oriri, hæc tamen, vel illa faciliùs oriuntur, quæ sunt magis huic homini quàm alteri propter diversam complexionem conformia. Et hoc prædicto modo, & non alio dicitur homo ex originali peccato ad omnia peccata pronus, seu inclinatus, & ad vitia propensus. Est etiam hic distinguendum de aversione, & conversione. Quamvis enim nec quis per actuale peccatum, nec humanum genus per originale sit in particulari, & expressè conversum in omnia peccata, est tamen aversus à Deo authore supernaturali, & authore naturæ, & ab omni virtute. Unde concupiscentia sic aversa ab omni virtute, facile potest in omne vitium & peccatum inclinari, & iste est fomes peccati.

Ad quartum dictum est supra, non fuisse diminutas vires naturales in homine per originale peccatum per substractionem alicujus principij, vel realis ac physicæ perfectionis, nec ex parte radicis, nec etiam per additionem alicujus morbidæ qualitatis, aut habitus, vel realis alicujus dispositionis, sed tantùm per appositionem impedimenti & peccati, quod diminuit inclinationem naturalem ad bonum, ex parte termini. Et ut clariùs dicamus, inclinatio ut destituta ordine ad bonum, eo ipso manet inclinata in malum.

Sed iterùm instant quod originale peccatum nihil positivum est, sed est mera privatio originalis justitiæ ut constat ex S. Thom. 1. 2. quæst. 82. art. 3. ergo additio illius impedimenti dicti, non est alicujus rei additio.

Ad hoc dicendum, secundùm rationem formalem, seu pro formali non esse originale, puram & meram privationem, nec hoc unquam S. Thom. dixit, sed totum contrarium expressè docet 1. 2. quæst. 82. art. 1. in corpore, & solut. ad 1. pro materiali verò consistit originale peccatum in positiva inclinatione ad malum, & in infectione potentiarum, & in prava inclinatione ad actum pravum. Inclinatio enim voluntatis destituta ordine ad bonum proportionatum eo ipso manet inclinata ad malum sine aliquo habitu, vel qualitate superaddita.

Sed adhuc opponunt quod secundùm S. Thom. etiam actuale peccatum non minuit bonum naturæ, nisi quando aliquem habitum generat, qui habitus, cum ab originali peccato non generetur, bonum naturæ non potest minuere.

Ad quod dicendum falsum esse & contra sententiam S. Thomæ in illa quæst. 85. ex 1. 2. & quæst. 82. & aliis in locis, quod actuale peccatum mortale non diminuit naturæ bonum, nisi quando habitum generat; quia aliàs talis peccator non diceretur conversus in bonum commutabile: manet ergo ille verè in bonum commutabile inclinatus, licet non habitualiter seu per habitum; virtualiter tamen in virtute actus præcedentis. Per peccatum itaque originale, pro materiali ejus, etiam manet virtualiter inclinatus & conversus in bonum commutabile; cum maneat verè aversus ab incommutabili bono.

Ad quintum & ultimum Respondetur optimam esse illam rationem. Quod videlicet, si in puris naturalibus ista infectio & pronitas in malum in homine esset, Deo authori naturæ videretur tribuenda. Et ad argumentum, quo illud infringere laborant, dicendum posse quidem Deum ad vitam revocare hominem mortuum, cui jam dimissum fuerat originale, quod nullus poterit inficiari, cum id de facto fecisse non obscurè ex sacris literis deducatur, etenim Lazaro, quem Christus Dominus suscitavit, dimissum per circumcisionem creditur originale. Verum & potest Deus mortuum hominem suscitare, qui cum solo originali decesserit, & etiam eum qui cum originali & actualibus obierit. Quis enim dubitet posse eos Dominum ad vitam revocare; & ad probationem, quod licet ille non posset non peccare, non tamen Deo resuscitanti peccatum tribueretur, vel illa pronitas ad peccandum: ita nec Deo creanti tribueretur. Respondetur quod si homo, qui suscitatur, mortuus fuerat in gratia, etiam in gratia resurgeret, & per eam posset non peccare; si autem mortuus fuerit in originali solùm; vel Deus resuscitans ipsum, ab illo mundaret, vel si cum peccato resurgat, Deo nullo modo tale peccatum imputaretur, sed sibi & primo parenti à quo illud contraxit. Et pari ratione idem dicendum de illo, qui resurgeret in peccato actuali, quod Deo resuscitanti peccata illa non tribuerentur, sed ipsi homini, qui illa, suâ propriâ voluntate commisit. Etenim Deus tunc resuscitaret hominem, sicut illum inveniret, unde non posse non peccare soli homini tribueretur. Et ratio est manifesta: quia cùm anima illius hominis peccatum originale vel actuale haberet, illam jungendo cum corpore per resurrectionem, cum peccato, quod ex se vel ex primo parente haberet,

Digitized by Google

jungeretur. Sicut in generali resurrectione de facto eveniet. Cæterùm in actione creandi, diversa omnino est ratio, quia enim nihil in tali homine antea præsupponitur, nec pravam illius voluntatem inclinatam ad malum ex sua nequitia possimus imaginari, nec ex originali culpa parentum, si ille homo cum malitia morali, & pronitate ad malum crearetur, necesse esset illius pronitatis causam inquirere, nec aliam possemus invenire nisi Deum creantem, unde illi, conditus homo cum malitia congenita tribueretur, ut de Angelis S. Thom. docet, quos hac sola ratione non potuisse peccare in primo instanti creationis suæ defendit, nempe videlicet peccatum ipsi authori naturæ creanti esset tribuendum.

Dubitabit forsan aliquis, an si Deus hominem habentem originale vel actuale annihilaret, & iterum illum reproduceret, ille cum peccato reproduceretur, & si sic reprod. ctus esset, Deo peccatum illud aliqua ratione posset attribui, cum jam totaliter fuisset annihilatum in annihilato homine illo. Ad hoc probabilius dicendum videtur, quod sine peccato reproduceretur homo talis, ne aliqua ratione posset quis peccatum reproductum, Deo reproducenti hominem adscribere. Dato autem quod cum peccato reproduceretur, quod minùs credibile est, adhuc tale peccatum Deo reproducenti non tribueretur, sed priori malæ voluntati hominis vel primi parentis, tunc enim Deus reproduceret eundem hominem cum omnibus accidentibus, quæ antea ex sua vel parentis mala voluntate habuisset. Unde peccatum tale non sequeretur nec directè, nec indirectè ex actione Dei reproducentis, sed ex priori mala voluntate hominis. Quare nec esset simile de Angelis, qui in primo instanti, ut diximus, si peccarent, Deo attribueretur peccatum illud; quia tunc nulla præsupponeretur prior actio, ad quam peccatum consequeretur, unde sequeretur ad actionem creantis, quod in casu præsenti non est.

CAPUT XIX.

Patris Molinæ rationes, & de peccato originali sententia discutiuntur.

HUcusque illorum sententiam tractavimus, qui expressis verbis asserebant, secluſa formali ratione culpæ originalis, ita in potentiis infectum hominem, si in pura natura conderetur, ac lapsum. Nunc ad P. Molinam qui graviora verba proponit, nec ita culpam formalem originalem expressit, oportet devenire, & illius verba attentiùs considerare.

Ut autem commodiùs P. Molinæ sententiam denudare valeamus, fundamentalem illam primam Molinæ assertionem, quam de verbo ad verbum ex ipso transcriptam reliquimus supra, hic in substantia resumemus. In ipsa namque primò habet quod post primi hominis peccatum, rectè genus humanum fuit donis supernaturalibus spoliatum. Secundò quod naturales vires destitutæ fuere eo vigore, quem originalis justitia tribuebat. Tertiò quod eædem vires naturales tales secundùm se manserunt quales illas essemus habituri, si in puris naturalibus conditi fuissemus. Quartò quod naturalia, sive in nobis, sive in Angelis post peccatum integra manserunt. Quintò. Hanc solam esse differentiam inter naturam lapsam sine donis gratiæ & eandem si in puris naturalibus condita fuisset, quod exclusio à gloria carentia gratiæ & justitiæ originalis habent propriè rationem privationis respectu naturæ lapsæ, non autem respectu naturæ conditæ in puris naturalibus. Sextò quod tùm carentia gratiæ, & justitiæ originalis, tùm exclusio à gloria, tum etiam rebellio passionum, mors, & defectus, cæteri mortalitatis hujus habent propriè rationem pœnæ comparatione naturæ humanæ post peccatum primi parentis, non verò comparatione ejusdem naturæ si in puris naturalibus esset condita. Septimò quod in prædestinatione, & reprobatione parvulorum solùm agitur de donis gratuitis consequendis vel amittendis, non autem in prædestinatione, & reprobatione adultorum. Ultimò concludit hujus doctrinæ author, quod post diem judicij, cum animæ parvulorum, qui cum originali decesserunt, fuerint suis corporibus restitutæ, meliorem vitam ducent in perpetuas æternitates absque omni vitio mentis & corporis, quam ullus unquam duxerit. Hæc sunt in substantia quæ verbis expressis dicit prædictus author in principio, & in fine doctrinæ suæ, & sicut fundamentum constituit. Addit tamen in quæst. 25. art. 4. & disp. 9. ex qua hæc ultima verba desumpta sunt, alia in hunc modum: *Quod parvuli propter aliena tantum demerita ad ipsos derivata, nempe propter peccatum, non sua, sed primi parentis voluntate commissum, ad ipsosque naturali propagatione transfusum, eisque inhærens reprobantur.*

Hæc autem omnia ejus verba summa attentione consideranda sunt, atque expendenda, ne facilè quis decipiatur. Quamvis enim in ultimis verbis, peccatum originale transfusum in parvulos propagatione fateatur, illisque inhærere affirmet; antecedentia tamen omnia, si inspiciantur, cum istis minimè cohærent. Unde sicut S. P. Augustinus dicit lib. de gratia Christi in principio: *Qui hoc audit, & sensum ejus ignorat, quem tamen priora verba declarant, hoc putat eum dicere quod veritas habet, qui autem ad omnia attendit, debet habere etiam ista verba suspecta;* quia & si peccatum originale transfusum propagatione, parvulisque inhærens fateatur, potest huic sensui ista verba coaptare, ut sentiat peccatum illud non in ratione veræ culpæ, sed pœnæ dumtaxat in parvulos propagatione fuisse transfusum, eisque inhærere, sicut priores quidam, qui divinam gratiam oppugnarunt, dixerunt, ut fuit Julianus, Cassianus, & Faustus. Si nihil aliud antecedenter dixisset, sed simpliciter fateretur in parvulos transfusum propagatione originale peccatum eisque inhærere, id videretur affirmare quod veritas habet, videlicet illud peccatum in ratione veræ culpæ in illos fuisse transfusum. Cæterùm antecedentia verba, imò totus contextus doctrinæ ipsius prohibet istum sensum illi adscribere. Si in tota sua doctrina principia non constitueret, ex quibus deducitur illum occultè peccatum originale detrahere, nullus auderet hoc ipsi tribuere. Si in omnibus aliis benè de Dei gratia loqueretur, nec illam impugnaret, intelligeretur etiam benè in illis verbis de peccato originali sentire. Ab authore autem qui gratiam Dei negat, licet eam apertè impugnare non audeat, nec expectandum est quod rectè de originali peccato loquatur. Non ergo sufficit dicere peccatum originale propagatione fuisse transfusum in parvulos, eisque inhærere, potest enim etiam hoc esse ambiguum, an de peccato in ratione verè culpæ, an in ratione tantùm pœnæ dicat esse transmissum. Et ut uno verbo dicam, apertam confessionem peccati originalis audire desideramus absque æquivocatione aliqua, & ambiguitate verborum; satis enim dici non potest quantum cupiamus in istius authoris scriptis, & aliorum, qui ejus tenent doctrinam, apertam confessionem audire, tum divinæ gratiæ, quam commendat Apostolus, tum peccati originalis, quod in omnes homines transfusum est, ut vera culpa cuique inhærens, ob quam filij iræ constituuntur, & à qua per regenerationis lavacrum abluuntur. Cavillationes enim, & latebræ,

Ex S. P. Aug. epist. 143.

Digitized by Google

bræ, quibus se involuebant antiqui illi, qui gratiam Dei oppugnabant, & qui ex consequenti peccatum originale negabant, esse verè ac propriè culpam in parvulis, nos reddunt cautiores, ut cum modò audimus peccatum originale transfusum in parvulos propagatione, eisque inhærere, ab authoribus, qui de gratia Dei non rectè sentiunt, hoc minimè sufficere in eis arbitramur. Quibus enim verbis exterioribus dumtaxat antiquitùs à Pelagio, Celestio, Juliano, Fausto, atque Cassian. originale peccatũ publicabatur? Pelagius anathematizavit eos, qui dicunt originale peccatum tantum Adæ nocuisse, & non toti humano generi. Anathematizavit etiam eos, qui dicunt parvulos sine Baptismo in eo statu esse, quo fuit Adam ante peccatum. Quæ verba significare videntur peccatum in ratione verè culpæ esse in parvulis, non minùs quàm significant hæc alia, quod videlicet originale peccatum inhæret parvulis, in eisque propagatione transfusum est, & tamen in illis propter verborum ambiguitatem, fefellit Pelagius Judices in Synodo Palæstina.

Similiter Celestius, atque alij similes dicebant debere parvulos baptisari ut intrarent in regnum Cœlorum. Quæ verba, antequam comprehenderetur ipsorum falsus sensus à principio, Sanctum Patrem Augustinum movebant, ut sentiret illos verè peccatum originale confiteri: cæterum postea omnibus ipsorum verbis consideratis, & æquivocationibus deprehensis, manifestum fuit illos veram culpam, animæ parvulorum inhærentem non fateri, sed confiteri tantùm necessarium baptismum propter ingressum regni Cœlorum, non autem propter peccati maculam abluendam, quam negabant: Ac tandem quod multò magis est, refert S. P. August. antiquos illos errantes affirmasse parvulos per Baptismum esse redemptos, & redemptionem communem participare, & adhuc in his verbis falsum immiscebant sensum, nec fatebantur peccatum originale veram culpam in parvulis, quæ purgatione, & redemptione indigeret, ut ait S. August. lib. de peccato orig. cap. 19. Quis ergo ista considerans, & ad hæc omnia attendens putet modò sufficere, quod ab authore, qui non rectè de gratia Dei sentit, imò qui supradicta omnia verba de peccato originis dicit, modò dicitur peccatum originale propagatione in parvulos esse transfusum, ipsisque inhærere, ut putetur illum verè fateri peccati maculam, & culpam veram in parvulis esse transmissam; cum potissimè omnia ejus antecedentia verba totum contrarium ostendant? Et etiam cum postea ab aliis hujus familiæ authoribus jam supra relatis audiamus peccatum originale solùm primo parenti, & non parvulis aliquo modo voluntarium, etiam interpretativa, seu virtuali voluntate.

Lib. de peccato originali cap. 21.

Eodem lib. cap. 19.

Plurima sunt, illáque efficacia argumenta, quæ suadent sententiam præfati Authoris non rectè circa peccatum originale procedere. Primò namque S. P. August. lib. de Dono perseverantiæ cap. 12. planè affirmat confiteri in parvulis peccatum originale quod veram rationem culpæ habeat, esse manifestum fundamentum adclarè ostendendum gratiam Dei non secundum merita nostra dari. Molinæ ergo sententia, quæ ad hoc tota tendit re ipsa, licet non expressis verbis, ut gratia Dei secundum merita nostra detur, absque dubio de peccato originali non potest bene sentire. Si enim rectè judicaret esse in parvulis veram inhærentem maculam, & culpam peccati originalis, ex hoc apertè videret, dari gratiam misericorditer, quibus Deus vult, & negari justissimè propter peccatum originale, quibus placet, & tota vis omnium argumentationum suarum, imò tota machina suæ concordiæ facillimè rueret. Verba autem S. P. Aug citato loco ita habent: *Frustra itaque mihi de illius libri mei vetustate præscribitur ne agam causam sicut debeo agere parvulorum, & inde gratiam Dei non secundum merita hominum dari perspicuæ veritatis luce convincam.* Ex quo ergo principio secundum S. P. August. convincitur manifesta veritatis luce, gratiam Dei secundum hominum merita non dari, nisi ex eo, quod in parvulis sit verè ac propriè peccatum originale, quod in illis sit vera culpa, & macula: Qui ergo contendit gratiam Dei secundum merita hominum dari, reipsa, licet non verbis apertis, necesse est quod illud principium tanta suæ doctrinæ manifestatione contrarium saltem reipsa neget.

Qui gratiam Dei secundum merita humana dari contendit nõ rectè de peccato originali sentit.

Ut autem planiùs hoc fundamentum intelligatur, considerare oportet Semipelagianos S. August. opposuisse, quod ipse illorum sententiam teneret, quia 3. lib. de lib. arb. dicere videbatur, ignorantiam, & difficultatem esse primordia naturæ, nec ex peccato originali descendere, ut idem S. P. August. refert expressè lib. de Dono persev. cap. 11. cui objectioni S. Doct. ibi respondet se non dixisse ignorantiam & difficultatem esse primordia naturæ, & non ex peccato originali descendisse, sed contra Manichæos disputando dixisse, quod etiamsi id gratis admitteretur, adhuc culpandus Deus non esset sed laudandus, sicut in illo 3. lib. de libero arbit. satis apertè declarat. Et occasione hujus illa modo inducta verba protulit S. August. *Frustra mihi de illius mei libri vetustate præscribitur, &c.*

Præterea notum est Pelagianos omnes propter rationem modo inductam, quia videlicet contendebant gratiam Dei secundùm hominum merita dari, semper peccatum originale negasse, ut illo de medio ablato non ita clarè convincerentur in alio suo errore, quo dicebant gratia Dei secundùm merita nostra dari. Quod enim omnes illi peccatum originale negaverint veram habere rationem culpæ in parvulis, constat. Quod autem id ordinaverint ad constituendum gratiam Dei sub merito nostro dari ex ipsorum libris fit manifestum, & hac ratione monstratur. Si peccatum originale vera culpa non est in hominibus: ergo sanum est, & illæsum arbitrium: ergo operari valent ut sani, absque Dei gratia sanante; Jam ergo per hoc Christi gratia negatur. Similiter si originale peccatum in parvulis culpa non est, non ita fit manifestum gratiam Dei non secundùm merita nostra dari, quia licet ex eo præcisè titulo, quod gratia est, & ex consequenti nulli debita, rectè Deus illam possit dare uni, & non alteri, tamen si super hoc addatur omnes in culpa vera esse, manifesta veritate convincitur, quod illam Deus quibusdam ex misericordia tribuat, quibusdam verò justo judicio neget, propter culpam veram quam habent. Et hac ratione S. P. August. verbis citatis modò, dicit quod ex confessione peccati originalis perspicuæ veritatis luce convincitur, gratiam Dei secundùm merita nostra non dari. Cum ergo relata supra recentiorum sententia, ut ex istorum multiplicatis assertionibus constat, non rectè de Dei gratia loquatur, sed illam sub merito saltem secundum pietatem constituat, ut copiosius etiam erit infra comprobandum, & illud convincitur, prædictam doctrinam non rectè de peccato originali sentire. Quia utriusque eadem debet esse vel sana, vel prava doctrina. Unde Pelagiani, & Semipelagiani, qui gratiæ Christi detrahebant, peccato originali pariter detraxerunt, ipsumque negarunt. Sicut enim positio originalis peccati & necessitas gratiæ Christi Redemptoris se mutuò inferunt: ita negatio illius, negationem hujus infert: bene etenim sequitur, peccatum originale in hominibus est; ergo ad illud tollendum necessaria est gratia Christi Redemptoris, paríque ratione, necessaria est Christi Redemptoris gratia: ergo principaliter propter delendum originale peccatum necessaria est. Similiter sequitur: peccatum

Digitized by Google

tum originale non est ; ergo nec Christus in carne veniret, quod ex doctrina Sanctorum Patrum in secundo hujus operis libro dabimus manifestum ; & sic nec Christi Redemptoris gratia fuisset necessaria ; & eodem modo consequitur, quod si Christi Redemptoris gratia reipsa non admittitur, quod nec etiam reipsa peccatum originale admittatur.

Accedit quod etiam S. Prosper Epist. ad Demetriadem quæ est 33. in lib. 4. Epist. S. Ambrosij apertè docet, quod prava illa Pelagianorum sententia, qua dicebant gratia Dei secundum merita nostra dari, ex illa alia oriri, qua peccatum originale negabant, & non læsum liberum arbitrium humanum per illud constituebant. Verba S. Doctoris sunt. *Hinc illa erat naturæ humanæ fraudulenta laudatio, & illæsæ per omnes homines originalis defensio dignitis. Hinc Adæ peccatum exemplo posteris asserebatur nocuisse, non transitu : & quàm illi possibile fuerat non violare mandatum, tam liberum esse unicuique declinare delictum. Hinc evacuatio Baptismatis parvulorum, qui sola adoptione donari nullo autem reatu dicerentur absolvi. Hinc postremò Divinæ gratiæ simulata & insincera confessio, quæ secundum merita daretur, non ex qua merita nascerentur.* Unde ait S. Prosper quod oriebatur Divinæ gratiæ simulata & insincera confessio, nisi ex prava illa sententia, quæ non læsum per peccatum originale humanum arbitrium malè ponebat ? Cum ergo istum effectum simulatæ, & non sinceræ confessionis Divinæ gratiæ in citato authore deprehendamus, vel ex hoc cum S. Augustin. & Prospero colligere possumus & debemus, illius malam radicem, scilicet, non rectam de peccato originali confessionem seu positionem.

Quod autem illa Epistola, licet inter opera Ambrosij numeretur, S. Ambrosij non sit, constat 1. quia in illa multa de Pelagianis, imò Semipelagianis dicuntur : Cum tamen S. Ambrosius vitam finierit ante Pelagianam exortam hæresim. Illa enim incepit in suis primis exordiis anno 405. & ad summum 400. Sanctus autem Ambrosius mortuus fuit anno 397. Item quia phrasis ipsa nullo modo Ambrosiana est, ut quilibet facilimè deprehendet, sed ab illa satis diversa. Postremò quia eadem Epistola, quæ apud Ambrosium incipit ; *Cum splendidissime* : apud S. Prosperum sic incipit ; *Prosper Episcopus sacræ Virgini Demetriadi. Cum splendidissimè.* Unde manifestè S. Prosperi est, qui multa in illa dicit contra Semipelagianos, adversus quos ipse fœliciter disputavit. Ad hunc finem docet S. Prosper citatis verbis negatum fuisse ab illis antiquioribus peccatum originale, ut nempe integrum, & sanum constituerent liberum hominis arbitrium, ad Divina facienda mandata, nec ad id indigere gratia Redemptoris sanante. Cum ergo P. Ludov. Molina integrum etiam & sanum in suis viribus ad quodcumque servandum mandatum etiam difficillimum ponat sine gratia : hinc infertur ipsum non rectè de peccato originali in supradictis verbis locutum esse. Præterea, cum tota ejus doctrina ad hunc finem ordinetur, ut nulla alia gratia faciens hominem bene operari requiratur præter solam suadentem, invitantem, & excitantem, necesse illi erat constituere liberum hominis arbitrium forte & sanum, & cum viribus potentibus, suasioni, & excitationi consentire. Qui aliàs si læsum & infirmum esset nisi sanaretur per gratiam, & ab ea vires reciperet, non posset Dei excitationi consentire ; quia etiam suasus, invitatus, & excitatus ad id vires non haberet. Unde cum sanum & forte ad id constituat arbitrium, necesse illi fuit per peccatum originale non ipsum læsum in suis viribus dicere, sicut dixit, & solùm ipsum admittere spoliatum gratuitis. In quo veram rationem peccati originalis lædentis, & infirmantis hominis arbitrium reipsa negare videtur. Non læsum in suis viribus, sed spoliatum tantum gratuitis liberum arbitrium constituit post Adæ peccatum, quod nihil aliud videtur quàm dicere ; quod Pelagius priùs asseruit relatus à S. P. Augustin. Epist. 107. ad Vitalem sub fine his verbis. *Aliquando autem quotidiano gratia Dei muniri nos confitetur auxilio, quamvis habeamus ad non peccandum forte, ac firmum liberum arbitrium, quod utique invalidum & infirmum debuit confiteri, donec sanentur omnes languores animæ nostræ.*

CAPUT XX.

Quod non rectè de peccato originali loquatur prædicta sententia, in particulari magis ostenditur

VENIAMUS jam ad contextum doctrinæ, & magis in particulari hoc ipsum ex propriis verbis quibus utuntur in hac parte, demonstremus.

In primis dicit hæc sententia ; ut relatum est supra, quod post peccatum primi parentis mansit natura spoliata, & privata gratuitis donis, sed non læsa in naturalibus, magis quàm si in puris naturalibus esset condita : hoc enim est perpetuum hujus sententiæ fundamentum, sed natura si conderetur in naturalibus puris læsa positivè non esset, nec culpam in se haberet : ergo nec modo secundum hanc sententiam natura læsa in se est, per veram inhærentem culpam, & maculam. Confirmatur, nam illa sententia expressè dicit, quod in nobis, & in Angelis naturalia manserunt integra, non solùm quoad potentias, sed etiam quoad vires & inclinationem ad bonum proportionatum fini naturali, sicut esset si in puris naturalibus condita fuisset ; ergo non judicat originale peccatum veram culpam esse animæ ipsam lædentem, & infirmantem. Patet consequentia, quia originale peccatum non solùm avertit à fine supernaturali, sed etiam à fine naturali : Sicut Adæ peccatum etiam à fine naturali avertit, ut est apertissimum : Unde sic concludendum est ; Peccatum actuale Adami fuit aversio à Deo authore, & fine supernaturali, & naturali : ergo originale in nobis ex illo peccato Adami derivatum, est aversio à Deo authore, & fine supernaturali, & naturali. Imò in generali de ratione cujuscumque peccati mortalis est, esse etiam contra Deum authorem, & finem naturalem, quia lex naturalis dictat obediendum esse in omnibus quæ ipse præcipiat. Cum ergo tàm apertè sententia, quàm impugnamus dicat post primum Adæ peccatum non manere in hominibus læsum arbitrium in naturalibus, sed mansisse integrum in naturalibus, & proportionatum, & inclinatum in Deum finem naturalem, constituit ipsum arbitrium hominis lapsi, non aversum per originale à fine naturali, & à Deo authore naturæ ; & sic ipsum constituit non habere peccatum originale, quod veram habeat rationem culpæ. Ex quo consequenter affirmat posse hominem in natura lapsa sine gratia facere omne opus virtutis moralis bonum, fini naturali accommodatum, sicut illud facere poterat homo, si conderetur in naturalibus puris : ergo sentit non manere læsam naturam in naturalibus puris : ergo sentit non manere peccatum originale in ratione veræ culpæ, culpa enim in naturalibus etiam nocet ut est apertissimum. Sicut ergo de homine in puris naturalibus condito est verum dicere, quod non est in suis naturalibus vel læsus, vel positivè infirmus, quia videlicet culpam non habet ; ita de homine in natura lapsa fatetur quod positivè in suis naturalibus læsus non est per veram culpam in se existentem, sed quod privatus est donis gratuitis.

Quod

Digitized by Google

Quod si quis pro prædicto authore respondeat, illum veram culpam agnoscere originale peccatum, non tamen lædentem naturam in suis naturalibus naturæ debitis. Minùs satisfacit, quia, ut dictum est, culpa quæ non lædit naturam, illam avertens à Deo authore naturæ, sola voce culpa nominatur non verè & reipsa. Quod si à Deo authore naturæ manet homo per peccatum originale aversus, à quo homo in puris naturalibus aversus non esset: ergo magis in suis naturalibus læsus est iste quàm esset ille.

Sed quid illationibus hoc probamus: cum ipse formalibus verbis affirmet hominem per originale peccatum non fuisse læsum in naturalibus, sed tantùm in gratuitis, ut aperta verba ejus testantur. Quod autem ista sit doctrina non solùm Molinæ, sed aliorum, qui post ipsum scripserunt facilè potest ex Thesibus quas Duaci Patres alij sustinuerunt sub anno 1609. 5. Augusti defendente eas Patre Joanne Linsanio, & Præside Patre Ægidio de Coninck, in quibus, conclusione 15. ita habet: *Peccatum originale nihil naturæ debitum, sed justitiam originalem nobis abstulit.* Quæ negativa: *nihil naturæ debitum:* planè nullam læsionem factam in naturalibus per peccatum originale admittit.

Sanctus Prosper. Sed quid de ista doctrina S. Prosper dicat citata Epistola ad Demetriadem audiamus: Post relata enim verba in fine capitis præcedentis, quibus, planè docuit negasse Pelagianos omnes priores, & posteriores, quamvis alios aliis expræssiùs, peccatum originale esse veram culpam, ostendens in quo peccatum originale negabant veram culpam esse, ità subjungit: *Naturalem autem facultatem nihil sui in alieno amisisse peccato, cui & possibile esset & liberum per voluntariam devotionem promereri gratiæ largitatem.* Ecce de quo notantur Semipelagiani; quia scilicet dicunt nihil amisisse suæ naturalis facultatis liberum hominis arbitrium per primi Parentis peccatum: ut omnes attendant quam connexionem habeat cum negatione peccati originalis, asserere nullam facultatem & possibilitatem naturalem ad bonum amisisse liberum hominis arbitrium per peccatum primi Parentis. Quod ut supra notavimus id Semipelagiani de possibilitate naturalis facultatis naturæ debita contendebant; quia etiam in primo parente justitiam originalem fuisse negabant.

Accedit, quod ut ex S. P. Augustino dictum est suprà, ideò Pelagius naturam humanam negabat debilitatam in suis naturalibus viribus, quia originale peccatum negabat. Nec enim, ut suprà manet expositum, solùm errabat, quia negabat originalem justitiam fuisse in primo parente, nec quia dicebat peccatum solum illi nocuisse, sed etiam in hoc tertio quod nullo modo, naturam læsam fuisse contendebat; imò, ut peccatum originale negaret, asserebat naturam non læsam, vel suis naturalibus viribus extenuatam, sed ita sanam, sicut primum parentem in solis puris naturalibus conditum dicebat. Ut appareat quàm maximam affinitatem cum negatione originalis peccati habeat, illæsæ naturalis facultatis fraudulenta laudatio, ut suprà relatus S. Prosper detexit.

Sed & hic gravissimè reprehendendus ab omnibus venit P. Vasquez, qui 1. 2. quæst. 83. disput. 132. cap. 1. non minùs falsò, quàm irreverenter Magno post Apostolos defensori gratiæ Augustino tribuere audet, quod faveat errori dicentium peccatum originale in Baptisatis non omnino tolli, sed radi & non imputari, quod istis verbis divulgat. *Adde etiam August. lib. 1. de Nupt. & Concupisc. cap. 23. ubi docet manere concupiscentiam in renatis, sed non imputari, eam autem dixerat esse peccatum originale. Et cap. 26. ita loquitur: In eis ergo qui regenerantur in Christo; cum remissionem accipiunt omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam hujus, licet adhuc manentis concupiscentiæ, remittatur, ut peccatum sicut dixi non imputetur. Nam sicut eorum peccatorum, quæ manere non possunt, quoniam cum fiunt prætereunt, reatus tamen manet, & nisi remittantur in æternum manebunt; Sic illius concupiscentiæ, quando remittitur, reatus aufertur. Sentit igitur concupiscentiam quidem esse peccatum, eam tamen non imputari ad peccatum in renatis, quamvis maneat: quare favere videtur errori eorundem, qui asserunt originale peccatum tegi, & non tolli: radi sed non eradicari: hoc est manere, sed non imputari aut puniri.* Hæc ille. In quibus duo, ut patet, tribuit S. P. Augustino, cujus verba si intellexisset nec tribuisset. Alterum; S. Doctorem asserere concupiscentiam esse originale peccatum. Alterum, quod, cum ipsa maneat in renatis, in ipsis sentit manere peccatum originale; sed illis non imputari: & per hoc favere errori dicentium radi peccatum originale, sed non tolli, quæ est hæresis damnata in Conc. Trid. sess. 5. can. 5.

Verùm, ut iterùm dicam, si verba S. P. August. intellexisset nec id ipsi tribueret, qui hoc sibi vindicat proprium, ut malleus hæreticorum dicatur, tantùm abest quod alicui eorum faveat, potissimè in materia peccati originalis, quod verè esse peccatum, & verè tolli, atque omnino remitti millies in suis libris contra Palegianos defendit, & efficacissimè propugnavit? pleni sunt libri, illique plurimi hujus Doctoris sanctissimi, qui hoc ipsa luce clariùs manifestant. Ex quibus ne in re omnibus notissima immoremur, innumera consultò omittimus testimonia, ut ex modo objecto id apertius ostendamus.

In quo illud primum quod opponitur, ipsum sentire peccatum originale esse concupiscentiam, intellectum prout à S. Doctore intelligitur, quod concupiscentia sit peccatum originale materialiter, seu consecutivè, non verò formaliter & essentialiter, verissimum est, & à nullo potest negari, quod & S. Th. ostendit manifestè 1. 2. quæst. 83. art. 3.

Secundum autem quod ex inductis verbis S. P. Augustini ei tribuitur, nimirum quod sentiat manere in renatis hanc concupiscentiam, quæ peccatum sit, sed eis non imputari, longissimè à mente S. Doctoris abest, imò ei contrarium asserit etiam in prædicto testimonio. In ipso enim omne id quod habet rationem peccati originalis, & culpæ apertissimis verbis, illisque multiplicatis docuit verè tolli totaliterque dimitti in Baptisatis. Nam verba sanctissimi Doctoris sunt in cap. 22. *Hæc inquam concupiscentia, quæ solo sacramento regenerationis expiatur.* Et in cap. 25. *Non ergo aliquid remanet, quod non remittatur, cum sit, sicut scriptum est, propitius Dominus in omnibus iniquitatibus nostris.* Ac denique in cap. 26. Verbis etiam in contrarium oppositis: *In his ergo qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam hujus licet adhuc manentis concupiscentiæ, remittatur.* Et iterùm. *Illius concupiscentiæ, quando remittitur reatus, aufertur.* Si concupiscentia sacramento regenerationis expiatur, si nihil remanet in Baptisatis, quod non remittatur, si in illis cum remissione omnium peccatorum, etiam reatus originalis culpæ remittitur, & si tandem cum concupiscentiæ reatus remittitur, aufertur, ut verbis apertissimis in hoc eodem objecto testimonio proponit: Unde hinc inferre quis potest quod faveat errori dicentium peccatum originale manere in Baptisatis, & tantùm radi vel non imputari cum potiùs dicat tolli, expiari, auferri, atque remitti?

An id inferri potest ex eo quod dicit in cap. 25.

dimitti

dimitti concupiscentiam carnis in Baptismo, non ut non sit, sed ut peccatum non imputetur? Planè ex his verbis simul cum aliis jam relatis id nullo modo valet inferri. Cum planus sensus sit, illeque verissimus, & à S. Patre Augustino intentus, quod in Baptismo dimittitur concupiscentia carnis, non ut non sit in se ipsa, cum in renatis absque dubio maneat, sed ut non sit peccatum, nec aliquam rationem culpæ habeat, sed totum quod in ea rationem culpæ habet, totaliter sit ablatum atque dimissum; quam esse S. P. Augustt. mentem totus ipse contextus à cap. 22. usque ad cap. 26. inclusivè palàm manifestat. Unde rectè alius ex eadem societate Doctor Granado Tract. de Immacul. Concept. cap. 1. sect. 1. dicit esse contra mentem ipsius S. Augustt. ei tribuere quod faveat contendentibus, originale peccatum post Baptismum non tolli sed tantum non imputari, cum, ut ait, ibidem dicat nihil remanere quod non remittatur, & concupiscentiam non esse peccatum in generatis, & eos qui regenerantur, remissionem accipere prorsus omnium peccatorum. Unde rectè quidem prædictus author concludit. *Solùm ergo docet*, nempe Augustinus, *concupiscentiam hoc est appetitum, & alias animæ vires manere post Baptismum sine ea subjectione ad rationem, quam in statu innocentiæ haberent, sed jam non imputari ad peccatum, quia scilicet non est jam conjuncta reatui, seu peccato originali, quod per Baptismum deletum est.*

Itaque ipsa carnis concupiscentia, non solum in renatis peccatum non est, sed nec in infidelibus ipsa est essentialiter, & formaliter peccatum; sed in utrisque est tantùm materialiter & consecutivè peccatum, ut ex S. Thom. dictum est supra, quæ est sententia S. P. Augustt. ut præmisimus, cum hac tamen differentia, quod in infidelibus ipsa est conjuncta peccato originali, vel est materiale illius vt substat suo formali: in renatis autem manet ipsa concupiscentia ut effectus ex peccato dimisso, & in peccatum inclinans, ut idem S. P. Augustt. docuit cit. cap. 22. & Concil. Trident. postea definivit in dicto Canon. 5. sess. 5. Cæterùm non est materiale peccati pro ut scilicet substat formali, & hoc est quod dicit S. Doctor Augustt. cum ait concupiscentiam carnis non dimitti in Baptismo non ut non sit, sed ut peccatum non imputetur. Sic enim habet in illo cap. 26. *In eis ergo qui regenerantur in Christo cum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum; utique necesse est, ut reatus etiam hujus, licet adhuc manentis concupiscentiæ, remittatur, ut in peccatum sicut dixi non imputetur.* Omnia prorsus peccata dicit remitti in baptismo, ex quo infert necesse esse quod scilicet reatus concupiscentiæ remittatur, & ex hoc concludit, quod in peccatum non imputatur: quia reatus & quidquid habet rationem culpæ totaliter dimittitur. Planè potiùs in loco objecto eos efficaciter expugnat, qui dicunt peccatum originale non auferri, sed radi, aut non imputari. Unde sine magna injuria, & absque falsitate magna, attribui non potest S. P. Augustt. quod in appositis verbis eorum faveat errori, qui dicunt in Baptismo peccatum originale non tolli, vel eradicari, sed tantum radi, vel non imputari.

Omitto quod secundum veritatem concupiscentia ipsa, non peccatum sit formaliter, sed effectus, & pœna peccati, tribuere autem S. Doctori, quod sentiat ipsam verè peccatum esse, nihil est aliud, quàm ei tribuere, quod sentiat peccatum originale pœnam esse non culpam: quod omnino contrarium est doctrinæ S. Doct. Aug. Sed ad principale intentum revertamur.

Præterea docet apertè Christus, quod ille homo qui descendebat ab Hierusalem in Hierico fuit à Latronibus non solùm spoliatus, sed vulneratus, & ita vulneratus ut fuerit semivivus relictus; per quem hominem Theologi universi & Patres intelligunt genus humanum post primi parentis peccatum: ergo tale humanum genus non solùm fuit donis gratuitis spoliatum, sed vulneratum, & semivivum relictum. Cùm ergo hæc sententia, quæ impugnatur, neget hanc vulnerationem in naturalibus, proculdubio negare videtur peccatum originale culpam esse animæ, eandem vulnerantem.

Item à fine naturali, hominem per peccatum originale non constituit aversum, ut ex verbis ejus relatis modo fit manifestum quomodo enim est aversus à fine naturali, qui suis solis naturæ viribus sine gratiæ auxilio potest facere quodcumque opus bonum morale fini naturali accommodatum? Certè qui sic operari potest ex naturæ viribus à fine naturali aversus non est, nec aversus ab illo dici potest, ut est apertissimum.

Item virtutes morales in ratione virtutis esse posse in homine sine gratia affirmat, per quod absque dubio constituit naturam sanam, & non læsam per peccatum; sanatur enim anima, & natura per prudentiam, justitiam, fortitudinem, atque temperantiam, virtutes morales fini naturali accommodatas, ut cum actum fuerit de hac ejus assertione lib. 3. apertiùs, & efficaciùs comprobabimus. Sed & nunc id demonstrat S. Prosper contra Collatorem cap. 27. quia virtutes cum vitiis habitare non possunt. Si ergo homo illas virtutes morales fini naturali accommodatas, naturæ viribus habere potest, necesse est quod culpa, & peccatum in anima ejus non sit. Non igitur ista sententia admittit peccatum originale esse veram animæ culpã.

Confirmatur, quia S. Prosper ex eo quod à Cassiano in natura lapsa virtutum semina admittantur, contra ipsum concludit illum peccatum originale negare, ratione facta, quia virtutes cum vitiis habitare non possunt. Sed ista doctrina eadem admittit initia virtutum, & in eodem sensu quo Cassianus; ergo convincitur, quod peccatum originale neget esse veram culpam. In quo autem sensu Catholici dicant esse animæ nostræ virtutum semina (qui sicut Cœlum distat à Terra, differunt à Cassiani, & istorum sententia) dicemus infra in tertio hujus operis libro cum de talibus virtutũ seminibus ab iis Autheribus cum Cass. constitutis, fuerit ex professo agendũ.

Prætereà S. Th. 1. 2. q. 85. art. 3. constituit quatuor vulnera naturæ relicta per peccatum originale per exclusionem quatuor virtutum moralium; ergo si homo naturæ viribus in natura lapsa potest virtutes morales habere, necesse est dicere, quod possit illis vulneribus naturæ carere ex suis viribus, & ex consequenti quod eisdem viribus possit peccato originali carere.

Prætereà Molina concedit hominem lapsum sine gratiæ auxilio ex suis viribus posse Deum authorem naturæ super omnia absolutè diligere, sed iste actus, vt ostendemus suo loco, nullum secum peccatum mortale compatitur; ergo talis homo nullam culpam mortalem sive actualem sive originalem habebit, & hoc ex solis naturæ viribus.

Item Leo primus epist. 86. ad Nicetam ita dicit contra Pelagianos. *Sed ab istis ideo per naturalem industriam dicitur præveniri, ut quæ, ante gratiam proprio data sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata.* Quibus verbis, ex eo quod gratia prævenitur ab humana industria, ita quod humanæ industriæ detur, infert Pontifex sanctus, quod natura constituatur peccato originali non sauciata; sed Molina, & qui ejus defendunt doctrinam hoc potissimo utuntur fundamento, quod facienti quod in se est ex humana industria, gratia infallibiliter, ex certaque lege datur: ergo per Pontificem Leonem convincuntur quod naturam constituant non sauciatam vulnere peccati originalis.

Sed

Digitized by Google

Sed illius rationis Pontificiæ cauſam inquiramus, unde videlicet ſequatur quod ſi facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus infallibiliter gratia datur, eo ipſo ponatur natura ſine peccato originali. Hoc clariſſimum eſt videre; gratia enim datur, niſi impedimentum ei præſtetur; quod impedimentum, per ſolum peccatum ponitur, unde ſi natura ſine gratia poteſt ſe non impedire ad recipiendam gratiam, ipſa nullum peccatum habet etiam originale; quia nullum impedimentum gratiæ ponit, ut ei gratia infallibiliter conferatur. Videatur S. Thom. 3. contra gent. cap. 159. & 160. de quo infra lib. 3. ex intentione tractabimus. Sed & alia hujus ratio eſt quam hic Leo magnus inſinuat, & S. Hieron. citatus ſupra epiſtola ad Demetriadem clariùs proponit, & omnium clariſſimè S. P. Auguſt. lib. 4. contra Julianum cap. 3. quod ſi nihil perdidit facultas humana in ſuis naturalibus viribus poſt Adæ peccatum, ſed habet ſuas vires naturæ debitas, ſanas, & integras; ergo poterit facere omne opus bonum fini naturali accommodatum, & virtutes morales habere; hoc enim homo ſine peccato conditus in ſuis puris naturalibus poterat; ſi autem operanti ex naturæ viribus (cum Deus hominem juſtum & virtuoſum in naturalibus non habeat damnare) illi ergo gratiam ſuam vtique dabit; & ſic merebitur ille homo talem gratiam, quod expreſsè S. Proſper ſupra inferendo aſſeruit. Si autem illa gratia illi debita eſſet, manifeſtè convincitur illum per originale peccatum non admittere humanam naturam ſauciatam; quippe quæ poſſet omne illud bonum opus morale efficere, quæ non per peccatum ſauciata, & rurſus quæ poſſet omne illud morale opus facere, quod gratiam poſtularet, quod repugnat habenti naturam per originale peccatum ſauciatam.

Hæc autem omnia ſatis clarè oſtendunt illum liberum arbitrium poſt peccatum originale ſanum, non læſum conſtituere, & ex conſequenti ſatis oſtendunt, illum non ſentire peccatum originale veram maculam & culpam eſſe in hominibus, verè infirmantem, & poſitivè lædentem naturam. Nam omnis vera culpa, in eo in quo eſt, verè lædit naturam, verè vires ad benè operandum minuit, verè inclinationem ad bonum conforme naturæ extenuat, & verè ac propriè à fine naturali hominem avertit. Si ergo totum hoc negatur in natura lapſa ante omne auxilium gratiæ, certe peccatum originale vera culpa & macula non conſtituitur.

Simili ratione ex eo quod aliquis dicat aliquem per ſolum liberum arbitrium poſſe ad Baptiſmi gratiam pervenire docuit Concilium Araſican. 2. non poni liberum arbitrium per originale peccatum infirmatum. Sic enim definit in Canon. 8. *Si quis alios miſericordia, alios verò per liberum arbitrium (quod in omnibus, qui de prævaricatione primi hominis nati ſunt conſtat eſſe vitiatum) ad gratiam Baptiſmi poſſe venire contendit, à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis aſſerit infirmatum, aut certè ita læſum putat, ut tamen quidam valeant ſine revelatione Dei myſterium vitæ æternæ per ſe ipſos conſequi, quod quàm ſit contrarium ipſe Dominus probat, qui non aliquos, ſed neminem ad ſe poſſe venire teſtatur niſi quem Pater attraxerit.* Ecce quo pacto Concilium, ex eo quod ponatur quis poſſe venire per naturæ ſuæ vigorem ad gratiam Baptiſmi, infert negari arbitrium infirmum per peccatum originale & ex conſequenti negari ipſum peccatum eſſe veram culpam infirmantem naturam: Vel ita admittere læſum, ut per ſe, ſine Patre poſſit ad Chriſtum venire.

Sed dices. Quid ergo Molina ſentit cum dicit peccatum originale transfuſum fuiſſe ex primo homine in totum genus humanum illiſque inhærere.

Ad hoc dicendum quid per hoc intelligat, ſatis ſe explicare; quod videlicet in ratione privationis dicat peccatum fuiſſe transfuſum, & in ratione pœnæ humano generi cohærere, ſic enim ipſe expreſſis & formalibus verbis affirmat prædicta diſput. 3. ſuæ concordiæ. *Itaque hoc ſolùm intereſt inter naturam humanam poſt peccatum ante illa dona gratiæ, & eandem ſi in puris naturalibus fuiſſet condita, quod excluſio à gloria, carentia gratiæ, juſtitia ſupernaturalis & aliorum donorum ſupernaturalium habent propriè rationem privationis, comparatione naturæ poſt lapſum, eò quod oppoſita dona vel certè jus ad illa fuerit Adamo collatum; comparatione verò naturæ in puris naturalibus ſpectatæ, minimè, eò quod nullum omnino jus habuiſſet ad eadem dona. Quare natura humana poſt peccatum, rectè dicitur ſpoliata donis ſupernaturalibus quæ habebat in Adamo; condita verò in puris naturalibus non diceretur ſpoliata eiſdem donis, cum ea antea nunquam habuiſſet. Inde & facile intelligitur tam privationes proximè commemoratas quàm defectus, qui modò ſunt ſecuti rebellionem paſſionum, mortem & cæteras corporis ærumnas, habere quidem verè & propriè rationem pœnæ comparatione naturæ humanæ poſt peccatum, non verò comparatione ejuſdem naturæ ſi in puris naturalibus eſſet condita.* Ecce ipſe expreſſis verbis illiſque multiplicatis dicit peccatum originale habere rationem pœnæ. Primò namque ſemel atque iterùm illam excluſivam conſtituit, dicens quod ſolùm peccatum originale in gratuitis donis nocuit, & quod ſolùm in hoc differt natura lapſa, ab ipſa ſi in puris naturalibus conderetur, quòd illa eſſet ſpoliata donis illis, illiſque privata, hæc autem minimè: ſi ergo in hoc ſolùm differt, & iſta ſpoliatio ſeu privatio pœna eſt, ut expreſsè affirmat; ergo in ſola pœna differt natura corrupta à natura condita in puris naturalibus. Purum enim ſpoliari, purumque privari gratuitis donis ſine aliqua culpa vel macula animæ inhærente, quis dubitat rationem pœnæ habere?

Idem adhuc clariùs ſubjungit, quod privationes commemoratæ, videlicet excluſio à gloria; carentia gratiæ, & privatio juſtitiæ originalis; habent quidem verè & propriè rationem pœnæ in natura corrupta, non vero in natura ſi conderetur in puris naturalibus, & per hoc præcisè utraque natura ad invicem diſtinguitur; ergo jam privatio gratiæ, & juſtitiæ originalis per peccatum originale eſt tantùm pœna in natura lapſa: ergo non eſt in illa vera culpa: ergo per hanc privationem & pœnam diſtinguitur à natura ſi conderetur in puris naturalibus. Aperiſſimis ergo verbis dicit, ſicut & Julianus priùs, peccatum originale non culpam eſſe ſed pœnam, & hanc pœnam tranſiiſſe in humanum genus ipſique inhærere non autem veram culpam.

Quod ſi dicat S. Th. 1. 2. q. 85. art. 5. docere privationem juſtitiæ originalis eſſe pœnam, ſicut docet pœnam eſſe privationem gratiæ eadem 1. 2. q. 87. art. 7. & idem confirmat 2. 2. q. 164. art. 1. Ad hoc dicendum nunquam S. Tho. docuiſſe eſſe tantùm pœnam, ſicut P. Molin. dixit, de quo à nobis impugnatur, quod non agnoſcat rationem culpæ in tali privatione juſtitiæ originalis. Dicendum 2. quod in 1. loco non dicit privationem, ſed ſubſtractionem juſtitiæ originalis habere rationem pœnæ, quia quod Deus ſubſtraxerit juſtitiam originalem propter peccatum, rationem pœnæ habet, ut ibi docet. Et eodem modo loquitur in 2. teſtimonio, cum ait quod propter culpam originalem natura humana ſibi derelinquitur deſtituta auxilio originalis juſtitiæ, quod clariùs expreſſit in 3. loco ex 2. 2. ubi cum præmiſiſſet, *quod ſi aliquis propter peccatum privatur aliquo beneficio ſibi dato, illa ſubſtractio bene-*

Digitized by Google

ficij est pœna, subdit, quod substractio divini beneficij, quo rectitudo, & integritas humanæ naturæ conservabatur, fuit pœna taxata pro primo peccato proportionaliter ei respondens. Itaque privatio justitiæ originalis, sicut & privatio gratiæ dupliciter potest & debet considerari, primò per ordinem ad voluntatem humanam, quatenus nempe illi est aliquo modo voluntaria, & sic habet rationem culpæ originalis. Alio modo per ordinem ad Deum subtrahentem justitiam originalem propter culpam, & sic est pœna: Unde S. Th. ubique in sua doctrina (ut omnibus notum est) docet quod peccatum originale formaliter est privatio justitiæ originalis quatenus nempe voluntaria est, & sic communiter Theologi definiunt originale peccatum pro formali, quod sit privatio, seu carentia justitiæ originalis; qui ergo absolutè atque simpliciter, & sine distinctione, vel explicatione aliqua dicit privationem justitiæ originalis esse pœnam, nihil omnino insinuans de culpa, quomodo verè admittit originale peccatum esse culpam in parvulis?

Præterea idem iterum ipse P. Molina manifestat, dum profert illa verba in disp. illa citata, *Parvuli propter aliena tantum demerita ad ipsos derivata, nempe propter peccatum, non suâ, sed primi parentis voluntate commissum ad ipsosque naturali propagatione transfusum eique inhærens, reprobantur.* Absit hoc asserere, parvulos reprobari propter aliena tantum demerita. Absit peccatum originale esse in parvulis tantùm alienum demeritum, Vitanda sunt ista verba Pelagij relata à S. August. lib. 3. de pecc. merit. & remiss. cap. 8. *Nulla inquiunt* (ait S. P. Augst.) *ratione conceditur ut Deus qui propria peccata remittit, imputet aliena.* Quibus S. Doctor respondet. *Remittit sed spiritu regeneratis, non carne generatis; Imputat verò, non jam aliena sed propria. Aliena quippe erant, quando ij qui ea propagata portarent, non dum erant; nunc verò carnali generatione jam eorum sunt, quibus non dum spirituali generatione dimissa sunt.* Et lib. de correct. & gratia cap. 6. ita dicit: *An verò ideo pravitas ista corripienda non est in homine quia non est ejus propria, quæ corripitur, sed communis est omnibus. Imò verò corripiatur, & in singulis, quod est omnium: non enim propterea cujusque non est, quod ab ea nullus immunis est. Peccata quidem ista originalia ideo dicuntur aliena, quod ea singuli de parentibus trahunt, sed non sine causa dicuntur & nostra, quia in illo uno, omnes sicut dicit Apostolus peccaverunt.* Imo Trident. Concil. sess. 6. Can. 3. peccatum originale docet unicuique proprium esse ut statim dicemus. Vides cum Pelagio convenire, qui peccatum originale, aliena tantum dicit demerita non propria cujuscunque? Vides qualiter per talem sententiam peccatum originale esse culpam in parvulis reipsa negetur?

Forsan author relatæ doctrinæ in hoc sensu admittit peccatum originale in parvulis, cum dicit in eos peccatum originale transfusum, quod ex peccato primi parentis parvuli peccatores denominentur denominatione tantum extrinseca, non autem formaliter & intrinsecè per propriam & veram animæ maculam, sicut primitus Ambrosius Chaterinus opusculo de peccato originali cap. 5. & 6.

Sed etiam isto modo reipsa peccatum originale esse in parvulis veram culpam negatur; quia denominari peccatores sine culpa, quæ in eis verè insit, tantum per culpam in alio existentem, non est asserere esse propriè & formaliter peccatores, sicut denominari urinam sanam à sola sanitate in animali existente, non est urinam verè & propriè ac formaliter sanam esse, ut notum est. At fides semper docuit & docet parvulos ex Adam seminali propagatione procedentes, verè & proprie ac formaliter peccatores esse, inimicos dei, & filios iræ: ergo eadem fides docet non denominari peccatores denominatione extrinseca ex solo peccato primi parentis.

Item Concil. Milevit. canon. 2. definit. quod veraciter parvuli Baptizantur in remissionem peccatorum, & quod verè eis peccata dimittuntur, aliàs falsa esset forma baptismi; sed, si solum essent peccatores denominatione, supra exposita, veraciter eis peccata non remitterentur, cum ea in se ipsis veraciter non haberent, & ex consequenti falsa etiam hoc modo, forma Baptismi redderetur: ergo per talem positionem denominationis extrinsecæ & reipsa peccatum originale in parvulis negatur, & falsa forma Baptismi statuitur.

Deinde in Concil. Arausic. 2. Can. 2. definitur non solum mortem corporis, sed etiam peccatum, quod est mors animæ, per peccatum primi parentis in omne genus humanum transfusum esse; sed peccatum, quod est mors animæ, inest verè in anima quæ per illud moritur: ergo definit reipsa, quod non denominatione extrinseca sed intrinseca & in se verè formaliter, ac propriè peccatores homines fiunt per veram culpam, quæ mors animæ sit. Præcipuè, quia eadem proprietate, & veritate vult transfusum esse peccatum, quod est animæ mors, ac mortem temporalem; mortem autem temporalem quis dicat denominatione extrinseca, & non verè ac propriè in homines transire? ergo nec dici potest, salva Concilij definitione, peccatum per denominationem solùm, & non verè ac propriè fuisse in homines transfusum.

Denique Concil. Trident. sess. 5. Can. 2. & 4. renovans ista antiqua Decreta sub eisdem verbis definit, quod modò ex Melevit. & Arausic. Concil. relatum est; & præterea in Canone 3. formaliùs & expræssiùs hanc denominationem extrinsecam damnat, cum ita definit. *Si quis hoc Adæ peccatum quod origine unum est, & propagatione non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium.* Quæ verba (inest unicuique proprium) apertissimè hanc extrinsecam denominationem damnant. Imò ad hoc apposita noscuntur, ut illam condemnent. Et rursus in Can. 5. definit, per Baptismum tolli à parvulis omne id quod veram, & propriam peccati rationem habet. Igitur ante Baptismum erat in parvulis id, quod veram, & propriam peccati rationem habebat, per quod & clarissimè extrinseca denominatio auferetur. Sic enim habet in Can. 3. illius 5. sess. *Si quis hoc Adæ peccatum quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini Nostri Jesu Christi Anathema sit.* Ecce docet Concilium predictum originale peccatum inesse unicuique proprium: non ergo potest dici esse peccatum originale alienum tantùm demeritum, ut iste author asseverat, vel hominibus inesse per denominationem extrinsecam. Quod si in aliquo sanctorum Patrum reperiatur peccatum originale nominari alienum peccatum, intelligunt, comparativè ad peccatum actuale, dici alienum, quia videlicet non fuit ita hujus hominis voluntate patratum sicut actuale; vel intelligunt alienum, quia ex voluntate primi parentis, quæ respectu voluntatis hujus aliquando censetur aliena, trahit originem. Quam explicationem attribui Molinæ, & supra relata verba, & quæ modo subjungemus, prohibent, ex ipsis enim constat eum in illo sensu quem S. August. citatis verbis reprehendit, fuisse locutum. Nec videtur satisfacere, quod prædictus author superaddit, dicens, *ad ipsos naturali propagatione transfusum eisque inhærens*; quia potest etiam sub his verbis

Digitized by Google

verbis latere sensus non sanus; quod videlicet in ratione pœnæ, non veræ culpæ transfusum ad illos sit, illisque inhæreat, ut dictum est supra.

CAPUT XXII.

Magis in particulari aperitur quod ista sententia non admittat peccatum originale esse veram culpam. Ubi & de beata illa vita à parvulis sine baptismo decedentibus post judicij diem possidenda.

PRÆTER omnia autem ista relata modò, & alia plurima, quæ manifestè ostendunt sententiam hanc non rectè de peccato originali sentire, idipsum magis expresè confirmant verba illa penultimo loco citata. Dicitur enim 1. hanc esse differentiam inter prædestinationem & reprobationem parvulorum, & adultorum, quod in reprobatione parvulorum solum agebatur de donis gratuitis amittendis: at verò in reprobatione adultorum agitur etiam de inflictione pœnæ. Quæ differentia cum illa exclusione posita intollerabilis est; Quamvis enim parvuli sine baptismo mortui, & reprobati pœnam sensus non habeant, sine dubio tamen tenendum, pœnam damni eos sustinere. Similiter certum est illos propter illud peccatum originale, quod in ipsis vera culpa est, justè excludi à Regno, quorum utrumque catholica veritas tenet. Quomodo ergo dicit hic author, quod in parvulorum reprobatione solùm agitur de donis gratuitis amittendis? Hoc esset verum, si parvuli illi in puris naturalibus conderentur, & non ex Adam propagatione descenderent cum originali peccato. Cum vero parvuli illi in se maculam obtineant peccati, non solum in eorum reprobatione agitur de donis gratuitis amittendis, sed etiam agitur de punitione illius peccati originalis, non pœna sensus, sed verè, pœna damni. Itaque tanquam indignus, & verè peccator ac filius iræ punitur pœna damni per justam exclusionem à Regno, parvulus talis cum originali decedens, & qui contrarium affirmat plane peccatum originale veram esse culpam in parvulis non confitetur.

In parvulorum reprobatione non solum agitur de donis gratuitis amittendis sed de punitione originalis peccati per pœnâ damni.

Dicit 2. prædictus author, quod in reliquis parvuli reprobati proinde se habebunt, ac si in solis naturalibus fuissent constituti. In hoc 2. suo dicto magis se declarat, & quid de parvulorum damnatione sentiat, ostendit. *In reliquis*, idest præter privationem auxiliorum gratuitorum (quam dicit esse pœnam) in omnibus aliis se habebunt parvuli illi (ait) sicut si in puris naturalibus conderentur. Certè, si præter negationem sive privationem auxiliorum gratuitorum, in omnibus aliis se habebunt parvuli sine Baptismo morientes, sicut si in puris naturalibus conderentur, & in puris naturalibus conditi, & mortui nullam culpam aut peccatum haberent, ut est manifestum; etiam illi parvuli secluſa privatione auxiliorum gratiæ quæ pœna est, nullam aliam culpam, & naturæ vulnus habebunt. Quis non videat per hoc de peccato originali negari quod sit vera animæ culpa?

Parvulus decedens sine Baptismo non habet se in reliquis sicut si conditus in puris naturalibus moreretur.

Prosequitur 3. & adhuc multò magis se manifestans addit, quod post diem judicij reassumptis corporibus erunt liberi parvuli ipsi ab omni ærumna, melioremque vitam in naturalibus omni vitio mortis, & corporis immunem ducent in perpetuas æternitates, quam ullus unquam mortalium duxerit. Similia verba, sed clariora de eisdem parvulis decedentibus sine baptismo protulit prius P. Salmeron tom. 13. lib. 2. in Epist. ad Rom. disp. 48. dicens pueros tales post diem judicij supra terram victuros, & ab Angelis visitandos, fruituros etiam Beatitudine naturali. Idem tribuitur Ambrosio Chatarino.

Molina promittit parvulis extra Regnum Cœlorum vitam fœlicem perpetuam.

Qui ista dicunt, quomodo fatentur peccatum originale veram esse culpam in parvulis? Ecce apertè dicunt illos sine baptismo vitam perpetuam habituros omni vitio mentis & corporis immunem. Clamat Catholica veritas illos vitium mentis habere, & peccatum animæ, & tamen audimus illos habituros vitam, vitamque perpetuam immunem omni vitio mentis & corporis. Clamat Apostolus ad Rom. 5. *Judicium ex uno*, scilicet originali delicto, *in condemnationem*, & tamen è contra audimus pueros cum peccato originali decedentes, non condemnationem, sed vitam habere perpetuam? Vide S. P. Augustinum lib. 1. de pecc. merit. & remiss. cap. 12. ubi mirabiliter, ut solet, explicat prædictum Apostoli testimonium & concludit, ideo Apostolum dixisse judicium ex uno in condemnationem, quia sufficit ad condemnationem illud unum originale delictum, etiamsi non esset in hominibus nisi originale peccatum.

Sed & illud considerandum: authorem prædictum non expresè tradere, ubinam vel in quo loco parvuli illi habituri sunt post diem Judicij illam fœlicem vitam in perpetuas æternitates. Nec est credibile quod hanc illis tribuat in Regno Cœlorum quia ut S. P. August. probat contra Vincentium lib. 3. *de anima & ejus origine*, quod parvulis decedentibus sine Baptismo locum ipse dans in Regno Cœlorum, gravius errabat quàm Pelagius; quia Pelagius non fuit ausus eis dare vitam in regno Cœlorum, quam tamen illis concedebat Vincentius. Cum ergo non sit credibile illam fælicem vitam eis dare in Regno Cœlorum Authorem istum, ne convincatur gravius errare quàm ipsum Pelagium, consequitur ut cum Pelagio extra Cœlorum Regnum hanc fælicem vitam in perpetuas æternitates in quodam innominato medio loco eis concedat, quæ est sine dubio sententia damnata.

Præterea, ut ab omnibus comprehendatur quam evidentem falsitatem contineat ista doctrina, quæ vitam naturalem perpetuam, & fælicissimam parvulis post diem Judicij promittit, legant in primis S. P. Augustinum lib. 1. ad Bonif. cap. 22. ubi ita habet, (referam enim verba illius licet aliquanto longiora esse videantur) *Gratiam Christi* (inquiunt) *omnibus necessariam & majoribus & parvulis confitemur, & eos qui dicunt de duobus Baptizatis natum, non debere Baptizari, anathematizamus. Novimus quomodo non secundum Paulum sed secundum Pelagium hæreticum ista dicatis. Parvulis videlicet Baptismum necessarium non propter remissionem peccatorum, sed tantummodo propter Regnum Cœlorum. Datis enim eis extra Regnum Dei locum salutis & vitæ æternæ etiamsi non fuerint Baptizati. Nec attenditis quod scriptum est. Qui crediderit & Baptizatus fuerit, salvus erit, qui autem non crediderit condemnabitur. Propter quod in Ecclesia Salvatoris per alios parvuli credunt, sicut ex aliis ea, quæ illis in Baptismo remittuntur peccata traxerunt. Nec illud cogitatis eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes Corporis, & Sanguinis Christi, dicente ipso. Nisi manducaveritis carnem meam & biberitis meum Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Aut si Evangelicis vocibus cogimini confiteri, nec vitam, salutemque posse habere parvulos de corpore exeuntes nisi fuerint Baptizati, quærite cur compellantur non Baptizati secunda mortis subire supplicium, judicante illo, qui neminem damnat immeritum. & invenietis quod non vultis, originale peccatum.*

Ista Molinæ doctrina sicut Pelagiana damnantur à S. P. Augustino multis locis.

Quibus verbis, ex eo quod extra Regnum Cœlorum vita perpetua parvulis promittitur a Juliano, & cæteris Pelagianis, convincit S. P. August. quod negent peccatum originale cum Pelagio; qui, eodem referente S. August. lib. de pecc. originali cap. 21. in hac materia reprobationis parvulorum, sic respondebat. *Sine Baptismo parvuli morientes quò non eant scio,*

Digitized by Google

quò eant nescio, ideſt non ire in Regnum Cœlorum scio, quò verò eant nescire dicebat, quia dicere non audebat in mortem illos ire perpetuam. Modò autem temporibꝰ istis non solum dicitur, quò eant nescio, sed affirmativè publicatur quòd eant in perpetuam, & fœlicem vitam. Non obscurè ergo authores hujus sententiæ peccatum originale negant esse veram culpam in parvulis non obscurè dicunt parvulos sine baptismo non ire in regnum cœlorum, imò extra cœlorum regnum ipsos perpetuam dicunt vitam habere, quæ fuit ipsissima non solùm Juliani, sed Pelagij sententia damnata.

Præterea idem S. Doctor lib. 1. de pecc. merit. & remiss. cap. 16. ita habet *Potest proinde rectè dici parvulos sine baptismo de copore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros. Multùm autem fallit & fallitur qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apostolo: Judicium ex uno delicto in condemnationem,* Attendat ergo Theologus quomodo cum istis tàm claris, támque manifestis compatitur, quod dicitur parvulos sine baptismo habituros perpetuam fœlicemque vitam.

Insuper idem S. Doctor Epist. 106. apertè demonstrat; quod, qui tribuunt parvulis decedentibus sine baptismo vitam æternam, convincuntur hoc asserere, ex hoc quod fatentur eos non ire in regnum cœlorum; hoc enim omnes Pelagiani, imò Pelagius ipse non ausus fuit inficiari. Rursus ut Deum justum constituant, etiam asserunt illum æterna morte non punire parvulos, qui nullum habent peccatum: Unde ex consequenti convincuntur illis dare extra regnum cœlorum vitam æternam. Verba S. Augustini sunt: *Si dixerit ambos sine judicio natos nec aliquid de primi hominis damnatione traxisse, profectò quoniam negare non audet, in regnum cœlorum adoptari eum qui fuerit regeneratus in Christo. Respondeat quid de illo futurum sit, qui nulla sua culpa non baptisatus ista fuerit temporali morte præventus, si non putamus esse dicturum, quod innocentem Deus, nec habentem originale peccatum ante annos, quibus habere poterat proprium, æterna morte damnavit? Cogitur itaque respondere quod Pelagius in Ecclesiastico judicio, ut aliquo modo Catholicus pronunciaretur, anathematizare compulsus est, infantes etiamsi non baptisantur habere vitam æternam.* Cum ergo convincatur, qui dat parvulis morientibus sine baptismo vitam æternam, quod peccatum originale non admittit, & Molina citato loco vitam in perpetuas æternitates parvulis sine baptismo morientibus tribuat, convincitur & ipse peccatum originale in illis non admittere. Hac autem ratione à S. P. Augustino facta convincitur quod ille parvulus non ingreditur regnum cœlorum. Rursus cum sine peccato esse dicatur, non potest justè à Deo æterna morte puniri: ergo extra cœlorum regnum debet vitam habere perpetuam, ob quam rationem ipse Molina eis æternam vitam attribuit. Postremo serm. 14. de Verb. Apost. apertissimè probat quod extra regnum cœlorum nulla datur vita æterna, nullus medius locus in quo illa tribuatur: Quod manifestat ex illo quod Dominus in judicio, dexteram solam constituet, & sinistram; omnes qui in dextera non fuerint, ideſt ad regnum cœlorum pertinentes, erunt in sinistra ideſt in igne æterno & damnatione perpetua, nec aliqua est media & lib. de prædest. Sanctorum cap. 13. ait *Pelagianos laborare quarendo parvulis extra regnum Dei, nescio cujus sua fœlicitatis locum.*

Tandem idem sanctissimus Doctor lib. 2. de Anima & ejus origine cap. 12. ita ait: *Novellos hæreticos Pelagianos justissimè Conciliorum Catholicorum, & Sedis Apostolica damnavit authoritas, eo quod ausi fuerint non baptisatis parvulis dare quietis, & salutis locum etiam præter regnum cœlorum. Quod ausi non fuissent, nisi negarent eos habere originale peccatum.* Igitur qui modo contendunt dari parvulis non baptisatis fœlicem vitam in perpetuas æternitates sine omni vitio mentis & corporis, hanc illis non fuissent ausi concedere, nisi reipsa negarent eos habere originale peccatum, illatio enim ista non nostra est, sed expressa S. P. Augustini. Et lib. 1. de Anima, & ejus origine cap. 9. præmiserat verba hæc: *Non baptisatis parvulis nemo promittat, inter damnationem regnumque cœlorum, quietis vel fœlicitatis cujuslibet, atque ubilibet quasi medium locum: hoc enim eis hæresis Pelagiana promisit.* Notanda illa verba sunt, *fœlicitatis cujuslibet*, quibus S. Doctor fœlicitatem etiam naturalem illis parvulis negat, quam eis hæresis promittebat, Pelagiana, nam supernaturalem extra cœlorum regnum Pelagius eis non pollicebatur, sed naturalem, ut constat ex inductis locis, quod apertiùs infrà convincemus.

Innocentius I. definit parvulos sine baptismo decedentes vitam perpetuam non habere.

Præterea Innocentius I. in Epistola Decretali ad Concil. Milevitanum, Patribus illius Concilij respondens, qui ei retulerant Pelagianos dare extra cœlorum regnum vitam parvulis in quodam innominato loco sic dicit. *Illud verò quod eos Vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æterna vita præmiis absque baptismatis gratia posse donari, perfatuum est; nisi enim manducaverint carnem filij hominis, & biberint sanguinem ejus non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc in eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum.* Ubi Pontifex sanctus ex eo, quod à Pelagianis tribuebatur vita æterna extra regnum cœlorum; infert & peccatum originale ab eis negari, & baptismum ipsum cassari. Attendant ad hæc, qui audent parvulis decedentibus sine baptismo perpetuam vitam fœlicem, omni vitio mentis & corporis immunem adscribere. Attendant an per Innocentium primum convincantur, quod ipsum baptismum cassum reddant.

Idem definit Synodus Carthaginensis.

Ampliùs Synodus Carthaginensis imperante Honorio celebrata, cui præfuit Aurelius Episcopus, & Pontianus Pentheſij primæ Sedis Bisacenæ Provinciæ, quibuscum adfuerunt alij ex diversis Provinciis insignes viri 225. ita damnat: *Illos etiam damnamus, qui medium quemdam locum inter pœnas inferni, & paradisum statuebant, ad quem locum infantes, qui sine baptismo ex hac vita decedunt translatos, vitam beatam ducere docebant.* Hos itaque Synodus ill damnat. Igitur in terminis per S. August. per Innocentium primum, & per modo relatum Concilium manet sententia ista damnata, promittens parvulis sine baptismo vitam æternam extra cœlorum regnum.

Idem Concil. Africanum 217. Episcoporum.

In Concilio etiam Africano 217. Episcoporum in Ecclesia Carthaginensi celebrato, in quodam illius pervetusto Codice sic habetur. *Item placuit, ut si quis dicit ideò dixisse Dominum; in domo Patris mei mansiones multæ sunt, ut intelligatur quia in regno cœlorum erit aliquis medius, aut nullus alicubi locus, ubi beatè vivunt parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in regno cœlorum, quod est vita æterna, intrare non possunt, Anathema sit. Nam cum Dominus dicat, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non intrabit in regnum cœlorum, quis Catholicus dubitet participem fore diaboli eum, qui coheres esse non meruit Christi, qui enim dextera caret, sinistram proculdubio partem incurrit.* Ubi circa utrumque Canonem advertendum, per illos damnari, qui dicebant extra regnum cœlorum parvulos

Digitized by Google

los sine baptismo decedentes habere vitam beatam, idest beatitudinem naturalem, nam si pernaturalem illis vitam nec Pelagiani sine baptismo dabant. Quam naturalem, & beatam vitam Molina clarius explicavit dicendo eos habere in perpetuas æternitates fœliciſſimam vitam; cum infœlicem, utpotè damnationi, & morti obnoxiam secundum quod prædicta Concilia testantur, fateri teneatur. Eandemque salvationem eis tribuit, promittens eis beatitudinem naturalem, ut visum est supra.

Contra etiam illum medium locum, in quo vita parvulis sine baptismo mortuis promittitur ait S. Augustin. lib. 1. de pecc. merit. & remiss. cap. 28. *Nec est ullus medius locus ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo*; & Serm. 14. de Verb. Apostoli: *Nullus*, inquit, *relictus est medius locus, ubi ponere queant infantes.*

Contra etiam istum medium locum instat S. P. Augustin. lib. 3. de Anima, & ejus origine ad Vincent. cap. 11. dicens: *Noli credere, nec dicere, nec docere aliquas mansiones esse extra regnum Dei, quas esse Dominus dixit in domo Patris sui, si vis esse Catholicus*; Et in fine illius capitis ita concludit: *Et ideò quod putasti in aliquibus mansionibus quas Dominus multas esse dixit in domo Patris, mansuros quosdam etiam non renatos ex aqua & Spiritu, ut fidem catholicam teneas, admoneo si permittis, emendare non differas.* Contra eundem medium locum videatur Author Hyponost. lib. 5. ultra medium, S. Fulgent. de Fide ad Petr. cap. 25. quorum verba ob brevitatem omittuntur, & solius Anselmi, quia breviora, inducere visum fuit, de Conceptione Virginis cap. 22. ubi loquens de parvulis, qui sine baptismo decesserunt, sic ait: *Post diem judicij nullus erit Angelus aut homo nisi aut in regno Dei, aut in inferno.* Hæc sententia ex illo valde confirmatur, quod habetur Ecclesiastici 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem in quocumque loco ceciderit ibi erit.* Quod de salute æterna, aut damnatione communiter à sanctis Patribus explicatur, ut à S. Hieronymo, & aliis. Communis etiam videtur Scholasticorum sententia quod illi parvuli, qui modo in Limbo sunt, ibi post diem judicij manebunt. Alens. 2. p. quæst. 25. memb. 10. §. 1. S. Bonvent. in 2. sent. dist. 33. art. ult. quæst. 1. Ricardus ibidem art. 3. q. 1. Abulens. ad cap. 25. Math. q. 65. & diffusiùs quæstione sequenti. Card. Bellarm. Tom. 3. lib. 6. de Admiratione gratiæ cap. 2. Palacius in 2. dist. 33. q. 2. Azrius 1. p. institut. lib. 4. cap. 33. q. 4. Mag. Sotus lib. 1. de Natura, & Gratia cap. 19. & in 4. dist. 38. art. 4. ad 4. Qui omnes dicunt illos parvulos post diem judicij mansuros in loco vili, in loco sub terra, in loco tenebroso, in loco ignobili; quæ omnia Limbo conveniunt; & aliqui ex ipsis expresse dicunt illos mansuros in Limbo.

Illud etiam addendum, non solùm prædictis modis nunc explicatis convinci, doctrinam quam impugnamus reipsa peccatum originis de medio tollere, verùm ex alio etiam capite id deduci clarius ostendit S. Prosper prosa de ingratis; ex illo nempe, quo contendunt gratiam Dei sufficientem omnibus dari, quam quilibet suo bono usu, qui non habeatur ex gratia, illam reddat efficacem. Si enim potest arbitrium ex se benè uti gratia, ita quod ex gratia non fiat quod benè illa utatur, proculdubio arbitrium integrum est in natura, & non per peccatum læsum postquam potest habere tantam virtutem, & integritatem, ut ex se benè utatur gratia concessa, illam reddens efficacem. Quam Sancti Prosperi deductionem in suo loco in lib. 4. manifestam esse ostendemus, ut sic constet totam hanc doctrinam omni ex parte, & ex multiplici capite peccato originali detrahere. Primò, quia arbitrium hominis post peccatum primi parentis non læsum in naturalibus suis defendit. Secundò, quia arbitrium hominis læsi sustinet easdem omnino vires habere ac habuisset si in puris naturalibus conderetur. Tertiò, quia dicit ipsum posse facere omne bonum opus morale, fini naturali accommodatum, & virtutis opus. Quartò, quia tenet hominis arbitrium in natura lapsa sine auxilio gratiæ posse Deum diligere authorem naturæ super omnia actu absoluto. Quintò, quia contendit parvulos sine baptismo decedentes, post diem judicij reassumptis corporibus fœlicem vitam habituros, omni vitio mentis & corporis immunem. Sextò, quia dicit parvulos tantùm habere aliena delicta. Septimò, quia tenet quod facienti quod in se est, ex solis naturæ viribus, Deus ex certa lege dat gratiam. Octavò & ultimo, quia asserit gratiam Dei sufficientem omnibus dari, quam quisque pro libito efficacem reddat, illa benè ex se utendo. Quæ omnia cum coram fœlic. record. Clement. VIII. proposita & examinata fuissent, idem Pont. Max. publicavit, quod notum Romæ, ac manifestum fuit; ex sententia Molinæ & sectatorum ejus convinci ipsum non amittere originale peccatum veram culpam in parvulis esse, nec veram rationem culpæ habere.

CAPUT XXIII.

Quædem evasiones præcluduntur.

NEc obstat si dicatur, sicut aliquando Gregorius de Valentia dicebat, damnatam esse sententiã promittentem parvulis sine baptismo decedentibus æternam vitam supernaturalem extra cœlorum regnum. Primò, quia Pelagiani nunquam dixerunt, vel imaginarunt dari sine baptismo parvulis æternam vitam supernaturalem; imò planè expresse fatebantur illos in suis naturalibus sine supernaturali gratia baptismali nullam supernaturalem vitam habere; sed tantùm naturalem vitam perpetuam extra cœlorum regnum, & de hac vita parvulis tributa damnati sunt, tanquam peccatum originale negantes, & sacramentum Baptismi cassantes, ut ostensum est modò. Igitur ita responsio, non modò non excusat, quin potiùs aggravat, & ostendit potiùs cum Pelagianis convenire.

Pelagiani nunquam dixerunt parvulos sine baptismo decedentes habere extra cœlorum regnum supernaturalem vitam, sed naturalem tantùm.

Explicatur & confirmatur. Quia Pelagiani simul cum Pelagio ipso aperte fatebantur parvulos tales in regnum cœlorum non ire: ergo ibi manifestè etiam fatebantur, & vitam æternam supernaturalem non habere, quia æternam & supernaturalem vitam extra cœlorum regnum, nec ipsi imaginari potuerant. Imò, ut vitam supernaturalem illis negarent, cœlorum regnum illis negabant. Item, quia Pelagius ipse anathematizavit, ut relatum est supra, eos vitam æternam habere nec additum est supernaturalem, ut intelligatur illum compulsum anathematizare eos habere vitam æternam quamcumque, qua de medio sublata non remanet nisi æterna mors, ut ex sanctis Patribus dedimus manifestum. Unde rectè Cardin. Bellarminus lib. 6. de Statu peccati cap. 1. dicit damnatam esse Pelagianorum sententiam, quod parvulis sine baptismo decedentibus detur vita naturalis extra cœlorum regnum, sic enim ait in §. altera. Altera sententia paulò quidem minùs liberalis, sed tamen valdè mitis fuit eorum qui parvulos non „ baptisatos excludebant à regno cœlorum, & „ vita B. Sanctis promissa; tamen eis dabant vi- „ tam æternam, & naturalem beatitudinem sine „ ulla molestia, aut dolore extra regnum Beatorum „ &

Hoc ipsum testatur expresse. D. Cardin. Bellarm. ac benè.

» & procul à carcere damnatorum, hoc est in lo-
» co medio inter gehennam, & cœlum, qualis
» locus vix potest fingi alius, quàm terræ con-
» vexum. Ita sensisse olim Pelagianos docuit S.
» August. lib. de Hæresibus cap. 88. Nam, in-
» quit, etiamsi non baptisentur, promittunt eis
» extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam &
» beatam quandam vitam suam.

» Quod autem per regnum Dei intelligat Au-
» gustinus non solùm Domum Cœlestem, sed
» etiam visionem Dei, & quod Pelagiani non
» promiserint parvulis non baptisatis vitam æter-
» nam supernaturalem, quæ consistit in visione
» Dei, sed solùm vitam æternam naturalem, seu
» naturalem beatitudinem perspicuum est ex lib.
» 5. in Julianum cap. 8. Ubi Augustino teste Pe-
» lagiani alienabant parvulos non baptisatos à
» vita Dei, cum alienarent à regno Dei: Quid
» est autem vita Dei nisi visio Dei? sed neque
» ipsum regnum cœlorum in scripturis aliud
» significat nisi fœlicitatem æternam, quæ
» in Dei visione consistit, juxta illud, Angeli
» eorum in cœlis semper vident faciem Pa-
» tris mei qui in cœlis est: Math. 8. & il-
» lud scimus quia cum apparuerit, similes ei eri-
» mus, quia videbimus eum sicuti est, primæ Joan-
» nis 13. Et illud. Hæc est autem vita æterna,
» ut cognoscant te solum Deum verum, &c.
» Joann. 14. Itaque Pelagiani non vitam æternam
» simpliciter, sed ut Augustinus loquitur, quan-
» dam suam vitam æternam infantibus non bapti-
satis promittebant. Hucusque Cardinalis Bellarmi-
nus, qui & Molinæ doctrinam, & explicationem
seu evasionem Valentiæ apertè damnatam esse in Pe-
lagianorum sententia pronuntiat & probat: Et pro-
» sequens initio cap. 2. ait: Ex enumeratis sententiis
prima & secunda (Fuit autem secunda hæc, quæ modò
» relata est) Non solùm falsæ, sed etiam hæreti-
» cæ existimandæ sunt, & contra, fide catholica
» tenendum est parvulos sine baptismo decedentes
» tes absolutè esse damnatos, & non sola cœle-
» sti, sed etiam naturali beatitudine perpetuò ca-
rituros: Sic ipse qualificat Molinæ sententiam Valen-
tiæ excusatione adjuncta.

* Dicit D. Card. Bellarminus hæreticâ sententiâ promittere parvulis sine baptismo vitam æternam naturalem.

Hanc veritatem Illustrissimus Cardinalis latè probat ex Scripturis sanctis ex illo nempè Joannis
» III. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deser-
» to, ita exaltari oportet filium hominis, ut om-
» nis qui credit in eum non pereat, sed habeat
vitam æternam: Ergo qui non credit in Chri-
stum, sicut est parvulus decedens sine baptismo,
vitam æternam non habet, sed perit; si autem pe-
rit, quomodo fœliciſſimam vitam potest habere?
Similter probat ex illo Apostoli ad Rom. 5. *Per unius delictum in omnes homines in condemnatio-
nem*, cum quo stare non potest fœlicissima illa
naturalis vita; Et ex illo Apocalypsis 20. *Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in sta-
gnum ignis.* Solum autem prædestinatus est scriptus
in libro vitæ: ergo omnis alius mittendus est in sta-
gnum ignis.

Quod talis naturalis vita non possit illis promitti scripturæ sacræ docent.

Idem Concilia probant.

Probat etiam ex Concilio Carthaginensi in Epist. apud Augustinum 90. *Quicumque*, ait, *negat parvulos à perditione liberari per baptismum Christi, & salutem percipere sempiternam: Anathema sit.* Ex Concilio etiam Milevit. in Epist. apud Augustinum 92. dicente *Pueros si nullis inventur Christianæ gratiæ sacramentis habituros vitam æternam nequam præsumptione contendunt.* Et Concil. Florentinum sessione ultima determinat *Illorum animas, qui actuali mortali peccato; vel solo originali decedunt mox in infernum descendere pœnis tamen disparibus puniendos.* Et Concil. Trid. sess. 5. docet parvulos sine baptismo ad vitam æternam non pervenire.

Plures etiam adducit Patres, ac rationes aliquas ad idem probandum contra Pighium, & Catharinum, qui talem vitam naturalem perpetuam parvulis sine baptismo tribuebant; ubi à fortiori de eodem Pelagianorum errore, & Molinam, & Valentiam ejus defendentem doctrinam, sicut & Salmeronem supra allatum condemnat. Præter quæ Sanctorum testimonia & rationes, quæ non transcribendæ, sed ibi videndæ sunt. Hanc etiam excusationem sanctus Pater Augustinus in terminis præcludit. Postquam enim lib. 1. de peccato merit. & remiss. cap. 18. adversus Pelagianos dixerat verba hæc. Quis enim Christianorum ferat, cum
» dicitur ad æternam salutem posse quemcumque
» pervenire, si non renascatur in Christo, sta-
» tim ipsorum Pelagianorum opponens excusationem
in cap. 20. ita ait. Habent enim quo fugiant,
» atque ubi delitescant, quia non ait Dominus,
» si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu
» Sancto non habebit vitam: sed ait, non in-
» trabit in regnum Dei. Auferatur ergo jam du-
» bitatio, Dominum audiamus, non suspiciones
» conjecturasque mortalium, Dominum audia-
» mus; inquam, non quidem hoc de sacramenti
» lavacro dicentem, sed de sacramento sanctæ
» Mensæ suæ, quò nemo ritè nisi baptisatus ac-
» cedit. Nisi manducaveritis carnem meam, &
» biberitis sanguinem meum non habebitis vitam
» in vobis. Quid ultrà quærimus? Quid ad hoc
» respondere potuerunt, &c. Et lib. de peccato ori-
ginali cap. 18. irridet illorum evasionem prædictam
sub his verbis: Quasi præter regnum cœlo-
» rum habere nisi mortem æternam possint, qui
» sine participatione corporis & sanguinis Domi-
» ni æternam vitam habere non possunt. Igitur dam-
nata est etiam ista evasio, qua dicitur Molinam ex-
tra regnum cœlorum dare parvulis perpetuam vitam
naturalem, quia hanc solam Pelagiani eis tri-
buebant.

Catharinus & Pighius hanc naturalem vitam illis parvulis adscribebant.

Præterea adhuc clariùs Gelasius hanc evasionem modò noviter probatam, sicut antiquam & damnatam confundit Epist. 5. inter suas Decretales sic dicens. Qui crediderit & baptisatus fue-
» rit habebit vitam æternam. Qui autem non cre-
» diderit jam judicatus est, & ira Dei manet su-
» per eum. Illa utique, de qua dictum est, mor-
» te morieris, ipse Dominus Jesus Christus Cœ-
» lesti voce pronuntiat: qui non manducaverit
» carnem filij hominis, & biberit sanguinem ejus
» non habebit vitam in semetipso, ubi utique ne-
» minem videmus exceptum, nec ausus est aliquis
» dicere parvulum sine hoc sacramento salutari, ad
» æternam vitam posse perduci, sine illa autem
» vita in perpetua futurum morte non dubium est.
» Ex quibus summi Pontificis verbis, illud obser-
va præter vitam æternam, quam beatus habet in
Patria per Christum, nullam aliam esse vitam, sed
æternam mortem: ergo præter vitam æternam su-
pernaturalem, quæ beatis per Christum tribuitur
in regno cœlorum, aliam parvulis sine Christi bap-
tismo tribuere quamcumque perpetuam vitam, &
multò magis tam fœlicem, contra definitiones Eccle-
siæ procedit. Et post pauca. *Itaque omnibus, etiam solis remissis vitam per baptismum consequuntur æternam, consequens est ut solis etiam non remissis ad æternam vi-
tam pervenire non possint. Unde & Dominus, sicut supe-
rius diximus, ait: (Quod utique nisi baptizatis non
convenit), qui non manducaverit carnem filij homi-
nis, & biberit sanguinem ejus, non habebit vitam in
semetipso:*

Gelasius

Idem Gelasius.

Digitized by Google

ſemetipſo: ſine vita autem eſſe perpetua, quid eſt niſi in ſempiterna morte conſtitus? Quamvis idem ſit regnum cœlorum quod æterna Vita; tamen, ut providentia Dei omnes Pelagianorum nequitias amputaret, non ſolum dictum eſt, qui non fuerit renatus ex aqua, & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum, ſed etiam pariter dictum eſt. Qui non manducaverit carnem filij hominis, & biberit ſanguinem non habebit vitam in ſemetipſo. De Vita autem æterna hoc dictum nullus dubitat, quoniam multi non manducantes hoc Sacramentum, vitam habere videantur preſentem. Nihil eſt ergo quod dicant, quod non renati infantes tantummodo in regnum cœlorum ire non valeant, non autem perpetua damnatione puniantur, dum ſine Baptiſmate corpus, & ſanguinem Chriſti nec edere valeant, nec potare: ſine autem hoc, in ſemetipſis vitam habere non poſſent; ſine vita verò, non niſi mortui ſunt futuri. Dicant igitur in morte perpetua conſtitui, ſi non æſtimentur eſſe damnati. Tollant ergo de medio, neſcio quem ipſi tertium, quem decipiendis parvulis faciant locum. Hucuſque Gelaſius.

En quomodo ipſe Pontifex ſummus teſtatur Chriſtum Dominum omnes tergiverſationes Pelagianorum amputaſſe, qui non ſolum dixit neminem ſine Sacramento Chriſti poſſe intrare in regnum cœlorum, ſed dixit neminem talem habere vitam in ſemetipſo, ut omnem vitam negaret in illis, ſive in regno cœlorum, ſive extra illud. Itaque nullam in ſemetipſis vitam habere poſſunt, ſed condemnationem, & mortem. Imò Pontifices ſummi, ſancti Patres, & Concilia modò relata damnant ſententiam, quæ extra regnum cœlorum vitam perpetuam parvulis ſine baptiſmo tribuit: Quanto ergo magis manet damnata ſententia, quæ illis tribuit Vitam, vitamque fælicem in perpetuas æternitates. Igitur, ut omnia quæ in hoc capite, & præcedenti inducta ſunt in epilogum redigamus, ea omnia hac brevi ratione concludimus. Eccleſia damnavit illam Beatitudinem, vitam, ſeu fælicitatem quam Pelagius parvulis decedentibus ſine Baptiſmo concedebat; ut conſtat ex allatis non paucis teſtimoniis; ſed iſta vita, beatitudo, ſeu fælicitas naturalis erat, ut etiam manet oſtenſum: ergo damnavit Eccleſia promittere illis parvulis vitam, beatitudinem, ſeu fælicitatem naturalem in aliquo quopiam loco.

Opponitur argumentum. Quod ſi in contrarium objiciatur; Beatitudo naturalis conſiſtit in cognitione & amore Dei; ſed illi infantes, & modò & poſt diem Judicij cognoſcent & amabunt Deum: cum enim in hac mortali vita poſſit ratione naturali cognoſci Deus, hoc infantibus illis non eſt denegandum: Ad hoc dicendum

Solutio. primò illos infantes cognoſcere Deum ut ratio probat, quod & docet S. Th. quæſt. 5. de malo art. 3. & diſt. 33. q. 2. art. 2. in 2. ſent. Dicendum ſecundò quod pueri illi habent, & habebunt imperfectum aliquem amorem erga Deum authorem naturæ, quod eis S. Thom. concedit ubi ſupra ad quintum argumentum. Tertiò dicendum, quod etiam aliquale gaudium habebunt, ut S. Thomas docet citato loco. At ex iſtis nulla ratione ſequitur illos habere, vel habituros beatitudinem naturalem, primò quia hæc ſimul cum peccato avertente à Deo eſſe non poteſt. Secundò quia naturalis Beatitudo requirit perfectiorem Dei cognitionem, quàm illi habere poſſunt & perfectiorem Dei amorem, quam illum imperfectum ſignatum, & majus gaudium, quàm illud aliquale eis tributum. Tertiò quia talis naturalis beatitudo expoſcit delectabilem locum, & non tenebroſum, quem ipſi poſſident.

Non obſtat ſecundò reſpondere Molinam non dixiſſe parvulos ſine Baptiſmo decedentes habituros perpetuam & fælicem vitam ſed comparativè fuiſſe locutum, videlicet habituros vitam in perpetuas æternitates, quam unquam ullus mortalium duxerit. Nam utrumque planè affirmat, & in utroque ſine dubio exorbitat; dicit enim illos perpetuam in æternitates vitam habituros, cum deberet fateri, ut ex dictis modò conſtat, illos ire in damnationem & mortem æternam. Secundò exorbitat, quia etiam comparativè loquendo ſine errore dici non poteſt, parvulos illos fæliciorem vitam ducturos, quàm confirmati in gratia duxerunt in hac præſenti vita: licet enim parvuli illi à pœnalitatibus ſint liberi, à quibus in præſenti vita confirmati in gratia liberi non fuere, tamen ex alia parte in infinitum diſtat fælicitas confirmatorum in gratia per inchoatam vitam æternam, quam poſſidebant, ab infælicitate vitæ illorum parvulorum, quæ conjunctam habet culpam, miſeriam, iram, damnationem, æternamque mortem.

Dubitabis tamen ad hujus doctrinæ complementum, an parvuli illi abſolutè & ſimpliciter, verè ac propriè debeant dici miſeri, perire, æterna morte aſtringi, ire in damnationem & verè eſſe damnati.

CAPUT XXIIII.

Dubium quoddam circa parvulorum ſine Baptiſmo decedentium miſeriam, proponitur, & diſſolvitur.

AD quod breviter eſt dicendum, primò illos pœna ſenſus nullo modo affici, ut communis eſt ſanctorum & Theologorum ſententia. Sancti Auguſtini in Enchirid. cap. 93. Sancti Thomæ quæſt. 5. de malo art. 2. Innocentij IV. *Cap. Majores de Baptiſmo*: quia pœna ſenſus actuali peccato eſt propria, non originali. Ex quo ſequitur, quod cum aliqui ſancti, utpote, ſanctus Auguſtinus, dicunt parvulos decedentes ſine Baptiſmo experiri gehennam, & puniri æterno ſupplicio; Et S. Gregor. lib. 9. moral. cap. 19. aliàs 21. quod parvuli ſine Baptiſmo perveniunt ad æternum tormentum, quæ videntur ſignificare pœnam ſenſus, non ſentiunt illos revera, pœnam ſenſus habere, ſed per iſta verba intendunt ſignificare pœnam damni. Ita explicat ſanctos Doctores D. Th. q. 5. de malo art. 2. ad 1. *Lib. de fid. & operibus cap. 1. parumante medium tom. 3. & libro de fide ad Petr. cap. 27.*

Dicendum ſecundò Illos verè pati pœnam damni, ideſt carentiam perpetuam Divinæ viſionis, ut Theologi omnes fatentur & Innocentius IV. definit expreſsè cap. Majores de Baptiſmo; quæ damni pœna licet reſpectu rei, qua privat, graviſſima omnium ſit, tamen reſpectu ejus, quem illo bono ſupernaturali & minus connaturali ac debito privat, ſolet vocari mitiſſima à S. Auguſt. in Enchir. cap. 93. & à S. Tho. q. 5. citata art. 1. ad 3.

Dicendum præterea illos non ſentire ſe privari carentia divinæ viſionis, & ex conſequenti de hoc non triſtari, ut docet S. Thom. prædicta quæſt. 5. art. 3. licet revera carentia illa viſionis divinæ veram in illis habeat rationem pœnæ & abſolutè & ſimpliciter pœna damni ſit appellanda. Nec enim eſt de ratione pœnæ, quod ſit ſemper contra actualem voluntatem illius cui infligitur, aliàs cum aliquis abſens infamatur, aut bonis ſuis ſe ignorante ſpoliatur, non diceretur pœnam pati. Bene vero eſt de ratione

Digitized by Google

ne pœnæ quod sit, vel contra actualem voluntatem, vel etiam habitualem seu interpretativam, vel etiam contra inclinationem naturalem ut docet S. Thom. quæst. 1. de malo art. 4. & 5. & quæst. 5. artic. 3. ad 3.

Dicendum ultimò tales parvulos sine Baptismo decedentes verè miseros esse, verè perire, verè perpetua morte adstrictos teneri, verè ire in condemnationem, ac verè esse damnatos. Ad omnia enim ista absolutè & simpliciter verificanda sufficit illos pœnam damni, & carentiam perpetuam divinæ visionis habere propter peccatum originale, quæ vera macula, & culpa in ipsis est. Patet hoc ultimum dictum ex S. Augustin. per totum librum de peccato originali, & lib. 1. ad Bonif. cap. 22. cit. Patet etiam ex 5. Epist. Decretali Gelasij, cujus jam plura verba hoc clariùs testantia retulimus. Ubi id ipsum probat ex illo aperto Apostoli testimonio ad Rom. 5. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ, sicut autem omnes in condemnationem dicit, utique qui de Adam parente sunt geniti, sic omnes in justificationem vitæ non nisi illos adstruit qui in Christi mysterio sunt renati.* Et in eadem epistola sæpius repetit quod sunt mortui futuri, & quod in sempiterna morte sunt constituti, & quod æterna damnatione puniuntur. Patet insuper ex Decretali Innocentij I. supra relata: patet etiam ex illo cap. majores de Baptismo, & ex Concil. Carthaginensi relato, quæ omnia istam veritatem apertè tradunt, & docent.

Nec est verum, quod ex loco inferni, in quo modo positi sunt infantes tales, exire debeant post diem judicij in hanc terram ubi modo sumus, hoc enim asserere non consonat scripturæ Sanctæ dicenti Eccles. 11. *Ubicunque ceciderit lignum, sive ad austrum, sive ad aquilonem ibi erit:* Quod testimonium S. Hieronymus in comment. ad illum locum, & alij Sancti Patres intelligunt, & communiter explicant de hominibus, qui in eodem statu perpetuò erunt, in quo sicut in termino post mortem positi reperientur, ut ex pluribus Scholasticis manet probatum.

Impugnare autem de novo non oportet errorem, qui peccatum originale tantùm pœnam esse, non veram culpam affirmat: quia ex Concil. Milevit. cap. 1. & Arausic. 2. can. 1. & 2. Trident. sess. 5. & plurimis summorum Pontificum definitionibus contra Pelagij errores, manet error iste perpetuò damnatus tanquam totius Religionis Christianæ enervans fundamentum, cassans Baptismum, & Deum minùs justum constituens, qui tali pœna, sine culpa damnaret innoxios; Quibus argumentis Pontifices summi, Concilia, atque sancti Doctores pestiferum illum errorem semper damnaverunt, & damnatum esse censuerunt. Verba autem Concilij Tridentini sess. 5. can. 2. ita habent: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini, asserit nocuisse; & acceptam à Deo sanctitatem & justitiam quam perdidit sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum quod mors est animæ, anathema sit.* Et can. 5. *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, vel non imputari, anathema sit.*

Si ergo author prædictæ Concordiæ vult à Pelagianorum errore discedere, fateatur omnia contraria eorum, quæ disput. 3. & quæst. 23. disput. 9. protulit.

1. Fateatur quod post peccatum primi parentis totum genus humanum non solùm fuit donis supernaturalibus spoliatum.

2. Fateatur quod non solùm supernaturales vires in illo destitutæ fuerunt illo vigore, quem originalis justitia tribuebat.

3. Fateatur quod naturales vires post tale peccatum, non tales secundùm se manserunt, quales illas essemus habituri, si in puris naturalibus fuissemus constituti.

4. Fateatur quod quamvis sive in nobis, sive in Angelis, naturalia post peccatum manserunt integra, quoad essentiam, & potentias, non tamen integra quoad naturalem inclinationem in bonum.

5. Fateatur non solùm hanc esse differentiam inter naturam lapsam sine gratia, & naturam, si in puris naturalibus conderetur, quod respectu naturæ lapsæ exclusio à regno, carentia gratiæ, & privatio justitiæ originalis habent rationem privationis & pœnæ, non verò respectu naturæ in puris naturalibus conditæ vel condendæ.

6. Fateatur quod peccatum originale verè, & propriè habet rationem culpæ, qua verè nascuntur parvuli Dei inimici, & filij iræ.

7. Fateatur quod propter illam veram culpam, & maculam quam in se ipsis habent, justè à Deo excluduntur à regno.

8. Fateatur in prædestinatione, & reprobatione parvulorum, non solùm agi de donis gratuitis acquirendis, vel amittendis, sed etiam de ablutione à vera culpa per gratiam mediatoris in æternam vitam, vel de damnatione propter culpam in æternam mortem.

9. Fateatur, quod parvuli sine Baptismo mortui post diem judicij restitutis corporibus, non habebunt vitam fœlicem carentem omni vitio mentis, & corporis in perpetuas æternitates.

10. Fateatur illos in æternam mortem, & damnationem ire per veram pœnam damni.

Hæc omnia sine æquivocatione fateatur prædictus author, si à Pelagianorum sententia damnata immunis cupit evadere, aliàs cum Juliano, Cassiano, & Fausto qui peccatum originale dicebant pœnam non culpam, manifestum erit convenire, imò quantùm ad hoc quod peccatum non sit culpa in parvulis, cum ipso Pelagio latenter convenire videtur.

TRACTA

Digitized by Google

TRACTATVS SECVNDVS.

DE NATVRA CONTINGENTIS,

Et radice contingentiæ.

DESTRUCTO hoc primo Recentiorum principio, quòd post primi parentis peccatum non læsum manserit in naturalibus liberum arbitrium, fundataque veritate Catholica, quòd verè sit læsum per originale peccatum, quod ut verè culpa in illis inhærens illud infirmavit & extenuavit; aliud ipsorum principium expugnare oportet, quo dicunt tale hominis arbitrium, primum esse suæ determinationis principium, nec in illa sua libera determinatione, & influxu, à Deo pendere secundùm quod in secunda sua assertione authores, cum quibus disputamus, fundant, & suadere procurant: in quo jam non solum fatentur liberum arbitrium post peccatum non læsum manere, sed quod magis est, ita sanum, & forte in se constituunt ut principium primum suæ determinationis constituant, à priori primo principio in determinatione sua non dependens. Quod aliud destruit universale principium, quia de ratione cujuscunque secundæ causæ, & cujuscunque creati arbitrij etiam sani, quale fuit primi parentis arbitrium in prima sui conditione ante peccatum, est quod non sit primum suæ determinationis principium, sed quod in illa à prima causa essentialiter dependeat, quod jam nunc erit accuratiùs manifestandum.

Quia verò idem omnino est esse hominem primum suæ liberæ determinationis principium, & esse primam radicem contingentiæ & libertatis repertæ in illa determinatione sua, ideo examinare oportet quæ nam sit totius contingentiæ & libertatis radix prima. Quod ut commodius fiat, propria natura contingentis venit explicanda atque declaranda.

CAPUT I.

De Natura contingentis, & multiplici ipsius acceptione.

CONTINGENS, sive possibile pro eodem communiter à Philosophis & Theologis usurpatur. Arist. 2. physic. circa finem, & 6. Metaph. text. 6. S. Thom. utroque loco in 1. lect. 3. in 2. lect. 8. Item S. Thom. id apertiùs docet 3. contra gent. cap. 86. Unde cum possibile dupliciter accipiatur, dupliciter etiam contingens sumi debet.

Primo modo accipitur possibile pro eo quod infertur ex necessario, & ad ipsum sequitur. Alio modo pro possibili, quod necessario contradictoriè opponitur. Communis est doctrina quam Philosophi omnes rectè sentientes absque ulla contradictione recipiunt, quam & docet multoties S. Thom. locis citatis. Verùm est, quod, ut ibi S. Doctor advertit, & communiter omnes, qui ejus defendunt doctrinam exponunt: prima acceptio possibilis sive contingentis non ita usitata est, quia secundum acceptionem illam, quicumque effectus, qui in potentia alicujus causæ naturalis, & necessariæ contineretur, ex eo quod ab illa posset produci, vocaretur possibile, seu contingens; quam tamen satis constat minùs propriam esse acceptionem cum effectus talis simpliciter & absolute non appelletur possibilis & multo minus contingens, sed absolutè necessarius.

Secundo modo accipitur possibile sive contingens pro eo, quod necessario opponitur, & tunc in sua ratione claudit quod possit esse & non esse, & de isto possibili sive contingenti erit in hac institutione sermo. Ut autem ejus natura plenius exponatur, declaranda erit propria ratio necessarij sive impossibilis; utrique enim possibile sive contingens (ut omnes sentiunt) contradictoriè opponitur.

Necessarium (ut Arist. & S. Thom. docent ubi supra) illud est, quod in sua natura est determinatum ad esse. Unde non bene ab aliquibus definitur, ut necessarium nempe sit illud quod semper erit. Constat enim rationem sive definitionem istam propriam quidditatem necessarij non exprimere, sed à posteriori procedere, & per effectum, vel per aliquid consecutum ad necessarium ipsum, declarare. Non enim ideo aliquid est necessarium, quia semper erit si sermo (ut esse debet) sit à priori; sed potiùs ideo semper erit, quia est necessarium & determinatum à sua intrinseca natura ad essendum. Qua etiam ratione nec rectè ab aliis definitur necessarium, quod nempe sit illud quod non potest prohiberi quin sit verum: nam, ut modò est comprobatum, talis definitio à posteriori procedit, nec quidditatem propriam illius manifestat, imò illam per aliquid extrinsecum & consecutum declarat; certum est enim quod non ideo aliquid est necessarium, quia prohiberi non potest, vel quia non habet impedimentum ut sit, quia potiùs ideo ab alio extrinseco impediri non potest, quia in sua natura ab intrinseco est determinatum ad essendum: imò contingit aliquando effectum aliquem ex vi suæ propriæ causæ

Digitized by Google

esse necessarium, & tamen quod aliquando ab extrinseco impediatur ut notum est.

Similiter per oppositum. Illud est impossibile quod ex se est determinatum ad non esse, & ex hoc sequitur quod semper prohibeatur à veritate. Ex hoc colligitur id quod principaliter intendimus videlicet possibile sive contingens illud esse, quod in sua natura se habet ad utrumque ad esse & ad non esse, ad fore hoc vel illud & in ista indeterminatione & indifferentia ad utramque contrarietatis seu contradictionis partem, ejus propria ratio consistit, ut in hac materia latius à nobis erit explicandum.

Deinde hoc possibile, sive contingens sic explicatum, est aliud, quod potest esse & non esse, per Dei absolutam & extraordinariam potentiam: qua ratione omnes creaturæ etiam incorruptibiles, ut Angeli & Cœlestia corpora, possibilia possunt dici & contingentia. Aliud verò est quod potest esse & non esse in ordine ad potentiam Dei ordinariam & ad suas proximas causas. Illa prima acceptio possibilis non ita communis est; nec de illa regulariter Doctores loquuntur sicut absolutè de possibili, seu contingenti fit sermo. Docet enim S. Thom. quæst. 1. de potentia art. 4. quod judicium de possibili vel impossibili debet attendi secundum causas proximas. Ubi etiam docet quod comparatione ad diversas causas, illud quod respectu unius est impossibile, respectu alterius possibile judicatur. Unde multa à Philosopho impossibilia dicuntur. Utpote cæci illuminatio & similia quæ à Theologo possibilia prædicantur, quia videlicet attendit Theologus tunc divinam omnipotentiam. Nam si judicium proferatur secundum proximas causas (quod diximus est absolutum judicium) talis cæci illuminatio impossibilis judicanda est.

Aliam tirmembrem divisionem possibilis, sive contingentis adhibet Philosophus in 6. Metaph. text. 17. quam & S. Th. magis explicat non solùm ibi, sed q. 1. de poten. a. 3. Uterq; enim dicit sumi primo modo possibile secundùm aliquam potentiam activam sive passivam; sicut possibile est hominem ambulare secundùm potentiam gressivam, & possibile est in ligno generari ignem secundùm potentiam passivã; secundo modo sumitur possibile secundũ potentiã Mathem. quæ est in Geometr. prout dicitur linea potentia cõmensurabilis quia quadratũ est cõmensurabile. Tertio modo sumitur possibile secundùm seipsum qua ratione possibile dicitur omne quod non est impossibile, nec ex se, neque ex ratione terminorum. Cœterùm ista divisio non multum distat à præcedenti, quam modò explicavimus. Nam possibile secundum se, id est ex ratione terminorum, idem omnino videtur esse ac possibile per ordinem ad extraordinariam Dei omnipotentiam: hæc enim se extendit ad omnia illa quæ ex terminorum ratione non repugnant, & pari modo possibile secundùm potẽtiam Dei ordinariam idem videtur quod possibile secundùm potentiam activam vel passivam. Possibile autem secundo modo, secundùm videlicet potentiam Mathematicam, mittimus modo quia cum Mathematicis non disputamus, sed cum Philosophis ac Theologis naturam rei possibilis indagamus, & principaliter naturam possibilis seu contingentis secundùm potentiam proximarum causarum.

De possibili autem, seu Contingenti secundùm suas proximas causas adhuc loqui possumus dupliciter. Primo modo de natura & essentia ipsius contingentis abstrahendo à contingentia causæ vel contingentia effectus. Secundo modo de effectu ipso contingenti. Contingentia seu possibilitas primo modo nihil aliud in sua ratione dicit nisi rem quæ ab intrinseca sua natura potest esse & non esse; sive illa possibilitas & contingentia reperiatur in causa sive in effectu sive ab utroque in abstractione præscindat. Secundo verò modo dictum de effectu contingenti, respicit in sua ratione contingentiam suæ causæ vel ordinem transcendentalem ad illam, & eodem modo contingens causa illa erit quæ transcendentalem ordinem dicit ad effectum, qui ex illâ potest esse & non esse, & quidem præsens institutio principaliter intendit declarare effectus contingentiam, & à quo illius contingentia proveniat, sicut à prima radice.

Insuper effectus contingens sic indifferens ad esse & non esse, adhuc triplex est secundum Arist. & sanctum Tho. locis citatis. Aliud enim est ut in pluribus, aliud ut in paucioribus; aliud ad utrumlibet, id est ad utramque contradictionis partem æqualiter se habens. Quod ultimum propriùs dicitur contingens, ut docet S. Thom. 1. p. quæst. 14. art. 13. quia videlicet illud magis participat naturam contingentis, cum majorem indeterminationem habeat nec magis in unam quam in aliam partem inclinet. Nam contingens, quod est ut in pluribus, magis videtur accedere ad necessarium, sicut quod est in paucioribus magis reducitur ad impossibile. Similiter idem Sanctus Doctor quæst. 16. de malo art. 7. hoc magis explicans ita dicit. *In causis autem suis sunt aliqua futura tripliciter. Uno modo secundum potentiam tantùm; quia scilicet æqualiter possunt esse vel non esse, quæ dicuntur contingentia ad utrumlibet. Quædam verò sunt in causis suis non solum secundum potentiam sed secundum rationem causæ activæ, quæ non potest impediri à suo effectu, & hæc dicuntur ex necessitate contingere. Quædam verò sunt in causis & secundùm potentiam & secundùm causam activam quæ potest tamen impediri à suo effectu; & ista dicuntur contingere ut in pluribus.*

Præterea effectus iste contingens sic explicatus, vel consideratur in seipso secundum quod est jam actu productus extra suas causas, & hoc modo non est futurus, sed jam præsens, nec consideratur ut contingens ad utramque partem, sed ut sic, dum nempe est, determinationem habet ad unam ut docet S. Thom. 1. p. quæst. 14. art. 13. & alibi sæpe. Quomodo autem talis effectus sic præsens contingentiam in se habeat actualem simul cum illa determinatione (quam contingentiam nullo modo S. Thom. ibi intendit negare) dicemus infra commodiùs. Alio modo consideratur contingens ut est in sua causa, & hac ratione consideratur ut futurum contingens ad utrumlibet sine determinatione ad aliquam contradictionis partem. Omitto aliam divisionem contingentis in contingens particulare & contingens universale quam tradidit S. Th. etenim contingens in universali necessariũ est, ut ibi S. Th. declarat; certũ enim est rationes universales contingentiæ esse necessarias. De hoc autem contingenti non agunt Philosophi, cum ab eis, sive à Theologis tractatur de futuris contingentibus. Solum namque disputant de effectibus contingentibus in particulari, hi enim sunt qui possunt esse, & non esse & contingenter evenire.

Adhuc verò effectus hic contingens in particulari, tripliciter venit subdividendus. Alius enim est effectus contingens dialecticè, alius Physicè, alius moraliter. Quam divisionem in hac materia oportet maximè prænotare, quàm & Doctores alij per duo tantum mẽbra dividunt, dicentes aliud esse contingens generaliter dictum, aliud verò particulariter acceptum. Itaque idem omnino est contingens generaliter dictum, quod contingens dialecticè sumptum. Contingens autem particulariter captum utrumque comprehendit, nempe & contingens Physicè & moraliter consideratũ. Ratio propria effectus cõtingentis generaliter sive dialecticè sumpti in hoc consistit, quod dicat respectum ad causam contingentem & generaliter dictam, id est ad causam potentem producere & non producere absque aliqua

Digitized by Google

aliqua imperfectione vel impossibilitate in ipsa causa reperta. Unde effectus contingens sic generaliter dictus convertitur cum actione libera, unde causa contingens sic dialecticè sive generaliter accepta convertitur cum causa libera. Et in universum contingens hoc modo sumptum idem omnino est quod liberum, nec aliquam in suo conceptu, seu formali ratione imperfectionem includit. Contingens autem particulariter dictum (quod tam contingens physicè quam moraliter includit) dicit intrinsecè & formaliter ordinem transcendentalem ad causam defectibilem. Unde ille est effectus contingens, qui potest produci, & non produci à causa defectibili & impedibili. Qua ratione constat quod imperfectionem supponit in causa. Effectus quidem contingens physice respectum dicit ad causam defectibilem & impedibilem physicam; effectus verò contingens moraliter in sua ratione importat ordinem ad causam moralem defectibilem. Unde contingens ut sic superius quid est, & abstrahit à contingenti naturali & à contingenti libero.

Contingens ut sic abstrahit à contingenti naturali & conting. libero.

Similiter duplex est causa contingens, alia contingens naturalis, alia contingens libera (& idem dicendum de effectu contingenti, alius enim est contingens naturalis, alius verò contingens liber, ut dicetur inferius.) Unde Deus non potest dici causa contingens quod tenendum est contra Scotum ex sancto Thoma in 1. dist. 43. q. 2. art. 1. ad. 4. cujus & verba sunt. *Non est dicendum voluntatem Dei esse contingentem, aut operationem ejus; quia contingentia mutabilitatem importat, quæ in eo propriè nulla est, sed tamen est ibi libertas voluntatis, & operationis pro ut exit à voluntate.* Quod & advertit Capreolus citatis modo verbis sancti Thomæ in primo dist. 38. q. 1. ad argumenta contra 4. conclusionem §. vult etiam S. Th. Unde cum alibi dicit Capreolus quod divina voluntas dicit habitudinem non necessariam, sed contingentem ad causata plane loquitur de Contingentia generaliter dicta, quæ convertitur cum libertate & nullam in agente imperfectionem importat.

Has omnes multiplices, & varias divisiones contingentis sive possibilis commemoravimus circa contingentia possibilia. Quia tamen ex istis possibilibus, seu contingentibus effectibus, quidam nunquā erunt, alij verò aliquando futuri sunt, necesse est omnem effectum contingentem, sive generaliter, sive particulariter sumptum, distinguere in effectum contingentem futurum, & in effectum contingentem possibilem tantùm. Rursus, quia effectus contingens futurus, alius est absolutus, ut lectio crastina quæ erit, quam tamen constat potuisse non esse; alius verò dicitur conditionatus, qui esset de facto, si talis vel talis conditio adhiberetur. Quid de utroque judicandum sit, suis propriis locis explicabimus.

Illud autem advertendum nostræ intentionis non esse, perfectè de rerum contingentia disputare secundùm quod latiùs patet, quam libertas, & secundum quod se extendit ad causas, non tantum liberas sed naturales, in quibus contingentia invenitur, ut est communis & antiqua Peripatheticorum & Theologorum sententia contra stoicos, & Avicennam, qui à vera philosophia declinantes contrarium dixerunt, ut statim sub magna brevitate probabimus. Non inquam, nostræ intentionis est de hac generali contingentia tractare: Tum quia de hac contingentia principalis quæstio non est, tum etiam quia ut ex S. Th. discimus libro 3. contra gent. cap. 73. in rebus inanimatis causarum contingentia ex imperfectione & defectu est; secundum enim suam naturam sunt determinatæ ad unum effectum quem semper consequuntur nisi sit impedimentum, vel ex debilitate virtutis, vel ex aliquo exteriori agente, vel ex materiæ indispositione, & propter hoc causæ naturales agentes, non sunt ad utrumque, sed ut frequentius eodem modo suum effectum producent, deficiunt autem rarò. Quod autem voluntas sit causa contingens ex ipsius perfectione provenit, quia non habet virtutem limitatam ad unum, sed habet in potestate producere hunc effectum vel illum, propter quod est contingens ad utrumlibet.

Ut ergo à contingentia causarum naturalium in momento nos expediamus, etiam Stoici circa illam erravere illam negantes. Contra quos disputat Aristoles primo Periherm. cap. 8. ubi pro possibilibus & contingentibus duas assignavit radices deliberationem videlicet seu Consilium pro humanis actibus, & causam aliam pro generationibus naturalibus, potentibus esse & non esse, quod magis ibi explicat S. Thomas lect. 13. Idem docet apertè Philosophus 2. Physic. text. 48. & ibi S. Thomas lect. 8. Item 6. Metaph. text. 7. & ibi S. Thomas. Idem docet Philosophus cap. 2. de divinatione per somnium & ibi S. Thomas. Idem magis explicat atque confirmat sanctus Thomas in multis suæ doctrinæ locis precipuè 3. contra gent. cap. 86. de veritate q. 23. art. 5. 1. par. q. 57. art. 3. sed ex professo magis eadem 1. par. quæst. 115. art. 6. 2 2. q. 95. art. primo & alibi sæpe ex quo convincitur falsam esse sententiam horum Recentiorum, cum quibus agimus, quam magis fundare laborat P. Franciscus Suarez in sua Metaph. disp. 19. sect. 10. n. 4. & 5. dicens, quod si effectus quilibet naturalis comparetur, non solum ad suam proximam causam, sed ad totum ordinem & seriem causarum, & in eis nulla interveniat creata libertas applicans saltem alias causas, vel removens impedimenta, talis effectus nullam contingentiam habebit, sed simpliciter & absolutè erit necessarius: convincitur enim ex dictis falsam esse istam sententiam nec distare ab illa Stoicorum, & Avicennæ per Aristotelem & S. Thomam reprobata. Imò videtur apertè reprobata in quodam articulo Parisiensi in quo ita dicit illa schola. *Quia nihil contingenter eveniat, considerando omnes ejus causas, error.* Itaque sicut errorem comdemnat nihil contingenter evenire per respectum ad omnes simul causas. Sed nec in hoc oportet diutius immorari, quia aliò nostra tendit intentio. refertur hic articulus Parisiensis à Capreolo in 1. sent. dist. 38. quæst. prima.

Ex plurimis autem S. Thomæ testimoniis, quibus hæc confunditur doctrina, quæ & modò relata sunt, unum præterea referam ex quæst. 16. de malo art. 7. ad 14. Sic enim habet. Ad 14. dicendum *Quod quatuor viis processerunt aliqui ponentes omnia ex necessitate evenire. Quarum una fuit via Stoicorum qui imponebant necessitatem futuris eventibus ex certa serie causarum ad invicem connexarum, quam fatum dicebant, & ad hoc tendit hac ratio, sed Arist. solvit eam in 6. metaph. dicens, quod si duo supponantur, quod scilicet omne quod evenit habet causam, & quod posita causa necesse est effectum poni, sequitur omnia ex necessitate contingere,* Et post pauca. *Sed utraque prædictarum suppositionum falsa est. Falsum enim est quod causa posita, etiam si de se sit sufficiens, necesse sit effectum poni, quia potest impediri, puta ignis à combustione lignorum per injectionem aquæ. Similiter etiam non est verum quod omne quod evenit habeat causam. Quadam enim eveniunt per accidens: quod autem est per accidens non habet causam, quia propriè non est ens ut Plato dixit, unde quod iste fodiat sepulchrum, causam habet, iterum quod in aliquo loco conditus sit thesaurus causam habet:*

Digitized by Google

bet : ſed iſte concurſus qui eſt per accidens, ſcilicet hunc volentem ſepulchrum fodere in loco ubi eſt theſaurus reconditus, non habet cauſam, quia eſt per accidens.

Argumenta autem alia, quibus utuntur moderni authores repetenda non ſunt : quia eadem ſunt omnino cum argumento & fundamento Avicennæ Quibus S. Thomas defendens Ariſt. doctrinam reſpondet citatis locis, per doctrinam modò ex ipſo inductam, unde ab his abſtinendum putamus, quia ut diximus intentionis noſtræ non eſt de hoc, modò agere, quia ſolum de prima cauſa, atque radice libertatis humanæ tractamus.

Concludendum eſt ergo primò eſſe aliquas veras cauſas contingentes præter illas, quæ liberæ ſunt.

Concludendum eſt ſecundò hujuſmodi effectus contingentiam, tanquam in proximam cauſam in ſuas contingentes cauſas creatas modò relatas, & explicatas eſſe reducendam.

Concludendum eſt tertiò prædictam effectuum naturalium contingentiam ultimatè in primam omnium cauſam, quæ divina voluntas eſt, ſicut in primam talis contingentiæ radicem eſſe reducendam, quæ videlicet divina voluntas cauſas contingentes pro effectibus contingentibus aptat & præparat, ut dicendum erit inferiùs.

Relicta ergo hac generali ratione contingentiæ, quæ in effectibus naturalibus invenitur (quæ ad notrum inſtitutum non multum conducit) de contingentia reperta in liberis operationibus, & de ipſis cauſis liberis quæ contingenter illas producunt, erit deinceps principaliter agendum, & inveſtiganda erit prima radix, & cauſa talis contingentiæ, & libertatis.

CAPUT II.

Quod prima radix libertatis, ac Contingentiæ non ſit aliqua cauſa ſecunda, explicatur.

COGNITA effectus contingentis natura, ejuſque proxima cauſa, primam illius radicem opportet inveſtigare, ut ſic ab ultimo actu uſque ad primam potentiam contingentiæ, ipſa perfectè comprehendatur.

Radix prima contingẽtiæ non eſt cauſa ſecunda.

Dicendum eſt ergo radicem primam, primamque cauſam libertatis & contingentiæ nullo modo poſſe eſſe aliquam ſecundã cauſam, nec in cauſam ſecundam ſicut in primam radicem, contingentiam ſeu libertatem rerum reducendam eſſe. Veritas iſta (ut ſtatim apertiùs dicemus) fundamentalis debet eſſe in tota iſta materia, & procedit contra ſecundam fundamentalem aſſertionem recentiorum. Habetur tamen expreſsè ex S. P. Auguſtino lib. 3. de Trinit. cap. 2. ubi ſic dicit : *Licuit vanitati Philoſophorum etiam aliis cauſis ea* (ſcilicet effectus contingentes) *tribuere, cum omnino videre non poſſent ſuperiorem cæteris omnibus cauſam id eſt voluntatem Dei.* Ubi expreſsè damnat Philoſophos ex eo quod effectus contingentes in ſecundas cauſas ultimate reducebant, ergo cauſæ ſecundæ non ſunt prima radix ipſius contingentiæ. Imò in hoc Philoſophos vanos meritò appellat S. Auguſtinus, nullo enim ſtabili fundamento, ſed vanitate nimia, contingentia rerum in cauſas ſecundas ſicut in primam radicem reducitur, à quibuſcumque id reducatur; ſive ſint antiqui Philoſophi, ſive ſint Theologi, qui eorũ vanitatem in hoc amplectuntur. Quia enim Philoſophi illi reducebant rerum contingentiam in ſecundas cauſas non dependenter in tali cauſalitate à prima cauſa quæ eſt divina voluntas, ideo à S. P. Auguſtino reprehenduntur de vanitate ut ipſum explicando declarat fideliſſimus ejus interpres Sanctus Thomas prima par. quæſt. 19 art. 5. ad ſecundum.

S. P. Auguſtinus.

Eandem hanc veritatem docet Idem S. Thomas plurimis ſuæ doctrinæ locis ſed ille omnino efficaciſſimus & clariſſimus qui habetur 1. p. quæſt. 19. art. 8. ubi duabus efficaciſſimis rationibus id probat ; quæ quia fundamentales debent eſſe in hac materia, breviter hic à nobis referentur.

Prima ſic habet, Quando effectus alicujus primæ cauſæ eſt contingens propter cauſam ſecundam, impeditur effectus cauſæ primæ per defectum cauſæ ſecundæ ; ſed nullus defectus cauſæ ſecundæ impedire poteſt, quin voluntas Dei effectum ſuum producat : ergo effectus divinæ voluntatis non eſt contingens propter cauſam ſecundam. Hucuſque procedit ratio ſancti Thomæ. Ex hac conſecutione alia deducitur in hunc modum. Ergo cauſa ſecunda non eſt prima radix contingentiæ, ita quod contingentia ſit in rebus ſolum propter cauſam ſecundam. Hoc enim modo ſumitur ly *propter* in majori appoſitum à Sancto Thoma. Conſequentia autem, quam infert Sanctus Thomas ex præmiſſis propoſitis eſt : ergo nullus effectus ad quem concurrit divina voluntas eſt contingens ſolum propter cauſam ſecundam. Licet enim Sanctus Thomas expreſsè hanc non inferat, tamen ex præmiſſis ab ipſo diſpoſitis hæc concluditur, imò hæc intenditur. Cum autem divina voluntas concurrat ut prima cauſa ad omnem effectum cauſæ ſecundæ, quod negare non poteſt, niſi qui negat divinam voluntatem primam omnium cauſam eſſe ; planè deducitur quod nullus in univerſum ſit effectus ſecundæ cauſæ, qui propter ipſam ſecundam cauſam, ſicut propter primam radicem, contingentiam habeat. Major aperitur à Sancto Thoma exemplo adhibito de virtute ſolis reſpectu effectus plantæ, conſtat enim quod virtus ſolis germinativa aliquando impeditur per ſecundam cauſam ne videlicet germen producat ut floreat : quod evidentiſſima experientia comprobatur, dum hac herba ſeu planta florente, alia non floret ex impedimento talis plantæ. Et ſic effectus, quem virtus ſolis in una producit planta impeditur in alia ; quod ideo provenit, quòd virtus ſolis eſt cauſa neceſſaria non autem eſt prima radix illius effectus contingentis nec contingentia illa habetur ex virtute ſolis, ſed habetur ex ipſa ſecunda cauſa, quæ ſuâ contingentiâ impedit ne effectus iſte contingens fiat.

Secunda ratio Sancti Thomæ eſt talis : Si diſtinctio contingentium à neceſſariis referatur ſolùm in cauſas ſecundas, ſequitur hoc eſſe præter intentionem & voluntatem divinam, quod eſt inconveniens.

Sub his terminis ſtatuitur ſecunda hæc ratio à Sancto Thoma, quæ adeo clarè procedit, ut nec verbum oporteat in ejus explicatione prænotare ; illud enim, cujus deus non eſt cauſa, voluntati & intentioni ejus non ſubditur : ſi ergo rerum contingentia ſolùm in ſecundum cauſam reducitur, ab illa tantum cauſatur, & non à divina voluntate cauſatur. Unde præter divinam voluntatem eveniet. Aſſerere autem aliquid in rerum natura evenire præter Dei intentionem, & voluntatem quis audeat ? Cum hoc, quod hic Sanctus Thomas vocat inconveniens, alibi dicat eſſe errorem in fide, videlicet in hac prima parte quæſtione 116. articulo primo.

Præterea idem ampliùs probatur ex doctrina S. Th. aliis in locis. Prima cauſa eſt primum principium omnis entis & omnis conditionis ſeu modi entis, nam

Digitized by Google

nam quidquid habet aliquam rationem seu modum entis à primo omnium ente necesse habet illum mendicare, sicut omne calidum à primo calido participatur; nisi aliquis audeat dicere non solùm contra fidem, sed etiam contra omnem philosophiam aliquid reale esse in rebus, quod à Deo non sit causatum: cum ergo contingentia rerum absque dubio sit aliqua conditio & modus entis, qui per se continetur intra rationem entis creati, necesse est quod illius Deus sit prima causa, & principium primum: non ergo prima radix contingentiæ est, aut esse potest aliqua secunda causa.

Præterea quæcumque secunda causa libera sive contingens (ut nomen sonat) causa secunda est: ergo essentialiter pendet à prima: ergo ex virtute primæ habet quod causet: ergo per virtutem primam conjungitur suæ operationi: ergo ejus libera & contingens operatio magis in causam primam quam in ipsam secundam reducenda est. Unde libro de causis dicitur quod prima causa magis influit in causatum quam secunda: ergo effectus causatus, magis primæ causæ quam secundæ tribuitur: ergo non potest talis effectus reduci solùm in ipsam causam secundam. Omnia quæ in hac ratione præmittuntur, & concluduntur, manifestissima sunt, & alibi ex professo declaranda atque fundanda.

Tandem quælibet secunda causa sive libera, sive contingens, sive necessaria, movet mota, ut catholica veritas cum omni naturali doctrina demonstrat: ergo non est primum se movens: ergo non est, nec potest esse primum principium suæ actionis seu determinationis: ergo talis operatio, seu determinatio non potest in secundam causam tantùm reduci, sed debet reduci principaliter in primam.

Hanc etiam veritatem scriptura sacra & sancti Patres apertè docent; scriptura enim sacra omnia, quæ rationem entis quoquo modo habent in divinam voluntatem sicut in primam omnium causam reducit dicens. Apoc. 4. *Et propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Sap. 11. *Quomodo aliquid posset permanere nisi tu voluisses.* Et iterùm. Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est.* Et rursus Isaï. 26. *Omnia opera in nobis operatus es Domine.* Et tandem ad Rom. 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Qui autem dicit omnia, nihil boni, quod à Deo non causetur, in ipsumque sicut in primam causam non reducatur, excludit. Simile est illud ad Ephes. 1. *Secundum propositum ejus, qui universa operatur.* Et illud ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere.* Et cætera talia.

CAPUT III.

Recentiores constituentes causam secundam esse primam libertatis radicem, ex D. Thoma refelluntur.

EX dictis pœnitùs evanescit secunda illa recentiorum assertio, quam ut suæ doctrinæ singulare fundamentum tuentur, dicentes non in Deum, sed in nos, esse reducendum quod bene operemur moraliter, & quod ad opera bona moralia nos determinemus; addentes hominem esse primam radicem determinationis suæ, atque posse dici primum initium suæ determinationis, primumque movens intrinsecum, nec posse ab intrinseco, motore Deo moveri. Hæc enim omnia fuerunt ipsorum formalia & expressa verba. Quibus tam multiplicatis verbis, expressè dicunt secundam causam liberam esse primam radicem contingentiæ & libertatis, quæ in humanis operationibus invenitur sed, qui hæc dicunt, contra prædicta scripturæ testimonia & rationes factas pugnant apertè, & omnem ordinem & subordinationem secundarum causarum ad primam pœnitus invertunt, nec liberum hominis arbitrium defendunt, sed præcipitant, & cum Cicerone dum homines volunt facere liberos, faciunt sacrilegos, ut ex dicendis infra erit manifestum. Intantùm autem veritas quam contra illos defendimus, & lumine naturali & catholica veritate est nota & clara, ut qui illam negant, apertè tamen ipsam impugnare non audeant. Unde & quædam habent verba, quibus saltem voce, hæc, quæ modo retulimus, temperant. Dicunt enim quod licet hæc quæ dicuntur, vera sint, tamen omnia nostra opera moralia bona in Deum sicut in primum naturæ authorem, & primam rerum causam referenda sunt. Quomodo autem ista quæ inter se contraria videntur, sine contradictione ab ipsis intelligantur, ipsimet se declarantes manifestant. Dicunt enim quod in Deum sicut in primum naturæ authorem & primam causam talia nostra opera ideo referenda sunt, quia ipse nobis possibilitatem tribuit operandi. Idcò autem non in Deum, sed in nos referenda sunt, quia non ex Deo, sed ex nobis ipsis movemur ad illa eligenda. Et quia Deus nobis illam possibilitatem contulit ad illa bona opera, affirmant salvari omnia sacræ scripturæ inducta testimonia, quæ docent omnia in Deum esse referenda.

Sed sic implicantes & intelligentes, similes omnino sunt illis de quibus sanctus Thomas 3. contra Gent. cap. 89. ita dicit. *Quidam verò non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque perjudicio libertatis voluntatis conati sunt has authoritates malè exponere, ut scilicet dicerent quod Deus causat in nobis velle & perficere inquantùm dat nobis virtutem volendi, non autem sic quod faciat nos velle hoc vel illud, sicut Origenes exponit in tertio Periarchon.* Hæc sanctus Thomas, & statim subdit. *Quibus quidem authoritatibus sacræ scripturæ resistitur evidenter dicitur. Enim Isaï. 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine: Unde non solùm virtutem volendi à Deo habemus, sed etiam operationem.* Ecce S. Thomas affirmat errorem fuisse Origenis sic prædicta scripturæ testimonia explicare, ut liberum servaret arbitrium. Qui ergo temporibus istis idem omnino dicunt, & propter eundem finem, nempe propter liberandum arbitrium, convincuntur cum Origene convenire. Rursus apertè ostendimus totum Pelagij dogma fuisse quòd Deus det nobis posse non autem quod faciat nos velle & operari: ergo qui modo similia sapiunt dicentes ideò in Deum referenda esse nostra bona opera moralia, quia nos non facit ea velle sed quia nobis liberam facultatem ad ea volendum contulit ab illo Pelagij dogmate non recedunt.

Adversus autem istas antiquas sententias, & his temporibus renovatas docet sanctus Thomas apertè quod sic sentientes, authoritatibus scripturæ resistunt evidenter, ut ex inducto illo testimonio Isaï. ipse sanctus Doctor ostendit.

Præterea id ipsum in secunda ratione illius capitis sic confirmat. *Hoc ipsum quod Salomon dicit quocumque voluerit inclinabit illud, ostendit non solùm divinam causalitatem ad potentiam voluntatis extendi, sed etiam ad actum ipsius.*

Præterea & tertiò idem sic probat. Quia Deus non „ solùm dat rebus virtutem, sed etiam nulla res po- „ test propria virtute agere, nisi agat in virtute ip- „ sius: ergo homo non potest virtute voluntatis sibi „ data uti, nisi inquantum agit in virtute Dei; illud

autem

Digitized by Google

„ autem in cujus virtute agens agit, est causa non „ solùm virtutis, sed etiam actus: quod in artifice „ apparet, in cujus virtute agit instrumentum, etiam „ quod ab hoc artifice propriam formam non acci- „ pit, sed solùm ab ipso applicatur ad actum. Deus „ igitur est causa nobis non solùm voluntatis, sed „ etiam volendi.

„ Ampliùs ait. S. Thomas. Perfectiùs invenitur „ ordo in spiritualibus quàm in corporalibus. In „ corporalibus autem omnis motus causatur à primo: „ oportet igitur quod in spiritualibus primus motus „ voluntatis à prima voluntate causetur, quæ est „ voluntas Dei.

„ Adhuc superiùs (inquit S. Thomas) ostensum „ est, quod Deus est causa omnis actionis, & opera- „ tur in omni agente: est igitur causa motuum vo- „ luntatis.

„ Item (dicit S. Thomas) arguit Aristoteles in 8. „ Eudemiæ ethicæ per hunc modum. Hujus quod „ aliquis intelligat, consilietur, & eligat, & velit, „ oportet aliquid esse causam; quia omne novum „ oportet quod habeat aliquam causam; si autem est „ causa ejus, aliud consilium, & alia voluntas præce- „ dens, cum non sit procedere in his in infinitum, „ oportet devenire ad aliquod primum: hujusmodi „ autem primum oportet esse aliquid, quod est me- „ lius ratione; nihil autem est melius intellectu & „ ratione nisi Deus: est igitur Deus primum princi- „ pium nostrorum consiliorum, & voluntatum.

Idipsum probat S. Thom. in cap. 90. sequenti aliis rationibus sex, quas consultò omittimus alibi referendas, quia modo relata demonstrant & in Arist. & in rationis lumine, & in scriptura sacra esse apertissimum, quod Deus non solùm dat nobis possibilitatem volendi, sed quod facit nos hoc vel illud velle.

Concludendum est ergo contra prædictos Authores quod nostra bona opera moralia non solùm in Deum referenda sunt sicut in primum anthorem & causam, quia dedit nobis volendi facultatem & possibilitatem, sed etiam quia conservat, & quia movet & applicat ad agendum, & facit nos ea velle & facere. Concludendum est secundo contra omnem doctrinam & authoritatem scripturæ procedere quod dicunt; bona nostra opera moralia in nos & non in Deum esse referenda. Concludendum est etiam, contra prædicta scripturæ testimonia & inductas rationes militare, quod dicunt, primam radicem nostræ bonæ determinationis esse nostrum liberum arbitrium, & quod nos sumus primum initium illius & primum movens nos ipsos, & quod non possumus moveri ab aliquo extrinseco motore, etiam ipso Deo, ut illi authores in terminis formalibus publicant.

Circa quorum verba & hoc unum ab omnibus notandum proponimus. Quare scilicet prædicti authothores, cum apertè fateàntur hominem esse primam radicem suæ determinationis, concedere reformident illum esse primum initium ejusdem determinationis suæ, ut ex relatis ipsorum verbis, manet declaratum. An non sunt ista æquivalentia omnino, prima radix determinationis, & primum initium determinationis? an de hoc potest aliquis, nisi propriam vocem ignoret, dubitare? Cum ergo isti authores unum fateantur expressè, cur aliud concedere reformidant? Certè hujus nullam aliam rationem video nisi quia vident & ipsi, esse in terminis per concilia definitum initium salutis seu justificationis ex homine non esse. Unde ad frangendam vocabuli invidiam id his verbis non ita apertè concedunt, sed æquivalentibus aliis. Sed quid hoc juvat, cum æquivalentibus verbis idem omnino signetur? Quid juvat cum ipsimet fateantur hominem esse primum movens se ad suam operationem nec posse moveri ab aliquo extrinseco, quod per extrinsecum intelligant Deum? Quid juvat, cùm alibi ipsi dicant (& nos suo loco ostendemus) quod homo suam inchoat salutem, tamen negent hominem suæ salutis sibi esse initium, an non idem omnino est initiare ex se salutem, & inchoare ex se salutem; sicut ergo apertè fatentur hominem in se suam inchoare salutem, ita apertè convincuntur fateri hominem ex se suam initiare salutem.

Sed de his alibi. Nunc enim solùm illam eorum secundam fundamentalem assertionem, qua hominem, non Deum constituunt primam radicem contingentiæ operationis suæ tractamus, & quomodo contra omnem doctrinam & veritatem procedant aperimus.

CAPUT IV.

Recentiorum evasiones præcluduntur, quibus conantur ostendere se constituere primam radicem contingentiæ ipsam divinam voluntatem.

ILLUD autem, quod prædicti authores affirmant nimirum esse hominem primam suæ determinationis radicem, ut visum est supra, aliis verbis idem omnino significant, cum dicunt primam radicem contingentiæ esse divinam voluntatem creantem liberum arbitrium hominum & Angelorum, proximam autem causam contingentiæ esse ipsam hominum & Angelorum liberam voluntatem. Idem enim omnino est utrumque & sensus idem, licet verba sint diversa. Quia nihil aliud est dicere primam radicem contingentiæ esse divinam voluntatem creantem arbitrium hominnm & Angelorum, quam dicere divinæ voluntatis causalitatem sistere in creatione, qua possibilitatem & facultatem arbitrij Angelis, & hominibus contulit, & quod ibi terminatur ac finitur ejus divina causalitas. Deinde ipsum creatum arbitrium ex seipso suum producere actum liberum, & ad illum se ex se determinare, quod est ipsum creatum arbitrium facere primam radicem suæ determinationis & actualis operationis. Unde, cum ipsi constituant arbitrium creatum primam suæ contingentiæ radicem; nos induximus eos consequenter affirmare primam radicem contingentiæ esse divinam voluntatem creantem liberum arbitrium hominum & Angelorum. Istæ enim duæ propositiones idem omnino significant, & eundem sensum faciunt; & una alteram magis explicat atque declarat, & utraque, posse, tantùm Deo tribuit, velle autem & operari homini ex homine donat.

Dicent fortè se non solùm, posse, Deo adscribere, velle autem, & operari homini; quia vident, si hoc apertè dicatur, ipsissimum esse dogma Pelagij, ut ex S. P. August. probavimus. Unde asserunt Deum causare ipsum velle & operari, & Deum velle quod homo sic bene operetur.

Cæterum licet hoc verbis aliquando fateantur, re autem ipsa & sensu nihil aliud asserunt nisi Deum possibilitatem tantùm bene operandi conferre, ipsum autem hominum ex se bene velle, & operari, ut origenes & alij priores dixerunt, ut infra ostendemus.

Quòd sic manifestatur. Primò, quia ipsimet authores, qui aliquando dicunt Deum causare in nobis ipsum velle & operari, ipsimet etiam expressè fatentur, quod prima radix contingentiæ humanæ operationis est divina voluntas creans creatum arbitrium. Quibus verbis apertè declarant non aliter Deum esse primam radicem & causam talis contingentiæ, uisi quatenus per creationem possibilitatem arbitrij hominibus contulit: ergo ea tantùm ratione

dicunt

Digitized by Google

dicunt Deum causare velle & operari, quia posse bene velle nobis donavit.

2. Quia ipsimet hoc ipsum apertis verbis testantur dum aiunt: *Quod si sermo fiat de actionibus nostri arbitrij, concedendum est, dari aliquid, quod sit à nostro arbitrio, & non aliter, ea præcisè consideratione; à Deo nisi tamquam à naturæ ipsiusque liberi arbitrij authore qui eam facultatem nobis contulit, ut eo pacto nostras actiones bonas cum eo cooperemur.* Verba sunt formalia P. Molinæ in Concord. quæst. 23. art. 4. & 5. disput. 1. memb. 6. §. *ad primam harum.* Igitur manifestissimum est expressis verbis id eos affirmare, quod Deus non aliter est causa nostræ determinationis, & liberi influxus, nisi quatenus dedit nobis per creationem facultatem & possibilitatem bene operandi. Cum ergo postea dicunt Deum dare ipsum velle & operari; hac semper ratione intelligunt, quatenus videlicet ad velle & operari dedit nobis possibilitatem.

Prætereà (ut ex supradictis constat) ipsi apertè dicunt hominem esse primam suæ determinationis radicem, ergo illa humana determinatio non aliter Deo tribuitur nisi quatenus possibilitatem nobis donavit, qua nos ex nobis possumus cum volumus ad bene operandum nos determinare. Aliàs, si alio modo Deus concurrit, faciendo videlicet quod velimus, & operemur, non erit homo prima radix talis suæ determinationis, & quod bene utatur arbitrio.

Quod si dicant, quod per hoc quod Deus constituit sua libera voluntate hominem in tali rerum ordine, in quo prævidetur bene usurus arbitrio, vult quod homo bene utatur arbitrio, & hoc sua voluntate causat quod homo bene utatur arbitrio, & ex consequenti non solum dat posse, sed etiam velle & operari. Ad hoc dicendum, quod nec etiam sic statuendo, aliquid aliud dicunt nisi Deum dare tantùm posse cum præscientia illa quod homo ex seipso bene utetur arbitrio suo: nam velle constituere hominem sub tali præscientia, nihil aliud est quam velle Deum, quòd homo in tali rerum ordine constitutus bene ex se utatur possibilitate arbitrij à Deo per creationem sibi concessa, ut alibi demonstrandum erit apertiùs. Unde semper convincuntur quod asserant Deum solùm tribuere posse, hominem autem velle, & operari.

Quod si ultimò dicant se præter posse à Deo datum, ipsi etiam Deo tribuere, quòd det velle & operari, siquidem ad velle & operari supra ipsum posse, admittunt divinum concursum, quo Deus concurrit ad ipsum velle, & ad ipsum operari. Ad hoc dicendum quod nec per talem concursum aliud admittant nisi Deum dare ipsum posse bene operari, non autem ipsum velle & operari. Primò quia ipsi constituunt illum divinum concursum ex seipso, & prout venit à Deo indifferentem & indeterminatum, & quantum ad specificationem humanarum operationum, & quantum ad exercitium illarum (ut ex verbis ipsorum supra relatis fit manifestum) simulque asserunt talem indifferentem & indeterminatum concursum ab homints libertate determinari, & quoad operari actus, & quoad exercitium illius: ergo nec per talem concursum salvant Deum dare velle & operari, sed tantum offerre concursum cum illa possibilitate & indifferentia ad utrumq; quo homo ex se bene vel malè vtatur: ergo etiam ex parte illius concursus Deus tantum dat possibilitatem ad hanc vel illam operationem, non autem tribuit quod hoc vel illud operemur.

2. Quia (ut suo loco infra dicemus) admittere concursum sic indifferentem, & indeterminatum, est sola voce concursum nominare, re autem, & sensu est, omnem Dei concursum negare; quia indifferens, seu sic indeterminatus concursus & non concursus sunt omnino æquivalentia, ut suo loco monstrabimus. Unde solam possibilitatem arbitrij à Deo per creationem datam tribuunt respectu nostrarum operationum, ut à principio deduximus.

3. Id apertiùs ex ipsis demonstratur. Nam postquam ipsi dixerunt Deum velle constituere hominem in tali rerum ordine, in quo prævidetur bene operaturus, & postquam admiserunt Deum sic cum illo velle concurrere, consequenter loquendo asserunt primam radicem contingentiæ esse divinam voluntatem creantem liberum arbitrium hominum, & Angelorum, & quod influxus nostri arbitrij non aliter in Deum refertur nisi ut naturæ authorem, qui nobis facultatem & possibilitatem bene operandi dedit: ergo etiam admissa illa voluntate Dei volentis constituere hominum in tali rerum ordine sub illa præscientia, & admisso illo concursu, adhuc per hæc omnia Deus tantùm tribuit possibilitatem, & facultatem tantumbene operandi nec aliter ipsi tribuuntur, influxus arbitrij nostri, ipsismet hoc affirmantibus atque dicentibus.

Ex dictis manifestè sequitur radicem primam contingentiæ non provenire ex eo quod dicimus quod cõcursus de facto modificetur, aut determinetur, aut modificabilis, & determinabilis sit à causis secundis liberis & contingentibus. Si enim ita divinus concursus determinaretur à secundis causis, proculdubio rerum contingentia à secundis causis, & non à prima proveniret, quod jam supra manet impugnatum. Unde & authores, cum quibus disputamus, consequenter loquendo, sicut primam contingentiæ radicem in secundas causas, videlicet in creatum arbitrium refundunt, ut ostensum est supra, ita divinum concursum ab ipsis secundis causis, videlicet ab ipso creato arbitrio, dicunt modificari, & determinari. Certissimè ergo tenendum est divinum concursum à secundis causis non determinari, nec determinari posse, sicut & certissimum esse diximus, non esse secundas causas primam contingentiæ radicem & causam. Hæc enim determinatio divini concursus per secundam causam apertissimè Deo repugnat, & illius summæ perfectioni in causando contradicit. Veritas ista, sicut & alia præcedens inter illas, quæ fundamentales appellantur, debet numerari; & ut talis à vero Philosopho atque Theologo sine contradictione admitti. Sicut enim ex illa plures veritates dependent, ita ex opposita multæ falsitates oriuntur.

Neque ad præsens vacat hanc veritatem efficaciùs comprobare: quia doctrinæ ordo, juxta horum authorum assertiones, illam transmittit discutiendam in tertium hujus operis librum, ubi accuratiùs de divino concursu respectu nostrarum humanarum operationum erit disputandum. Unde in locum illum illam examinandam remittimus, & hic supponendam potiùs putamus, illud breviter tangentes: quod, si divinus concursus constituatur ex parte Dei necessarius, ita quod velit Deus aliquem effectum necessariò fore futurum, & ad id proportionatum suum conferat concursum, impossibile est imaginari quod à causa secunda contingenter determinetur ad contingentiam; quia si sic modificaret & determinaret causa secunda per suam contingentiam influxum necessarium primæ, revera primam impediret; imò illam vinceret resistendo & contrarium illius operando. Nam prima causa efficaciter intendit per concursum suum necessarium, effectum necessarium producere; si ergo secunda causa contingens illum determinat

ad

Digitized by Google

ad contingentiam illi resistit, illam primam causam impedit & vincit quod quia nullus audebit affirmare, nec id recentiores affirmant, ideo nec in hoc erit amplius immorandum. Si autem divinus concursus alio modo constituatur determinari à causis secundis, sicut de facto à recentioribus constituitur ; quod videlicet ex parte Dei sit indifferens & à causa secunda determinetur hîc & nunc ad operandum , & ad operandum hoc potius quàm illud , etiam est omnino impossibile , quod sic determinetur Primò quia Deus est primum determinans, sicut est primum movens. Unde sicut illi repugnat quod ab alio moveatur, ita ei repugnat , quod à secunda causa determinetur. Quamvis enim ista determinatio dicatur provenire à secunda causa in genere causæ materialis, non putent recentiores per hoc inconveniens evitare. Nam licet Deus numquam sit materia nec in genere causæ materialis operetur, quod est verum, ipsi tamen repugnat quod à secunda causa etiam in genere causæ materialis determinetur , ut suo loco in tertio libro, ut diximus, probabimus manifestè.

Præterea, ut S. Thom. demonstrat 1.p. quæst. 19. artic. 8. si divinus concursus ita determinaretur à causa secunda , quantum ad contingentiam hanc, vel illam , tunc prima radix contingentiæ non esset prima causa , & sic aliquid esset in rebus quod à prima causa non produceretur;quod quam impium si asserere, non oportet demonstrare.

Præterea: quia , si divinus concursus modo dicto à secundis causis determinaretur , jam illa rerum contingentia eveniret præter Dei voluntatem , & intentionem. Has autem rationes sicut & alias quas omittimus modò , latius expendemus in prædicto tertio libro , in quo copiosè contra ipsum concursum ex parte Dei indifferentem acturi sumus. Ubi etiam erit demonstrandum , quod si divinus concursus sic determinatur à secundis causis , etiam ipsa divina causalitas à secundis causis determinetur , & trahatur quocumque causæ secundæ illam trahere voluerint ; imò aperiemus quod tunc ipsa prima in sua activitate à secunda perficiatur , quod primæ causæ omnino repugnat. Ubi etiam ad longum manifestabimus nec D. Caietanum , nec alios Thomistas aliquando dixisse quod secundæ causæ modificent concursum causæ primæ , sed hoc tantum asseruisse, quod ipse Deus suum concursum modificet in causis secundis secundum quod illarum naturæ postulant, tribuendo eis proportionatum suum concursum. Est autem valde diversum quod concursus divinus in secundis causis (à Deo videlicet) determinetur, quod Caietanus affirmat & quod divinus concursus à causis secundis determinetur , vel per ipsas. Quod Caietanus nec dixit , nec dicere potuit. Similiter ibi dicemus quod nec est factibile Deum velle , quod secundæ causæ determinent influxum primæ , ut alij putant , arbitrantes per hoc salvari quod rerum contingentia non eveniat præter Dei intentionem & voluntatem. Sed omnia ista quæ hic summitate (ut solet dici) labiorum tanguntur, citato loco commodiùs & copiosiùs comprobabuntur.

Concludendum est ergo primò contra Recentiores quod prima radix contingentiæ seu determinationis humanæ non est ipsum creatum arbitrium.

Concludendum est secundo quod nec prima radix contingentiæ , aut actualis libertatis humanæ est divina voluntas creans liberum arbitrium hominum & Angelorum , & tribuens possibilitatem tantùm liberè operandi per illam creationem.

Concludendum est tertiò & ultimò quod nec divinus concursus determinatur ,seu modificatur , aut determinabilis seu modificabilis est nec quoad specificationem nec quoad exercitium humanarum operationum per ipsas secundas causas , vel per ipsum creatum arbitrium hominum , vel Angelorum, ut ij authores cum quibus agimus , malè affirmant & docent.

CAPUT V.

Proponuntur argumenta quæ probare videntur quod in secundas causas rerum contingentia reducenda sit.

NEc obstant contra prædictam veritatem argumenta quædam , quæ objici possent ad persuadendum rerum contingentiam in secundas causas sicut in primam radicem esse reducendam. Quorum primum potest desumi ex Philosopho primo Periherm. circa finem ; ibi enim investigans principium libertatis, & contingentiæ , pro comperto definit id esse ipsum hominem per suum consilium ;& secundo Physic. text. 4. docet quod casus & fortunæ , quæ eveniunt in paucioribus , utpote quod homo inveniat in foro aliquem de quo minimè cogitarat , causam esse voluntatem , qua in forum venire voluit ad aliquid emendum , vel tractandum. Et clariùs 6. Metaphysic. text. 7. dicit non omnia fieri ex necessitate sed quædam contingenter propter secundas causas contingentes : ergo secundum Philosophum rerum contingentia in secundas causas reducitur sicut in primam radicem,supposito quod aliam non assignavit nisi solam humanam voluntatem.

2. Idem probatur ex S. Thom. quæst. 2. de verit. art. 14.ad 5. & quæst. 23. art. 5. ad primum ubi dicit, quod licet causa necessaria quoad effectum immediatum necessariò operetur , ita quod necessario sequatur effectus talis , non tamen sequitur effectus mediatus necessariò à causa necessaria propter contingentiam proximæ causæ contingentis. Quod etiam docuit tertio contra gent. cap. 94. Quod si aliquis respondeat S. Thomam in istis locis loqui de causa necessaria creata quæ propter causam proximam contingentem, à qua vere modificatur & determinatur, producit effectum non necessarium , sed contingentem , non autem loqui de omnium prima causa quæ , ut dictum est, à nulla alia secunda modificatur seu determinatur ad effectus contingentiam.

Contra hanc explicationem seu responsionem statim se offert idem ipse S. Tho. 1.p. quæst. 14. art. 13. ad primum , ubi expressè loquens de prima omnium causa (quæ est scientia Dei) ad ostendendum quomodo scita non sunt absolutè necessaria , nec necessariò eveniunt , sed contingenter , dicit : quod licet causa prima & suprema sit necessaria , tamen effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentem , sicut germinatio plantæ est contingens, licet motus solis, qui est causa prima , sit necessarius: ergo secundùm S. Thomam propter secundas causas contingentes fit rerum contiugentia, sicut in allato exemplo à S. Thoma fit manifestum. Germinatio enim plantæ , quæ contingenter fit , à sola causa secunda habet suam contingentiam & non à sole ; qui causa necessaria est: Item idem S. Thom. in 1. dist. 38. quæst. unica art. 5. loquens de prima omnium causa dicit quod à causa prima non trahit effectus contingentiam , sed tantum à proxima , & sic prima causa non erit prima radix contingentiæ.

Præterea ratione id comprobatur. Efficacia divinæ voluntatis nullam habet materialitatem : ergo nullo modo divina voluntas est primum principium vel prima radix contingentiæ : ergo causæ ipsæ secundæ, quæ

Digitized by Google

quæ materialitatem habent, erunt prima radix & causa totius contingentiæ. Antecedens primum est notum, & consequentia probatur quia secundum S. Thom. 1. p. quæst. 86. art. 3. materia & potentialitas est principium contingentiæ ex eo quod est principium corruptionis: quia contingens corruptibile est, potest enim non esse. Sicut ergo prima corruptionis radix est ipsa materia, & ejus potentialitas; ita ipsa est prima radix contingentiæ.

Præterea defectus & imperfectio in effectibus reperta causæ perfectæ & indeficienti attribui non debet, sed causæ imperfectæ & deficienti tribuitur ut notissimum est, quod sæpe etiam docet S. Thomas, quia sic quilibet effectus debitis suis causis proportionatur. Constat autem primam causam indeficientem & perfectissimam esse: ergo non potest esse radix vel causa defectus & deficientiæ: ergo nec poterit esse prima radix contingentiæ. Patet hæc ultima consequentia, quia contingentia defectum & imperfectionem importat, nam contingentia ab intrinseco mutabilitatem & defectibilitatem dicit.

Præterea quinto & ultimò, proponunt illud suæ doctrinæ fundamentum, quod est velut Achilles in omni doctrina sua: liberum creatum arbitrium est prima radix suæ liberæ determinationis; ergo est prima radix contingentiæ: ergo in creatum arbitrium, sicut in primam radicem contingentia reducitur. Utraque consequentia est manifesta. Et primum antecedens probant; quia si homo non est prima radix determinationis suæ, sed Deus: ergo liberum hominis arbitrium liberè se non determinat, nec liberè operatur, & sic periit rerum libertas. Hoc multipliciter probant ut in isto opere, multipliciter erit referendum. Ad præsens autem ita id suadent: si liberum creatum arbitrium movetur à Deo, applicatur & determinatur ad volendum, non ergo est in potestate arbitrij quod se moveat & determinet, & sic liberum in tali operatione non erit. Probatur quia non potest se movere nisi à Deo moveatur, applicetur & determinetur, & non est in potestate arbitrij quod à Deo sic moveatur. Rursus postquam à Deo movetur, non est in potestate arbitrij non moveri, sed necesse est quod se moveat: ergo nec manet liberum ut moveatur à Deo vel non moveatur; nec manet liberum, ut postquam à Deo movetur, seipsum non moveat: nullo ergo modo habet libertatem in suis operationibus.

Hoc argumentum sub aliis terminis diffusiùs proponemus alibi, nunc satis sit ipsum sic in substantia breviter tetigisse.

CAPUT VI.

Argumenta in superiori capite proposita Solvuntur.

CÆTERUM, si quis recte consideraverit, argumenta ista intentum non probant. Unde ad primum desumptum ex authoritatibus Arist. dicendum quod in omnibus illis locis tantum intendit quod proxima & formalis ratio contingentiæ est causa proxima contingens & defectibilis, sine qua effectus contingens, contingentia particulariter accepta esse non potest, ut supradictum est. Unde verbum, *propter*, in authoritatibus præhabitis hanc solam proximam rationem notat, non tamen negat primam contingentiæ radicem in omnium primam causam esse reducendam. Sic explicat S. Thomas prædictas authoritates Philosophi in 6. Metaph. citato lect. 13. ubi dicit quod Aristoteles loquitur de effectibus contingentibus in ordine ad causas particulares, non autem in ordine ad supremam omnium causam. Quibus etiam verbis non solùm Philosophum explicat S. Thomas, sed seipsum in multis locis ex modò in contrarium adductis. Quia verò in aliquibus ex ipsis etiam de prima omnium causa loqui videtur, ideo in particulari per singula discuramus.

Ad primum ergo inductum ex quæstionibus disputatis dicendum, quod ibi S. Thomas sermonem facit præcipuè de causa prima, quæ dicitur mediata respectu effectus, ut ibi expressè affirmat. Hæc autem non est omnium prima causa, Constat enim ex sententia Sancti Thomæ illam non mediatam, sed immediatissimam esse cuilibet effectui. Unde de aliis causis superioribus ab omnium primâ loquitur, dicens quod effectus mediatus ipsius non est necessarius sed contingens propter causam necessariam contingentem.

Ad alium locum ex tertio contra gent. patet ex litera ipsa quod ibi loquatur de aliis causis necessariis à prima, quæ sine dubio modificantur à secundis contingentibus ut effectus contingenter producantur; de quibus causis necessariis jam diximus, quod in ipsas non debet reduci contingentia effectuum contingentium; nec enim ab ipsis talis contingentia effectuum dimanat, sed in causam secundam contingentem reduci debet, sicut in proximam & formalem causam; in omnium autem primam causam etiam reduci debet sicut in primam radicem, ut expressè & ex professo docuit S. Thomas prima part. quæst. 19. art. 8. quod & nos infra etiã ex professo tractabimus.

Ad alium locum ex prima par. quæst. 14. (qui plus habet difficultatis) cùm in illo expressè loquatur Sanctus Thomas de causa prima, dicendum Sanctum Thomam ibi tantùm asserere quod effectus sunt contingentes propter secundas causas contingentes sicut propter primam & formalem causam talis contingentiæ, non autem tanquam propter primam radicem talis contingentiæ quia hanc expressè & ex professo infra eadem 1. p. quæst. 19. art. 8. docuit esse efficaciam divinæ voluntatis.

Ad illud autem quartum inductum de sole, dicendum in illo, hoc tantùm intendisse Sanctum Thomam, quòd videlicet, sicut si non esset causa secunda contingens, floritio arboris non esset contingens ex sole, qui est causa necessaria, ita si non essent secundæ causæ contingentes, opera illarum non essent contingentia, nec à scientia Dei essent cognita ut contingentia, imò nec à scientia Dei practica essent producta ut contingentia; quia deficiente proxima & formali causa contingentiæ, contingentia ipsa deficeret, sicut deficiente visibilitate, actus videndi non esset & in hoc solum tenet exemplum inductum. Non verò intendit, quod sicut sol, qui est causa necessaria, nullo modo ex se est prima radix contingentiæ, sed tantùm ut determinatur à secunda causa contingenti; ita Dei scientia, quæ in se est causa necessaria non sit causa contingentiæ nisi tantùm secundum quod determinatur à secundis causis contingentibus. Hoc nullo modo Sanctus Thomas intendit imò ipse S. Thomas de hoc ex professo disputans eadem prima par. quæst. 19. art. 8. expressè asserit divinam voluntatem, & non secundas causas contingentes, esse primam radicem contingentiæ in effectibus, & quod in ipsam eandem divinam voluntatem talis contingentia effectuum, sicut in omnium primam radicem & causam reducenda est. Et quæst. 23. de veril. art. 5. ad primum, cum feciſſet idem prorsus argumentum de voluntate Dei, quod fecerat prima par. loco citato de illius scientia; respondet quadam solutione, qua magis declarat quod modò secundùm ejus mentem dicimus. Docet enim quod ratio illa sequitur in causis agentibus ex necessitate naturæ, & quantum ad effectus immediatos. Itaque ista propositio, ex causa

Digitized by Google

prima necessaria sequitur effectus necessarius, verum habet cum hac duplici limitatione: prima est, quod illa causa agat ex necessitate naturæ, secunda quod consideretur respectu effectus immediati, sed in causis voluntariis non sequitur, ait ibi S. Thomas; quia ex voluntate sequitur aliquid eo modo quo voluntas disponit, & non eo modo quo voluntas habet esse. Unde; licet divina scientia practica, sive divina voluntas in se habeat esse necessarium; quia tamen liberè causat, non oportet quod effectus sit necessarius; imò multi eveniunt contingenter, quia ita divina voluntas vult contingenter evenire, applicando & aptando effectibus contingentibus contingentes causas.

Ad alium locum ex primo sent. dicendum, quod cum ait solutione ad 4. quod effectus non trahit necessitatem à prima causa, sed à secunda, ipse S. Thomas se remittit ad corpus illius articuli; in corpore autem dixerat, quod quando plures causæ ordinantur ad eundem effectum, non trahit effectus necessitatem à prima causa, id est à sola prima causa, sed illam trahit à causa secunda agente in virtute primæ, quæ prima per suum concursum recipitur in secunda ad modum ejus, & quæ mediis secundis producit effectus, vel necessarios, vel contingentes. Itaque ipsa prima causa id operatur, sed tamen operatur illud per causam secundam. Per secundum quidem necessariam operatur effectus necessarios, & per contingentem, contingentes. Unde potiùs ex isto loco colligitur, quod rerum contingentia reducenda sit in primam causam sicut in primam radicem.

Quod igitur in illo loco vult S. Thomas est, quod effectus nec à sola prima ut excludit secundam, nec à sola secunda ut excludit primam, necessitatem vel contingentiam trahit; sed illam trahit à secunda agente tamen in virtute primæ, & per virtutem & concursum ipsius primæ, in ipsa receptum. Unde verbum, *Sola*, non excludit à necessariò concomitantibus, ut multoties dicit & explicat S. Thomas.

Ad tertium argumentum quod ex ratione procedebat, dicendum quod materia sive potentialitas est principiū quidem corruptionis & contingentiæ proximum & formale; & hoc docet S. Thomas in præcitato articulo adducto in oppositum. At verò prima causa est prima radix talis contingentiæ, quia nullus modus entis est, qui non sit à Deo, etenim Deus aptat causas corruptibiles & contingentes effectibus contingentibus, & corruptibilibus.

Ad penultimum, quidam ex doctissimis Discipulis S. Thomæ respondent, quod licet defectus privativi alicujus perfectionis debitæ in esse non reducantur in Deum sicut in primam radicem, cæterum defectus negativus, id est modus entis non ita perfectus sicut alius, bene potest reduci in Deum sicut in primam radicem, qua ratione in illum reducitur materiale, corruptibile, & similia. Hæc solutio quo ad effectus negativos certissima est: at verò quoad effectus privativos asserere quod non reducantur in Deum sicut in primam causam, si universaliter de omnibus privativis tradatur (ut verba sonare videntur) difficultatem habet. Quamvis enim verissimum sit, quod defectus privativus perfectionis debitæ in esse in moralibus actibus nullo modo in Deum reducatur, vel reduci possit; quia illa privatio, obliquitas, seu malitia solùm ab homine habet originem, nullo autem modo à Deo, cum Deus non possit esse aliquo modo causa malitiæ peccati, vel culpæ; tamen aliæ privationes naturales privantes sua subjecta aliquibus perfectionibus debitis in esse, ut cœcitas, & his similia, sine dubio in Deum sicut in primam radicem reducuntur, quia ista sunt à divina providentia ordinata. Et hæ privationes per aliud, idest propter aliud sunt à Deo volitæ, & causatæ, ut docet expresè S. Thom. 1. p. quæst. 19. art. 8. ubi asserit, quod omnes privationes pœnæ, non culpæ, per aliud sunt à Deo volitæ & intentæ, ut ibi ad longum omnes discipuli Sancti Thom. concedunt. Unde crediderim absque dubio, quod prædicti discipuli Sancti Thomæ hujus contrarium nullo modo dicant, sed quod tantum de effectibus privatiuis, prioris ordinis, id est de effectibus privativis in malo culpæ sint locuti, & sic intelligi & explicari debent. Defectus privationis non moralis, sed naturalis reducitur in Deum sunt in primam causam.

Possunt fortè & aliter intelligi, quod nempe, si Deus se solo operaretur sine aliqua secunda causa, defectus privativos etiam naturales non produceret, quia defectus privans rem sua debita perfectione à Deo solum operante, sine alia secunda causa non producitur, licet se solo effectus negativos præfatos possit producere.

CAPUT VII.

Non negatur creatum arbitrium, sed firmatur, cum à Deo ponitur moveri.

AD quintum & ultimum (quod ut fundamentum suæ sententiæ aliqui recentiores contendentes negari creatum arbitrium, lædi, vel impediri, nisi ipsum prima radix suæ determinationis constituatur) ita quod à Deo non moveatur, applicetur, vel determinetur in actu primo ut ipsum arbitrium liberè se determinet in actu secundo. Dicendum est primò, mirum esse quod non advertant isti authores, quorum non sunt comtemptibilia ingenia, hoc fuisse unicum & singulare fundamentum Pelagianorum omnium, ut sub hoc quasi colore atque prætextu liberiùs gratiam Dei atque ejus primam causalitatem negarent, contendentes similiter negari creatum arbitrium, si Dei indigeat auxilio movente, applicance, & ipsum ad actum liberum determinante, ut ex Pelagio & omnibus aliis Pelagianis est manifestum. Non deberent ergo isti authores eodem uti fundamento in sensu eodem, & ad eundem finem; doctrina enim quæ sic alterius utitur fundamentis, necesse est cum eadem convenire & ista sit prima nostra responsio. Asserit quod negatur arbitrium si à Deo movetur & determinatur, fuit olim unicum Pelagianorū argumentum.

Dicendum secundo S. Hieronymum epist. ad Ctesiphon, & in Dialogis adversus Pelagianos; S. P. Augustinum millies S. Prosperum contra collat. & prof. de ingratis, & epistola adversus Ruffinum, & alibi frequenter, & S. Fulgentium, semper duo ad prædictam Pelagianorum objectionem respondisse. Alterum est, ex Dei efficaci adjutorio movente & præmovente arbitrium, & in ipso præoperante non lædi aliquo modo, sed potius conservari, perfici & roborari ipsum liberum arbitrium. Alterum est, quod potiùs Pelagiani, qui hoc opponebant, erant inflatores, elatores, lapidatores, præcipitatores ipsius creati arbitrij, & quòd ipsum destruebant. Innumera sunt loca illaque gravissima, quibus S. Patres hoc docent; quę si essent referēda, multa oporteret cōficere capitula, passim tamē in discursu hujus operis recēlebuntur. Idem argumentā tolvunt S. Patres.

Dicendum est tertiò Concilia multa & Pontifices summos plurimos, gravissimè increpare Pelagianos, quia dicebant per Dei auxilium efficax, liberū negari arbitrium, ut etiam suo loco apertè monstrabimus, quia hoc argumentum sæpius à recentioribus opponitur & sæpissime erit ei respondendum. Pontifices summi facraque Concilia graviter reprehendunt qui illud opponunt argumentum.

Dicendum est quartò ex S. Th. in multis suæ doctrinæ locis, sed potissimè 1. p. q. 83. art. primo solutione ad 3. ubi verbis omnino æquivalentibus format idem hoc argumentum quo recentiores utuntur: sic enim arguit. *Liberum est, quod sui causa est* (ut dicitur primò Metaph.) *quod ergo movetur ab alio, non est liberū; sed Deꝰ movet voluntatē, dicitur enim Prov. 21. Cor. Regis* Eidem argumento respondetur ex S. Thoma magis in forma.

Digitized by Google

Regis in manu Dei, & quocumque voluerit, vertet illud, & Philipp. 2. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere, ergo homo non est liberi arbitrij. Ecce argumentum positum à S. Thoma majori cum vi, quam proponatur ab iis authoribus dicentibus, quod cum homo moveatur à Deo, & non sit primum se movens, & primum se determinans non sit liber. Cui tamen argumento sic S. Thomas respondet. *Ad tertium dicendum, quod liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium seipsum movet ad agendum, non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui, id quod liberum est, sicut nec ad hoc quod aliquid sit causa alterius requiritur quod sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa movens & naturales causas & voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias non aufert quin actiones earum sint voluntariæ; sed potius hoc in eis facit: operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem.* Hæc S. Thomas. Quam solutionem si attenderent ij authores, planè agnoscerent quod nec est, nec esse potest de ratione creati arbitrij quod sit prima radix determinationis suæ & contingentiæ sui actus. Imò apertè viderent quod Deus est prima radix talis contingentiæ, & quod movendo, applicando, & determinando liberum arbitrium facit ut operetur, quia est causa non solùm substantiæ actus, sed etiam modi, conditionis, & libertatis, ut abundantius ex S. Thoma sæpè ostendemus. Contendere autem quod creatum arbitrium, ut ejus salvetur libertas, debet esse prima radix suæ contingentis determinationis & primum seipsum movens, nihil aliud est quam ipsum velle esse æquale Deo in eo quod proprium Dei est; quod est liberum arbitrium extollendo contra suam propriam naturam, præcipitare: Unde S. Hier. supra citatus Epist. ad Ctesiphontem. *Quæ enim, ait, potest alia major esse temeritas, quàm Dei sibi, non dico similitudinem, sed æqualitatem vendicare, & brevi sententia omnium hæreticorum venena complecti:* (Videatur S. Thomas eadem 1. p. qu. 19. art. 3. ad 5. ubi dicit. *Quod causa, quæ ex se est contingens:* qualis est creata voluntas) *oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum, sed voluntas divina, quæ ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam.* Hæc ergo est aperta differentia inter primam & secundam causam liberam: quòd illa non ab alio exteriori movetur, seu determinatur, sed seipsam primo movet atque determinat: secunda autem causa contingens & libera non se primo movet aut determinat; sed à Deo movetur & determinatur, in actu primo videlicet, ut se determinet & liberè moveat in actu secundo.

Unde in forma ad argumentum, cum dicitur quod si creatum arbitrium se primò non moveat aut determinet, sed à Deo movetur, quod non habebit in sua potestate seipsum movere & determinare, respondetur quod non habet in sua potestate se primò movere (quia hoc ut diximus proprium Dei est) bene tamen in sua potestate habet quod motum à Deo se liberè moveat; ita quod dominium & potestas, quam habet voluntas supra suos actus liberos, non excludit nec excludere potest prius dominium, prioremque potestatem, quam Deus habet supra illam, ut S. Thomas affirmat quæst. 3. de potentia art. 7. solut. ad 12. 13. & 14. & quæst. 6. de Elect. hum. solut. ad 1. 2. 3. & 4. quæ sunt solutiones notandæ & memoriter retinendæ. Ad 12. enim ex quæst. 3. cit. ait. *Quod Deus non dicitur ita hominem dereliquisse in manu consilij sui, quin in voluntate operetur,* (applicando videlicet & movendo eam ad agendum, ut in corpore articuli definierat) *Sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actus, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis; quod quidem dominium, natura non dedit, cum per suam formam sit determinata ad unum:* Quibus manifestè docet quod relinquere Deum hominem in manu consilij sui, non est quod ipsum non moveat, & applicet ad agendum antecedenter; sed quod, postquam sic est à Deo motus, potestatem habeat electionis suæ, quam brutum videlicet non habet.

Quod magis explicat solut. ad 13. opposuerat enim ibi sic: *Voluntas est domina sui actus, hoc autem non esset, si agere non posset nisi Deo in ipsa operante; cum voluntas non sit domina divinæ operationis: ergo non operatur in voluntate operante.* In quo argumento fundamentum, quo ij authores convincuntur opponit, quod videlicet cum voluntas non habet in potestate sua divinam operationem prævium, si illa est requisita, ut voluntas agat, non habet in sua potestate id quod est requisitum ut agat, & sic nec est libera in agendo; sed ad hoc illorum fundamentum ita respondet solut. ad 13. *Dicendum,* inquit, *quod voluntas dicitur habere dominium sui actus non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam, & ideò determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis.* Notanda sunt illa verba. *Dominium voluntatis in suum actum non dicitur per exclusionem causæ primæ.* Ergo præsuponit dominium voluntatis in actum suum, præoperationem, & prævium motionem, seu applicationem causæ primæ, de qua expressè sermonem fecerat in corpore articuli; sed quia ista applicatio, quamvis voluntatem determinet ad actum suum, illam tamen determinat juxta suam propriam naturam, ejus videlicet servando libertatem, non autem eam determinat ex necessitate ad unum, sicut determinat naturam; propterea manet actus in potestate rationis & voluntatis. Et solut. ad 14. magis hoc explicans dicit. *Quod non quælibet causa* (agens videlicet in voluntate ut agat) *excludit libertatem, sed solum causa cogens; sic autem Deus non est causa operationis nostræ.* Per quod respondet argumento istorum authorum, qui contendunt, quod si Deus prævièagit in voluntatem, applicando ut agat, ejus tollit libertatem. Per causam autem cogentem, quam dicit solam lædere voluntatem, intelligit & cogentem & absolutè necessitantem, utraque enim libertatem aufert proculdubio. In argumentis oppositis sua fundamenta quibus convincuntur, si attendere velint, inspicient ij authores cum eorum solutionibus jam explicatis, imò solùm relatis.

Ad aliam autem probationem respondetur, quod licet creatum arbitrium se movere non possit nisi priùs moveatur à Deo, & licet non sit in sua potestate, quod à Deo moveatur, (nec enim id vel potest mereri vel id per priorem suum actum acquirere, ut docet S. Tomas 3. contra Gent. cap. 159.) ex hoc tamen non sequitur, quod non sit in sua potestate se liberè movere, vel quod non possit se movere; sed tantùm sequitur quod non sit in sua potestate se primò movere sine priori motione, quod ut diximus est evidentissimum. Item illa major argumenti propositio, creatum arbitrium se movere non potest, nisi priùs moveatur à Deo, duplicem sensum facere potest. Primùm, itaut verbum (*potest*) neget potentiam; & sit sensus, quod liberum arbitrium non habeat liberam potentiam ad se movendum, nisi priùs moveatur à Deo & tunc falsa est illa propositio; quia liberum arbitrium, etiam antequam à Deo moveatur, potentiam liberam habet ad se movendum. Secundus sensus est conjunctus, sive compositus, ita

Digitized by Google

quod sit sensus, non posse esse quod liberum creatum arbitrium, non priùs motum, se moveat; & tunc vera est propositio; quia nec potest liberum creatum arbitrium facere quod non motum priùs à Deo, se moveat: nec in illius est potestate hæc duo simul conjungere, quod videlicet se moveat, à Deo non motum: nec hoc unquam fuit, aut potuit esse in potestate creati arbitrij, sicut nec potestatem habet ut à Deo in sua motione non dependeat, vel ut primum movens sit.

Quòd si adhuc instes, nullam potentiam habere perfectè in sua potestate effectum, qui non potest causari ab ea sola, nec ab aliqua causa cujus causalitas non est in potestate illius potentiæ; sed causalitas Dei non est in potestate voluntatis, sine qua voluntas non potest operari; ergo voluntas non habet in sua potestate operari, nec erit libera. Ad hoc argumentum respondetur ex Capreolo in 2. dist. 25. q. 1. ad 1. Scoti, & ex Ferrar. 3. contra Gent. cap. 89. quod habere perfectè in sua potestate effectum, dupliciter potest intelligi: uno modo, quia illum potest producere & non producere, & à nulla causa dependentiam habet in illius effectus productione, & sic nec voluntas, neque quæcumque alia causa creata habet effectum perfectè in sua potestate; quia omnis causa creata necessariò pendet à prima, sicut in essendo, ita & in causando. Alio modo, quia potest producere effectum, & non producere supposita prima causa à qua dependet, & à nulla causa ad producendum vel non producendum necessitatur; & sic conceditur, quod voluntas habet perfectè in sua potestate volitionem suam. Itaque adhoc quod agens habeat perfectè in sua potestate effectum, non requiritur, quod se solo possit illum producere, nec quod causalitas causæ primæ, quæ ad operationem causæ secundæ requiritur, sit in potestate ipsius secundi agentis, sed sufficit & requiritur, quod possit illum effectum producere se solo, ideſt, non concurrente alia causa proxima & ejusdem ordinis cum illo, vel quod habeat in potestate sua causalitatem talis proximæ causæ concurrentis cum eo. Imò, non solùm ex Ferrar. & Capreolo, sed ex S. Th. solutione relata ad 13. & 14. manifestè patet solutio, quod nimirùm non est de ratione libertatis nostræ, quod excludat priorem Dei causalitatem imò est de illius ratione quod illam præsupponat.

Constat ergo primò hoc argumentum antiquissimum fuisse Pelagianorum fundamentum. Constat secundò per sanctos Patres, Concilia & Pontifices fuisse comminutum atque contritum, tanquam nihil omnino concludens. Constat tertiò illud prætendere secundam causam non dependere à prima, & esse primam in operationibus suis, quod est contra propriam naturam creati arbitrij. Constat quartò ex Sanctis Doctoribus, quod Deus movens creatum arbitrium ad actum liberum non lædit ejus libertatem, sed perficit causando & producendo & substantiam actus & modum liberum ipsius. Imò superaddendum est ultimò quod illi, qui hoc utuntur argumento, ipsi sunt qui libertatem arbitrij negant, & ipsum liberum arbitrium de medio tollunt, quod S. Hyeron. Epist. ad Ctesiphontem manifestè contra Pelagianos docet, & S. P. August. lib. 1. adversus Julianum, & aliis locis infra citandis. Et S. Th. 1. 2. q. 109. art. 1. & sæpè aliàs, ut dicemus inferius. Ex quo loco 1. 2. demonstrativa ratio ita formatur. Nulla potentia creaturæ, licet perfectissima, exibit in actum sine priori Dei motione: ergo qui negant hanc priorem Dei motionem, hoc dicunt, quod liberum arbitrium nunquam exibit in actum: ergo ipsi sunt, qui totaliter libertatem creatam de medio auferunt, negando id, sine quo liberum arbitrium nunquam se liberè movebit. Primum antecedens, ex quo cætera apertè deducuntur, est expressa sententia sancti Thomæ loco nunc citato ex 1. 2. & constat ex illo notissimo principio philosophico. Secunda causa mota movet: si ergo non movetur à prima, non movet nec operatur. Unde sicut qui ab horologio illam universalem & magistralem rotam cæteras moventem auferret, omnes alias cessare faceret, & immotas redderet: Ita qui primam illam universalem & magistralem divinam motionem moventem creatum arbitrium de medio tollunt, ipso facto creatum arbitrium immotum ad suas operationes liberas constituunt. De quo plura infra in hac materia dicemus. Ubi simul ostendemus nulla alia efficaciori via nostram negari arbitrij libertatem, quam ipsum constituendo primam radicem libertatis suæ: si enim liberum creatum arbitrium prima radix est libertatis suæ, ergo est primum se determinans: ergo est primum liberum respectu suæ determinationis, ergo non est secundum liberum; ergo nostra totaliter negatur libertas, quæ essentialiter secunda libertas est, nec oportet esse prima.

CAPUT VIII.

Quod prima radix contingentiæ, ac libertatis creatæ non sit divinus intellectus, sed divina voluntas.

EX his manifestè apparet primam contingentiæ, & libertatis radicem non in creaturis, sed in Deo esse locandam. Quia tamen in ipso est intellectus, & voluntas ratione distincta, meritò dubitabit aliquis an in divinum intellectum reducatur rerum contingentia, & libertas sicut in radicem primam, an verò in divinam voluntatem. Et quidem procedit disputatio de intellectu divino, qua ratione practicus est; nam de ipso quatenus speculativus est, non est cur hoc in dubium vertatur. Certum enim debet esse, quod sicut divinus intellectus, ut speculativus, non est factivus rerum, nec res ipsas producendas respicit; ita nec in illum rerum creatarum libertas seu contingentia, sicut in primam causam & radicem primam reducenda est.

Igitur comparando ad invicem divinum intellectum practicum, & divinam voluntatem, dicendum est quod quamvis rerum contingentia, seu libertas in effectibus contingentibus & liberis reperta in divinum intellectum practicum, seu in divinam providentiam reducatur, & ab illa proveniat, non tamen divinus intellectus, vel divina providentia est prima radix, & prima causa talis contingentiæ & libertatis, sed illa prima radix est efficacia divinæ voluntatis.

Duas partes continet assertio: & prima habetur ex sancto Thoma 6. Metaph. lect. 3. circa finem in quo loco sanctus Thomas manifestè rerum contingentiam in divinam providentiam reducit, & ab illa procedere constanter affirmat. Idem docet expressè 1. p. quæst. 22. art. 4. tum in corpore, tum in solutione ad primum, ubi docet ad divinam providentiam pertinere non solùm quod aliquid eveniat quoquo modo, sed quod aliquid eveniat contingenter, aliquid verò necessariò: ita ut aliquid eveniat absolutè necessariò, quia providentia absolutè necessariò evenire disposuit; & aliud ideo eveniat contingenter, quia à divinâ providentiâ ita ordinatum est ut contingenter eveniret. Igitur rerum contingentia in divinam providentiam reducitur secundùm expressam sancti Thomæ sententiam,

Digitized by Google

tentiam. Ratione probatur. Nihil fugit, aut ſubter fugere poteſt ordinem divinæ providentiæ : ergo omnia ei ſubduntur ; nullum ergo ens, nullus modus, vel conditio entis inveniri poteſt in rebus, quod divinæ providentiæ non ſubdatur, & quod ab ipſa non cauſetur : ergo rerum contingentia, & libertas, divinæ ſubeſt providentiæ, & ab ipſa producitur ; nam contingentia ſeu rerum libertas, potiſſimus modus entis eſt, ſicut etiam neceſſitas præcipuus eſt modus entis : quod abundè demonſtrabitur infra lib. 2. agendo de providentia divina.

Secunda autem concluſionis pars etiam expreſsè traditur à ſancto Thoma ; nam in prædicto art. 4. quæſt. 22. nunc citato, docet quod ideo divina providentia diſpoſuit quædam fieri neceſſariò, & quædam contingenter ; quia divina voluntas ita voluit : ergo ſecundùm ſanctum Thomam non divina providentia, ſed divina voluntas eſt prima radix contingentiæ : ergo in voluntatem divinam ſicut in primam radicem, & cauſam, rerum contingentia reducenda eſt. Et 1. p. quæſt. 19. art. 8. loquens ex profeſſo de effectuum contingentia, & perluſtrans ejus primam radicem & cauſam, docet illam eſſe divinam voluntatem. Aſſerit enim ibi quod effectus plures fiunt contingenter, & contingentes ſunt, quia proveniunt à ſuis cauſis proximis contingentibus, ubi cauſam proximam contingentiæ effectuum aſſignat, ſed ulterius aſcendens ad inquirendum radicem hujus contingentiæ dicit ; quod illæ cauſæ contingentes producunt illos effectus contingentes, quia à divina providentia præparantur tales cauſæ contingentes ad tales effectus ; nec ibi ſiſtens, quia vidit adhuc divinam providentiam non eſſe primam omnium radicem, ultimatè ad divinam reducit voluntatem, ſic dicens. *Cum igitur divina voluntas ſit efficaciſſima, non ſolùm ſequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult ; Vult autem quædam fieri neceſſariò, quædam contingenter, & ideò quibuſdam effectibus aptavit cauſas neceſſarias, & quibuſdam cauſas contingentes.* Hæc ſanctus Thomas. Idem docet quæſt. 22. art. 4. ſuperiùs citato agens de divina providentia & 1. 2. quæſt. 10. art. 4. & alibi ſæpè nimirum opuſculo ſecundo cap. 140. cujus verba ſunt. *Voluntas enim Dei, cum ſit univerſalis rerum cauſa, non ſolùm eſt de hoc quod aliquid fiat, ſed ut ſic fiat. Hoc igitur ad efficaciam divinæ voluntatis pertinet, ut non ſolùm fiat quod Deus vult, ſed ut hoc modo fiat quomodo illud fieri vult. Vult autem quædam fieri neceſſariò & quædam contingenter ; quia utrumque requiritur ad completum eſſe univerſi. Ut igitur utroque modo res provenirent quibuſdam adaptat neceſſarias cauſas, quibuſdam contingentes, ut ſic dum quædam fiunt neceſſariò, quædam contingenter, divina voluntas efficaciter impleatur.* Idem docet 3. contra Gent. cap. 94. Hæc autem aptatio ſeu præparatio cauſarum contingentium ad ſuos proportionatos effectus contingentes fit per divinam providentiam, & illius eſt proprium opus. Igitur ſecundùm ſanctum Thomam ideò effectus plures ſunt contingentes, quia producuntur à cauſis proximis contingentibus : ideò producuntur à cauſis proximis contingentibus, quia tales cauſæ ad illos effectus contingentes præparantur à divina providentia : ideo ſic præparantur à divina providentia quia ita vult divina voluntas ; & ibi ſiſtendum eſt ſicut in omnium primo : ergo prima radix contingentiæ divina voluntas eſt. Hanc ſententiam accepit à S. P. Auguſt. lib. 3. de Trinitate cap. 2. citato, qui ut Philoſophus maximus & ſupremus Theologus primam cauſam & radicem occultam omnis contingentiæ & libertatis nobis tradidit, dicens illam eſſe divinam voluntatem.

Præterea divina voluntas eſt primum omnium principium quoad exercitium ; ſed contingentia effectuum potiſſimè pertinet ad exercitium productionis rei : ergo illius eſt divina voluntas primum principium & cauſa. Major eſt expreſſa ſancti Thomæ 1. 2. quæſt. 9. art. 1. & quæſt. 17 art. etiam 1. Et 1. p. quæſt. 19. art. 4. in fin. & ſolut. ad 4. quod & ipſa ratio perſuadet. Nam quod effectus producantur vel non producantur, non pertinet ad divinum intellectum, ſed ad divinam voluntatem moventem, & determinantem ipſum, ut hos, vel illos producat ; unde intellectus divinus producit res quoad exercitium in virtute divinæ voluntatis, quæ in iſto genere eſt primum movens, ut copioſiùs dicendum erit infra. Minor autem probatur, quia ſicut quod res producantur, pertinet ad exercitium, ita quod producantur contingenter exercitium ipſius productionis reſpicit. Unde ſic formetur ratio : Divina voluntas eſt prima cauſa productionis rerum : ergo eſt prima cauſa contingentiæ in rebus inventæ : ergo rerum contingentia in divinam voluntatem, ſicut in primam radicem reducenda eſt. Antecedens primum, ulteriùs probatur. Divinus intellectus per imperium res produxit in eſſe ; quod imperium declarant verba Geneſ. 1. *Fiat lux* ; ſed tale imperium habuit efficacem motionem ad res producendas in virtute divinæ voluntatis moventis ad id divinum intellectum, & ipſum ad talem rerum productionem determinantis : ergo prima omnium radix contingentiæ divina voluntas eſt.

Divina autem voluntas ad divinum intellectum in rerum productione tripliciter comparari debet : primò ut quaſi imperans divino intellectui rerum productionem. Secundò, ut determinans ipſum ad res producendas, & ad productionum harum & non aliarum rerum. Tertiò, ut efficaciter applicans intellectum ipſum ad talem productionem. Illud etiam quartò addendum eſt, quod divina voluntas ita determinat divinum intellectum ad rerum productionem, ut ſimul natura cum illo res producat. Quæ omnia traduntur à S. Th. q. 19. art. 8. in 1. p. & q. 23. de Veritate art. 1. ſolut. ad 3. & in 1. ſent. diſt. 45. q. 1. art. 3. Et quidem quod divina voluntas intellectum divinum moveat quoad exercitium patet : quia voluntas eſt primum movens quoad exercitium ut demonſtrat S. Th. 1. 2. q. 9. art. 1. Similiter quod determinet divinum intellectum, oſtenditur : quia divinus intellectus ex ſe non eſt magis determinatus ad producendum, quàm ad non producendum, nec ex ſe eſt magis determinatus ad producendum hoc quam illud, ut S. Th. etiam declarat 1. p. q. 14. art. 8. ubi loquens de divino intellectu & divina voluntate ait quod divinus intellectus de ſe non magis determinatur ad producendum, quàm ad non producendum, cujus & rationem aſſignat, quia forma intelligibilis non nominat principium actionis ſecundum quod eſt tantum in intellectu, quia habet ſe ad oppoſita, ideſt, ut fiat, vel non fiat ; & ſic oportet quod à voluntate determinetur. Voluntas ergo divina divinum intellectum ad rerum productionem determinat, quod autem efficaciter applicet de ſe notum eſt.

Et ex his tribus officiis, quæ divina voluntas reſpectu intellectus divini exercet, ſequuntur tria valde notanda, quæ habentur ex S. Th. indiverſis locis ſuæ doctrinæ ut ſtatim oſtendemus. Primum eſt, quod divina voluntas non eſt cauſa per accidens reſpectu productionis rerum. Nam ſi tantum eſſet cauſa applicans, nec aliud exerceret, eſſet cauſa per accidens productionis creaturarum ; cauſa enim quæ tantum eſt applicans aliam ad operandum, non exiſtit per ſe cauſa illius operationis ut patet in applicante ignem ad comburendum, & in aliis ſimilibus.

Digitized by Google

similibus. At verò divina voluntas vere propriè, & per se est rerum causa, ut S. Thomas probat 1. p. q. 19. art. 4.

Secundum quod sequitur, est quod divina voluntas concurrit ad rerum productionem ut primum imperans, & ut primum liberum, qua ratione nos cum S. Thoma nunc diximus, quod ipsa est primum principium, & prima radix productionis rerum & contigentiæ ipsarum.

Tertium quod sequitur, est quod divina voluntas, ex eo quod determinat divinum intellectum ad productionem rerum, simul cum ipso divino intellectu illas producit: quod docuit S. Thomas in illo loco in primo sent. citato. Qua etiam ratione simpliciter & absolutè, & cum omni proprietate conceditur, quod divina voluntas est causa rerum, sicut conceditur quod divina scientia est causa earum. Et sub hac consideratione divina voluntas est æquè immediatum, & proximum principium productionis rerum, sicut divinus intellectus, quod videtur maximè considerandum. Ipsa ergo divina voluntas, inquantùm primum liberum, & primum imperans, applicans, & determinans rerum productionem, est prima radix contingentiæ, inquantùm verò est ita determinans, & complens intellectum divinum ad operãdum, ut simul natura cum illo res producat, etiam est ipsa divina voluntas immediatum & proximum principium rerum. Quod videtur insinuari non obscurè à S. Thoma 1. p. q. 25. art. 1. solut. ad 4. ubi docet quod potentia exequens in Deo non differt nisi tantùm ratione à scientia & voluntate. Et subdit quod id quod scientia dirigit & voluntas imperat, exequitur, sicut proximum & immediatum principium operativum ipsa scientia sive voluntas: Igitur secundum S. Thomam scientia ut dirigens, & voluntas, ut imperans non habent rationem principij exequentis, bene tamen ipsa scientia Dei, & divina voluntas sub alia ratione habent rationem potentiæ exequentis & principij proximi & immediati respectu productionis rerum.

Concludendum est ergo divinam voluntatem ut imperantem, & primò moventem divinum intellectum ad rerum productionem esse primam radicem contingentiæ, ut autem determinantem divinum intellectum, & cum illo simul concurrentem ad rerum productionem esse proximum, & immediatum principium illarum rerum, quæ à solo Deo fiunt.

CAPUT IX.

Solvuntur argumenta qua adducta sunt suprà ad probandum divinum intellectum, & non divinam voluntatem esse primam contingentiæ radicem.

ALicui fortè apparebit divinum intellectum practicum, seu divinam providentiam primam radicem & causam esse contingentiæ in rebus. Primò, quia scientia Dei est causa rerum; ergo in divinam scientiam, sicut in primum principium reducenda est rerum contingentia. Quod si dicatur scientiam Dei, sive divinum intellectum esse quidem rerum causam, at verò non esse primam radicem, sed divinam voluntatem. Contra hoc instatur quia tunc sequeretur, quod divina voluntas sit magis præcipuè causa rerum, quàm divina scientia, hoc tamen non videtur admittendum: ergo neque illud, nempe divinam voluntatem esse primam contingentiæ radicem: sequela patet, quia illud quod est primum, in unoquoque genere præstat omnibus quæ sunt in eodem genere, ut vera philosophia demonstrat: si ergo divina voluntas est prima radix, & causa rerum, & non divinus intellectus, ipsa Dei voluntas erit magis præcipua causa rerum, quàm divinus intellectus. Minor autem probatur; nam omnes creaturæ præhabentur in intelligere Dei continentia quadam eminentiali & exemplari, cui proinde effectus omnes in rebus producti assimilantur, non autem sic continentur in velle Dei, ut communiter, & verissimè dicitur à Theologis, tum 1. p. quæst. 14. art. 4. tum quæst. 15. de Idæis, tum q. 19. art. 4. Qua etiam ratione in materia de Trinitate verissimè dicitur res esse in verbo: ergo divinus intellectus est magis principalis causa rerum, & contingentiæ: patet consequentia, quia illa est magis principalis causa cujuslibet rei; quæ rem præhabendo continet, & cui ipsa magis assimilatur. Hoc enim videtur esse potissimum in causa; continere, videlicet & assimilare sibi effectum.

Secundò. Præterea illa est prima radix contingentiæ, quæ est prima radix libertatis; sed prima radix libertatis, sive in Deo, sive in creaturis intellectualibus, est indifferentia intellectus: ergo indifferentia intellectus divini est prima radix contingentiæ ut patet, si sic arguendo ascendamus: contingentia rerum reducitur in divinam voluntatem liberam, ut supra dictum est; sed divina libertas reducitur in indifferentiam divini intellectus; ergo ultimatè sicut in primam radicem & causam, contingentia rerum in divinum intellectum reducenda est.

Tertiò. Præterea: scientia Dei, seu divinus intellectus priùs dirigit voluntatem in ordine ad producendum, antequam divina voluntas velit producere: ergo primum principium contingentiæ erit ipsa scientia Dei, sive divinus intellectus, quod idem est. Antecedens est S. Th. 1. p. q. 19. art. 4. ad 4. & de se fit manifestum; divina enim voluntas minimè illam rerum productionem velle posset nisi priùs à divino intellectu dirigeretur.

Hæc tamen argumenta, & similia quæ objici possent, nihil contra præfinitam veritatem concludunt. Ad primum satis ibi dictum est; solùm enim convincit, quod licet divinus intellectus res producat, id tamen fit, quia à divina voluntate ad id movetur, inclinatur, & determinatur. Unde si consideratur rerum contingentia, ut est modus in rebus ad extra quoad exercitium productus, sicut à primo principio à divina pendet voluntate, & in illam sicut in primam radicem reduci debet.

Ad secundum, quidam ex doctissimis discipulis sancti Thomæ negant voluntatem esse magis causam rerum quàm divinam scientiam simpliciter & absolutè; admittunt tamen, quod secundum quid magis est causa ipsarum. Quam sententiam tenent præcipuè propter illud secundum argumentum factum. Quo tamen nonobstante & salva illorum authorum venia, videtur dicendum, quod absolutè, & simpliciter divina voluntas est magis causa rerum, quàm divinus intellectus. Hæc enim sententia ad minus est multò magis conformis doctrinæ S. Thomæ.

Primò, nam sanctus Thomas 1. p. quæst. 14. art. 8. & clariùs quæst. 19. art. 4. potissimè in tertia ratione concludit quod inclinatio intellectus divini ad agendum, pertinet ad voluntatem, simul docens quod forma intelligibilis secundum se, & prout est in intellectu tantum, non determinatur, ad hoc quod sit vel non sit in effectu, nisi per voluntatem: unde concludit scientiam Dei esse rerum causam secundùm quod habet voluntatem adjunctam, à qua voluntate determinatur & fit causa in actu: ergo secundum S. Th. divina voluntas magis est causa rerum quàm divina scientia; siquidem à divina voluntate habet quod sit causa in actu illas producens, & sine

divina

Digitized by Google

divina voluntate sic determinante ipsa divina scientia est tantùm causa rerum in potentia.

Secundo quia ipse S. Thomas id expresse concedit in primo dist. 45. quæst. 1. art. 3. ibi enim ex professo comparans divinam voluntatem cum divina scientia docet voluntatem Dei magis præcipuam esse causam rerum. Nec satisfit si dicatur, quod vocatur à S. Thoma magis præcipua causa rerum tantùm secundum quid, non autem simpliciter & absolutè. Primò, quia, cum S. Thomas comparat duo ad invicem, ex professo & sine addito affirmat unum esse altero magis tale, absolutè & simpliciter intelligit esse magis tale & non tantum secundum quid, quod multis exemplis ex doctrina S. Thomæ poterat comprobari. Secundo & magis principaliter, quia ipse S. Thomas in præcitato loco ex verbis subjunctis videtur omnem rationem dubitandi abstuliſſe. Declarat enim, quod non solùm secundùm quid, sed simpliciter divina voluntas est magis rerum causa; nam dicit, quod perfecta causalitas in iis, quæ non agunt ex necessitate, invenitur primò in voluntate, ut dicit Philosophus in tertiò Metaph. ergo voluntas in similibus, est prima & potissima causa.

Secundū S. Thomā divina voluntas magis est causa rerum quā divina scientia.

Præterea: nam intellectus producens aliquid in virtute voluntatis non est tam præcipua causa illius, sicut voluntas, in cujus virtute id agit; ergo quia divinus intellectus causat res in virtute divinæ voluntatis, magis præcipua causa earum erit divina voluntas. Ob quam rationem in divinis literis rerum productio potissimè divinæ voluntati tribuitur.

Sed dicunt, quod divina voluntas est determinatio & complementum scientiæ Dei ad agendum: ergo solùm secundum quid, & non simpliciter est magis rerum causa quam intellectus; quia complementū, seu determinatio causæ non ita principaliter operatur sicut causa ipsa, cum in universum complementum alicujus rei non præstet absolutè supra rem cujus est complementum.

Ad quod tamen dicendum, quod divina voluntas non quomodocumque est complementum intellectus divini ad rerum productionem, sed est complementum seu determinatio constituens divinam scientiam causam in actu respectu productionis rerum, ita quod divinus intellectus ex se absque divina voluntate, non est determinatus ad productionem rerum nec illarum est causa in actu, sed in potentia: ergo magis absolutè & simpliciter est causa rerum, quam divinus intellectus; quia manifestum est, quod effectus magis respicit causam in actu, & magis ab illa causatur, quam à causa, quæ solum est causa in potentia. Et propter hanc rationem docet S. Thomas voluntatem magis præcipuam causam esse rerum, absolutè videlicet & simpliciter, ut dictum est.

Non ergò omne complementum est absolutè inferiùs, eo quod complet vel minus cooperatur, aut causat, sed in aliquibus complementis totum contrarium potius sequitur. Ad quod manifestandum multa poterant se offerre exempla, sed hæc pauca sufficiant. forma enim complementum est materiæ, & ita à Philosophis solet vocari, & tamen præstantior est illa. Similiter esse existentiæ ultima perfectio, & complementum ultimum ipsius essentiæ rectè vocatur, & tamen secundum nostram sententiam, quam & putamus cum multis discipulis S. Thomæ esse ejusdem S. Thomæ, absolutè præstat essentiæ, & non tantùm secundum quid. Non ergo dicendum est omne complementum esse inferius re quam complet, sed distinguendum est omnino de complementis, & hac utendum regula; quod videlicet, quando complementum magis participat de actu, quam res quam complet, semper complementum tale absolutè præstat; si autem res quæ completur magis habuerit de actu præstabit absolutè supra suum complementum.

Igitur ad secundum principale dicendum tantùm probare divinum intellectum esse magis causam rerum quoad specificationem, non autem quoad exercitium, sicut modo loquimur; licet enim divinus intellectus eminenter contineat omnes effectus producendos, & ipsi, effectus tales & non divinæ voluntati assimilentur, & hoc habeat ex se intellectus divinus absque participatione à divina voluntate; quia tamen divinus intellectus ex se non habet inclinationem in effectus, non est causa in actu respectu eorum absque divina voluntate; ideo magis divinæ voluntati causalitas rerum in exercitio tribuenda est, quàm divino intellectui, quia ipsa in hoc genere exercitij est movens primum: cum autem absolutè loquimur de rerum productione, de exercitio, fit sermo. Unde hac ratione divinæ voluntati primus locus est assignandus. Quare optimè sequitur: ideo res de facto producuntur per divinum intellectum, quia habet voluntatem divinam adjunctam, non autem sequitur, Ideo divinus intellectus producit res, quia illas continet; quia ab æterno illas continet, non tamen ab æterno illas producit ob rationem dictam, nimirum secluſa divina voluntate, illarum causa in actu non est.

Ad ultimū dicendum radicem libertatis esse indifferentiam intellectus, & hoc sive in intellectu divino, sive humano, vel Angelico, hæc tamen indifferentia intellectus objectiva, non magis voluntatem in unam, quam in alteram partem, nec magis in effectum unum quàm in alterum inclinat; sed hanc inclinationem & determinationem habet à divina voluntate, & ex consequenti ipsa divina voluntas magis respicit, & inclinatur in ipsas res, & magis est causa rerum, ut modò ex S. Thoma tradidimus, & per hoc patet ad confirmationem: intellectus enim divinus dirigit voluntatem proponendo creaturas objectivè, non tamen ad id inclinando vel determinando voluntatem, sed hoc divina voluntas ex se habet, ut diximus, & divinum intellectum ad id determinat.

CAPUT X.

Quod prima radix contingentiæ sit divina voluntas ut habens adjunctam libertatem.

OPORTET præterea manifestare quomodo divina voluntas sit prima radix, & causa libertatis & contingentiæ, vel per quid sic constituatur divina voluntas, in ratione primæ radicis contingentiæ. Ad quod dicendum, quod efficacia divinæ voluntatis, adjuncta ejus divina libertate est prima radix totius contingentiæ, & libertatis. Itaque libertas in prima causa conditio est necessariò requisita, ut contingentia & libertas in actuali exercitio inveniatur in effectibus liberis & contingentibus, licet enim efficacia voluntatis Dei quæ infinita est, & quæ propterea producit & subſtantiam effectus, & omnem ejus productionem & modum, sit principalis ratio ob quam divina voluntas sit prima causa, primaque radix omnis contingentiæ, tamen ejusdem divinæ voluntatis libertas, qua vult illum effectum contingentem esse, & alium non esse contingentem, sed necessarium, efficaciæ divinæ voluntatis adjungenda videtur, ut effectus producatur contingens; ita quod nec efficacia sine libertate, nec libertas sine efficacia contingentiam in rebus causaret.

Sic explicata conclusio videtur quantùm ad primam partem contra Scotum, qui in primo dist. 38. & 39. & in 2. dist. prima q. 2. tenet primam radicem contingentiæ non esse efficaciā, sed libertatem divinæ voluntatis. Quāvis possit facilè intelligi Scotus, quòd tātùm neget efficaciā præcisè sine libertate esse in divina voluntate

primam

Digitized by Google

primam radicem contingentiæ; nam efficaciam simul cum libertate crediderim quod non negarit Scotus esse radicem totius contingentiæ. Verum est, quod sr attentè legatur, in hoc videtur posita ipsius sententia, quod principaliter rerum contingentia reduci debet in divinam voluntatem sicut in primam causam & radicem à qua producitur. At verò S. Thom. utrumque requirit in divina voluntate, ut sit prima causa libertatis, & contingentiæ & efficaciam & libertatem; sed principaliter efficaciam, ut rationem videlicet, libertatem autem ut conditionem.

Efficacia divinæ voluntatis est prima radix contingentiæ.

Quæ sententia probatur primo ex S. Thom. 1. p. quæst. 19. artic. 8. cujus ibi fundamentalis ratio hæc est. Cum causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam illam, non tantùm secundum id quod fit, sed secundùm modum fiendi vel essendi; sed voluntas Dei, quæ est rerum causa, est efficacissima: ergo ex efficacia ejus provenit quod res producantur non solum secundum substantiam, sed etiam quoad modum, quo Deus eas fieri vult; vult autem quædam fieri contingenter: ergo ex efficacia divinæ voluntatis habent res, sicut à prima radice, quod contingenter fiant. In qua ratione apertè S. Thomas utrumque simul conjungit in divina voluntate, ut sit prima radix contingentiæ, & efficaciam & libertatem ipsius.

Quod autem efficacia sit principalis ratio contingentiæ, probatur. Libertas divinæ voluntatis volens quædam fieri contingenter, & quædam necessariò, & ad id applicans causas proportionatas, præsupponit necessario sicut primum fundamentum atque radicem, quod ipsa voluntas divina habeat in se virtutem, & efficaciam ad producendum res cum modo contingentiæ: ergo quando de facto res contingentes producuntur, illas producit efficacia divinæ voluntatis principaliter per efficaciam & virtutem suam.

Explicatur magis hæc ratio. Ideo divina voluntas est prima radix contingentiæ, quia potest accommodare suum concursum proportionatum causis contingentibus, sicut etiam causis necessariis potest accommodare concursum similiter proportionatum, qua ratione est prima radix necessitatis rerum; sed quod divinus concursus sit accommodabilis, & proportionatus omnibus causis juxta earum naturam ex efficacia, & infinita virtute divinæ voluntatis provenit; hæc enim eminentissimè in se continet omnem modum secundarum causarum: ergo ex efficacia divinæ voluntatis, sicut ex prima radice nascitur in rebus contingentia.

Præterea S. P. Augustinus passim (ut commodiùs infra suo loco proprio, multis ejus testimoniis comprobabimus) liberam hominis operationem bonam in divinam virtutem, efficaciam, & operationem reducit, & ad hanc recurrit pro salvanda humana libertate cum efficaci Dei motione: ergo efficacia voluntatis divinæ & ejus infinita virtus est prima causa, & radix libertatis, & contingentiæ rerum; sic enim dicit S. Augustinus ad vitalem epist. 107. *Deus nolentes credere omnipotentissima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus facit*; omnipotentissima (ait) facilitate; quia respectu divinæ omnipotentiæ facillimum est sic convertere, & volentes liberè facere ex priùs nolentibus S. etiam Thomas in 2. distinct. 25. quæst. 1. art. 2. ad primum ait. *Quod Deus operatur in voluntate & in libero arbitrio secundum ejus exigentiam; unde etiam si voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominus tamen hoc sua omnipotentia facit, ut illud, in quod mutatur, voluntariè velit, & ita coactionis ratio tollitur.* Ad omnipotentiam ergo & infinitam virtutem divinæ voluntatis recurrendum est, & in illius efficaciam sicut in primam omnium radicem debet reduci omnis rerum libertas & contingentia.

Secunda etiam conclusionis pars, quod videlicet libertas in voluntate divina sit necessaria conditio ut efficacia divinæ voluntatis sit prima radix contingentium, probatur primò ex S. Thom. qui id apertissimè docet 1. p. quæst. 19. artic. 8. citato, si ejus verba expendantur. Postquam enim docuit, quod contingentia rerum reducitur in efficaciam divinæ voluntatis, sicut in primam radicem, statim apposuit ejus libertatem sicut quid requisitum ut divina efficacia produceret illam contingentiam in rebus, sic dicens. *Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult, vult autem quædam fieri Deus necessariò, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi; & ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias quibusdam verò causas contingentes defectibiles.* Quibus verbis apertissimè adjunxit cum efficacia voluntatis divinæ ejus libertatem; siquidem velle quod aliqua fiant modo necessario, & alia modo libero, seu contingenti, intrinsecam importat libertatem in divina voluntate ad utrumlibet; quia si absque libertate ex naturæ necessitate ad unum modum producendi divina voluntas determinaretur, non vellet aliqua fieri necessariò, alia contingenter ut statim dicemus.

CAPUT XI.

Quod nulla esset contingentia & libertas in rebus si Deus ex necessitate naturæ operaretur.

EX his & illud manifestè deducitur, quod si Deus ex necessitate naturæ ad extra operaretur, nulla salvaretur in effectus libertas, seu contingentia. Quod, quia ex dictis consequitur, explicandum est diligentiùs; potissimè quia Doctorum varietas quæstionem hanc perplexam & obscuram satis reddit. Sunt enim authores gravissimi, qui affirmare videntur, quod adhuc hoc supposito vel admisso, contingentia, & libertas in rebus conservatur, Capreol. in 1. dist. 38. Cajet. 1. p. quæst. 19. art. 8. Ferrar. primo contra gent. cap. 67. & multi alij ex Recentioribus discipulis S. Thomæ ut Bannes, Zumel, Alvarez, & Gaspar Ram. Consultò dixi, quod ita dicere videntur, in quo enim sensu ipsi loquantur, infra explicandum erit. Alij autem ex familia S. Thomæ contrarium omnino opinantur cum Scoto in 2. distinct. quæst. 3. quæ quæstio principaliùs de libertate quam de contingentia procedit, ut infra dicetur.

Ut autem omnium dicendorum æquivocatio tollatur, & in quo sensu Doctores procedant clariùs ab omnibus percipiatur, exponendus erit quæstionis titulus: in multiplici enim sensu intelligi, & accipi potest. Primus est, utrum si in prima causa per impossibile nulla esset libertas in agendo, sed ex absoluta necessitate, & cum omnimoda determinatione ad unum operaretur Deus, tum ex parte intellectus, tum voluntatis, posset in rebus, aliqua inveniri contingentia, seu libertas.

Triplicitèr intelligi potest quod Deus concurrat ex naturæ necessitate.

Secundus sensus est, utrum producto jam mundo, sicut modo est, & stantibus in ipso causis liberis, & contingentibus, quales nunc in illo inveniuntur, si Deus modò absque aliqua libertate, & ex naturæ determinatione operaretur, utrum inquam tunc effectus illarum causarum contingentium essent liberi & contingentes conformiter ad suas proximas causas, vel potiùs essent necessarij, sicut ex necessitate naturæ à prima causa producerentur.

Tertius

Digitized by Google

Tertius & ultimus sensus esse potest, utrum si producto jam mundo sicut modo est, ageret Deus ex naturæ necessitate, ita quod non præberet majorem, potentiorem, seu intensiorem concursum ipsis secundis causis liberis, & contingentibus quàm modo tribuit, utrum videlicet tunc in casu isto remaneret contingentia in effectibus, vel libertas in actionibus voluntatis, vel potius omnes tales actus & effectus fierent ex necessitate, ex eo solum quod Deus operaretur tunc necessariò, eodem tamen prorsus concursu in intensione & non majori eo, quo modò concurrit.

Dicendum est ergo primò. Si in Deo nulla esset libertas in agendo, sed in omni sua actione ex necessitate naturæ semper operaretur, juxta primum modum nunc assignatum, nulla posset inveniri contingentia, seu libertas, sive in secundis causis, sive in earum effectibus; imò nihil ad extra produceretur, sive contingens, sive necessarium. In hac convenire deberent omnes qui S. Thom. sequuntur doctrinam, quia est expressa sententia ipsius Sancti Doctoris 1. part. quæst. 19. art. 4. in ratione 2. & quæst. 3. de potentia art. 15. ubi probat quòd si Deus operaretur ex naturæ necessitate absque libertate aliqua, nullus produci posset determinatus effectus, sed quod vel infinitum produceretur, vel nihil omnino fieret: cum autem infinitum sit impossibile, restat quod nihil omnino tunc produceretur. Ex quo planè consequitur, quod nihil tunc esset liberum, vel contingens.

Prima ratio.

Sed dices hanc S. Thomæ rationem æquè currere de causis, sive effectibus naturalibus, quod videlicet nec tunc aliquid necessarium posset produci, sive in causa, sive in effectu aliquo, unde hoc casu ex impossibili admisso nihil particulare esset in contingentia, & libertate, quod in causis necessariis non inveniretur.

Ad hoc dicendum, quod præter hanc communem, & generalem rationem in qua tunc & causæ necessariæ, & contingentes convenirent, esset alia particularis pro contingentibus, & liberis, ob quam etiam admisso ex impossibili quod tunc à Deo causæ producerentur necessariæ cum effectibus necessariis, tamen causæ contingentes, & liberæ produci non possent, & ista ratio talis est. Deus in prædicto casu nullam haberet libertatem, ut supponimus, ergo nullam haberet indifferentiam: ergo nulla posset esse indifferentia, nec in causis secundis, nec in effectibus earum. Antecedens primum cum prima consequentia patent ex hypothesi; secunda autem consequentia probatur simul cum ultima: etenim, si creatura aliqua haberet contingentiam seu libertatem, illam deberet participare à prima omnium causa: cum ergo in casu illam non haberet prima causa, nec creatura eandem à prima causa participare posset. Quare si illam haberet creatura, ex seipsa illam haberet, & non à Deo, unde creatura tunc esset primum liberum, & per essentiam esset libera, & non per participationem, quod omnino est impossibile.

Præterea in Deo tunc nec formaliter, nec eminenter esset libertas, seu contingentia, quæ à creatura participari posset, ergo necesse est quod creatura haberet tunc aliquid à Deo non participatum. Antecedens patet, quia determinatio omnimoda ad unum, & necessitas absoluta divinæ operationis, certum est quod non contineret formaliter indifferentiam & libertatem vel contingentiam, imò illi opponeretur, sicut necessarium opponitur libero & contingenti. Similiter nec libertas seu contingentia esset tunc in Deo eminenter, quia etiam formalis & expressa determinatio ad unum excludit à subjecto, in quo est, libertatem seu indifferentiam virtualem seu eminentialem respectu illius operationis, ad quam ex necessitate naturæ determinatur.

Præterea hæc consequentia est evidens; si Deus movet creaturam ad operandum, ipsa creatura movetur & operatur; sed in hoc casu antecedens esset omninò necessarium absque suppositione aliqua: ergo etiam consequens esset omnino necessarium absque suppositione: ergo nullo modo esset liberum, vel contingens: quia libertas, & contingentia omnimodæ necessitati opponuntur. Quod autem in bona consequentia existente antecedenti omnino necessario & sine suppositione consequens debeat esse omnino necessarium & sine suppositione, manifestum est; quod & Sanctus Thomas non semel & Aristoteles probant, nec probatione indigere censemus.

Quare juxta sensum hujus conclusionis verissimè dixit Scotus, quod Philosophi qui constituerunt Deum agere ex necessitate, simpliciter & reipsa contradictoria simul admiserunt: quia omnia ista sine dubio tunc sequerentur. Primò quod Deus producat aliquid, & non producat aliquid. Quod enim producat supponitur in actu, quod autem non producat, probat Sanctus Thomas ratione supra facta. Item sequitur quod detur prima omnium causa, & quod non sit omnium prima causa. Affirmativa supponitur, & negativa ostenditur: quia non produceret illam indifferentiam & libertatem, quam creaturæ haberent: ergo non esset prima causa omnium. Item sequeretur aliquid esse in creatura productum, & tamen quod non esset à Deo participatum. Insuper sequeretur quod creatura esset primum liberum, & non esset primum liberum, & alia pleraque similia. Imò addendum, quod in isto casu manifestam involvit contradictionem; ponere Deum agere ex necessitate naturæ, & esse causas necessarias, liberas & contingentes, inter se diversas, & quæ in diversos terminarentur effectus. Probatur, si Deus ageret ex necessitate naturæ, quælibet ejus volitio esset omnino necessaria, ergo haberet ordinem omnino necessarium ad objectum quodlibet à se volitum; ergo nullo modo possent esse effectus diversi in necessitate, & contingentia: ergo nec possent esse causæ diversæ, necessariæ, contingentes seu liberæ.

CAPUT XII.

Quod supposito universi ordine, sicut modò est, si Deus ex necessitate naturæ operaretur, nullus esset effectus liber, vel contingens è causis secundis emanans.

DICENDUM secundo si post mundi constitutionem creatis jam rebus; & supposito ordine universi, sicut modò est cum causis necessariis, & aliis liberis & contingentibus, Deus cum illis concurreret ex necessitate naturæ & sine aliqua libertate; hoc impossibili admisso nulla creatura de facto & in exercitio produceret effectum liberum sive contingentem. Imò pari ratione superaddo quod nullus effectus à creatura aliqua produceretur, sicut etiam in præcedenti conclusione dictum est pro primo modo quem explicatum ibi reliquimus. Itaque, hoc impossibili præsupposito in hoc secundo modo declarato, dicendum erit quod tunc esset contingentia & libertas potentialis, id est, essent causæ liberæ & contingentes, de facto tamen nullus effectus liber sive contingens ab ipsis produceretur. Probatur ratione modo facta pro præcedenti conclusione, quæ etiam suo modo & hanc concludit. Nam Deus tunc concurreret cum illis causis contingentibus, & liberis ex

Digitized by Google

necessitate naturæ, ergo concurreret secundū ultimum potētiæ; ergo vel produceret effectum infinitum: quod est omnino impossibile, vel nihil produceret, & sic nec effectum aliquem liberum seu contingentem causaret: quæ est ratio S. Thomæ pro præcedenti conclusione allata, quæ ut dixi & hanc videtur probare.

Nec sufficit respondere quod tunc non operaretur Deus infinito concursu, ex eo quod ille non est receptibilis in causa secunda, unde ab ipsa limitaretur, & sic produceretur finitus ad modum proprium recipientis, necessarius videlicet pro necessariis causis, & contingens seu liber pro liberis & contingentibus. Non, inquam, sufficit sic respondere; nam, ut jam supra diximus, causa secunda finita & limitata non potest determinare influxum, seu concursum primæ, quæ infinita est in sua virtute, & multò minus potest impedire influxum primæ causæ, qui tunc ex vi causæ primæ esset necessarius, & infinitus, atque secundùm ultimum potentiæ suæ procedens, ut probatum est ex S. Thoma. Imò dato quod finitum concursum tunc Deus produceret, ille esset necessarius non indifferens & liber, ratione duplici facta pro præcedenti conclusione.

Primò, quia aliàs etiam in tali casu secunda causa esset primum liberum quoad operis exercitium, primaque radix esset suæ contingentiæ, quod plane secundis causis repugnat: patet, quia actus liber sive contingens tunc non reduceretur in Deum sicut in primum liberum, vel sicut in primam radicem contingentiæ; sed solùm in secundas causas: ergo essent secundæ causæ primum liberum primumque principium contingentiæ suæ: nec talis vel actualis libertas, vel contingentia à Deo aliqua ratione participaretur; Unde essent plura prima principia independentia adinvicem: ut S. Thomas probat in 2. dist. 37. quæst. 2. art. 5. quod & modo ex ipso supponimus, infra tertio nostro libro Copiosiùs, & efficacius comprobandum. Quod autem in Deum tunc non possit reduci, vel actualis libertas vel contingentia constat; quia motio Dei omnino necessaria, & sine libertate non posset esse causa actualis libertatis, vel contingentiæ; cum illis opponeretur. Unum enim oppositum aliud per se causare non potest.

Secundo quia etiam tunc ista esset evidens consequentia: si Deus movet causas secundas ad operandum ipsæ moventur & operantur; sed in isto casu antecedens est necessarium omnino, & sine aliqua suppositione, aut libertate: ergo & consequens simul erit omnino necessarium sine aliqua suppositione, aut libertate, ut probatum est.

Præterea Deus potest sua omnipotentia movere voluntatem necessariò si vult, ita quod voluntas tunc absque aliqua libertate moveatur, & operetur; sed si Deus ex necessitate naturæ operaretur, vellet movere secundas causas necessariò: ergo voluntas necessariò, & absque libertate tunc moveretur. Major communiter à Theologis recipitur in 2. dist. 25. de qua nulla est difficultas, illam enim docent discipuli S. Thomæ 1. 2. quæst. 6. art. 4. ubi & ipse S. D. solutione ad 1. illam ut certam, & indubitatam videtur præsupponere. Consentit & Scotus in 4. dist. 49. quæst. 6. nec hic modo probanda, sed supponenda est. Minor autem patet. Nam Deus vellet tunc creaturam agere sicut illam moveret. Cum autem tunc illam movet necessariò & sine libertate, vellet illam agere eodem modo necessariò & absque libertate. Imò non majori & efficaciori virtute moveret Deus creaturam, si modo vellet eam agere necessariò, & sine aliqua libertate; quam tunc si operaretur ex necessitate naturæ, ut de se est manifestum, quin potius majori virtute omnino necessaria tunc concurreret, ut dictum est.

Præterea, hanc conclusionem videtur convincere ratio Scoti ubi supra, quæ talis est: causa quæ movet ut mota, si necessariò movetur & absque aliqua libertate, necessariò movet: ergo necessario moveret: quæ ratio Scoti ad minus in tali casu concluderet, quod videlicet operante Deo ex necessitate naturæ, & secundum ultimum potentiæ absque libertate aliqua, & sic movente causam secundam, ipsa secunda causa tunc necessariò, & sine libertate etiam moveret.

Diximus quòd ad minus id probat, nam etiam in secundo sensu illa ratio Scoti vera est, in hoc nimirum quod causa quæ movet mota, si necessariò absolutè, & simpliciter movetur, ideſt à movente motu simpliciter necessariò, & non libero, etiam ipsa necessariò absolutè, & sine libertate movet. Patet enim, quod si Deus vellet necessariò absolutè movere voluntatem nostram sine aliqua illius libertate, quod tunc sicut absolutè, & simpliciter necessariò moveretur ita necessario etiam absolutè moveret vel ageret. Imò in tertio sensu verum habet prædicta Scoti ratio, in hoc videlicet quod omnis causa, quæ movet mota, ideſt quæ movet præcisè ut mota ita quod merè passivè se habeat, nec se possit determinare, talis si necessariò movetur, necessariò etiam movet & sine libertate. Si autem non moveat, ut præcisè mota, sed quia se movet, seque determinat, falsum est; unde falsum est, quod si necessariò ex suppositione moveatur, necessario & sine libertate moveat.

CAPUT. XIII.

Si Deus mundo jam producto, sicut modò est, ex necessitate naturæ operaretur, æquè potenti etiam vel intenso concursu, ac illo quo modò operatur, nullus produceretur in exercitio effectus liber, vel contingens.

Dicendum tertiò. Si Deus ageret ex naturæ necessitate, & cum determinatione ad unum tertio modo explicato, ideſt motione necessaria, non tamen majori, vel potentiori illâ per quam modò concurrit cum liberè agit, adhuc tunc nullus esset effectus contingens sive liber, sed effectus ex necessitate à secundis causis contingentibus & liberis producerentur; impediretur enim etiam tunc à sua contingentia seu libertate in operis exercitio. Priùsquam conclusio manifestetur, oportet prænotare casum istum duo simul impossibilia implicare. Primum est, quod Deus ad extra ex necessitate naturæ operetur. Secundum quod primum operans ex necessitate naturæ non operetur secundum ultimum potentiæ, concursu videlicet infinito, sed finito & limitato, & non majori illo per quem modò concurrat. Quibus tamen impossibilibus præsuppositis asserimus sequi effectus causarum secundarum aliàs contingentium, & liberarum, non contingenter & liberè, sed necessariò, & absque libertate.

Advertendum tamen quod inter S. Thomæ discipulos, qui videntur contrarium nostræ conclusionis, tenere quidam distinguit in comment. super 1. par. quæst. 14. art. 13. dub. 4. de contingentia & libertate: dicit enim quod in prædicto casu esset in effectibus contingentia, non tamen libertas in humanis operationibus: hac fortè ratione motus: Quod libertas est perfectio simpliciter, unde formaliter est in Deo: quare repugnat inveniri in secundis causis libertatem, quæ non participetur à prima libertate; in casu autem prædicto nulla esset libertas in Deo, & sic nulla esset in creatura. Cæterum contingentia in suo conceptu includit imperfectionem. Unde Deus, non est agens contingenter. Idcirco ad hoc quod

At

Digitized by Google

aliquis effectus sequatur contingenter à causa secunda, non est necessarium illam contingentiam reducere in Deum.

At ista ratio minus convincit, licet ab aliquibus acceptetur : quia licet contingentia formaliter in Deo non sit sicut est libertas, est tamen in Deo eminenter, & in contingentiam existentem in Deo eminenter necesse est quod reducatur rerum contingentia sicut in primam radicem illius. Implicat enim quod secunda causa sit prima radix contingentiæ, sed illa eminentialis contingentia quæ est in Deo, contingentiæ rerum prima causa est. Eminentialis autem contingentia in Deo nihil est aliud, quam ejus libertas. Unde casu quo nulla libertas esset in Deo, nulla etiam eminentialis contingentia in eo esset, & sic nec contingentia posset esse in secundis causis, nisi ipsæ tunc essent prima radix contingentiæ suæ, quod dici non potest. Unde alij discipuli S. Thomæ uniformiter asserunt idem ferendum esse judicium in illo casu de contingentia & libertate, dicentes quod tunc sicut posset stare contingentia, ita posset salvari libertas : & hi nostro judicio consequentius loqui videntur. Et ratio est, quia in prædicto casu etiam motio omnino necessaria opponeretur contingentiæ : etenim motio omnino necessaria opponitur omni motioni possibili non esse : ergo opponitur etiam contingenti, & non solùm liberæ : utraque enim essentialiter potest non esse. Cum ergo ratio fundamentalis prioris discipuli S. Thomæ non subsistat, ut dictum est, & ista secunda efficacior sit, consequentius loqui videntur, qui eodem modo in casu prædicto de contingentia ac libertate loquuntur.

M. Zumel, insignis defensor doctrinæ D. Thomæ 1. p. q. 19. a. 8. disp. 2. nisi attente legatur, videtur oppositum affirmare, dum ibidem conclusione 8. concedit, quod si Deus non liberè, sed necessariò operaretur, adhuc essent agentia libera, puta homines. Et statim in 9. conclusione sequenti admittit, quod si Deus ex necessitate naturæ ad extra operaretur nullum esset liberum arbitrium, vel in hominibus, vel Angelis; cujus fortè intentio, & sensus est ; quod si Deus operaretur ex necessitate naturæ modò jam post mundi constitutionem, essent quædam agentia libera in potentia, & cum potentia libera, & hoc dicit in 8. conclusione, non tamen esset tunc liberum arbitrium in actu exercens libertatem, & hoc sit quod affirmat in nona conclusione, vel secundo dicatur quod intendat loqui juxta tenorem nostræ primæ conclusionis, quando dicit in nona conclusione, quod operante Deo ex necessitate nullum esset liberum arbitrium; at verò cum in octava asserit fore tunc in hominibus, vel in Angelis liberum arbitrium, procedit juxta tenorem nostræ secundæ & tertiæ conclusionis, nempe suppositа jam mundi constitutione facta sicut modò est. Alij etiam S. Thomæ discipuli concedunt quod in hoc casu liberæ causæ secundæ liberè operarentur. & contingentes contingenter. Dicunt enim quod ex præcisa ratione necessitatis in agendo ipsius causæ primæ non tolleretur libertas à causa secunda. Ita quod, cum Deus me moveat liberè modò ad scribendum, & ego liberè scribam, si supponamus quod post mediam horam continuata actione scribendi Deus omnino necessariò me moueret, adhuc liberè ego prosequerer illam operationem, sicut incepi. Probant primo quia, ut aiunt, hæc est expressa sententia S. Thomæ 1. par. quæst. 14. art. 13. solut. ad primum. Probant secundo quia, qui hoc negant minùs probabilem reddunt conciliationem & doctrinam quâ tuentur libertatem discipuli S. Th. Ratione etiam probant primo, quia libertas voluntatis est aliquid illi intrinsecum, ergo quamdiu voluntas manet immutata, nulla mutatio exterior sufficit tollere libertatem ; sed ex eo præcisè, quòd Deus desineret habere libertatem in movendo, nullam assignamus mutationem voluntatis : ergo ex præcisa necessitate motionis divinæ non amitteret libertatem creata voluntas : secundò Probant quoniam creata voluntas non consistit in eo quod divina motio possit desinere esse : ergo licet ponamus illam esse omnino necessariam, ita quod non possit desinere esse, manebit in creaturis libertas. Tertiò quia quamvis tunc divina motio mutaretur de libera in omnino necessariam per ordinem ad potentiam divinam ; quæ omnino determinaretur ad movendum,, tamen ipsa divina motio, prout terminaretur ad voluntatem creatam, non acciperet mutationem nec propterea esset magis vel minus efficax. Nam efficacia, ut supponimus, non pugnat cum libertate. Unde si motio divina esset simpliciter necessaria, propterea non esset magis efficax, nec ejus efficacia infinita lædit libertatem creatam, sicut illam verè non lædit imò perficit divina omnipotentia.

Præter hos autem discipulos S. Thomæ, qui ejus verè deffendunt doctrinam, sunt authores alij, qui dicunt in casu nostræ tertiæ conclusionis causas contingentes & liberas, liberas & contingentes posse producere operationes sic sentit P. Suarez, in sua Metaph. disput. 9. sec. 3. à numero 15. usque ad 21. & alius commentator in prima par. quæst. 23. art. 6. disp. 10. cap. 3. & 4. Qui tamen dissimili valde ratione, qua discipuli S. Thomæ citati, ducuntur ad id affirmandum; etenim isti Recentiores Theologi ideò putant in tali casu posse esse actualem contingentiam & libertatem in operationibus & actionibus : quia existimant quod libertas Dei, quæ de facto concurrit cum causis liberis, nihil conducit ut operatio nostra sit libera, quod tamen omnes discipuli S. Thomæ negant, prout omnino negare tenentur.

Sed abstinendo nunc ab aliorum opinionibus nostra conclusio probanda est, & manifestandum quàm conformis sit doctrinæ S. Thomæ, & quomodo ex ipsius doctrina inferatur, ac pottissimè ex illo art. 8. 1. p. quæst. 19. & ex multis aliis, in quibus Sanctus Doctor perpetuus est in hac sententia, quod ideo in rebus est contingentia (& idem prorsus est de libertate) quia Deus vult quædam fieri contingenter, & hanc esse primam radicem contingentiæ ibi manifestè declarat ; à qua per se, & intrinsecè oriatur in rebus, seu effectibus contingentia : ergo juxta hanc S. Thomæ doctrinam, ablato per impossibile à divina voluntate quod velit quædam fieri contingenter, necesse est quod prima radix contingentiæ auferatur, ablata autem prima radice contingentiæ quomodo poterit manere in rebus seu effectibus contingentia ? Hæc autem prima radix contingentiæ aufertur manifestè, si Deus ex necessitate naturæ operetur cum secundis causis, quia tunc omnes causas secundas vellet Deus operari necessariò sicut ipse necessariò operaretur: nec aliqua radix talis contingentiæ in Deo posset inveniri. Nam tunc inquiro, à quo provenit sicut à prima radice illa actualis libertas, vel contingentia rerum in operis exercitio? non ab ipsa secunda causa, nisi constituamus, primum liberum omnino à prima causa independens: nec etiam à Deo, vel ab illius voluntate; quia potius ab ipsa contrarium oriretur, videlicet actualis necessitas & determinatio ad unũ : non ergo poterit tunc esse in effectib⁹, vel actualis contingentia, vel actualis libertas. Quę ratio ita efficax videtur ut quidã discipuli S. Th. ex præcitatis, qui contrariũ nostræ conclusionis, ut diximus, videntur asserere, expressè fateantur quod in prædicto casu non divina voluntas, sed ipsa

Digitized by Google

ſecunda causa eſt prima radix primumque principium illius actualis libertatis, ſeu contingentiæ, affirmantes hoc impoſſibile ſequi ex illo alio priori, quo aſſeritur Deum ex neceſſitate naturæ operari ad extra cum ſecundis cauſis modo illo tertio in hac tertia concluſione ſignato.

At verò nos dicimus quod licet per impoſſibile admittatur Deum ſic concurrere ex naturæ neceſſitate; adhuc tamen ſupponit caſus iſte Deum omnium primam cauſam: ergo etiam illa cauſalitate neceſſaria admiſſa non videtur admittendum id quod apertè deſtruit naturam primæ cauſæ; concedere autem quod tunc illa actualis libertas, vel contingentia non reducetur in Deum, ſicut in primam radicem, ſed in ſolam ſecundam cauſam creatam, eſt manifeſtè dicere Deum tunc non eſſe omnium cauſam primam: non ergo hoc videtur admittendum, etiam illo primo admiſſo; ſed dicendum eſt quod tunc nulla eſſet in effectibus ſeu rebus, actualis libertas, vel contingentia; ſed quod cauſæ ſecundæ liberæ, & contingentes in prædicto caſu impedirentur ab illo neceſſario concurſu, à quo prohiberentur ne defacto producerent actionem, ſive operationem liberam, ſeu contingentem.

Alij autem diſcipuli S. Thomæ, id non audent concedere, ſed dicunt quod in tali caſu non eſſet creatura primum liberum, aut primum principium ſuæ contingentiæ. Quia, licet Deus operaretur ſic omnino neceſſariò, nec eſſet liber formaliter, eſſet tamen liber eminenter, & in illius eminentialem libertatem reduceretur creata libertas. Verùm hoc minus intelligibile eſt: cum motione enim Dei omnino neceſſaria & ſine libertate; nec ſtat formalis nec eminentialis libertas; quia utrumque planè excludit. Et præterea nec ipſi poterunt aſſignare, quæ ſit illa eminentialis libertas, vel in qua formali ipſa contineatur: Qva reſponſione omiſſa.

Secundò probatur concluſio: Etiam in iſto caſu illud argumentum ſuprafactum planè efficaciſſimum eſt, quo doctiſſimus quidam S. Th. diſcipulus utitur; quia in hoc caſu hæc conſequentia eſt evidens. Si Deus movet ſecundas cauſas ad operandum ipſæ moventur & operantur: ſed antecedens eſt omnino neceſſarium & ſine ſuppoſitione, aut libertate aliqua: ergo & conſequens erit etiam omnino neceſſarium & ſine aliqua ſuppoſitione & libertate. Quod argumentum eſt ſine dubio & Ariſt. & S. Th. Sententia, manifeſtaque ratione convincitur, quia aliàs oppoſitum antecedentis in bona conſequentia poſſet ſtare cum conſequenti, quod implicat; Si enim conſequens non eſt omnino neceſſarium, ſed abſolutè liberum & contingens, & tantum ex ſuppoſitione neceſſarium, conſtat quod oppoſitum antecedentis omnino neceſſarij, quod eſt contingens vel liberum, ſtant optimè cum conſequenti quod ponitur abſolutè liberum & contingens, & tantum ex ſuppoſitione neceſſarium. Unde etiam in iſto caſu evidens eſt illa Scoti ratio, quod quidquid motum movet, ſi neceſſariò omnino & ſine libertate movetur, neceſſariò omnino & ſine libertate movet.

Prætera citati diſcipuli S. Thomæ graviſſimi, & doctiſſimi concedunt eſſe contra rationem primæ cauſæ quod ejus concurſus modificetur, vel determitur à concurſu ſecundæ cauſæ: hoc autem ab ipſis admiſſo videtur conſequenter dicendum, quod ſi Deus operaretur ex neceſſitate naturæ modo prædicto, non eſſent effectus contingentes vel liberi in exercitio; aliàs tunc concurſus primæ cauſæ per ſecundam cauſam determinaretur. Imò, quod majus eſt; ſequitur manifeſtè quod ſecunda cauſa, tunc impediat, & vincat concurſum primæ: quia prima tunc neceſſariò vellet producere effectum neceſſarium, & ad hoc concurreret neceſſario, concurſu cum omnimoda determinatione ad unum: ergo ſi id non producit, impeditur & vincitur à ſecunda cauſa. Sequitur etiam, quòd ille effectus contingens, & liber tunc eveniet præter intentionem primæ cauſæ. Hæc autem omnia & contra S. Thom. & veram philoſophiam omnino procedunt; unde admitti non debent, etiam illo primo caſu admiſſo.

Video poſſe prædictos authores reſpondere non eſſe magnum inconveniens, quòd uno impoſſibili conceſſo, & admiſſo, quale eſt Deum concurrere ex neceſſitate naturæ in tali caſu, omnia relata inconvenientia ſequantur.

Cæterùm veriùs, & conformiùs ad doctrinam S. Thomæ, & ejus fundamentales rationes dicit noſtra concluſio, quod tunc effectus minimè eſſent contingentes & liberi, ſed neceſſarij; nec enim licet illo caſu admiſſo tot impoſſibilia multiplicare, cum per ſe ex prædicto caſu non inferantur, quia ſumma cum facilitate evitantur aſſerendo tunc nullam eſſe actualem libertatem, & contingentiam in exercitio, quod & ratio perſuadet. Nam quoties duæ cauſæ ſimul ad contraria tendunt, inferior cedit potentiori & ſuperiori, & non è converſo ſuperior, & potentior cedit inferiori & infirmiori. Cederet ergo ſecunda cauſa libera, & contingens potentiori, videlicet primæ cauſæ, & ab ipſa raperetur tunc ad effectum neceſſarum producendum, & à ſua libertate & contingentia in operis exercitio tunc impediretur.

Præterea omnes diſcipuli S. Th., imò Scholaſtici omnes ſine contradictione uniformiter admittunt, quòd ſi Deus vellet modò movere liberum arbitrium neceſſariò, & ſine aliqua libertate (ut reipſa poteſt) tunc liberum arbitrium ſine aliqua libertate operaretur, & neceſſarium omnino produceret effectum, nec dicunt quod ille actus ex parte Dei eſſet neceſſarius, & ex parte ſecundæ cauſæ contingens, & liber: nec admittunt aliquid contra naturam primæ cauſæ, ſed uno ore fatentur in tali caſu impediri liberum arbitrium à ſua actuali libertate per divinam voluntatem volentem quod liberum arbitrium neceſſariò operaretur. Cur ergo timent idem omnino concedere in caſu quo Deus ex neceſſitate naturæ ad extra operaretur? Nam tunc vellet Deus efficaciter liberum arbitrium neceſſariò operari, & vellet quod neceſſarium produceret effectum, & ad id vellet neceſſarium ſuum concurſum præbere, & vellet liberum arbitrium, ſua libertate impedire.

Præterea concluſionem noſtram, ratio Scoti ſupra pro prima & ſecunda concluſione relata, etiam confirmat quod videlicet cauſa quæ mota movet, ſi neceſſariò movetur, neceſſariò movet. Quæ intellecta de prima omnium cauſa movente verùm habet ob rationes factas; nam de aliis ſecundis cauſis neceſſariò moventibus non currit, quia impediri poſſunt à cauſis contingentibus, ſeu liberis motis, ut dictum eſt.

Quæ Scoti ratio nullo modo infirmatur propter rationem adhibitam à P. Suarez in Metaph. loc. cit. ubi dicit. Quod ſi Scoti ratio aliquid probaret, probaret etiam quod nunc de facto non detur contingentia, ſeu libertas in rebus: quia etiam nunc de facto, ait, movet Deus cauſam ſecundam ita efficaciter, ac tunc moveret, ſi ageret ex naturæ neceſſitate. Ad quod tamen facillimè reſpondetur diverſam omnino eſſe in utroque caſu rationem; quia ſi Deus ageret ex neceſſitate naturæ, & moveret cauſam ſecundam neceſſariò vellet omnem effectum eſſe neceſſarium, cui divinæ voluntati ſic operanti, quia non poſſet creatura reſiſtere, produceretur effectus neceſſarius. Totum autem contrarium hujus invenitur in motione,

licet

Digitized by Google

licet efficaciſſima, qua de facto divina voluntas modò creaturas ad ſuas liberas movet operationes. Vult enim divina voluntas effectum cauſæ liberæ eſſe liberum & effectum cauſæ contingentis eſſe contingentem, & ad id ſua motione efficaci, quæ attingit & ſubſtantiam & modum, creaturas liberas movet; cui efficaci motioni non ſtat ſecundam cauſam reſiſtere. Unde quia prima vult ſecundam cauſam agere, ita ſecunda modò operatur & liberè operatur, ſicut prima cauſa vult. Vide Capreolum cujus eſt inter alios iſta ſolutio in 1. ſent. diſt. 45. q. 1. §. *Ad iſta dicitur, & primò ad primum contra primam concluſionem.*

Iſta ratio ex profeſſo à nobis infra in hac materia explicanda, probanda & fundanda eſt, quia ab ipſa pendet tota hujus materiæ perfecta intelligentia & reſolutio. Unde ad præſens ſolùm dicimus, quod ratio hujus moderni authoris, qua vult rationem Scoti infringere, & quæ ſæpiùs adhibetur in his materiis non ſolùm aliquid apparenter probat; ſed contrarium omnino convincit ſi attentiùs penetretur, ut modo ſummitate tantum labiorum inſinuata eſt: Manifeſtabimus enim infra, adjuvante Domino, quomodo ex hac eadem ratione, qua iſti Recentiores colligunt tolli à rebus libertatem, S. Th. & omnis vera Theologia colligit à priori ſervari & perfici in hominibus libertatem iſtam, ſed iſta pro nunc ſufficiant occaſione rationis Scoti.

Sed jam ultimò argumenta ſolvamus illorum diſcipulorum S. Thomæ qui defendunt ſalvari tunc libertatem & contingentiam in effectibus. Ad primum illorum dicendum falſum omnino eſſe, illorum ſententiam in hac parte, eſſe ſententiam S. Thomæ 1. p. quæſt. 14. art. 13. ad 1. Quia ibi S. Doctor non loquitur de omnimoda neceſſitate, & ſine libertate primæ cauſæ, ita ut doceat, ſicut arbitrantur, quod ſtante prima cauſa omnino neceſſaria, & ſine libertate poſſint eſſe effectus contingentes propter proximas cauſas contingentes. Proculdubio hoc nullo modo S. Th. ibi docuit, imò in illo articulo non ſemel docet totum oppoſitum: Nimirum ſe loqui de prima cauſa operante neceſſario ex ſuppoſitione, & cum abſoluta libertate: quia intentio articuli, & doctrinæ de hoc tractabat. Et in corpore, & ſolut. ad ſecundum expreſsè docet quod cauſa prima, vel illius cognitio eſt neceſſaria ex ſuppoſitione immutabilitatis ſuæ: Unde ait, quod in hac conſequentia Deus ſcivit hoc, ergo hoc erit; conſequens eſt ita neceſſarium ſicut & antecedens; evidens eſt autem quod conſequens eſt ſimpliciter contingens, & tantùm neceſſarium ex ſuppoſitione: ergo hoc modo tantùm antecedens eſt neceſſarium. Secundò, quomodo poteſt dici quod S. Th. loquatur in ſolut. ad 1. de prima cauſa omnino neceſſario operante, & ſine libertate. Cum loquatur de ſcientia Dei, ſicut modò Deus eam habet de futuris contingentibus: & apertiſſimum ſit illam Dei ſcientiam, quam modò de illis habet, non eſſe omnino neceſſariam & ſine libertate, ſed eſſe tantùm neceſſariam ex ſuppoſitione. Planè loqueretur, ſi ſic eſſet, S. Th. totaliter extra propoſitum. Præterea quomodo poſſunt diſcipuli S. Th. hoc tribuere ſanctiſſimo Doctori in illo articulo cum ipſi fateantur, quod ſi Deus vellet me movere neceſſariò, & ſine libertate; id poſſet facere, ita quod tunc ego ſine libertate operarer; ſi autem Deus operaretur omnino neceſſariò movendo creaturam, vellet quod illa ſine libertate & cum omnimoda neceſſitate operaretur, ſenſus ergo illius ſolut. ad 1. planus eſt; quod nimirùm exiſtente prima cauſa neceſſaria ex ſuppoſitione, ut revera eſt, effectus proveniunt contingenter propter proximas cauſas contingentes, à quibus proximè provenit contingentia; ſed radicaliter ab efficacia primæ cauſæ adjuvante ejus libertate, prout ipſe in terminis expoſuit quæſt 19. art. 8. qui articulus eſt vera intelligentia, & explicatio illius alterius art. 13. ſolut. ad 1. ex quæſt. 14.

Ad ſecundum dicendum illud opponentes minùs advertere quod potiùs ex illa ſua ſententia non concilietur humana libertas cum efficacia Dei moventis, quia S. Thomas ubique & omnis ejus Schola ideo docent ſalvari humanam libertatem cum efficacia antecedenti divinæ voluntatis: quia illa efficax Dei voluntas antecedens humanam libertatem, ob ſuam infinitam efficaciam vult utrumque, & modum & ſubſtantiam actus, & ad utrumque concurrit, volendo & efficiendo, quod ego infallibiliter modo ſcribam & liberè ſcribam.

Si ergo conciliatur libertas cum efficacia Dei, ex eo quod Deus vult me liberè ſcribere; & ita neceſſe eſt ex ſuppoſitione, quod liberè ſcribam, ſicut Deus vult: manifeſtè ſequitur, quod ſi Deus vult efficaciter & ſine libertate ut ſcribam; (vellet autem hoc ſine dubio ſi ipſe ſine libertate ex neceſſitate naturæ me moveret) ne reſiſtentia fiat divinæ voluntati, ego debeo neceſſariò & ſine libertate ſcribere. Manifeſtum eſt etiam, quod qui concordant libertatem noſtram in operando in tali caſu cum omnimoda neceſſitate naturæ cauſæ primæ, quod non conciliant jam ſicut S. Th. & ejus Schola, aut ſicut ipſa veritas hanc conciliationem atque concordiam efficit. Nam S. Th. & ejus Schola ex eo docent ſtare libertatem cum Dei efficacia, quia efficacia Dei ajuncta illius libertate vult quod ego liberè operer nec aliam concordiam intelligunt, aut exponunt. At iſti authores aliam inveniunt aſſerentes, quod licet Deus non velit ſuâ efficaciâ me liberè ſcribere; imò quantumvis velit me omnino & ſine libertate movere, adhuc ego liberè operabor, quod eſt contra modum quo S. Th. & ejus Schola componunt atque concordant libertatem, cum Dei efficacia. Unde iſta concordia libertatis cum Dei efficacia omnino neceſſariò & ſine libertate movente, concordat libertatem independentem à Deo, nec ab ipſo participatam cum divina motione; non tamen concordat libertatem ſubditam Deo ab ipſo dependentem, & ab eo participatam, quod revera non eſt concordare noſtram libertatem, ſed eam potius inficiari: cum eam à Deo non dependere & participari ponitur, prout ſupra explicatum eſt.

Ad tertium dicendum, quod licet libertas ſit quid intrinſecum noſtræ voluntati eſſentialiter; tamen ſupponit primam libertatem in prima cauſa, à qua ſicut vera cauſa ſecunda dependet & participatur, nec ſine illa prima libertate primæ cauſæ eſſet in nobis noſtra nobis intrinſeca libertas, ut pleniùs probatum eſt. Similiter dicendum falſum eſſe, quod mutata Dei motione de libera in neceſſariam omnino neceſſitate naturæ, non mutetur noſtra operatio quæ etiam ab illa eſſentialiter dependet, ſimiliter de libera in omnino neceſſariam, propter rationes inductas quæ hoc demonſtrare videntur. Quod patet in caſu poſſibili, poſſibile eſt enim quod Deus qui modo vult me liberè ſcribere, velit poſt dimidiam horam me omnino neceſſario & ſine libertate ſcribere, in quo caſu mutata Dei motione de libera in neceſſariam, mutatur etiam mea actio ſimiliter in neceſſariam, ut planè diſcipuli Sancti Thomæ docent. Igitur tam eſſentialis ordo eſt inter meam actionem & Dei motionem, quod illâ mutatâ, mea ſimiliter ex conſequenti mutatur.

Ad ſecundam rationem dicendum, quod licet mea libertas eſſentialiter atque formaliter non conſiſtat in eo quod motio Dei libera ſit, aut poſſit deſinere eſſe eſſentialiter libera, tamen id præſupponit. Unde variata illa prima radice noſtræ libertatis, variatur

ex

Digitized by Google

ex consequenti ipsa nostra libertas. Similiter dicendum ad tertium quod non solùm tunc mutaretur divina motio per ordinem ad Dei potentiam, sed etiam per ordinem ad meam operationem, quam respicit, & quam causat, ut dictum est: quia mutato priori mutatur posterius, quod ab illo essentialiter dependet, efficacia autem infinita divinæ voluntatis, si habeat adjunctam divinam libertatem, non impedit, sed causat nostram libertatem & eam perficit; si autem sit omnino necessaria & sine libertate secum similiter rapit nostram voluntatem sine sua libertate, ut demonstratum est.

CAPUT XIV.

Proponuntur argumenta contra prædictam resolutionem, & dissolvuntur.

CONTRA prædictam resolutionem non infirma opponuntur argumenta à tenentibus contrariam sententiam, videlicet, quod adhuc illo casu præsuppositio, libertas & contingentia in effectibus & actionibus servaretur. Nam in illo casu, adhuc causæ manerent contingentes & liberæ, ut supponitur: ergo adhuc effectum contingentem & liberum sibi proportionatum producerent; quia essentiale est secundis causis contingentibus & liberis, effectus contingentes, & liberos producere quando operantur, ergo contingenter tunc operarentur.

Quod confirmant, quia in prædicto casu certum est quod voluntas hominis vel Angeli non esset primum instrumentum in similibus actionibus sed verè essent causæ principales in suo ordine, & respectu suarum operationum: ergo assimilarent sibi effectum, hoc enim inseparabile est à causa secunda principali: ergo effectum producerent liberum, & contingentem; quia solus effectus talis est similis causis illis, effectus enim necessarius similitudinem cum illis causis nullam haberet. Unde si Deus cum causa secunda habente formam liberam & indifferentem operaretur effectum necessarium, & nullo modo liberum & indifferentem, talis causa secunda respectu illius operationis instrumentũ videretur, quia non per suam formam operaretur proportionatum effectum sibi similem; sed effectum ipsi formæ contrarium: sicut hac ratione, si Deus mediâ aquâ frigidâ calefaceret, aqua ad similem actionem ut purum instrumentum Dei operaretur effectum illum: nullo autem modo admitti potest voluntatem vel hominis vel Angeli esse purum instrumentum respectu alicujus suæ vitalis operationis.

Quod si dicatur quod licet illæ essent causæ liberæ & contingentes in potentia tamen in casu prædicto impedirentur quoad exercitium suæ libertatis, ut dictum est. Contra hoc vrget primo, quia licet impediri possint ne producant effectum sibi proportionatum, tamen quod contrarium effectum suæ propriæ formæ producant, videtur repugnare; si autem effectum necessarium producerent, planè producerent effectum suæ formæ positivè contrarium. Et præterea, quia si in tali casu non producerent effectus liberos & contingentes causæ liberæ & contingentes, sequeretur totam libertatem nostrarum operationum in primam causam esse reducendam, & nullo modo in voluntatem nostram; imò sequeretur actus nostros non ideo esse liberos quia eliciuntur à nostra voluntate libera, sed quia à Deo liberè procedunt, ac propterea sequeretur eos non esse in nostra potestate, sed in potestate Dei.

Ultimò, si in tali casu nullus effectus liberè, sive contingenter à secundis causis contingentibus, & liberis produceretur, vno ex duobus modis hoc fieri deberet; vel quia Deus sic ex necessitate naturæ operans semper judicium rationis in creaturis illis liberis præveniret; & hoc adhuc non sufficeret, nisi talis esset cogitatio ex parte intellectus, ut necessariò raperet voluntatem; nulla autem talis esse potest citra claram Dei visionem: ergo adhuc hoc modo non posset voluntas creata impediri à sua libertate, ita quod actum omnino necessarium produceret vel impediret tunc Deus libertatem prædefiniendo opera nostra ante omnem libertatem nostram, & ante liberam ipsius determinationem: sed hoc modo non impediretur creata voluntas tunc à sua connaturali libertate in exercitio operis producenda; si quidem & modò Deus ita actus nostros prædefinit, ut in secundo hujus operis libro ostendemus, & tamen verè causæ secundæ liberè operantur actiones suas liberas & contingentes.

Confirmatur. Quia licet Deus liberè voluntatem nostram moveat, potest tamen ipsa in aliquo casu necessario operari, ut patet in visione beata; ergo è contra licet Deus in aliquo casu necessario moveat, poterit voluntas nostra liberè tunc operari ratione eadem.

Hæc ultima tria argumenta sunt, quibus Recentiores Theologi convincuntur ad tenendam oppositam sententiam; sicut & duo priora, quæ majorem aliquam difficultatem obtinent, sunt discipulorum S. Thomæ.

Si quis autem diligenter advertat facta argumenta, prædictæ veritati minimè obstant, vel aliquid contra ipsam convincunt. Unde ad primum, quod est fundamentum contrariæ sententiæ, dicendum sicut supra; quod videlicet in casu illo secundæ causæ contingentes & liberæ in potentia tantum essent liberæ & contingentes; in exercitio autem impedirentur ab actuali libertate per divinam motionem, & sic actum liberum, seu contingentem minimè producerent. Et ad probationem dicendum non esse essentiale secundis causis liberis & contingentibus effectus contingentes & liberos ita producere, quod in hoc impediri à Deo non possint. Imò si hoc argumentum aliquid probaret, etiam contra authores qui utuntur, convinceret, quod videlicet Deus non posset modo meam vel alterius voluntatem necessitare ad aliquem actum omnino necessarium, & sine libertate producendum; quod tamen nullus eorum concedit, aut concedere potest.

Utrùm autem causa libera & contingens, quæ hunc sic operaretur necessarium actum, cogeretur à Deo, vel ab ipso violentiam pateretur, alia quæstio est ad præsens non disputanda sed præsupponenda. Præsupponendum est enim voluntatem à nullo, nec etiam à Deo posse cogi, aut violentiam pati quoad actum elicitum, hoc enim est contra essentiam & intrinsecam naturam voluntatis ut S. Thom. docet 1. 2. q. 6. art. 4. & 1. p. q. 82. art. 1. & q. 22. de verit. art. 8. Imò juxta ferè communem sententiam omnium discipulorum S. Thom. dicendum est, quod generaliter nulla causæ potentia, sive creatura potest violentiam pati respectu cujuscumque motus, quo à Deo immediatè & solum moveatur. Videatur S. P. August. (cujus est doctrina ista) lib. 26. contra Faustum, ubi dicit *illud esse cuilibet rei naturale, quod ille fecerit à quo est omnis numerus, modus, & ordo naturæ.* Quem locum ad hoc refert S. Thom. 1. p. q. 105. art. 6. ad 1. Videatur etiam idem S. Thom. 3. con. gent. cap. 100. & q. 4. de poten. art. 1. ad 20. & q. 6. art. 1. ad 17. & 3. p. q. 43. art. 2. & opusc. 10. art. 10. & 17. & alibi sæpe, quibus locis totus est in hac doctrina, quod respectu solius Dei nulla est violentia in creaturis, quomodocumque Deus illas moveat. Ita sentiunt Caiet. 1. p. q. 82. a. 1. Ferra. 3. con. gent.

Digitized by Google

gent.cap.100. Conrad.1.2.quæst.6. citata cum aliis Recentioribus.

Ad Confirmationem dicendum quod in tali casu secundæ causæ contingentes & liberæ non ut mera instrumenta, sed ut causæ principales operarentur illum vitalem actum necessarium absque tamen libertate aliqua;non quidem per formam liberam quatenus libera esset,sed per voluntatem ut natura est;sicut cum ipsa voluntas movetur motu primo antevertente rationis usum,ut causa principalis operatur,non autem ut purum instrumentum;& tamen operatur non ut libera sed ut natura. Similiter, si Deus modò voluntatem alicujus vellet operari necessarium actum sine libertate,non constitueret illum purum instrumentum, sed ut verè causa secunda principalis illum actum operaretur. In quibus omnibus eventibus actus necessarius productus à voluntate aliquid præsupponeret in voluntate, cui sicut causæ principali assimilaretur.

Modus autem, quo hoc fieret, tangitur in ultimo argumento.Unde exemplum adductum de aqua frigida respectu calefactionis non est simile;quia aqua illa tunc nullam formam haberet ad calefaciendum, quare necesse esset quod respectus calefactionis talis puram rationem instrumenti haberet. Voluntas autem, licet libera sit, potest tam respectu alicujus moveri ut natura, ut solutione ad ultimum explicabimus ampliùs.

Ad secundum patet ex dictis: licet enim in tali casu produceret voluntas liberè actum, suæ formæ liberæ contrarium, illum tamen produceret similem & proportionatum sibi quatenus natura est, & quatenus tunc ad illum actum necessarium ut natura concurreret.

Ad tertium dicendum, quod tota libertas nostrarum operationum, nec solùm in nostram liberam voluntatem reducenda est; nec iterum solùm in divinam voluntatem, sed tota reducitur in nostram voluntatem liberam sicut in causam formalem, & proximam. Rursus tota reducitur in divinam voluntatem, sicut in primam radicem. Quare ablata hac prima radice hujus libertatis, quæ divina voluntas est, nulla esset libertas in exercitio nostrarum operationum.

Et per hoc patet etiam ad aliud, quod ibi objiciebatur, dicendum est enim operationem nostram esse liberam,quia à nostra libera voluntate procedit si verbum, *quia*, causam proximam denotet; & etiam esse liberam, quia divina voluntas vult illam liberam esse, & liberè operari, si ad primam radicem & causam contingentiæ & libertatis ascendamus;& illa per verbum, *quia*, in tali propositione importetur.

Sed dices simpliciter & absolutè quid est dicendum actionem nostram esse liberam, an quia procedit à nostra libera potentia,an quia liberè à Deo procedit?

Ad hoc dicendum, quod absolutè & simpliciter concedi debet liberam esse nostram operationem; quia procedit à nostra potentia libera, in hoc enim essentialiter includitur prima libertatis nostræ radix quæ est divina voluntas; nec enim potentia nostra libera ab illa præscindit, vel præscindere potest, sed illam necessariò præsupponendo includit. Doctrina est S.Thom. 3. contra gentes cap.88. ubi sic dicit: *Sic ergo cum quæritur propter quid de aliquo effectu naturali, possumus reddere rationem ex aliqua proxima causa, dum tamen sicut in primam causam reducamus omnia in voluntatem divinam.* Similiter ut ubi etiam docet S. Thom.quærenti quare lignum calefactum est, si quis respondet, quia Deus voluit, convenienter quidem respondet, si intendit reducere, quæstionem in primam causam, inconvenienter tamen si intendit omnes aliàs excludere causas. Eadem est sententia S.P.August.lib. de dono perseu.cap.19. de quo tamen aliàs.

Propter hoc etiam patet ad aliud inconveniens quod adducebatur & sæpius in his materiis adducitur à prædictis Recentioribus, (quod videlicet tunc operationes liberæ non essent in nostra potestate.) Si enim fiat sensus quod non sunt in nostra potestate absque dependentia essentiali, à priori potestate divina, verissimè concedi debet operationes nostras in nostra potestate hoc modo non esse nec esse posse, ut evidentiùs infra in hoc opere demonstrabimus;nostra enim potestas libera,& liberum exercitium ipsius, liberumque dominium nostrorum actuum exemptum à divino dominio,& potestate non est; sed sub divina potestate continetur, à qua regitur, movetur, & applicatur ad operationes liberas. Si autem fiat sensus (ut fieri debet) nostras operationes in nostra potestate esse cum essentiali dependentia à divina priori potestate, sub qua continentur, tunc actiones nostræ liberæ in nostra sunt potestate;& ita absolutè & simpliciter est dicendum, illas in nostra esse potestate & dominiũ earũ nos habere, ut omnis Philosophia moralis clamat, experientia docet, & divina fides prædicat: Quia similes propositiones absolute & simpliciter prolatæ semper illud quod essentialiter præsupponunt, includunt, videlicet illam nostram potestatem sub divina priori potestate & dominio contineri. Ob injuriam autem temporum,& ad æquivocationes evitandas, quibus multi modò, cum dicunt actiones esse in nostra potestate, intelligunt ita esse in nostra potestate, quod divini potestati non subdantur, cum ab illis similes proferuntur vel audiuntur propositiones, expressiùs explicandæ & declarandæ sunt, ne lateat anguis in herba. Expressè dicendum est, ad tollendas hujus temporis cavillationes, nostras operationes in nostra esse potestate contenta sub priori divina potestate. Unde si inter utramque potestatem fiat comparatio ad invicem, dicendum est nostras operationes multo magis esse in divina potestate, quam in potestate nostra; quia Deus universorum est Deus. Quod & infra copiosiùs declarabimus ex S. P. August. expressa sententia.

CAPUT XV.

Proponuntur argumenta quibus adversarij probare nituntur quod Deus potest voluntatem necessitare præsupposito objecto indifferenti per rationem.

VLTIMUM argumentum petit modum, quo,si Deus concurreret ex naturæ necessitate, vel si nunc pro sua libertate vellet necessitare alicujus voluntatem ad actum aliquem necessarium producendum, id tunc fieret; & qua ratione in illo casu libera voluntas creata à sua actuali libertate in exercitio impediretur, & actum necessarium produceret. De quo, sententia est Recentiorum qui cum P. Suarez in Metaphysic. disput. 19. sect. 3. num. 9. opinantur, quod existente potentia libera, & proposito objecto indifferenti per intellectum, adhuc Deus potest sua infinita virtute facere, quod creata voluntas absoluta necessitate & absque libertate aliqua eliciat actum circa objectum tale. Imò de facto impediri per præviam Dei motionem contendunt, asserentes, quod si Deus illam vellet necessitare, sicut reveta potest, id melius efficere nequiret quam per prædeterminationem illam. Suadetur hic dicendi modus, primò, quia aliàs Deus non posset necessitare voluntatem nisi mediante objecto; hoc autem est falsum: ergo. Minor probatur, quia Deus potest movere voluntatem necessariò non ut objectũ,sed ut agens infinitæ virtutis.

Præterea,

Digitized by Google

Præterea, si voluntas solum pati potest necessitatem ab objecto, sequitur ipsam nunquam posse extrahi à suo connaturali modo operandi, & ex consequenti numquã ipsa poterit moveri necessariò, nisi quando ipsa naturali impetu necessariò movebitur. Probatur quia objectum ut objectum nunquam movet voluntatem modo præternaturali, sed maximè naturali, ergo nunquam poterit necessitare voluntatem ad actum aliquem, ad quem ipsa de se libera est, quod apparet falsum; cum enim Deus sit voluntatis author & Dominus, cur non poterit quoties voluerit, & quomodo voluerit voluntatem movere, vel impellere ut necessariò agat, vel impedire ut non agat?

Præterea si Deus non potest necessitare voluntatem nisi medio objecto proposito ut necessario; ergo respectu actus liberi nunquam illam poterit necessitare. Patet, quia Deus non potest necessitare voluntatem nisi medio objecto & judicio practico repræsentante illud ipsi voluntati ut necessarium: ergo de objecto omnino libero, si Deus vult quod voluntas circa illud agat necessariò, debet immittere in intellectu judicium practicum omnino necessarium: ergo immitteret Deus judicium falsum in mente illius quem sic necessariò movere vellet; nam objectum illud liberum ex sua intrinseca natura hoc petit, ut de illo liberum formetur judicium, & contra ipsius naturam est quod de ipso necessarium judicium formetur; nec tale necessarium judicium potest aliquis de objecto libero formare, nisi cum errore & falsitate; impossibile est autem quod Deus sit causa erronei judicij in mente alicujus; quia per hoc Deus ipse inclinaret ad falsum, quod impossibile est.

Præterea: quia adhuc hoc admisso, Deus non moveret voluntatem liberam ad actum necessarium; quia præsupposito tali judicio determinato jam ipsa voluntas determinata maneret ad illud objectum appetendum. Unde voluntas determinata ad unum, non mirum quod actum necessarium produceret, non autem voluntas libera illum eliceret.

Præterea voluntas creata & potestas illius est limitata, & finitæ virtutis ad volendum; ergo potest vinci ab agente intrinseco infinitæ virtutis, videlicet à Deo: ergo poterit Deus movere libertatem, ad volendum ex necessitate objectum aliàs de se indifferens, etiam si ut indifferens per intellectum proponatur: hoc enim nullam videtur repugnantiam involvere.

Sextò, & ultimò. Hæretici hujus temporis non negant quidem operari nos ex perfecto judicio, & advertentia rationis, experiuntur enim se ab ipsis objectis non cogi; negant tamen nos liberè operari, eo quod Deus sua omnipotenti voluntate nobis necessitatem imponat. In quo à Catholicis non reprehenduntur, eo quod aliquid asserant quod vel reipsa contradictionem aut repugnantiam involvat, aut Dei omnipotentiam superet. Sed redarguuntur eo quod ex divinis scripturis, aliisque fidei principiis constet Deum ordinariè non uti nobiscum ea efficacia, & omnipotentia sua, nec id esse suæ suavissimæ providentiæ consentaneum; & tamen, si assererent aliquid in Philosophia repugnans, de hoc arguerentur: ergo non repugnat quod Deus supposito indifferenti judicio rationis voluntatem moveat ex necessitate, ut actum omnino necessarium efficiat.

Præter hæc argumenta Recentiores Theologi citati hanc sibi persuadent sententiam, ut facilius postea efficaciam divinæ voluntatis prædefinientis & prædeterminantis humanas operationes antecedenter ad humanam determinationem negent, tanquam tollentem libertatem. Sic enim sæpius argumentantur. Potest Deus necessitare voluntatem liberam respectu objecti propositi sub ratione indifferenti: sed nulla alia via videtur quod hoc faciat, nisi sua efficaci virtute illam prædeterminando ut actum infallibiliter & inevitabiliter producat, ergo si sic voluntatem prædeterminat & movet, illam, ad illam operationem necessitat.

CAPUT XVI.

Quod præsupposito per rationem objecto indifferenti impossibile omnino est quod voluntas necessitetur ad actum.

HIs tamen non obstantibus argumentis dicendum omnino est, quod supposita actuali indifferentia rationis per intellectum respectu alicujus objecti, & illa voluntati propositâ atque repræsentatâ absque absoluta necessitate, impossibile est quod tunc voluntas actu necessariò & absque omni libertate in tale objectum feratur; sed si in ipsum fertur, actu libero fertur. Diximus impossibile id esse, quia de impossibilitate, quæ attenditur secundum ordinariam Dei potentiam indubitatum & Philosophis, & Theologis id debet esse. Imò etiam de extraordinaria potentia videtur id minimè factibile, ut rationes inducendæ etiam probare videntur. At quidquid sit de hac secunda impossibilitate absolutâ, de prima nunc explicata indubitata debet esse ista sententia, per quam totaliter enervatur horum Recentiorum fundamentum. Si enim ordinariâ potentiâ consideratâ, impossibile est quod practicè per intellectum proposita rationis indifferentia circa objectum aliquod, voluntas non feratur liberè in illud, & prædeterminatio qua Deus voluntatem nostram præmovet ad actus liberos semper præsupponit objecti indifferentiam per intellectum voluntati practicè propositam, fit manifestum ipsam semper liberè operari, imò non posse attenta Dei ordinaria potentia non sic liberè operari.

Impossibile est quod voluntas velit necessario & sine libertate objectum sub indifferentia proposito per rationem.

Sed prædictam impossibilitatem ostendamus. Unde ad illius plenam Intelligentiam quædam certissima, & ab omnibus communiter recepta fundamenta oportet prænotare. Primum est, quod quamvis Deus possit movere voluntatem quocunque voluerit, ut scriptura sancta testatur, tamen nullo modo illã cogere potest propriè, & strictè loquendo de coactione, ut diximus supra. Quæ est sicut communis, ita expressa S. Thomæ sententia 1. 2. q. 6. art. 4. ad 1. de veritate quæst. 22. art 8. & 9. & alibi sæpe ubi illam demonstrat.

Præterea aliud oportet præsupponere; nulla scilicet via fieri posse ut voluntas aliquid velit extra totam latitudinem sui objecti, ut communis est doctrina doctorum, opinio illaque generalis de omnibus in universum potentiis, quæ ut causæ principales saltem impossibile est, quod extra latitudinem sui objecti ferantur.

Aliud etiam eadem certitudine & communi approbatione receptum præsupponatur; quod videlicet voluntas nihil velle potest, nisi fuerit præcognitum, & apprehensione practica eidem propositum & repræsentatum ut docet ex Philosopho S. Thomas 1. 2. quæst. 9. art. 1. ad 2. & alibi sæpe: quod & nos infra secundo libro agentes de imperio fusius comprobabimus.

Ultimũ hoc etiã ut æquè certũ presuponatur quod nimirum omnis indifferentia tenens se ex parte objecti est per se & essentialis radix formalis libertatis ipsius voluntatis, ut est omnium Theologorum & Philosophorum certa sententia. Quibus suppositis probatur hæc veritas primo ex S. Th. 1. 2. quæst. 10. art. 2.

Indifferentiæ radix Libertatis.

Digitized by Google

art. 2. & 3. & 1. par. quæst. 83. art. 1. & quæst. 24. de verit. art. 2. & in multis aliis locis quibus docet essentiale esse appetitui quod ab intellectu moveatur, & essentiale esse voluntati non moveri nisi in id quod ei per intellectum repræsentatur: ergo impossibile est quod proposito per rationem objecto indifferenti voluntas non liberè, sed necessariò operetur, quia iste essentialis ordo inter intellectum, & voluntatem permutari non potest.

Verba S. Thomæ sunt in primo loco ex modo citatis loquendo de voluntate. *Unde si proponatur aliquod objectum voluntati quod sit universaliter bonum & secundum omnem considerationem, ex necessitate voluntas in illud tendit, si aliquid velit, non enim poterit velle oppositum, si autem proponatur sibi aliquod objectum, quod non secundum quamlibet considerationem sit bonum, non ex necessitate voluntas fertur in illud.* Ubi ex propositione per intellectum objecti necessarij dicit sequi necessarium actum in voluntate; & ex propositione objecti indifferentis pari ratione deducit actum liberum in voluntate. Et in ar. 3 ejusdem quæstionis inquit. *Quod quando ex passione totaliter ratio ligatur, ita quod homo usum rationis non habet, in his non est aliquis rationis motus, & per consequens nec voluntatis. Quando autem ratio non totaliter absorbetur à passione sed remanet quantum ad aliquid judiciũ rationis liberum, & secundũ hoc remanet aliquid de motu voluntatis.* Ubi iterum secundum quod ratio omnino determinatur ad unum, constituit motum voluntatis sine libertate necessarium; & secundum quod de ratione indifferenti remanet, remanere etiam de libero voluntatis actu, consequenter affirmat, tradens in hoc sine dubio connaturalem & essentialem modum operandi voluntatis cum libertate, vel sine illa, sicut à prima radice ab indifferentia, vel non indifferentia intellectus, pendere.

In prima autem parte quæst. 83. art. primo inducto ita habet, *sed homo agit judicio quia per vim cognoscitivam judicat aliquid esse fugiendum vel prosequendum, sed quia judicium istud non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis, ideo agit libero judicio potens in diversa ferri.* Et post pauca. *Et ideo circaea* (scilicet contingentia) *judicium rationis ad diversa se habet, & non est determinatum ad unum, & pro tanto necesse est quod homo sit liberij arbitrij, hoc ipso quod rationalis est.* Igitur sicut potentia liberi arbitrii, secundum præmissa essentialiter sequitur ad rationem potentem in diversa ferri; ita actus liber essentialiter ex judicio actuali indifferenti consequitur; ut verum habeat, quod sicut potentia ad potentiam ita actus ad actum.

Sed efficaciùs & clariùs quæst. citata 24. art. 2. ubi & verba sunt, quæ nec si vellemus, aut clariora, aut efficaciora possemus invenire. *Respondeo dicendum quod bruta nullo modo sunt liberij arbitrij. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod cum ad operationem nostram tria concurrant, scilicet cognitio, appetitus, & ipsa operatio, tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet.* An non in his verbis essentialem ordinem libertatis ad cognitionem constituit? procul dubio essentialem dependentiam liberæ voluntatis ex cognitione desumit. Et iterum ibi paucis interpositis. *Et ideo si judicium cognitum non est in potestate alicujus, sed sit aliunde determinatum, nec appetitus erit in potestate ejus, & per consequens nec motus, vel operatio absolutè.* Et rursus tertio. *Unde totius libertatis radix est in ratione constituta. Unde secundum quod aliquid se habet ad rationem, sic se habet ad liberum arbitrum,* satis aperta & formalia verba sunt. Et omnium clarissimè 1. 2. quæst. 17. art. 1. ad 2. inquit. *Dicendum quod radix libertatis est voluntas sicut subjectum; sed sicut causa est ratio, ex hoc enim voluntas liberè potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni, & ideo Philosophi definiunt liberum arbitrium, quod est liberum de ratione judicium, quasi ratio sit causa libertatis.* Ex qua definitione duo aperte monstrantur. Alterum ita esse essentialiter conjunctam indifferentiam judicij cum libertate voluntatis, & ita ex hac radice & causa, sequi inseparabiliter formalem libertatem voluntatis, quod in definitione libertatis hac ratione Philosophi talem libertatis radicem expressè constituerunt, ut ostenderent quod ubicumque fuerit definitio illa, ibi erit pariter definitum. Igitur impossibile est poni indifferens judicium, & non poni libertatem in voluntate. Igitur posita indifferentia judicij non potest aliunde libertas impediri, ut ij authores contendunt; nisi & ipsi velint posse poni alicujus res definitionem, & aliunde definitum impediri, quod nec dicunt. Alterum est, quod si Deus vult voluntatem necessitare ut potest, oportet quod prius indifferentiam judicij quæ ponitur in libertatis definitione, impediat ut infra clariùs expendemus.

Nec valet respondere loqui S. Thomam, sicut & Philosophum, attentis naturis rerum, non autem in ordine ad extraordinariam Dei potentiam. Primò, quia etiam hoc admisso, quod intendimus, efficaciter comprobatur, nec aliud ad præsens desideramus; quia jam attentis naturis rerum, & ordinario modo divinæ operationis, illius prædeterminatio, seu præmotio quantumvis efficax quæ præsupponit de facto ex parte intellectus indifferens judicium de aliquo objecto, non poterit voluntatem necessitare, sed semper liberè operabitur, ita quod aliud impossibile erit secundum Dei ordinariam potentiam. Secundo quia S. Doctor in præcitatis locis declarat propriam & essentialem rationem liberæ voluntatis, & intrinsecam & essentialem illam dependentiam, quam à suo objecto, & ab intellectu proponente habet, sentit ergo omnino repugnare quod objectum ut indifferens proponatur, & quod voluntas in illud sine libertate feratur. Legatur S. Thomas in prædictis locis, & multis aliis doctrinæ suæ, & clarius apparebit qualiter de intrinseco ordine, & essentiali dependentia, quam voluntas habet ab intellectu, aperte loquitur: & quomodo sentiat per nullam potentiam posse voluntatem velle aliquid prætermisso tali essentiali ordine; sicut nec velle potest aliquid non præcognitum. Licet enim talis intellectus apprehensio non formalis ratio, sed conditio tantum sit objecti voluntatis, quod & modo præsupponimus, etiam & id præsupponimus taliter esse intrinsecam conditionem quod absque illa impossibilis omnino redditur voluntatis actus circa objectum non sic per intellectum propositum.

Explicatur hoc magis voluntas nihil omnino potest velle, quod sibi non proponatur, & repræsentetur per intellectum, ita quod impossibile est contrarium fieri; sed per intellectum nullo modo repræsentatur in casu nostræ conclusionis determinatio, seu necessitas circa tale objectum; quia potiùs repræsentatur totum contrarium, ergo impossibile erit omnino, quod voluntas illud objectum velit necessariò. Major notissima & certissima est quam nec Recentiores, nec aliqui alij negare possunt. Minor autem evidens videtur in casu posito, ergo concluditur intentum pro veritate prædictæ conclusionis. Itaque si voluntas tunc necessariò absolutè vellet objectum illud, actu om-

Digitized by Google

nino necessario, & absque aliqua libertate, & indifferentia, convincitur quod velit aliquid quod non est præcognitum, nec per intellectum apprehensum. Nam illud objectum esse necessarium, & necessariò amandum intellectus nunquam apprehendit, imò quod majus est, contrariũ expresè cognoscit, & illud voluntati repræsentat.

Explicatur adhuc magis prædicta ratio. Modus, vel conditio repræsentata in objecto, ita est voluntati essentialis, ut ista duo sint omnino incompatibilia; intellectus movet voluntatem ad unum, & unum repræsentat; & voluntas in aliud fertur, vel aliud appetit: ergo si intellectus proponit voluntati objectum cum indifferentiâ & indeterminatione, & ad id ipsam voluntatem movet, quomodo fieri potest, ut ipsa producat actum determinatum, & absque omni indifferentia, & indeterminatione? Certè, si talem actum produceret voluntas, haberet actum, ad quem objectum minimè concurreret, nec ad illam voluntatem moveret.

Tota vis hujus rationis in hoc ultimatè consistit, quod si voluntas fertur in objectum contrario modo ab eo, sub quo per intellectum sibi proponitur, reipsa convincitur quod feratur in objectum formale non aprehensum nec precognitum: quod esse omnino impossibile & diximus supra, & omnes fatentur, nec Recentiores id aliqua ratione possunt negare.

Præterea indifferentia intellectus radix est libertatis in voluntate, ut S. Thomas sæpe, & Philosphi omnes dixerunt: ergo existente indifferentia ex parte intellectus circa aliquod objectum, illaque voluntati proposita, impossibile erit quod voluntas determinata maneat circa actum talem. Sicut per oppositum, quia determinatio intellectus ad unum, radix determinationis, & necessitatis est in voluntate, non apparet possibile quod existente determinatione omnimoda ex parte intellectus circa objectum aliquod, voluntas liberum actum eliciat circa idem. Itaque sicut libera voluntas ita sequitur ad intellectum, quod non potest sequi voluntas libera ad intellectum non indifferentem, ita posita ratione indifferenti & actualiter movente impossibile est quod voluntas non liberè, sed necessariò actualiter feratur. Patet consequentia: ideo enim posita omnimoda determinatione ex parte intellectus non potest sequi voluntas libera, quia illius indifferentia & libertas essentialiter pendet ab indifferentia rationis: ergo posita tali indifferentia rationis impossibile est, quod si voluntas vult, non velit liberè: Diximus, si voluntas vult, quia poterit Deus etiam positâ intellectus indifferentiâ cum illa non concurrere, unde nec factum habebit: sicut etiam posita omnimoda determinatione ex parte intellectus poterit Deus cum voluntate non concurrere, in quo casu etiam actionem non efficiet. Sed quod dicimus est, quod posita ex parte intellectus indifferentia rationis voluntati practicè, si ipsa habet actum, impossibile est quod illum liberum non efficiat, quomodocunque moveatur; sicut per oppositum posita omnimoda determinatione ex parte intellectus etiam erit prorsus non factibile, quod si actum facit, illum liberum efficiat, quomodocunque à Deo moveatur: Sententia ista est Capreoli in primo dist. 45. quæst. prima solut. ad primum contra 2. partem 5. conclusionis, ubi tenet quod si Deus vellet necessitare voluntatem ad unum, hoc faceret proponendo voluntati aliquid sub ratione boni, & nullo modo, sub ratione mali, ita quod cessatio à volendo nullo modo appareret voluntati bona. Quibus verbis apertè dicit, quod si indifferentia ex parte intellectus proponitur, voluntas non potest necessitari ut sine libertate feratur.

Præterea voluntas nihil omnino velle potest nisi sub ratione boni & convenientis, quod ita sibi essentiale est, ut contrarium fieri nulla ratione possit, sed in casu prædicto nullo modo proponitur sibi ut bonum, & conveniens habere actum necessarium circa illud objectum; imò contrarium ut expediens & conveniens sibi proponitur: ergo nulla ratione poterit ipsa actum necessarium tunc producere. Imò apparet, quod si in casu dicto voluntas eliceret actũ necessarium, quod tunc voluntas cogeretur, quod esse omnino impossibile constat ex fundamentis propositis. Nam voluntatem cogi, nihil aliud est, quam voluntatem velle aliquid contra suam propriam inclinationem; sed essentialis sua inclinatio est ferri in objectum, sicut sibi per intellectum proponitur: ergo contra suam inclinationem esset si ferretur in aliquod objectum modo sibi non proposito per intellectum, sed modo contrario ostenso, & representato. Multa alia poterant adduci ad probationem predictæ veritatis sed ista sufficere videntur.

Concludimus ergo tantam, & tam essentialem esse dependentiam voluntatis ab intellectu, & talem Deus voluntati contulisse inclinationem, quod si ipse suâ potentiâ vellet voluntatem ad actum necessitare, (quod facillime sua omnipotentia potest) intellectum prius proponentem talem necessitatem habet immutate, & omnem ejus indifferentiam prævenire.

Ex dictis nullus inferat, quod in sola indifferentia rationis totam libertatem constituamus, & non in voluntate, ut sine causa nobis ij authores attribuunt ut patet ex authore opusculorum lib. 1. de concursu Dei cum voluntate cap. 3. §. *altera sententia* cum sequentibus. Hoc enim nullus unquam ex S. Thomæ discipulis dixit, omnes namque uno ore cum S. Th., & Philosophis asserunt indifferentiam judicij esse quidem causam, & rationem ex qua talis libertas in voluntate consequitur, non autem esse ipsam formalem libertatem, quam evidens est in voluntate reponi, ut inducta modò S. Thomæ testimonia manifestant. Sed quod dicunt, est ita esse indifferentiam rationis radicem & causam libertatis, & ita hanc ex illa radice consurgere cum illaque inseparabiliter conjungi, ut impossibile sit illam indifferentiam judicij præhaberi ex parte intellectus, & voluntati practicè proponi respectu alicujus objecti, & quod respectu ejus voluntas ab alio impediatur. Quod illa definitio libertatis à Philosophis tradita & explicata super satis ostendit.

CAPUT XVII.

P. Martini Becani sententia confutatur, & rationes ejus dissolvuntur.

VERVM contra hanc tam apertam nedum S. Thomæ sententiam, ac Theologorum, sed Aristotelis, ac Philosophorum omnium, quod scilicet indifferentia rationis sit radix libertatis. Martinus Becanus insurgens, nulla expresè mentione facta S. Thomæ, inquit, quod licet Thomist probabiliter teneant intellectum esse radicem libertatis; probabilius tamen alij oppositum sustinent. Illius verba sunt. *Probabilius est quod asserunt alij libertatem & indifferentiam voluntatis non oriri ex indifferentia intellectus tamquam ex radice seu quod idem est intellectum non esse radicem libertatis in voluntate, licet sit conditio sine qua voluntas aliquando non potest exercere suam libertatem.* Quod taliter probat quia nomen radicis significat veram causam; sed

intellectu

Digitized by Google

intellectus non est vera causa libertatis in voluntate, sed conditio sine qua voluntas non eligeret liberè: ergo intellectus non est radix libertatis. Minor, inquit patet, quia si intellectus esset vera causa, vel esset causa libertatis, quoad actum primum, vel quoad actum secundum: neutrum dici potest. Non prius, quia libertas voluntatis quoad actum primum non est aliud quàm ipsa voluntas libera, ad quam Physice producendam non concurrit intellectus, ut per se constat: nec posterius, quia libertas quoad actum secundum, nihil est aliud quam ipsa actio à voluntate liberè producta, nempe ipsa volitio, seu electio; sed ad hanc volitionem Physicè eliciendam non concurrit intellectus tamquam causa, ut sequenti quæstione probabo, sed solum tamquam conditio, quatenus scilicet voluntas non ageret, nisi objectum illi ab intellecto præsentaretur.

Nec solùm negat indifferentiã rationis esse radicem libertatis sed secundò addit talem rationis indifferentiam non sufficere ad libertatem. Quod triplici argumento probat. Primò, quia præter illam aliud requiritur, ergo illa non sufficit. Probat antecedens quia requiritur etiam ut voluntas sit indifferens ad operandum & non operandum: nam si voluntas sit determinata ad unam partem jam non potest esse libertas in voluntate: alioquin sequeretur voluntatem non posse peccare: si id eligeret ad quod eligendum esset determinata, quod falsum est. Secundo si ad libertatem defendendam sufficeret illa indifferentia judicij in intellectu, non esset difficile conciliare libertatem arbitrij cum gratia & predestinatione; quia constat per gratiam & prædestinationem non impediri judicium illud, quo judicatur res aliqua esse indifferens ad ultimum finem. At Augustinus, Bernardus, & alij qui scripserunt de Concordia liberi arbitrij cum gratia & prædestinatione, putant esse tem difficillimam: ergo ut salvetur libertas, plus requiritur quam indifferentia judicij in intellectu. Tertiò quia ex illa sententia sequitur hæreticos nostri temporis non negare rem & essentiam libertatis, sed tantum vocem; non enim negant nos plenum habere, & perfectum judicium rationis cum aliquid eligimus, sed negant habere facultatem per quam voluntas possit se flectere in utramque partem. Si ergo ad libertatem actus sufficit, quod procedat ex indifferentia judicij, consequens est hæreticos non tollere libertatem in agendo, quod tamen falsum est, ut patet ex Conc. Triden. sess. 6. cap. 5.

Imò tertiò contendit talem indifferentiam rationis non requiri ad actum liberum voluntatis, quod duplici ratione suadet.

Primò quia & præcipua libertas voluntatis est quoad exercitium, quam necessario supponit libertas quoad specificationem; sed ad libertatem quoad exercitium non semper requiritur indifferentia intellectus ergo indifferentia non est radix libertatis in voluntate. Minor patet, quia voluntas liberè appetit beatitudinem in communi quoad exercitium, potest enim suspendere actum, si velit; & tamen intellectus circa beatitudinem in communi non est indifferens: ergo, &c. secundo quia, ut ait, potest dari actus voluntatis liber, qui non oriatur ex indifferentia judicij, ut est actus diligendi Deum in hac vita, nam liberè diligimus Deum ex parte voluntatis; & tamen intellectus non judicat objectum illud indifferens ad beatitudinem, cum sit planè necessarium; nemo enim potest beatus esse sine Deo: ergo ad actum voluntatis non requiritur tale judicium, sed potiùs aliud, quo objectum proponatur voluntati, non tamquam indifferens ad ultimum finem, sed tamquam habens in se aliquam rationem boni propter quam possit appeti, & aliquam rationem mali, propter quam respui possit.

Attendat obsecro Theologus quam debilibus fundamentis, imò nullius prorsus subsistentiæ, seu apparentiæ, communem Theologorum & Philosophorum nitatur iste author noviter enervare doctrinam. Unde brevissimè ea confutamus dicendo verum esse, quod radix significat veram causam seu veram rationem: negando tamen quod intellectus non sit vera causa voluntatis: vel saltem illius ratio, & quoad actum primum, & quoad actum secundum. Quoad actum quidem primum: quia, cum in sententia S. Thomæ intellectus & voluntas & inter se se & ab essentia animæ realiter distinguantur, manifestum est, quod sicut ab anima intellectus sequitur per simplicem emanationem: Ita ab intellectu per emanationem simplicem voluntas sequitur. Unde intellectus hoc modo voluntatis est causa, à quo essentialiter voluntas dimanat. In sententia autem aliorum, qui distinctionem realem inter illa non admittunt, sed formalem, seu rationis ratiocinatæ tantùm, etiam intellectus est ratio per se voluntatis ad modum quo ens est ratio veri, & in divinis attributis immutabilitas est ratio per se æternitatis; ita quod est ordo essentialis inter utrumque. Unde mirum est, si quis contentiosè id neget, implicat enim quod voluntas sequatur ex alio quam ex intellectu.

Quoad actum secundum etiam manifestum est, quod judicium perfectum seu imperium rationis est vera causæ electionis: tum quia intellectus vera causa est in genere causa finalis, proponens objectum indifferens voluntati, ex qua indifferenti propositione objecti necessariò in voluntate sequitur electio seu volitio libera, quod nec negabunt hi authores, aut negare possunt; tum etiam quia ut expressa est sententia S. Thomæ 1. 2. quæst. 17. art. primo quam & nos diffusè adversùs hos authores demonstrabimus secundo nostro libro in principio, imperium rationis quod necessarium est ad electionem, non solùm finaliter proponit: sed in virtute prioris actus voluntatis effectivè, seu Physicè movet voluntatem ad eligendum, & actum liberum efficiendum: & sic patet ad primum.

Quod autem ait intellectum non causam sed conditionem esse libertatis voluntatis, ex eo fortè deduxit, quòd, ut solet dici, esse apprehensum non est ratio objecti voluntatis, sed illius intrinseca conditio; sed advertere debebat quod licet esse apprehensum conditio talis sit, ipsa tamen ratio appetibilis est objectum voluntatis, ut est sub apprehensione, sicut sub conditione & eodem modo indifferentia appetibilis est objectum & ratio indifferentiæ voluntatis ut est sub apprehensione sicut sub conditione.

Ad tria alia argumenta, quæ probabant non sufficere indifferentiam rationis ad libertatem (quod erat secundum dictum Authoris prædicti) dicendum, & quidem primùm distinguendum est, cum ait, non sufficere indifferentiam rationis ad libertatem, si enim intendat non sufficere, ut radicem ex qua essentialiter libertas oriatur in voluntate, negatur; si autem intendat non sufficere illam indifferentiam rationis per se solam atque præcisè, etiam si libertas per impossibile in voluntate non sequeretur, conceditur. Dixi, per impossibile; quia, ut diximus, libertas talis inseparabiliter ex illa priori indifferentia rationis dimanat. Unde, cum opponitur quod non sufficit indifferentia judicij, si voluntas ponatur determinata ad unam partem, dicendum conditionalem quidem veram esse: sed esse impossibile quod posita indifferentia judicij ponatur voluntas determinata ad unam partem, ut ostensum est.

Digitized by Google

Ad secundum dicendum, quod cum indifferentia judicij non sit libertas formaliter sed originaliter, seu radicaliter tantùm, ut dictum est; illa judicij indifferentia se sola, secluſa indifferentia voluntatis, non sufficit ad libertatem, nec cum sola indifferentia rationis conciliandâ libertas est, sed cum ea, quæ formaliter est in voluntate. Ideò autem S. P. August. alijque S. Patres dixerunt difficilem esse conciliare cum gratia & prædestinatione humanam libertatem, quia difficile est cum certitudine prædestinationis, & efficacia divinæ gratiæ movente immobiliter voluntatem ad hoc in particnlari agendum, conciliare atque componere voluntatis libertatem quæ ex judicio indifferenti ita illud de facto semper efficit, quod potest aliud operari. Cum hac enim indifferentia voluntatis orta ex indifferentia rationis difficile est componere certitudinem, & infallibilitatem prædestinationis, & efficaciam gratiæ moventis ad unum actum determinatum.

Unum tamen hic obiter occasione hujus authoris apertè confitentis magnam difficultatem in hac conciliandâ libertate cum prædestinatione & gratia Dei, quam S. P. August. & alij Patres cognoverunt, & cognitam hic author recipit & publicat, se offert prænotandum. Quod si veram & magnam difficultatem ex Sanctis Patribus in hac conciliatione agnoscit & proponit, non potest efficaciam prævenientis gratiæ & prædestinationis negare, ex qua solùm hæc magna difficultas oritur; nam negata antecedente efficacia prædestinationis & gratiæ, & posita vel subsequente, vel concomitante solùm arbitrium nostrum, se ipso ex sola sua libertate se determinans ad consensum, ut hic author cum suis constituit, planè nulla difficultas est, ut est de se patentissimum, & apertissimum. Ad quod solum si ipse, & sui in doctrina consortes, attendere vellent, viderent, quàm sit contra Sanctos Patres hæc doctrina, quam defendunt, & quæ penitus omnem difficultatem in hac materia aufert: Imò ad hoc introducitur, ut illam penitus tollat.

Ad tertium dicendum, quod constituta indifferentia judicij, ut radice essentiali libertatis modo prædicto, nullo modo sequitur hæreticos Calvinistas & Lutheranos non reipsa negare nostram libertatem; imò manifestè convincuntur eam negare, prout revera negant, & turpiùs errare, dum admittentes judicium rationis indifferens contendunt voluntatem liberam non manere, cum hoc secundum essentiale oriatur ex primo: Cum quibus pariter in hoc secundo sapere videntur, qui modò contendunt, libertatem non manere in voluntate, præsuppoſito indifferenti judicio rationis.

Ad tertium punctum, negandum omnino est, quod ad libertatem quoad exercitium non semper requiratur indifferentia intellectus. Et ad probationem dicendum, quod quamdiu volũtas liberè appetit beatitudinem in communi quoad exercitium; præcedit in intellectu indifferentia rationis proponentis voluntati talem indifferentiam quoad exercitium, quod ab omnibus necessario est admittendum, nisi velint asserere, quod nulla præsuppoſita ex parte intellectus indifferentia quoad exercitium, voluntas cum indifferentia elicit actum suum liberum circa illud objectum: quod omnino esse impossibile supra ostensum fuit. Mirum est autem, quod cum prædictus author constituat non præcedere ex parte intellectus indifferentiam quoad exercitium beatitudinis, hæc verba subjungat; *Et tamen intellectus circa beatitudinem in communi non est indifferens.* Qnæ verba manifestè procedunt de beatitudine in communi quoad specificationem, de qua nulla præcedit in intellectu indifferentia, non autem de beatitudine quoad exercitium; quam, ut diximus, præcedit semper indifferentia ejusdem exercitij propoſita per intellectum. Nimis ergo leviter divertit author ad beatitudinem in communi quoad specificationem cujus indifferentia non datur ex parte intellectus, ad negandam indifferentiam intellectus circa exercitium beatitudinis in communi, quam absque dubitatione proponit voluntati liberè volenti beatitudinem quoad exercitium. Sed hæc omittimus, quia in rebus adeo manifestis diutiùs hærere, & immorari tædio est.

Et ex dictis patet responsio ad id, quod supradictus author subintulit affirmans posse dari actum voluntatis liberum, qui non oriatur ex judicio indifferenti, ut est actus diligendi Deum in hac vita. Nam, ut inquit, liberè Deum diligimus ex parte voluntatis, & tamen intellectus non judicat objectum illud esse indifferens ad beatitudinem, cum sit planè necessarium, nemo enim potest beatus esse, sine Deo. Hoc enim argumentum multiplicetur deficit. Primò, quia homo non est determinatus etiam quoad specificationem respectu veræ beatitudinis, quæ in solo Deo est, sed ad beatitudinem in communi; unde intellectus non proponit voluntati determinatè & ex necessitate Deum esse diligendum etiam quoad specificationem; sed sub indifferentia proponit, quod si velit veram beatitudinem habere, Deum debet diligere. Secundò, quia dato quod homo sic esset determinatus quoad specificationem respectu veræ beatitudinis; sicut est respectu beatitudinis in communi, adhuc sicut de beatitudine in communi dictum est, maneret libertas quoad exercitium propoſita per rationis indifferentiam. Tertiò, quia falsum est, quod de facto viatoribus non proponatur amare Deum ut indifferens respectu illius finis ad quem voluntas est determinata quoad specificationem.

CAPUT XVIII.

Solvuntur argumenta contraria.

AD argumenta ergo & imprimis ad primum dicendum, non esse factibile quod voluntas à Deo necessitetur nisi medio objecto repræsentato ut necessario. Sicut enim est impossibile quod voluntas velit aliquid nisi medio objecto repræsentato & propoſito, quia hoc est ipsius essentialis natura, ita impossibile videtur quod velit aliquid necessariò, nisi media propoſitione objecti ut necessarij, quia hæc est ipsius propria natura. Et licet Deus sit agens infinitæ virtutis, & ut agens infinitæ virtutis voluntatem movere possit quocumque, & illam prout sibi placet necessitare; id tamen debet fieri objecto medio repræsentato ut necessario. Itaque licet Deus sit agens infinitæ virtutis non tamen ab ipso potest voluntas cogi ut S. Thomas demonstrat 1. 2. quæst. 6. art. 4. ad 1. Ubi hoc ipsum argumentum de infinita Dei virtute constituit & respondet non posse ab ipso voluntatem cogi, quia hoc repugnat voluntati, quamvis absque coactione illam possit inflectere quocumque voluerit. Itaque eodem modo, licet Deus sit agens infinitæ virtutis ad movendam voluntatem quocumque voluerit: hoc tamen debet fieri media repræsentatione objecti actui propottionata; aliàs voluntas contra suam inclinationem cogeretur, ut dictum est supra.

Nec est inconveniens quod ex suppoſitione unius Deus necessariò aliud velit, sicut suppoſito quod voluit creaturas producere, necessariò illas amet. Ita suppoſito quod vult voluntatem necessitare, & tollere ab ipsa libertatem respectu alicujus actus & objecti

Digitized by Google

jecti, necesse est quod id faciat tollendo priùs ab objecto indifferentiam rationis, quæ est radix essentialis à qua libertas in voluntate dimanat: sic expresse priùs docuit Capreolus in 1. dist. 45. qu. 1. in solut. ad 1. contra secundam partem quintæ conclusionis. Cum enim oppositum argumentum prætenderet quod non potest Deus magis voluntatem necessitare, quàm priùs volendo efficaciter ut ipsa velit, (quod argumentum pro magno etiam his temporibus celebratur) ad illud ita Capreolus respondet. *Licet Deus posset voluntatem creatam quamlibet necessitare ad eliciendum actum, aut ad cessandum ab actu, non tamen sic necessitat eam. Et cum probatur, quia si necessitaret eam, hoc non faceret nisi volendo. Dico quod licet faceret hoc volendo tamen non vult nunc illud quod vellet tunc, talis enim necessitas potest provenire ex impressione alicujus formæ, quæ nunc non imprimitur, scilicet gratia consummata, vel ex aliqua motione Dei speciali, qua nunc non movetur, ut ostendit S. Th. de Veritate quæst. 22. art. 8. Unde Deus sic posset movere voluntatem ad aliquid necessariò; quia scilicet voluntati proponeret aliquid sub ratione boni, & nullo modo sub ratione mali ita quod cessatio à volendo nullo modo appareret voluntati bona, nec à volendo aliquo modo distraheretur per passionem aliquam. Quod enim voluntas possit ab actu cessare, unde contingit, quod voluntas cesset ab actu, hoc est quia vel intellectus non ostendit ei suum objectum sub ratione boni, vel quia cessatio ab actu apparet bona, vel quia oppositum illius objecti apparet melius, vel hujusmodi: constat autem quod Deus pro nunc non movet isto modo voluntatem, quia in omni objecto circa ultimum finem apparet ratio boni & mali; & cessatio ab actu apparet bona, & quandoque judicium vel apprehensio intellectus distrahitur propter multa alia.* Quibus apertè dicit non esse factibile quod Deus voluntatem necessitet nisi proposito objecto non indifferenti, sed determinato ad unum.

Ad secundum dicendum, quod voluntatem extrahi à suo connaturali modo operandi, contingit dupliciter. Primo modo, ita quod quando operatur simul contra suum naturalem, & essentialem modum operandi operetur; & hoc modo minimè factibile est voluntatem extrahi à suo connaturali modo operandi: quia esset voluntatem actualiter moveri contra suam naturalem & actualem inclinationem, qua ratione extrahi non potest voluntas à connaturali modo operandi respectu objecti non apprehensi, vel respectu non propositi sub aliqua ratione boni & convenientis. Secundo modo extrahitur voluntas à connaturali modo operandi, ita quod movetur de facto ad aliquid alio modo quàm merita illius objecti postulabant, si secundum communes & ordinarias regulas moveretur. Et hoc modo per divinam potentiam fieri potest, ut voluntas, quæ aliàs circa objectum tale, actum liberum deberet producere, ita ejus mutetur objectum, & ita voluntas quoad exercitium à Deo moveatur ut actum non liberum, sed necessarium producat. Itaque sicut Deus tunc sua omnipotentia voluntatem moveret necessariò, & sine libertate aliqua, ita per divinam providentiam aptaret tunc causas necessarias ad illum actum necessarium concurrentes; quarum una esset, illaque necessariò requisita, ut objectum cum necessitate & determinatione omnino per practicum intellectum voluntati ipsi proponeretur. In quo casu absolutè & simpliciter voluntas à suo connaturali modo operandi extraheretur; quia ipsa absolutè ex se postulabat ferri liberè in bonum illud particulare sub indifferentia rationis ostensum, quod cum ab ipsa auferatur per Dei potentiam, absolutè & simpliciter à suo connaturali modo operandi extrahitur, quamvis ex suppositione facta, quod videlicet tale objectum, ut necessarium sibi proponeretur, ipsa tunc naturaliter in illud objectum necessariò ferretur; sicut quod ignis Babilonicus posita applicatione debita non combureret, nec ad id divinum concursum haberet, miraculum fuit, & reipsa ignis ille extractus est per divinam potentiam à suo connaturali modo operandi, quem absolutè & simpliciter postulabat, at verò, ex suppositione quod Deus illi suum concursum ad comburendum denegavit, naturale erat ut sic, non comburere, licet absolutè & simpliciter semper dicendum sit, miraculum fuisse quod tunc non combureret, ratione dicta.

Ad tertium dicendum, quod cum prævenitur rationis usus, non apprehenditur falsum, nec ab intellectu falsum judicium formatur; imò quia judicium prævenitur, nullum propriè formatur judicium sive verum, sive falsum, sed simplici apprehensione apprehenditur objectum, ut patet in omnibus motibus primò primis. Poterit ergo Deus se solo sic movere intellectum præveniendo rationis usum, & proponendo objectum sub illa simplici apprehensione, quæ contingit in motibus primò primis, & tunc necessitate movebit voluntatem. Poterunt etiam esse alij modi, qui ab humano intellectu nec intelliguntur, nec percipiuntur, quibus divina potentia mutare absque falsitate aliqua apprehensionem objecti poterit, & ex consequenti ex necessitate voluntatem movere.

Ad quartum dicendum, quod movere Deum voluntatem liberam ad actum necessarium potest intelligi dupliciter. Primo modo, ita quod voluntatem, quæ de se respectu talis objecti libera est, & libertatem postulat, Deus quando vult, necessitet ut faciat actum necessarium tunc; & hoc modo dicunt Theologi, quod Deus potest, si vult, voluntatem necessitare. Alio modo quod voluntatem liberam & liberè ex parte objecti motam per actuale judicium indifferens, Deus moveat ad actum necessarium; & hoc modo, ut dictum est, fieri non potest, quod Deus sic voluntatem liberam moveat ad actum necessarium, nec id Theologi docuerunt, ut probatum est.

Ad quintum patet ex dictis. Dicendum est enim quod voluntas, licet sit finitæ & limitatæ virtutis, non tamen potest moveri ab agente infinitæ virtutis (qualis est Deus) modo impossibili, & suæ essentiali naturæ repugnante; ob quam rationem nec ab infinita Dei virtute cogi voluntas potest, ut S. Th. docuit ubi suprà.

Ad sextum & ultimum respondetur, quod quamvis contra Philosophiam sit asserere, quod Deus supposita indifferentia judicij voluntatem necessitet, ut satis probatum est, tamen Theologi, qui contra hæreticos hujus temporis scripserunt, non hoc eis opponunt, & meritò; quia principaliter eos expugnant de hæresi manifesta, quia nostrum dicunt perire arbitrium, nec liberè operati quomodocumque & qualiterumque illud affirment, cum enim tam apertè de hæresi eos oppugnent, non fuit ita necesse ad alia Philosophica devenire, vel de illis cum eis quæstiones tractare: ad superabundantiorem tamen eorum confusionem etiam hoc eis objici potest; quod sicut errant in morali Philosophia & totam evertunt, libertatem nostram inficiando: ita ponendo ex una parte quod indifferentia judicij sit ex parte intellectus, & ex alia quod Deus nostram sua motione libertatem impediat; etiam in hoc contra Philosophiam loquantur: in quo errore Philosophico eos sequuntur, qui idem modo similiter dicunt eorumque pravam consequentiam, in qua ipsi erraverunt, approbant. Contra eos enim dicere debebant

primò

Digitized by Google

primò & principaliter, quod Deus ſua motione libertatem noſtram non impediat, ſed cauſet, idque probare, quia ita ſcriptura docet, & omnis Philoſophia moralis dictat; & etiam quia Deus movet præhabito judicio rationis indifferenti, ſicut experiuntur; quo præhabito inſeparabiliter libertas in voluntate ex Dei motione cauſatur, & ſic patet ad omnia quæ Franciſcus Suarez opponit 1. lib. de concurſu Dei cum voluntate cap. 3.

Ex dictis illud primò infertur attentiſſimè obſervandum, abſque cauſa vel ratione aliqua ſæpius affirmare præfatos Recentiores, quod ſi Deus efficaciâ ſuæ virtutis antecedentis omnino humanam determinationem voluntatem præmoveret, ab ipſa tolleret libertatem; cum enim ſemper judicium rationis indifferens præſupponat Deus in tali motione ex parte intellectus, quod eſt eſſentialis radix libertatis, illud potiùs convincitur, quod de facto libertatem non aufert. Imò & illud concluditur eſſe impoſſibile libertatem tunc tolli vel impediri, ut rationes omnes ſuprà conſtitutæ demonſtrant, quod quidem ſæpe in hoc opere erit clariùs & efficaciùs comprobandum, ad præſens enim ſolum in univerſali rem incipimus aperire.

Sequitur etiam explicatio diſcipulorum S. Th. quos ſuprà citavimus pro contraria ſententia, fortè enim nihil aliud intendunt niſi quod ſi cauſæ liberæ eſſent, ſicut modò ſunt, ita quod ſibi proponerentur objecta cum indifferentia rationis, ſicut modò proponuntur, tunc earum effectus verè liberi eſſent, & contingentes, quod verum eſt, & totum hoc intelligunt Caiet. & cæteri, cum dicunt quod exiſtentibus rebus & cauſis, ſicut modò ſunt, cum repræſentatione videlicet ſuorum objectorum, ſicut modò fit. Itaque iſta conditionalis eſt vera: Si cauſæ ſecundæ exiſtant ſicut modò ſunt, & objecta ſibi proponantur ut modò proponuntur ſub indifferentia, licet Deus ageret ex neceſſitate naturæ, effectus cauſarum contigentium eſſent liberi & contingentes; & hoc ſolum prædicti diſcipuli S. Th. intendunt. An verò cum motione Dei neceſſaria ex neceſſitate naturæ ſimul compateretur illa propoſitio objecti ſub indifferentia, hoc nec ipſi videntur aſſerere, nec dici poſſe nos monſtravimus ſuprà. Quod enim ipſi teneant, ſi Deus operaretur ex neceſſitate naturæ, nullas ſecundas cauſas operaturas contingenter patet ex Capreolo in 1. ſent. diſt. 38. quæſt. 1. ad argumenta contra quartam concluſionem ubi dicit quod Scotus, Aureolus, & Gregorius non adverſantur menti S. Th. quia S. Doctor non intendit dicere quod aliquis effectus neceſſariò fiat & proveniat à cauſa prima & contingenter à cauſa ſecunda ſicut iſti illi imponunt & falsò. Et iterum ibi reſpondens ad illud argumentum Scoti, quod cauſa, quæ operatur ut mota ab alio ſit neceſſariò movens, ita reſpondet. *Ad primum Scoti dico, quod falſum ſupponit, & imponit nobis, ſcilicet, quod prima cauſa neceſſariò moveat neceſſitate abſoluta, imò quidquid movet, movet neceſſariò neceſſitate ſuppoſitionis, & tunc nihil valet argumentum; nam ſtat effectum eſſe contingentem, & tamen produci neceſſariò neceſſitate ſuppoſitionis.* Et præmiſerat hæc verba: *Ex quo patet, quomodo procedit* (videlicet argumentum) *ex falſo intellectu verborum ejus* (ſcilicet S. Th.) *imponere ſibi, quod ipſe voluerit effectus omnes, qui cauſantur à Deo neceſſariò ab eo cauſari neceſſitate abſoluta, cum clarè ponit, quod Deus in nulla operatione ſua ad extra operetur neceſſariò neceſſitate abſoluta, ſed ſolùm ex neceſſitate ſui ſuppoſiti.* Ex quibus omnibus verbis clarè conſtat, ſemper Capreolum dixiſſe effectum eſſe contingentem ex ſuppoſitione primæ cauſæ operantis non neceſſitate abſoluta, apertè declarans, quod ſi prima cauſa ex neceſſitate naturæ neceſſariò operaretur, non poſſet effectus ſecundarum cauſarum eſſe contingens. Et ad argumentum Scoti non aliter reſpondet niſi, quod ſi prima cauſa moveret neceſſariò neceſſitate abſoluta, ſecunda cauſa etiam neceſſariò, & ſine libertate operaretur.

Igitur cum hac materia de prima radice contingentiæ concludendo dicimus, intolerabilem eſſe illam ſecundam aſſertionem horum authorum, quod nimirùm creatum arbitrium ſit prima radix ſuæ determinationis, & quod in ipſum, & non in Deum ſunt bona opera moralia reducenda. Indubitanterque dicendum arbitramur, creatum arbitrium nullo modo eſſe poſſe primam radicem ſuæ determinationis, ſed efficaciam divinæ voluntatis, ut dictum eſt.

Cùm igitur hæc fuerit Pelagianorum & Semipelagianorum, ut patet ex eorum dictis, in ſubſtantia doctrina, quod homo incipit & Deus ſequitur; & ſententia modò impugnata hominem ponat primum ſuæ determinationis principium, ipſum ponit incipere, Deum autem ſequi: conſideret Theologus, in quo iſtæ doctrinæ adinvicem diſtinguantur.

Digitized by Google

TRACTATVS TERTIVS.

DE DIVINIS PRÆDEFINITIONIBVS.

CAPUT I.

Quid sit divinæ voluntatis prædefinitio?

MAGNÆ temporibus istis de divinis prædefinitionibus quæstiones ventilantur, & contra æternas Dei prædeterminationes quasi aperto marte bellum indicitur, & undique publicatur. Nolunt Recentiores in Deo esse prædefinitiones, & à veris æternæ voluntatis prædeterminationibus abhorrent. Unde illorum est assertio tertia. Deum non voluisse ab æterno absoluta, & efficaci voluntate actus bonos moraliter qui in tempore fiunt, sed sub conditione saltem implicita, si humana voluntas voluerit suum consensum præstare. Similiter quarta illorum hæc est assertio. Deum non prædefinire actus nostros liberos, tùm naturales, tùm moraliter bonos, tùm etiam supernaturales, ante præscientiam videlicet illam conditionatam sæpiùs repetitam & impugnandam. In utroque unanimiter omnes si pra citati conveniunt, ut supra ostensum est.

Quàm consequenter autem loquantur ad secundam illam propositionem jam à nobis impugnatam liquet manifestè; quia enim ipsi primam determinationis creatæ radicem in ipso arbitrio creato constituerunt, ideò ascendendo ad divinam voluntatem, necesse illis fuit negare expressè absolutam Dei voluntatem prædefinientem, quòd talis actus liberè, & contingenter fieret, negando in hoc, divinam voluntatem esse primam causam, & radicem contingentiæ, & determinationis humanæ. Quia verò per oppositum nos primam radicem contingentiæ, & libertatis humanæ non creatum arbitrium diximus, sed efficaciam voluntatis Dei, ideò & nunc expressiùs in Dei absolutam voluntatem efficaciter volentem, & prædefinientem humanas operationes, ipsas omnes debemus reducere; divinæ voluntatis æternas prædefinitiones & prædeterminationes salvando, atque prædicando. Igitur ut in his prædefinitionibus clariùs procedamus, à quid nominis erit incipiendum. Prædefinire enim, si vocem, proprietatemque attendamus, nihil est aliud, quàm certò statuere, & determinare antequàm eveniat de facto, quod illa dictio (*præ*) manifestè significat. Unde aliquid prædefinitum nihil aliud sonare videtur, quàm esse aliquid statutum, & determinatum ut fiat antequàm eveniat. Hoc sic in genere dicimus quoad vocem, nam infrà explicandum erit expressiùs quid reipsa sit prædefinire.

Similiter prædefinitio interiorem actum importat, quo statuitur, & determinatur aliquid fiendum antequàm fiat. In hoc unanimiter consentiunt Authores cum quibus disputamus. Quod & apud omnes communissimum & receptissimum est, imò tanquam ipso formali vocabulo expressum præsupponimus modò.

Præterea apud antiquos Scholasticos idem omnino denotabat prædefinitio, atque & prædeterminatio, & pro eodem indiscriminatim utrumque accipiebatur; sed quidam inter ista duo modò distinguentes dicunt prædefinitionem Dei importare actum internum, & immanentem voluntatis divinæ aliquid ex sua æternitate ordinantis, sive constituentis antequam in tempore fiat; prædeterminationem verò volunt esse extrinsecam à Deo, & importare Physicam illam præmotionem in voluntate creata receptam, qua Deus voluntatem ipsam movet ad actum determinatum, & illam ad actum illum liberè efficiendum prædeterminat. Unde priorem vocant prædefinitionem internam, sive immanentem; posteriorem verò dicunt externam. Quamvis autem sic, vel sic distinguere non multum attulerit tamen si propriè & formaliter loquamur, in duobus, modus iste distinguendi videtur deficere, licet in uno veritatem dicat. Verum quidem est prædefinitionem propriè actum internum animæ aliquid determinantis, seu constituentis significare. Unde propriè prædeterminatio externa in voluntate recepta prædefinitio vocanda non est; etiam si addatur quod sit prædefinitio extrinseca. Prædefinitio enim denotat illam internam, unde ad externam seu extrinsecam non ita propriè extenditur: Quemadmodum communiter Doctores illam receptam in voluntate vocant prædeterminationem, nec consueverunt vocare prædefinitionem, quare in hoc secundo, modus ille distinguendi minùs propriè loquitur.

Digitized by Google

Et eodem modo non est limitanda prædefinitio ut solùm dicat actum Divinæ voluntatis præconstituentis, quia etiam actus Divinæ providentiæ (qui ad divinum intellectum practicum spectat) propriè dicitur prædefinitio, quamvis prima omnium prædefinitio in Deo, & omnium aliarum radix & origo sit actus divinæ voluntatis, ut dicemus: Quare consultò diximus prædefinitionem esse actum animi, non autem diximus esse actum voluntatis, ut universaliter omnes prædefinitiones includeremus. In quo tamen advertendum est, quod prædefinitio illa prima, quæ est actus divinæ voluntatis est prædefinitio circa finem; illa autem quæ est actus providentiæ, seu prædestinationis hunc ordinem mediorum ad finem essentialiter importat, ut in materia de providentia & prædestinatione infra 2. lib. explicandum erit copiosiùs. Itaque electio ad gloriam, quæ actus divinæ voluntatis est circa finem, antecedens formalem prædestinationem, prima prædefinitio est, nec aliquem ordinem mediorum expressè imporrat. Unde de ratione prædefinitionis ut sic non est importare ordinem mediorum ad finem, bene tamen hoc est de ratione prædefinitionis, quæ est actus divini intellectus practici ordinantis vel per providentiam, vel potissimè per prædestinationem media ad finem. Ex quo etiam sequi videtur quod omnis ille actus qui non est finis, sed medium ad finem, priùs ratione est a divino intellectu practico, voluntati divinæ proposito, quam ab ipsa sit præfinitus.

Insuper prædefinitio & prædeterminatio distinguuntur ad modum quo species sub genere contenta ab ipso distinguitur, latius enim patet prædeterminatio quam prædefinitio; nam prædefinitio (ut dictum est) propriè actum interiorem animi aliquid præconstituentis antequam fiat, importat. Cæterùm prædeterminatio propriâ vocabuli significatione, & se extendit ad prædeterminationem internam animi, & etiam ad illam externam in voluntate humana constitutam.

Prædeterminatio ergo duplex distinguenda est, alia æterna & interna, alia extrinseca & temporalis. Illa, actus est divinæ voluntatis sive intellectus; hæc recepta est in humana voluntate, illa prima idem omnino est quod prædefinitio, ita quod prædeterminatio æterna Dei est prædefinitio, & prædefinitio est æterna sui animi prædeterminatio. At verò prædeterminatio in voluntate creata, ut diximus, propriè prædefinitio non est.

Ad præsens ergo in hoc primo & secundo libro de divinis & æternis prædefinitionibus tractabimus, nam de prædeterminatione temporali in humana voluntate recepta in tertio & in quarto erit copiosius disserendum, hæc enim oritur ex illa prima, ut apertè comprobabimus.

Est igitur prædefinitio divina, divinæ mentis decretum absolutum & efficax, quo statuitur actum fieri à causa secunda antequam sit, vel præsciatur in tempore futurus, & antequam præsciantur aliquo modo causæ applicatæ, quibus reipsa futurus est. Unde divina prædefinitio respectu eorum est, quæ facienda sunt à creaturis, non respectu eorum quæ Deus se solo producit, si propriè loqui debemus. Quæ enim à solo Deo sunt facta, non dicuntur prædefinita, sed illa, quæ per secundas causas fieri debent, & rationem entitatis & bonitatis habent, à Deo dicimus præfinita, quod & prothemata gloſæ ordinariæ sub istis verbis rectè notarunt. *Tribus modis significat hæc scriptura generationem sæculi esse factam; aut enim sola voluntate aliquid dicitur factum, ut in principio creavit Deus cœlum & terram; aut voluntate simul & voce præceptiva, ut fiat lux; sive deliberativa, ut faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; aut voluntate, voce, & definitione, ut crescite & multiplicamini & replete terram, & germinet terra herbam virentem & ea quæ sola voluntate & voce dicuntur, novitate facta sunt, quæ verò per definitionem hæc sunt similia illis quæ noviter facta sunt, & hæc sunt quæ post septimum diem usque in finem operatur Deus, & ex illa definitione proveniunt.* Ubi definitionem sive prædefinitionem Dei respectu eorum, quæ ipse per creaturas facturus erat, tantùm exponit hæc gloſæ prænotatio, & omnia, quæ à creaturis usque in diem judicij fienda sunt, quæ rationem entitatis habent & bonitatis, ut culpam secludamus, ex divina dicuntur definitione venire. Imò Paulus prædefinitionem sæculorum ut infra dicetur manifestè proponit, eamque respectu eorum quæ in sæculis per creaturas Deus operaturus erat circa incarnati verbi mysterium, exponit. Similiter & Dionysius rationes in divina mente præexistentes effectivas & prædeterminativas rerum, per ordinem ad facienda per creaturas constituit. Unde & S. Tho. hanc secutus doctrinam quæst. 3. de verit. art. 7. inquit: *Sed quia nos ponimus Deum immediatam causam unius cujusque rei secundum quod in omnibus causis secundis operatur, & quod omnes effectus secundi ex ejus prædefinitione proveniant, ideo non solū primorum, &c.* Qua ratione in hac præmissa definitionis descriptione diximus illam esse divinæ mentis decretum absolutum & efficax quo statuitur actum fieri à causa secunda antequam sit.

Insuper de ratione divinæ prædefinitionis tria esse videntur: primum, quod antecedat eventus in tempore productionem. Secundum quod antecedat illius æternam præscientiam. Tertium quod antecedat causarum applicationem, per quas debet de facto produci. Quamvis enim hoc tertium ab aliquibus non putetur ad formalem rationem prædefinitionis pertinere; absque dubio tamen ad illam pertinet; Imò ex secundo, quod ab omnibus admittitur, videtur manifestè sequi. Cum enim sit de ratione prædefinitionis divinæ quod antecedat præscientiam futuri eventus, sine dubio erit & de illius ratione quod antecedat præscientiam applicationis causarum quibus de facto applicatis producetur. Si enim hoc non antecedit, nec antecedit præscientiam futuri eventus. Qui enim ante suam prædefinitionem præscit applicationem causarum, quibus de facto producitur actus, necesse est quod præsciat simul effectum à talibus causis productum; quod verum habet in causis liberis, quæ efficaciter applicatæ in instanti suos producunt actus, de quibus & sermo procedit. Et præterea quia causæ secundæ, nec sunt applicatæ, nec intelligi possunt esse applicatæ nisi Deus efficaciter statuat seu prædefiniat quod sic applicentur, ideo ergo applicatæ sunt, & applicatæ præsciuntur; quia Deus voluit, & prædefinivit quod applicarentur.

Quòd si dicas prædefinitionem, quæ fit per intellectum divinum ordinantem media in finem, non antecedere præscientiam talium mediorum, & causarum applicatarum ad talem finem: ergo licet talis præscientia non antecedat prædefinitionem, non tamen est necesse quod prædefinitio illam præscientiam antecedat; quia potest esse quod talis præscientia essentialiter in ipsa prædefinitione claudatur, ut de actu practico divini intellectus dictum est modò.

Ad hoc dicendum, quod prima prædefinitio, quæ est actus divinæ voluntatis; ut diximus, semper præcedit præscientiam applicationis causarum secundarū. Secundo dicēdum quod etiam actu practico divini intellectus priùs ratione intelligimus quod causæ & media efficaciter præordinentur & disponantur ut applicentur, antequam intuitivè applicata præsciantur

ideo

Digitized by Google

ideo enim Deus illas intuetur applicatas, quia disposuit & præparavit ut applicarentur. Consultò diximus, quod divina prædefinitio antecedit præscientiam futuri eventus; quia, ut dicemus, de ratione divinæ prædefinitionis est ut antecedat etiam præscientiam conditionatam illius.

CAPUT II.

Quod divinæ prædefinitiones antecedere debent præscientiam conditionatam futuri actus.

OMNES Recentiores negant divinas, & æternas prædefinitiones, debere aut posse salua hominum libertate antecedere conditionatam illam præscientiam actus humani futuri. An verò post illam scientiam mediam, sive conditionatam dentur in Deo humanorum actuum prædefinitiones, diversi inveniuntur. Quidam enim negare videntur tales prædefinitiones, etiam post illam scientiam mediam. Alij illas affirmant, respectu omnium in universum actuum bonorum, non solum supernaturalium, sed & moralium, ac naturalium. Alij media pergentes via respectu quorundam actuum moralium præcipuorum illas admittunt, non verò respectu omnium.

Pro prima sententia videtur esse Ludovicus Molina in Concord. quæst. 14. art. 13. disput. 52. §. *scisci-tabitur*. Ubi videtur negare divinæ voluntatis prædefinitionem, etiam post scientiam mediam, cum sic dicit. *Item quod res libero arbitrio prædita, si in certo ordine rerum, & circunstantiarum collocetur, in unam aut alteram partem se flectat, non provenire ex præscientia Dei, quin potius Deum ideo id præscire, quia ipsa res libero arbitrio prædita liberè id ipsum agere debet, nec provenire ex eo quod Deus velit id ab ea fieri, sed ex eo quod ipsa liberè id velit facere.* Item quæst. 19. art. 6. disput. 2. distinguit duplicem Dei voluntatem absolutam. Primam qua Deus vult aliquid fieri absque illa media præscientia, & hanc dicit esse propriissimè efficacem Dei voluntatem. Secundam verò præsupponentem illam mediam scientiam his verbis exponit: *Alio modo dicitur Deus velle aliquid, dependenter quidem ab arbitrio creato, qua liberum est; atque adeo sub conditione si creatum arbitrium id etiam velit; at ea ratione absolutè quòd cum prævideat per arbitrium ipsum liberè futurum ex hypothesi, quod eum ordinem rerum velit creare, quem reipsa creare constituit, ei placet absolutaque jam voluntate vult, ut sit, quod ita liberè futurum est.* Hæc ille; ex cujus verbis notanda sunt duo, primum quod hanc secundam voluntatem censet impropriè efficacem & absolutam, dum illam priorem vocat propriissimè efficacem, secundùm quod ea ratione tantùm dicit hanc secundam Dei voluntatem esse absolutam, quia vult quod liberum arbitrium ex innata libertate operetur. Uno enim simplicissimo actu Deus ita judicat. Si ego constituam tale liberum arbitrium in tali ordine rerum ex sua innata libertate, & non ex mea efficaci motione hoc operabitur. Unde absolutè volendo illud arbitrium constituere in illo rerum ordine, vult Deus absolutè quod liberum arbitrium ex sua innata libertate, & non ex Dei efficaci motione illud operetur. In summa, hæc, quæ ab isto Authore dicitur absoluta Dei voluntas, est voluntas absoluta de eo quod homo facturus est ex se. Unde talis voluntas secundùm istum authorem non est prædefiniens illum actum, sed est prædefiniens quod homo ex sua innata libertate, & non ex efficacia Dei operatur, unde censet Molina non esse prædefinitionem. Quod clariùs ipse declarat disput. 52. §. *accedente*, dicens: *Accedente verò determinatione libera voluntatis, non qua liberum arbitrium determinat ad alteram partem contradictionis, ut Scotus & alij volunt, sed qua relinquendo illud liberum, & omnino indifferens, ut ad quod voluerit porrigat manum, statuat creare hunc vel illum ordinem rerum ac circumstantiarum, in quo sint hæc vel illæ causæ liberæ, certò cognoscit complexiones omnes contingentes secundum esse futurum absolutè & simpliciter.* Ecce scientiam absolutam futurorum dicit sequi ad voluntatem non determinantem, nec prædefinientem, quod liberum arbitrium hoc vel illud operetur.

Quòd si eadem disput. 52. multoties dicat divinas prædefinitiones esse post illam mediam scientiam, contrarius sibi non est, quia impropriissimè vocat prædefinitiones, tum quemdam actum complacentiæ, quo Deus de bono opere ab homine facto complacet, tum etiam voluntatem illam, qua Deus vult constituere hominem in tali rerum ordine in quo præsciebatur ex se operaturus. Unde illas sola voce prædicans reipsa definitionem ipsarum negavit. Et quidem, quod neuter actus, nec ille complacentiæ, nec alius quo Deus vult constituere hominem in tali rerum ordine ubi præscitur bene operaturus, sit verè prædefinitio, satis ipse aperuit citatis nunc testimoniis, quod & infra erit manifestandum. Nunc ad secundam sententiam aliquorum ex ipsis redeamus.

Gabriel Vasquez super 1. p. quæst. 22. tenet illam secundam sententiam, quod videlicet præsuppositа scientia media omnes in universum actus bonos Deus prædefiniat. Franciscus autem Suarez lib. 1. opusc. cap. 15. & lib. 2. cap. 3. & 7. & lib. 3. sæpe tertiam tenet viam affirmans quosdam egregios & præcipuos actus morales à Deo præfiniri, non verò omnes morales actus bonos, nec ad divinam providentiam spectare, vel ad illius perfectionem quod omnes actus illius sint à Deo prædefiniti. Qui cum expressò teneat omnes actus morales bonos fieri à Deo, volente constituere hominem in tali rerum ordine, in quo si poneretur prævidebatur illos operaturus, manifestè tenet voluntatem, qua Deus vult sic hominem in tali rerum ordine constituere post illam mediam scientiam, non esse prædefinitionem, asserens quòd latiùs patet intentio Dei, quam ejus prædefinitio. De cujus tamen sententia in particulari in secundo hujus operis lib. acturi sumus; nam id solùm ex illa convincimus, quod ex Ludovico Molina notabamus, non esse videlicet Dei prædefinitionem, velle constituere hominem in tali rerum ordine, ubi si ponatur per scientiam mediam prævidetur bene operaturus. Unde ille alius author citatus, qui contendit esse actum prædefinientem velle constituere hominem in tali rerum ordine, &c. Voce quidem contendit esse prædefinitionem, sed re illud negat, ut etiam sui consortes manifestè posuerunt.

Sed omissis ad præsens eorum placitis, id quod principaliter intendimus, examinare oportet, non esse nimirum prædefinitiones, quæ illam mediam scientiam præsupponant: Duos ergo habemus ex ipsis planè asserentes, post præscientiam mediam non esse necessarias prædefinitiones, siquidem alter in ordine ad omnia humana opera illas negat, alter in ordine ad aliqua tantum dicit non esse necessarias. Quibus adjungimus, & tertium Leonardum Lessium qui & ultimò scripsit. Is enim disp. de prædest. & reprob. Angelorum & hominum sect. 5. §. responde, ita dicit. *Cum enim homo ipse sit providentiæ particeps, ut seipsum absque hujusmodi prædefinitione cum auxilio divino regere possit, quid opus est omnia ejus opera prædefiniri? Cur Deus id faciat, sine necessitate? nam nullam esse ne-*

Digitized by Google

ceſſitatem patet ex præſcientia conditionata, quæ ſuppo-nit (ut omnes fatentur) ea abſque ulla prædefinitione futura, ſi Deus talem vel talem gratiæ prævenientis opem porrexerit.

Manifeſtè fatetur, imò omnes fateri dicit, nullam eſſe neceſſitatem ponendi prædefinitiones poſt ſcientiam mediam; unde qui poſt illam eas ſtatuunt, non niſi ex ſuperfluo conſtituunt, vel ſola voce eas aſſe-runt. Idcirco Doctores relati, qui ita ſentiunt, voce ſola potiùs quam reipſa divinas admittunt prædefi-nitiones, quia vident illas apertè negari non poſſe, cùm ex Sanctis Patribus & divinis literis habeantur.

Hæc veritas, vel ex ipſis eorum dictis fit manife-ſta. Primò ipſe Molina tribus citatis locis docet il-lum actum, quo Deus vult conſtituere hominem in tali rerum ordine, in quo per mediam ſcientiam præ-videbatur bene operaturus, non eſſe actum prædefi-nientem: ergo ille actus prædefinitio non eſt, etiam ipſo teſtante. Secundò Franciſcus Suarez modò re-latus aſſerit illum actum conſtituendi hominem in tali rerum ordine, in quo prævidebatur per mediam ſcien-tiam bene operaturus moraliter, non eſſe prædefini-tionem illius moralis actus: ergo vel ipſo fatente ex-preſsè ille actus non eſt divinæ voluntatis prædefi-nitio.

Præterea ipſe Franciſcus Suarez hoc dicit clariùs in 1. lib. de concurſu Dei cap. 18. num. 12. §. *quod ſiquis*, ubi ſibi objicit quod hæc prædefinitio ab ipſis conſtituta, cum ſit ſuppoſitio antecedens uſum ratio-nis, tolleret libertatem, ſic reſpondet. *Prædefinitio hæc non eſt ſimpliciter antecedens uſum libertatis, quia ſupponit præſcientiam ejus, ſaltem ut futuri ſub tali conditione.* Et poſt pauca iterùm dicit. *Hac ergo ra-tione hæc prædefinitio nõ eſt ſuppoſitio ſimpliciter ante-cedens, ſed ſupponens ſimpliciter uſum libertatis.* Qui-bus verbis quid aliud affirmat, niſi illam quam vo-cat prædefinitionem, non eſſe ſimpliciter prædefiniti-onem, cum præſupponat uſum libertatis. Certè præde-finitio ut nomen ſonat & in fine capitis præcedentis ex communi omnium ſententia diximus, dicit ante-ceſſionem ad uſum libertatis humanæ; illa ergo, quæ illum præſupponit, quomodo illum prædefinit?

Sed adhuc iſta ipſorum verba amplius expenda-mus. Molina inquit: *Quod voluntas ſe in hanc, vel illam partem inflectat, non provenit ex eo quod Deus id ab ea vult fieri*: ergo non provenit ex eo quod Deus id prædefiniat. Conſequentia eſt apertiſſima, quia nec imaginabilis eſt prædefinitio ſine voluntate qua Deus vult id fieri. Item ait quod poſt mediam ſcientiam, antecedens libera voluntas Dei, qua vult conſtituere hominem in tali rerum ordine, & circun-ſtantiarum, non eſt determinans voluntatem ut hoc operetur: ergo ſecundum ipſum neque eſt definiens, ſeu prædefiniens illius actus. Patet conſequentia etiam manifeſtè, quia idem omnino eſt voluntas Dei præ-determinans & prædefiniens (ut etiam ipſi fatentur:) ergo ſicut Dei voluntatem negant prædetermínan-tem eſſe, poſt illam ſcientiam mediam, etiam illam negant eſſe prædefinientem. Tertiò quia ſuperaddit, quod illa voluntas Dei ſequens illam mediam ſcien-tiam non eſt abſoluta ſimpliciter, ſed quod tantùm eſt abſoluta reſpectu hujus, quod eſt illum ponere in tali rerum ordine in quo operetur ſi ipſe voluerit. Ergo ſentit illum actum non eſſe prædefinientem. Quomodo enim prædefinit divina voluntas actum humanum, quem non vult ut abſolutè fiat. Quar-to Franciſcus Suarez ubi ſupra inquit, quòd omnis moralis actus bonus eſt à Deo volitus per illum actum quo Deus vult, hominem ponere in tali re-rum ordine, in quo ſi poneretur prævidebatur operaturus omnem actum moralem talem, & ta-men ſimul dicit non omnem illum moralem actum eſſe prædefinitum à Deo: ergo clariſſimè dicit il-lum actum divinæ voluntatis volentis conſtituere hominem in tali rerum ordine, non eſſe divinæ vo-luntatis prædefinitionem. Quintò idem Author allato loco tenet apertè ſe non admittere ſuppoſitio-nem ſeu prædefinitionem divinæ voluntatis ſimpli-citer antecedentem uſum humanæ libertatis, ſed il-lum potiùs aliquo modo conſequentem: Sentit ergo plane illam ſuppoſitionem divinæ voluntatis non eſſe prædefinitionem. Patet conſequentia quia præ-definitio actus liberi humani antecedere debet ipſam humanam voluntatem; qua enim ratione non an-tecedit, nec prædefinit, ut vox ipſa declarat.

Præterea idem Author eodem lib. 1. in ultimis verbis cap. 4. poſtquam dixit quod ſuppoſitio an-tecedens per modum actus primi uſum noſtræ liber-tatis, tollit libertatem, de illa ſua ſuppoſitione con-ſequente ſic ait: *Secus vero erit ſi ſuppoſitio ſit con-ſequens formaliter vel virtute, ſupponens actualem determinationem futuram ipſius potentiæ liberæ, ut per ſe eſt clarum, & in diſcurſu totius operis conſta-bit.* Ecce apertè dicit quod ſua ſuppoſitio, quæ ſer-vat libertatem, eſt conſequens formaliter vel vir-tualiter uſum libertatis. Si ergo illa ſuppoſitio, ſive illa prædefinitio (idem enim quoad anteceſſio-nem utraque ſonat) eſt conſequens uſum noſtræ li-bertatis, quomodo eſt illius prædefinitio? Vel quo-modo illum definit? Similiter ſi talis ſuppoſitio ſeu prædefinitio ſupponit actualem determinationem fu-turam ipſius potentiæ liberæ, ut per ſe eſt clarum, & ut expreſsè fatentur ij authores, quomodo po-teſt eſſe prædefinitio? Imò rectè vocatur poſtde-finitio, ſiquidem definitionem voluntatis humanæ præſupponit. Et hoc eſt, quod communiter dicunt iſti authores, quòd ſuppoſitio antecedens tollit li-bertatem; ſuppoſitio verò conſequens non tollit. Quibus verbis actum divinæ voluntatis conſtituunt conſequi ad noſtri arbitrij libertatem, & ex conſe-quenti expreſsè affirmant illam non antecedere uſum libertatis noſtræ, nec poſſe dici prædefinitionem niſi voce ſola.

Præterea, ut ex ipſorum ſecunda aſſertione ſupra relata, conſtat apertè hi authores negant Deum ab-ſoluta & efficaci voluntate velle quod hoc ſic vel ſic, operetur homo, ſed tantùm ſub conditione ſaltem implicita, ſi ipſe voluerit: ergo apertè ne-gant divinæ voluntatis prædefinitiones. Patet con-ſequentia, quia etiam, ut ipſi affirmant, prædefi-nitio divina nihil eſt aliud quam actus abſolutus & efficax divinæ voluntatis de aliquo actu faciendo, antequam ipſe actus præſciatur futurus. Si ergo non vult Deus abſolutè quod hic actus fiat, nec abſolutè prædefinit; ſed prædefinit quod fiat, ſi ho-mo voluerit, quæ prædefinitio nullo modo eſt ſed voluntas inefficax antecedens, & ab humana voluntate dependens, etiam ut iſti Authores alibi ſæpe docent.

Tandem ultimus, qui ex eis ſcripſit Leonardus Leſſius omnia clarificans apertè docet omnes fateri debere quòd ex præſcientia conditionata, ſine prædefinitione erunt res futuræ, & quòd poſt illam ſine ne-ceſſitate ex ſuperfluo conſtituitur.

Nec valet recurrere ad illam communem reſpon-ſionem, qua dicunt ideo eſſe talem divinæ volun-tatis prædefinitionem, quia antecedit abſolutam præſcientiam illius eventus futuri, licet non antece-dat conditionatam præſcientiam illius. Primo, quia qui ad hoc recurrunt oportet ut ſalvent prædicta ſua dicta & fundamenta modo relata, quibus expreſsè affirmant, quod divina voluntas ſic præſupponens illam

Digitized by Google

illam conditionatam præscientiam licet antecedat præscientiam absolutam eventus futuri, est consequens voluntatis usum, & supponens illum.

Item oportet salvare, quomodo actus moralis bonus volitus post illam mediam scientiam, & antecedens præscientiam absolutam illius, non sit prædefinitus, ut aiunt, non ergo sufficit quod antecedat actus divinæ voluntatis præscientiam absolutam futuri actus, ad hoc quod sit à Deo præfinitus.

Insuper oportet salvare quod, in tribus nunc relatis docet Molina expressè, quòd videlicet actus divinæ voluntatis, quo post scientiam mediam vult hominem constituere in tali rerum ordine non est voluntas simpliciter absoluta ut talis effectus fiat, nec est determinans seu definiens actum illum, nec ille actus fit ex eo quod Deus illum vult fieri. Cum ergo ipsimet authores expressis verbis exponant & publicent actum divinæ voluntatis sequutum ad scientiam mediam, licet antecedat scientiam absolutam futuri eventus, non esse divinæ voluntatis prædefinitionem, frustra postea contendunt illam etiam prædefinitionem, quia antecedit scientiam absolutam futuri eventus.

Præterea si sufficit secundùm ipsos quòd præsupponat illam præscientiam conditionatam, ut sit consequens & præsupponens usum nostræ libertatis, sufficit profectò pari ratione ut non sit divinæ voluntatis prædefinitio sive antedefinitio, sed quod sit definitio consequens usum humanæ voluntatis, seu postdefinitio. Absque dubio ita convincuntur fateri ex suis propriis principiis & verbis isti authores. Unde formaliùs & consequentiùs ad doctrinam suam loquuntur qui illum actum divinæ voluntatis præsupponentem illam scientiam conditionam futuri actus liberi, vocant complacentiam de actu humano bono ab ipso homine faciendo, sicut dicit Molina: imò omnes ferè recentiores sic illum actum tandem appellant. Quis autem dicat quod qui complacet de alterius facto illud prædeterminet, vel prædefiniat vt fiat? vel quis asserat quod complacentia talis, sit illius actus prædefinitio?

Præterea quia postquam Deus præscivit illum actum futurum sub conditione, voluntas qua vult homini dare omnia necessaria ad talem actum faciendum, nullo modo est illius actus prædefinitio, nam illa voluntas solùm vult hominem constituere in tali ordine rerum, in quo ipse se determinet ad actum, & in quo ipse definiat actum suum: ergo non est Deum illum prædefinire, sed est solùm velle dare homini illa, sine quibus homo non definiet actum suum. Qua etiam ratione præscientia absoluta, qua Deus videt illum actum factum & definitum ab homine ipso est præscientia, qua Deus videt id quod homo ex seipso facit, non qua videt id quod Deus facit, ut homo ipse faciat. Non videt ergo Deus illum actum à se præfinitum & prædeterminatum, sed ab homine ipso solùm definitum & volitum. Et hoc est quod apertè hi authores explicant in alio suo universali principio, quo dicunt non ideo actum futurum esse quia Deus præscivit, sed ideo Deum præsciisse, quia ipse futurus est, de quo principio, infra dicemus. Igitur voluntas Dei consequens illam conditionatam præscientiam nullo modo potest esse divinæ voluntatis prædefinitio. Sicut ergo illa conditionata præscientia divinæ voluntatis efficaciam negat, ut infra erit demonstrandum, ita divinas tollit prædefinitiones; & sicut divinæ causalitati est inimica, ita & divinæ voluntati prædefinienti contrariatur. Nec stare possunt simul divinæ voluntatis prædefinitiones, & illa media sive conditionata præscientia. Unde ipse Molina dicit in Concord. q. 14. art. 13. quod authores defendentes has divinas prædefinitiones, ut illas defendant, scientiam mediam negant, & quòd ipse ut prædefinitiones excludat scientiam illam mediam tenet. Sunt ergo ex diametro oppositæ divinæ illæ prædefinitiones & scientia media: ergo vel ex ipsis apertè concluditur, quòd illa, quæ vocatur prædefinitio post illam mediam scientiam, reipsa prædefinitio non est, sed sola voce.

Dices omnia supradicta convincere non esse prædefinitionem illum actum, quo Deus vult constituere hominem in illo ordine, sub quo si ponatur, prævidetur ita operaturus, non tamen probare quod ille alius actus, qui ab aliis ponitur, quo Deus post scientiam mediam vult absolutè quòd ille homo sic operetur, prædefinitio non sit, quem actum aliquos ex ipsis ponere relatum est supra.

Ad hoc dicendum ex dictis & relatis ex ipsis constare illum talem actum post mediam scientiam necessarium non esse, sed ex superfluo poni, & minùs consequenter ad illam mediam antecedentem scientiam, quæ planè etiam illi contradicit. Secundo dicendum quod ipsimet, qui illum actum absolutum post scientiam mediam admittunt, ut modo visum est, sæpe fatentur eum definitionem antecedentem non esse, sed consequentem, quæ consequens definitio, prædefinitio non est, idem enim est prædefinitio, & antecedens definitio ut ex terminis patet. Dicendum tertio quod ille alius actus absolutus ita alios scientiæ medæ deffensores offendit, ut ipsum, necessitatem voluntati imponere dicant, quam voluntas impedire non possit. Unde omnia inconvenientia, quæ ex veris prædefinitionibus inferunt, inferunt ex hac sua definitione. Sic enim habet Leonardus Lessius in disp. de prædest. & reprob. Ang. & hom. sect. 5. *Non esse idcirco.* §. *nec obstat*, §. *dices*, in §. quidem non esse idcircò ait. *Quod vero præscientia illa* (scilicet conditionata) *non efficiat ut effectus prædefinitus possit absolutè à nobis impediri, supra num. 17. & sequentibus ostensum est. Etsi enim prædefinitio non mutet modum intrinsecum operandi voluntatis, tamen illi assistit, & illam gubernat, ut impossibile sit reipsa opus non fieri. Cum enim sit absoluta & efficax, atque adeo omnipotens, omnino necesse est ut res præfinita fiat, nec ulla creatura id impedire potest, quamvis liberè, (hoc est absque intrinseca prædeterminatione voluntatis) facienda sit.*

Nec obstat quod Deus ante præsciebat me tali momento liberè facturum, ita ut possem absolutè non facere, si me sic excitaret, quia superveniente absoluta prædefinitione objectũ quodãmodo mutatur, & accipit quãdam objectivam necessitatem, qua fit ut absolutè impediri nequeat; ad providentiam enim Dei pertinet curare ut illud omnino fiat, quod absolutè decretum est, prædefinitio enim operis prior est ratione quam electio medij, quo Deus illud procurat fieri (ut ipsi docent) *ac proinde non pendet ab hujus vel illius medij efficacia, & hoc est unum de maximis hujus sententiæ incommodis. Ante enim hujusmodi decreta, res secundum se planè liberè fiunt, & facilè possunt à libero arbitrio impediri, quia nec in voluntate humana, nec extra illam habent illam causam determinatam & efficacem, & Deus illis non ita invigilat, ut omnino fiant. Hinc absolutè possumus omittere bona opera quæ facimus, & facere alia, & excidere à gratia, & à salute æterna. At decretum superveniens illorum naturali conditioni, est causa ad illa determinata, & efficax, & quamdam objectivam necessitatem illis imprimit, ratione cujus non amplius possunt omitti, estque hæc necessitas antecedens, quia est causa operis.* Et post pauca: *Dices illæ prædefinitiones supponunt illas res omnino liberè futuras ex hypothesi, ita ut facilè possit non fieri, ergo nullam afferunt necessitatem. Respondeo id supponere si res omnino sibi relinquitur, & hypothesis simpliciter ponatur; non autem superveniente prædefinitione, hæc enim superveniens illas quodammodo immutat, ut quæ secun-*

Digitized by Google

dùm se omnino potuissent impediri, jam non possint. Itaque perspicuum est hanc suppositionem non efficere. quin prædefinitio absoluta aliquam necessitatem adferat hominemque securum reddat, ita ut non possit de contrario eventu metuere, & sic tollitur omne studium, profectus, & omnis solicitudo bonorum operum. Cur enim sit solicitus, si omnia jam antea sum præfinita & taxata, & Deo incumbit curare ut ipsius Decreta impleantur? Rursus cur sit sollicitus cum certus sit omnem conatum solùm habiturum effectum respectu eorum quæ sunt præfinita, circa cætera omnia fore irritum. Nec refert quod dicatur, posse, quia hoc totum posse nihil boni efficiet, nisi quod est præfinitum. Hæc Leonardus Lessius ubi supra contra prædefinitiones opponit quas aliqui ex suis post scientiam mediam constituunt. Igitur unum è duobus eligant necesse est illarum assertores, vel, ut ipsi expressè fateantur, non antecedentes definitiones esse, sed consequentes; & per consequens non esse prædefinitiones nisi sola voce, quia neque eas voce negare audent; vel si prædefinitiones sunt, ex illis omnia ista inconvenientia sequi, quæ iste author oppugnat.

Dicendum est ergo illas, quæ post scientiam mediam statuuntur prædefinitiones, veras prædefinitiones non esse. Tum quia ex suppositione illius mediæ scientiæ non necessariæ sunt sed superfluæ; tum quia qui illas admittunt esse, non antecedentes sed consequentes usum voluntatis statuunt; tum quia alij ex ipsis illas, ut modò visum est, oppugnant. Igitur asserendæ sunt veræ divinæ voluntatis prædefinitiones quæ videlicet nulla præhabita scientia media in Deo absolutæ sint. Quod probatur præterea, quia divinæ prædefinitiones sunt in Deo (ut etiam hi authores concedunt); sed non sunt nec possunt esse præsuppositæ illa anteriori media scientia sive præscientia, quæ tam impossibilis est, ut latè infra demonstrabimus: ergo sunt in Deo prædefinitiones, illa præscientia non præsuppositæ.

Ultimo scriptura Sacra tradit expressè divinæ voluntatis prædefinitiones secluſa omni præscientia media: ergo divinæ voluntatis prædefinitiones sine illa media scientia constituendæ sunt & prædicandæ. Consequentia patet, & Antecedens quoad primam partem, quod nimirum in scriptura tradantur expressè divinæ voluntatis prædefinitiones constabit apertè ex cap. sequenti; quod autem illas tradat sine scientia media ostenditur. Nam ipsa scriptura Sacra manifestè excludit hanc mediam scientiam à divinis prædefinitionibus: ergo, &c. Antecedens patet, nam definitio quæ supponit scientiam mediam, prædefinit ut homo operetur si vult, & quia vult, non autem ut operetur, quia Deus vult ipsum operari; sed prædefinitio quæ traditur in scriptura est qua Deus determinat ut homo operetur, quia Deus vult illum operari: ergo prædefinitio quæ traditur in scriptura opponitur prædefinitioni supponenti scientiam mediam, Major est expressè tradita à Ludovico Molina in concord. disput. 52. §. *Sciscitabitur*, ubi in terminis formalibus dicit quòd homo constitutus in tali rerum ordine post scientiam mediam operatur quia vult, non quia Deus vult id ab homine fieri. Minor autem patet ex illo. Non est volentis nec currentis, cujus sensus est non est hominis velle & currere, quia ipse primò velit, sed Dei miserentis, qui primò vult, ut velit & currat homo: ergo prædefinitio tradita in scriptura contraria est prædefinitioni positæ per scientiam mediam. De intelligentia illius loci non est volentis, &c. Vide S. Augustinum quæst. 2. ad Simplicianum, & in Enchirid. cap. 32. Vide S. Thomam super illum locum Pauli, & quæst. 6. de malo, quæ est de electione humana solutione ad primum de quo & nos nostro 4. lib. satis dicemus.

Confirmatur & explicatur magis ratio præhabita. Certum est Deum omnia providere, gubernare, & dirigere, idque absolutè Sancti affirmant nulla facta mentione prævisionis futurorum conditionalium liberorum, quia hanc, teste Molina, non agnoverunt ut prærequisitam ad prædefinitiones providentiæ: ergo sine illa præscientia futurorum liberorum conditionalium docuerunt Sancti Deum omnia providere, prædefinire & gubernare, imò hoc scriptura ipsa testatur docens sapient. 8. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter:* Et iterum cap. 11. *Omnia in mensura numero & pondere disposuisti.* Si ergo omnia disposuit & ordinavit: ergo & ipsas conditiones liberas disposuit & ordinavit: ergo sunt tales liberæ conditionales, effectus divinæ providentiæ: ergo non antecedunt illam, nec ante illam præcognoscuntur: ergo datur divina prædefinitio sine antecedenti illa media præscientia.

CAPUT III.

In scripturis veræ prædefinitiones divinæ voluntatis traduntur.

SCRIPTURA Sacra expressè has divinas prædefinitiones commendat. Ad Ephes. enim 3. ait Apostolus. *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc in gentibus Evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat principibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiã multiformis gratia Dei secundũ prædefinitionẽ sæculorũ, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.* Apostolus ergo apertè divinas prædefinitiones constituit: Prædefinivit enim Deus in hoc tempore omnes efficaciter illuminare hoc modo, & in alio tempore alio modo, ut ex litera fit manifestum, quod & S. Thomas super eundem locum Pauli manifestè declarat. Illud autem Apostoli secundum prædefinitionem sæculorum sic habetur κατὰ πρόθεσιν, id est secundum Dei institutum mente præconceptum, secundum firmum Dei propositum, secundum Dei intentionem & mentem, secundum prædeterminationem Dei, & secundum Dei prædefinitionem, totum enim hoc significat dictio illa, *prothesis*. Item alibi Apostolus videlicet ad Galat. 4. *Sub tutoribus & actoribus est usque ad præfinitum tempus à Patre.* De cujus explicatione vide ibi S. Thom. Manifestum est autem quòd Christus Dominus suo libero arbitrio sub tutoribus erat & tamen id à Deo præfinitum esse & prædeterminatum Apostolus docet. Nec S. Chrysostomus super istum locum Pauli, cum prædefinitionem exponit *præcognitionem*, contrarium dicit, quia Deus prædefiniendo præcognoscit quid ipse in omnibus sæculis facturus est, & hoc modo procedit S. Chrysostomus.

Item prædefinitio & prædestinatio solis nominibus differunt (ut etiam hi authores fatentur. Molina in Concord. quæst. 23. art. 1. & 2. disp. 1. §. alij & Franciscus Suarez lib. 2. opusc. cap. 4. num. 3.) in omnibus ergo locis quibus Apostolus passim tradit divinam prædestinationem tradit etiam divinas prædefinitiones. Item prædefinitio & præordinatio idem omnino sunt (& isti auth. asserunt præsertim Molina in Concord. quæst. 23. art. 1. & 2. disput. 2. §. *statuenda*) sed scriptura Act. cap. 13. dicit, *quod crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam.* Ubi præordinationem efficacem constituit, ex qua proinde infert quod sic præordinati crediderunt: ergo ibi efficacem etiam Dei prædefinitionem expressit. Et Lucæ 22. *Filius quidem hominis, secundum quod definitum est, vadit,*

Digitized by Google

dit. Et Act. 2. dixit Petrus. *Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis virtutibus & prodigiis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, &c.* In quorum verborum explicationem ita interlinearis exponit. *Definito consilio spiritus Sancti.* Et Lyranus, *hunc definito pro mundi salute ex maxima charitate.* Ubi & illud non omittendum, quod præscientiam Dei de morte Christi post determinationem divini Concilij prædicat Apostolus Petrus, ut infra suo loco clariùs dicemus.

Est & insignis locus Act. 22. ubi Paulus referens quæ illi paulò antea dixerat Ananias, ait: *Veniens* (scilicet Ananias) *Ad me, & astans dixit mihi: Deus patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus*, Ecce præordinatum & prædeterminatum Paulum efficaciter, ut Dei voluntatem cognosceret.

Item Daniel. 12. dicitur. *Vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones usque ad præfinitum tempus.* Et post pauca. *Tu autem vade ad præfinitum & requiesces.* Et cap. 11. inquit. *Et de eruditis ruent ut conflentur, & elegantur & dealbentur usque ad tempus præfinitum.* Et infra. *Et in tempore præfinito præliabitur adversum eum Rex Austri, &c.* Certum est autem quod Rex Austri libero suo arbitrio præliaturus erat, & tamen hîc à Deo prædefinitum, & prædeterminatum scriptura Sacra pronuntiat.

Item in Concilio Magno Ephesino tom. 5. pag. 1162. & impressione Veneta 1585. ita dicitur in defensione Cyrilli ad objectionem Orientalium circa quartum anathematismum: *Sed, sicut dudum dixi, filius qui est ante sæcula in novissimis sæculi temporibus in filium prædefinitus esse dicitur, &c.*

Tandem ubicumque divina scriptura prædicat divinam voluntatem, divinum consilium, divinum beneplacitum, divinum propositum, divinum decretum & statutum, quid aliud exprimit nisi divinæ voluntatis prædefinitionem? Illis autem prioribus nominibus utriusque Testamenti scriptura plena est, affirmans quòd Deus hoc statuit, hoc decrevit, hoc voluit quòd ita eveniret. Confirmat hoc Græca phrasis, quæ ubique prædeterminationem ab Apostolo nominatam per verbum προορίζω, declarat, quod nihil aliud sonat quam prædefinio, præconstituo, seu prædetermino. Non ergo possunt divinæ prædefinitiones negari, nisi scriptura ipsa negetur.

Præterea quomodo possunt de efficaci Dei prædefinitione dubitare respectu nostrarum bonarum operationum, qui in Evangelio Lucæ cap. 14. legunt: *Compelle eos intrare*, & Ecclesiam audiunt in oratione Domin. 4. post Pentecosten precantem: *Et ad te propitius nostras etiam rebelles voluntates compelle.* Nonne compellere voluntatem dariùs quid videtur sonare, quàm illam efficaciter prædeterminare? Et tamen illud primum Ecclesia docet, & Evangelium affirmat expressè.

Ex omnibus istis talis formatur ratio conveniens. In divinis literis non solùm terminis omnino æquivalentibus; sed formaliter & in terminis ipsis traduntur divinæ voluntatis prædefinitiones; sed illæ non supponunt nec supponere possunt priorem præscientiam conditionatam actus prædefiniti, (ut cap. immediatè præcedenti comprobatum est:) ergo necesse est fateri divinas prædefinitiones ante præscientiam illam, & de istis planè, divinæ scripturæ testimonia procedunt, & has veras prædefinitiones apertè cõstituunt.

Tandem pro efficaci voluntate Dei prædefiniente omne bonum, & decernente permittere malum efficacissimus est locus ille Apostoli ad Rom. 9. ubi postquam hanc conclusionem præmiserat. *Igitur non volentis, neque currentis, sed Dei est miserentis.* Et hanc aliam, *igitur cujus vult miseretur & quem vult indurat*: Statim ita sibi opponit; *Dicis itaque mihi quid adhuc queritur, voluntati ejus quis resistit?* Ac si clariùs opposuisset; dictum est, quòd non est in potestate hominis velle & currere, nisi Deus misereatur; nec quòd Deus misereatur homo habet in potestate sua, hoc enim sonat, *non est volentis neque currentis.* Dictum est etiam, quòd cujus Deus vult, ita miseretur, ut de facto misericordiam consequatur, & quem vult ita indurat, vt infallibiliter induretur. Hoc enim sonat, *Igitur cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Si ergo non est in potestate hominis velle & currere, nisi Deus misereatur, & hæc misericordia ut detur homini, in potestate hominis non est; & cum datur ita efficaciter ponitur, ut de facto & infallibiliter misericordiam consequatur, & si non datur infallibiter induratur; si, inquam, hoc ita est, quid adhuc queritur? id est, quid postulatur ab homine ut bonum faciat, cum hoc in ejus potestate non sit? vel quid adhuc queritur, id est quid conqueritur Deus de homine quòd benè non operetur, cum hoc in potestate sua non habeat? Probat autem quòd id homo in sua potestate non habet, quia voluntati Dei nequit resistere, unde subdit. *Voluntati ejus quis resistit?* Id est, quis potest resistere voluntati Dei ita in aliquibus volentis efficaciter misereri, & alios efficaciter indurare? Hic est manifestus sensus Apostoli, quem satis ipsa verba declarant, & S. P. Augustinus ubique exponit præsertim epist. 105. & 106. & in Enchirid. cap. 33. & S. Thom. super illum locum Apostoli. En quomodo Apostolus multo ante sibi objicit argumentum, quo postea Pelagiani usi sunt ad impugnandam divinam gratiam. Quod, ut apertissimum est, utramque illam conclusionem ab Apostolo firmatam oppugnat, qua dixerat non esse in potestate hominis velle & currere, nisi Deus misereatur; cujus misericordia in potestate hominis non est; & qua posita infallibiliter ipse misericordiam consequitur; & negata infallibiliter induratur. Igitur utraque ista assignata conclusio Catholicam & Apostolicam doctrinam continet; & argumentum ex oppositio factum hæresim sapit Pelagianam. Utraque autem illa conclusio manifestè, divinæ voluntatis efficacem prædefinitionem tradit, & docet. Prima namque prædefinitionem clarè continet, cum dicat non esse in potestate hominis velle & currere, nisi det Deus sua misericordia quòd velit, & currat. Secunda autem apertiùs, cum asserat quòd posita in homine illa misericordia, infallibiliter homo misericordiam consequitur, ex illa videlicet voluntate Dei præfiniente; vel infallibiliter induretur ex efficaci voluntate decernente illam permittere indurationem. Ergo Catholica & Apostolica doctrina est quòd divina voluntas efficaciter prædefinit bonum, & efficaciter permittit malum quodcumque ab homine in tempore exercetur. Non potuit strictiùs Apostolus, & divinæ voluntatis prædefinitionem respectu bonorum, & efficacem permissionem respectu malorum docere, quam concludendo: *Igitur non est neque volentis neque currentis, sed Dei miserentis.* Et iterum, *Igitur cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Adeo enim manifesta sunt verba, ut mirandum sit quomodo ad illa omnes non advertant.

Præterea, quomodo magis se explicare potuit Apostolus quòd loqueretur de efficaci Dei voluntate prædefiniente, quàm expressè dicendo se sermonem facere de illa Dei voluntate volente misereri, seu volente indurare, cui nullus homo resistit; imò cui nullus resistere potest, ut alia scriptura testatur, cum ait, *neque est qui tuæ possit resistere voluntati?* Esth. cap. 13. Sola enim voluntas Dei absoluta, sive prædefiniens

niens est, cui humana voluntas non potest resistere; nam illi Dei voluntati generali, qua vult omnes homines salvos fieri, nedum homo potest resistere, sed plerique semper resistunt, juxta illud vos *semper Spiritui Sancto resistitis*. Act. cap. 7. Unde S. August. Epistola 105. *Hic iterum isti, liberi arbitrij defensores, imò deceptores quia inflatores, & inflatores quia præsumptores, non adversum nos, sed adversus Evangelium loquuturi, quid aliud dicunt, quam id quòd Apostolus sibi quasi à talibus diceretur, objecit. Dicis itaque mihi quid aliud conqueritur, nam voluntati ejus quis resistit? Hanc contradictionem sibimetipsi tanquam ab altero opposuit, velut ex eorum voce, qui nolunt accipere quod superiùs dixerat; ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Et rursus inquit. *Postremò quonam se isti excusabunt modo; nempe illo quo breviter tanquam ex eorum voce sibi objecit Apostolus, ut dicant; quid aliud conqueritur nam voluntati ejus quis resistit? Hoc est enim dicere, quid de nobis fit querela quòd Deum offendamus malè vivendo, cum illius voluntati nullus possit resistere, qui nos obduravit misericordiam non præstando?*

Ex quibus concludamus & nos hoc pacto adversarios argumentari: ut velimus & curramus requiritur Dei voluntas, seu Dei motio, quæ non est in nostra potestate, & illâ positâ non est qui ei resistat: ergo libertatem non habemus ad volendum, aut currendum; nec justè nobis imputari potest quòd non velimus, aut non curramus (quo fundamentali argumento isti authores semper utuntur.) Sic, inquam, argumentari, nihil aliud est dicere nisi non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis, & cujus Deus vult miseretur, & quem vult indurat, quid ergo queritur voluntati ejus quis resistit? Quod argumentum Apostolus contra suam quam præmiserat doctrinam opposuit, quia opponendum postea prævidebat, Quod quomodo solvat, humanam comprimendo superbiam ipsi non ignorant; Nec enim dicant Apostolum in illis prioribus duabus conclusionibus, non nomine suo seu doctrinam suam, sed nomine aliorum & tanquam alienum dogma id asseruisse, hoc enim Pelagius damnatus somniavit, ut refert S. August. Nec rursus affirment oppressum argumenti difficultate Apostolum illud non solvisse, ut ijdem Pelagiani errantes ausi sunt publicare. Nec etiam dicant ideo dictum fuisse, *non volentis, nec currentis sed Dei miserentis*, quia voluntas hominis sola non sufficit, nisi adsit etiam simul misericordia Dei; quia hanc in primis evasionem S. P. August. refutat in Enchirid. cap. 33. quia secunda Apostoli conclusio huic explicationi contradicit, qua ait; *igitur cujus vult miseretur, & quem vult indurat. Quæ verba de voluntate Dei efficaci prædefiniente manifestè procedunt.* Et tandem, quia illa alia verba *voluntati ejus quis resistit?* Clarè ostendunt procedere de voluntate Dei præveniente. Resistentia enim vel non resistentia illam respicit. Quis enim dicatur resistere vel non resistere voluntati secum simul concurrunti, vel concomitanti? Cum posita illa concomitante nunquam homo resistat, sed semper consentiat, imò ideo ponatur illa concomitans, quia homo jam consentit.

Fortè dicent illam voluntatem, cui Apostolus dicit nullum resistere, esse Dei voluntatem absolutam & efficacem qua, supposita scientia media Deus vult hominem taliter operari sicut prævidet operaturum, si sub tali conditione operaretur. Sed Leonardus Lessius hanc mediam scientiam non admittit in negotio prædestinationis, de quo apertè Paulus loquitur, ut secundo lib. copiosè monstrabimus, unde juxta illum hujus authoris librum (quem ultimo publicarunt,) hoc dicere nequeunt. Secundo si illa media scientia supponatur, ut dictum est, nec Dei voluntas est absoluta, sed à conditione, quæ in objecto illius scientiæ includitur, dependens. Unde jam non esset dicere cum Apostolo quòd voluntati Dei nullus resistit, sed potius quòd voluntati suæ ipse homo non resistit. Quod sic ostenditur. Nam illa media scientia pendet à libertate hominis, quæ sic operatura prævidetur si taliter constituatur, ut dicunt; rursus voluntas Dei absoluta seu efficax à tali etiam libertate hominis in sua efficacia dependet, ut fatentur: ergo idem est dicere non posse hominem resistere efficaci & absolutæ voluntati Dei supponenti scientiam mediam, atque asserere non posse hominem resistere suæ voluntati supposito quod efficaciter prævidetur operatura. Necesse ergo est ut fateantur cum Apostolo illam Dei voluntatem, cui dicit nullum resistere, esse efficacem Dei voluntatem prædefinientem, de hac enim solum salvatur quod voluntati Dei nullus resistit, nec resistere potest. Sed de hoc Apostoli testimonio in nostro 4. lib. copiosiorem faciemus sermonem, nunc enim solùm quoddam introductorium & præambulum adhibemus.

Itaque in hoc Apostoli testimonio, *voluntati ejus quis resistit?* sensus est, quod non est qui voluntati ejus possit resistere, secundum quòd Sancti Doctores exponunt & patet ex S. Thoma ibi. Quod expressè alia scriptura testatur Ester 13. *Non est, qui tuæ possit resistere voluntati*, ex qua Ecclesia in introitu cujusdam missæ pro quadam Dominica Trinitatis illud accepit, & publicè canit, *nec est*, inquiens, *qui tuæ possit resistere voluntati*, igitur secundùm fidem datur in Deo talis voluntas cui creata resistere non potest; sed ista voluntas non est illa communis, qua Deus indifferenter vult omnes homines salvos fieri, quia huic multi, utpote qui non salvantur, ex mala sua voluntate resistunt. Similiter nec est illa qua Deus generali vocatione homines per sufficientia & communia auxilia vocat; quia huic nedum homines resistere possunt, verum etiam de facto resistunt, secundùm illud Actorum cap. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*; nec etiam est illa voluntas qua Deus voluntate conditionata vult dependenter à mea voluntate quod operer hoc vel illud, si tamen ipse voluerim; quia cum per hanc voluntatem non velit Deus absolutè & determinatè me aliquid efficere, sed indifferenter se habeat, ut ego quod mihi placuerit efficiam, comparatione ejus non potest intelligi in voluntate positiva potentia ad resistendum vel ad non resistendum; sicut si Prælatus diceret subdito, fac hoc si tamen tu volueris, ridiculum esset dicere quòd huic voluntati Prælati, subditus potest resistere, cum ipse nihil determinatè præcipiat, respectu cujus resistentia possit fundari, aut intelligi in voluntate subditi. Pari ergo ratione frivolum esset, quod scriptura tanta ponderatione exaggerat, quod nimirum voluntati Dei nullus potest resistere, si de hac conditionata voluntate Dei pendente à nostra loqueretur. Quid enim singularis eminentiæ esset in voluntate Dei ex hoc quòd homo non possit ei resistere, proponenti quod hoc operetur, si tamen ei placuerit. Igitur non loquitur scriptura Sancta de voluntate ista divina respectu cujus sicut homo id faciendo non obediret, ita & non faciendo minimè resisteret: & eodem modo nec scriptura loquitur de illa voluntate divina, qua Deus post exploratricem illam mediam scientiam, qua cognoscit quod hoc homo operaturus est si in tali rerum ordine collocetur, ipsum collocare vult in illo rerum ordine. Quod ex eo redditur conspicuum, quia si de hac loqueretur, non diceret quòd voluntati Dei nullus potest resistere sed potiùs quòd illius præscientiæ, nullus resistere potest

quia

Digitized by Google

quia ex præscientia illa haberet Dei voluntas quod homo non posset ei resistere, & non ex se ipsa. Unde non voluntati, sed illi præscientiæ non posset fieri resistentia. Si enim voluntas sine illa esset præscientia, utique ei homo posset resistere, imo de facto resisteret. Unde si Deo non potest homo resistere, ratione præscientiæ id esset, & sic magis scriptura hoc divinæ præscientiæ tribueret, quàm divinæ voluntati, & tamen non præscientiæ, sed voluntati divinæ hoc tribuit, ob ejus potentiam & efficaciam comparatione cujus resistentia negatur, quia non potest intelligi resistentia nisi per ordinem ad efficaciam, ad virtutem, & ad potentiam, sicut falsitas non est nisi per ordinem ad intellectum vel scientiam. Igitur concludo quod si scriptura in citato testimonio de voluntate Dei loqueretur supponente illam præscientiam, ex qua sibi provenit infallibilitas & certitudo; diceret potiùs quòd infallibilem præscientiam Dei, vel certam ejus cognitionem non potest homo falsificare, & non diceret quòd non est qui Dei possit resistere voluntati: Imo cum in Dei voluntate ex illa antecedente præscientia certitudo oriatur, & in illa præscientia ex objecto ipso, ideſt ex eo quod certò creata ipsa voluntas ex sua innata libertate (ut dicunt) factura est, de primo ad ultimum in divina voluntate certitudo seu efficacia ex efficacia creatæ voluntatis proveniret. Unde nec commodè diceretur quòd voluntati Dei nullus potest resistere, sed potius quòd voluntati ipsi humanæ, quæ prævidetur à Deo efficaciter operatura, non potest ipsamet voluntas humana resistere, supposito quòd sic prævidetur, jam operatura. Voluntati enim humanæ, supposito quod efficaciter operatur, non potest fieri ab eadem voluntate resistentia; sicut nec fieri potest quòd supposito quod vult efficaciter, ei ab ipsa resistatur non volendo.

Manifestum est ergo quòd illud scripturæ testimonium, *nec est qui tuæ possit resistere voluntati*, nullo modo potest de aliqua exprædictis voluntatibus intelligi, unde necesse est quod de alia dei voluntate procedat, nimirum de illa quæ est absoluta, efficax, & prædefinitiva, qua Deus efficaciter aliquid vult à nostra voluntate fieri,

Nullus autem poterit dicere per talem Dei absolutam, & efficacem prædefinitivam voluntatem, cui nullus potest resistere, tolli, negari, aut impediri in nobis nostram libertatem, aut hoc Spiritum Sanctum in illo testimonio docere, nisi jam apertè Calvinum in suo errore velit imitari: ergo per talem Dei prædefinitivam absolutam & efficacem voluntatem non læditur, aut impeditur nostra libertas, sed conservatur & perficitur: quia voluntas illa Dei prædefinitiva efficax & absoluta, sicut vult quòd homo operetur, ita vult quod liberè operetur, & ad id applicat liberam voluntatem. Unde hac supposita Dei prædefinitione, necesse est quod homo operetur, & liberè operetur: & si liberè non operetur, illi Dei voluntati efficaci & absolutæ resisteret, quòd relato testimonio aperte contradicit; optimè ergo stat cum absoluta, & efficaci voluntate Dei libera hominis operatio eidem obediens, licet ei non possit hominis voluntas resistere.

Sed jam videamus quomodo illud solvat Apostolus *ô homo tu quis es, qui sic respondeas Deo, numquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare me feciſti sic, &c.* non enim in illis solum homines provocat ad humilitatem quomodolibet, (quod & sufficeret ne nimis saperent, prætendentes in sua situm esse potestate velle & currere sine Deo miserente & ipsis tribuente quòd velint & currant) sed eos ad cognitionem propriam ampliùs reducit, dicendo, *ô homo tu quis es, &c.* quasi clarius dicat cognosse te ipsũ ô homo quis sis, & ab hac argumentatione cessabis; cognosce inquam quod gratia tibi debita nullo modo est; & ex consequenti si tibi non datur, nec justè, nisi de te conqueri potes. Quod enim tibi non debetur, justè potest negari tibi. Quòd si ex tali negatione gratiæ tu ex tua malitia deficis, de tua defectibilitate conqueri poteris, non de negatione gratiæ, licet per se sequatur negatio bonæ operationis ut mera negatio operationis est; non tamen ex tali negatione auxilij per se sequitur prava tua operatio, sed ex prava tua voluntate, quam non prohibet auxilium gratiæ quia tibi debitum non est. Unde cum talis negatio auxilij sit solum non removens prohibens, quod nec removere tenetur; & prava operatio per se proveniat ex prava voluntate defectibili, solùm de hac sua defectibilitate potest conqueri homo, non de negatione auxilij sibi nullo modo debita, & ex consequenti ipsi homini justissimè peccatum imputatur. Hoc ergo primò Apostolus respondet argumenta facto cũ dicit, *ô homo tu quis es qui sic respõdeas Deo.* Secundo, quod magis est, respondet in illis verbis *cognosce te ipsum, &c.* quòd nihil prorsus ex te sis, cognosce quòd ex te nihil sit; quòd cum sis ex nihilo, essentialiter ex te defectibilis es, & per consequens quòd nullo modo tibi debetur, quòd ex gratia sis a te Deus promoveat ad bonum. Imò hoc tibi potiùs ex te debetur quòd Deus te deficere permittat. Unde cum Deus suâ misericordia te ad bonum non movet, sed deficere permittit ob divinam suam providentiam, ad quam spectat causas ex se defectibiles aliquando permittere quod deficiant. Cognosce, inquam, quòd tibi datur quod ex te postulas, & sic non poteris de Deo conqueri, quia dicetur tibi, tolle quod tuum est. Tuum est quippe ex nihilo esse, tuum esse defectibilem, tuum nisi indebita misericordia te præveniat in benedictionibus dulcedinis, de facto deficere ex te ipso hoc tibi essentiale est, ut quia ex nihilo es, defectibilis sis & defacto deficias, nisi indebita gratia adjuveris. De nullo ergo conqueri poteris, cum tibi datur id quod tibi proprium & essentiale est; sed justissimè tibi ad culpam imputatur, cum ex te deficis, cum ex tua defectibilitate tibi essentialiter competenti cadis. Itaque sicut homo quia creatura est, quia ex nihilo, quia defectibilis, nisi à Deo conservaretur, in nihilum rediret, quia id ipsi convenit essentialiter, nec posset de Deo conqueri, si ipse eum non conservaret, quia conservatio ei debita non est, sed acciperet tunc homo id quod ex se postulat & quod sibi essentialiter convenit. Ita ratione prorsus eadem nunc explicata, essentiale est homini, quia creatura, quia ex nihilo, quia defectibilis, nisi indebita misericordia adjuvetur, in nihil, ideſt, in peccatum, quod nihil est, decidere, nec de alio potest conqueri sed de sua propria connaturali miseria quæ hoc ex se postulat: & cum ei id à Deo tribuatur, suam indebitam gratiam & misericordiam ipsi denegando, ei verissimè & justissimè dicitur, tolle quod tuum est, & noli murmurare adversum Patrem familias, quia respondebit, an non licet mihi quod volo facere? an non licet meam gratiam nullo modo debitam tibi, sed potius indebitam denegare? *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Planè nequam est intentio per oculum designata, omnium eorum qui cum homines sint, audent de Deo conqueri atque proferre quod sibi ad peccatum imputari non debet, cum eis Deus suam indebitam misericordiam negat, & ipsi ex sua fragilitate, & connaturali atque essentiali defectibilitate deficiunt & peccant. Et hoc totum Apostolus solvendo argumentum à se contra se factum, eis respondet illis verbis, *ô homo tu quis es qui sic respondeas Deo.*

Aliam etiam tertiam solutionem adhibet illis verbis,

Digitized by Google

bis, *Quod si Deus volens ostendere iram &c.* Dicens quod si Deus aliquos ex sua misericordia non prævenit, & ipsi ex sua defectibilitate deficiunt, non possunt de Deo conqueri, quia suam misericordiam eis negat propter peccatum originale quo facti sunt vasa iræ apta in interitum. Quam solutionem sæpissimè ex Apostolo traditam S. P. Augustinus & S. Thom. tradiderunt. Consultò autem Apostolus utramque dedit responsionem ut omnem statum hominum comprehenderet. Si enim tantum secundam adhiberet, non videretur responsum ad argumentum factum de primo parente, & de aliis hominibus justis, cum permittuntur primò peccare, & eis auxilium efficax denegatur, quia illis non potest propter aliquod præcedens peccatum sive originale, sive actuale gratia denegari. Unde ut generalis esset solutio, & omnem hominum statum comprehenderet, procederetque ex propriis & ex essentiali actione & sub ordinatione, quam habet homo cum sit creatura ex nihilo facta, ad Deum; propterea illam priorem solutionem adhibuit, dicens, *ô homo tu quis es, qui sic respondeas Deo?* Mirum est ergo, quod propter argumentum ab Apostolo sibi oppositum, & tam patenter solutum ita aliqui perturbentur; nec aquiescant cum Apostolum audiant illorum argumentum solventem, atque dicentem; *ô homo tu quis es qui sic respondeas Deo?*

Itaque argumentum quod de omissione aliqui pro magno opponunt, in sententia illa quod detur pura omissio, in qua proinde nullum Deus tribuit concursum, ex prædicta doctrina apertissimè confutatur, quia creaturæ ex nihilo factæ, sicut conservatio non debetur ut subsistat; ita neque aliquis concursus debetur, ut bene operetur. In sententia autem S. Th. in qua semper ad omissionem antecedit aliquis humanus actus, qui omissionis culpabilis causa est; ita ad illum antecedentem actum Deus suum tribuit naturalem concursum, saltem quatenus actio & entitas naturalis est, ut in 2. lib. copiosius explicabimus.

Nec solùm supradicto modo ostenditur justè homini peccatum imputari, cum ei Deus tribuit id quod ipse ex se postulat, quod satis sufficeret ut ei ad culpam imputetur quòd male agit: nec de alio nisi de se solo conqueri possit. Sed quod magis est, ut nulla possit esse apparens excusatio in peccatis, tanta est benignitas Dei, ut omnibus det gratiam suam, nisi qui illi impedimentum apponunt, ut S. Thomas docet 3. contr. gent. cap. 159. & 160. & 1. 2. quæst. 112. art. 3. ad 2. ubi ait. *quod defectus gratiæ prima causa est ex nobis, sicut collationis gratiæ prima causa est ex Deo.* Ac proinde si gratia negatur solis illis qui ex defectu suo ei impedimentum ponunt, quis dubitet quod homini non habenti gratiam, justè imputetur quòd illam non habeat, & quòd peccando deficiat, quia ipse impedimentum ex se apposuit. Modus autem quo primus homo & Angelus (in quibus potissimè argumentum difficultatem videtur habere) impedimentum gratiæ perseverantiæ ex se ipsis apposuerunt, commodiùs explicandum venit in sua propria sede, scilicet libro nostro 4. in quo ex professo de gratia efficaci sermo instituitur, ibi videatur, & omnis ista superba & fallax querela, qua se homines excusare prætendunt, quando peccando deficiunt dicentes, se gratiam efficacem non habuisse ad bene operandum, penitus cessabit. Omisso quòd ibi apertius monstrabitur, quod argumentum hoc sive prætensa ista excusatio in terminis à Pelagianis objecta fuit, & à S. P. August. damnata lib. de corrept. & grat. cap. 23. & 24. ac sequentibus. Itaque quatuor solutiones adhibentur, & unaquæque satis sufficiens. Prima ex gratia non debita. Secunda quod potiùs defectibili homini debetur, quòd deficere permittatur. Tertia ex oblatione auxilij gratiæ quod non negatur, sed offertur, & homo illud respuit, unde quòd ipso privetur vel eo careat ipsi homini debet imputari. Quarta & ultima, quia in plerisque propter antecedens peccatum saltem originale negatur talis gratia, ut S. Th. docet 2. 2. quæst. 2. art. 5. ex S. August. lib. de corrept. & gratia quæ omnia lib. 4. sunt examinanda accuratiùs.

Sicut autem prædicto modo argumentum diluit, quod elatores arbitrij non defensores postmodum objecturi prævidebantur, ut se excusarent, nec sibi justè posse imputari prætenderent peccatum ex negatione auxilij sibi denegati, ita eisdem verbis etiam argumentum aliud comminuit, quo aclamaturi erant quòd per efficax gratiæ adjutorium ab eis auferebatur, vel tollebatur libertas quibus de facto tribueretur. Ista enim duo potissima argumenta sunt quibus semper Pelagiani instabant. Ad quod secundum pariter eis respondet, *ô homo tu quis es, qui sic respondeas Deo,* quod à te tuam auferat libertatem, per hoc quòd te efficaciter ad bonum præmoveat, cum potiùs sic illam conservet atque confirmet? Quis es, inquam, qui sic respondeas Deo creatura creatori, à quo essentialiter dependes, sicut omnis causa secunda à prima, quæ nisi mota à prima, non se movet, nec operatur, imò potiùs de ratione propria & essentiali tua ei subditus sis: & tunc liberè operaberis cum ipse te ad liberè operandum præmoverit.

Imò quod magis est, proponendo Apostolus argumentum, eidem ipse respondet, quando aliud nihil adderet, ut S. Th. 1. p. q. 19. art. 8. ad 2. dicit. *Ad secundum dicendum, quod ex hoc ipso quod nihil voluntati divinæ resistit, sequitur quod non solùm fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel necessariò, quæ sic fieri vult.* Igitur argumentum oppositum ex voluntate Dei, cui nullus resistit, aut resistere potest (ex quo quidam deducunt nostram tolli, aut impediri libertatem,) Apostolus prædictis verbis solvit; (ut S. Th. exponit) & concludit quòd potiùs firmatur nostra libertas, ex eo quod nullus voluntati Dei resistit; ob ejus nempe supremam virtutem & efficaciam.

CAPUT IV.

Eadem divinæ voluntatis prædefinitiones ostenduntur ex Patribus.

Sancti etiam Patres, conformiter ad scripturam sacram superiùs inductam, non solùm obscuris, aut æquivalentibus verbis, sed expresè & formaliter divinæ voluntatis æternas, ac certas prædefinitiones tradunt, suscipiunt, & venerantur. Inter hos omnes primus se offert Clemens Romanus Apostoli Petri non solùm discipulus, sed in veritatis Cathedra successor, qui lib. 3. recognit. fol. 8. pag. 2. refert B. Apostolum Petrum tractatum quemdam, qui modo non extat composuisse de divina prædefinitione: ita enim introducit Petrum loquentem: *Et quamvis hac tibi Clemens in hoc tractatu quem de prædefinitione & fine disserueram, plenius exposuerim, tamen, &c.* Simon enim ille Magus (contra quem Petrus disputavit ut constat ex 1. 2. & 3. lib. recog. ejusdem Clementis) sicut negabat unum Deum summum totius mundi creatorem; ita divinam providentiam divinas prædefinitiones, imò futurorum præscientiam à Deo rejiciebat. Negabat etiam liberum hominis arbitrium, omnia fatali syderum necessitate agi contendens. Contra ipsum ergo S. Petrus, sicut arbitrij libertatem defendit; ita divinam providentiam, & divinas prædefinitiones astruxit, omnibus modis arbitrij libertatem antecedentes, illam

conservantes

Digitized by Google

conſervantes, & perficientes; & de iſtis divinis antecedentibus prædefinitionibus tractatum compoſuit. Qui licet, proh dolor! Apoſtoli tractatus non extet; argumentum tamen præcipuum, ac fundamentale, quo contra æternas ac divinas prædefinitiones inſtabat Simon ille Magus, cum ſolutione Apoſtoli Petri divina providentia, ut uſque in hæc noſtra tempora ſervaretur, prædefinivit. Petrus ergo Apoſtolus ſicut in Sede & Cathedra primus, ita in hac parte primatum teneat, & referente ejus diſcipulo & ſucceſſore Clemente nos doceat. Cum enim contra ipſum Simon Magus ſic inſtaret: *Hoc tamen quod te interrogo nunc; ſi expoſueris mihi, in cæteris omnibus obtemperabo tibi. Quod ego volo diſcere, hoc eſt, ſi quod Deus vult eſſe, eſt, & quod vult non eſſe, non eſt.* Quo argumento ſummam omnem totius ſuæ diſputationis comprehendebat: duo in ipſo ſuo videri concludens: Primum ſi illud Petrus negaſſet nempe non eſſe quidquid Deus vult; ſtatim inferret atque concluderet minùs potentem Deum, qui non faciat quod vult. Unde conſtat illius argumentum contra efficacem Dei voluntatem procedere. Si verò Petrus concederet verum eſſe, quod quidquid vult Deus eſſe, eſt, & quod non vult eſſe non eſt; inferret Deum velle mala & peccata, quia illa ſunt. Sed & aliud tertium pari ratione eodem argumento prætendebat, nimirùm illo à Petro conceſſo tolli rerum contingentiam & libertatem ex illa antecedente & efficaci voluntate Dei; & hac etiam ratione concluderet non eſſe liberum hominis arbitrium, magiſque ac magis in hoc ſuo errore confirmaretur.

Quod argumentum ſolvens Apoſtolus Petrus, ita reſpondit. *Omnis motus in duas partes dividitur, ut quædam neceſſitate, quædam voluntate moveantur; & ea quidem quæ neceſſitas movet ſemper in motu ſunt, quæ verò voluntas non ſemper. Verbi gratia dicam, motus ſolis neceſſitate ducitur & ſtatutum complet curſum; homo verò actuum ſuorum motus voluntarios gerit: Ignoras Simon, & valdè ignoras, quomodo in ſinguis quibuſque voluntas ſit Dei. Quædam enim vult ut diximus ita eſſe, ut aliud eſſe non poſſint, quam id quòd ab ipſo inſtituta ſunt; & his nec præmia, nec ſupplicia ſtatuit: Ea verò, quæ ita eſſe voluit ut in ſua poteſtate habeant agere quod velint, iis, pro actibus, & voluntatibus ſuis ſtatuit, ut aut remunerationes mereantur aut pœnas.* Notanda hæc Apoſtoli verba ſunt, quæ de motibus & actibus expreſsè procedunt, ac docent quod videlicet Deus vult quoſdam motus ex neceſſitate eſſe, & quoſdam ex libertate, ita quòd ſicut illos priores vult eſſe & ex neceſſitate eſſe: ita & hos poſteriores & vult eſſe, & non ex neceſſitate eſſe. Quibus proinde duplicem Dei voluntatem efficacem, ſeu prædefinientem conſtituit; aliam qua Deus vult, quòd aliquid ita ſit quod aliter eſſe non poſſit, ſed ex abſoluta neceſſitate ſit; ut de curſu & motu ſolis expoſuit. Alteram verò qua vult humanos actus eſſe, ita tamen quòd aliter eſſe poſſint, quia ſicut vult Deus quòd infallibiliter fiant, ita vult quòd poteſtate libera fiant cum abſolutè & ſimplicirer ab ipſa poſſint non eſſe.

Qua ſolutione tria illa, quæ Simon Magus prætendebat eliſit, alia tria concludens; primum videlicet potentem efficacem voluntatem Dei eſſe ut fiat, quod ipſe vult fieri. Secundum quòd eo modo fiant quo Deus fieri vult, neceſſariò, vel omnino liberè. Tertium quòd per hoc earum cõtingentia non tollitur, aut libertas, nec eſt Deus peccati cauſa, quod à ſola libera voluntate procedit. *Cum ergo*, inquit, *in duas ut edocui dividantur cuncta quæ moventur, ſecundum eam quam ſuper diximus diſtinctionem, omne quod vult Deus, eſt; quod autem non vult, non eſt.* Ex qua doctrina S. P. Auguſt. S. Anſelm. S. Thom. & cæteri Patres, ac Scholaſtici Doctores ſemper docuerunt, quòd aliter vult Deus cauſas naturales operari, aliter liberas. Licet enim abſoluta voluntate Deus prædefiniat quòd homo operetur, itaut poſſit non operari ſi velit; prædefiniendo tamen quòd velit, prædefinit ſimul quòd poſſit liberè non velle. Cauſas autem naturales & vult quòd operentur & quòd ex neceſſitate operentur.

Ubi conſiderandum Simonem Magum priùs ante Pelagium illud argumentum Petro oppoſuiſſe; (ſi quòd vult Deus eſſe, eſt, & quòd non vult eſſe, non eſt,) ad inferendum, inter alia jam dicta, nullam etiam ex hac parte eſſe libertatem in homine, cum nihil ipſe homo velit, niſi quod Deus antecedenter & efficaci voluntate vult, quod expreſsè velit. Dixi ad id inferendum etiam ex hac parte, ſi talis antecedens Dei voluntas concederetur; quia ut relatum eſt, ipſe ex alio capite, nempe ex fatali ſyderum neceſſitate, nullam in homine eſſe libertatem contendebat. Ad quod argumentum & Petri ſolutionem ſi attendere vellent, qui illo argumento convincuntur ad tenendum, & opponendum quòd ex abſoluta & antecedenti voluntate Dei prædefiniente læditur noſtræ voluntatis libertas, crediderim quòd ab hac oppoſitione ceſſarent.

Reſpondebitur fortaſſis libros illos Clementis authoritatem non multam habere; & reipſa non deſunt qui minimam illis tribuant: inter quos Sixtus Senenſis lib. 2. Biblioth. Card. Baronius tom. 2. Annal. pag. 13. §. *inter alia*, & Cardin. Bellarm. lib. de Script. Eccleſ. pag. 33. Tum quia multa in illis addita ab hæreticis perhibentur; tum quia illos Rufinus, qui malè de gratia & libertate arbitrij ſenſit, tranſtulerit. Imò quòd magis eſt, à Gelaſio in capite *ſancta Romana* ſub apocryphis numerantur; cum itinerarium ſeu circuitus Petri à Clemente traditos Gelaſius apocryphos dicat. Quod itinerarium ſeu circuitus Petri non alij videantur quam libri iſti recogn. Ubi itinerarium & Petri circuitus deſcribuntur.

Fatemur, quæ ex Clemente modò relata ſunt, non ita manifeſtè convincere, nec indubitatatam authoritatem habere propter modo dicta, nec id nos intendimus: convincerent autem planè, ſi libri illi omni ex parte authentici eſſent: credendum eſt tamen libros illos, in hoc quòd diſputationem prædictam Petri cum Mago illo Simone narrant, minùs fuiſſe corruptos; cum in hoc veram & catholicam fidem habeant, illam proponant & doceant de divinis prædefinitionibus, quam S. Dionyſius infra inducendus, & alij Patres tradiderunt; & quidem hanc doctrinam videtur Dionyſius ex Apoſtolo Petro, à Clemente relato, ſumpſiſſe, & ab Apoſtolo Paulo, cujus & diſcipulus fuit; nec enim in hac parte libri iſti Clementis putantur à viris doctiſſimis, eſſe corrupti, ſed in aliis, in quibus non ſana doctrina habetur. Cujus vel illud poteſt eſſe efficax argumentum; quòd Rufinus, qui (ut dictum eſt hujuſmodi libros tranſtulit) cum ipſe malè ſenſerit de arbitrij libertate, eamque ex Dei abſoluta & antecedenti voluntate prædefiniente tolli, vel impediri dixerit; unde & talem Dei voluntatem negavit: non eſt putandus libros iſtos depravaſſe, in hoc quod contra ſcriptum pugnabat. Non ergo illud additum poteſt dici per Rufinum: quin potiùs ipſe, ſi falſificare vellet textum, omnino auferret, utpotè contra ipſum militans. Quod verò attinet ad Gelaſium, qui in capite *ſancta Romana* illos libros apocryphos dicit; id docet ratione eorum, quæ ab hæreticis falſa addita ſunt, à quibus longè abeſt relata Petri diſputatio cum Mago illo Simone, quæ à nullo ſcriptorum illorum ſuperaddita numeratur.

Unde relatus Card. Bellarm. citato lib. de Script. Eccleſ.

Digitized by Google

Eccleſ. pag. 33. ita de hujuſmodi libris Clementis habet. *De recognitionibus ejuſdem Clementis non habeo aliquid certum, quamvis non pauca utilia documenta contineant, & à viris doctis aliquando citentur; tamen probabile exiſtimo vel non eſſe Clementis, vel eſſe idem opus cum eo, quod itinerarium, vel circuitus Petri aliqui vocant. Quod opus teſte Epiphanio hareſi 30. Clemens ipſe teſtatur circuitus Petri à ſe conſcriptos ab hæreticis depravatos fuiſſe; verè enim in recognitionibus deſcribuntur itinera S. Petri, & S. Clementis, & admiſcentur diſputationes ex media Platonis Philoſophia deprompta, quæ nullo modo credibile eſt S. Petri eſſe.* Hæc Card. Bellarminus. Cum autem relatas ex Philoſophia diſputationes merito rejiciat, non alias quæ de libertate arbitrij, divina providentia, & prædefinitione ex vera doctrina contra Simonem Magum à S. Petro habitæ referuntur; credendum eſt eas à S. Petro habitas fuiſſe. Et hoc quantùm ad libros Clementis, & diſputationes in illis ex Petro relatas.

Sanctus Dionyſius Apoſtoli Pauli diſcipulus in ſecundo loco venit pro divinis prædefinitionibus allegandus, qui cap. 5. de Divinis Nominibus titulo de Exemplaribus, Verbis expreſſis divinas tradit „ prædefinitiones dicens. Exemplaria autem dicimus „ eſſe eſſentiæ rerum effectrices rationes, quæ in „ Deo conjunctæ ante fuerunt, quas ſcriptura divinas prædefinitiones appellat, divinaſque ac bonas voluntates quæ conſtituunt & faciunt omnia quemadmodum Deus, qui eſſentiæ antecellit, ea quæ ſunt & ante ſtatuit & in lucem protulit. Hæc eſt prima tranſlatio. Secunda clarior „ ita habet. Exemplaria verò dicimus rationes in „ Deo ſubſtantificas rerum ante hæc omnia ſingulariter exiſtentes, quas Theologia prædefinitiones „ ſive prædeſtinationes vocat, & divinas bonaſque voluntates rerum diffinitivas omnium, atque „ effectrices, per quas ipſe ſuper eſſentiam Deus, „ quæ ſunt omnia præſcripſit, atque produxit. Tertia autem tranſlatio, quæ refertur à S. Th. ſuper „ Dionyſium ita habet; Exemplaria autem dicimus „ eſſe in Deo exiſtentium rationes ſubſtantificas & „ ſingulariter præexiſtentes quas Theologia prædefinitiones vocat, & divinas & bonas voluntates „ exiſtentium prædeterminativas, & effectivas, ſecundùm quas ſubſtantialis eſſentia omnia prædefinivit & produxit. Qui locus licet nullus alius inveniretur, ſufficere deberet ad prædefinitiones, & prædeterminationes admittendas, & defendendas; ſemel enim, iterùm, atque tertiò, docet eſſe in Deo æternas prædefinitiones, & prædeterminationes, ſecundùm quas Deus prædefinit. Qui locus illam mediam ſcientiam inimicam harum divinarum prædefinitionum ſatis manifeſtè excludit. Imò quòd magis eſt, docet Dionyſius, quòd Theologia, ideſt ſcriptura ſacra (nec enim tunc alia erat) vocat divinas voluntates, divinas prædefinitiones, & prædeterminationes.

Sed huic tam aperto S. Dionyſij teſtimonio multipliciter authores cum quibus agimus reſpondent. Negant primò illorum quidam, hoc opus de divinis Nominibus S. Dionyſij eſſe. Sic quoſdam audivimus, cum hoc teſtimonio premerentur. Ad quod revincendum ſufficit quòd tot Doctores & inter eos S. Th. illud ſicut Dionyſij ſuſcipiant, ut patet ex loco inducto. Graviùs & iſti refelluntur à Card. Bellarm. lib. de Script. Eccleſ. cap. 71. per hæc verba. *Opera S. Dionyſij, qua nunc extant, hæc ſunt: De Cœleſti Hierarchia Lib. de Eccleſ. Hierarc. Lib. de divinis Nomin. &c.* Et narratis aliis, ſubdit. *De cæteris operibus, viri docti & catholici nihil dubitant, ſoli hæretici Lutherani, & quidam Scioli, Eraſmus, Valla, & pauci alij opera ſupra enumerata negant eſſe S. Dionyſij Areopagitæ.* Proſequitur idem Eminentiſſimus & Illuſtriſſimus Cardinalis, & ait: *Sed ut alia nunc omittam, ad authoritatem his operibus conciliandam ſatis eſſe debet, quòd hæc opera probentur à S. Gregorio Papa homil. 34. in Evangelia: à Sancto Martino Papa & Martyre in Concilio Romano: à S. Agathone Pontifice in Epiſt. ad Imp. Conſtantinum 4. & à Nicolao 1. in Epiſtola ad Michaelem Imperatorem, item à Concilio 6. generali Act. 4. & à Conc. 7. Act. 2. Denique à ſanctis Doctoribus plurimis, qui in hæc opera tamque germana S. Dionyſij Areopagitæ, commentaria ſcripſerunt, ut à S. Maximo Monacho, à S. Th. & aliis.* Unde videntes alij hoc ſine fundamento negari, dicunt ſecundo, S. Dionyſ. ibi prædefinitiones tradere, ſed illas ſuas quas ſuppoſita media ſcientia imaginantur. Sed hæc intelligentia eadem facilitate ſecluditur. Dictum eſt enim illas quæ voce prædefinitiones appellantur poſt illam mediam ſcientiam, non reipſa prædefinitiones, ſed poſtdefinitiones eſſe. Unde illas prædefinitiones, non dico Dionyſius, ſed ne mediocris Theologus appellaret.

Quare dicunt alij tertio S. Dionyſ. citato loco tantùm divinæ voluntatis prædefinitiones æternas tradidiſſe, non alias prædeterminationes in tempore voluntati impreſſas, quas ipſi, ut aiunt, principaliter negant. At qui ſic loquuntur, nec advertunt etiam, doctiores ex illis fateri id quod verum eſt, prædeterminationes quibus Deus efficaciter in tempore voluntatem præmovet, per evidentem conſequentiam ex illis æternis Dei prædefinitionibus ſequi. Rurſusque non magis impedire poſſe uſum liberratis humanæ, quam æternæ illæ abſolutæ & efficaces divinæ voluntatis prædeterminationes impediant; quia iſtæ efficaciores ſunt, cum totam illis prædeterminationibus efficaciam tribuant.

Videntes ergo alij nullam humanam explicationem ſatis vim præcitatæ authoritatis effugere, noviſſimè cogitaverunt aliam quartam dicentes. Quòd ſi hoc argumentum aliquid probaret, convinceret non ſolùm bona, ſed etiam mala ſaltem ſecundùm ſuas entitates & poſitivas circunſtantias eſſe à Deo definita; quòd tamen tanto Doctori tribuendum non eſt, quia nec id veritati catholicæ videtur eſſe conforme, ſed potiùs contra illam. Unde aſſerunt ſolum intelligere Dionyſ. illo loco Deū reſpectu operum creationis, quæ ab ipſo ſolùm fiunt, prædictas habere prædefinitiones; non verò reſpectu eorum, quæ à libero arbitrio fiunt. Sic ſecutus Pachimerium & Marimum aſſerit Leonardus Leſſius.

Cæterum explicatio hæc contra expreſſam litteram illius cap. 5. procedit, quæ ex profeſſo de omnium in univerſum rerum univerſaliter, quæ quoquomodo eſſe habent, apertè procedit, & docet omnia, quæ in rerum natura ſunt, divinū eſſe participare, in quo exemplaria omnium ſunt, divinę videlicet illæ prædefinitiones effectrices omnium quæ aliquo modo eſſe participant. Quod primo patet ex exemplo ſolis præmiſſo, qui ſua luce omnia vivificat, &c. Et ex illis verbis & menſura ſæculorum atque temporum entitas, & æternitas entium, &c. Omnia ergo quæ in ſæculis & temporibus fiunt. Deum cauſam dicit per illas ſuas prædefinitiones, & ſubdit. *Omnia igitur ipſi, quæ ſunt ſecundùm unicam omnibus eminentem unitatem accepta ſunt referenda.* Cum ergo dicat oñia eſſe ad Deū referenda, quis audeat limitando dicere de operibus tantùm creationis, quæ ſolùm à Deo procedunt, non de operibus liberi arbitrij id eſſe intelligendū? An hæc cum bona opera ſint ad Deū referenda non ſunt? Rurſus ſubdit: *Cuncta verò ſimiliter continet ſecundum ſi perexpanſam ſimplicem infinitatem ſuam atque ab omnibus unicè participatur.* An non de operibus liberi arbitrij, hæc etiam procedunt? An non iſta Deus ſua infinitate continet, quæ fecit ut fierent? Ac ſtatim: *Omnium itaque & initium, & finis omnium eſt:*

Au

Digitized by Google

An etiam ista verba restringenda sunt ad opera creationis, quæ à solo Deo fiunt, non ad opera bona arbitrij? nonne & illorum etiam Deus principium est, finisque? Manifestum est ergo de omnibus in universum creaturis, motibus, generationibus, actionibus, quæ esse habent atque participant, locutum fuisse Dionysium; sive illa immediatè & solùm à Deo fiant, sive mediis causis secundis, & libero ipso arbitrio; quod & rationes factæ, & totus contextus illius capitis, & ipsa generalis locutio manifestat, cum dicit omnia & cuncta à Deo procedere. Omnium autem horum docet esse in Deo exemplaria, ideſt, ut verbis formalibus exponit divinæ voluntatis effectrices prædefinitiones. Sunt ergo omnia à divina voluntate prædefinita.

Tandem si illorum tantùm quæ immediatè à Deo per creationem sunt facta, Deus ideas habet prædefinitivas, non autem aliorum quæ per creaturas operatur, & ista est mens S. Dionysij: ergo sentit ipse Dionysius Deum illorum causam non esse, quod de illo sentire, nefas est. Patet consequentia, quia Deus per ideas est causa rerum, nec alia via rerum est causa: ergo si istæ ideæ negantur Deo respectu illorum operum, negatur Deus illorum causa esse. Sicut ergo in Dionysio est certum Deum omnium bonorum, etiam quæ à libero arbitrio fiunt, verè causam esse; ita est certum illorum omnium ideas constituisse. Ideas autem has exemplares non nisi prædefinitivas & prædeterminativas agnoscit. Igitur rerum omnium & bonorum in Deo prædefinitionem & prædeterminationem docuit. Imò non solùm respectu eorum, quæ sunt, quæ fuerunt, & erunt admisit ideas prædefinientes actus ex proposito divinæ voluntatis; sed etiam respectu eorum, quæ possent produci, licet nunquam producerentur, admisit prædefinitivas ideas. Unde non dixit divinas voluntates esse prædefinientes & prædeterminantes, sed prædefinitivas & prædeterminativas, ut rectè S. Th. advertit q. 3. de Veritate art. 6. ad 3.

Quod autem ad inconveniens deducit, videlicet sequeretur etiam opera mala, quoad eorum entitates, & positivas circumstantias Deum prædefinire; tantùm abest ut reputemus inconveniens, sacræque scripturæ, aut catholicæ doctrinæ adversum; quin potiùs eisdem valde conforme esse asserimus; quemadmodum ex professo secundo nostro libro & tertio ostendemus, ubi aperiemus nullo modo sequi, quòd si Deus prædefinit actum malum quoad solam entitatem & actionem, quatenus præcisè actio est, illiusque causa sit, inde inferatur Deum esse causam peccati, sive prædefinire malum actum seu peccatum, & in ista illatione valde falli, qui putant illam evidentem, cum hoc ipso approbent pessimam illationem, quam non solùm Pelagius, sed & Calvinus manifestam putarunt, utrique pariter, & qui cum eis similia sapiunt, pariter decepti. Quod autem illarum actionum in ratione puræ entitatis ideæ sint, & quod illarum Deus per ideas sit causa, docet expressè S. Th. q. 3. de Veritate art. 4. ad 5. Quod autem ideæ sint prædefinitiones in 1. art. illius quæst. expressit. Unde de primo ad ultimum ibi Deum prædefinire docuit actiones illas, quatenus præcisè actiones sunt.

Sanctus etiam Athanasius super illud ad Ephes. 2. *quæ præparavit Deus*, sic ait, *sciens autem hæc* (scilicet bona opera) *præparavit Deus quæ differri non potuerunt, nec prætermitti quin peragantur tanquam divinitus prædefinita.* Et in Apologia de fuga sæculi post medium, tractans quomodo Dominus se abscondebat à volentibus lapidare, quia nondum venerat hora ejus; quando autem cognovit horam suam venisse, tunc seipsum illis obtulit, occasione hujus sic dicit: *Ille enim quatenus & verbum Patris, nulli tempori addictus erat, cum sit ipse temporum opifex: postmodum homo factus, hoc genere sermonum usus est, ostenditque unicuique mortalium demensum esse; nec tempus istud fortuito casu (ut nonnulli ethnicorum fabulantur, sed prout ipsè conditor Pater voluit unicuique definitum esse.* Et iterùm post pauca. *Quin & Dominus, & Verbum Patris; sciens quod cuique annos admensus esset, nec ignorans quod tempus ad patiendum prædefinivisset, &c.* Et statim. *Cum autem tempus à se definitum ipse sibi adduxisset.* Et iterùm. *Sancti verò pro formula accepta utpotè à Domino eruditi, & priscis olim & sequentibus temporibus in certamine, quod illis erat cum persecutoribus, & fuga se instantibus eripiebant, & quærentibus sese per latebras seducebant, quippe quòd ut homines ignari erant temporis sibi à divina providentia constituti.* Et postremò ibidem docet quod Sancti usque ad decursum sui temporis expectare maluerunt; donec, ait, mortis definitum tempus superveniret, aut quoad usque definitor temporis Deus hoc ipsis indicaret. Quibus verbis multoties dixit tempus quo Sancti liberè patiebantur esse à Deo prædefinitum, & ex consequenti, opera libera, quæ in tali tempore fiebant esse prædefinitæ. Sed expressiùs in Epist. ad Serapionem ita dicit: *Impossibile erat secundum prædeterminationem divinæ rationis ut Ecclesia Domini invisibilem formam & incorpoream immediatè nudam reciperet, sed consubstantiavit sè Dominus eidem Ecclesiæ, formam ejus in se assumens.* Admittit ergo in terminis æternas divinæ voluntatis prædefinitiones.

Hoc ultimum testimonium exponens, S. Th. opus 1. cap. 16. inquit: *Ex quo videtur quod ante Christi incarnationem Deus per gratiam in hominibus non habitaret, quod etiam quidam hæretici dicere præsumpserunt occasione illius quod dicitur* Joan. 7. *nondum erat spiritus datus quia Jesus nondum erat glorificatus. Utrumque autem eodem modo est intelligendum, nam sicut dicitur quod Spiritus sanctus non fuerit ante datus, quia non in tanta plenitudine datus fuerat, in quanta Apostoli eum post Christi resurrectionem acceperunt: ita etiam Ecclesia in tanta plenitudine gratiæ donum accipere non potuit secundum ordinationem divinam, in quanta recepit post Christi incarnationem, quia gratia & veritas per Jesum Christum facta est, ut dicitur* Joan. 1. *Unde in sermone Nicæni Concilij Athanasius dixit, equidem ipsos consummari & perfici impossibile est, nisi ego perfectum suscipiam hominem. Quod eodem modo intelligendum est, sicut supra dictum est. Ideo autem dicit secundum prædeterminationem divinam, quia possibile erat Deo alio modo quam per Christi incarnationem perfectionem gratiæ humano generi conferre, loquendo de potentia absoluta, sed non potuit humanum genus hanc plenitudinem aliter consequi supposita Dei ordinatione.* Hæc S. Th. Ubi simul ex Athanasio & S. Th. semel atque iterum repetita habetur, & divina prædeterminatio, & ejus efficacia, siquidem illa suppositа impossibile erat aliud fieri in sensu compositо juxta veram illius intelligentiam tradendam infrà.

Sanctus etiam Chrysost. homil. 1. super Epist. ad Ephes. in illâ verba sicut elegit nos, sic ait: *Sic divina ratione cuncta dispensata sunt, ac prædefinita, idque per multam erga nos providentiam.* Cyrillus Epist. contra Nestorium à Concilio Ephesino approbata §. sciscitabitur, & §. porrò, explicans illud Rom. 1. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute*, inquit. *Quem ante sæcula Pater sibi coæternum genuit, quonam pacto filius Dei prædefinitus est?* S. P. August. in soliloquiis cap. 26. ait. *Priusquam me formares in utero Deus, novisti me, & antequam exirem de vulva in quidquid tibi placuit, præordinasti me.*

Digitized by Google

Sanctus Anſelmus in Epiſtola ad Rom. ſuper cap. 9. explicans illa: verba ut propoſitum Dei maneret, ait: *Ideo tunc dictum eſt, ut propoſitum, ideſt præfinitio, vel præordinatio Dei maneret, ideſt, compleretur, & rata conſtaret.* Videndus ſuper illud ad Epheſ. 3. ſecundum prædefinitionem ſæculorum, ubi hanc prædefinitionem dicit eſſe prædefinitionem hominum qui futuri erant in ſæculis, vel ſecundum prædefinitionem ſæculorum, ideſt ſecundum ea, quæ prædefinivit, ideſt præordinavit in ſæculis fieri. Nam ejus verba ſunt. *Innoteſcat ſapientia principibus & hoc ſecundum prædefinitionem ſæculorum, ideſt in tantum innoteſcat, inquantum Deus prædefinivit & præordinavit de ſæculis, ideſt, de hominibus, qui verſantur in ſæculis, hoc eſt de hominibus qui erant futuri à primo ſtatu Eccleſiæ uſque ad conſummationẽ ſæculi. Quos ideo vocat ſæcula, quia mutabiles ſunt & tranſitorij ut ſæcula, ideſt ut curſus pereuntium dierum. Quam præfinitionem fecit in Chriſto Ieſu, ideſt, hæc omnia præfinivit Deus in Chriſto, non in carnalibus obſervantiis, vel in aliquo merito noſtro vel Dei ſapientia eſt multiformis ſecundum præfinitionem ſæculorum quia ſecundum ea quæ præfinivit, ideſt præordinavit in ſæculis fieri, apparet multiformis, cum hæc in operibus variantur multiformiter. Et hanc præfinitionem fecit Deus in Chriſto Ieſu Domino noſtro, quoniam antè ſæcula præordinavit Pater in Filio quid in ſæculis acturus eſſet.* Hæc S. Anſelmus: quibus liquet eum ſæpiùs iterato ſermone divinæ voluntatis prædefinitones reſpectu hominum, & humanarum eorum operationum ſtatuiſſe, atque prædicaſſe.

Sanctus Proſper Epiſt. ad Rufinum. *Ab hac autem confeſſione gratia Dei ideo quidam reſiliunt, ne cum eam talem confeſſi fuerint, qualis divino eloquio prædicatur, & qualis opere ſuæ poteſtatis agnoſcitur, etiã hoc neceſſe habeant confiteri, quòd ex omniũ numero hominum per ſæcula cuncta natorum certus apud Deum definituſque ſit numerus prædeſtinati in vitam populi.* Et lib. 2. de vocatione gentium, cap. 34. *quod cum veriſſimum ſit non indiget mora cernendi & diſcernendi illa virtus, quæ perpetuo veroque contuitu creata & creanda, orta, & oritura, acta & agenda ſimul aſpicit, & quidquid in univerſitate eorum per ſæcula præfinita evoluitur, ac multimodis varietatibus explicatur, id totum in eo tam ordine comprehendit, quam ex ipſius ſummo perfectoque judicio mundi hujus accipiet.* Et multa ſunt ſimilia quæ ommittuntur ex S. Proſpero in his operibus non ſemel inducenda.

Leo primus ſermone 7. de paſſione Domini, ſic dicit. *In ſalvandis quidem hominibus per crucem Chriſti communis erat voluntas Patris & Filij, commune Conſilium nec ulla poterat ratione turbari, quod ante ſæcula miſericorditer erat diſpoſitum & incommutabiliter præfinitum;* Et alibi hoc ipſum ſæpius confirmat, potiſſimè ſermone 13. ubi hæc habet. *Sed redemptio Salvatoris deſtruens opus diabuli, & rumpens vincula peccati, ita magnę pietatis ſuę diſpoſuit hoc Sacramentũ ut uſque ad conſummationem quidem mundi præfinita generationum plenitudo decurreret,* Et iterum ſerm. 16. de paſſione. *Cum ergo omnia,* inquit, *quę in Chriſtum Iudaica admiſit impietas tanto ante prædicta ſint, ut non tam de futuris, quam de præſentibus propheticus ſit ſermo contextus, quid aliud nobis, quam ſempiternarum diſpoſitionum incommutabilis ordo reſeratur, apud quem & diſcernenda jam judicata, & futura jam facta ſunt?* Præterea in ſermone 3. de Epiphaniâ inquit. *Providentia namque miſericordię Dei diſpoſitum habens pereunti mundo in noviſſimis temporibus ſubvenire, ſalvationem omnium gentium præfinivit in Chriſto.* Nomine autem ſalvationis, quam dicit præfinitam, omnia quæ ad ſalvationem pertinent manifeſtè comprehendit. Item in epiſt. 4. ad univerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos, ita ait: *Semper quidem in æterno Conſilio Dei manſit humani generis ineommutabiliter prædordinata reparatio.* Idem S. Leo in Epiſt. ad Conſtantinum Imperatorem qua approbat atque confirmat, quæ in Sancto & univerſali Concil. ſexto geſta & definita ſunt, ſic habet: *Unde divinitus prædordinata veſtra Chriſtianiſſima pietas & habitaculũ digniſſimum, S. Spiritus in ſui cordis arcano præparans, &c.*

Theodoretus in illa verba ad Romanos 8. (quos prædeſtinavit) ait: *Prædeſtinatos autem & præſcitos.* Et ad Epheſ. 1. ſuper illa verba (elegit nos) ait. *Precationem noſtram præconſtituit.* Licet iſte Author prædeſtinationem, & prædefinitionem poſt proviſionem bonorũ operũ videatur conſtituere, ut dicem' inferiùs.

S. Hieronymus ſuper Epiſt. ad Epheſios in illa verba (prædeſtinans nos) dicit. *Necnon etiam hoc inferendum, quòd cum prædeſtinet nos, ſive prædiffiniat Deus in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, tamen non ante filij eſſe poſſumus, niſi filij ejus Ieſu Chriſti fidem, & intelligentiam recipiamus.*

S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum ait. *Nec enim gratuita juſtificatione tribuit præparatum, quod in æterna prædeſtinatione præparaverat tribuendum.* Imò in toto illo lib. præcipue divinæ voluntatis prædefinitionem circa prædeſtinatos defendit, ut 2. lib. qui eſt de prædeſtinatione, dicetur.

Ex quibus omnibus divinæ ſcripturæ & Sanctorum Patrum teſtimoniis talis in ſubſtantia ratio formatur. Sacra ſcriptura & S. Patres expreſsè veras prædefinitiones conſtituunt; ſed quæ ſupponunt illam mediam ſcientiam veræ prædiffinitiones non ſunt, ſed potius rectè poſſunt vocari poſt-prædefinitiones. Ergo illas non conſtituunt: conſtituunt ergo alias quę verè prædefinitiones ſunt antecedentes omnem præſcientiam, etiam conditionatam.

Ex S. P. Auguſtino nec unum, vel alterum locum inducimus, quia totus eſt Sanctiſſimus Doctor in defendendis divinæ voluntatis æternis & abſolutis prædefinitionibus, præparationibus & prædeſtinationibus ut ex dicendis in his operibus manifeſtè conſtabit.

CAPUT V.

Æternas Dei prędefinitiones docuit S. Thomas ſemper & cum eo Theologi.

Sanctus Thomas in defendendis & explicandis æternis diviniſque prædefinitionibus verſatur totus. Nam ſuper Dionyſium in præcit loco lect. 3. ſic dicit. *hujuſmodi rationes Sacra ſcriptura vocat prędefinitiones, ſeu prędeterminationes.* Ubi S. Th. expreſsè docet, quod nos ex ipſo jam ſupra diximus, D. Dionyſium per Theologiam intellexiſſe ſcripturam Sacram, in qua affirmat uterque ſanctus & Dionyſius, & S. Th. tradi divinas prædefinitiones; *Hujuſmodi*, inquit, *rationes ſubſtantiales, Dei eſſentia prędeterminavit.* Et quæſt. 3. & verit. art. 1. inquit. *Et hanc etiam rationem ponendi ideas, ſcilicet prędefinitionem omnium agendorum innuit Dyoniſius in 5. cap. de divin nom. dicens. Exemplaria dicimus in Deo exiſtentium rationes ſubſtantificatas, & ſingulariter prędexiſtentes, quas Theologia prędefinitiones vocat, & divinas & bonas voluntates exiſtentium prędeterminativas & effectivas, ſecundum quas ſuperſubſtantialis eſſentia omnia prędefinivit & produxit.* Ubi & illud eſt attentius conſiderandum, ſecundum S. Th. idem omnino eſſe ideas & prædefinitiones, ſeu prædeterminationes divinas; quia ideæ nõ niſi prædeterminativæ, & prædefinitivæ ſunt; & ex conſequenti, qui divinas prædefinitiones & prædeterminationes negant, divinas

Digitized by Google

nas ideas negare convincuntur; qui autē negat ideas eſſe (ut S.P. Aug. ait in lib. de civit. Dei, relatus à S. Th. eadem quæſt. 3. de verit. ar. 1. in primo argumento ſed contra) infidelis eſt, quia negat filium eſſe.

Opuſculo etiam primo contra errores Græcorum cap. 16. inducit Athanaſium jam ſupra à nobis relatum prædicantem divinæ voluntatis prædefinitiones & prædeterminationes, & illas cum eo tuetur, defendit & pariter docet.

Eaſdem divinas prædefinitiones, & divinæ mentis æternas prædeterminationes docet expreſsè idem S. Doctor 1.p.q.23.art.1.ad 1. & q.25. art. 5. ad 1. & q. 5. de verit. art. 5.ad 1.& 3. contra gentes cap. 90. in fine. In quibus locis explicat S. Damaſcenum, & Gregorium Nyſſenum quòd non negant divinas prædefinitiones, & prædeterminationes æternas licet eorum verba id ſonare videantur; ſed quòd tantùm negant prædefinitiones ſeu prædeterminationes divinas determinantes ad unum, & cum neceſſitatis impoſitione, ſicut prædefiniuntur & prædeterminantur à Deo naturalia, non autem negant alias prædefinitiones & prædeterminationes, quibus Deus ita humanos actus prædefinit, quòd illorum perfectè ſalvat libertatem. Circa quæ S.Th. teſtimonia illud adverte, quòd pro eodem ſumit prædeſtinationem Dei æternam,& æternam prædefinitionem, ſeu prædeterminationem,ut patet ex primo teſtimonio citato quia revera ut ſupra diximus idem eſt utrumque.Unde qui æternas Dei prædefinitiones ſeu prædeterminationes negat, convincitur etiam Dei prædeſtinationem negare; & qui divinas & æternas prædefinitiones admittunt ſuppoſita illa media ſcientia, etiam conſequenter (ut dicemus) admittunt prædeſtinationem ſecundum præſcientiam.

Item q.3.de verit. art.7.ita habet contra Platonem: *Quia nos ponimus Deū intendentem causa uniuſcujusque rei ſecundū quod in omnibus cauſis ſecundis operatur,& quòd omnes effectus ſecūdi ex ejus prædefinitione proveniant.*Et art. 8.iterum concludit: *Ponimus etiam quòd per divinam providentiam definiuntur omnia ſingularia, & ideo oportet nos ſingularium ponere ideas.* Ubi illud adverte, quòd contra vanam & falſam Platonis ſententiam dicit. *Nos ponimus quòd omnes actus ſecundi ex divina prædefinitione proveniant.* Nos. inquam, ideſt Catholici Doctores, hoc enim ſignificare videtur illud verbum (nos) & quod lib. 12. art. 4. dicit. *Alij reducunt omnia hæc* (ſcilicet quæ in inferioribus aguntur) *in cauſam ſupracœleſtem ſcilicet in providentiam Dei, à qua omnia ſunt prędeterminata, & ordinata.* Quorum ſententiam ipſe S. Doctor ibi approbat. Et cap. 37. Iſaiæ ſuper illa verba: *nunquid non audiſti quę olim fecerim ei*, ita habet. *Quæ olim ab æterno fecerim,ideſt propoſuerim facere illud malum pœnę quod per ipſum inferre prævidi, & predeterminavi.* Et ibidem in prologo explicans quomodo Chriſtus erat procul tempore antiquæ legis, ait. *Erat etiam procul quia abſconſus in prædefinitione Patris.* Item 1. p.q. 19. art. 3. ad quintum docet expreſsè, quòd creata voluntas ut agat, oportet quòd ab alio, ſcilicet Deo determinetur;& hanc conſtituit differentiam inter divinam voluntatem & humanam quòd divina ab alio non determinetur: humanam autem oporteat ab alio determinari,ut agat. Idem eadem 1.p. q. 105. art. 1.ad 3.docet, quòd hoc ipſum quod cauſæ ſecundæ determinantur ad determinatos effectus, eſt illis à Deo.

Alia autem teſtimonia S. Th. quæ procedunt de temporalibus prędeterminationibus,quibus Deus humanam voluntatem efficaciter inclinat in actum bonū,adducemus infra lib.3.S.Th.uniformiter ſequuntur omnes ejus diſcipuli tum moderni, tū antiquiores.

Similiter Scotus cum ſua Schola divinæ voluntatis æternam & abſolutam prædefinitionem ante omnem præſcientiam futuri eventus tuetur atque defendit in primo diſp.40. & 41.dequo à Ludovico Molina in concord.diſt.50.§. *conſentit.* & ſequentibus tanquam liberij arbitrij deſtructor refellitur & impugnatur. Item in 4.diſt. 49. q.6. §. *Duo*, planè docet non eſſe contra rationem voluntatis quòd determinetur à ſuperiori cauſa,licet ſit contra ejus naturam determinari ab inferiori, ubi manifeſtè divinæ volnntatis prædefinitionem ſtatuit. Verba ejus ſunt loquendo de creata voluntate. *Non eſt ergo ſimpliciter contra naturam ejus quòd determinatur à cauſa ſuperiori, hoc eſt quod non poteſt contra naturam ejus oppoſitum agere, ſicut eſſet contra naturam ejus determinari ab habitu, ſeu à natura inferiori.* Quòd autem intelligat de divinæ voluntatis antecedente determinatione, ſeu prædeterminatione, & iſti Recentiores qui dicunt eum per hoc libertatem ab humana voluntate abſtuliſſe, manifeſtè ſentiunt,& verba ipſa ſine alia explicatione oſtendunt, & argumenta quæ contra hoc opponit & ſoluit, ſatis aperte declarant. Statim enim poſt pauca ita opponit. *Contra, ſi cauſa ſuperior determinat; ergo voluntas in ſuo ordine cauſandi determinatur; ergo in ſuo ordine cauſandi non eſt contingens.* Quod argumentum manifeſtè contra antecedentem prædeterminationem procedit;nam ſi contra concomitantem fieret, nec apparentiam haberet. Et reſpondet quòd propter determinationem ejus in ſuo ordine eſt contingens. Sentit ergo Scotus manifeſtè, quòd humana voluntas, & prius natura determinatur à divina voluntate, & ipſa in ſuo ordine etiam ſe determinat, & propterea eſt cauſa contingens. Unde mirum eſt, quod attentent Recentiores ſuadere Scotum ibi loqui de determinatione voluntatis comitante, cum tam apertè ipſe loquatur de antecedenti.

Præterea in plurimis locis infra adducendis hoc lib. probatur Scotum ipſum aſſeruiſſe Deum cognoſcere futura conditionata in determinatione ſuæ voluntatis. Hoc autem etiam,ut Recentiores fatentur, difficile intelligitur de determinatione concomitante, ſed de antecedenti intelligendum eſt. Melius autem dixiſſent,impoſibile eſſe eum aliter intelligere, quam de prædeterminatione antecedenti. Igitur manifeſtum eſt Scotum tradere divinæ voluntatis antecedentes determinationes, ſeu prædeterminationes.

Longum eſſet recenſere teſtimonia omnia, tum ex Thomiſtis, tum ex Scotiſtis, quibus has divinæ mentis æternas prædefinitiones ipſi tuentur atque defendunt, quia utraque Schola uno conſenſu illas amplectitur atque veneratur. Ex quibus tamen pauca quædam inducam. Quia autem de diſcipulis S. Th. tum Recentioribus tum antiquis minus dubitatur, ut patet de Capreolo in 2.diſt.25. Item ex 2. diſt.28. ſolut. ad 12.& plurimis aliis locis. De Cajet. 1. p. q. 14.art. 13.q. 19. art.8. & 2.2. q.172. ſuper art.2. & Ferrar. 3.contra Gent. cap.70.& 3.cōt. Gent.cap.89. ex Conrado 1. 2. q. 109. ar. 9.& q.112. art. 3.ex S. Antonino in 4.par. ſuæ ſummæ Theol.tit.9. de cauſis gratiæ c.4.§.2.& c.5.ex Mag Alberto S.Th.Magiſt. 1.p. ſuæ ſum.trac. 3. q. 18.& tract. 20.q.79. Ideo nec in adducendis ipſoriam verbis immorandum putamus. Solum ex Recentioribus unum S.Th. diſcipulum inducam Magiſtrum Zumel qui in commentariis ad 1. p.q.19.dub. 1.hanc ſtatuit concluſionem. *Deus ab æterno prædefinivit actus futuros abſoluta voluntate, & non ſolùm in confuſo & in communi,ut adverſarij dicūt, ſed etiā in particulari & determinatè.* Et addit hāc eſſe concluſionē communem inter Catholicos Theol. & haberi ex D. Paulo,ut ibi probat,& tādem ibidē dicit. Profectò hæc eſt regula generalis Theologorū,quòd ad illa ſe extendit divina providentia & æterna prædefinitio,ad quæ ſe extendit cauſalitas & efficacia Dei.

Item

Digitized by Google

Item idem Author 1. p. quæst. 22. disput. unica, quæst. 3. ait omnes actus liberos bonos naturales & supernaturales absolutè & efficaciter prædefiniri à Deo, & oppositum vocat plusquam temerarium, & pejori censura dignum.

Item Herveus in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 2. & distinct. 46. quæst. 2. Palacios dist. 38. quæst. 2. Richardus quæst. 5. expresè tenent Deum efficaciter prædefinire actus liberos & in ea prædefinitione & prædeterminatione eos cognoscere.

De Scoto autem & ejus Schola similiter pleraque possent adduci testimonia, quæ divinas & æternas Dei prædefinitiones (antecedenter ut diximus ad omnem futurorum præscientiam sub conditione præcognitorum) deffendunt, quia si illam præscientiam supponerent, prædefinitiones non essent, ut probatum est supra, sed ista pauca sufficiant. In primis Scotus ipse, quod diligentiùs est expendendum, cum ferè in omnibus suis sententiis cum doctrina S. Tho. pugnet; in hac tamen materia & causa ita certam & indubitatam judicavit sententiam affirmantem, omnes actus liberos humanæ voluntatis à Deo prædefiniri, ut in ea cum S. Thom. omnino consentiat. Unde illam ex professo docet in 1. dist. 39. quæst. unic. concluſ. 3. & in solutione ad 3. & 4. Ubi probat non aliter Deum cognoscere futura contingentia in particulari, quam in sua voluntate, prædefinitione, seu prædeterminatione. Idem habet alibi in eodem 1. & in quodlib. quæst. 4. Litt. S. & T. sequuntur eum omnes Scotistæ, inter quos præcipuus est Joannes Major, quem ipsi vocant Doctorem illuminatum, in primo ubi supra, & dist. 3. & 4. item Lichetus in 1. dist. 36. quæst. 1. art. 2. & dist. 39. quæst. 1. Ovandus in 1. dist. 28. propos. 3. & quia prolixum esset omnium verba referre, quorundam tantùm, qui præcipui inter eos habentur, testimonia proponam. Basolis in 1. sent. dist. 39. quæst. unica, in responsione ad argumeta, & specialiter art. 3. ad 1. confirmationem expresè docet Deum determinare voluntatem ad entitatem materialem actus peccaminosi, quæ bona est in se bonitate naturali, & ponit exemplum in ipsa entitate actus odij Dei. Unde ad 2. confirmat. ait. *Peccatum, ut peccatum est, non cadit sub determinatione divinæ voluntatis, sed per accidens ratione alicujus substrati, vel appositi, quæ per se cadunt sub ipsa.* Idem in 2. dist. 37. quæst. unica §. dico in solut. tertij argumenti ait. *Quando dicis ultra; quòd contingentia non provenit in actione ex causa, quæ necessitate sequitur determinationem alterius, sicut est de voluntate nostra respectu voluntatis divinæ, dico quod si causa illa, cujus determinationem sequitur alia, determinat contingenter ad talem actum causandum, & causa secunda est talis quòd quantùm est ex se, & absolutè loquendo etiam contingenter se habet ad actus, omnibus necessariis ad actum positis, &c. Ex utraque causa est contingentia in actione, tamen ex prima primò & principaliter. Sic est autem in proposito de divina, & nostra voluntate.* Et inferiùs ait. *Quando dicis ultra, quod divina voluntas determinavit ab æterno quidquid erat factura; dico quòd verum est. Et cum dicis quòd voluntas necessario sequitur determinationem talem; dico quòd non, absolutè loquendo, sed absolutè loquendo totum est contingens, licet ex suppositione benè sequatur quòd divina voluntas frustrari non potest, cum sit omnipotens, nec illud tollit contingentiam voluntatis, vel libertatem sui actus,* Ac tandem infra addit. *Dico quod voluntas beneplaciti nunquam cadit super malum culpæ, ut malum est, sed bene super positivum substractum.*

Item Jataretus in 2. dist. 37. quæst. unica §. *respondeo*, postquam proposuerat hoc argumentum: *Omnis causa, quæ determinatur ab alia causa, non est libera*; respondet cum Basol quem sequitur. *Distinguo maiorem: aut loqueris de causa naturali, & sic concedo, aut de causa libera, & sic nego, quia illa determinatio non tollit libertatem.* Et infra ait. *Ex secunda via arguitur sic. Nullus effectus evenit contingenter à causa sequente determinationem alicujus causæ; sed voluntas creata sequitur determinationem voluntatis divinæ: ergo voluntas creata non causat contingenter actum suum.* Respondet ex mente ejusdem Doctoris negando majorem universalem, maximè si sit causa libera inferior, & addit hæc verba. *Exemplum de manu scribentis non est ad propositum, quia manus non est causa libera comparata voluntati.*

Item P. Rada, qui postea fuit Episcopus, in Controversiis, controv. 30. art. 3. concluſ. 4. ait. *Deus cognoscit futura contingentia certo & infallibiliter, quia divina essentia repræsentat divino intellectui rem determinatè futuram ex determinatione divinæ voluntatis.*

Item Franciscus Herrera 1. sent. disp. 598. concluſ. 2. ita habet. *Deus in prædeterminatione suæ voluntatis cognoscit certo & infallibiliter omnes effectus contingentes in particulari, quatenus illi effectus contingentes cadunt sub particulari prædeterminatione voluntatis divinæ, ut ipsa antecedit determinationem nostræ voluntatis.* Et infra concluſ. 3. inquit. *Deus voluntate sua in particulari prædeterminat materiale in peccatis, non tamen formale.* Et addit hanc concluſionem esse Scoti dist. 47. quæst. unica solut. ad primum principale; licet hic author in alio suo libello, quem manuale Theologicum vocat, non multum consequenter ad ista sua priora dicta loquatur.

Item Lyranus in illud Matthæi 26. *Venit* Jesus *in villam, &c.* ait. *Christus videbat mortem acerbissimam sibi de proximo imminentem, & non evasibilem, quia sciebat hoc esse determinatum à Patre, à cujus determinatione non poterat declinare, cum non posset peccare.* His conjunge Driedonem 1. lib. de concord. fol. 39. alias 37. vers. *confert*: cujus verba infra referuntur pro materia & sensu composito atque diviso; dum enim dicit multas esse consequentias necessarias, quarum consequentia sunt contingentia, divinas prædefinitiones statuit, & ex ipsis sequi contingentiam & libertatem in operibus nostris clariùs constituit. Idem docet fol. 43. pag. 1. dicens Deum determinare voluntates.

Richardus etiam Tapert, licet proposita sententia introducatur, hanc tamen deffendere de divina voluntate prædefiniente, & prædeterminante actiones nostras cum omni sua libertate obscurum non est; si enim quis legat ab ipso tradita in art. 7. de lib. arb. pag. 216. in editione Colonienſi pag. 189. & pag. 197. non poterit dubitare de hujus authoris sententia quòd illa fuerit, quod Deus movet, applicat, utitur sicut instrumento, & determinat hominum voluntatem, salva illorum libertate, in quo apertiùs Dei providentiam prædefinientem actus nostros constituit.

Has divinas prædefinitiones, & his, & præteritis temporibus, Academiæ insignes defensarunt, Parisienſis antiquissima, Lovanienſis Florentissima, cum alia nobilissima Duacenſi atque sapientissima Salmantina. Hæ tres quidem posteriores in suis doctissimis censuris, quas in hac materia, durante hac controversia, ediderunt, quibus efficaciam Dei prævenientis gratiæ, & divinæ voluntatis prædefinientis omne nostrum bonum opus, salva perfecta nostra libertate, deffenderunt; & oppositam sententiam contendentium auferri vel impediri libertatem ex Dei efficaci voluntate prævenienti confuderunt: ut patet

ex

Digitized by Google

ex ipſorum adhibitis cenſuris, quarum ignaros non eſſe viros doctos, quibus iſta committimus, minimè dubitamus; cum præ manibus non uno loco circumferantur.

De Pariſienſi autem infra referuntur cenſuræ quibus non ſemel divinæ voluntatis efficacem prædefinitionem retinuit, & illam impugnantes ſicut libertatis noſtræ impeditivam compeſcuit. Omnes igitur quatuor in orbe florentiſſimæ Academiæ pro efficaci Dei prædefiniente voluntate teſtimonium ferunt, & divinæ voluntatis prædefinitiones contra illarum adverſarios tuentur, & venerantur.

Addi poſſunt author Enchiridion Concilij Colonienſis Tractatu de pœnitentia cap. paucis. Ubi habet: *Ita prævidet ac determinat Deus contingentia ut non tollat modum agendi naturæ indeterminatum, ſed determinat actiones ſicut ſunt.*

Item Cardinalis Gaſpar Cantarenus in refutatione art. 4. & lib. 4. de prædeſt. pag. 112. & 614. ait Deum ſua voluntate facere ut voluntas libera juxta ſuam naturam operetur, & omnia contingentia eſſe definita à Deo, & nihil eſſe indefinitum in divina voluntate.

Solum referam aliquos ex Societate Jesu, qui ab aliorum communi ſententia negantium divinas prædefinitiones longè recedentes, eaſdem piè deffendunt. Trigoſius Capucinus, & olim Jeſuita 1. p. quæſt. 118. dub. 5. ad 3. Henricus Henriquez lib. ultimo de fine hominis cap. 6. num. 3. & 4. Pererius lib. 3. de cauſis cap. 8. circa finem auxilia prædeterminantia in virtute divinæ voluntatis prædefinientis ſine dubitatione admittunt, & admittenda eſſe cenſent. Martinez etiam inſignis Doctor ex Societate Jesu æternas Dei prædefinitiones, abſque illa media ſcientia, quæ illas tollit, ſemper deffendit, ſimiliter & Michael Marcos, uterque in ſuis prælectionibus, quas nos ipſi vidimus. Hic ultimus author varius in hac parte invenitur, ſi quis omnia ejus dicta attentè conſideret.

Dubitabit fortè aliquis, quare cum divinas has prædefinitiones, ex Scriptura Sacra, ex Patribus Græcis, ex S. Thom. Scoto & aliis Scholaſticis probatas relinquamus, quare inquam, pro illis nullum inducamus teſtimonium ex S. P. Auguſt. Proſpero, Hilario, atque Fulgentio? An quia nihil de illis dixerunt?

Ad hoc dicendum primo Sanctos hos Doctores ſub nomine providentiæ & prædeſtinationis ſecundùm propoſitum (de qua prædeſtinatione ſæpiſſimè mentionem faciunt) divinas intellexiſſe prædefinitiones, ſemperque illas docuiſſe: quia idem ſunt omnino prædefinitio, prædeſtinatio, & prædeterminatio, ut diximus.

Præterea eaſdem tradiderunt multoties ſub terminis omnino æquivalentibus: quales ſunt conſtitutio Dei humanas præveniens voluntates, deſcriptio electorum in lib. vitæ, conſilium Dei beneplacitum, decretum, determinatio divinæ voluntatis, electio Dei, immobilitas, inſuperabilitas, invincibilitas divinæ voluntatis, ordinatio Dei infallibilis, præparatio, præconſtitutio, & plura ſimilia, quæ nihil aliud ſonant quam divinam æternamque divinæ mentis prædefinitionem ſeu prædeterminationem.

Manifeſtum eſt ergo eſſe in Deo æternas prædefinitiones quibus Deus abſoluta & efficaci voluntate omnia prædefinit atque prædeterminat ante omnem præſcientiam, tam abſolutam quam conditionatam eorumdem; nam ut jam diximus, & iterum affirmamus, admittere poſt illam mediam præſcientiam futuri eventus prædefinitiones, eſt velle eludere nomine prædefinitionis minus intelligentes in hac parte, & reipſa illas de medio tollere.

Unde ſatis miror quomodo Ludovicus Molina 1. p. quæſt. 15. art. 13. diſput. 18. membrō 2. ſic loquatur. *Verumtamen cum ex una parte prædefinitiones quales ab his confinguntur, nec in ſcripturis Sacris, aut traditionibus, neque in Conciliis aut SS. Patribus fundamentum ullum habeant quin potius arbitrij libertatem manifeſtè evertunt, ſcripturis Eccleſiaque definitionibus repugnant & à pauciſſimis Scholaſticis ſint aſſertæ imò ſub eo nomine ante triginta annos ſint inter Scholaſticos inauditæ, &c.* Conſideret ergo piùs Lector & attendat qua veritate iſta dici vel ſomniari potuerunt, cum totum oppoſitum ex ſcripturis, ſummis Pontificibus, S. Patribus ac Doctoribus ſit ſupra probatum.

Quòd autem prædicti Doctores Sancti & Scholaſtici de divinis prædefinitionibus loquantur, quæ antecedunt omnem futurorum prædefinitorum præſcientiam etiam conditionatam, præter ſupra dicta ex eo fit manifeſtum: quod ex his prædefinitionibus conſequenter loquendo inferunt & admittunt temporales humanæ voluntatis prædeterminationes, & auxilia verè & activè propriè efficacia præparantia & præmoventia humanas voluntates, ut lib. 3. dabimus manifeſtum.

Hæc autem prædeterminatio voluntatis ex æterna Dei prædefinitione antecedente præſcientiam futuri eventus etiam conditionatam, dimanat, & in virtute illius operatur (ut etiam authores cum quibus diſputamus expreſsè fatentur:) ergo Doctores Sancti, Scholaſtici authores de veris divinis prædefinitionibus antecedentibus omnem ſcientiam mediam, ſive conditionatam loquuntur.

CAPUT VI.

Quod divinæ prædefinitiones potiſſimè ad divinam voluntatem pertineant.

EX dictis ſequitur quòd actus abſolutus divinæ voluntatis, quo Deus ab æterno decrevit efficaci voluntate ſua, res in tempore fieri ante omnium earum præſcientiam etiam conditionatam, verè ac propriè prædefinitio eſt, imò eſt prima prædefinitio, origo & radix cujuſque alterius prædefinitionis.

Veritas iſta ex præcedentibus fit manifeſta; dictum eſt enim ſupra, idem omnino eſſe, ſecundùm omnium ſententiam, actum abſolutum & efficacem divinæ voluntatis, volentis aliquid fieri, & divinam prædefinitionem (unde ſicut Recentiores negant actum efficacem & abſolutum divinæ voluntatis volentis aliquid fieri ante præſcientiam mediam, ita etiam conſequenter prædefinitiones ante eandem præſcientiam negant.) Igitur abſolutus actus divinæ voluntatis volentis aliquid fieri ante omnem ejus præſcientiam vera prædefinitio eſt. Quòd autem ſit prima & principalis prædefinitio & radix alterius cujuſque conſtat ex dictis ſupra, dum ageremus de prima radice contingentiæ: diximus enim primam contingentiæ radicem eſſe divinam voluntatem; ſicut autem divina voluntas prima radix eſt contingentium & prima cauſa omnis libertatis, ita eſt prima prædefinitio humanarum operationum, & contingentia ipſarum.

Dicendum ſecundò actus practicus divini intellectus prædeterminans res in fines ſuos per certa media, eſt verè & propriè prædefinitio (licet ut modo dictum eſt) priorem divinæ voluntatis prædefinitionem ſupponat, & ex illa originetur. Probatur: quia nihil eſt aliud prædefinitio, quàm firma & immutabilis

Digitized by Google

mutabilis definitio de futuro aliquo eventu ex parte divini ordinis ut supra ostensum est. Cum ergo divinus intellectus practicus per suam providentiam firmum habeat ac stabilem ordinem de futuro eventu ex parte ipsius ordinis, ut infra fiet manifestum, talis actus erit verè prædefinitio illius futuri eventus.

Præterea divinus intellectus practicus efficaciter ordinat media ad finis consequutionem, ut supra dictum manet: ergo prædefinit & prædeterminat media ad talem finem.

Insuper hoc ipsum docet S. Thom. 1. p. quæst. 23. artic. 7. cum ait numerum prædestinatorum esse certum, non solùm ratione cognitionis; sed etiam ratione electionis & definitionis cujusdam. Docet ergo ipsam prædestinationem, quæ essentialiter actus practicus divini intellectus est, esse certam ex vi prædefinitionis. Nec enim S. Thom. in isto loco tantùm intendit numerum electorum esse solùm certum ex electione divinæ voluntatis (licet ista sit ut diximus prima prædefinitio) sed etiam intendit esse certum & determinatum ex ipsa formali ratione prædestinationis, & actus practici divini intellectus prædefinientis illum certum electorum numerum; imò ipse divinus intellectus practicus prædefinit & prædeterminat media efficacia ad finem prædestinationis obtinendum supposita efficaci finis intentione & electione aliquorum ad gloriam, ut infra manifestabitur. Unde ipse S. Thom. expressiùs quod lib. 12. quæst. 3. art. 4. dicit quòd divina providentia omnia prædeterminat, & ex parte ipsius ordinis mediorum in finem à divina providentia præconstituti, prædeterminationem constituit. Igitur divinæ prædefinitiones & prædeterminationes etiam ad divinum intellectum practicum se extendunt. Sed de hoc latiùs infra lib. 2. cum de diuina providentia evenerit sermo.

Dicendum est tertiò prædefinitiones seu prædeterminationes immanentes non solum inveniri propriè circa finem, sed etiam circa media, ita quod non solum finis ipse, sed etiam ipsa media verè à Deo sint prædefinita & prædeterminata. In hac, sicut in præcedenti (ex qua & ista deducitur) etiam à Recentioribus dissentimus. Sicut enim ipsi sentiunt prædefinitionem esse solum actum voluntatis; etiam consequenter inferunt propriè dari tantùm de fine; quia voluntas antecedens intellectum practicum non est mediorum prædefinitiva: Ita nos quia tenemus propriè inveniri prædefinitionem, etiam in actu intellectus practici, consequenter asserimus dari propriè prædefinitiones, etiam circa media circa quæ versatur practicus intellectus, illa ordinando in finem prædefinitum & præconceptum. Patet conclusio, qui enim certò statuit & prædefinit finem per efficacem intentionem voluntatis, necesse est quòd etiam certò statuat, & prædefiniat media, per quæ debet obtineri; propriè ergo datur prædefinitio de mediis. Sicut ergo datur in Deo propriissimè providentia; ita etiam propriissimè datur certus & prædefinitus ordo mediorum ab ipsa divina providentia constitutus, ut dicetur inferius. Propriè ergo media sunt prædeterminata & prædefinita, & veræ de ipsis dantur prædefinitiones & prædeterminationes.

Ex hoc etiam constat quid dicendum sit ad aliud, quòd in hac materia queri solet, an nimirum prædefinitio seu prædeterminatio antecedat ordinem mediorum in finem. Ad quod sub distinctione juxta prædicta erit dicendum, quòd omnium prima & originalis prædefinitio, cum sit actus diuinæ voluntatis præconstituentis efficaciter finem ipsum, absque dubio antecedit ordinem mediorum & causarum in finem, quia volitio finis antecedit ordinem mediorum in ipsum, cum ille ordo ex illa finis efficaci voluntate proveniat. Sicut ergo volitio efficax finis antecedit providentiam, ita prædefinitio prima, quæ actio voluntatis est, antecedit prædefinitionem ipsorum mediorum in finem. At vero posterior prædefinitio quæ habetur per divinum intellectum practicum (ut modò dictum est) cum essentialiter sit ipsa ratio prædefinitiva ordinis mediorum in finem, impossibile est quod antecedat ipsum ordinem mediorum in finem, nisi seipsam antecedere dicatur, quod implicat. Et Doctores, qui dubitant an prædefinitio hunc ordinem antecedat, de hac prædefinitione loquuntur (ut meritò loqui debent) nam de alia priori, nullus dubitare potest, quin ordinem mediorum & causarum antecedat.

CAPUT VII.

Quod omne, quod habet rationem entis sit à divina voluntate prædefinitum.

QUIDAM ex Recentioribus diverso modo de Dei prædefinitione & providentia loquentes asserunt omnia quæ entis rationem habent esse quidem à Deo provisa, non autem prædefinita: unde omnia divinæ providentiæ dicunt esse subjecta, non autem divinæ, prædefinitioni. Qui & intantum huic sententiæ adhærent, ut dicant nulla certa ratione ostendi posse, omnia à Deo esse prædefinita, nec id constare ex divinis litteris, vel Ecclesiæ definitionibus, vel ex Patrum traditione atque doctrina, sive ex effectibus ipsis creatis. Quia tamen ipsi arbitrantur aliqua esse à Deo prædefinita post illam suam mediam scientiam, hanc generalem regulam assignant ad cognoscendum ea, quæ à Deo sunt prædefinita, & ad discernendum inter illa, quæ divinæ prædefinitioni non subduntur. Quòd videlicet aliquæ actiones aliquando ordinantur efficaciter in finem particulariter ab ipso Deo volitum efficaciter, & tunc actiones illæ sunt à Deo prædefinitæ; & hujusmodi sunt (ut opinantur) consensus quo beato Virgo voluit virum ducere Joseph; imò consensus quo Adam & Eva voluerunt conjugio copulari; & media omnia ad salutem prædestinatorum conducentia probabile reputant, quòd etiam sint à Deo prædefinita, & efficaciter sic volita. At quando actus humani, etiam moraliter boni, non sunt ordinati à Deo ex efficaci intentione alicujus finis specialis; sed ab humana voluntate cum generali concursu ac providentia causantur, non oportet (ut putant) quòd à speciali Dei voluntate prædifiniente procedant. Et hujusmodi sunt (ut dicunt) actus morales omnes, qui ita ab hominibus fiunt, ut nihil eis ad vitam æternam consequendam prosint, nec Deo specialiter deserviunt ad aliquem particularem finem providentiæ suæ. Ita Franciscus Suarez lib. 2. opuscul. cap. 7. & cap. 3. num. 18. & cap. 4. Item lib. 1. de essentia prædestinationis cap. 7. num. 21. §. addendum, inquit, quòd ut effectus sit futurus, satis est quòd Deus velit dare voluntati creatæ omnia principia necessaria ad talem actum juxta exigentiam ejus, & quòd offerat ex parte sua concursum necessarium & ejusdem ordinis cum actu, & quòd sinat arbitrium operari paratus illud adjuvare, si per ipsum non steterit. Nam his positis præcisè, ait, quòd absque alio adjuncto stat illum effectum esse futurum.

Contra hanc sententiam, hanc fundamentalem & universalem statuimus veritatem. Quidquid in rebus invenitur habens aliquo modo entis rationem, sive pertineat ad merè naturalia sive ad Moralia, sive præcipuè ad supernaturalia, omne id est verè & propriè

à

Digitized by Google

à divina voluntate prædefinitum, ſecundum omnem ſuam rationem & modum, licet aliqua magis principaliter prædefiniantur quã alia, quia quædam ordine ad alia præfiniuntur. Omnia autem hæc ad quinque capita reducenda videntur: in pri. cap. reponuntur omnia ſupernaturalia: in ſecundo omnia moralia; in tertio omnia naturalia quantumcumque minima: in quartò omnia pœnalia, etiam propter peccatum inflicta: in quintò & ultimo omnis ſubſtantia, & actio quæ in peccato invenitur, in quantùm ſubſtantia & actio eſt. Quæ duo ultima, licet ſub naturalibus expreſſis in 3. cap. includantur, neceſſe eſt tamen illa in ſpeciè & particulariter exprimere propter particularem difficultatem, quæ circa ipſa conſurgit. Hæc eſt antiqua veritas à Sanctis Patribus tradita, & à Scholaſticis antiquioribus communiter recepta, atque & ex ſacris Litteris manifeſtè deducta; dicitur enim. Math. 10. cap. *Nonne duo paſſeres aſſe vaneunt, & unus non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro.* Sine Patre veſtro, ideſt, ſine voluntate Patris veſtri volentis quòd cadat abſoluta & efficaci voluntate, & ex conſequenti prædefiniente; ideo enim cadit quia Deus efficaciter vult quòd cadat. Et ad manifeſtandam, Chriſtus Dominus, hanc efficacem voluntatẽ Dei prædefinientem circa omnia minima poſtquã id præmiſerat de paſſeribus continuò ſubjunxit. *Sed & Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.* Per hoc enim apertè oſtendit omnes Capillos capitis à Deo prædefinitos & prænumeratos in particulari, quoad uniuſcujuſque propriam rationem & diſtinctionem ab aliis. Et alibi apertè docet ſcriptura quòd nec folium arboris cadit in terram ſine voluntate Dei.

Quis hæc audiat, & dicat non eſſe omnia à divina voluntate efficaciter volita, & ſimpliciter prædefinita; nec enim hic patet aut patere poteſt recurſus ad voluntatem Dei antecedentem, quæ velleitas eſt, hæc enim ex ſe ſola operativa non eſt (ut oſtendetur inferiùs) nec de iſta voluntate (quæ tantùm eſt voluntas ſecundum quid) prædicta teſtimonia procedunt, vel de tali voluntate ab aliquo S. Doctore intellecta ſunt aliquando.

Præterea ſcriptura ſacra docet quòd vir quidam in incertum tetendit arcum & ſagitam direxit, & percuſſit Regem Iſrael quòd tamen caſuale reſpectu ſagittantis, ex ipſa ſcriptura conſtat, fuiſſe à Deo efficaciter volitum & prædefinitum, ut videlicet puniretur Acab pro vinea Naboth.

Alia plurima à Deo efficaciter volita, ſtatuta, & prædefinita addicit S. P. Aug. lib. de gratia & lib. arb. à cap. 20. uſque ad 24. quæ quia plurima ſunt, omittuntur; legat prudens lector capitula illa, & luce clariùs comperiet omnia quæ ibi à S. Auguſtino numerantur, ab ipſo conſtitui abſoluta Dei voluntate prædefinita & volita.

Præterea interrogandi ſunt iſti authores, an bona omnia quæ ſunt in rerum natura ſint à Deo efficaci & abſoluta voluntate volita ut fiant vel non? ſi primum conceditur, habetur intentum; quod videlicet omnia ſint à Deo prædefinita: Si ſecundum ergo aliquid poſitivum, & reale eſt in rerum natura productum ſine abſoluta Dei voluntate quòd fieret. Quia tamen *hoc planè* concedunt Molina in concord. diſp. 33. §. *nonum eſt*, & Franciſcus Suarez lib. 2. opuſc. cap. 3. §. *reſpondetur*; id dici nullatenus poſſe aperiamus. Quomodo enim concedunt aliquid reale & poſitivum, & potiſſime bonum actum moralem, qui ab homine fit non eſſe abſolutè à Deo volitum ut fiat, nam ſi hoc eſt: ergo divina voluntas omnium rerum cauſa non eſt, quod niſi contra ſcripturam dicatur, affirmari non poteſt. Patet, nam Deus non eſt rerum cauſa niſi per abſolutam & efficacem Dei voluntatem, nam per voluntatem conditionatam, ſive velleitatem Deus rerum cauſa non eſt, quia nec illa impleretur: ergo ſi datur aliquis realis effectus ſine Dei voluntate abſoluta & efficaci productus, Deus illius cauſa non erit.

Item: quia velle Deum actum fieri, ſi humana voluntas voluerit, quid eſt aliud quàm divinam voluntatem ab humana pendere, & velle quòd voluntas humana incipiat ſuam actionem, ſi illi placuerit, & Deus conſequatur ipſam, quod certe à Pelagianorum errore non recedit.

Quis unquam Dominus vult quòd ſervus aliquid faciat ſi ipſe ſervus voluerit. Hoc autem quod Dominus reſpectu ſervorum non concederet, iſti Recentiores audent Domino Deo tribuere reſpectu ſervorum ſuorum.

Præterea creatura non poteſt eſſe niſi Deus velit abſolutè & efficaciter illam eſſe: ergo nec poterit operari aliquid, niſi Deus velit abſolutè & efficaciter quod illud operetur. Patet conſequentia, quia ſicut ſe habet ad eſſe voluntas, ita ſe habet ad operari; & ſicut in eſſe ab abſoluta Dei voluntate dependet, ita in operari, ut communiter Theologi fatentur.

Sed ad hoc reſpondent prædicti authores non eſſe quantum ad hoc eandem rationem inter eſſe & operari; nam voluntas habet eſſe à ſolo Deo. Unde neceſſaria eſt abſoluta voluntas Dei quæ velit illi dare eſſe, voluntatem verò agere non eſt à ſolo Deo, ſed etiam ab ipſa voluntate, unde non requiritur quòd Deus abſolutè velit quòd ipſa agat.

Sed iſta ſolutio difficultatem non ſoluit, quia ut S. Th. apertè docet in 2. ſent. diſt. 37. art. 2. Quod à ſe non habet eſſe, à ſe agere non poteſt, omnis enim virtus ab eſſentia procedit, & operatio à virtute. Unde cujus eſſentia ab alio eſt, oportet quòd virtus, & operatio ab alio ſit, & in tantùm verum habet, quòd id quod non eſt ex ſe non operetur ex ſe, quod Concilium Florentinum decreto de proceſſione Spiritus Sancti dicit, quòd hoc ipſum quòd Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo etiam æternaliter genitus eſt. Ex eo ergo quod Dei Filius à ſe non habet eſſe ſed à Patre; quòd operetur habet à Patre. Qua etiam ratione dicit ipſe Filius, *Filius à ſe non poteſt quidquam*, quia omne quod operatur, operatur ex Patre, ſicut ex Patre habet eſſe. Ita hunc locum exponit S. P. Auguſtinus, S. Thomas in eum locum & Hilarius. Idem dixit Dominus Ioan. 7. *Doctrina mea, non eſt mea*; ideſt, à me ipſo originem non habet. Cum ergo creata & diminuta voluntas ex ſe non habeat eſſe, ſed ex Dei voluntate abſoluta & efficaci, qua voluit ipſam eſſe, quam & continuò conſervat, quomodo ex ſe operabitur ſine eadem Dei voluntate efficaci & abſoluta, qua velit ipſam operari?

CAPUT VIII.

Quod omnia bona à Deo ſint prædefinita aliis rationibus probatur.

SENTENTIA Scholaſticorum eſt quòd omne bonum quod fit in particulari hìc & nunc cum omnibus ſuis circunſtantiis eſt volitum à divina voluntate, ut ſic fiat. Similiter communis eſt Doctorum ſententia quòd nihil in mundo fit quod in particulari non ſit vel à Deo volitum, vel permiſſum ut fiat, quod expreſsè docet S. P. Auguſtinus in Enchirid. cap. 95. de bono perſeu. cap. 6. Sed cum hoc dicunt, non loquuntur de voluntate antecedente: ergo loquuntur Doctores & S. Patres (quorum eſt hæc ſententia) de voluntate Dei conſequente & abſoluta: ergo loquuntur de voluntate abſoluta prædefiniente. Nihil ergo eſt in mundo, nec actus moralis nec aliud quid minimum, quod à voluntate Dei prędefiniente

Digitized by Google

non sit volitum ut fiat, si est bonum; vel ab ea sit efficaciter permissum, si est malum. Minor patet ex dictis & ex propria ratione voluntatis antecedentis, quę nec in talia objecta fertur in particulari, nec ex se sola impletur, nec est absolutè & simpsiciter voluntas, sed tantum secundum quid. Illud autem commune dictum sanctorum apertè procedit de voluntate Dei, quę impletur; imò ex hoc quòd effectus fit in particulari inferunt id esse à Deo vel absolutè volitum, vel absolutè permissum.

Adhuc ille actus moralis bonus; qui ab his authoribus non admititur prędefinitus, actus humanus moralis est, ut supponitur: ergo est contingens & liber; hoc enim est esse actum humanũ: ergo fit à prima causa libera & contingenti: ergo procedit à prima omnium radice libertatis & contingentię: ergo procedit ab efficacia divinę voluntatis, hęc enim est prima contingentię & libertatis radix, ut ostendimus supra: ergo procedit à divina voluntate absoluta & prędefiniente, qeòd talis actus fiat: ergo est verè & propriè prędefinitus. Discursus apertè concludit, nam idem omnino est voluntas efficax & absoluta, & voluntas prędefiniens, fundaturque totus discursus in hoc quod efficacia divinę voluntatis est prima radix omnis contingentię & libertatis creatę, quę in actibus humanis invenitur quod latè supra probavimus.

Prętera impossibile est aliquem actum bonum de facto produci à Deo non prędefinitum: ergo positio illa implicatoria est. Antecedẽs patet, quia impossibile est potentiam voluntatis operari illum actum moralem bonum absque priori Dei voluntate & motione, ut docet S.Th. 1.2. q.109. art.1.& 1.p. q.19 art.3. ad 5. ubi ait impossibile esse voluntatem indifferentem & indeterminatam operari aliquid nisi determinetur ab alio. Nec loquitur de determinatione solùm ex parte objecti, sed prętęr hanc requirit determinationem ex parte potentię. Si ergo Dei volũtas & motio negetur, à qua voluntas determinatur, necesse erit voluntatem, illum moralem actum non producere. Impossibile ergo est actum moralem à voluntate produci sine divina voluntate volente & determinante ut fiat; & ex consequenti nunquam à voluntate creata humanus actus produceretur sine voluntate divina prædefiniente. Idem enim est determinare ut primam causam & prædeterminare seu prædefinire.

Ulteriùs, actus aliquis moraliter bonus fit absque eo quòd sit à Deo prædefinitus & efficaciter volitus: ergo homo seipsum ad volendum determinat & applicat absque Dei voluntate ad id applicante & determinante humanam voluntatem: ergo est primum se ad talem volitionem determinans: ergo est primum inchoans suam volitionem: ergo erit primum liberum in illa applicatione & determinatione & erit primum illius principium, unde erunt duo prima principia. Concedunt quidem Recentiores expresè hominem esse primum se determinans, & esse primum inchoans suam actionem; dicunt tamen non absolutè concedendum hominem esse primum liberum, vel primum principium; quia primum liberum absolutè & simpliciter illud est, quod est per essentiam liberum ab alio omni independens, quod creatura non habet: fatentur tamen dici & esse hominem primum liberum in suo genere, & esse primam radicem suæ determinationis. Sed mirandum quòd non videant excusationem istam antiquam esse, & in terminis refutatam à S.Th. in 2.dist.37.q.2.art.2.ubi refert quorundã evasionem dicentium quòd voluntas, etsi per se possit actionem producere sine influentia prioris agentis, quia tamen non habet à se esse, sed ab alio, quod exigitur ad rationem primi principij, ideo ipsa non potest dici principium primum. Et contra eam insurgit dicens: *Sed hoc videtur inconveniens, ut quod à se esse non habet, à se agere possit; cum etiam per se durare non possit quod à se non est; omnis enim virtus ab essentia procedit, & operatio à virtute, unde cujus essentia ab alio est, oportet quod virtus & operatio ab alio sit. Et prætera*, inquit, *quamvis per hanc responsionem evitaretur, quòd non esset primum simpliciter; non tamen posset evitari, quin esset primum agens, si ejus actio in aliquod primum agens non reducitur sicut in causam.* Hæc S.Th. ubi duo simul concludit. Alterum est, quòd licet per dictam responsionem evitetur quòd homo sit primum principium simpliciter, non tamen evitatur quòd sit primum principium suæ actionis, quod non posse concedi ibi S.Th. aperte declarat, damnando illorum sententiã, qui dicunt hominem, licet non sit primũ principiũ simpliciter, esse tamẽ primũ principiũ in suo genere, quæ in terminis est propositio expressa à Recẽtionib⁹.

Secundo docet S. Th. concludi, quòd si homo in sua operatione non dependet ab alio priori principio, sed quòd ipse est primum principium illius suæ operationis, etiam non dependet ab alio in virtute. Quod si in virtute ab alio priori non dependet principio, nec in sua essentia ab alio dependet, & ex consequenti est primum principium independens per essentiam; & sic dantur apertè duo prima principia. Ut à principio concludebatur, qui est Manichæorum error. Attendant ergo qui hominem primum inchoans, primum initiũ, & principium constituunt suæ operationis: licet enim verbis dicant non esse primum simpliciter, hoc tamen convincitur illa positione admissa. Convincitur, inquam, hominem primum principium esse simpliciter & absolutè in sua essentia minimè ab alio dependens. Ad evitanda ergo gravissima hæc inconvenientia, necesse est nobiscum fateantur hominem suam operationem non inchoare, nec se primò ad illam determinare, sed per absolutam Dei voluntatem determinari, quæ voluntas absolutè prædefiniens est actum talem moralem liberum.

Sed cum ists fuerint convicti, aliud subterfugium quærunt, dicentes; quòd licet homo sit primum inchoans, primum initiãs suam operationem; non tamen prædicta inconvenientia sequuntur; quia semper illa operatio indiget Dei influentia & concursu; pendet enim (ut aiunt) actio illa & à libero arbitrio & etiam à Deo, ut à duabus causis partialibus.

Sed quidquid modò sit de isto concursu causarum partialium, ad præsens prædicta responsio efficaciam argumenti facti non minuit; quia eadem ratione, qua S. P. August. aliam omnino refutavit, & ista pariter refutatur, dicendo: *Cur autem non totum tribuatur homini, ut qui sibi potuit instituere quod non habebat, ipse quod instituit augeat, omnino non video.* Sic nec nos omnino videmus, cur cũ semel admittant ij Authores hominem posse inchoare & instituere quod non habebat, non consequenter admittant, ipsum ex se solo posse perficere quod inchoavit. Major enim difficultas est ad inchoandum quod non habet homo, quàm ad augendum vel perficiendum quod semel est inchoatum. Unde si illud primum ex se solo posset homo, poterit etiam ex se solo & hoc secundum, nisi hoc dicant ut aliquid saltem apparenter, & verbis duntaxat videantur Deo tribuere, & ut non ita apertè contradicant manifestissimis divinæ scripturæ testimoniis, quæ clamant Deũ operari in nobis & velle & perficere, & quòd omnia opera nostra in nobis operatus est Dominus. Volentes ergo, qui prædicto modo Philosophantur, aliquid Deo tribuere ne ipsũ totaliter a nostris operationib⁹ excludere videãtur, componunt hominem cũ Deo, & partẽ sibi vendicãt, partem autẽ Deo relinquunt; & homini primas, partes inchoationis videlicet, tribuunt; Deo autem sequentes, ideſt consummationis; cum tamen sit evidens, quòd si homo sine Deo suã potest actionem inchoare, sine Deo etiam poterit & illã consummare.

Prætera, ut dicemus, ille concursus, quem fingunt, est indifferens & indeterminatus ex parte Dei: unde

nec

Digitized by Google

nec revera actionis determinatæ hominis causa est, aut esse potest.

Concludendum est ergo non posse hominem sine Deo prius volente, actionem suam vel incipere vel inchoare; sed quòd ideo inchoat actionem suam, quia ita Deus vult absoluta & efficaci voluntate prædeterminante quòd fiat & ad id hominem movet.

CAPUT IX.

Proponuntur Recentiorum argumenta ex authoritate Patrum desumpta contra SS. divinas prædefinitiones.

OPPUGNATORES divinarū prædefinitionum ad illas negandas his ducuntur argumentis, tum ex authoritate tum ex ratione deductis. Id primò probant ex Origene homil. 3. in Genes. ubi cum præmisisset nihil absque divina providentia geri, nec in cœlo, nec in terra, subdit. *Memento quia nihil sine ejus providentia geri dicimus, non sine voluntate, multa enim sine voluntate ejus geruntur, nihil sine providentia. Providentia enim est qua procurat, dispensat, & providet, quæ geruntur; voluntas verò quæ vult aliquid, vel non vult.* Et 2. peri arch. cap. 12. dicit nos non habere à Deo quod bonum vel malum velimus. Ubi voluntatem prædefinientem negat. Et cap. 9. affirmat liberum arbitrium fuisse causam diversitatis inter rationales creaturas, non autem Dei voluntatem. Et lib. 3. cap. 1. & 3. multa similia dicit. Præterea lib. 7. in Epist. ad Rom. in explicatione illius, quos præscivit, ait. *Non propterea erit aliquid quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est, scitur à Deo antequam fiat, nam etiam si fingamus Deum non præscire aliquid futurū sine dubio erat quod ita, ut puta Iudas proditor, fieret.* Qui ultimo locus inducitur à Leonardo Lessio contra divinas prædefinitiones.

Gregorius etiam Nyssenus libro quem de homine fecit cap. 30. ait. *Providentia est eorum quæ non sunt in nobis, non autem eorum quæ sunt in nobis.* Et lib. de anima & resurrectione prope medium dicit. *Quòd liberum hominis arbitrium ita habet sui potestatem quòd Dominum alium non habet.* Quo in loco providentiam prædefinientem videtur negare, nam alia providentia sine ista prædefinitione negari non potest.

Præterea S. Damascenus lib. 2. fid. orthod. cap. 28. ita habet. *Eorum quæ in nobis non sunt quædam habent occasiones, id est causas, ex his quæ in nobis sunt ut retributiones actionum nostrarum in præsenti & in futuro sæculo; reliqua verò omnia divina ex voluntate dependent.* Ex quo loco argumentantur, quòd sentiat Damascenus illa priora à se enumerata ex nostra voluntate pendere, non ex divina; siquidem distinguendo reliqua ab eis, dicit quod reliqua à divina pendent voluntate ut fiant. Clarius autem in cap. 29. sic dicit. Cogitationes nostræ & actiones, & futura cognita illa sunt, omnia dico providentiæ opera, quæ in nobis non sunt, ea enim quæ in nobis sunt, non providentiæ sunt, sed potestatis nostri arbitrij. Et eodem lib. c. 30. expræsius prædefinitiones negat sub his verbis. Operepretium est agnoscere omnia præscire Deum, non autem prædefinire atque præterminare, præscit enim ea quæ in nobis, non prædefinit autem hæc, nam nec pravitatem fieri vult, nec cogit, nec vim affert virtuti, quare præscientiæ visionis divinæ opus est præfinitio, prædefinit autem ea quæ in nostra potestate sunt secundum præscientiam suam, nam præscientiâ jam præelegit omnia Deus secundum bonitatem & præscientiam suam. Item lib. contra Manich. non longe à fine sic dicit. Deus ea quæ in potestate nostra sita sunt, nimirum virtutem ac vitium non definivit præscientiâ ea denique definiuit, quæ in arbitrio nostro minime consistunt. Aperte ergo docet Damascenus non esse à divina voluntate vel providentia prædefinita opera nostra, quæ ex arbitrij libertate descendunt.

Justinus etiam lib. 146. quæst. q. 8. ad orthodoxos ait. *Non igitur est causa Deus virtutis nostræ aut vitij, sed propositum nostrum & voluntas;* ex hoc sic deducunt ij authores. Non est credendum ignorasse Justinum Deum causam esse virtutis consulendo & inspirando. Solum ergo negat Deum esse causam virtutis nostræ efficaciter volendo & prædefiniendo.

Accedit & Irenæus 4. contra hæreticos cap. 71. ubi dicit. Postquam hominem constituit in sua potestate ad utendum sententia & suasione Dei nullam vim illi inferre sed potestatem electionis ei relinquere. Et cap. 76. ait. Præsta illi cor tuum molle & tractabile, ne induratus amittas vestigia digitorum ejus. Et infra. Nec lumen cum magna necessitate subijciet sibi quempiam, nec Deus cogit eū qui nolit contemnere ejus artem. Et lib. 5. cap. 1. Dicit Deum reducere homines ad se non vi, sed suadela. Cum ergo admittat Deum convertere homines suadendo, omnem aliam divinæ voluntatis prædefinitionem efficacem negat tanquam vim voluntati humanæ inferentem.

Adest Ephiphanius hæresi. 5. & 16. ubi adversus fatum disputans, ait tolli libertatem si is qui facit, non à se ipso facit, sed secundum necessitatem dominij fati. Quæ verba & eorum ratio si perpendantur eodem modo procedere videntur de qualibet voluntate Dei antecedente, & efficaciter prædefiniente.

Oecumenius etiam ad Timoth. 2. *Si Deus vult, quare non fit quod vult.* Et respondet. *Non fit quia illi volunt, nihil enim ex necessitate facit in nobis Deus.* Ac si dicat ideo non fit, quia non absolutè & prædefinitive vult fieri, sed conditionaliter & dependenter ab humana libertate, si nempe homines ipsi voluerint. Idem dicunt Theodoretus, Theophilactus super Epist. ad Rom. cap. 8. & 9. & præcipue videatur Theophilactus ad Ephes. 1. & Marci 2.

Præterea Cyrillus lib. 8. contra Julianum prope finem cum dixisset hominem esse liberij arbitrij, hæc addit verbā. Ut nos ad quodvis bonum sponte incederemus consilio non coacte vivere super terram hominem permisit Deus, & ita fuit ab initio. Arripuit enim suæ voluntatis habenas, & suorum visuum momento in utraque fertur, in bonum inquam, & in malum. Et subdit statim itaque si ineffabili quadam & divina virtute & efficacia, usus mutasset singularum mentiū ad bene agendum, & indidisset postea bonum, à quo egerrime discedere posset, & non sponte, ultra non esset fructus mentis nec res digna laude sed necessitatis & cupiditatis non voluntarie, idest non liberè. Hæc verba (ut aiunt Recentiores) ita sunt clara & expræssa ut nulla indigeant ponderatione vel explicatione & in ipsis loquitur aperte S. Cyrillus de bonis operibus supernaturalib⁹ ad quæ negat ineffabilem virtutē & efficaciā sicut tollentem hominis libertatem, & ex consequenti divinam voluntatem prædefinientem efficaciter negat. Unde concludit Christum Dominum doctrina miraculis, & beneficiis homines ad se vocasse ut liberè converterentur. Item lib. 4. in Ioan. cap. 7. circa illa verba omnis qui audit à Patre &c. ait. Ubi auditus displinę doctrineq; adest, nō vi sed persuasione oritur. Patrocinio igitur Dei Patris quod ex charitate dignis præstatur, non vi, Christum fideles agnoscit. Quibus verbis totum negotium vocantis gratię ad suasionem reducit, negans quamlibet aliam vel efficaciam, vel prędefinientem voluntatem, qua Pater illos absolutè vellet operari.

Chrisostomus etiam hom. 11. in Ioan. sic dicit. *Corporis*

Digitized by Google

Corporis natura quocumque eam opifex ducere vellit, eo sequitur, anima autem sui juris vim in se habet operandi, nec ulla in re Deo, nisi velit obtemperat, invitam enim & coactam minimè vult Deus. Item homil. 60. in Math. & homil. 26. in Joann. ait. *Non vi & necessitate quadam Deus bonos facere consuevit.* Et homil. 1. & 2. in Epist. ad Ephes. & hom. 16. in Epist. ad Rom. hom. 56. in Math. & in psalm. 115. tractans illum locum, nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum, sic arguit. *Si Pater trahit, Filius deducit, Spiritus illuminat, quid peccant, qui nec tracti sunt, nec deducti, nec illuminati?* Et respondet: *Quoniam non præbent seipsos dignos ut eam suscipiant illuminationem.* Et statim. *Nam etsi maxima pars, atque adeò ferè totum ejus sit exiguum, quid tamen nobis reliquit?* Quibus verbis omnem divinam voluntatem prædefinientem & efficaciter hominis trahentem videtur planè negare. Item citata hom. 60. in Math. inquit paulò post initium. *Non quia ventura scandala prædixit, ideò evenient; sed quoniam omnino ventura erant, idcircò prædixit.* Et infrà. Quia sua sponte incurabiles futuros prospiciebat, ideò ventura prædixit. Qui etiam est locus solus citatus à Leonardo Lessio contra divinas prædefinitiones ex S. Chrysost. præter alia quæ à nobis inducta sunt.

Deinde D. Dionys. Areopagita cap. 9. Cœlest. Hierarc. sic ait. *Nec enim vita nobis data est, cui vis illata sit, aut imposita necessitas, nec liberi arbitrij gratia divinitus indulta mortalibus providentia divina luce & splendore obtunditur.* Et similia fere verba habet lib. de Divinis Nominibus cap. 4. Quibus divinæ voluntatis efficacem prædefinitionem videtur negare.

Postremò Clemens Papa I. in Epist. 3. quædam verba habet quæ in Deo videntur negare similes prædefinitiones. Postquam enim dixit, eum qui vocatur, cùm sit liberi arbitrij habere in sua potestate assentire vel dissentire, sic dicit. *Nam sic hoc esset ut videntes ea* (scilicet mandata) *jam non haberent in potestate aliud facere quàm audierant, vis erat quædam naturæ, per quam liberum non esset ad aliam migrare sententiam.* Et iterùm ibi sic ait. *Si aliquid esset quod audientes fidem vel ad credendum, vel ad non credendum determinaret extra arbitrium eorum, meritum & libertas tolleretur.* Negat ergo apertè quòd voluntas humana à divina voluntate determinetur, & ex consequenti divinam voluntatem prædefinientem & prædeterminantem negat omnino.

Consonat & confirmat quod docet Anastasius lib. quæst. incipent. tom. 6. Bibliot. Sanctorum Patrum quæst. 59. Ubi sic ait. Si ergo quos vult Deus servat, quos autem vult perdit, nec qui servatur dignus est mercede, nec qui perditur si ppliciis. Hæc sunt quæ ex sanctis Patribus Græcis adducunt contra divinas & æternas prædefinitiones Dei.

Ex sanctis etiam Doct. Latinis plures solent adduci quos tamen quia de prædeterminatione ad extra divinæ gratiæ expressiùs loquuntur infrà lib. 4. commodiùs adducemus. Pro nunc sufficiat S. Hieron. qui Dei prædefinitionem videtur negare respectu aliquorum, sic enim dicit super 1. cap. Habacuc in illa verba, numquid facies homines & pisces maris. *Absurdum est ad hoc deducere Dei majestatem, ut sciat per momenta singula quot culices nascantur, atque moriantur, quota pulicum & muscarum sit multitudo, quotve pisces natent aquis, & similia. Non sumus*, ait, *tam fatui adulatores Dei, ut dum providentiam ejus etiam ad ima retrudimus, in nos ipsos injurioſi simus, eandem irrationabilium & rationabilium providentiam esse dicentes.* Igitur S. Doct. non omnia subdit providentiæ, & à fortiori multò minùs illa subdit divinæ prædefinitioni. Et in cap. 26. Hierem. in principio hæc habet. *Non quia Deus scit futurum aliquid idcirco futurum est, sed quia futurum, novit Deus, quia præscius futurorum.* Qui locus solùm ex S. Hieron. inducitur à Leonardo Lessio ad negandas ex S. Hieron. divinas & æternas Dei prædefinitiones.

Adducit etiam idem author Eusebium lib. 6. præp. Evang. cap. 9. ex Origene in Genes. ita dicentem. *Primum igitur aggrediamur, quòd gentium sapientes in magnos intruxit errores, cum enim præscisse Deum universa minimè negarent, necessariò nos agere quidquid agimus crediderunt.* Et infrà. *Adversus quos dicendum omnia ab æterno videre antecedentia, consequentia, causas rerum & effectus, nec tamen omnium esse causam.* Et infrà. *Si Deus cum uniuscujusque voluntatem prævideat, hunc perperam, illum rectè acturum non ignorat. Non ergo præcognitio futurorum jam est, nec enim ullo pacto ad peccandum Deus quemquam impellit aut movet, sed è contrario, dicam enim etiamsi absurdum multis forsan videri queat, id quod futurum est, causa est, ut Deus illud eventurum prævideat, non ergo ideò est quia præscitur, sed quia futurum erat, præscitur.* Quem etiam locum adducit prædictus author ad negandas ex Eusebio divinas prædefinitiones.

Ultimo non esse omnia à Deo prædefinita probare contendunt ex S. Th. 1. p. q. 23. art. 7. ubi docet numerum prædestinatorum esse ex prædefinitione, numerum autem reprobatorum esse tantùm ex præscientia, sicut numerum arenarum & guttarum pluviæ, non ergo secundum S. Th. omnia sunt à Deo prædefinita, in quo loco S. Th. maximâ vim pro sententia sua faciunt prædicti authores ex eodem deducêtes quod sicut arenæ, guttæ aquarum seu pluviarũ, culices & alia similia non sunt secundum S. Doct. à Deo prædefinita, ita actus morales boni, quia non sunt per se pertinentia ad hominis prædestinationem non erunt à Deo prædefiniti. In particulari hoc S. Th. adscribunt citato loco Card. Bellarm. lib. 4. de Gratia & Lib. Arbitr. cap. 15. & Mariana lib. 2. de Morte & Immortalitate cap. 13. & alij ex Recentioribus. Secundus locus qui ad hoc ipsum adducitur est ex q. 6. de Verit. art. 1. Ubi docet prædestinationem esse certam & secundùm præscientiam & secundùm ordinem, divinam autem providentiam non esse certam secundùm ordinem & eventum. Tertius locus ad probandum non omnia bona moralia esse à Deo prædefinita adduci solet ex tertio contra Gent. cap. 90. ubi cum S. Th. omnes actiones & electiones humanas dicat subditas esse divinæ providentiæ; ut salvet illarum libertatem videtur asserere non esse subjectas divinæ prædeterminationi quasi ab ea necessitatem trahentes. Ex isto loco inferunt ij authores S. Th. negare respectu actionum humanarum prædefinitiones & prædeterminationes, quia si tales prædefinitiones darentur de humanis actibus, imponerent eis necessitatem.

CAPUT X.

De rationibus quibus Recentiores divinas oppugnant prædefinitiones.

ADversus divinas prædefinitiones qui illas de medio conantur auferre has rationes constituunt. Et quidem contra prædefinitionem divinæ voluntatis vel divinæ providentiæ, quæ antecedat omnem mediam scientiam futuri eventus sub conditione prævisi illo suo utuntur fundamẽto singulari hi authores omnes, quòd videlicet talis prædefinitio divinæ voluntatis antecedens sua vi & efficacia aufert hominis libertatẽ. Si enim Deus absolutè & efficaciter vult hominem hoc vel illud operari, necesse erit quod homo

ita.

Digitized by Google

ita operetur, ut efficacia divinæ voluntatis impleatur. Unde non poterit homo aliud operari, & sic nec liber erit, quia libertas potentia est ad hoc vel illud pro libito operandum: omnesque rationes, quas in hac parte habent ad hanc unam reducunt. Unde sic instant. Nos nihil velle possumus sine hac prædefinitione divinæ voluntatis, sed hæc non est in nostra potestate, quia nullo modo à nobis incipit, sed à Deo. Ergo si Deus adhibuit suæ voluntatis determinationem ad unum actum, & non ad alios, omnes alij non sunt in nostra potestate, quia nec ante illam Dei determinationem fuit in nostra potestate facere ut non ad hunc actum, sed ad alium nos prædeterminaret, nec post prædeterminationem facere quidquam possumus ut Deus ad alios actus nos determinet. Igitur nec illa determinatio ad istum actum est in nostra libertate, nec ex consequenti actus ipse. Unde omnia scripturæ loca quæ passim prædicant hominis libertatem, omnia Concilia quæ hominis libertatem contra hæreticos defendunt, & omnes sanctos Patres qui frequentissimè docent Deum voluntatem hominum non cogere, nec necessitare inducunt ij authores contra prædictas divinæ voluntatis prædefinitiones, quia putant idem omnino esse efficacem prædefinitionem divinæ voluntatis, & coactionem sive necessitatem tollentem humanam libertatem. Hoc igitur est illorum primum argumentum.

Secundò, Prædefinitio non requiritur ad salvandam certitudinem & perfectionem divinæ providentiæ, ergo minùs ad hoc necessaria erit: antecedens manifestatur, etenim ad divinam providentiam tria tantùm sunt necessaria, scilicet scientia, voluntas, & potentia ut facile constat ex S. Thom. in 1. p. q. 19. art. 4. ad 4. & q. 22. art. 1. ad 2. & quæst. 25. art. 5. ad 1. sed prædefinitio non requiritur vel ex parte scientiæ, vel voluntatis, vel potentiæ Ergo nen est necessaria ad certitudinem & perfectionem divinæ providentiæ. Singula comprobantur. Et primò quòd ex parte scientiæ non requiratur si sermo fiat de scientia Dei omnino necessaria, est manifestum, quia hæc sicut necessaria est in Deo ita omnia necessaria perfectè cognoscit antecedenter ad omnem liberam divinæ voluntatis prædefinitionem. Quòd autem ex parte scientiæ liberæ non sit necessaria probant, quia optimè potest libera scientia in Deo esse sine illo Decreto libero prædefiniente, nam positâ illâ mediâ scientiâ & voluntate antecedente qua Deus vult causas applicare ad suos effectus sine alia voluntate prædefiniente quòd ille effectus fiat, erit effectus talis: ergo certissimè à Deo cognoscetur. Igitur ex parte scientiæ liberæ minùs necessaria est talis prædefinitio, & eadem ratione non erit necessaria ex parte divinæ voluntatis. Nam divina voluntas perfectissimè facit quæcumque vult posita illa media scientia & voluntate sua antecedente, qua vult applicare causas ad suos effectus, utraque enim positâ statim sequitur effectus, quem divina voluntas vult.

Similiter ex parte potentiæ Dei idem probatur. Nam divina potentia secundùm se, & antequam intelligatur applicata ad operandum cum creaturis, antevertit omne Decretum liberum divinæ voluntatis: ergo antevertit omnem ejus liberam prædefinitionem. Igitur ad perfectionem divinæ potentiæ secundùm se consideratæ antequam ad actum applicetur non est necessaria divinæ voluntatis prædefinitio. Si autem fiat sermo de divina potentia secundùm quod applicatur ad opus efficiendum per humanam voluntatem, non etiam requirit ad sui perfectionem voluntatis divinæ prædefinitionem. Quòd probant, quia satis est Deum præstare concursum & applicare illum ut simul causa secunda concurrente cum illa producat effectum, ut de voluntate divina dictum est. Non enim aliter concurrit de facto divina potentia ad producendum humanarum creaturarum operationes, nisi sicut ab æterno per divinam voluntatem statutum & prædefinitum est concurrere. Si ergo divina voluntas actiones humanas non prædefinit suo æterno actu, nec divina potentia illas in tempore determinando causat. Hoc argumentum dicunt à priori probare minùs necessarias esse divinas prædefinitiones.

Præterea non est necesse divinam voluntatem velle omnes actus morales vel ut media, vel ut fines voluntate prædefiniente: ergo prædefinitio talis necessariaria non est pro omnibus operationibus humanis. Patet consequentia quia si actus humani sive morales prædefiniuntur, vel ut media vel ut fines prædefiniuntur. Quòd non sit necesse illos esse prædefinitos ut fines, constat, quia est omnino liberum Deo, & nullo modo necessarium simpliciter velle aliquid extra se. Quòd si dicatur quòd licet absolutè & simpliciter non sit necessarium velle Deum actiones morales bonas, ex suppositione tamen prioris voluntatis erit necessarium quòd Deus illas velit. Contra hoc instatur. Ergo jam non vult Deus illas actiones morales ut fines, nam id quod est volitum ut finis non supponit priorem aliam voluntatem alterius finis particularis, ut notum est, quòd si aliam supponit, illa erit generalis Dei voluntas, qua Deus vult gloriam suam; sed nec ad istam habet connexionem necessariam voluntas qua Deus velit illas actiones ut fines voluntate prædefiniente: tum quia satis est quòd illas velit ut media in ordine ad gloriam suam, tum etiam quia sufficit ut illas velit voluntate antecedenti, per hoc enim optimè illas ordinaret in gloriam suam. Igitur non est necessarium quòd illæ actiones morales bonæ sint à Deo prædefiniente ut fines. Quòd autem nec ut media oporteat esse à Deo volita voluntate prædefinitiva, sic ostenditur. Media ut media non sunt volita nisi juxta exigentiam finis in quem ordinantur, sed finis in quem ordinantur actiones hujusmodi morales non est volitus à Deo voluntate absoluta & prædefiniente: Ergo nec illæ actiones in ratione mediorum erunt volitæ voluntate prædefinitiva. Probatur minor ex communi Theologorum sententia, quæ habet quod aliquando Deus vult aliquem finem voluntate prædefinitiva, sicut vult prædestinatum salvare, aliquando vero vult finem voluntate antecedenti & inefficaci absque prædefinitione, qua ratione vult omnes homines salvos fieri. Ergo neque erit necessaria prædefinitio de actionibus creaturæ, quæ sunt media ad talem finem.

Quartò, Posita divina prædefinitione sequitur quòd nullum sit auxilium sufficiens: nam qui non habet auxilium efficax quod ex divina prædefinitione habetur non poterit bene operari. Ergo neque habet sufficiens auxilium ad bene operandum. Probant, quia quidquid in voluntate ponatur, si non ponitur efficax auxilium prædefinitum nunquam poterit operari, quia deficit ei aliquid sine quo nunquam operabitur. Quomodo ergo (aiunt) erit auxilium sufficiens si deest ei aliquid quod est ad operandum necessarium? Et hoc argumentum multum exagerant, & quia sæpiùs proponunt, etiam sæpiùs in his nostris libris & urgentius inferemus, & solvemus.

Ultimò, Ad providentiam, quam Deus habet de actibus peccatorum non est necessaria talis prædefinitio nec simpliciter, nec ex aliqua suppositione;

ergo

Digitized by Google

ergo nec etiam erit necessaria in omnibus aliis operibus moralibus. Consequentia probatur, quia actuum peccatorum quoad entitatem illorum habet Deus veram & perfectam providentiam: ergo nequit assignari aliqua ratio quæ generalis sit omnibus aliis providentiæ effectibus quæ in actibus peccatorum locum non habeat. Nam qua ratione entitas peccati potest fieri sine Deo prædefiniente, ita alia quælibet entitas fieri poterit sine tali prædefinitione, vel saltem ex essentiali & generali subordinatione, quam habent res ad voluntatem & providentiam divinam poterunt evenire sine prædefinitione divina; antecedens autem latissimè sibi probare videntur, quia aliàs si Deus materiale peccati prædefiniret etiam ex consequenti malitiam illi intrinsecam vellet & prædefiniret, quod contra fidem est. Et hoc argumento sæpiùs utuntur in libris ac disputationibus suis, neque enim valent intelligere quomodo si prædefinitur entitas quæ est in actu peccati non prædefiniatur ex consequenti peccatum ipsum, seu malitia illi inseparabiliter communicata seu conjuncta, potissimè in illis peccatis quæ sunt ab intrinseco mala sicut est odium Dei, in quo illorum aliqui nec distingunt entitatem quæ mala non sit.

Hæc igitur tria sæpiùs ab ipsis in suis libris argumenta fiunt, quibus æternas prædefinitiones oppugnant, & efficacia auxilia gratiæ quæ ex ipsis consequuntur. Primò, quòd lædatur arbitrium. Secundò, quòd auxilium sufficiens negetur in his videlicet qui efficaci carent. Tertiò, quòd ponatur Deus prædefinire peccata, & peccatorum dicatur author. Quæ sicut urgentiùs & præssiùs in aliis sequentibus libris proponentur, ita in hoc primo sub brevitate tanguntur.

CAPUT XI.

Respondetur argumentis, & primò ostenditur quod Patres citati non negant divinas prædefinitiones.

MAGNA attentione legendi sunt Sancti tum Græci, tum Latini, a Recentioribus inducti. Coacervant enim plurima Sanctorum testimonia, quæ in particulari visa & examinata, vel truncata adducuntur, vel contrarium omnino dicunt, si antecedentia & consequentia considerentur, vel insensu valde alieno & diversò ab eo, quem isti authores prætendunt intenduntur à Sanctis, quorum exempla plurima manifesta dedimus coram fœl. rec. Clemente VIII. dum ad pedes ejus causam istam gravissimam Romæ tractaremus.

Præcipuè autem in patrocinium suum trahere contendunt sanctos Græcos Patres, novum publicantes bellum inter ipsos & S. P. Augustinum in hac materia & causa, nec attendunt, cum hæc opponunt, idem publicatum fuisse antiquitus, tum à Juliano contra Augustinum, tum à Massilienses contra eundem S. Doctorem & discipulos ejus, Prosperum & Hilar. ut S. Augustinus refert lib. 1. 2. & 3. contra Julianum, & de prædest. sanct. cap. 14. & S. Prosp. & Hilar. Epist. ad S. Augustinum missis. Quoties enim clamabat Celestius, quoties Julianus ille Capuensis Episcopus, quoties Cassianus & Faustus Semipelagianorum Duces, aliique sequaces dicebant Augustini sententiam in hac materia & causa novam esse, & contra Proceres illos antiquos Patres, qui ante ipsum extiterunt? Testes sunt libri integri in quibus S. P. Augustinus sanctorum antiquorum Patrum veram doctrinam sententiamque apperuit, quam ipsi detruncare & depravare contendebant. Unde eosdem sanctos Doctores & in generali, & in particulari secundùm eorum veram intelligentiam explicando defendit idem S. P. Augustinus in generali quidem de ipsis sic dicit. Quid igitur opus est eorum scrutemur „ opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur non „ habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter „ quibusdam scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent, immorarentur verò in eis, quæ „ adversùs alios inimicos Ecclesiæ disputabant, & „ in exhortationibus ad quascumque virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiscenda vita æterna, & vera fœlicitate servitur; frequentioribus „ autem orationibus simpliciter apparebat Dei gratia „ quid valeret, non enim poscerentur à Deo, quæ „ præcipit fieri, nisi ab ipso donarentur, ut fierent. „ Hæc S. Augustinus. Quibus verbis apertè docet Doctores sanctos sive Græcos, sive Latinos, qui ante exortam Pelagianam hæresim scripserunt, non tamen ita ex professo de illa disputasse, sed breviter & transeunter; quia necessitas id non postulabat, si autem necessitas illos cogeret respondere Pelagianis aut Semipelagianis, eadem quæ S. P. Augustinus contra illos dixit, & ipsi dixissent. Sic & nos istis recentioribus modò dicimus non esse necesse ut illorum scrutenter opuscula, qui ante exortam Pelagianam hæresim non habuerunt necessitatem sic ex professo de divinis prædefinitionibus & prædeterminationibus disputare; quod procul dubio facerent si talibus negantibus divinas prædefinitiones respondere cogerentur. Unde de divinis prædefinitionibus breviter & transeunter in opusculis disputarunt, & non solùm nihil contra ipsas dixerunt, quin potiùs easdem in suorum librorum opusculis aliquando tradiderunt expressè ut ex dictis supra reliquimus manifestum.

Sed nunc jam ad veterum Patrum testimonia transeamus. Imprimis autem aliquos ex hoc numero videmus, quos ad ferendum testimonium non putamus admittendos. Origenes enim admittendus non est, quem constat dum liberi arbitrij causam vehementius extollat, nascituro pòst Pelagij errori aditum patefecisse. Quo nomine & Hieron. Epist. ad Ctesiphontem doctrinam Pelagij vocet Origenis ramusculum. Quid ergo mirùm si Origenes dicat multa sine Dei voluntate in terris produci per hominum voluntates? Certè citandus in hoc nec nominandus Origenes erat, sed damnandus, cùm tam apertè neget hominum voluntates divinæ voluntati subdi, & cùm tam manifestè diversitatem inter rationales creaturas ex ipsis provenire, de qua sententia & errore illum damnat S. Th. 1. p. q. 23. art. 5. & 3. contra Gent. cap. 89. apertè dicit quòd Origenes in 3. Periarch. liberum arbitrium defendit contra expressas divinæ scripturæ authoritates, prætendens quòd inquantùm Deus dat nobis virtutem volendi dicitur causare in nobis velle, non autem quatenus faciat nos velle hoc vel illud. Attendant velim ad hæc qui Origenis authoritatem proferunt.

Sed & hic videtur addendum quod habetur in 7. Synodo actione 6. pag. 627. impressionis Rom. de aliquibus, qui in sui favorem Eusebium Pamphili adducebant. Prophetica vox istis convenit „ qua Deus per Prophetam Hieremiam adversus „ Judæorum populos queritur dicens: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ & foderunt sibi lacus „ contritos, qui aquam continere non poterunt, deferentes enim probabilium Patrum doctrinas, fallacium Collegiorum primores & emulantes eos, „ qui ventilabro Divini Judicis ab arca Dominica, „ ideſt, Catholica Ecclesia sunt projecti, ipsos in „ provectione hæreseos suæ adducunt. Quis enim „

fidelium

Digitized by Google

„ fidelium Ecclesiæ & eorum qui verorum dogma-
„ tum scientiam perceperunt ignorat quod Euse-
„ bius Pamphili in reprobum sensum traditus unius
„ opinionis & sensus sit cum his qui Arrij super-
„ stitionem secuti sunt? Quis ergo similiter ignoret Origenem & Arrianorum, & futurorum Pelagianorum prius fundasse errorem secundùm quod S. Hieronym. & S. Thom. in dictis locis tradiderunt. Quomodo ergo in hac causa à viris catholicis in sui favorem potest adduci?

Quòd autem ultimo loco adducitur Origenes dicens non ideo rem futuram esse quia Deus præscivit, sed contra, Deum ideo præsciviſſe, quia ipsa futura est, quamvis quidquid in hac materia diceret ratione præmissa nihil omnino retulerit. Quia tamen in hoc potest sanè intelligi & explicari (ut S. Thom. exponit 1.p.quæst. 14. art. 8.) ideo ex eodem Sancto Doctore veram intelligentiam Origenis suo loco tradituri sumus. Interim adnotandum duximus testimonium hoc non negare divinas prædefinitiones; sive explicemus illud sicut S. Thomas citato loco exponit; sive dicamus Origenem loqui de præscientia purè speculativa seu intuitiva; verum est enim quòd ideo res intuetur & eas videt Deus; quia ipse suæ visioni, quæ æternitate mensuratur, coëxistunt; licet ut sic coëxisterent, Deus causa fuerit per suam antecedentem & priorem prædefinitionem, loquendo de omnibus in universum actionibus, etiam illis quæ in peccatis sunt, quatenus præcisè actiones & entitates sunt. Verùm præter hoc testimonium in quo ut S. Thomas exponit, rectè potest explicari Origenes. Illud dixerim advertendum, in omnibus aliis Origenem pessime de divina gratia & causalitate sensisse, quod in plurimis locis præter S. Hieronymum citatum S. Thomas affirmat, imò ij authores cum quibus agimus, Origenem habent Magistrum, ipsumque quasi in terminis in omnibus suis assertionibus sequuntur, ita ut facile esset omnia eorum placita quasi ad Verbum ex ipso Origene colligere, sed nec in hoc insudare putamus. Non ergo minus debebant Origenem in hac causa inducere vel nominare ij authores, quam Pelagium ipsum.

Theodoretum etiam audiendum in hac parte minimè existimamus, qui & Originem sequutus valdè incautè prædestinationem divinæ voluntatis, ut supra retulimus admisit, illam constituens post prævisionem humanarum operationum, quæ prædefinitio non est, ut ostensum est supra. Ab his ergo quale sibi patrocinium possunt Recentiores pro negandis divinis prædefinitionibus vendicare? Alios qui inducendi non sunt, infra lib. 2. in materia de prædest. notabimus.

Circa SS. autem Patres Græcos facilis & antiqua est intelligentia à SS. Doctoribus Ecclesiæ communiter recepta & expressè tradita, à qua si isti Recentiores nolient recedere, finitum esset in hac parte. Gregorius enim Nyssenus & S. Damascenus, quos ut singulares patronos isti authores venerantur, ipsorum sententiæ nihil omnino favent. Utriusque enim Doctoris Sancti veram intelligentiam, sensum & interpretationem tradit S. Thom. quæst. 5. de potentia art. 5. ad primum, 1.p. quæst. 23. art. 1. & 3. contra gent. cap. 90. & aliis plurimis in locis, quibus docet non negasse Sanctos illos, vel divinam providentiam, sive prædefinitionem, seu divinam prædeterminationem; sed solùm negasse prædefinitionem, seu prædeterminationem ad unum prædeterminantem, sicut prædeterminantur merè naturalia. Verba S. Thom. in quæst. cit. de pot sunt. *Ad primum dicendum quod verbum Damasceni non est intelligendum hoc modo, quod omnia illa quæ sunt in nobis, id est in electione nostra à divina providentia excludantur; sed quia non sunt per divinam providentiam determinata ad unum sicut ea quæ libertatem arbitrij non habent.* Quod confirmans loco nunc ex contra gent. citato sic concludit. *Et similiter quod Gregorius Nyssenus dicit in lib. quem de homine fecit, providentia est eorum quæ non sunt in nobis, non autem eorum quæ sunt in nobis: & Damascenus cum sequens dicit in 2. lib. quod ea, quæ sunt in nobis Deus præscit, sed non prædeterminat, exponenda sunt, ut intelligantur ea quæ sunt in nobis divinæ determinationi non esse subjecta quasi ab ea necessitatem accipientia.* Hæc S. Thom.

Authores cum quibus disputamus, quibus intelligentiæ Sanctorum Doctorum antiquæ veréque fundatæ viluerunt, hanc S. Thomæ explicationem & intelligentiam non recipiunt; imò & impugnant dicentes, quod si Sanctus Damascenus per prædefinitionem intelligit necessitatis impositionem, nulla videtur ratio, cur potiùs usurpet prædefinire quam præscire; si enim præscire in hoc sensu caperetur, eodem modo negaret Damascenus Deum omnia præscire, sicut etiam negavit omnia prædefinire. Præterea in illis verbis S. Damascenus non explicuit quid nomine prædefinitionis intelligebatur, sed rationem reddit cur non prædefiniat Deus opera nostra. Quod sic probat: si prædefineret cogeret, sed non cogit, ergo non prædefinit. Hæc argumenta ad impugnandam explicationem D. Thoma & ad negandam in Deo voluntatem prædefinientem prætextu doctrinæ Damasceni adducit P. Vasquez 1.p. quæst. 23. disp. 99. cap. 6.

Cæterùm ad ista argumenta, quæ tam apertè SS. Thom. Nysseno, atque Damasceno contradicunt, dicitur quòd quia præscientia Dei, licet certa sit ex actu divinæ voluntatis vel volentis, vel permittentis, quem præsupponit; tamen præscientia ex modo significandi & proprio conceptu non ita importat determinationem seu necessitatem sicut importare videtur hoc nomen prædefinitio sive prædeterminatio & hac ratione S. Damascenus nomen præscientiæ admisit, negavit autem prædeterminationem imponentem, videlicet necessitatem, ut S. Thom. declarat. Secundo admisit præscientiam quia ipsa ut intuitiva est, & merè speculativè sumpta præsupponit objectum sibi in æternitate præsentialiter coëxistens. Prædefinitio autem semper futurum antecedit, unde prædefinitionem antecedentem ad unum negavit.

Ad aliud dicendum Damascenum illis sequentibus verbis rationem reddidisse illius prædefinitionis quam negavit; satisque ostendisse se tantum negare prædefinitionem seu prædeterminationem ad unum determinantem cum impositione absolutæ necessitatis, sicut est in rebus naturalibus. De hac enim optimè infert, quòd si Deus ita prædefiniret seu prædeterminaret ad unum per modum naturæ, cogeret: sed non cogit; ergo non sic prædeterminat ad unum ad modum naturæ. Unde S. Thom. 1.p. quæst. 23. art. 1. ad primum ex eo colligit S. Damascenum tantùm negare prædeterminationem quæ est ad unum cum impositione necessitatis absolutæ, sicut est in rebus naturalibus, loquendo de coactione in lata significatione.

Sanctus ergo Damascenus, prædefinitionem quæ est in rebus naturalibus ad unum determinatis negavit in humanis operationibus (ut rectè S. Thomas exponit) sicut è converso Apostolus, cum dixit, numquid de bobus cura est Deo, illam curam quam habet Deus de intellectualibus creaturis negavit tantùm; non autem aliam minùs principalem, quam circa boves & alia irrationalia exercet, vt est apertissimum.

CAPUT

CAPUT. XII.

Quod alij Sancti Patres inducti non negant divinas prædefinitiones.

QUOD autem adducunt ex D. Justino, minùs benè intelligitur; adducitur enim diminutè & truncatè omissis antecedentibus, & consequentibus, quæ omnem rationem auferunt dubitandi. In quæst. enim octava, cui respondebat, ita habet: *Si notionem boni & mali à Deo, & ab eo quod sumus (sive ab essentia) accepimus, quomodo author non est utriusque qui utriusque naturæ, indidit & cognitionem, & vim ad illorum completionem?* Ubi advertis quid quæstio ipsa intendat; videlicet Deum causam solum esse in homine vel boni vel mali absque propria hominis libertate, ex eo quod dedit hominibus & cognitionem boni & mali, & vim ad illa amplectenda cui quæstioni sic respondet. *Non modò, ut simus, & noscamus, atque sciamus bonum & malum vim nobis Deus indidit, sed arbitrium quoque liberum donavit, & delectus nostri, ut earum quas cognovissemus rerum, quod nobis placitum esset, & aliis prætulissemus, complecteremur, dominos constituit. Atque ut boni vel mali simus, non in notione cognitarum, sed in electione delectarum posuit rerum.* Quibus verbis dicit, quod licet Deus nobis dederit naturam ad cognoscendum bonum, & malum, & licet dederit vim ad bonum vel malum volendum; non tamen dedit vim ab intrinseco & ex natura determinatam ad unum, sed arbitrij libertatem donavit. Et statim subdidit verba, quæ inducuntur, dicens. *Quo circa non Deus, ut boni vel mali simus, sed arbitrium nostrum, causa est.* In quibus proinde solùm intendit, quod Deus non est solùm causa ut boni vel mali simus absque arbitrij nostri libertate; sed arbitrium nostrum est causa ut boni vel mali simus; sed diversimodè tamen ut mali quidem simus est sola causa. Ut autem boni simus arbitrium nostrum est causa, sub prima tamen, causa, quæ divina voluntas est, nec aliud intendit aut intendere potest Justinus: Et hæc sit prima solutio.

Secundo respondetur cum Sixto Senensi lib. 4. Biblioth. *verbo Iustinus*, illum lib. 146. quæst. non esse Justini; quod ex eo patet, quia in quæst. 82. & 86. & 115. citat Irenæum, & Origenem longè eo posteriores. Rursus libellus ille authoritatem non habet; sed cautè legendus, quia in quæst. 76. dicit animam Latronis custodiri in paradiso terrestri (qui est apertus error in fide,) quòd nunquam Justinus Martyr sensit, aut dixit. Unde quidquid libellus ille dicat, cum Justini non sit, parum aut nihil retulerit.

Tria loca, quæ ex Irenæo inducuntur, ut ipsissima verba aducta manifestant, nihil omnino contra divinam prædefinitionem militant. In primo enim loco ex cap. 71. nihil aliud dicit, nisi quòd homo est liberi arbitrij, & quòd vis à Deo non fit. Quis autem hoc neget, vel quis de hoc dubitet? In cap. vero 76. in prioribus verbis solum hortatur hominem ut cor molle & tractabile offerat Deo; Ex quo loco nullatenus deducitur, quòd Deus sua voluntate & æterna prædefinitione non faciat, cum sibi placuerit, in homine cor molle & tractabile: Ut cum veritate possit dicere offerens: ecce quæ de manu tua accepimus reddimus tibi.

Similiter Irenæus in aliis verbis ejusdem capitis solùm affirmat quòd Deus neminem cogit, nec alicui imponit necessitatem, quod tota scriptura totaque fides prædicat.

Sed ex hoc inferre non esse in Deo efficacem voluntatem, qua vult nos facere liberè quidquid boni liberi facimus, nimiæ contentionis est. Imò ipse Irenæus in hoc eodem loco manifestè declarat Deum omnia bona in homine sua potestate suaque manu facere. Postquam enim exhortatus est hominem, ut cor molle & tractabile Deo offerat subdit. *Custodiens autem compaginationem, ascendens ad perfectum, ab artificio enim Dei abscondetur quod est in te lutum, fabricabit substantiam in te manus enim liniet te ab intus & à foris auro puro & argento, & in tantum ordinabit te, ut & ipse Rex concupiscat speciem tuam.*

Viden quomodo Irenæus, in loco à contrariis adducto, divinum artificium, divinum opificium divinamque manum intus hominem reformantem manifestissimè prædicet, & divinam causalitatem & efficaciam, quam & per manum explicuit, apertissime confiteter? In ultimo autem loco ex cap. 1. lib. 5. hæc illius sunt verba. *Et quoniam injuste dominabatur apostasia, & cum natura essemus Dei omnipotentis, alienavit nos contra naturam, suos proprios faciens discipulos, potens in omnibus Dei verbum & non deficiens in sua justitia, justè enim adversus ipsam conversus, est apostasiam, & qua sunt sua redimens ab eo, non cum vi, quemadmodum illa ab initio dominabatur nostri, ea qua non erant sua insatiabiliter rapiens, sed secundum suadelam, quemadmodum dicebat Deum suadentem & non vim inferentem accipere qua vellet.* Quibus verbis duo dicit. Primum, Verbum Patris non vi trahere homines, & sine libertate, quo nihil est verius. Alterum est illos trahere suadela sive suasione; sed per illam intelligit suasionem sive persuasionem inducentem efficaciter, trahentem & infallibiliter operantem sicut Sancti Patres Conciliaque sacra contra Pelagianos definierunt hanc suadelam non esse solam ostendentem, vel invitantem, quod pertinet ad legem atque doctrinam, sed esse efficientem, operantem, & convertentem, quod pertinet ad spiritum gratiæ quam suasionem vocat Augustinus lib. de grat. Christ. contra Celest. & Pelag. cap. 10. non suasionem sed persuasionem; & Concilia sacra vocant gratiam excitantem & adjuvantem, illuminantem & operantem, ostendentem & efficientem; ut ex Concil. apertis Verbis in 4. hujus operis libro ad longum comprobabimus. Ad præsens autem, breviter ostendere sufficiat quod Irenæus hanc suadelam sic verè activè operantem, & efficaciâ suâ homines trahentem intelligat. *Potens est*, inquit, *verbum Patris, & quod sua potentia, qua non defficit, homines ad se trahit, & quod fecit quod voluit.* Ubi apertè ostendit efficaciam, virtutem, potentiam, indeficientiam quam habet suadela Christi in his, qui ad ipsum convertuntur. Utitur autem nomine suadelæ ad manifestandam arbitrij libertatem, solùm enim habentibus rationem & libertatem fit suasio. Relinquo brevitatis gratia multa alia loca, quæ ex Irenæo possent adduci, quibus passim prædicat divinam potentiam & efficaciam.

Epiphanius autem cur adducatur planè non videmus; ipse enim hæresi quinta solùm tractat contra Stoïcos qui fatum in syderibus constituebant, à quo omnia ex necessitate evenirent, & absque libertate, contra quos dicit, quòd si ita est, cessant consilia, cessant leges, & frustra sunt disciplinæ, frustra præmia atque supplicia: quod à quolibet catholico dicendum est & firmiter tenendum. Ex hoc autem inferre non esse divinam voluntatem prædefinientem omnia bona quæ à nobis fiunt, est cum Pelagianis, & Semipelagianis manifeste consentire, & eorum uti potissimo argumento, quo contra S. P. Augustinum sacraque Concilia contendebant fatalem induci necessitatem, si divina voluntas efficacia sua hominas

prævi

Digitized by Google

præveniebat voluntates; ut habes apertè ex S. Prospero epist. ad S. P. Augustin. & ex multis aliis locis, quæ ad præsens omittuntur, alibi commodiùs adducenda.

Theophylactus loco citato ad Ephes. prædefinitiones expressis verbis admittit: sic enim dicit: *Quod elegit nos à supernis, jam olim prædefinita erant, quæ in nobis derivata sunt. Nec enim recentia sunt, vel nova; sed à principio dispensata, ordinataque* Item ibi. *Quandoquidem non à nostra virtute sola salus provenit in dilectione præfiniens*, &c.

OEcumenius autem, cum ait, ideo non fieri quod Deus vult, quia homines nolunt, loquitur solum de voluntate antecedente & inefficaci, qua Deus vult omnes homines salvos fieri; qui ideo non salvantur, nec benè operantur, quia nolunt, juxta illud; *perditio tua ex te.* Cum autem benè operantur; & operantur benè quia volunt, & quia Deus vult ipsos absoluta & efficaci voluntate velle: quia tantùmmodo est in Deo auxilium nostrum: & sic prima radix & causa mali ex nobis est, prima autem causa boni nostri ex Deo, ut dicit S. Thom. 1. 2. q. 112. art. 5. ad secundum. Sed de Theophylacto, & OEcumenio plura notamus infra lib. 2. in materia de divina prædefinitione seu prædest.

De Cyrillo autem, qui in prædicto loco (ut etiam ij authores fatentur) expressè loquitur de vocatione ad fidem per gratiam, qua Pater trahit ad filium, copiosè infra suo proprio loco, videlicet lib. 4. dicendum erit. Ad præsens autem notasse sufficiat, Cyrillum in præcitatis locis tantum docere id quod ipsa docet fides; videlicet hominem liberi arbitrij esse, nec à Deo cogi, vel vi aliqua impelli: sed trahi doctrina, revelatione, & suasione; sed doctrina revelatione, & suasione immutante voluntatem, ipsamque activè propriè convertente, non autem solùm objectivè ostendente. Est enim duplex illuminatio, duplexque doctrina; altera tantùm objectivè proponiens & alliciens, quæ & Angelis competere potest respectu arbitrij nostri. Altera verò effectivè transmutans voluntatem, quæ solius Dei est propria, ut docet apertè S. Thom. 1. p. q. 106. art. 2. & de hac revelatione & doctrina loquitur Cyrillus, loquunturque omnes Doctores, qui frequentissimè dicunt Deum excitatione, suasione, vel illuminatione trahere ad fidem.

Ex S. Chrysostomo plurima adduxerunt loca pro divinis prædefinitionibus auferendis; sed omnia illa in particulari visa & examinata nihil tale vel à longe insinuant. In hom. enim 26. super Epist. ad Romanos nec verbum dicit quod divinis prædefinitionibus obstet. Similiter homil. 11. & 26. in Joan. nihil invenies, ex quo divinæ providentiæ prædefinitio infirmetur. In homil. autem super Epist. ad Ephes. potius contrarium docet, explicans enim illud, *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, ait, *quod homo credat & accedat, ejus quoque est qui vocavit*; nec ibi aliquid dicit contra efficaciam prædefinitionis æternæ. In hom. autem secunda solùm dicit quòd nulla est necessitas, violentia nulla, ut homo peccet. Ex hoc autem quomodo divinam prædefinitionem negasse ostenditur? In hom. vero 60. in Matth. circa illa verba, necesse est ut veniant scandala, dicit. *Cum autem necessitatem dicat, non quia potestatis libertatem, potestatemque liberi arbitrij tollat, nec quia necessitati rerum humanarum subjiciat vitam, hoc dicit; sed quod omnino venturum est prænuntiat.* Hom. præterea 56. in Matth. explicans illa verba Matth. 16. *si quis vult post me venire*, dicit quòd Deus non impellit, non urget, sed liberam singulorum libertatem efficit; dicit etiam quòd nullo modo cogit oratio; non enim ait Dominus, quòd oporteat ipsos pati, velint nolint; sed dicit, siquis vult, & cætera talia. Ubi nihil aliud docet, nisi quòd non cogit nos, sed libertatem illæsam servat.

Quòd autem ultimò inducunt S. Hieronymum ex cap. 26. Hierem. dicentem: *non quia Deus scit, futurum est aliquid, sed è converso*; ex professo explicabitur infra. Ad præsens etiam id dicimus, quod supra insinuavimus, ex hoc testimonio nihil deduci contra divinas prædefinitiones; quia in illo tantum dicit S. Doctor quòd quia futurum est, Deus præscit intuendo & speculando ipsum; sed antequam illud futurum esset, si bonum est, præcessit divinæ voluntatis prædefinitio, quæ illius est causa propria; vel si peccatum est, præcessit ejusdem peccati permissio cum prædefinitione actionis illius quatenus actio & entitas est.

Sed jam venio ad magnum Dionysium Areopagitam, qui citato loco hæc habet. *Cognitionem enim Dei repulisti, & post cor tuum existi.* Ubi loquitur de multitudine hominum, qui à veritate recedunt. Et post prædicta verba subdit: *Nec enim coactam habemus vitam, nec per provisorum propriam potestatem divina lumina providæ illuminationis revelantur.* Quod, ait, nos vitam coactam non habere, certissimum est. Quod inde inferunt Recentiores, non dari scilicet divinam voluntatem absolutè volentem quidquid boni facimus ut illud faciamus, falsissimum est, & contra omnem veritatem, sive naturalem, sive supernaturalem malè deductum. Imò cùm Dionysius ait, per provisorum potestatem nos non cogi, expressè loquitur de Angelis Custodibus, & præsidentibus, de quibus ait, quòd si mali homines ad falsos Deos devolvuntur, non ex defectu Angelorum est, sed ex propria hominum voluntate mala; quia provisores Angeli voluntatem illorum cogere non possunt; imò nec efficaciter immutare; solùm enim objectivè movent suadendo, illuminando, ut hìc docet Dionysius, & alibi sæpe & S. Thom. loco citato ex 1. p. q. 106. clariùs ostendit.

Clemens autem Papa I. in Epistola 3. citata non habet illa verba, quæ ab his authoribus, inducuntur, sed hæc: *Si quis sanè audiens sermonem veri Prophetæ velit, aut nolit, aut nolit recipere & amplecti onus ejus, id est mandata vitæ, habet in sua potestate; liberi enim sumus arbitrij. Nam si hoc esset, ut videntes ea jam non haberent in potestate aliud facere quàm audierant, vis erat quædam naturæ, per quam liberum non esset ad aliam migrare sententiam. Aut si rursus ex audientibus nullus omnino reciperet, & hoc naturæ vis erat, quæ unum aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locum. Nunc autem quia liberum est animo in quam velit partem declinare judicium suum, & quam probaverit eligere viam, constat evidenter inesse hominibus arbitrij libertatem.* Hæc S. Pontifex. Ubinã invenitur illud quod hi authores opponunt? videlicet si aliquid esset quod audientes fidem, vel ad credendum, vel ad non credendum determinaret, tolleretur libertas, &c. Ubinam est illud verbum (determinaret) quod ij authores de suo apponunt, ut negent divinas determinationes. Imò, etiam si illud verbum in sancto Pontifice haberetur, explicandum, intelligendumque veniret, sicut & illud Damasceni supra à nobis ex S. Thoma explicatum & declaratum est; præsertim cum ipse S. Clem. 3. recognit. scriptum reliquerit, (ut diximus supra) Apostolum Petrum tractatum composuisse de divinis prædefinitionibus contra Simonem Magum qui illas negabat. Quomodo enim ipse Clemens prædefinitiones negaret contra suam propriam, & apostolicam doctrinam? Istum locum non viderunt patres cum quibus agimus. Illum

Digitized by Google

quæsumus, adeant, & videant, & demum fideliter recitent.

Dices forte æquivalenter id dixisse S. Clementem, cum ait Deum non cogere ad aliquid unum in particulari tenendum. Sed quid facit verbum cogi, cum verbo, determinare. Coactio enim semper inhumana voluntate negatur; determinatio autem, quæ & libertatem causat & ipsam ad agendum liberè applicat à Sanctis Patribus prædicatur.

Quoad Anastasium Nicænum Episcopum, (quem ex tomo primo Bibliot. veterum Patrum adducunt,) verum est illa verba respondisse quæst. 59. citata quod videlicet, *quos vult Deus servat, quos autem vult, perdit, nec qui salvatur dignus est mercede, nec qui perditur suppliciis.* Sed intelligit, quòd si quos vult Deus servat, & si quos vult perdit absque ordine ad hominis libertatem, tanquam ad effectum liberum, per quem de facto vel ex se perditur homo, vel à Deo adjutus saluatur; quòd tunc nec qui saluatur dignus est mercede, nec qui perditur supplicio. Et quòd ista intelligat, patet: nam statim subdit. *Quòd si etiam in nobis quispiam acceperit ab eo, quod decet, non aberrabit, etenim non volentis solum virtutem, nec currentis & contendentis est rectè gerere, sed miserentis & adjuvantis Dei, non potestis enim (inquit) sine me quidquam facere, propterea dicit Apostolus, cum timore & tremore vestram operamini salutem, Deus enim est qui operatur in nobis & velle & perficere pro beneplacito.* Et alia similia subjungit scripturæ loca quibus divinum adjutorium commendat quod facit nos bene operari. Verum est antiquissimum istum authorem non ita ex professo de divina voluntate tunc egisse, nec ita propriè fuisse loquutum, cum ait, *si quos vult Deus servat, dignos mercede non esse.* Propriùs autem S. Doctor Ambrosius citatus & laudatus à S. P. Augustino libro de gratia Christi cap. 45. Dixerat. *Deus quos dignatur vocat, & quem vult, Religiosum facit.* Ubi inquit S. Augustinus. *O sensum hominis Dei ex ipso hausturn fonte gratiæ: Deus, inquit, quos dignatur vocat, & quem vult Religiosum facit, videte si non propheticum illud est, miserebor cujus misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericors fuero. Et illud Apostoli, non volentis nec currentis, sed miserentis Dei. Quia ut dicit etiam nostrorum temporum homo, cum, quem dignatur, vocat, & quem vult religiosum facit.* Unum autem ex dictis concluditur maximè ad ertendum, quòd videlicet ij authores cum quibus disputamus ubicumque sive in scriptura, sive in sanctis Patribus legunt, vel adducunt homines ad operandum non cogi, nec vi trahi, statim inferunt negari divinæ voluntatis absolutam virtutem, & efficaciam prædefinientem bona humana opera. Similiter cum, vel in Sanctis Patribus, vel in divinis scripturis legunt exhortationes, præcepta, consilia, & similia, quibus est plena scriptura, statim inferunt negari divinæ voluntatis potentiam, quæ sua adhibita voluntate faciat & causet quod homo operetur id ipsum quod sibi præcipit. Quasi verò scriptura Sacra, Concilia, Sanctique Patres utrumque non expressè affirment & doceant frequentissimè, & hominis libertatem & divinæ voluntatis efficaciam, quæ absoluta voluntate vult atque prædefinit quod homines benè utantur libertate concessa. Quomodo ergo ex hominis libertate quam scriptura docet, negatur divinæ voluntatis efficax determinatio quam scriptura prædicat Concilia & Sancti docent? utrumque profectò asserunt, ut Sanctus P. Augustinus diffusè probat per totum librum de gratia & libero arbitrio in quo hoc prosequitur intentum. Similiter lib. de Corr. & gratia, potissimè cap. 2. 3. 4. & 5. Unde lib. de prædest. Sanct. cap. 11. ait. *Ideo enim hæc nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur quòd & nos illa facimus, & Deus facit quòd & illa faciamus.* Et lib. 2. contra duas Epistolas Pelag. cap. 9. illam generalem tradit regulam dicens. *Quæ cum ita sint, nihil in scripturis Sanctis homini à Domino video juberi propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur, vel dari ab ejus voluntate, vel posci propter adjutorium gratiæ demonstrandum.* Nihil (inquit) in scriptura homini præcipitur quod scriptura ipsa non docet à Deo homini dari, vel ab eo Deo per homines postulari. Ex qua regula rectè orans idem Sanctus Augustinus dicebat Domino; *da quod jubes, & jube quod vis.*

Tandem ipse S. P. Augustinus lib. 5. de Genesi ad litt. cap. 20. sic habet: Nec omnino audiendi „ sunt, qui putaverunt sublimes quidem mundi „ partes, id est, à confinio corpulentioris aëris hu- „ jus, & si pra, divinâ providentiâ gubernari: „ hanc autem imam partem terrenam & humi- „ dam, aëriisque hujus vicinioris, qui terrarum & „ aquarum exhalationibus humescit in quo venti „ nubesque consurgunt: casibus potiùs & fortuitis „ motibus agitari. Contra hoc enim loquitur psal- „ mus, qui cum explicasset laudem cœlestium, se „ etiam ad ista inferiora convertit, dicens: laudate „ Dominum de terra, dracones & omnes abyssi, „ ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis „ quæ faciunt verbum ejus. Nihil enim tam vide- „ tur casibus volui, quàm omnes ipsæ procellosæ, „ atque turbulentæ qualitates, quibus cœli hujus „ inferioris (quod non immeritò etiam terræ no- „ mine deputatum est) facies variatur & vertitur: „ sed cum addidit, quæ faciunt verbum ejus, satis „ ostendit earum quoque rerum ordinem divino „ subditum imperio, latere nos potiùs quam uni- „ versitati deesse naturæ. Quod autem ore suo Sal- „ vator dicit unum passerem non cadere in terram „ sine Dei voluntate, & quod fœnum agri post „ paululum mittendum in clibanum, ipse tamen ve- „ stiat, nonne confirmat non solùm totam istam „ mundi partem rebus materialibus & corruptilibus „ deputatam, verum etiam vilissimas ejus, abjectis- „ simasque particulas, divinâ providentiâ regi. „

De Eusebio autem dicente ex Origene Deum ab æterno omnia videre, sed non omnium esse causam, si intelligant non omnium, id est etiam peccatorum causam non esse, ut sequentia verba ostendunt, rectè quidem dicunt: si autem etiam bonorum operum negant Deum esse causam efficientem, ut arbitrium illa faciat (quemadmodum semper negavit Origenes;) & ipse & Eusebius damnari debent; quia Origenes in his erroribus Magister Pelagij fuit, fons Arrianorum, quos sequutus est Eusebius quique præscientiam sine causalitate per illam mediam scientiam admittebant in Deo, ut infra agentes, contra mediam scientiam exponemus. Unde in hac parte non solùm Origenes, qui manifestè divinam causalitatem & gratiam impugnat, reprobandus est; sed Eusebius non sine magna suspicione citandus; cum subintulerit quod futurum est, causa cur Deus præsciat; loquendo enim de causa in essendo, ut planè intelligit, intolerabilis est propositio; in qua nec illum inducere ille author debuerat, ne convinceretur ex proprio ore secum illo pariter sentire. Sed & illud notandum jam tempore Eusebij, in quo & D. Augustinus floruit, visum fuisse absurdum asserere quod futurum sit causa cur illud Deus præsciat; quam tamen absurditatem ipse sciens noscitur tenuisse.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XIII.

De vera intelligentia S. Hieronymi & S. Thomæ in locis inductis.

MINÙS juvat quòd contra divinæ providentiæ prædefinitiones adducatur Hieronymus citato loco super Habacuc, cum ipsamet verba clarè ejus mentem aperiant ut Magister sent. in 1. dist. 39. satis apertè exposuit dicens. *Ex tali itaque sensu dictum esse noverimus, ut Deum alternatim, vel particulatim scire neget, nec per diversa temporum momenta sic illa cognovisse, sicut per varia momenta illorum quædam deficiunt, quædam incipiunt. Nec illis, aliisque irrationalibus ita providet, quemadmodum rationalibus.* Negat ergo S. Hieronymus circa minuta illa, quæ successu temporis & deficiunt, & incipiunt Deum successivam habere cognitionem, seu providentiam. Sicuti de illis esse negat providentiam sicut de rationalibus; non autem negat absolutè & simpliciter esse providentiam de illis (de quo tamen latius in propria materia de provid. lib. 2.) Utraque solutio ex ipsis verbis S. Hieronymi satis liquet. Prima ex illis prioribus, *Vt sciat per momenta singula, &c.* Secunda ex illis. *Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum providentiam ejus etiam ad ima retrudimus, in nos ipsos injurioſi simus, eandem rationabilium & irrationabilium providentiam esse dicentes.* Et quod ista sit propria illius mens, constat ex antecedentibus verbis, quibus ait, *Sicut igitur in hominibus etiam per singulos Dei, currit providentia, sic in cæteris animalibus generalem quidem dispositionem, & ordinem causamque rerum intelligere possumus, verbi gratia quomodo nascatur piscium multitudo, & vivat in aquis, quomodo reptilia & quadrupedia oriantur in terra, & quibus alantur cibis, &c.* Constat ergo Hieronymum in eodem contextu manifestè divinam providentiam pro illis minutissimis constituere, quod in plurimis suæ doctrinæ locis confirmat; sed omittuntur, ubi tam apertus est litteræ contextus. Sed & S. P. Augustinus hoc ipsum ita confirmat loco cap. præced. citato ex lib. 5. de Genesi ad litt. cap. 21. *Quod autem ore suo Salvator dicit, unum passerem non cadere in terram sine Dei voluntate, & quòd fœnum agri post paululum mittendum, ipse tamen vestiat, nonne confirmat non solùm totam istam mundi partem rebus mortalibus & corruptilibus deputatam verum etiam vilissimas ejus abjectissimasque particulas divinâ providentiâ regi.*

Postquam S. Hieronymi mentem ita explanassem, contigit legere novum quendam librum de Deo uno & trino in quo lib. 3. de Attributis Dei positivis cap. 3. idem nobiscum fatetur Suarez, cujus verba, ut ad hominem suos convincant transcribenda, licet longiora hìc putavi, sic enim ait. *Ibi vero* (nempe in Metaphysica) disp. 39. sect. 15. num. 28. & sequentibus breviter & per occasionem quemdam Hieronymi locum tractavi quem hic luculenter exponere necessarium judico, quia licet à prioribus Theologis satis tractatus sit & expositus, non obstantibus expositionibus à veteribus datis, non desunt novi Theologi qui affirmare audeant Hieronymum ibi errasse, licet errorem alibi correxerit. Igitur Habacuc primo, sic ait Hieronymus: Absurdum est ad hoc deducere Divinam Majestatem ut sciat per momenta singula quot nascantur Culices, quotvè moriantur, &c. Si autem contextus & occasio verborum illorum attendatur, certissimè, ut opinor, constare poterit sensum Hieronymi alienum esse ab omni errore. Nam in primis ibi non agit de Dei scientia quasi speculativa tantum, sed de providentia, de qua etiam tractabat propheta; quod ipse satis declarat sequentibus verbis. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima distrahimus, in nos ipsos injurioſi simus, eandem rationabilium & irrationabilium providentiam esse dicentes. Agit ergo de providentia & solùm intendit non ita curare Deum vilia & irrationabilia secundum se spectata sicut curat humana, quomodo etiam dixit Paulus, Numquid de Bobus cura est Deo? 1. Corinth. 9. atque ita exposuit D. Thomas 1. p. quæst. 22. art. 2. ad 5. & ad eundem modum dixit ibidem D. Thom. 1. p. quæst. 23. art. 7. numerum prædestinatorum esse certum, non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cujusdam principalis definitionis, non sic autem esse de numero reproborum, qui videntur esse præordinati à Deo in bonum electorum, eodem ergo sensu ait Hieronymus non prænoscere Deum numerum culicum, vel quot per momenta singula nascantur vel moriantur: utique per modum cujusdam peculiaris intentionis ac prædestinationis; sed solum quasi per modum cujusdam permissionis, sinendo causas secundas cursus suos peragere. Et hoc modo ait paulo superiùs idem Hieronymus. Sicut igitur in hominibus etiam per singulos currit Dei providentia, sic in cæteris animalibus generalem quidem dispositionem & ordinem, cursumque rerum intelligere possumus, verbi gratia, quomodo nascatur piscium multitudo & vivat in aquis, quomodo reptilia & quadrupedia oriantur in terra, & quibus alantur cibis. In quibus verbis non negat Deum cognoscere hæc omnia in particulari, sed potius id supponit, dum ait Deum de piscibus & reptilibus & eorum cibis ac multitudine habere providentiam; quæ omnia sine distincta cognitione & in particulari intelligi non possunt. Cum ergo subdit. Cæterùm absurdum, &c. Satis declarat hoc solùm dici ad significandum non esse intelligendam providentiam cum æqualitate, comparatione facta ad homines, nec cum illa singulari cura præordinativa & prædefintiva, quam habet Deus erga homines, vel propter homines. Atque ita intellexerunt Hieronymum Hugo de S. Victore in sum. sent. tract. 1. cap. 1. Magist. in 1. dist. 39. Imò ipse Hieronymus seipsum tacitè ita exponit. Matth. 10. cum ex verbis Christi & veritatem universalis & distinctissimæ scientiæ Dei erga omnes res, & singularitatem providentiæ particularis erga homines colligit. Hæc Suarez.

Quibus nostrum principale intentum mirificè confirmatur, & à sua prætensa prava intelligentia retunduntur novi illi Theologi, qui non obstantibus veteribus explicationibus hoc audent Hieronymo tribuere, non dicentes hic errare, & alibi se correxisse, sed contendentes bene hic dixisse negando divinam prædefinitionem sub nomine providentiæ.

Sed & illud est consideratione dignum S. Cyrillum lib. 5. thes. cap. 2. inter errores eorum qui furiam Arrij. susceperant, & hunc numerare, quòd Dei virtus & providentia ad hæc minima non perveniat de illis curam habendo. Erat enim alioquin (inquiunt) indecens ineffabilem Dei virtutem ad hæc minima pervenire, & caducarum rerum curam habere. Quorum insaniam ita ibi refellit. Quòd si putatis indecens ad minima quoque Dei providentiam descendere, erubescatis aliquantulum quæso, audientes Christum: nonne duo passeres veneunt asse, & unus ipsorum non cadit in terram absque Patre vestro qui in cœlis est? Et rursus respicite volatilia cœli quòd nó seminãt, neq; metunt,

„ metunt, & Pater vester cœlestis pascit illa. Et rursus. „ Si autem fœnum agri quod hodie est & cras in „ clibanum mittitur Deus sic vestit quanto magis „ vos? Quid autem fœno & passeribus quibus ex „ bonitate sua providet, dejectius excogitari potest? „ Aut quomodo non erit creator omnium de quibus „ providere dignatur? Superbiæ certè vitium Deo „ inurere conanimi, cum dicatis non esse decens, ut „ minimarum rerum creator sit: Ipse autem omnium „ creator est, etiam minimorum, & omnibus pro- „ videt, & se propter misericordiam suam partici- bilem præbet. Hæc Cyrillus. Attendant ad hæc qui minimorum à Deo providentiam, prædefinientem auferunt, neque enim est providentia nisi prædefiniens. Quod secundo nostro libro demonstrabimus.

Secundò, Sequitur etiam vera intelligentia S. Th. ex 1. p. q. 23. art. 7. (De qua nos copiosiorem statim faciemus mentionem). Fatetur enim hic author solùm negare S. Th. in ordine ad reprobos particularem illam prædefinitionem, quæ est circa electos, non autem præordinationem aliam; quod est advertendum.

Unum tamen in verbis ex isto authore relatis mihi displicet; cum ait, quod culices nascantur, esse à Deo non per modum præordinationis, sed quasi per modum permissionis, sinendo causas secundas cursus suos agere. Duo enim breviter tangit valde falsa: Primum quod sit per modum quasi permissionis. Sunt ne ista peccata ut ad permissionem iste author recurrat? Verum est quòd illa dictio (quasi) eum ex aliqua parte excusat. Non ergo per modum permissionis, seu quasi permissionis, sed per modum generalis cujusdam prędefinitionis illa Deus cognoscit, non autem ex principali prædefinitione qualis est erga homines. Aliud est enim, quòd non ita prædefinita à Deo sunt ex vi cujusdam principalis intentionis & prædefinitionis, quod est verum, & id S. Hieron. intendit, ut statim ex S. Th. declarabimus: & aliud quod nullo modo, nullaque ratione à Deo sint prædefinita: quod procul dubio à S. Hieron. S. Th. & veritate ipsa est valdè alienum. Secundum est quod dicit sinere Deum causas secundas suos agere motus seu cursus; non enim sinendo tantùm, sed causas secundas movendo & applicando ad suos cursus illas Deus perducit (De quo in nostro tertio libro copiosè agemus) & sic facit quòd suos proprios motus habeant.

Venio jam ad S. Thomam, cujus sententiæ, literæ, & intentioni sæpiùs ab his authoribus fit violentia; quod in præsenti contigisse non erit difficile aperire. Propter locum enim illum, quem intelligere nolunt, doctrinam apertissimam S. Thomæ tùm in illo, cùm aliis plurimis locis traditam oppugnant. Quid enim clariùs in S. Doctore, quàm quòd nihil boni fit in rebus nisi voluntate Dei ut fiat? Quid apertiùs in ejus invenitur doctrina quàm Deum esse causam omnium contingentium? Quid manifestiùs quàm nihil subterfugere ordinem divinæ providentiæ, & quòd omnia ipsi subduntur? Quòd omnia sint ab ipsa præordinata, provisa, & præparata, prædefinita & prædeterminata? Quibus clarioribus verbis docere potuit Dei providentiam præsupponere efficaciam divinæ voluntatis, quàm dicendo quòd ipsa divina providentia rebus contingentibus causas applicat contingentes, & necessariis necessarias? Apertissimum est ergo in S. Th. ac ipsa luce clariùs, quòd divina providentia, quæ de mediis est, præsupponit divinæ voluntatis prædefinitionem circa finem. Iterum sæpiùs docet S. Doct. omnia in particulari secundùm omnes suas rationes particulares, quibus adinvicem constituuntur & distinguntur, subdi divinæ providentiæ & ejus prædefinitioni, & ab ipsa produci atque causari. Innumera tandem sunt testimonia, quibus luce clariùs docet per divinam providentiam, & causas secundas, & effectus earum, & ordinem & modum cujuscumque minutissimi, esse præordinata & prædeterminata. Videatur Quodlibeto 12. art. 4. q. 5. de Providentia ferè per totam lib. 3. contra Gentes cap. 17. 76. 94. 97. 98. & cap. 80. 88. 89. & potissimè cap. 100. 102. opusc. 3. cap. 136. & 135. & cap. 130. q. 6. de Veritate art. 6. Item lib. 3. contra Gent. cap. 64. 1. p. q. 22. art. 2. q 25. art. 5. Quæ testimonia commodiùs infra lib. 2. de providentia inducenda fore putavimus.

Ut autem omnibus constet quomodo illum locum contra ejus literam & S. D. mentem adducant isti authores; ipsissima verba proponam. Sic habet S. Doct. in illo art. 7. q. 23. 1. p. ab his authoribus adducto. *Sed advertendum est quod numerus prædestinatorum certus Deo dicitur, non solùm ratione cognitionis; quia scilicet scit quot sunt salvandi (Sic enim Deo certus est etiam numerus guttarum pluviæ & arenæ maris) sed ratione electionis & definitionis cujusdam. Ad cujus evidentiam est sciendum, quod omne agens intendit facere aliquod finitum, Quicumque autem intendit aliquam determinatam mensuram in suo effectu, excogitat aliquem numerum in partibus essentialibus ejus, quæ per se requirantur ad perfectionem totius. Non enim per se eligit aliquem numerum in his, quæ non principaliter requiruntur, sed solùm propter aliud; sed in tanto numero accipit hujusmodi, inquantùm sunt necessaria propter aliud; sicut ædificator excogitat determinatam mensuram domus & determinatum numerum mansionum quas vult facere in domo, & determinatum numerum mensurarum parietis, vel tecti; non autem eligit determinatum numerum lapidum; sed accipit tot quot sufficiunt ad explendam totam mensuram parietis. Sic igitur considerandum est in Deo respectu totius universitatis, qui est ejus effectus. Prœordinavit enim in qua mensura debet esse totum universum, & quus numerus est conveniens essentialibus partibus universi, quæ scilicet aliquomodo habent ordinem ad perpetuitatem; quot scilicet sphæræ, quot stellæ, quot elementa, quot species rerum; individua verò corruptibilia non ordinantur ad bonum universi quasi principaliter, sed quasi secundario inquantùm in eis salvatur bonum speciei. Unde licet Deus sciat numerum omnium individuorum, non tamen numerus vel boum vel culicum, vel aliquorum hujusmodi est per se prædeterminatus à Deo: sed tot ex hujusmodi divina providentia produxit, quod sufficit ad specierum conservationem. Inter omnes creaturas principaliùs ordinantur ad bonum universi creaturæ rationales, quæ inquantùm hujusmodi incorruptibiles sunt; & potissimè illæ quæ beatitudinem consequuntur, quæ immediatiùs attingunt ultimum finem. Unde certus est in Deo numerus prædestinatorum non solùm per modum cognitionis, sed etiam per modum cujusdam principalis prædefinitionis.*

Hæc S. Th. in cujus litera tria manifestè continentur. Primum est, idem omnino esse providentiam, prœordinationem, & prædefinitionem in Deo, quia promiscuè omnibus his nominibus utitur litera ad idem prorsus significandum: & ex consequenti fit manifestum in S. Th. quòd quidquid subditur divinæ providentiæ quod & divinæ prædifinitioni subdatur, quod Patres, cum quibus agimus, debebant considerare. Unde, cum secundum expressam S. Doct. sententiam omnia in universum, quæ in rebus sunt secundum suas particulares rationes sint subdita divinæ providentiæ, necesse est omnia illa subdita esse divinæ prædefinitioni, verèque esse à Deo prædefinita. Sed quia non omnia eodem modo

sunt;

Digitized by Google

sunt à Deo prædefinita; quia nec omnia æqualia sunt in perfectione respectu universi: ideò S. Th. hunc diversum modum prædefinitionis eorum assignans, dicit secundò quod prædestinati principaliter & per se sunt à Deo prædefiniti, per modum videlicet cujusdam principalis prædefinitionis, quia nimirùm sunt principaliores partes universi. Tertiò docet quod individua aliacorruptibilia, sunt secundario sive minùs principaliter, sive per aliud à Deo præordinata & prædefinita. Cum ergo ait, *quòd prædestinatorum numerus non solùm est certus ratione cognitionis, (sic enim certus est Deo etiam numerus guttarum.)* non intendit quòd numerus guttarum, & aliorum ibi inductorum, sit tantùm Deo certus ratione solius cognitionis, sed solius cognitionis ut excludit principalem definitionem, non autem ut excludit definitionem per aliud. Legatur litera, seipsa enim patet asserens solùm negari corruptibilia per se & principaliter esse præordinata, & prædefinita; non tamen negari illa minùs principaliter, & propter aliud esse à Divina providentia prædefinita. Unde Caiet. cum in hujusmodi comment. ait, quòd numerus individuorum corruptibilium extra speciem humanam est Deo certus, non prædefinitivè, sed cognoscitivè; tantùm intendit quod non sit à Deo prædefinitivè principali prædefinitione & propter se; sed prædefinitione dumtaxat secundaria, & propter aliud. Unde tantùm opponit verbum cognoscitivè contra prædefinitionem principalem. Sic enim principaliter prædefinita illa non sunt, sed cognita, bene autem propter aliud sunt prædefinita. Verum est Caietanum potuisse clarius loqui in hac parte; quia ex ejus verbis aliqui occasionem sumpserunt ut malè S. Th. intelligerent.

Hoc ipsum S. Th. clarius explicuit quæst. 5. de
„ Veritate art. 3. Ubi ait. Sciendum quòd aliquid
„ proivderi dicitur dupliciter; uno modo propter se;
„ alio modo propter alia; sicut in domo propter se
„ providentur ea, in quibus essentialiter est bonum
„ domus, ut sunt filij, possessiones & hujusmodi.
„ Alia verò providentur ad horum utilitatem; ut
„ vasa, animalia, & similia. Similiter ergo in uni-
„ verso illa propter se providentur, in quibus es-
„ sentialiter consistit perfectio universi; & hæc per-
„ tuitatem habent, sicut universum perpetuum est.
„ Quæ verò perpetua non sunt, non providentur
„ nisi propter aliud, & ideò substantiæ spirituales, & corpora cœlestia, quæ sunt perpetua, &
„ secundum speciem, & secundum individua, sunt
„ provisa propter se, & in specie, & in individuo; sed corruptibilia perpetuitatem non possunt
„ habere nisi in specie; Unde species ipsæ sunt
„ provisa propter se, sed individua eorum non
„ sunt pronisa nisi propter perpetuum esse speciei
„ conservandum,

Ille alius locus adductus ex quæst 6. de Veritate art. 1. ubi dicitur divinam providentiam non esse certam secundum ordinem & eventum, infra ubi de divina providentia agetur, in vera intelligentia explicabitur. Ad præsens breviter dicimus, quod procedit de divina providentia secundùm quid, quæ sequitur ad voluntatem Dei antecedentem; quæ nec impletur quoad effectus assecutionem; non autem procedit de divina providentia simpliciter. Hæc enim voluntatem Dei consequenter, & efficaciter prædefinientem importat, ut dicetur ibi expressiùs.

Præterea idem sanctus Doctor 1. p. quæst. 103. art. 5. probat omnia subdi divinæ gubernationi, gubernatio autem, ut dicit art. 6. ejusdem quæstionis, importat & providentiam divinam, & executionem ejus. Ea autem enumerans quæ dicit subdi providentiæ & gubernationi S. August. in argumento sed contra inducit dicentem: *Deus non solùm cœlum & terram, nec solum hominem & Angelum, sed nec exigui & contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbæ flosculum sine sucorum partium convenientia derelinquit.* Ex quo sanctus Thomas concludit omnia divinæ gubernationi subdi. Et in fine corporis: *Stulta igitur fuit opinio dicentium quòd hæc inferiora corruptibilia, vel etiam singularia, aut etiam res humanæ non gubernarentur à Deo.* Igitur sententia est sine dubio sancti Thomæ quod corruptibilia omnia, etiam minutissima animalia, à divina providentia gubernentur.

Tertius autem locus inductus ex tertio contra Gentes cap. 90 potiùs contra inducentes procedit. Quia ibi sanctus Thomas pro eodem reputat providentiam, & prædeterminationem, sicut in omnibus aliis suæ doctrinæ locis, ut dictum est. Unde cum agens de providentia ex professo, & docens omnes humanas actiones illi esse subditas sibi opponeret dictum Damasceni; quod nimirum actiones humanæ non erant prædeterminatæ; respondit non subdi prædeterminationi, quasi ab ea necessitatem habentia. Quibus verbis & docet subditas esse humanas actiones providentiæ & prædeterminationi non inducenti necessitatem, sed libertatem causanti. Ut ex apertis ipsius literæ verbis supra declaravimus.

CAPUT XIV.

Ex divina voluntate absoluta & prædefiniente humanas operationes, non ladi liberum arbitrium, sed liberari ostenditur, & primum adversariorum argumentum diluitur.

EX modò dictis difficile non erit rationes in oppositum solvere & earum inefficaciam ostendere. Illud enim primum fundamentale argumentum, quo ex absoluta voluntate Dei antecedente sive prædefiniente inferunt tolli libertatem; sicut fundamentum fuit Pelagianorum & Semipelagianorum ad negandam ejusdem divinæ voluntatis certam & absolutam prædestinationem sive prædefinitionem, ita solutum frequentissimè inveniter à summis Pontificibus, sacris Conciliis, & sanctis Patribus qui de hac re ex professo egerunt. Quòd enim hoc fuerit argumentum fundamentale sic in terminis propositum a Pelagio primùm, deinde à Pelagianis omnibus, constat aperte ex supra dictis à principio, dum ageremus de erroribus Pelagij & Pelagianorum omnium. Manifesteque constat (ut alia plurima omittam) ex S. Prospero Epist. ad S. P. Augustinum, ubi refert sic Pelagianos asserere; *Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio, humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.* Ecce argumentum, asserentium tolli industriam & libertatem ex Dei constitutione antecedente, & ex Dei voluntate absoluta præveniente & prædefiniente humanas voluntates. A quo adducendo, abstinere, & perurgere cum tanta energia deberent nonnulli, sed audiant & attendant in primis ad Concilium Cartaginense in Epistola ad Innocentium; quod de hac re, & ratione ita habet: *Id enim agunt isti, damnabilibus disputationibus suis ut non defendendo, sed potiùs in sacrilegam superbiam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei, qua Christiani sumus, qua & ipsum nostræ voluntatis arbitrium verè fit liberum.* Damnabilis ergo est disputatio ista, quæ dicit tolli arbitrium per

Dei

Digitized by Google

Dei absolutam efficaciam & prædefinientem voluntatem. Isti ergo authores per Conciliũ convincuntur quòd non defendant, sed quòd superbè arbitrium extollendo præcipitent. Quod sæpe demostrarunt SS. DD. Hieronymus, Augustinus, Prosper, & Thom. ut statim dicemus. Audiant rursus, quid Innocentius in sua decretali, qua prædict. Concilio respondet, dicat de illis, qui prætextu libertatis servandæ Dei gratiam provenientem ex ejus efficaci voluntate negabant: *Qui perversis*, inquit, *instructi, imo destructi verborum argumentis, sub imagine Catholicæ fidei disputantes, velut pestiferum exhalantes virus, ut hominum rectè sentientium in deteriorem partem corda corrumpant, totam veri dogmatis quærunt evertere disciplinam.* Everti dicitur tota fidei doctrina, si divinæ voluntatis efficacia & omnipotentia, quæ totius boni est causa, de medio auferatur. Hac enim sublatâ quid sibi miseri relinquunt homines? ut idem Pontifex ait prædicta Epistola. Et iterum ibi hoc primum argumentum solvens post pauca subdit. *Nam quid tam mortiferum, tam præceps videatur ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere quòd liberum arbitrium cum nascceremur, accepimus, ultra jam à domino nihil quæramus, idest authorem nostri obliti, ejus potentiam ut nos defendamus liberos, abjuremus.* Abjurare igitur existimantur Dei potentiam, qui contendunt per ejus efficaciam, qua nos ad bene agendum movet, tolli aut lædi nostram libertatem. Notanda enim sunt verba, (*Dei potentiam abjuremus.*) Potentiam dixit abjurari, idest efficaciam illam, qua potenter Deus prædefinivit quidquid boni agere debemus, potissimè in negotio salutis; de quo ibi videtur Sanctus Pontifex loqui.

Plurima alia ex Conciliis, & summis Pontificibus adducere poteramus, quibus prædictum argumentum refutatur, sed in alium locum referenda servamus. Veniamus jam ad Sanctos Patres, & quid de sic arguentibus sentiant, breviter aperiamus. S. Hieronymus Epist. ad Cthesiphontem ita dicit. Quod autem „ sursum deorsum jactitant liberum à nobis arbi- „ trium destrui, audiant è contra eos arbitrij destrue- „ re libertatem, qui malè eo abutuntur adversùm „ beneficium largitoris. Quis destruit liberum ar- „ bitrium? Ille qui semper Deo agit gratias, & „ quodcumque in suo rivulo fluit, ad fontem refert, „ an qui dicit: recede à me, quia mundus sum, non „ habeo tè necessarium; dedisti enim semel arbitrij „ libertatem, ut faciam quod voluero, quid rursum „ te ingeris, ut nihil possim facere, nisi tu in me „ tua dona compleveris? Eadem prorsus ratione dicimus cum S. Hieronymo quòd, cum sursum deorsum jactitant, & apud vulgus imperitum diffamant nos, divinam gratiam prædicantes & efficaciam divinæ voluntatis, liberum hominis auferre arbitrium, ipsos potius esse qui arbitrium omnino negant, dum primam causam ipsum moventem, quæ divina voluntas est, omnino tollunt, sine qua arbitrium nunquam ad agendum se movebit. Et iterum ipse Hieronymus, opponentem simile argumentum carpit dicens: *Frustra blasphemas & ignorantium auribus ingeris nos liberum arbitrium condemnare.*

Præterea S. P. Augustinus; cui sæpe hoc argumentum Pelagiani opposuerunt, sæpe illi respondet. Nam lib. 1. ad Bonif. cap. 2. ait. *Liberum arbitrium defendendo præcipitant.* Et cap. 4. *Hoc isti nolunt elati & superbi, nec purgando defensores, sed extollendo præcipitatores liberij arbitrij.* Et lib. 2. cap. 1. rationem reddit quare Pelegiani hoc argumentum opponant, dicens. *Nihil aliud nituntur, nisi ut horribili hæresi objecta, cujus se contrarios esse confingunt, lateant inimici gratiæ in laude naturæ.* Et eodem lib. cap. 5. docet, quod cùm attentiùs considerasset, quare Pelagiani nobis opponant quòd liberum auferamus arbitrium, & fatum constituamus, invenerit, quòd ideo hoc dicant, quia nos asserimus semper humanas voluntates à Domino præveniri. Itaque quia nos dicimus quòd humanæ voluntates in operibus suis præveniuntur à divina voluntate, quæ ab æterno decrevit atque prædefinivit, quòd homo illa bona opera ageret, ideo nobis opponitur quòd liberum auferamus arbitrium. Et cap. 6. prosequitur, & dicit. *Ita ne vero Filij superbiæ, inimici gratiæ Dei, & novi hæretici Pelagiani, quisquis dicit, gratiâ Dei omnia bona hominis merita præveniri. Fatum videtur vobis asserere.* Et epist. 105. summæ ignorantiæ deputat sic argumentari, ait enim. *Quòd enim putant auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adjutorio Dei hominem habere consenserint, non intelligunt non se firmare humanum arbitrium, sed impellere ut per inania feratur, non in Domino tanquam in petra stabili collocetur.* Itaque non intelligunt isti authores non se firmare liberum arbitrium, sed impellere, cum negant divinam voluntatem prædefinientem absolutè quòd bene libero utamur arbitrio. Et epist. 107. ad Vitalem ait. *Si verè volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus unde fit liberum arbitrium.* Certè qui divinæ voluntatis æternas prædefinitiones effectivas, & causativas totius bonæ voluntatis arbitrij negant, negant id unde arbitrium fit actu liberum, & tandem Epist. 105. ita adversus elatores arbitrij, qui prædictum proponunt argumentum, concludit. *Hic iterum isti liberi arbitrij defensores, imò deceptores quia inflatores, & inflatores quia præsumptores, non adversum nos, sed adversus Evangelium loquuturi, quid aliud dicunt, quam id, quod Apostolus sibi quasi à talibus diceretur, objecit. Dices itaque mihi quid ad hoc queritur, nam voluntati ejus quis resistit?* His ergo authoribus negantibus efficacem divinæ voluntatis prædefinitionem, cui nullus resistit, quasi destruentem arbitrium non habemus melius quid dicamus, nisi quòd videant argumentum suum efficaciùs ab Apostolo propositum, atque solutum. Ex S. Prospero plurima induci poterant, sed de plurimis pauca quædam selegimus. Ipse contra collatorem cap. 38. *Non enim*, ait, *nos conturbat superbientium inepta querimonia qua liberum arbitrium causantur auferri, si & principia & profectus & perseverantia in bonis usque in finem dona Dei esse dicantur; quoniam opitulationes divinæ gratiæ, stabilimenta sunt voluntatis humanæ.* Et in Epistola ad Ruffinum post fundatam divinæ prævenientis potentem gratiæ efficaciam, ita concludit: *Nimium verò inepte, nimiumque inconsideratè ab adversantibus dicitur, quòd per hanc Dei gratiam libero nihil relinquatur arbitrio.* Idem repetit in respons. ad cap. Gallor & ad objectiones vincentianas, atque ad excerpta Genuen: in prosa etiam de ingratis, & utroque libro de vocatione gent. Ac tandem Epist. ad Demetriadem ita concludit. An forte verendum est, ne liberum tollere videamur arbi- „ trium, cum omnia per quæ propitiatur Deus, ad „ ipsum dicimus esse referenda. Quòd nequaquam „ esse consequentis veritatis ostenditur. Operante „ enim Spiritu Dei juvatur arbitrium non aufertur. „ Et rursus in eadem Epist. inquit. Inter omnia „ commissa peccantium, nulla est gravior quam „ superorum ruina; maximè cum ipsa elatio in Dei „ tendit injuriam. Nam aliter inflantur qui cupidi- „ tate ex tollentiæ singularis omnibus appetunt an- „ teferri; aliter verò intumescunt, qui Dei auxilium „ refutantes, quæ fier sine ipsius opere non possunt, „ ex sua perfici virtute contendunt: & spem suam „ à Domino auferunt: atque ad se transferunt, ut „ ad impleatur in eis quod scriptum est; maledictus „ homo,

Digitized by Google

„ honio, qui ſpem habet in homine, & firmat car-
„ nem brachij ſui, & à Domino diſcedit cor ejus.
„ Hæc ſuperbia à Diabolo ſumpſit exordium, quia
„ quoniam ſua, quam à creatore acceperat, poten-
„ tia & dignitate ſibi placuit; ſeque authoris ſuæ
„ gloriæ comparavit, cum iis Angelis, quos in con-
„ ſenſu impietatis ſuæ traxerat, ac cœleſti ſublimita-
te dejectus. Et conformiter ad hoc docet Sanctus Thomas 3. contra gent. cap. 109. quod Angeli peccatum fuit inhærere proprio bono, ut fini; Et „ quia inquit ex fine neceſſe eſt ut regulæ actionis „ ſumantur, neceſſe eſt ut ex ſeipſo, in quo finem „ conſtituit, alia regulariter diſponeret, & ut ejus „ voluntas ab alio ſuperiori non regularetur; hoc „ autem ſoli Deo debetur; Et poſt pauca. Vel- „ le autem alios regulare, & voluntatem ſuam à ſuo „ ſuperiori non regulari, eſt velle poſſe & quodam „ modo non ſubijci, quod eſt peccatum ſuperbiæ. Longè ergo à fidelium cordibus abſit deceptoria hæc argumentatio, qua, ut libertas defendatur arbitrij, ipſum non ſubijci divinæ potentiæ exiſtimatur, & ipſum primum initium, primaque ſuæ actionis regula conſtituatur. Etenim hoc non eſt defendere liberum arbitrium. ſed ex ſuperbia extollendo miſerè præcipitare.

Quòd ſi in forma, illius argumenti ſolutionem deſiderant, legant S. Thomam potiſſimè prima part. q. 19. art. 8. ubi ſecundò ita opponit: Omnis cauſa quæ „ non poteſt impediri, ex neceſſitate ſuum effectum „ poducit; quia natura ſemper idem operatur, niſi „ aliquid impediat, ut dicitur in ſecundo Phyſicorum; „ ſed voluntas Dei non poteſt impediri; dicit enim „ Apoſtolus ad Rom. 9. voluntati enim ejus quis „ reſiſtit: ergo voluntas Dei imponit rebus volitis neceſſitatem. Quibus verbis ſtrictiùs hoc argumentum quam ipſimet Recentiores proponit; Et reſpondet. *Ad ſecundum dicendum quòd ex hoc ipſo quòd nihil voluntati divinæ reſiſtit, ſequitur quod non ſolùm fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quod fiant contingenter, vel neceſſariò quæ ſic fieri vult.* Mirandum eſt ergo quòd ex eodem principio, ex quo S. Thomas colligit quòd homines liberè operentur, colligant ij Authores quòd tollitur libertas. Ex efficaci enim Dei voluntate & prædefinitione deducit S. Thomas libertatem, ſed hi Authores poſſimè ex eadem Dei voluntate inferunt tolli libertatem. Et in tertio argumento iterum S. Thomas magis urget idem argumentum Recentiorum, ſic opponens: *Illud quod habet neceſſitatem ex priori, eſt neceſſarium abſolutè; ſed res creatæ à Deo, comparantur ad voluntatem divinã, ſicut ad aliquod à quo habent neceſſitatem, cum hæc conditionalis ſit vera, ſi aliquid Deus vult, illud eſt: ſequitur ergo quod omne quod Deus vult, ſit neceſſarium abſolutè.* Ecce argumentum formalius quam à Recentionibus formetur, quod intendit quòd ex priori Dei voluntate prædefiniente, liberum arbitrium neceſſario & ſine libertate operetur. Ad quod tamen facillimè ita S. Thomas reſpondet. *Ad tertium dicendum quod poſteriora habent neceſſitatem à prioribus ſecundum modum priorum. Unde & ea quæ fiunt à voluntate divina talem neceſſitatem habent, qualem Deus vult eas habere, ſcilicet vel abſolutam vel conditionatam tantùm, & ſic non omnia ſunt neceſſaria abſolutè.* Hæc S. Thomas Quid manifeſtius potuit dicere ad oſtendendum, quòd non ſolum ex efficaci prædefinitione abſolutæ voluntatis divinæ non ſequitur tolli libertatem, ſed potiùs ſequitur ſervari & formari libertatem; quia videlicet & Deus vult quòd homo operetur & liberè operetur; quia vult & ſubſtantiam actus, & modum ejus, & utrumque ſua abſoluta voluntate cauſat, ut ex aliis ejuſdem S. Th. teſtimoniis docuimus ſupra.

Idem S. Doctor affirmat eadem prima part. quæſt. 22. art. 4. & 1. 2. q. 10. art. etiam 4. & 3. contgent. cap. 94. *Eſt enim divina providentia per ſe cauſa quod hic effectus contingenter proveniat, & hoc caſſari non poteſt; ex quo etiam patet quod hæc conditionalis eſt vera: ſi Deus prævidit hoc futurum, hoc erit, ſicut ſecunda ratio procedebat: ſed ſic erit ſicut Deus prævidit illud eſſe futurum: prævidit autem illud eſſe futurũ contingenter; ſequitur ergo infallibiliter, quod erit contingenter, non neceſſariò.* Denique idem docet opuſc. 2. cap. 140. cujus verba retulimus ſupra S. Thomam ſequitur in hac doctrina Durand. in 1. diſt. 46. q. 1. num. 7. Dionyſius Cartuſianus diſt. 39. q. 2. Capreol. diſt. 45. q. 1. conc. 5. Ferrara 1. cont. gent. cap. 85. Joannes Driedo opuſc. de concordia liberi arbit. & prædeſt. 2. p. cap. 3. & Scholaſtici alij plures.

Extat etiam articulus Pariſienſis relatus à Capreolo in ſecundo diſt. 38. q. 1. art. 1. ad idem arguit Adam primo articulus autem ita habet: *Falſum eſt omnia eſſe præordinata à prima cauſa, propterea quòd ſi ſic eſſent præordinata, omnium periret libertas, & univerſa ex neceſſitate evenirent. Error* ubi tanquam errorem damnat ſententiam, aſſerentem falſum eſſe, quod omnia ſint à Deo præordinata; propterea quod, ſi ſic eſſent præordinata, omnium periret libertas. Unde mirum eſt quod aliquando iſtum articulum Pariſienſem pro ſe attentarint inducere ij Authores cum quibus diſputamus, referentes ſic: *Falſum eſt omnia præordinata eſſe à prima cauſa quia ſic omnia evenirent ex neceſſitate;* ommittentes illud verbum. *Error.*

Sed ut quid nos inſiſtimus ex Sanctis Patribus demonſtrare comminutum argumentum hoc in Pelagianis fuiſſe, quorum fuit totale fundamentum, cum Apoſtolus ipſe jam ſupra citatus in Epiſt. ad Rom. cap. 9. illud ſtrictioribus verbis contra doctrinam quam tradiderat, formet & opponat, ipſumque diluat, & quàm temerè objiciatur, oſtendat. Poſtquam enim utramque hanc Apoſtolicam concluſionem ſtatuiſſet: *Igitur cujus vult miſeretur & quem vult indurat.* Et iterum: *Igitur non eſt volentis, nec currentis; ſed Dei miſerentis.* Quia ex utraque illa concluſione ſequi videbatur imputandum homini non eſſe ad peccatum, ſi non bene agat; ita continuò ſibi ex adverſo oppoſuit: *Quid ergo quæritur? voluntati ejus quis reſiſtit?* Ac ſi clariùs dixiſſet; ſi non eſt volentis nec currentis, ſed Dei miſerentis, & iſta Dei miſericordia in poteſtate hominis non eſt, ſed ex ſola Dei voluntate dependet, cui nullus reſiſtere poteſt ob illius maximam efficaciam: Quid quæritur, vel conquæritur Deus de nobis, quòd non bene velimus & curramus? quia nos ſine illa Dei gratia & miſericordia nec poſſumus velle, nec currere; nec illam in noſtra poteſtate habere poſſumus ut illam obtineamus. Nec poſita in poteſtate noſtra ei valemus reſiſtere propter illius efficaciam? Quomodo ergo nobis reputari poteſt quòd non bene velimus & agamus, cùm ad id liberam facultatem non habeamus?

Quomodo hoccè argumentum, in quo modo inſiſtitur Apoſtolus ſolvat, nullus ignorat; *ô homo* inquit, *tu quis es, qui ſic reſpondeas Deo.* Extortæ explicationes, & contra non ſolum mentem Apoſtoli, ſed expreſſam literam à Pelagianis, olim aſſignatæ, plenius confutandæ ſunt quarto hujus operis libero, ſat ſit ad præſens breviter inſinuaſſe genuinam ejus loci ex Patribus expoſitionem.

S. Doctor Auguſtinus Epiſt. 105. adverſus illos qui ſe excuſabant, prætendentes ſe efficaciam gratiæ negare, quia ipſa tollit arbitrij libertatem, ſic ait. Poſtremo quonam ſe iſti excuſabant modo? Nempe illo, quem breviter tanquam ex eorum voce „

ſibi

„ sibi objecit Apostolus, ut dicant; Quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejusquis resisti? Hoc „ est enim dicere; Quid de nobis fit querela, quòd „ Deum offendamus malè vivendo, cum illius vo„ luntati nemo possit resistere, qui nos obduravit „ misericordiam non præstando. Si ergo illos non „ pudet hac excusatione, non nobis, sed Apostolo „ contradicere; cur non pigeat eis, quod dixit Apo„ stolus, hoc idem atque identidem dicere: O homo „ tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit fig„ mentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti? „ An non habet potestatem figulus luti ex eadem „ massa, utique meritò rectèque damnata, facere „ aliud vas in honórem indebitum propter miseri„ cordiæ gratiam, aliud in contumeliam debitam „ propter iræ justitiam, ut notas faciat divitias glo„ riæ suæ in vasa misericordiæ, sic ostendens, quid „ eis largiatur, cum id supplicium recipient vasa iræ, „ quod pariter omnibus debebatur? Satis sit interim „ Christiano ex fide adhuc viventi, & nondum „ cernenti quod perfectum est, sed ex parte scienti, „ nosse vel credere quòd neminem Deus liberet nisi „ gratuita misericordia per Dominum nostrum Je„ sum Christum; & neminem damnet nisi æquissima „ virtute per eundem Dominum nostrum Jesum „ Christum. Cur autem illum potius quam illum „ liberet aut non liberet scrutetur qui potest judi„ ciorum ejus tam magnum profundum, veruntamen „ caveat præcipitium.

Constat ergo tam ex Apostolo, quàm ex Augustino illos, qui prætextu salvandæ nostræ libertatis efficaciam negant divinæ præmotionis divinæquè gratiæ prævenientis, eandem excusationem prætendere; quam sibi ex eorum voce objectam Apostolus ipse reprobavit. Constat deinde Apostolum in citatis verbis non solum electionem gratuitam ad gloriam sine præviſis meritis statuisse, aut adversum eam sibi nomine Pelagianorum objecisse, sed etiam sermonem instituisse de efficaci Dei voluntate tribuente in tempore efficacem misericordiam gratiæ suæ. Apostolus enim apertissimè id docet in illis verbis. *Igitur cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Et illis. *Igitur non volentis nec currentis, sed Dei miserentis.* In utrisque enim de efficaci voluntate in tempore, & in executione largiente efficacem misericordiam & gratiam sermonem facit; quia quibus vult de facto miseretur, eosque & velle & currere facit, & quibus vult eam negat, qua posita negatione, ipsi malitiâ suâ obdurantur.

Imo ex illa gratuita, & sine aliquibus prævisis operibus electione efficaci ad gloriam, quam illis prioribus verbis Apostolus tradiderat (*antequam quidquàm boni vel mali egissent*) ipse concluſit expresè illius effectum, qui in tempore datur, scilicet efficaciam gratiæ, qua Deus præparat hominum voluntates, ut per bona opera quoad executionem obtineant illam; & sic ex illa gratuita & efficaci electione ad gloriam, vel etiam ex reprobatione, ad utramque partem illas duas conclusiones deduxit. *Igitur quibus vult miseretur, & quos vult indurat.* Et rursus. *Igitur non volentis nec currentis, sed Dei miserentis.* Et quando patentissimè in Apostolo non essent expressa; eo ipso quòd statuisset electionem efficacem ad gloriam ex solo Deo, sine operum prævisione, simul statueret ex Deo debere esse prævenientem efficacem gratiam, qua illam electionem homines consequerentur, quia qui finem efficaciter præparat, efficaciter & media præparare debet, quibus obtineri debet; sed ut diximus, Apostolus illas conclusiones ex illo principio voluit per se ipsum deducere, & clariùs Ecclesiæ proponere.

Sed illud semper advertendum (quod supra præmissum est) Apostolum videlicet in illo testimonio duas solutiones planè tradidisse argumento quod adversus se objecerat, quod Achile est, & pro magno nunc opponitur. Alteram quæ dicit auxilium efficax negari plurimis ob peccatum originale; unde illis debet imputari, quod à Deo minus adjuventur, ut agentes de hoc ex professo dabimus manifestum. Alteram magis universalem & omnem statum hominum comprehendentem, etiam statum hominis primi. Quòd videlicet, si ei Deus, vel alteri cuilibet non dat efficax auxilium gratiæ suæ, ex voluntate sua prædefiniente veniens, cùm illud non debeat homini, justè potest negare. Quòd si homo sine illo non bene operetur, sed peccet, ex sua defectibilitate peccat, quam habet, quia ex nihilo factus est, & permittendo quòd peccat, datur ei quod sibi debitum est.

Ut clarius constet qua ratione prædefinitionibus illis humana salvetur libertas. Advertendum, & diligenter distinguendum est de prædefinitione seu prædeterminatione divinæ voluntatis. Triplex est enim talis prædefinitio, seu prædeterminatio, alia excludens nostram electionem, & liberam determinationem, & hanc Manichæus & Calvinus pessimè errantes constituerunt. Alia est spectans nostram voluntatem; & ab illa pendens, quæ solet vocari prædefinitio seu prædeterminatio moralis, & hanc Pelagiani omnes admiserunt. Tertia media inter utramque istam; & utrique contraria, est prædefinitio seu prædeterminatio efficax qua Deus vult hominem operari, & liberè operari, & hæc à sanctis Patribus & Doctoribus admittitur. Sicut enim illa prima Manichæi atque Calvini, libertatem hominis negat, & illa alia Pelagianorum divinam causalitatem tollit; ita hæc tertia divina prædefinitio seu prædeterminatio, quæ à Sanctis Patribus traditur, & primam divinam causalitatem tuetur; & libertatem hominis defendit. De quo latius in tertio & quarto hujus operis lib. erit dicendum.

Quod autem dicunt quòd posita illa voluntate Dei absolute prædefiniente, non potest homo non operari respondemus posse quidem hominem non operari, & potentiam liberam ad id habere, & in operis exercitio quoad usum ita liberè operari, quod Deus vult illum operari; quòd simul potentiam liberam habeat ad oppositum, & per hoc patet ad confirmationem. Respondetur enim quòd licet in nostra potestate non sit divina prædefinitio ad istum vel istum actum; quia nec nos illam mereri possumus, vel ad illam nos disponere, tamen actus prædefinitus, qui ex Dei prædefinitione provenit, ex nostra pendet libera voluntate, & in nostra est potestate, & nos à Deo prædefiniti illum actum, sicut divina voluntas prædefinit, liberè elicimus, & cum omni nostra perfecta libertate. Et ratio fundamentalis hujus est, quia nos non sumus primum liberum, de cujus ratione est ut ab alio non prædeterminetur, sed essentialiter sumus secundum liberum, de cujus ratione est quod à primo libero prædefinitum, prædeterminatum & motum, liberè operetur. Unde & divina prædefinitio, cui subdimur, non est in nostra potestate, at actus prædefinitus liber est, & in nostra potestate. Solutio ista infra diffusius proponetur, & explicabitur, ubi clarius exponemus, quod in nostra potestate non sit positivè seu per actum positivum obtinere Dei prædefinitionem, vel ad illam habendam nos disponere, & potissimè in operibus gratiæ: tamen quòd gratiam non habeamus ex defectu nostro est, quia gratiæ impedimentum ponimus; Deus enim

paratus

Digitized by Google

paratus est gratiam dare omnibus qui illi impedimentum non præstat. Et hac ratione potest concedi quod gratia in nostra sit potestate aliquomodo, quatenus scilicet nisi illi impedimentum apponeremus, illam nobis Deus daret.

Quamvis ergo Dei prædefinitio in nostra non sit potestate ut illam vel mereamur vel ad illam nos disponamus, tamen ipsa cum nobis datur, actum liberum nostrum in nostra ponit libertate seu potestate. Sed authores qui hoc argumento convincuntur quomodo non advertunt illud in terminis esse à Pelagianis objectum S. Aug. de corr. & grat. cap. 2. ubi sic de Pelagianis refert. *Non itaque fallunt, qui dicunt, ut quid nobis prædicatur atque præcipitur ut declinemus à malo & faciamus bonum, si hoc non agimus, sed id velle & operari Deus operatur in nobis; sed potius intelligant, si filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est, agant.* Ecce in terminis argumentum Pelagianorum, quo dicebant se non habere libertatem; si divina voluntas nostrum velle prædefiniat, & illud in nobis operetur. Et tamen S. Aug. respondet nos liberè agere id quod Deus vult; quia prædefinit nos liberè agere. Constat ergo apertè ex S. Augustin. quòd licet divina prædefinitio non sit in nostra potestate, tamen nos liberè operamur quod à Deo sine nobis est prædefinitum. Nec enim libertatem tollit illa prædefinitio, licet non stet simul cum illa prædefinitione ob sui efficaciam, quòd homo non operetur. Imò illa libertatem servat, illam causat & perficit. Quod sic potest ostendi. Deus per illam prædefinitionem & vult actum & modum actus, & vult quòd homo velit hoc vel illud, & quòd id sua libertate velit, & utriusque causa est, & actus volendi, & libertatis ejus, unde non lædit, sed causat libertatem. Quomodo autem libertatem causet, sic iterum declaratur, quia prædefinitio salvat indifferentiam, tum rationis, tum voluntatis, & sic salvat libertatem, & est causa quòd voluntas ita velit hoc, quòd possit velle oppositum si velit. Prædefinitio ergo, quæ salvat indifferentiam tum rationis tum voluntatis, salvat procul dubio libertatem, quæ in tali indifferentia consistit. Rursus libertatem perficit quia sine prædefinitione illa, voluntas est tantum libera in potentia, at posita prædefinitione illa pro tempore quo prædefinitio debet adimpleri, constituitur voluntas libera in actu, ita quòd actum operetur cum potentia ad operandum oppositum si velit. Perfectior est autem libertas in actu quam libertas in potentia; ergo perficitur per talem prædefinitionem libertas voluntatis, tantùm abest quòd impediatur, vel lædatur. Sed de hoc argumento ad præsens hæc pauca sufficiant quia semper magis ac magis explicabitur & declarabitur in his materiis.

Solutio ergo in substantia est quòd divina voluntas efficax prædefiniens actum bonum, & est causa actionis, & modi illius, utrumque enim suâ efficaciâ efficit, & quòd homo infallibiliter operetur, & liberè operetur. Quomodo autem hæc duo cohæreant, non obscurè aperitur, si principia tradita à sancto Thoma in 1. 2. & Scholasticis aliis, imò veris Philosophis, attendamus; Deus enim movet liberum arbitrium juxta modum suum, & juxta ejus propriam liberam conditionem, quod per intentionem & consilium movet & applicat ad liberè consentiendum. Modus enim proprius liberi arbitrij est quòd ad liberum consensum per intentionem finis & consilium moveatur. Omnis autem actio quæ consilium præsupponit, & ad illud sequitur, non potest non libera esse: Talis enim secundùm omnem Philosophiam electio vocatur. Electio autem sine libertate nec intelligi potest. Sic ergo Deus prædefinit actum liberum, quòd prædefinit movere voluntatem ad illum. Primò imprimendo ei bonam intentionem, quæ cum sit finis, & antecedat omne consilium, inde libera non est. Et illa finis intentione movet efficaciter voluntatem ut applicet intellectum ad consiliandum hìc & nunc & circa talem materiam. Rursus dirigit intellectum ipsum ne erret circa talem consultationem apprehendendo bonum apparens, sed verum bonum apprehendat ipsumque dirigat faciendo ei apparere hoc sicut conveniens & non aliud, quod practicè per imperium rationis voluntati proponit, & voluntas ipsum infallibiliter vult, quia posito imperio efficaci rationis non stat quòd voluntas non velit. Hoc modo Deus prædefinit efficaciter actum liberum ab humana voluntate efficiendum juxta proprium modum libertatis ipsius. Quo positò infallibile est quòd voluntas consentiat, & quòd liberè consentiat, utpotè per electionem quæ sequitur ad consilium. Quòd autem Deus dirigat intellectum ne erret in medio, auferendo ab eo ignorantiam, & inconsiderationem, & faciendo ei apparere quòd hoc, Verbi Gratia, sit bonum & conveniens tantum abest, quod per hoc violentiam ei inferat, quin potius ipsum adjuvat, ut bene procedat. Quòd autem tali medio efficaciter proposito voluntati, illud eligat voluntas hoc est ei connaturale. Igitur in omnibus apparet quòd cum efficacia operationis à Deo prædefinitæ servetur proprius & connaturalis modus operandi liberè. Posito autem efficaci impetio rationis movente in virtute prioris actus voluntatis, impossibile est voluntatem non consentire liberè.

Itaque efficax Dei prædefininitio, nec lædit nostram libertatem, quoad actum primum, ut est apertissimum, nec quoad actum secundum, seu quoad usum libertatis qui sinit voluntatem creatam operari suo connaturali modo. Quod sic amplius ostenditur. Nam cum naturalis modus operandi libertatis creatæ sit: Primò, ut intellectus apprehendat, & proponat voluntati objectum simplici apprehensione. Secundò, ut voluntas moveat intellectum, ut circa tale objectum consilietur ut sanctus Thomas docet 1. 2. quæst. 13. art. 1. Tertiò, quòd facta consultatione voluntati proponatur per imperium rationis altera contradictionis pars. Quartò, quòd sequatur electio qua voluntas ita infallibiliter eligit quòd potest aliud velle, ut ait sanctus Thomas ubi supra q. 17. art. 1. (Quæ omnia salvantur per divinam prædefinitionem ut ostensum est.) Ergo salvatur per illam connaturalis modus operandi nostræ libertatis.

Sicut autem quatuor prædicta ad libertatem requiruntur, ita alia quatuor per oppositum ad agens pertinent naturale. Nam primò agens naturale determinatum est ad effectum in specie, voluntas autem creata indifferens est; & ratio utriusque est quia agens naturale non movetur ab indifferentia rationis, bene autem creata voluntas. Secundò agens naturale pendet effectivè, & directè ex motu cœli, non autem creata voluntas. Tertiò agens creatum naturale positis omnibus requisitis ad agendum non potest non agere, bene autem creata voluntas. Quartò agens naturale non determinat se ad agendum consulendò; sed creata voluntas per consultationem se determinat ad eligendum, in quo patenter ejus manifestatur libertas.

Imò illud est attentius considerandum nulla alia efficaciori via posse tolli aut impediri actualem humanam libertatem quàm negando divinæ voluntatis efficacem prædefinitionem circa humanæ voluntatis operationes; Quia si illa Dei prædefinitio auferatur, auferetur prima magistralis Rota, ut ita dicam, à qua cæteræ omnes nostræ voluntates in suo motu dependent, & sic sublata prima Rota primo movente, auferetur quòd sequentes & ab illa essentialiter dependentes non se moveat, non minus quam cessante in horologio prima magistrali Rota necessario

Digitized by Google

ceſſant à ſuo motu & reliquæ. Quod ſatis clarè oſtendit commune illud ſatiſque tritum Philoſophorũ principium, *ſecunda cauſa mota movet*; ac per conſequens non mota à prima cauſa non movet. Sic ergo liberum hominis arbitrium, cum eſſentialiter ſecunda cauſa ſit, ſi ponatur à prima cauſa non moveri, nec ponitur ipſum ſe aliqua ratione movere ad actum, & ſic impeditur totaliter actualis humana libertas, vel ſaltem ponitur arbitrium creatum primum ſuæ operationis principium, quod aliquando iſti authores conceſſerunt.

Quòd ſi arbitrium eſt ſuæ determinationis primum principium: ergo duo conſtituuntur, prima principia cum Manichæis: quod S. Th. oſtendit in 2. diſt. 37. q. 1. art. 2. ibi videndus.

Profectò inquit efficacius noſtra negari libertas non poteſt quã dum illi ea cõceduntur, quæ ipſi repugnãt. Cum ergo libertas noſtra ſit ſecunda cauſa libera eſſentialiter, ſi ab ipſa aufertur quod ſecundum liberum ſit, ipſam conſtituendo liberum primum, quod ſibi repugnat, manifeſtè ejus aufertur libertas, nedum actualis ut jam diximus ſed eſſentialis & potentialis. Quia talis ei tribuitur libertas quæ ejus eſſentiæ & definitioni repugnet; illius enim eſſentia eſt quod ſit ſecundum liberum, & illius definitio, quòd non primò ſed ſecundò & dependenter ab alio ſe movere debeat. Cum ergo hoc ab illa auferatur, ſua eſſentia & definitio ab illa tollitur & omnis ejus libertas denegatur. Quod ſic amplius oſtendi poteſt. Certum eſt quod datur primum liberum, & quod datur ſecundum liberum reipſa à parte rei, & etiam quod per rationem abſtrahitur liberum ut ſic, à primo & ſecundo, quod analogicè de utroque dicitur; ſicut datur primum ens, ſecundum ens, & ens ut ſic prædicto modo ab utroque analogicè abſtractum. Rurſus manifeſtum eſt quod tria iſta libera ſuas habent proprias actiones & definitiones. Definitio liberi ut ſic abſtracti, eſt, quod poſſit hoc vel illud velle, ſi contrariis credamus. Igitur definitio primi liberi erit, quod primo poteſt velle hoc vel illud; parique ratione definitio ſecundi liberi erit, quod ſecundò, & non primò poſſit velle hoc vel illud. Ergo cum creatum arbitrium ſit eſſentialiter ſecundum liberum ejus definitio erit quod ſecundò poſſit velle hoc vel illud. Cum ergo hoc ei denegatur, conſtituendo quod non ſecundario ſe moveat, ſed primò; conſtat quòd illius definitio negatur, & eſſentia deſtruitur. Unde cum nos defendamus quòd creatum arbitrium non primò & independenter ab alio ſe habeat movere, ſed ſecundariò, & cum eſſentiali dependentia à primo, noſtram libertatem, & illius eſſentiam defendimus atque definitionem. Cum autem per oppoſitum iſti authores negent ipſum moveri ſecundario & dependenter à primo, contendantque ipſum primò ſe movere. Conſtat quod ipſi ſunt qui illius negant libertatem negantes illius eſſentiam & definitionem. Unde cum opponant quòd ſi noſtrum arbitrium moveatur ab efficaci voluntate Dei, vel ab illius prædefinitione ſeu cauſalitate, lædi tur ejus libertas (quod argumentum ſemper in ore verſant) nihil aliud dicunt, ſi attendere velint, quam quòd negatur creati arbitrij libertas ex eo quod ejus definitio aſſignatur; quo nihil poteſt opponi impoſſibilius, nihil abſurdius.

Oſtenſo ergo tum ex SS. PP. tum ex Theologica doctrina nullo modo lædi libertatem per efficacem Dei prædefinitionem, quin potiùs per illam ſtatuitur atque firmatur: Oſtenſo denique nulla alia efficaciori via noſtram negari libertatem, quam negata ac divinæ voluntatis prædefinitione quæ ſuâ efficaciâ prima cauſa eſt, à qua eſſentialiter noſtra dependet libertas, & ſine qua nullam libertatem exercebimus: Oportet illud oſtendere, hoc ipſum argumentum, quod contra veras divinas prædefinitiones opponunt, eadem prorſus ratione contra illorum ſententiam militare: etenim poſita illa congrua vocatione quam fingunt, non eſt factibile quod homo non bene operetur; itaut fieri non poſſit, ut illa detur, & homo non bene operetur. Rurſus illa congrua vocatio in hominis poteſtate non eſt. Quòd enim Deus vocet tali tempore, quo præſcit hominẽ bene operaturum, & non tempore alio, in hominis poteſtate non eſt, ut dicunt: Ergo cum illa non ſit in hominis poteſtate, & ea poſita non ſtet nec fieri poſſit, quòd homo reſiſtat; hinc nos inferimus, eodem prorſus argumento quòd homo non liberè operetur. Quod ultimum cum ipſi non admittant, quid contra veras divinas prædefinitiones eodem argumento clamitant, quod vident pariter contra ſuam congruam vocationem procedere.

Similiter ſi ex eo quòd in voluntate noſtra non eſt divina prædefinitio, & ſine illa nequit homo bene operari inferunt non imputari poſſe homini ad peccatum cum illam non habeat; etiam pariter id inferant ex ſua vocata congrua excitatione; nam illa ut oſtenſum eſt non eſt in poteſtate noſtra: Rurſus ſine illa non poteſt homo bene operari, impoſſibile eſt enim quòd ſine illa bene operetur: Ergo etiam non imputabitur homini ad peccatum quod non bene operetur, ſed male. Quod & fatetur Leonardus Leſſius in præfatione ad diſput. de prædeſt. & reprobat. Lovanij impreſſa. Ubi ait, quod poſita illa vocatione congrua per ſcientiam mediam; quando Deus illam nobis tribuit: non poſſumus excidere ab eo quod ille decrevit; quod ſi nobis non detur, nec poſſumus conſequi quod ille nobis decernere noluit: Manifeſtum ergo quod idem omnino argumentum ſit contra illorum ſententiam ac noſtram.

CAPUT XV.

Alia ſolvuntur Argumenta.

DEMONSTRATO jam quòd efficaci Dei prædefinitione libertas humana non tollatur, facilè erit alia ſequentia ſolvere argumenta. Ad ſecundum negatur divinam providentiam ſalvari, ejuſque perfectionem abſque divinæ voluntatis prædefinitionibus. Et ad confirmationem dicendum. Ad illa tria enumerata requiſita ad divinam providentiam, videlicet ad ſcientiam, voluntatem, & potentiam eſſe omnino neceſſarias divinas prædefinitiones, ita quòd nec certam Deus ſcientiam habebit, nec voluntatem de actibus moralibus bonis; nec ad illos ſua potentia concurret, niſi divinæ voluntatis præceſſerint prædefinitiones, quibus Deus velit illos fieri. Niſi enim Deus velit illum actum abſolutè & efficaciter fieri, ille talis nullo modo fiet, quia deficit prima cauſa operans, & ſecunda ſine ipſa nihil operabitur, ut dictum eſt ſupra. Unde nec Deus de illo futuro eventu certam habebit cognitionem. Igitur ut in Deo ſit certa ſcientia libera ſive viſionis de illo futuro eventu, neceſſe omnino eſt, quòd in divina voluntate antecedat talis prædefinitio. Nam ſcientia libera ſive viſionis intuetur liberũ determinatè exiſtens in aliqua temporis differentia; futurum autem determinatè nullum eſt, niſi priùs divina voluntas determinatè illud velit fieri, vel permittat: ergo ex parte divinæ ſcientiæ requiritur prædefinitio.

Ex parte etiam divinæ voluntatis neceſſaria eſt prædefinitio, ſine ipſa enim non operabitur divina voluntas actum illum moraliter bonum; quia voluntas inefficax non operatur effectum. Eodemque modo ſequitur manifeſtè quòd divina potentia conſiderata ut exequens imperium divinæ voluntatis nihil omnino producat aut cauſet ſine divina voluntate, volente quòd ille actus moralis fiat. Quia cum divina potentia exequatur divinæ voluntatis imperium efficax, ipſo à divina voluntate ſublato, & divina potẽtia exequens atq; cauſans aufertur. Cujus enim volũtatis erit exequens,

Digitized by Google

si divina voluntas non vult absolutè ut effectus fiat? cum enim impossibile sit ipsam voluntatem humanam sibi soli relictam, nec à divina potentia ad agendum applicatam aliquid operari, vel aliquid sine Deo movente inchoare; pari ratione ex consequenti nunquam divina potentia cooperabitur. Ut igitur divina potentia res producat, oportet quod non solùm cooperetur, si humana voluntas voluerit (ut isti authores fatentur) sed quòd cooperetur ut velit in virtute absoluti decreti efficaciisque prædefinitionis qua Deus vult ipsam humanam voluntatem illud operari.

Ad tertium dicendum morales actus bonos, qui in tempore fiunt, oportere à divina voluntate esse absolute volitos, & efficaciter prædefinitos ut media ad fines plurimos quos Deus mediis illis intendit; licet omnes hos fines ultimatè in suam ipsius gloriam ordinet Deus, imò supernaturales actus, qui effectus sunt prædestinationis, & media ad consequendum prædestinationis finem, (& sub hac ratione sub divina cadunt prædestinatione,) etiam ut sic à divina voluntate voliti sunt, atque ut ita eveniant prædefiniti.

Ad probationem autem dicendum ita esse quòd certa mediorum prædefinitio, ex certa prioris finis prædefinitione provenit. Unde sicut morales actus, qui in tempore ab humana fiunt voluntate, sunt prædefiniti ut media: Ita fines in quos ordinantur à Deo sunt ut fines voliti & prædefiniti, licet à nobis minùs cognoscantur. Et similiter illi particulares & proximi fines comparatione divinæ gloriæ (quæ finis ultimus est voluntatis Dei) sunt ut media sub ratione prædefiniti; sicut & divina gloria volita efficaciter, est omnium finis.

Ad illud autem quod opponitur, quòd videlicet aliquando Deus non prædefinit fines, sicut dum vult omnes homines salvos fieri; ergo tunc non prædefini & media: Respondetur, quòd sicut vult illum finem, ita proportionaliter vult media, & quia non prædefinit ut omnes salventur, ita nec ad id prædefinit efficacia media, ut notum est.

Similiter ad illud quod in illo argumento tangitur dicendum non minus esse necessarias divinas prædefinitiones respectu omnium bonorum quæ in tempore fiunt, quàm sint necessariæ in Deo liberæ volitiones. Unde ex suppositione, (supposito videlicet quòd Deus aliquid vult ad extra produci,) necesse est quòd absoluta & efficaci voluntate id prædefiniat, ut fiat, sicut sæpe dictum est.

Ad quartum impræsentiarum breviter dicimus, nullam esse istam consequentiam, qua ex negatione auxilij efficacis prætenditur negari auxilium sufficiens, cum enim diversa officia & munia sint utriusque, non apparet quomodo ex negatione unius, negatio alterius inferatur. Secundùm enim S. August. lib. de corr. & grat. cap. 12. *Ipsa adjutoria distinguenda sunt, aliud est enim adjutorium sine quo aliquid non fit, & aliud adjutorium, cum quo aliquid fit.* Quod explicat in alimentis; *sine quibus* (ait) *non possumus vivere, & cum ipsis vivere possumus, nec tamen cum adfuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit.* Adjutorium sine quo aliquid non fit, & cum quo potest fieri, manifestum est esse adjutorium sufficiens, adjutorium autem cum quo aliquid fit, est adjutorium efficax. Quæ adjutoria iterum ibi in primo parente & in electis aliis manifestat, dicens, habuisse primum parentem adjutorium sine quo perseverare non poterat; & cum quo poterat perseverare; non autem habuisse auxilium quo perseveraret, quod tamen nunc omnes electi habent, non solùm ut perseverare possint, sed ut non nisi perseverantes sint. Cum ergo tam diversa sit utriusque adjutorij natura, quòd per auxilium sufficiens habet homo posse operari, per aliud ipsum operari. Unde sequitur quòd si homo non habet auxilium, quo de facto operetur, non habet auxilium quo operari possit? Primò, S. August. citatis verbis hanc illationem nullam omnino esse docet, dum apertè concedit quod Adam non habuit auxilium efficax ad perseverandum, quod si haberet, utique perseveraret, concedit tamen illum habuisse auxilium sufficiens quo perseverare poterat. Secundò, si ille qui habet alimenta (ut in exemplo S. August. persistamus) manducare noluerit, de eo verificatur quòd non habet adjutorium quo de facto vivat, habet tamen adjutorium quo vivere possit. Unde nulla erit consequentia. Iste non habet adjutorium quo de facto vivat; ergo non habet adjutorium quo vivere potest. Tertiò, ratio ipsa satis hoc persuadet etiam in causis naturalibus; dantur enim causæ in se ipsis sufficientes, imò completæ, quæ tamen non operantur, quia videlicet impeditur. Quod sicut est apertum, ita nec est cur exempla inducamus, in quibus proinde si sic argumentaremur; istæ causæ non operantur de facto: ergo nec sunt sufficientes ad operandum; nec id apparenter inferremus. Item sicut argumentari à negatione actus ad negationem potentiæ nulla consequentia est, ita argumentari à negatione efficacis auxilij dantis voluntati actum, ad negationem auxilij sufficientis dantis voluntati posse operari, nulla potest consequentia esse; igitur ista consequentia nulla est; non habet voluntas auxilium efficax, ergo non habet sufficiens: sicut nec ista valet, ista causa non est actualiter operans: ergo non est potens ad operandum. Vel sicut ista, hæc causa non est operationi conjuncta, ergo non est sufficiens seu potens ad operandum. Innumeræ instantiæ præter jam dictas possent multiplicari quibus non apparentia illius monstraretur, à quibus abstinemus.

Ad confirmationem autem, qua instant quòd illa causa non est sufficiens, cui aliquid deest ad operandum. Respondetur distinguendo: illa causa non est sufficiens cui aliquid deest ad operandum, si desit ex parte potentiæ, vel ex parte causæ, concedo; si desit ex parte applicationis, seu reductionis in actum, nego. Modò voluntati habenti auxilium sufficiens nihil deest ad operandum ex parte potentiæ, bene tamen aliquid deest ex parte applicationis potentiæ seu reductionis illius in actum. Unde verè est auxilium sufficiens. Distinctio in Majori posita necessario ab omnibus admittenda est. Primò, quia ut diximus sanctus Augustinus concedit in primo parente adjutorium sufficiens, quo perseverare poterat, ita quod ex parte potentiæ nihil ei deerat ad perseverandum; negat tamen in illo efficax, quo voluntas applicanda erat ad operandum. Similiter causæ sufficienti & completæ, sed impeditæ, ex parte potentiæ nihil deest ad operandum, unde est vere sufficiens ad operationem; licet, quia impeditur, ei deficiat esse ad actum applicatam, quòd tamen requiritur ut de facto operetur. Minor constat, quia voluntas habens auxilium sufficiens (ut verba sonant) habet omne id quod ex parte potentiæ requiritur ad operandum, sed quia impeditur ex malitia voluntatis, quæ illi resistit, ideo non operatur. Quòd autem sic impediatur per pravam voluntatis resistentiam auxilium sufficiens, ne operationem producat, nunquid hoc tollit aut tollere potest quòd ipsum in se vere sufficiens non sit? Nullo modo. Itaque (ut unico verbo dicam) homo habens auxilium sufficiens, ideo non operatur bene, quia desit ei ex parte potentiæ aliquid ad operandum, sed quia ipse ex sua prava voluntate ac malitia operari non vult. Unde habet ex parte potentiæ auxilium sufficiens ad operandum si velit; ut sanctus Augustinus expressè de primo parente dicit, quòd habebat adjutorium quo posset perseverare si vellet, & ideo non perseveraverit, quia noluit. Sicut enim qui habet efficax auxilium,

Digitized by Google

de facto ita semper operatur, quòd tamen potest dissentire, & non operari si velit (ut Concilium Tridentinum definit) ita qui habet auxilium tantum sufficiens non operatur, sed potest operari si velit.

Sed adhuc instant. Quomodo non deest habenti auxilium sufficiens aliquid ex parte potentiæ ad operandum, cum ei deest efficax quod requiritur ut de facto operetur. Ad hoc dicendum quod licet efficax sit requisitum ut de facto operetur, tamen ex culpa hominis est, quòd ipsum non habeat, & sic ex culpa ejus est quòd non habeat illam applicationem: quia gratia ut S. Th. inquit, nulli denegatur, nisi ei qui gratiæ impedimentum ponit. Ita lib. 3. contra Gent. in terminis hanc dubitationem solvit & 1. 2. quæst. 109. art. 8. ad 1. dicit quod ex defectu hominis est quod non se ad gratiam præparet; & sic habet homo per sufficiens auxilium ex parte potentiæ omne id quod est requisitum ad operandum, si tamen ipse velit, quòd si non velit, sibi imputet. Hoc autem impedimentum, quod homo ponit, est resistentia cum tangitur auxilio sufficienti, quam ex malitia sua habet: & quia sic resistit, impedimentum ponit Deo, qui si resistentiam non inveniret, sicut incepit per auxilium sufficiens, ita per efficax perficeret.

Quòd si iterum opponant quod habito sufficienti, & negato efficaci non stat quòd homo non resistat, quia prius est negatio efficacis quam resistentia: Ideo enim resistit quia efficax non habet: ergo non ponit per resistentiam impedimentum efficaci, quin potius resistentia ipsa, effectus est consecutus ex priori negatione efficacis.

Ad hæc respondetur, quòd licet prehabito sufficienti, & negato efficaci non stet quòd homo non resistat, semper tamen quod sic non stet, ex prava hominis voluntate provenit, non ex defectu sufficientis auxilij. Et quamvis prius ratione sit negatio efficacis quam resistentia, non tamen prius ratione est privatio illius, quàm resistentia: nam Deus licet à principio neget efficax, dando tamen sufficiens, in collatione sufficientis efficax offert, & quia homo illi resistit, ideo eo privatur. Itaque à principio non dabat efficax de facto, sed offerebat, quod quia homo illi resistit, ideo eo privatur, & sic sua culpa illo caret. Quod S. Th. docet 1. 2. quæst. 112. art. 3. ad 2. dicens quòd licet collationis gratiæ prima causa sit ex Deo, tamen defectus gratiæ prima causa est ex nobis. Ideo enim non operamur nec convertimur, quia nolumus. Unde nec verum est quod resistentia auxilij sufficientis sit effectus negationis auxilij efficacis, sed est effectus per se nostræ pravæ voluntatis. Nec est verum quod ideo resistit, quia efficax non habet sed ideo resistit quia sua malitia vult; licet si non deesset efficax (quod Deus nulli debet) nec resisteret, quia Deus ex misericordia sua illam superaret resistentiam.

Quod si quemlibet hoc non plenè quietaverit, expectet clariorem discussiorem à nobis in 4. lib. & interim his principiis firmiter adhæreat, quod efficax gratiæ auxilium nulli debitum est. Secundò, quod nullus ipsum promereri potest. Tertiò, quòd Deus qui incepit dando sufficiens, nisi homo impedimentum apponeret, dando efficax perficeret. Ex primo & secundo principio sequitur, quod Deus cui dat efficax, ex misericordia det, & cui negat, ex justo judicio neget, vel propter præcedens aliquod peccatum, saltem originale, vel hac sola ratione, quia debitum non est, illud justè cui voluerit, poterit negare. Ex tertio relato principio sequitur quòd cum Deus dat sufficiens auxilium, in illius collatione offert efficax: homo autem malè operando, & sufficienti de facto collato, & efficaci oblato, resistit. Quamvis autem non stet quòd non resistat, hoc tamen totum ex ejus prava voluntate provenit, non ex defectu auxilij sufficientis.

Sed dices, quare Deus cum sciat ipsum semper resistentiam adhibiturum non dat ei efficax? Respondeo quia illud debitum non est, unde quibus datur misericordiâ datur, quod autem sciat Deus illam resistentiam adhibiturum, hoc scit ex innata illius voluntate provenire, quam resistentiam Deus ob alta judicia superare, in hoc non vult, sicut superat in alio, cui majorem vult facere gratiam. In quo autem sita sit adæquata ratio auxilij sufficientis, infra explicandum erit, & ut speramus, adjuvante Deo, intellectum quietabimus. Quomodo enim non quietetur intellectus considerando auxilium efficax debitum homini non esse, & ex alia parte talem esse hominis naturam, cum sit creatura & ex nihilo facta, ac per consequens defectibilis; quòd si à Deo non efficaciter ex misericordia adjuvetur, ipsa deficeret, ex propria sua defectibilitate, cui propterea imputandum est quod deficiat, cum Deus ei non dat quod ipsi nullo modo debet? Quæ solutio semper observanda in ista materia est.

Denique tandem cum hoc argumento concludamus ostendentes idem omnino argumentum instare contra illam congruam vocationem. Cum enim illa homini non datur, ideſt, cum non vocatur congruè, etiam deficit homini aliquid necessarium ut de facto operetur; ergo non habebit sine illa auxilium sufficiens ad operandum. Consequentia illa est, quam ipsi magni faciunt; & antecedens probatur: quia sine illa congrua vocatione fieri non potest ut homo bene operetur, & illa non est in hominis potestate, ut præmisimus: ergo non habet homo in sua potestate id quod est necessarium, ut de facto operetur. Si ergo ex hoc infertur non habere hominem aliàs auxilium sufficiens; convincitur, quòd etiam negatio congruæ vocationis, neget verum auxilium sufficiens. Itaque quòd homo congruè vocetur, vel est requisitum ut libera hominis potentia bene operetur, vel non? si non est requisitum: ergo sine illa congrua vocatione fieri poterit ut de facto bene operetur homo. Si est requisitum: ergo deficit aliquod requisitum, ut libera hominis potentia bene operetur, & illud requisitum in potestate nostra non est, quòd nempe sic vocemur: ergo non habebimus auxilium sufficiens ad operandum, eadem prorsus ratione. Dicant enim an sine illa congrua vocatione, quæ in nostra potestate non est, possit homo bene operari vel non? si potest bene operari: ergo fieri potuit quod sine illa bene operetur: ipsi enim proeodem reputant posse bene operari, & quod fieri possit, ut bene operetur: hoc autem ipsi non admittunt. Si non potest bene operari (ut fatetur Leonardus Lessius inductus præcedenti capite): ergo non habet auxilium sufficiens: qui enim operari non potest, sufficiens auxilium non habet ad operandum: & sic illa congrua sua vocatio negat auxilium sufficiens, cum illa homini denegatur; sed de his copiosiùs infrà.

CAPUT XVI.

Ultimum solvitur argumentum, & ostenditur Deum prædefiniendo actionem, quæ est in peccato, ad peccati malitiam non concurrere.

ULTIMUM argumentum gravem illam attingit difficultatem, in quam maximè isti authores offendunt, prætendentes quòd si Deus prædefiniat actionem quæ est in peccato, etiam quatenus entitas & actio est, inevitabile sit quod peccatum ipsum prædefiniat, & illud fieri velit; quæ est sine dubio hæresis Calvini & Lutheri & aliorum sectariorum hujus temporis, quam ex professo secundo libro tractabimus, agentes an substantia quæ est in peccato sit per

divinam

Digitized by Google

divinam providentiam prædefinita, & lib. 3. agentes, an Deus præmoveat ad ſubſtantiam actus, quæ eſt in peccato: Unde nunc breviter ita reſpondemus Deum prædefinire actionem quæ eſt in peccato, quatenus præcisè actio & entitas eſt, ex quo nulla ratione ſequitur, quod eam præfiniat quatenus peccaminoſa, aut quatenus peccatum. Imò nulla ratione deduci quòd peccatum aut ejus malitiam etiam ex conſequenti prædefiniat, ſed tantùm ſequi Deum peccatum & ejus malitiam permittere.

Hæc ſententia eſt S. Auguſtini, Proſperi, Anſelmi, Bonaventuræ, S. Thomæ, Scoti & aliorum plurimorum Doctorum, quorum verba ſuo loco referenda ſunt. Nunc ſufficiat quod S. Thomas in 2. diſt. 37. att. 2. tractans in terminis, an ratio peccati in quantum actio ſit à Deo, reſpondet, *Quod actio peccati, quatenus actio, eſt à Deo influentè ipſi agenti eſſe, poſſe, & agere & quidquid perfectionis eſt in agente.* Ubi, ut patet, loquitur de motione Dei prævia, qua Deus influit agenti quòd agat actionem, quæ eſt in peccato quatenus actio eſt. Ex quo manifeſtè convincitur ſententiam eſſe S. Thomæ quòd Deus prædefiniat actionem quæ eſt in peccato quatenus actio eſt. Nam id ad quod Deus præmovet, prædefinit, quia præmotio prædefinitionis effectus & executio eſt, quod nec iſti authores, cum quibus agimus, negant. Intantum autem S. Thomas huic ſententiæ adhæret, ut oppoſitam, quam Catholicam ij Authores arbitrantur, dicat proximam errori duplici, quod & ibi ſatis, ut ſolet, oſtendit. Et in 2. ſcripto ſuper ſent. diſt. ibidem 37. art. 1. tanquam hæreticam damnat illam ſententiam, quæ ponit aliquid, ſeu aliquam entitatem à Deo non eſſe. Et in 2. art. definit actionem, quæ eſt in peccato eſſe ens. Ex quibus duobus principiis S. Thomæ convincitur eſſe errorem negare illam actionem, quatenus ens eſt, eſſe à Deo. Idem docet, ſed ſine prædicta qualificatione 1. 2. q. 79. art. 2. quod ſufficeret ut hi authores quieſcerent. A principio illorum quidam conabantur interpretari S. Thomam quòd dicat eſſe à Deo actionem, quæ eſt in peccato per concurſum illum comitem, quem conſtituunt; ſed videntes literam, ut oſtenſum eſt manifeſtè loqui de influxu in voluntatem ad actionem illam quatenus actio & entitas eſt, jam nec S. Thomam adducunt in hac parte ſicut fecit Author ille qui Antverpiæ ſcripſit ſub Anno 1610. quia deſperavit S. Thomam in ſuam poſſe ſententiam trahere.

Hæc igitur ad præſens in S. Thoma ut manifeſta invenimus. Primò Deum eſſe cauſam actionis quæ eſt in peccato, quatenus actio & entitas. Secundò quòd eſt cauſa illius influens agenti, eſſe, poſſe, & agere. Tertiò quòd oppoſitum ſentire ſit proximum errori duplici. Quartò quòd nullo modo ſequatur quòd Deus ſit cauſa peccati, aut malitiæ illius. Ergo manifeſta ſententia eſt S. Thomæ quòd Deus prædefiniat ad actionem quæ eſt in peccato quatenus actio & entitas eſt, ſine eo quòd peccatum aut malitiam ejus prædefiniat. Quomodo autem non ſequatur ex hac prædefinitione ſive cauſalitate quòd Deus ſit cauſa peccati, aut malitiæ ejus, S. Thomas manifeſtat in ſolutione ad 1. 2. 3. 4. & 5. argumentum illius art. 2. diſt. 37. ubi fortiùs argumenta proponit quàm hi Authores, eaque clarius ſoluit, quàm à nobis dici queat. Ad illa ergo argumenta & ſolutiones pro nunc lectores remittimus, imò Authores iſtos, ut inde capiant ſolutiones unde argumenta ſumpſerunt.

Perperam itaque jactitant hanc Lutheranorum & Calviniſtarum eſſe ſententiam, non advertentes, ſuam potius non modo cum Pelagianis divinam tollere cauſalitatem, ſed & Lutheranorum atque Calviniſtarum errorem potentiſſimè juvare. In hoc enim ipſi errarunt, putantes quod ſicut Deus ponitur cauſa prædefiniens actionem, quæ eſt in peccato, quatenus actio eſt, inde inevitabiliter ſequatur, quòd Deus ſit cauſa prædefiniens peccatum ipſum, & ſic concedentes unum, conceſſerunt & aliud. Pelagiani autem etiam putantes quòd ſi Deus eſt cauſa actionis quæ eſt in peccato, etiam cauſa ſit ipſius peccati, ut hoc ſecundum negarent, negarunt illud primum, & injurioſi divinæ cauſalitati fuerunt. Utrique autem errarunt, quia diſtinguere debebant, ut S. Th. & alij Sancti & Scholaſtici diſtinguunt de actione quatenus actio eſt, & quatenus vitioſa ſeu peccatum eſt; & primum, Deo Authori omnis entitatis & actionis tribuere; ſecundum, illi negare. Quod quia ſic non diſtinxerunt, utrique per extremos errores deviarunt. Modò ſimiliter quia ij Authores non diſtinguunt inter actionem quatenus actio, & quatenus peccatum, ſed putant quod ſi Deus eſt cauſa prædefiniens unum, etiam eſt cauſa prædefiniens aliud, fundamentum Pelagianorum & Calviniſtarum roborant atque tuentur; & ſentientes in concluſione cum Pelagianis, Lutheranorum & Calviniſtarum paralogiſmum approbant.

Media autem via eſt, quam S. Thomas docuit & cum qualificatione ob dicta propoſuit, docens Deum eſſe cauſam prædefinientem & præmoventem ad actionem quæ eſt in peccato, non autem ad malitiam ſeu ad peccatum ipſum. Illud itaque attentiùs venit conſiderandum in hac materia & cauſa; Catholicam nimirum veritatem inter utrumque extremum errorem procedere & utrumque pariter damnare, Pelagianorum nempe & Calviniſtarum. Uterque enim ex eodem funeſto pravoque principio ortum duxit, quòd ſcilicet ipſi non diſtinxerint inter entitatem & actionē quæ eſt in peccato, quatenus entitas & actio eſt, & inter peccatum ipſum, ſeu illius deformitatem. Illi enim priores hoc convicti ſunt paralogiſmo. Quicumque vult ſeu cauſat entitatem & actionem cui inſeparabiliter conjuncta eſt peccati deformitas, vult & cauſat deformitatem & peccatum ipſum; ſed Deus non vult nec cauſat deformitatem peccati & peccatum ipſum: ergo non vult nec cauſat entitatem & actionem quæ eſt in peccato. Poſteriores vero ſic concludunt, quicunque vult & cauſat entitatem & actionem, cui inſeparabiliter conjuncta eſt deformitas peccati, ſeu peccatum ipſum; vult & cauſat ipſam deformitatem & peccatum ipſum; ſed Deus vult & cauſat entitatem & actionem cui conjuncta eſt inſeparabiliter deformitas & peccatum: ergo vult & cauſat ipſam deformitatem & peccatum ipſum.

In utroque autem ſillogiſmo conſtat, quod utrique idem omnino principium aſſumant pro majori, & diverſa minori ſubſumpta, diverſos imò contrarios concludant errores. Qui ergo modò illo primo ſillogiſmo convincuntur, concludentes quòd ſicut Deus non vult nec cauſat deformitatem & peccatum ipſum, ita non vult nec cauſat actionem & entitatem, cui inſeparabiliter conjuncta eſt malitia & peccatum ipſum; attendant cum quibus conveniant & in majori, & in minori, ac concluſione ipſa. Attendant etiam quomodo pravam illationem Calvini approbent docentes & prætendentes, quòd ſi Deus vult & cauſat entitatem & actionem cui conjuncta eſt deformitas & peccatum, vult & cauſat peccatum ipſum; parique ratione conſiderent quomodo cum utriſque conveniant in illo pravo ſillogiſmo & principio propoſito, pro majori, quo non diſtinguunt, ſicut diſtinguere debent, inter deformitatem & peccatum ipſum quod malum eſt; & inter entitatem & actionem, quæ eſt in peccato, quatenus entitas & actio eſt; quia ut ſic bona eſt, nulla enim entitas ut ſic eſt mala (ut

veritas

Digitized by Google

Veritas defendit contra Manichæos. Veritas igitur hæc duo distinguit, entitatem videlicet & actionem, quatenus entitas & actio est; & quia ut sic bona est, Deo tribuit; & deformitatem & peccatum quod malum est, Deo negat, & solùm homini tribuit: & sic quidquid est in illa actione effectus, primæ causæ efficienti tribuitur, quidquid verò defectus causæ secundæ deficienti; nec illa Major est vera, sed distinguenda est; si enim deformitas conjuncta sit inseparabiliter cum entitate illa & actione ut entitas est & ut actio est, tunc erit vera; at deformitas & peccatum non est conjunctum inseparabiliter cum entitate, ut entitas & actio est: ut patet in stulto qui habet eandem actionem & entitatem verbi gratia odij Dei, non tamen cum odij entitate & actione conjungitur deformitas seu peccatum; similiter secundò distinguenda est illa Major; si deformitas & peccatum inseparabiliter conjungantur cum illa entitate & actione, ut venit ab omni agente, vera est Major, si vero non conjungãtur cum omni actione ut venit ab omni agente & causante illam, est falsa; & sic est in casu posito; quia deformitas & peccatum non conjunguntur cum actione ut venit à Deo primo agente, sed cum illa conjunguntur tantùm, ut venit à secundo agente defectibili, cujus rei & exempla existunt satis nota. Primum est de virtute progressiva & tibia clauda ambulante, cujus omnis motus tribuitur virtuti progressivæ, claudicatio verò & defectus solùm tibiæ claudæ, quo exemplo S. Doctores utuntur in hac materia. Secundum est quòd Deus à principio hominem formavit potentem deficere, seu peccabilem & defectibilem, & tamen illa defectibilitas seu peccabilitas Deo creanti, & ejus actioni non tribuitur, sed ipsi homini, quatenus factus est ex nihilo.

Vanum autem & sine fundamento est opponere Concilium Tridentinum sess. 6. can. 7. sub Anathemate damnans qui dixerit mala opera ita & bona Deum operari & non permissivè solum; doctrina enim S. Thomæ, quam defendimus non dicit mala opera, ita & bona Deum operari; imò totum oppositum docuit expresse, quod & nos dicimus, verbis S. Thomæ utentes in secundo sent. citato loco solutione ad tertium. *Deus*, inquit, *dicitur causa bonarum operationum, non solum quantum ad essentiam actus, sed etiam quantum ad perfectionem secundùm quam bonæ dicuntur; utrumque enim agenti influit, & ut agat & ut bene agat: sed in malis actionibus quamvis sit causa earum quantum ad essentiam, non tamen est causa quantum ad defectum; & ideo absolutè dicendus est causa bonarum operationum, non autem peccatorum.* Hæc S. Thomas. Quæ nos respondemus, ut videant quàm sine apparientia opponant nos dicere ita mala opera ut bona Deum operari, aut id ex nostra sententia colligi, cum potius totum oppositum deducatur. Sed profecto ex eorum sententia id sequi advertant, videlicet Deum ad mala sicut ad bona concurrere per illum concursum ita indifferentem ad malum sicut & ad bonum; unde & Molina concedit *Deum esse causam nostrorum peccatorum universalem.* Quæ quidem propositio satis convenire videtur cum Calvino, de qua infra copiosè lib. nostro 3. tractaturi sumus, ubi ostendemus quòd ipsi ita Deum dicant universalem causam peccatorum, sicut bonorum; cum ad utraque ponant prævenientem Dei concursum, æqualiter indifferentem, & ad utraque etiam comitem Dei constituunt concursum, consentiente jam voluntate: ergo consentiente jam voluntate in peccatum, Deus cum ipsa vult peccatum causare: si non distinguant de illa actione ut actio est, & ut peccatum; sicut revera non distinguunt contendentes, quòd qui est causa illius actionis etiam ipse causa peccati. Unde in illorum sententia convincitur quòd volente jam voluntate peccare, Deum similiter cum illa peccatum causare velle & sic Deum peccati causam esse; imò cum simultaneus ille concursus, (quem concedunt) magis & immediatiùs sit conjunctus cum actione peccati, quam prævius, magis & immediatiùs erit causa peccati. Nec excusat quòd voluntas ex se determinata ad peccandum, Deum determinat ad producendum peccatum; quia qui cum alio determinato ad peccatum, simul vult peccatum causare, verè illi imputatur peccatum, & verè de illo dicitur, quòd verè efficit & causat peccatum.

Similiter perperam inducunt Canonem Concilij Arausicani detestantis qui dixerint ad malum, Deum prædestinare; nos enim dicimus nulla ratione Deum ad malum prædestinare seu prædefinere, sed solum ad actionem quæ est in malo quatenus entitas & actio est, quæ ut sic, secundùm veritatem contra Manichæos bona est. Malum autem seu peccatum tantum dicimus esse à Deo permissum. Quomodo autem prædefinita actione, quæ est in peccato in ratione actionis, malitia seu peccatum ipsum, tantùm sit à Deo permissum, declaramus infra lib. 2. & lib. 3.

Sed & magis miramur authorem illum asserere, sequi ex nostra sententia, veras esse objectiones omnes Vincentianas nimirum *quod adulteria, & corruptelæ virginum sacrarum ideo contingunt, quia illas Deus ad hoc prædestinavit ut caderent.* Hæc enim opponens, quomodo non videat ejus se sequi doctrinam, cujus objectiones veras esse, fatetur. Cum enim Vincentius ille contra S. Augustini doctrinam talia opponeret, quia omnia bona S. Doctor ex prædestinatione & prædefinitione ponebat, & S. Prosper respondens, injustè & insipienter Pelagianum illum hæc contra S. Augustinum objicere; pari ratione pro nobis qui eandem S. Augustini de prædestinatione tenemus sententiam: ipse S. Prosper respondet quod insipienter & injustè hæc nobis opponuntur, quia divinas easdem prædefinitiones sequimur, quas ipsi impugnant.

Alterum etiam, ut cum hoc argumento concludam, Author ille opponit, citans enim me suppresso nomine in conclusionibus Neapoli defensis anno 1600. Conclusione 8. hæc mea verba refert. *Unde concludendo affirmamus auxilium gratiæ, prævenientis non solum moraliter, sed etiam Physicè efficaciter & ex se, & pro ut venit à Deo nostram in omnibus actibus supernaturalibus præmovere voluntatem ante omnem ejus liberam determinationem. Imò in universum Deum illam in omnibus suis actionibus Physicè determinat.* Ex quibus infert nos asserere Deum prædeterminare ad substantiam actus, quæ est in peccato. Ad hæc respondemus ut olim S. Augustinus Juliano *fateor, mea verba sunt, sed qui illa retulit etiam alia referre poterat*, præmiseram enim, quòd quamvis Deus materiale peccati prædeterminet, nullo modo peccatum ipsum prædeterminat, aut formale illius. Quibus verbis etiam intellexi, materiale peccati materialiter sumpti, pro substantia videlicet ipsius quæ substat formali, licet non quatenus illi substat. Sed ut omnis oppugnandi tollatur occasio, & magis proprius ac formalis sit sermo, substantiam, entitatem seu actionem, quæ est in peccato quatenus præcisè entitas & actio est, à Deo dicimus prædefinitam: & his vocibus semper utemur, ne quis intelligat quòd materiale connotet ordinem ad formale, licet ut dictum est, materiale peccati materialiter tantum, hanc connotationem præcludat.

Quòd autem ex hac prædefinitione entitatis & actionis quatenus actio est, per non legitimas consequentias ipsi laborent deducere prædefinitum esse peccatum, potius ut diximus Calviniſtarum fundant

errorem.

Digitized by Google

atorem, approbantes illorum peſſimam illationem quæ nulla penitus eſt. Unde reſpondetur ex S. Th. tum 1.2.q.79.art. 2.tum in 2. diſt. 37. q. 2. art. 2. ubi poſtquam ſibi oppoſuiſſet, quod. *Quidquid eſt cauſa actionis in qua deformitas fundatur, ſecundum quam actio mala dicitur, eſt movens & cooperans ad malum, nihil enim cooperatur niſi ſecundum quod talem operationem producit; ſed Deus nullo modo ad malum cooperari debet dici: ergo illius actionis, in qua malum conſiſtit inſeparabiliter, cauſa dicendus non eſt:* (Quod idem eorum argumentum eſt) ita reſpondet: *Ad ſecundum dicendum*, inquit, *quòd illud dicitur ad malum cooperari, quod inclinat ad actionem, ſecundum quod actio deformitati ſubſtat, unde mala eſt, hoc autem Deo non convenit, & ideo non oportet ut ad malum cooperari dicatur quamvis actionis illius cauſa ſit in qua malum conſiſtit, ſecundùm quod influit agenti eſſe, poſſe & agere, & quidquid perfectionis in agente eſt.*

Quòd ſi adhuc non quieſcant, attendant ad aliud quintum argumentum. *rei*, inquit, *non aſſignatur cauſa efficiens, ſecundum quod eſt in intellectu, ſed ſecundum quod eſt in re; ſed quidam actus ſunt, in quibus non poteſt ſeparari illud quod eſt de natura actus à deformitate, niſi ſecundum intellectum, quia bene fieri non poſſunt: ergo non cauſantur niſi ſecundum quod ſtant ſub illa deformitate, ſed ut ſunt ſub deformitate non ſunt à Deo: ergo nullo modo à Deo ſunt.* Magis S. Thomas hoc argumento ſtringit, ſed & hujus ſolutionem audiant. *Ad quintum dicendum* (ait) *quod ſicut actio qua peccati deformitatem habet, dicitur bona in quantum eſt actio bonitate naturæ, non propter hoc quod aliquando inveniatur ſeparata à deformitate, ſed quia bonitas illa naturæ deformitati ſubſtat ita etiã Deus dicitur cauſa illius actionis inquantum eſt actio, & non inquantum eſt deformis, hoc modo quòd actionem non faciat à deformitate ſeparatam, ſed quia in actione deformitati conjuncta, hoc quod eſt actionis facit, & quod deformitatis non facit. Etſi enim in aliquo effectu plura inſeparabiliter conjuncta ſint, non oportet ut quidquid eſt cauſa ejus quantum ad unum, ſit cauſa ejus quantum ad alterum. Sicut natura eſt cauſa oculi quantum ad ſubſtantiam ejus, & non quantum ad defectum cæcitatis qua ex naturæ defectu incidit.* Hæc S. Thomas itaque Deus ut Author naturæ, eſt cauſa actionis quæ eſt bona in eſſe naturæ, non autem eſt cauſa moralis illius actus & ſic non eſt cauſa peccati, quòd eſt opus morale.

CAPUT XVII.

Proponuntur argumenta quibus probari intenditur quod neceſſitas ex ſuppoſitione antecedente tollat libertatem.

VULGARE, & tritum Recentiorum principium & argumentum eſt quod in terminis ex S. Anſelmo S. Auguſtini diſcipulo videntur deſumere tale eſt: *Neceſſitas ex ſuppoſitione antecedente humanæ voluntatis tollit libertatem, neceſſitas autem ex ſuppoſitione conſequenti non tollit libertatem.* Et quia plurimi minus in doctrina S. Anſelmi verſati arbitrantur mentem ejus eſſe hanc, quam Recentiores affirmant, non ſine magna injuria tanti Doctoris, & cum notabili veritatis detrimento, ideo accuratiùs ejus ſententia ex propriis verbis & contextu ipſius erit aperienda. Sed priùs quid intendant in hoc totius ſuæ doctrinæ fundamento convenit explicare.

Igitur Recentiores per hanc diſtinctionem de neceſſitate antecedente & conſequente omnia ſua dicta in his materiis accomodant, omnem ſuam ſententiam fundant, & omnia Sanctorum Patrum teſtimonia concordare laborant. Nam neceſſitatem antecedentem ajunt eſſe illam neceſſitatem ſimpliciter, & abſolutam, (quam Theologi univerſi & Doctores ſacri cõmuniter affirmant tollere hominis libertatem) eandemque eſſe contendunt cum neceſſitate conſequentis de qua etiam communiter Doctores & Sancti aſſerunt tollere libertatem; neceſſitatem autem conſequentem dicunt eſſe neceſſitatem ex ſuppoſitione ſeu conditionatam ſive conſequentiæ, quæ ſecundum communem Doctorum & Scholaſticorum doctrinam libertatem nullo modo tollit aut impedit.

Quid autem ipſi intelligant per neceſſitatem antecedentem & conſequentiæ expreſſis verbis ſatis aperte declarant dicentes, neceſſitatem antecedentem eſſe quæ antecedat omnem cooperationem arbitrij, & qua antecedenter ſic poſita infalibiliter ſequatur arbitrium hoc vel illud infallibiliter operari; neceſſitatem conſequentiæ dicunt conſequi ad arbitrij noſtri priorem operationem, & loquuntur expreſſe de neceſſitate antecedente arbitrij operationem, & proveniente ab ipſo Deo, ab ejus omnipotentia, ſeu efficaci voluntate, quæ ſi antecedat arbitrij libertatem & cooperationem, dicunt ejus tollere libertatem; ſi autem conſequatur arbitrij noſtri cooperationem, ex eo quod ad illam conſequitur, libertatem ejus ſalvat, imo ſolum de hac neceſſitate antecedente proveniente ex Deo ipſo loquuntur, quia ſciunt nullam aliam neceſſitatem ab alio cauſatam poſſe ſic arbitrij noſtri cooperationem præcedere ut ipſum arbitrium faciat infallibiliter operari.

Hanc eandem aſſertionem ſub aliis æquivalentibus verbis Louanij 1586. publicarunt idem Authores ſic aſſerentes. *Quando aliquid præſupponitur quod in noſtra non ſit poteſtate, tunc id quod per neceſſariam conſequentiam inde colligitur ita eſſe neceſſarium ut liberum eſſe non poſſit;* ut refert Scholailla Lovanienſis inſignis in tractatu quem juſtificationem nuncupavit jam ſupra à nobis relato. Eandem ſententiam prius pertinaciter defendiſſe ante annos 130. quemdam Petrum de Rivo diximus. Affirmabat enim quidquid, ex ſuppoſitione quod in noſtra poteſtate non ſit, per neceſſariam conſequentiam ſequitur, ita eſſe neceſſarium, quod liberum nulla ratione eſſe poſſit. Imo hoc fuiſſe in terminis Pelagianorum fundamentum totale conſtat ex ſupradictis, & potiſſimè ex illis S. Proſperi verbis Epiſt. ad S. Auguſtinum. *Removeri itaque induſtriam tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quamdam induci neceſſitatem.*

Quomodo autem neceſſitas ex ſuppoſitione antecedente & neceſſitas ex ſuppoſitione conſequente ſe habeant ad arbitrij noſtri cooperationem, licet verba ipſa ſatis aperte demonſtrent, id clarioribus verbis declarat Franciſcus Suarez lib. 1. de concurſu Dei cap. 31. num. 7. ubi ait: *Si ſuppoſitio antecedens totum uſum liberum, & prærequiſita ad actum, inducat neceſſariam conſecutionem actus, aut tollat potentiam ad oppoſitum, ſeu ad non agendum, talis ſuppoſitio impediet uſum liberum, quia jam potentia ut proximè applicata ad operandum cum omnibus requiſitis non manet expedita & indifferens, ſed ad illum unum determinata, quod ex tali ſuppoſitione conſequitur. Unde cum ſuppoſitio ipſa omnino antecedat uſum liberum, nihil relinquitur in quo indifferentia exerceatur ſecus vero erit ſi ſuppoſitio ſit conſequens actum liberum, ſeu ipſum involuens; nam tunc cum jam ſupponat uſum liberum, non poterit illum impedire; imò quidquid inde ſubſequitur, etiam ſi neceſſaria ſubſequutione conſequatur à priori actu libero, unde dimanat, libertatem participabit reſpectu illius potentiæ vel operantis, à quo prior ille actus liber emanat, quo-*

modo

Digitized by Google

modo effectio Dei libera est, licet ex voluntate Dei necessario sequatur, & motio manus est libera, quæ necessario sequitur ex voluntate illam movendi, & electio unici medij est libera in libera intentione finis. Denique hoc modo actus liber habet necessitatem qua res quando est, necesse est esse, quæ non excludit libertatem, quia supponit actum ipsum liberè factum. Quibus verbis manifestissimè sæpiùs affirmat necessitatem consequentem, quæ sola libertatem non tollit, consequi; ut verbum ipsum sonat, tanquam quid posterius ad priorem actum liberum humanæ voluntatis ut ipsius exempla satis apertè declarant. Unde in summa hoc dicunt, hoc contendunt; in hoc laborant, & sæpius inculcant adversarij, quòd si divina providentia, divina voluntas, divina prædestinatio, divina motio certitudinem habeat, & efficacitatem prævenientem seu antecedentem humanij arbitrij cooperationem, ita quod arbitrium infallibiliter operetur; tollit arbitrij libertatem. Ut autem illam conservet; certitudo seu efficacia, sive necessitas operationis liberæ humanæ, debet præsuppone priorem liberam voluntatem, & ab ipsa libera voluntate humana prius operante, libertatem habebit actus ille, qui infallibiliter & certo fiet. Itaque ut hominis salvetur libertas debet ipsa præcedere efficaciam divinam, & hoc est quod alibi dicunt, quòd concurius Dei, sive gratia prævenies est efficax ab effectu, quia videlicet liberum arbitrium vult consentire, ita quòd talis efficacia sequatur ad priorem arbitrij consensum.

Probant autem necessitatem ex suppositione antecedente tollere libertatem (præter Authoritatem Anselmi, cui talem attribuunt sententiam) his argumentis. Primò: si suppositio antecedens est omnino antecedens libertatis usum, non potest necessariò inferre actum aliquem, nisi sit aliquomodo causa ejus, nam si non est causa, quomodo potest vel actum inferre, vel voluntatem ita impellere, ut omnino agat? Et ita expressè S. Anselmus necessitatem antecedentem dixit esse causam rei. Suppositio ergo antecedens causa est; si ergo necessariò infert actum, ipsa suo genere, postquam posita est seu applicata, est causa necessariò agens, atque ita necessaria, ut voluntas non possit ei resistere, aut impedire effectum ejus. Nam si posset, jam ex hac parte non esset necessaria consequutio inter talem suppositionem & actum: ergo si illa applicatur antecedenter, & independenter à libero usu voluntatis, non potest effectus inde consequens esse liber ipsi voluntati qua procedit ex causa necessario eliciente suum effectum, quam nec prævenire, nec impedire potest ipsa volantas.

Secundo talis necessitas ex suppositione antecedente est necessitas absoluta & simpliciter pugnat ergo cum libertate. Antecedens est S. Thomæ secundo Physicorum lect. 15. Ubi ait necessitatem ex causis prioribus esse necessitatem simpliciter, & ponit exemplum in causa materiali, formali, & efficienti.

Tertio necessitas absoluta non potest dici in hac materia illa, quæ nullam causam vel conditionem requirat, hoc enim modo nulla est necessitas in creaturis: ergo potest esse necessitas absoluta, licet aliquam conditionem, seu suppositionem requirat: ergo nulla potest esse major, quàm illa quæ ex prioribus antecedentibus causis provenit.

Quartò illa necessitas quæ provenit ex suppositione antecedente est necessitas consequentis; & non solius consequentiæ, sed necessitas consequentis tollit libertatem ergo illa proveniens ex necessitate antecedenti tollit libertatem Minor est certa, & Major probatur: quia tunc est necessitas consequentis, quando consequens est necessarium, & causatur ex necessitate antecedentis, ita quòd necessitas antecedentis est vere causa necessitatis consequentis, sed necessitas ex suppositione antecedenti provenit ex illa sicut ex causa, ut modò ex S. Anselmo relatum est: ergo illa est necessitas consequentis. Quando vero suppositio est posterior, seu aliquo modo libera voluntati; tunc tantum est necessitas consequentiæ; qualis est illa, res dum est, necessariò est, quia licet necessario sequatur, si est, quod sit; tamen quia antecedens non est necessarium; sed liberum voluntati, ideo non sequitur consequens esse absolutè necessarium, neque esse necessitatem consequentis, sed consequentiæ tantum; quæ non tollit libertatem.

Ultimo S. Thomas & communiter Theologi distinguunt duplicem ignorantiam, aliam antecedentem, & aliam consequentem, & ignorantiam antecedentem dicunt tollere libertatem, non alia ratione, nisi quia ignorantia antecedens & est causa, & est involuntaria. Unde fit ut actus ille procedens, procedat ut à causa naturali non libera, & ut homo sic ignorans sit hîc & nunc impotens ad volendum quod sic ignoratu est, & consequenter quod non sit liber in eo nolendo. Hæc autem Theologorū doctrina in omni suppositione quæ ad actum voluntatis concurrat vel applicetur, locū habet, nam si illa est antecedens omnino usum libertatis, & alioquin reddat voluntatem hic & nunc impotentem ad omnem alium actum, præter illum, ad quem ex tali suppositione determinatur, tollit plane libertatem ad illum. Nec reddi potest ratio cur in ignorantia antecessio illa tollat libertatem, & non in alia conditione vel causa, quæ vel afferat voluntati conditionem necessariam ad operandum, vel apponat conditionem cum qua sit impossibile non operari, & consequenter auferat potestatem non operandi. Omnis ergo suppositio antecedens affert necessitatem simpliciter, & ex consequenti tollit libertatem.

Hinc inferunt vulgarem illam distinctionem de sensu diviso atque composito sic esse admittendam & intelligendam in his materiis, ut idem omnino sit necessitas in sensu composito, quæ libertatem non tollit ut communis est Doctorum sententia, quod necessitas ex suppositione consequente: & necessitas in sensu diviso quæ libertatem aufert, idem omnino sit quod necessitas ex suppositione antecedente quæ solā secundum illos tollat libertatem.

Ut igitur veritas patefiat, & falsæ Doctorum intelligentiæ præscindantur; periculosa quædam æquivocatio, quæ circa suppositionem antecedentem & consequentem non sine magna veritatis jactura intromittitur, auferenda est. Nec uno modo statuitur à Doctoribus suppositio antecedens, & consequens, sed multipliciter. Cum enim suppositio antecedens sive præcedens dicatur respectu alicujus, quod præcedit; & consequens comparatione alicujus quod consequitur, & diversa sint illa quorum comparatione potest dici suppositio antecedens, seu consequens, fit ut etiam diversa sit suppositio antecedens & consequens.

Primò omnium, ut à notioribus procedatur, potest dici suppositio antecedens illa quæ à Theologis dicitur voluntas Dei antecedens, & suppositio consequens, quæ ab eisdem vocatur Dei voluntas consequens. Verum est quod non ita propriè illa Dei antecedens voluntas dicitur suppositio antecedens, nec hanc Theologi intelligunt cum loquuntur de suppositione antecedente; sed ut omnia attingamus, etiam istam propter vocis identitatem, largo modo sub suppositione antecedenti visum fuit comprehendere.

Suppositio ista antecedens, seu antecedens Dei voluntas est respectu objecti secundum se considerati, & in genere, non in particulari attentis omnibus

Digitized by Google

nibus circumstantiis sicut illa qua Deus vult omnes homines salvos fieri. Ita S. Th. 1. p. q. 19. art. 6. ad primum q. 23. art. 4. ad tertium in. 1. dist. 43. art. 1. de verit. q. 23. art. 2. & alibi sæpe.

Similiter suppositio consequens seu voluntas Dei consequens quæ illi voluntati Dei antecedenti correspondet, est voluntas Dei absoluta & efficax respectu objecti voliti ut in particulari, & attentis omnibus circumstantiis, ut citatis locis S. Thomas exponit. In qua significatione seu acceptione constat suppositionem seu voluntatem Dei antecedentem, non dici antecedentem seu consequentem per respectum ad nostram voluntatem, sed tantum dicitur antecedens Dei voluntas comparatione alterius Dei voluntatis, quæ dicitur consequens. Ratione enim, ut omnes sciunt, istæ duæ voluntates in Deo distinguuntur, & una secundum rationem est alia prior, seu illam antecedit; quia objectum unius est ratione priùs altero; prius enim est objectum volitum secundum se, & in genere, & postea in particulari & attentis circumstantiis, ut inductis testimoniis S. Th. aperte monstravit.

Secunda suppositio antecedens est voluntas Dei, quæ antecedit omnem voluntatem seu libertatem ejus, & consequens quæ primam divinam libertatem consequitur. Illâ primâ vult Deus suam beatitudinem, ista enim divina voluntas necessaria omnino est in Deo, & omnem ejus libertatem præcedit. Illa autem divina voluntas, qua Deus vult creaturas producere dicitur voluntas seu suppositio consequens divinam libertatem. Primam suppositionem antecedentem seu præcedentem invenimus sic intellectam in S. Anselmo lib. 2. cur Deus homo cap. 17. quod & infra copiosius ex ipsius verbis explicabimus.

Tertia suppositio antecedens seu præcedens est illa quæ est ex aliqua forma naturali omnino determinata ad unum ex qua effectus aliquis consequitur, & respectu effectus talis dicitur suppositio antecedens seu præcedens. Hæc etiam manifestè statuitur à S. Anselmo eodem lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 10. quæ ab ipso ibi vocatur efficiens, & hæc necessitas est illa qua cœlum volvitur, & Sol oritur, quia necesse est quod cœlum volvatur & Sol oriatur ex antecedenti seu præcedenti illa forma naturali ita antecedenter necessitante, & omnino determinante ut cœlum volvatur, ut ex ejusdem Anselmi verbis patet. Et huic correspondet suppositio consequens esse rei, de qua Aristoteles dixit, quod omne ens, dum est, necesse est esse, quia hæc suppositio est ex necessitate consequenti ipsum esse rei, ut est manifestum.

Quarta suppositio antecedens & similiter consequens illi proportionata, traditur sub his vocibus à S. Thoma 1. 2. q. 17. art. 7. ad secundum *Ad secundum* (inquit) *dicendum quod qualitas corporalis dupliciter se habet ad actus appetitus sensitivi: uno modo ut præcedens pro ut aliquis est aliqualiter dispositus secundum corpus ad hanc vel illam passionem. Alio modo ut consequens sicut cum ex ira aliquis incalescit. Qualitas igitur præcedens non subjacet imperio rationis, quia vel est ex natura vel ex aliqua præcedenti motione, quæ non statim quiescere potest. Sed qualitas consequens sequitur imperium rationis, quia sequitur motum localem cordis, quod diversi mode movetur secundum diversos actus sensitivi appetitus.*

Ex istis quatuor acceptionibus suppositionis antecedentis & consequentis manifestum est, quod suppositio consequens nullo modo nostram impedit libertatem, quia ex illis quatuor, prima suppositio consequens, nostram libertatem non respicit, nec per ordinem ad illam dicitur consequens. Secunda consequitur Dei libertatem. Tertia consequens se extendit ad omne ens, quod est, dum est, sive sit ens necessarium, sive actus liber, & pro hac secunda parte supponit actus liber nostram libertatem, necesse est enim quod dum actus fit liberè, libere fiat. Quarta suppositio consequens à S. Thoma nunc explicata consequitur imperium rationis, & libertatem, unde nec illam potest impedire. Similiter omnes quatuor suppositiones antecedentes aut nostram voluntatem non respiciunt, aut si illam respiciunt, non tamen omnes illam impediunt, sed aliquæ tantum, V. G. prima suppositio antecedens, qua Deus vult omnes homines salvos fieri actus liber in Deo est nullo modo nostram voluntatem impediens. Secunda autem voluntas antecedens qua nempe Deus vult suam bonitatem, sicut primam libertatem, ita & omnem nostram antecedit, unde ex vi illius actus nec divina voluntas, nec humana liberè operatur. Tertia autem suppositio antecedens, cum sit propria agentium mere naturalium, libertatem nostram non respicit, nec illam vel causare, vel impedire potest. Quarta autem antecedens suppositio, quæ est qualitas præcedens imperium rationis, cum non subdatur imperio rationis, nec subditur libertati, nec libertas potest eam auferre, sed ista non necessitat voluntatem ad volendum, ut est manifestum. His ergo de medio sublatis acceptionibus suppositionis antecedentis, & consequentis, quæ, si attendantur, ad rem præsentem non faciunt, est alia quinta suppositio antecedens, nempe Dei libera voluntas, quæ antecedit & præcedit nostram, & eâ prior est, qua Deus vult efficaciter quòd homo hic & nunc hoc opperetur ita quòd illa præcedente Dei voluntate præsuppositâ incompossibile est poni quòd homo sic non operetur. Alia autem fingitur ab aliquibus suppositio consequens aliquomodo nostram voluntatem, & ista est Dei voluntas quæ aliquomodo à nostra dependeat, & eam supponat. Et quia hæc secunda voluntas consequens si daretur evidens esset quòd nostram libertatem non impediret, cum illam supponeret: de illa priori Dei voluntate efficaci antecedente, tota quæstio est, an nostram impediat sua efficacitate libertatem. De ista ergo Dei voluntate antecedenti & efficaci, & de ista suppositione antecedente ut iterum dicam, tota quæstiò est. Et si Authores cum quibus disputamus aliquid ex Sanctis Patribus probare prætendunt, de hac specie ostendere debent Sanctos loqui, cum dicunt suppositionem antecedentem tollere libertatem & non adducere in generali verba, quod suppositio antecedens tollit libertatem, in quibus ut ostendemus loquuntur Sancti de aliis suppositionibus antecedentibus nunc explicatis. Unde necesse diximus hanc magnam æquivocationem distinguendo præcludere. Verum est hanc voluntatem Dei quæ nostram antecedit & comparatione ejus antecedens seu præcedens dicitur, duplici ratione posse dici antecedentem ut infra in explicatione S. Anselmi declarabimus.

CAPUT XVIII.

Quod secundum S. Augustinum necessitas ex suppositione divina antecedente, non tollat libertatem.

PRÆCIPUI duces Magistrique sequendi in omnibus, sed præcipuè in hac materia de gratia & libero arbitrio sunt illa duo Ecclesiæ lumina Augustinus & Thomas quorum alter per annos plures contra Pelagianos pugnans, hanc concordiam libertatis humanæ cum divina motione & gratia mirabiliter Ecclesiæ tradidit. Alter vero priorem in omnibus sequens perfectam ejus intelligentiam & mentem apertissimè declaravit.

Digitized by Google

Quid ergo uterque sanctus dixerit, quidvè senserit de necessitate ex suppositione antecedente arbitrij nostri cooperationem examinemus; & discutiamus an affirment illam tollere arbitrij libertatem; an verò ipsam perficere, & conservare doceant. Nec ad præsens omnia eorum dicta que pene innumera sicut in animo est adducere sed nonnulla quædam quæ magis ad rem faciunt.

Dicendum est itaque ex suppositione divinæ voluntatis antecedente omnem humanam arbitrij cooperationem sive ex necessitate antecedente aut præveniente, orta ex divinæ voluntatis efficacia nullo modi lædi arbitrij libertatem, sed potiùs perfici, conservari, & in exercitio causari.

Veritas ista fuit perpetuo à Sancto Augustino fundata, defensa & publicata contra Pelagianos & Semipelagianos ut omnes Sancti Doctoris libri contra ipsos editi apertissimè manifestant, qui essent integrè transcribendi, si omnia quæ hujus gratia dixit, vellemus adducere, ferè enim nulla est pagina in libris illis, quæ non doceat ex Dei voluntate efficaci liberam hominis cooperationem præveniente, ex Dei dominio quod habet super hominum voluntates, & Dei omnipotentia qua aversas & adversas ad se convertit voluntates, non lædi, non tolli humanam libertatem, sed conservari, sed perfici, sed causari.

Primò in Epist. 107. ad vitalem *Recognoscis*, inquit, *ut puto in his, quæ nos scire dixi, non omnia, quæ ad fidem Catholicam pertinent, commemorare voluisse, sed ea tantum quæ ad istam, quæ inter nos agitur de Dei gratia, quæstionem, utrum præcedat hæc gratia an subsequatur hominis voluntatem, hoc est, ut planiùs id eloquar, utrum ideo nobis detur, quia volumus, an per ipsam hoc ipsum etiam Deus efficiat ut velimus.* Tota ergo quæstio inter Catholicos & Pelagianos erat, quod Pelagiani pertinaciter contendebant præcedere hominis voluntatem, & gratiam esse consequentem, ne si gratia præveniret, tolleretur hominis libertas: at vero Catholici constanter affirmabant gratiam antecedere, per quam Deus efficit ut velimus. Ecce apertè quomodo necessitas ex suppositione antecedentis gratiæ, quæ infallibiliter facit voluntatem liberè velle & operari, est sententia Catholica, & contraria planè Pelagiana, & damnata.

Item eadem Epistola ait quod voluntas per antecedentem gratiam præparatur, explicans ibi talem antecedentem gratiam præparare, ita antecedenter & efficaciter, ut infallibiliter sequatur voluntatis actus, ait enim. *Quomodo Deus expectat voluntates hominum, ut præveniant eum quibus det gratiam, cum gratias ei non immerito agamus de his, quibus non ei credentibus & ejus doctrinam voluntate impia persequentibus misericordiam præorgavit; eosque ad seipsum omnipotentissima facilitate convertit ac volentes ex nolentibus fecit?* Per gratiam itaque antecedentem, humanasque voluntates præcedentem Dei omnipotentia efficaciter convertit ad se homines servans perfectè ipsorum libertatem: ergo necessitas proveniens ex suppositione antecedente non lædit vel tollit hominum libertatem. Et iterum ibi sic dicit. *Hæc & alia testimonia divina, quæ commemorare longum est, ostendunt Deum gratiâ suâ auferre infidelibus cor lapideum, & præparare in hominibus bonarum merita voluntatum; ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur.* Et iterum ibi declarans hanc antecedentem gratiam inferre infallibiliter quòd homo operetur, ita concludit. *Oportet sine dubitatione fatearis voluntates hominum Dei gratia præveniri, & ut bonum velint homines, quod nolebant, Deum facere qui rogatur ut faciat.* Ecce appertè suppositionem divinæ voluntatis, & gratiæ antecedentis, ex qua infallibiliter sequitur quòd liberum arbitrium liberè operetur.

Præterea S. Augustinus in Enchirid. cap. 103. ait. *Rogandus est Deus ut velit quia necesse est fieri si voluerit.* Quibus verbis in terminis necessitatem antecedentem humanas voluntates, & provenientem ex Dei voluntate constituit de qua tantum abest quod dicat tollere libertatem, quin potius per illam fieri ipsam actualem libertatem hominum asserat. Necessitas ergo divinæ voluntatis antecedens hominum operationes non lædit libertatem, sed causat. In isto enim loco loquitur expressè de necessitate proveniente ex Dei voluntate antecedente omnino hominum voluntates de qua sæpe docet quòd Deus per illam facit ut velimus, & quòd illa non expectat hominum voluntates, nec ab illis dependet, & sic illum intelligit S. Thomas 1. p. q. 19. art. 8. ad primum ut dicemus. Item Augustinus lib. 3. de libero arbitrio. *Voluntas*, inquit, *Dei est mihi necessitas.* Et 6. super Genes. ad lit. cap. 22. *Hoc necessario futurum est quod ipse vult.*

Præterea lib. de gratia & libero arbitrio cap. 5. ait. de Paulo: *Ut autem de cœlo vocaretur & tam magna & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola, quia ejus merita erant magna, sed mala.* Potuit ne S. Doctor clarioribus verbis necessitatem ex suppositione antecedentis Dei vocationis omnem humanam operationem exprimere? valuit ne clarius affirmare illam non lædere, sed servare humanam libertatem Apostoli, qua libertimè ad Deum conversus est ex efficaci illa Dei vocatione omnino antecedente? Et libro primo contra duas Epist. Pelagianorum cap. 19. explicans illud, *Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, sic dicit. *Non enim*, ait, *duxerit, ut illic aliquomodo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur si jam volebat? Et tamen nemo venit nisi velit, trahitur ergo miris modis ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines (quod fieri non potest) nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Ecce manifestissimè tractionem omnino antecedentem hominum voluntates, per quam infallibiliter homo consentit, & venit, & liberè consentit, & liberè venit, prædicat Augustinus. Quomodo ergo dicitur quòd necessitas ex suppositione antecedente tollit libertatem. Et iterum ibi cap. 20. ait quod *Deus cor Regis occultissima & efficacissima potestate convertit & transtulit ab indignatione ad lenitatem.* Quomodo igitur ex efficacia divinæ potestatis antecedentis omnino hominum cooperationem ab aliquo Theologo potest inferri ablatio libertatis? Insuper innumera propemodum sunt ejusdem S. Doctoris testimonia quibus astruit humanam voluntatem indefectibiliter, insuperabiliter, & indeclinabiliter volente Deo operari, nec tamen in minimo ejus libertatem lædi, sed perfici, & conservari. Ita habet præsertim in lib. de cor. & grat. c. 12. *Subventum est ergo*, ait, *infirmitati voluntatis humanæ ut divina gratia indeclinabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma non tamen deficeret, nec adversitate aliqua vinceretur.* Et in cap. 8. præmiserat. *Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, & ut perseveret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.* Item sæpe docet quòd Deus transfert voluntatem de

malo,

mala in bonam, quòd inflectit illam in alteram partem, quòd facit illam facere, & multa talia, quæ neceſſitatem provenientem ex Dei efficaci motione ſalvantem libertatem manifeſtant ita habet Epiſt. 107. & lib. de gratia & lib. arbitrio cap. 5. 16. & 20. de Correp. & gratia cap. 4. & 5. 10. & 14. de gratia Chriſti cap. 24. lib. 1. ad Bonif. cap. 20. q. 2. ad ſimplic. De dono perſeu. cap. 6. Quis autem non videat illam omnino antecedentem gratiam facientem hominem indeclinabiliter operari eſſe ſuppoſitionem omnino antecedentem humanam cooperationem? Similiter quis non videat ex tali ſuppoſitione antecedente oriri neceſſitatem operationis humanæ. Hoc enim ſonant illa verba, *inſuperabiliter indefectibiliter, indeclinabiliter.* Nunquid S. Auguſtinus qui hæc contra Pelagianos ſcripſit, defendit, & explicavit; liberum hominis abſtulit arbitrium? Abſit; ſed in omnibus & Dei omnipotentiam facientem in humanis cordibus quod ſibi placet, & hominis libertatem expreſsè prædicavit. Contra S. ergo Auguſtinum invehantur iſti Recentiores, & contra ipſum clament quod neceſſitas ex ſuppoſitione antecedente, quam ipſe conſtituit, aufert libertatem, ſicut antiquitus contra ipſum clamabatur quòd libertatem auferabat; & fatalem inducebat neceſſitatem. Antiqua ſunt iſta convitia, quæ à Juliano & ſequacibus S. Auguſtino objiciebantur. Ibi omnia penitus fracta & contrita ſunt, quando Pontifices ſummi, & ſacra Concilia definierunt S. Auguſtinum & Dei gratiam, & hominum ſervare libertatem; adverſarios autem ejus, nec Dei gratiam admittere, nec hominum libertatem ſervare. Imò non contra S. Auguſtinum hæc objiciant, ſed contra tot Concilia & Pontifices ſummos, qui illius doctrinam adverſus Pelagianos approbarunt & confirmarunt, proponant frivola argumenta; omnia enim Concilia & Pontifices univerſi, qui hæreſim damnarunt Pelagianam, de hoc illam potiſſimè damnarunt, quia ex ſuppoſitione divinæ voluntatis antecedente humanam & infallibiter faciente illam operari, contendebant tolli hominis libertatem, quia de hoc erat illorum antiquorũ erroneum principiũ ſub aliis æquivalentibus expreſſum. Unde non dubium quin illæ definitiones adverſus Pelagianos promulgatæ, quas omnes ſupra retulimus, præcipuè hoc totaliter evertant fundamentum quòd ex ſuppoſitione antecedente divinæ voluntatis tollatur hominis libertas.

Plures autem ex S. Patribus pro hac veritate perſuadenda non inducimus, quia in ſequentis aſſertionis examine, quæ eſt circa ſenſum diviſum atque compoſitum plures inducentur, qui docent cum efficaci voluntate Dei antecedente, cum qua non ſtat diſſentire in ſenſu compoſito; optimè ſtare quòd poſſit homo ſua libera voluntate abſolutè & ſimpliciter diſſentire: in quo manifeſte libertatem noſtram componunt cum ſuppoſitione divinæ voluntatis antecedente. Quare ad præſens ſolum ex S. Thoma & Anſelmo veritatem hanc demonſtremus quia in eis potiſſimè ſtudent hi Authores hanc ſuam ſententiam de ſuppoſitione antecedente tollente ſecundum eos noſtram libertatem, fundare.

CAPUT XIX.

Quod ſecundum S. Thomam neceſſitas ex ſuppoſitione divina antecedente non tollit libertatem.

CUM S. Thomas perpetuò doceat ex ſuppoſitione antecedente divinæ voluntatis, ex qua infallibiliter ſequitur humanus actus, libertatem non lædi, ſed firmari, ad præſens pauca quædam adducere ſufficiat, aliis in locis plura alia adducentur. Primus eſt 1. 2. q. 10. art. 4. ubi ait: *Impoſſibile eſt Deum movere voluntatem ad aliquid, & quod ipſa non moveatur.* Ergo neceſſarium erit Deo movente voluntatem ad aliquid, ad id ipſam moveri, ab æquivalentibus enim tenet conſequentia: Neceſſe eſt ergo quod voluntas moveatur ad id ad quod Divina voluntas priùs mout ergo ex divina voluntate priùs movente & antecedente motum mobilis & actum humanæ voluntatis, neceſſe eſt quòd voluntas moveatur; neceſſe eſt quod velit. Et ſtatim S. Thomas docet hanc neceſſitatem ortam ex illa antecedente Dei voluntate movente non eſſe neceſſitatem ſimpliciter, ſed ſecundum quid, quæ compatitur humanam libertatem, ita quòd impoſſibile ſit ipſam non moveri, & tamen liberè moveri. Alius locus S. Thomæ inſignis habetur eadem 1. 2. q. 112. art. 3. ubi in corpore ſic dicit. *Alio modo poteſt conſiderari* (præparatio ſcilicet ad gratiam) *ſecundum quod eſt a Deo movente & tunc habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non poteſt ſecundum quod Auguſtinus dicit in lib. de Prædeſtinatione ſanct. quòd per beneficia Dei certiſſimè liberantur quicumque liberantur.* Ecce in terminis appoſitam à S. Thoma neceſſitatem ex ſuppoſitione voluntatis Dei & motionis ipſius antecedentis omnino humani arbitrij libertatem; loquitur enim de præparatione quæ efficaciter antecedit arbitrij cooperationem, & quæ infallibiliter facit ipſum arbitrium operari, ex qua ſuppoſitione actus qui ex neceſſitate ſequitur, habet tantùm neceſſitatem infallibilitatis & certitudinis, cum qua optimè cohæret humana libertas, nullo autem modo eſt neceſſitas coactionis, vel abſolutè neceſſitans voluntatem, ſeu tollens ejus libertatem.

Tertius & ultimus locus, illeque in terminis habetur 1. p. q. 19. art. 8. ubi in 3. loco hoc inſtituit argumentum de neceſſitate proveniente ex antecedenti ſuppoſitione quòd tollat humanam libertatem ex ea præcisè ratione quòd ſit neceſſitas antecedens omnino hominum voluntates. Sic enim opponit. *Illud quod habet neceſſitatem ex priori eſt neceſſarium abſolutè, ſicut animal mori eſt neceſſarium, quia eſt ex contrariis compoſitum; ſed res creatæ à Deo, comparantur ad voluntatem divinam ſicut ad aliquid prius à quo habent neceſſitatem, cum hæc conditionalis ſit vera, ſi aliquid Deus vult, illud eſt; omnis autem conditionalis vera, eſt neceſſaria, ſequitur ergo quòd omne quod Deus vult ſit neceſſarium abſolutè.* Potuit ne efficaciùs argumentum proponi ad probandum quòd illud quod habet neceſſitatem ex priori ſeu antecedente ſuppoſitione ſit abſolutè neceſſarium & abſque libertate. Vel aliquando iſti Recentiores majori cum vi hoc ſuum conſtituunt argumentum quam hìc ſit, tribus terminis à S. Th. adductum & expreſſum. Audiant ergo ejus ſolutionem, & non convincantur argumento evidentiſſimo à S. Th. ſoluto, ſi enim ex iſto loco ſumpſerunt argumentum, quare omiſerunt ſolutionem? *Ad tertium dicendum* (inquit) *quòd poſteriora habent neceſſitatem à prioribus ſecundùm modum priorum; unde & ea quæ fiunt à voluntate divina talem neceſſitatem habent, qualem Deus vult ea habere, ſcilicet vel abſolutam vel conditionatam tantùm, & ſic non omnia ſunt neceſſaria abſolutè.* Concedit ergo S. Thomas voluntatem divinam priorem eſſe & antecedere humanam cooperationem & quòd ex tali ſuppoſitione antecedente oritur neceſſitas in humanis operationibus, non abſoluta, non lædens vel tollens humanam libertatem, ſed conditionata ſalvans in omnibus libertatem humanam, quia libertas Dei antecedens

tecedens vult illam neceſſitatem eſſe tantùm conditionatam & vult quòd homo ex illa ſuppoſitione antecedente infallibiliter operetur, & liberè operetur; Utrumque enim vult, & utrumque cauſat illa ſuppoſitio antecedens, & ſubſtantiam & modum, & modum & ſubſtantiam, ut ſupra declaravimus, & ſæpiùs in hoc opere erit ampliùs declarandum.

Et ſecundo argumento, & ejus ſolutione idem magis declarans. *Omnis* (inquit) *cauſa quæ non poteſt impediri ex neceſſitate ſuum effectum producit. Sed voluntas Dei non poteſt impediri, dicit enim Apoſtolus ad Romanos 9. voluntati ejus quis reſiſtet: Ergo voluntas Dei imponit rebus omnibus neceſſitatem.* Hoc eſt Recentiorum argumentum, ſed audiant iterum ſolutionem. *Ad ſecundum* (inquit) *dicendum quòd ex hoc ipſo quod nihil voluntati divinæ reſiſtit, ſequitur quod non ſolùm fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quòd fiant contingenter, vel neceſſariò quæ ſic fieri vult.* Quibus verbis, ut alibi ſupra notavimus, non ſolùm ait S. Thomas quod ex ſuppoſitione divinæ voluntatis ex qua ſequitur infallibiliter liberum noſtrum arbitrium operari, non læditur libertas, quin potius affirmat quòd ex eadem ſuppoſitione antecedente cauſetur & ſequatur actualis hominum libertas in ſuis humanis operationibus. Et ſolutione ad primum explicans illud ſancti Auguſtini in Enchirid. *Nullus eſt ſalvus niſi quem Deus voluerit ſalvare, & ideo rogandus eſt ut velit, quia neceſſe eſt fieri ſicut vult:* Ita dicit. *Ad primum ergo dicendum quòd per illud verbum Auguſtini intelligenda eſt neceſſitas in rebus volitis à Deo non abſoluta, ſed conditionalis, neceſſe eſt enim hanc conditionalem eſſe veram, ſi Deus hoc vult neceſſe eſt hoc eſſe.* Ecce in terminis ſecundùm ſanctum Auguſtinum & D. Thomam neceſſitatem antecedentem divinæ voluntatis ex qua neceſſe eſt hominem operari, quæ non lædit, ſed cauſat ipſam libertatem 1. p. quæſt. 83. art. 1. præcipuè ad 3. quæſt. 105. art. 4. in fine coporis & ad 2. & 3. art. 5. in corpore, & ad 3. quæſt. 3. de potentia art. 7. in corpore & ſolutione ad 3. 4. 12. 13. 14. quæſt. 3. de malo art. 3. potiſſimè ad 5. q. de elect. human. art. unico in corpore, & potiſſimè ad 1. 2. 3. & 4. q. 3. de verit. art. 7. & 8. & q. 5. art. 5. ad 1. q. 6. art. 2. 3 & 4. & q. 23. art. 5. ad 3. & q. 24. art. 1. ad 3. & quodlib. 12. art. 4. 1. contra Gent. cap. 83. & 85. potiſſimè ratione 4.

Innumera alia teſtimonia ex ſancto Thoma omitto, tum ex ſumma, tum ex ſententis, tum potiſſimè ex quæſtionibus diſputatis, & libris contra Gentes, quia ſi omnia eſſent referenda, totum vel ex ipſis opus hoc impleretur. Potiſſimè quia nunc relata formalia ſunt & expreſſa ut nimiæ contentionis ſit, vel id non primo aſpectu videre.

Omitto ad præſens multa ex ſancto Proſpero, Hilario, atque Fulgentio, quibus demonſtrari poſſet neceſſitatem ex ſuppoſitione antecedente nullo modo tollere, aut in minimo lædere hominum libertatem ſeu voluntatem, ſed illa in alium locum commodiùs tranſmittuntur, nec enim ſemel hoc illorum fundamentum evertendum veniet.

CAPUT XX.

Ex Sancto Anſelmo manifeſtatur quod ex ſuppoſitione antecedente divinæ voluntatis non tollatur libertas in humanis operationibus.

NON ceſſant Recentiores ubique tùm verbis, tùm ſcriptis attribuere ſancto Anſelmo neceſſitatem ex ſuppoſitione antecedente divinæ voluntatis tollere humanam libertatem, & Anſelmi nomine periculoſiſſimam doctrinam mundo proponunt, tantò à ſancto Anſelmo alienam, imò ipſi contrariam, quantò ipſe magnus ſancti Auguſtini diſcipulus effectus doctrinam Pelagianam efficaciùs extirpavit.

Manifeſtandum eſt ergo quanta cum injuria ſancto Doctori Anſelmo talis doctrina tribuatur, aperiendo loca ex quibus id colligunt, tale non ſonare, ſed in ſenſu valde alieno procedere. Duo loca ſunt ex quibus id colligunt Recentiores. Alter ex lib. *cur Deus homo?* cap. 17. & 18. alter vero ex lib. concordiæ à principio, & ferè per totum. Et quia in iſto ſecundo loco plura dicit Sanctus, ut faciliùs omnia expendantur à primo teſtimonio erit ſumendum exordium.

Igitur ſanctus Anſelmus in lib. 2. *cur Deus homo*, cap. 17. ſolùm definit nullam neceſſitatem aut impoſſibilitatem reſpectu futurorum præcedere divinum velle aut nolle, ſed omnem neceſſitatem aut impoſſibilitatem ſubjacere divinæ voluntati, & in hoc ſolo probando conſumit totum caput illud. Unde etiam docet, quòd ſi aliqua neceſſitas antecederet divinam voluntatem & faceret ipſam velle, tunc divinum velle liberum non eſſet, ſed neceſſarium ex illa antecedente neceſſitate. Quod & veriſſimum eſt, & ab omni Theologo recipiendum; quia neceſſitas, quæ antecederet omnem primam libertatem, abſque dubio eſſet neceſſitas ex natura rei, & abſoluta. Unde inferret neceſſitatem eandem abſolutam in actu divinæ voluntatis, & talis eſt actus quo Deus vult ſuam bonitatem, ut ibi ſanctus Doctor affirmat.

Ex iſto loco unde colligunt vel colligere poſſunt Theologi quòd ſi Deus antecedenter ad operationem arbitrij creati vult ipſum arbitrium creatum aliquid operari vel velle, quòd tollatur libertas à tali arbitrio creato? Profecto nihil minus loquitur Anſelmus in iſto loco, quàm de divina volitione antecedente humanam cooperationem. Dicit quidem in prædicto loco quòd neceſſitas antecedens tollit libertatem, ſed ipſemet explicavit quæ neceſſitas illa ſit, videlicet quæ antecedit ipſum divinum velle. Quomodo ergo contra mentem expreſſam ipſius extendunt hanc propoſitionem ad neceſſitatem conſequentem ipſum velle divinum liberum, & antecedentem velle creatum. Imò ipſe Anſelmus eodem cap. 17. ſic habet. *Quòd fuit neceſſum Chriſtum pati quia ſcriptum id erat.* Quibus verbis docet apertè quòd neceſſitas ex ſuppoſitione ſcripturarum ſtat cum libertate qua Chriſtus ſe obtulit morti, & tamen illa neceſſitas ex ſuppoſitione ſcripturarum erat antecedens omnem actum liberum humanæ voluntatis Chriſti: ergo ſecundùm Anſelmum talis neceſſitas antecedens non tollit libertatem.

In cap. vero 18. ſequenti Anſelmus intendebat reſpondere cuidam argumento à ſeipſo propoſito in cap. 16. præcedente, quod tale fuerat ad probandum Chriſtum Dominum ex neceſſitate & non liberè mortuum fuiſſe: Chriſtus natus eſt de Virgine » munda, ſed Virgo Mater per futuram mortem » Chriſti munda fuit: Ergo poſtquam natus eſt » de Virgine non potuit nen mori, & ſic ex » neceſſitate & abſque libertate mortuus fuit. Cui » reſpondens in cap. 18. hæc verba profert. Denique Virgo quæ per fidem munda facta eſt, » ut de illa poſſet aſſumi, nequaquam crediderit » illum moriturum, niſi quia vellet quemadmodum per Prophetam qui de illo dicit, oblatus » eſt quia ipſe volvit, didicerat. Quapropter quo- »

nam

Digitized by Google

„ niam vera fuit fides ejus, neceſſe erat ita fu-
„ turum eſſe ſicut credidit. Quòd ſi te iterum per-
„ turbat, quod dico neceſſe erat, memento quia
„ veritas fidei Virginis non fuit cauſa ut ille ſpon-
„ te moreretur, ſed quia hoc futurum erat vera
„ fuit fides. Quapropter ſi dicitur, neceſſe erat
„ quòd voluntate illa moreretur, quia vera fuit
„ fides, ſive prophetia, quæ de hoc præceſſe-
„ rat, non eſt aliud quam dicas neceſſe fuiſſe ita
„ futurum eſſe, quoniam ſic futurum erat. Hu-
„ juſmodi autem neceſſitas non cogit rem eſſe,
„ ſed eſſe rei facit neceſſitatem eſſe. Eſt namque
„ neceſſitas præcedens, quæ cauſa eſt ut ſit res,
„ & eſt neceſſitas ſequens, quam res facit. Præ-
„ cedens & efficiens neceſſitas eſt, cum dicitur
„ cœlum volvi, quia neceſſe eſt ut volvatur,
„ ſequens verò, & quæ nihil efficit, ſed ſi ſic
„ eſt, ut cum dico te ex neceſſitate loqui, quia
„ loqueris: Cum enim hoc dico, ſignifico nihil
„ facere poſſe ut dum loqueris, non loquaris,
„ non quòd aliquid te cogat ad loquendum. Nam
„ violentia naturalis conditionis cogit cœlum vol-
„ vi, te vero nulla neceſſitas facit loqui. Sed ubi-
„ cumque eſt præcedens neceſſitas, eſt & ſequens,
„ non autem ubi ſequens ibi ſtatim & præcedens.
„ Poſſumus namque dicere neceſſe eſt cœlum volvi,
„ quia volvitur, ſed non ſimiliter eſt verum idcirco
„ te loqui, quia neceſſe eſt loquaris. Iſta ſequens
„ neceſſitas currit per omnia tempora hoc modo.
„ Quidquid fuit, neceſſe eſt fuiſſe. Quidquid eſt,
„ neceſſe eſt eſſe. Quidquid futurum eſt neceſſe
„ eſt futurum fuiſſe. Hæc eſt illa neceſſitas, quæ
„ ut tractat Ariſtoteles de propoſitionibus ſingu-
„ laribus & futuris videtur utrumlibet deſtruere
„ & omnia eſſe ex neceſſitate aſtruere. Hac ſe-
„ quenti, & nihil efficienti neceſſitate, quoniam
„ vera fuit fides vel prophetia de Chriſto, quia
„ ex voluntate, non neceſſitate moriturus erat,
„ neceſſe fuit ut ſic eſſet. Hac homo factus eſt,
„ hac fuit & paſſus eſt, hac voluit quæcumque
„ voluit. Ideo enim neceſſitate fuerunt, quia fu-
„ tura erant, & futura erant quia fuerunt, &
„ fuerunt quia fuerunt, & ſi vis omnium quæ
„ fecit, & quæ paſſus eſt, veram ſcire neceſſita-
„ tem, ſcito omnia ex neceſſitate fuiſſe quia ipſe
„ voluit. Voluntatem ergo ejus nulla præceſſit ne-
ceſſitas. Hæc ſanctus Anſelmus: in quibus duo di-
cit. Alterum eſt, quòd veritas fidei Virginis non
fuit cauſa ut Chriſtus moreretur, quia potius ideo
fuit vera illius fides quia ita futurum erat ut Chri-
ſtus moreretur quia ita ipſe voluit, cujus voluntа-
tem nulla neceſſitas antecedit; ut præmiſerat in cap.
17. jam citato & explicato.

Secundò affirmat duplicem eſſe neceſſitatem, præcedentem videlicet, & ſequentem, & utramque clarius declarat & exemplis manifeſtat dicens neceſſitatem ſequentem eſſe quæ ſequitur ad eſſe rei, de qua Ariſtoteles dixit quòd res dum eſt, neceſſe eſt eſſe, Verbi Gratia, dum Petrus loquitur, neceſſe eſt quòd loquatur, quæ non con cogit nec neceſſitat ut res ſit. Neceſſitas præcedens ſive antecedens, inquit eſt illa, quæ eſt cauſa ut res ſit, unde illam appellat neceſſitatem efficientem, & adhibens hujus exemplum ait. *Præcedens & efficiens neceſſitas eſt cum dicitur cœlum volvi, quia neceſſe eſt quòd volvatur.* Sentit ergo apertè præcedentem ſive antecedentem neceſſitatem, eſſe neceſſitatem ex natura rei, & abſolutam, quæ efficit rem abſolutè & ſimpliciter neceſſariam, & hanc ſolam dicit tollere libertatem, quòd eſt manifeſtiſſimum. Hæc eſt ſatis aperta ſententia Anſelmi quem obſcurare nullus poterit, quæ cum ita ſint, qua ratione ſancto tribuitur Anſelmo quòd aſſerat neceſſitatem ortam ex antecedenti Dei voluntate noſtram tollere libertatem. Ecce ipſe apertis verbis declarat quid intelligat per neceſſitatem præcedentem, videlicet neceſſitatem quæ abſolutè & ſimpliciter, & ex rei natura cum omnimoda determinatione naturáli ad unum infert effectum abſolutè neceſſarium. Numquid ſi ipſe ſentiret divinam voluntatem quando noſtram efficaciter antecedit ejus tollere libertatem non propoſuiſſet exemplum in propria materia quam tractabat dicendo efficaciam ſive virtutem divinæ voluntatis antecedentem noſtram voluntatem ejus lædere libertatem? Quid opus erat, ſi hoc ſentiret divertere ad cauſam merè naturalem revolutionis cœlorum? Igitur ſecundùm Anſelmum neceſſitas præcedens quæ tollit libertatem, eſt neceſſitas naturalis, & ex natura rei ut hîc declarat. Similiter neceſſitas antecedens quæ tollit libertatem, eſt illa quæ antecedit divinum velle, & ipſum infallibiliter infert, ut ipſe S. Anſelmus dixerat præcedenti cap. 17. qualis eſt illa qua Deus vult beatitudinem. Et utraque iſta antecedens neceſſitas, tam manifeſtè à S. Anſelmo explicata, eſt tollens libertatem. Ex hoc autem velle contendere quòd neceſſitas antecedens noſtram voluntatem, quæ oritur ex divina voluntate volente quòd voluntas noſtra operetur, tollit libertatem & id velle S. Anſelmo adſcribere, manifeſtè non ſolum contra ejus mentem, ſed etiam contra illius literam procedit, quod amplius ex dicendis manifeſtum erit.

Hæc intelligentia antea ab Alexandro Alenſi tradita fuit, ſic enim & ipſe intellexit S. Anſelmum, ne quis dicat quod noviter à nobis ſic explicatur. Alenſis enim 1. p. q. 24. membr. 5. adducens Anſelmum dicentem neceſſitatem antecedentem tollere libertatem, illum intelligit de neceſſitate ſecundum ſe, & abſoluta ut diximus. Eodem modo Capreolus in primo diſt. 45. in ſolut. ad 2. & 3. contra 2. partem concluſionis quintæ intelligit neceſſitatem naturaliter antecedentem, quæ ſibi opponebatur, ſicut deſtruens noſtram libertatem, eſſe neceſſitatem abſolutam, quæ eſt in aliis ſecundis cauſis, non autem in prima comparatione ſecundarum ſic enim habet ſolutione ad ſecundum. *Aliquid dicitur provenire neceſſario ab aliqua cauſa neceſſitate naturaliter præcedente, quando illa cauſa poſita, & ſufficienter diſpoſita ſecundùm omnem realem diſpoſitionem poſitivè & ptivativè non eſt in poteſtate cauſæ, quin agat & efficiat effectum illum. Conſtat autem multas cauſas ſecundas eſſe tales, puta ignem, ſolem, & hujuſmodi. Eſt etiam compoſſibile iſto modo cauſam ſecundam cauſare & ex neceſſitate naturæ, primam verò cauſam non ſic cauſare.* Et poſt pauca. *Et ideo bene ſtat effectum provenire neceſſario neceſſitate antecedēte à cauſa ſecunda & non à cauſa prima niſi neceſſitate immutabilitatis, & ſuppoſitionis, quia ſcilicet prima cauſa eſt determinata ad hunc effectum per ſuam ſapientiam & voluntatem, non ſtat effectum non ſequi illo modo, quo prævolitum eſt, & diſpoſitum à prima cauſa illum ſequi. Unde neceſſitas naturaliter antecedens reſpectu cauſæ ſecundæ non arguit neceſſitatem conſimilem in cauſa prima, ſed aliam neceſſitatem nobiliorem quæ ſtat cum contingentia.*

Tertius & potiſſimus locus S. Anſelmi habetur ex libro concordiæ à principio & per totum, cujus jam perfecta intelligentia patet ex dictis, nihil enim reipſa amplius ibi dicit, quàm in locis modo citatis. Quòd ut evidentiùs conſtet, quæ ibi dicat videamus. In primo capite ex profeſſo tractat concordiam liberi arbitrij cum divina præſcientia, & affirmat divinam præſcientiam futura contingentia & libera non ſolum non auferre, ſed potius ex divina præſcientia

inferri

Digitized by Google

inferri quòd talia contingentia & libera sint. Quod probat, primo quia si aliquid est futurum sine necessitate, ut patet in actibus humanis ab arbitrio libero procedentibus, hoc ipsum præscit Deus. Et paucis interpositis tradit notandam regulam dicens. *Non debes dicere, præscit Deus me peccaturum, vel non peccaturum, sed præscit me Deus peccaturum vel non peccaturum, sine necessitate, & ita sequitur sive peccaveris, sive non peccaveris, utrumque sine necessitate erit, quia præscit Deus futurum esse sine necessitate.* Et statim exponens qualiter futura quædam eveniant sine necessitate, & cum libertate, id explicat per necessitatem sequentem jam supra explicatam (semper enim in eadem perseverat sententia) unde & subdit. *Necessitate ergo omne futurum est sed necessitate sequente quæ nihil esse cogit. Nam si dico cras seditio futura est in populo, non tamen necessitate erit seditio, potest enim fieri antequam sit ut non fiat, etiam quæ futura est. Aliquando vero est ut res sit ex necessitate, quæ dicitur futura, ut si dico cras esse futurum ortum Solis. Seditio quidem, quæ non erit ex necessitate sola sequenti necessitate futura asseritur. Si enim cras futura est, de necessitate futura est. Ortus vero Solis duabus necessitatibus futurus intelligitur, scilicet & præcedenti, quæ facit rem esse, ideo enim erit, quia necesse est, ut sit, & sequenti, quæ nihil cogit esse, quia idcirco necessitate futurus est, quia futurum. Quapropter cum dicimus quia quod Deus præscit futurum, necesse est esse futurum, non asserimus semper rem esse ex necessitate futuram, sed rem futuram necessitate esse futuram.* Hæc S. Anselmus. Quibus verbis iterum planè constat semper necessitatem antecedentem, sive præcedentem, illam intelligere, quæ ex natura rei, & ab intrinseco absoluta necessitas est, & simpliciter & absolutè effectum causat necessarium, vel causam ad illum cogit, ut iterum explicat in illo exemplo de ortu Solis. Et hoc est primum quod in isto loco docet.

Secundò affirmat non inferri ex Dei præscientia omnem rem præscitam necessitate esse futuram, quia videlicet rem futuram sine necessitate, Deus præscit esse futuram sine necessitate. Supponit enim in hoc S. Anselmus, id quod verissimum est, videlicet divinam præscientiam in ratione præscientiæ speculativæ non antecedere futurum, nec illius esse causam. Unde rectè docuit quòd quia res futura est sine necessitate, ideo Dei præscientia quæ omnia futura novit, etiam & hoc præscit, quòd illa res erit sine necessitate, quia Dei præscientia videt rem futuram sicut ipsa futura est.

Quia vero restabat aperire quare res, quæ futura est sine necessitate, ita certo futura est sine necessitate, ut sic certo à Deo præsciatur futura sine necessitate, statim ipse S. Anselmus ascendendo ad primam radicem & causam, id apertè manifestat dum continuo subdit. *Notandum quippe, quia sicut necesse non est Deum velle quod vult, ita necesse non est in multis velle hominem quod vult: & similiter necesse est esse quidquid Deus vult, ita necesse est quod vult homo in his, quæ Deus ita subdit humanæ naturæ, & voluntati, ut si vult fiant, si non vult non fiant. Quoniam enim quod Deus vult, non potest non esse, cum vult hominis voluntatem nulla cogi vel prohiberi necessitate ad volendum, vel non ad volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult. In hujusmodi ergo verum est, quia necessitate fit opus, quod vult homo facere quamvis non necessitate velit.* Notanda sunt (inquam) aurea hæc verba Anselmi quibus manifestè statuit divinam voluntatem sua efficaci volitione antecedere voluntatem humanam, & tamen ejus libertatem non lædere, sed servare atque perficere. Primo enim affirmat quòd sicut necesse est esse quidquid vult Deus, ita necesse est esse quod vult homo in his quæ Deus subdit liberæ homini voluntati. Et iterum magis explicans quomodo necesse est esse quod Deus vult, & quod subdit liberæ hominis voluntati, subdit. *Quoniam enim quod Deus vult, non potest non esse, & Deus vult hominem liberè & absque necessitate operari, & vult effectum sequi ad voluntatem hominis, ideo necesse est & voluntatem hominis esse liberam, sicut Deus vult, & effectum sequi ad hominis voluntatem, sicut vult Deus.* Ac si clariùs diceret, utrumque vult Deus, & quod homo infallibiliter operetur, & quod liberè operetur, & sic necesse est utrumque evenire, & quod homo operetur, & quod liberè operetur. Et propterea proposuit illam Majorem (quidquid Deus vult ut fiat non potest non esse, sed necesse est esse) & simul subsumpsit illam Minorem (sed Deus vult voluntatem humanam non necessitari, & similiter vult quod effectus sequatur ad illam id est quod infallibiliter operetur) & ex illa Majori & Minori concludit, & quod hominis voluntas infallibiliter vult, & liberè vult, quæ est omnium Sanctorum Patrum antiqua verissimaque sententia ut ex S. P. August. docuimus supra, cujus sententiam perfectissimè secutus fuit Anselmus Magnus ejus discipulus.

Nec moveat, quod dicit, nimirum Deum subdere humanæ voluntati ut si vult fiant, si vult non fiant, quasi eam efficaciter ad volendum non moveat. Utrumque enim verum est, utrumque Anselmus in eodem contextu apposuit, & quòd homo si vult facit, si non vult non facit, in quo ejus explicatur libertas, & quòd Deus vult quod effectum efficiat illa sua libertate, in qua divina efficacia monstratur, quod didicit ex suo Magistro S. P. Augustino sæpius dicente, *non enim est homo bonus si nolit, sed gratia Dei, etiam hoc facit ut velit.*

Igitur ex aperta S. Anselmi sententia in summa collige tria. Primum necessitatem consequentem nullo modo lædere libertatem in quo omnes conveniunt. Secundum triplicem esse necessitatem antecedentem sive præcedentem, alteram naturalem & cogentem, qualis est cum cœlum voluitur, vel Sol oritur. Aliam vero absolutam, non tamen cogentem, quæ antecedit omnium primam divinam libertatem, sicut cum Deus vult beatitudinem suam, & utramque istam docet tollere libertatem, ut est apertissimum. Tertium verò constituit antecedentem, seu præcedentem necessitatem respectu nostræ liberæ operationis, quæ oritur ex divina priori voluntate. Et hanc dicit non tollere libertatem nostram, sed illam causare. Verum est istam antecedentem suppositionem esse antecedentem secundum quid, & respectu nostræ liberæ operationis tantùm, nam absolutè & simpliciter consequens est primam divinam libertatem; qua ratione S. Anselmus non nominat illam inter suppositiones absolute antecedentes, sed potest reduci ad suppositionem consequentem. Et ita salvatur cum omni proprietate doctrina S. Anselmi, quòd videlicet omnis suppositio antecedens simpliciter & absolutè tollit libertatem, sed omnis talis in sententia S. Anselmi est tantùm illa duplex à nobis modò ex ipso relata atque declarata.

Alia etiam ratione vocat S. Anselmus illam necessitatem provenientem ex Dei priori & antecedente efficaci voluntate consequentem; quia videlicet includit tanquam effectum nostram libertatem; quo pacto S. Thomas q. 6. de verit. art. 2. ad secundum dicit quod voluntas Dei consequens ideo dicitur à Damasceno esse ex nobis, quia includit nostram bonam voluntatem sicut effectum sibi conjunctum non quia præsupponit voluntatem nostram, licet expræ-

Digitized by Google

sè S. Anſelmus non vocet illam conſequentem : ſed generalitate doctrinæ, dum dicit antecedentem tollere libertatem, non verò conſequentem, quibus verbis reipſa illam vocat neceſſitatem conſequentem.

Tertiò à S. Anſelmo vocatur neceſſitas antecedens illa, quæ ſecundum ſe & abſolutè eſt neceſſitas, ſicut eſt illa, qua Sol oritur, ſicut enim S. Thom. voluntatem Dei antecedentem vocat illam quæ eſt de objecto ſecundum ſe & abſolutè conſiderato, ita Anſelmus nomine neceſſitatis antecedentis ſolum intelligit illam neceſſitatem, quæ ſecundum ſe & abſolutè neceſſitas eſt, qualem etiam explicuit exemplis, quæ tantum de neceſſitate ſecundum ſe & abſoluta procedunt. Neceſſitatem autem conſequentem vocat illam quæ conſequitur ad Dei voluntatem efficacem volentem quòd homo operetur & liberè operetur ; quæ proinde tantum abeſt quod tollat libertatem, quin potiùs illam firmat & ſtatuit.

Sed jam plurima ex S. Anſelmo proferamus teſtimonia, quibus paſſim affirmat quod neceſſitas proveniens ex antecedente Dei voluntate non lædat, ſed conſervet hominis libertatem. In primis in lib. de voluntate Dei ex profeſſo de hoc diſputans ſic definit divinam voluntatem. *Voluntatem igitur Dei appellamus quidquid in nobis miſericorditer operatur.* Quibus verbis apertiſſimè efficaciam antecedentem divinæ voluntatis operantem in nobis noſtra opera libera teſtatur. Et ſtatim opponit illud argumentum quod videlicet ex tali ſuppoſitione antecedente divinæ voluntatis tollatur libertas, dicens. *Sed dicitur, ſi omnia procedunt ex voluntate Dei, quam conſtat ſemper bonam & rectam eſſe, tunc omnia & recta ſunt, & ſi hoc eſt, tunc fruſtra judicatur aliquis iniquus. Voluntas itaque Dei accipitur aliquando in ſcripturis æquipollens omnipotenti ſuæ præſcientiæ & ordinationi ſagaciter omnia diſponenti. Unde dicitur omnia quæcumque voluit Dominus fecit, hoc eſt, quidquid Deus ab æterno facturum ſe ordinavit, nihil inexpletum reliquit.* Ecce iterum ſuppoſitio antecedens, qua Deus ab æterno præordinavit ſe facturum, quod hoc vel illud velint (de his enim loquebatur ut ex antecedentibus verbis conſtat) & iterum ibi ait : *Vult Deus omnes ſalvos fieri, quod eſt dicere, facit Sanctos velle.* Quid clariùs? facit Deus Sanctos velle & tamen ab eis libertatem non aufert. Ecce ſuppoſitionem antecedentem, & facientem quòd homo velit, & liberè velit ut ſupra ex ipſo retulimus. Et rurſus ait ibi : *Quia tunc tantum eſt bona voluntas humana quando vult illud, quod Deus vult illam velle.* Et iterum. *Dicitur etiam voluntas Dei quam facit in cordibus obedientiam mandatis ſuis, de qua dicit Apoſtolus, Deus qui operatur in nobis & velle.* Quibus tam repetitis verbis apertiſſimè voluntatem Dei antecedentem & operantem in nobis, ex qua infallibiliter ſequitur nos operari, tenet & docet ; cum qua ſimul componit humanam libertatem in operationibus quibus voluntas facit quod antecedenter vult illam facere.

Item in libro concord, citato cap. 1. col. 3. & 4. poſtquam dixit neceſſe eſſe ſuppoſito quòd Deus vult voluntatem liberam eſſe, & effectum ad illam ſequi & quòd homo operetur & liberè operetur (ut cap. præcedenti relatum reliquimus) docet hanc propoſitionem eſſe veram, quia Deus ſcivit hoc ita futurum eſſe, ita erit, & non è converſo, quia hoc erit, Deus ſcit illud eſſe futurum. Ubi manifeſtè loquitur de ſcientia Dei in ratione cauſæ & ſecundùm quod habet divinam voluntatem conjunctam ; de qua optimè fatetur quòd quia Deus vult hoc futurum, ita erit : ergo apertiſſimè docet quòd neceſſitas ex ſuppoſitione divinæ voluntatis non tollit libertatem in futuris. Et per hoc intelligit id quod antea dixerat, quòd ideo Deus præſcivit, quia res futura eſt : loquitur enim tunc, ut diximus de præſcientia in ratione puræ præſcientiæ & ſine cauſalitate. Quando autem poſtea loquitur de præſcientia Dei in ratione cauſæ totum è contrario docuit, ut modò diximus. Itaque ipſe S. Anſelmus aſcendendo ad primam cauſam ſic procedit. Primo dicit quòd præſcientia non lædit libertatem, & rationem reddit, quia ipſa præſcit futurum ſicut futurum eſt, vel cum neceſſitate, vel cum libertate. Et dicit quòd quia futurum eſt futurum ſine neceſſitate, ideo ſpeculativa Dei præſcientia illud præſcit futurum eſſe ſine neceſſitate. Secundo dicit quod ideo illud futurum eſt futurum ſine neceſſitate, quia Deus præſcivit, id eſt, voluit & cauſavit quod eſſet futurum ſine neceſſitate. Igitur manifeſtè conſtituit iterum quod neceſſitas ex ſuppoſitione divinæ voluntatis non lædit libertatem, ſed illam potius facit & cauſat.

Sed & manifeſtè hoc explicat dicens : *Ipſum quoque velle quod aliquando juſtum eſt, aliquando injuſtum, nec eſt aliud quam uti poteſtate volendi, & voluntate, qua Deus dat inquantum eſt bonum & à Deo eſt.* Quod igitur homo benè utatur arbitrio, ex Deo eſt ſicut ex cauſa, quæ efficaciter & antecedenter hoc facit, ſalva perfecta talis uſus arbitrij libertate. Et iterum. *Sic itaque facit Deus in omnibus voluntatibus & operibus bonis, quòd eſſentialiter ſunt, & quòd bona ſunt.* Ubi ſemper neceſſitatem provenientem ex ſuppoſitione antecedente divinæ voluntatis ſalvantem & perficientem hominis libertatem apertè declarat, & in cap. 2. ejuſdem libri ita dicit. *Quamvis voluntas ſua utatur poteſtate, nihil tamen facit quod Deus non faciat in bonis ſuâ gratiâ.* Igitur ſalva libertate facit Deus ſua gratia efficaciter & antecedenter quod creata voluntas benè utatur liberè ſua libera poteſtate. Et eodem cap. 2. docet quod divina prædeſtinatio libertatem arbitrij non tollit, & nomine prædeſtinationis (ut ex contextu fit manifeſtum) intelligit divinam prædefinitionem ſeu prædeterminationem antecedentem, ex qua infallibiliter ſequitur hominem operari, quia ibi definivit prædeſtinationem eſſe divinam præordinationem, ſeu præconſtitutionem. Docet ergo apertè quod neceſſitas ex ſuppoſitione antecedente divinæ voluntatis, & prædeſtinationis nullo modo libertatem aufert ab arbitrio creato, imò ibi ſtatim idem argumentum formans, quo iſti authores convincuntur, illi manifeſtè reſpondet ; *Quo Deus*, inquit, *prædeſtinare dicitur, intelligitur præordinare, quod eſt ſtatuere futurum eſſe. Quod autem Deus ſtatuit futurum eſſe, neceſſitate videtur futurum eſſe, quare quidquid Deus prædeſtinat, neceſſe eſt futurum eſſe. Si ergo Deus prædeſtinat bona & mala quæ fiunt, nihil fit per liberum arbitrium, ſed omnia ex neceſſitate.* Quibus verbis arguendo opponit quod neceſſitas ex ſuppoſitione antecedente divinæ prædeſtinationis & divini ſtatuti quod aliquid futurum ſit auferat à libero arbitrio libertatem. Sed huic argumento ſtatim reſpondet. *Quod quamvis neceſſe ſit fieri, quæ præſciuntur, & prædeſtinantur, quædam tamen præſcita & prædeſtinata non eveniunt ea neceſſitate, quæ præcedit rem & facit ; ſed ea quæ conſequitur, ſicut ſupra diximus : non enim ea Deus quamvis prædeſtinat, facit voluntatem cogendo, aut voluntati reſiſtendo, ſed in illa ſua poteſtate dimittendo, quamvis ſua voluntas utatur poteſtate, nihil tamen facit, quod Deus non facit in bonis ſuâ gratiâ.* Hæc S. Anſelmus. In qua ſolutione tria manifeſte dicit. Primò quod licet id quod Deus prædeſtinet & ſtatuat futurum eſſe, neceſſe ſit eſſe futurum, tamen non eſt futurum ea neceſſitate, quæ præcedit rem & facit, ſed ea quæ rem ſequitur. Secundo explicans quæ ſit iſta neceſſitas,

quæ

Digitized by Google

quæ rem præcedit & facit, dicit illam esse necessitatem cogentem, quæ longè abest à divina prædestinatione. Tertio dicit quod prædestinat Deus illud esse futurum relinquendo ipsum in potestate voluntatis; ita quòd suâ gratiâ facit quod voluntas liberè benè utatur tali sua libera potestate. Ex quo manifestantur amplius & confirmantur quæ ex S. Anselmo diximus supra, videlicet ipsum per suppositionem antecedentem quæ facit rem, tantùm intelligere necessitatem antecedentem cogentem, sive absolutè necessitantem, ut hic manifestè se declarat, & quòd necessitas proveniens ex suppositione divinæ prædestinationis statuentis hoc futurum esse, vocatur ab ipso necessitas consequens, non voluntatem humanam, ut malè Recentiores intelligunt, sed divinam voluntatem & statuentem hoc esse futurum, & liberè futurum, ut diximus sæpe.

Item in cap. 3. ejusdem libri tractans illam quæstionem, quomodo nostra salus sit ex gratia juxta plura testimonia scripturæ, quæ hoc docent, quod tamen videtur contrarium ei, quod scriptura alibi docet de arbitrij libertate; respondet per hæc verba. *Quoniam ergo in scriptura quædam invenimus quæ soli gratiæ favere videntur, & quædam quæ solum liberum arbitrium statuere sine gratia putantur; fuerunt quidam superbi qui totam virtutem & efficaciam in sola libertate arbitrij consistere sunt arbitrati.* Videant obsecro ij authores, qui totam efficaciam homini tribuunt, & sufficientiam tantùm divinæ gratiæ, qualiter à S. Anselmo notantur. Attendant quomodo apertissimè efficaciam divinæ gratiæ antecedentis humanas voluntates prædicat, ex qua dicit oriri, quòd homines liberè & benè operentur.

Præterea eodem cap. 3. loquens de his, qui convertuntur, *Totum* (inquit) *imputandum est gratiæ, quia nec volentis est, quod vult, nec currentis quod currit, sed miserentis est Dei.* Et iterum ibi post aliqua dicit. *Et cum legitur, nec volentis, nec currentis, sed Dei miserentis est, non negatur in volente, neque in currente aliquid prodesse liberum arbitrium, sed significatur non esse imputandum libero arbitrio quod vult, & quod currit, sed gratiæ.* Et paulo inferius eodem cap. 3. ad hanc explicandam doctrinam inducit exemplum de dante vestem nudo, & ait, quòd non est imputandum nudo quod vestitus est, sed danti vestem. Et subdit quod multò magis hoc diceretur, si ille qui dedit vestem, dedisset etiam potestatem servandi eam, & ea utendi, sicut Deus cum dat rectitudinem, dat & potestatem servandi eam, & ea bene utendi. Quod non tantùm dicit de potestate utendi sufficienti, sed etiam efficaci, facit enim Deus in multis quod de facto ea bene utantur, ut ex relatis ex ipso relinquitur satis manifestum.

Quam plurima sunt alia ipsius aperta testimonia, quibus perpetuo docet quod ex suppositione & efficia divinæ gratiæ, & divinæ, voluntatis antecedente nostram libertatem, & faciente quod infallibiter nos bene operemur, liberum arbitrium nostrum non destruitur, sed liberatur & confirmatur, quæ longum effet recensere. Videatur super cap. 2. ad Ephes. & super cap. 9. ad Rom. Superest ut nonnulla quædam illius testimonia, quibus videtur contrariæ sententiæ favere explicemus: Quorum unum poterit desumi ex cap. 2. de concordia præscientiæ & prædest. Ubi ita habet. *Licet enim necesse sit, aut vitam, aut rectitudinem relinquere, nulla tamen necessitas determinat quam servet, aut deserat, nempe sola voluntas determinat ibi quod teneat, nec aliquid facit vis necessitatis, ubi operatur electio sola voluntatis.* Quæ verba, nisi S. Anselmus tot præmisisset quibus apertè docet ex gratia esse quod homo bene utatur illa, forsitan haberent aliquam difficultatem. Cæterum post tot ac tanta tamque clarè & tam expressè tradita, nullam prorsus difficultatem ingerere possunt verba illa: in ipsis enim solum intendit, solumque docet liberum arbitrium liberè se determinare ad eligendum nulla alia necessitate cogente, aut ab ipso libertatem auferente. Illa autem dictio (sola) cum dicit quod voluntas sola se determinat, excludit tantum aliam exteriorem causam cogentem, vel absolutè necessitantem, ut diximus. Itaque sensus est quod sola voluntas se determinat absque alia cogente causa, vel quòd sola se determinat in suo gradu & ordine ut secunda causa, non autem excludit priorem Dei voluntatem, ipsam determinantem in actu primo, ut illa se determinet in actu secundo. Nec enim S. Anselmus sentit creatam voluntatem primam causam esse suæ determinationis, imò totum contrarium apertè docuit in omni illo contextu citato.

Aliud secundum argumentum possent ij authores opponere ex eodem quia in cap. 1. paulo ante medium versiculo *quod si queratur*, & vers. *sed has necessitates*, ubi apertè docere videtur quod nulla alia sit necessitas in humanis operationibus, nisi illa quæ ex libera hominis voluntate descendit, ita quod supposito quod vult non possit non velle. Postquam enim duas necessitates constituit in humanis operationibus, alteram, qua necesse est quod operationes tales fiant à libera voluntate, alteram, qua necesse est, ut id quod fit, non possit simul non esse, statim subjungit. *Sed has necessitates facit voluntatis libertas, quæ prinsquam sint, eas cavere potest.* Et post pauca iterum ait. *Multa fiunt libera, quæ antequam sint, fieri potest ut numquam sint, & tamen quodammodo sunt necessitate, quæ necessitas, ut dixi, descendit de libera voluntate.* Negat ergo aliam priorem necessitatem præhabitam ante liberam hominis voluntatem.

Ad hoc dicendum jam ex supra dictis constare de vera horum verborum intelligentia, tantùm enim intendit liberam hominis voluntatem facere quòd actus humanus sit, & facere quòd postquam fit, non possit non esse, non tamen negat priorem voluntatem divinam, quæ facit ut creatum arbitrium id operetur. Itaque loquitur de illa duplici necessitate reperta in actibus liberis, quæ proveniunt ex ipsa voluntate hominis, non tamen negat aliam priorem necessitatem in actu primo, quæ provenit ex Dei efficaci motione. Quod autem ista sit legitima mens, & vera intelligentia S. Anselmi præter supra dicta, patet manifestè ex ipso contextu; nam immediatè antequam hæc, quæ modò opposita sunt, adhiberet, præmisit, quod cum Deus vult voluntatem esse liberam, & effectum ad illam sequi, necesse est & ipsam esse liberam & effectum sequi ex illa; cum ergo immediatè post prædicta verba constituit voluntatem creatam facere illas duas necessitates, & illas provenire ex libera hominis libertate, sicut ex causa proxima, non negat aut negare potest quin etiam à Deo proveniat sicut ex causa prima quod liberum operetur arbitrium, cum hanc omnium primò apertè constituisset. Ratio autem quare illa verba dicit de voluntate creata, quod nimirum faciat necessitates illas, fuit potissima, quia ex professo agebat de concordia humanæ libertatis cum præscientia Dei, cum autem Dei præscientia intueatur secundum eundem Anselmum ipsum liberum opus prout jam à voluntate elicitum, & in seipso; ideo loquendo de ipso opere libero à divina præscientia in seipso cognito, oportebat asserere tale opus factum esse à libera hominis voluntate & ab ipsa accepisse hanc necessitatem, quòd supposito quod ab ea fit, non possit non fieri; semper tamen præsupponebat Anselmus id quod expressè in eodem contextu dixerat; videlicet creatam voluntatem à divina voluntate, sicut à prima causa habere

Digitized by Google

bere quòd sic operetur, & quòd sic benè sua libertate in bonis utatur; ita ut non sit tribuendum ipsi quòd velit & currat, sed Deo, à quo id primitus habet, ut ex ipso retulimus.

CAPUT XXI.

Rationibus ostenditur quod ex suppositione antecedente divinæ voluntatis non impeditur humana libertas.

NON desunt autem rationes ad hujusmodi veritatem comprobandam, quòd videlicet necessitas ex suppositione divinæ voluntatis antecedente humanam cooperationem, ejus libertatem non auferat, sed confirmet. Prima sic formatur. Damnata sententia Pelagianorum & Semipelagianorum est, quòd necessitas ex suppositione divinæ voluntatis omnino antecedente humanam voluntatem tollat ejus libertatem: ergo talis necessitas libertatem non lædit, nisi qui hoc contendunt, apertè cum illorum antiquorum damnata sententia velint convenire. Consequentia evidens, & Antecedens manifestatur ex S. Prosspero epist. ad S. P. Augustinum, ubi Semipelagianorum referens sententiam & verba sic dicit: *Removeri itaque* (supple dicunt) *omnem industriam tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.* Quis non videat, quod constitutio præveniens hominum voluntates idem omnino est, quod suppositio certa antecedens humanam operationem ex qua certa suppositione seu antecedente constitutione antiqui illi errantes contendebant tolli libertatem. Igitur sententia Pelagianorum est damnata quòd suppositio antecedens tollat libertatem. Item dicebant illi quòd ex suppositione antecedente divinæ prædestinationis certæ fatalis inducebatur necessitas. Hoc autem quid est aliud nisi in terminis asserere necessitatem ex suppositione antecedente divinæ voluntatis tollere libertatem. Ego certè satis mirari non possum quomodo ista ab his authoribus non videantur, cum adeo notum sit non aliud fuisse Pelagianorum & Semipelagionorum fundamentum ad negandam certam & infallibilem prædestinationem secundum Dei propositum, & certam ac efficacem virtutem præoperantis gratiæ, nisi quòd illa antecedente & præveniente suppositione posita, necesse erat hominem ita operari, ex quo inferebant tolli libertatem. Hoc ergo in terminis dicebant, tolli libertatem ex necessitate proveniente & ex suppositione antecedente humanam cooperationem, non autem ex necessitate consequente. Unde illam primam sicut destructivam libertatis negabant, hanc autem secundam fatebantur sicut libertatis conservativam, quod modò in terminis dici ab his Recentioribus videtur.

Præterea damnata est sententia hæreticorum hujus temporis, videlicet Calvinistarum quod voluntas Dei efficax antecedens hominum voluntatem tollit earum libertatem: ergo damnata sententia est quòd necessitas ex suppositione omnino antecedente humanam cooperationem tollit libertatem. Patet consequentia, quia posita Dei voluntate efficaci antecedente hominum voluntates necesse est hominis voluntatem operari: ergo illa operatio provenit ex necessitate, & ex suppositione antecedente humanam voluntatem: nihil aliud ergo contendunt nostri temporis hæretici Calvinistæ, nisi quod necessitas proveniens ex suppositione antecedente divinæ voluntatis tollat hominis libertatem, nec aliud principium constituunt ad negandam hominis libertatem, nisi quod ante illam præcedit suppositio divinæ voluntatis efficacis, ex qua protervè inferunt tolli libertatem. Itaque tum Pelagiani, tum Calvinistæ conveniunt quod necessitas antecedens humanam voluntatem tollit libertatem. Distinguntur autem; quia Pelagiani, ut servent libertatem, negant omnem antecedentem motionem efficacem, ex qua infallibiliter sequatur hominis operatio; Calvinistæ autem ut negent libertatem hominis illam suppositionem antecedentem constituunt, ex qua pessimè inferunt tolli libertatem.

Præterea tertio non solum Calvinistarum & Pelagianorum damnata sententia est asserentium quod necessitas ex suppositione antecedente tollit libertatem, sed hoc ipsum ante annos 140. à Fel. rec. Sixto IV. est definitum contra quendam Petrum de Rivo, cujus jam supra mentionem fecimus. Hæc enim fuit ejus damnata propositio, & ab ipso revocata. *Quidquid ex positione alicujus, quæ in potestate nostra non sit, per necessariam consequentiam sequitur, id ita esse necessarium, ut liberum esse nullo modo possit.* Videant ergo Recentiores quænam, & quorumnam sit illa sententia constituens, quod ex necessitate antecedente tollatur libertas & quodnam totius suæ doctrinæ singulare fundamentum stabiliant.

Insuper sententia aperta S. Thom. est 1. p. q. 19. art. 8. quod efficacia divinæ voluntaris est prima radix & causa totius libertatis creatæ, & totius contingentiæ, quæ in humanis actibus reperitur, illa autem efficacia voluntatis divinæ (ut ibidem solutione ad secundum & tertium imò in articuli corpore expressius S. Doctor manifestat) omnino antecedit hominum voluntates, & earum cooperationes. Rursus illa posita utpote efficacia antecedente, necesse est quòd voluntas velit, id quod Deus efficaciter vult quod ipsa velit: igitur idem omnino est efficacia divinæ voluntatis antecedentis, & suppositio antecedens, ex qua necessitas operationis humanæ inferatur. Cum ergo apertè S. Thom. doceat illam antecedentem efficaciam divinæ voluntatis esse primam radicem & causam libertatis & contingentiæ humanarum operationum, quid aliud docuit nisi quòd necessitas ex suppositione divinæ voluntatis antecedente humanam operationem est prima radix primaque causa totius libertatis humanarum operationum. Quomodo ergo Recentiores contendere queunt tolli libertatem ex prima causa primaque radice ipsius libertatis. Nunquid prima radix & causa prima libertatis humanarum operationum tollit earundem libertatem?

Insuper si suppositio Dei antecedens ideo nostram tollit libertatem, quia suppositio talis in potestate nostra non est, ut isti authores cum quibus disputamus fatentur: ergo & ipsi coguntur fateri non esse in nostra potestate Christum sequi, quia illa vocatio congrua cui assentimur Christum sequendo in nostra potestate non est, neque enim etiam ut ipsi fatentur, est in nostra potestate quòd sic congruè vocemur. Unde hæc consequentia certa est in illorum sententia. Deus vocat Petrum uti eum vidit sequuturum, ergo sequitur. Antecedens non est in Petri potestate: ergo nec Consequens: ergo ex suppositione illa antecedenti, ex qua infallibiliter sequitur actus, tollitur etiam libertas. Scio quid ad hoc laborent respondere, sed non possumus in isto capite, ubi de hoc generali principio agimus omnia tractare; potissimè quia infra erunt copiosiùs omnia examinanda.

Ampliùs, id quod omnino est necessarium, ut actus liberè producatur ab homine, non tollit nec impedit illius actus libertatem, imò nec est intelligibile quod illam impedire possit; sed ut homo liberè operetur, est necesse quòd antecedat divinæ voluntatis efficacia sive suppositio volés quòd homo velit; ergo ista necessitas

Digitized by Google

ex ſuppoſitione antecedenti non impedit aut lædit libertatem. Minor conſtat ex doctrina S. Thom. modo adducta, & ex ſententia S. Auguſtini relata ſupra quæ dicit. *Rogandus eſt Deus ut velit, quia neceſſe eſt fieri quod vult.* Item conſtat, quia antequam Deus velit me operari, quomodo ego poſſum operari? ſicut ablata prima cauſa quomodo poteſt ſecunda agere? Tantùm ergo abeſt quòd illa neceſſitas ex ſuppoſitione antecedente tolllat vel impediat libertatem hominis quin potius illam cauſat, illam producit, & illam efficit, ſicut cauſa prima efficit effectum quem vult per ipſum cauſam ſecundam quam movet & applicat ad operandum.

Circa quam rationem illud eſt omnino conſiderandum, quòd licet poſita illa neceſſitate antecedente divinæ voluntatis prædeterminantis ut voluntas velit, impoſſibile ſit ipſam non velle, in ſenſu videlicet compoſito, quem & iſta propoſitio importat (ut infra clariùs exponemus agentes de ſenſu diviſo atque compoſito) tamen ex eadem neceſſitate antecedenti divinæ voluntatis ſic decernentis provenit, quòd ita illud velit, quod divina voluntas determinat, ut poſſit aliud velle, vel illud non velle. Ex eadem inquam efficacia divinæ voluntatis id provenit, & ex eodem decreto, & non ex alio; & qui ex alio decreto id provenire dicunt, ſine dubio contra S. Thom. & veritatem ipſam loquuntur. Nam S. Thom. ibi docet quòd divina voluntas volens ut humana operetur, ſimul vult quòd ſuo proprio & connaturali modo, libero videlicet, operetur; & ſæpius docet quòd idem voluntatis actus, quo Deus vult ſubſtantiam operationis noſtræ, vult & modum illius liberum; multotieſque dicit non eſſe dicendum, Deus hoc vult: ergo hoc neceſſario eſt, ſed quòd ſimul explicandus eſt modus, dicendo: Deus hoc vult contingenter & liberè eſſe: ergo neceſſario erit contingenter & liberè. Et clariùs docet quòd ex eadem efficacia divinæ voluntatis, ob illius virtutem provenit quod voluntas noſtra operetur & liberè operetur. Igitur manifeſtum eſt; quòd qui ex alio decreto dicunt provenire quòd voluntas operetur, & ex alio, quòd poſſit non operari doctrinæ expreſsè S. Thom. contrariantur. Ratio etiam id veriſſimum eſſe convincit: libertas enim voluntatis creatæ in hoc conſiſtit, quòd poſſit velle & non velle, velle hoc vel illud; ſed decretum antecedens quo Deus vult voluntatem creatam velle hoc; eſt etiam decretum quo vult illius libertatem: ergo ab eodem decreto divinæ voluntatis provenit quòd voluntas velit hoc, & quòd poſſit non velle, vel velle aliud. Minor patet quia eodem ſuo decreto vult Deus quòd voluntas creata liberè velit hoc; ergo eodem decreto vult quod ita voluntas hoc velit, quod poſſit illud non velle.

Eodem modo in 3. & 4. lib. oſtendemus quòd ab eadem Dei prævia motione & influentia ob ſui eminentiam quam à divino decreto participat, etiam provenit quòd voluntas promoveatur etiam efficaciter ad volendum, vel operandum, hoc v.g. & quòd poſſit illud non velle, vel non operari, quam eminentiam ibi copioſius explicaturi ſumus. Igitur verum eſt quòd ab eadem neceſſitate antecedente, ſive ab eodem efficaci decreto provenit, & quòd voluntas infallibiliter operetur & quòd liberè operetur, potens id non operari, tantum abeſt quod ab illa tollatur vel impediatur libertas.

Poſtremò, niſi præſupponatur illa neceſſitas ex ſuppoſitione divinæ voluntatis, homo erit primum liberum reſpectu ſuarum operationum, & erit primum ſe determinans & primum ſe explicans, primumque inchoans operationem ſuam; ſed hoc nullo modo ſana doctrina admittit: ergo negari non poteſt illa neceſſitas ex priori antecedente ſuppoſitione. Minor eſt manifeſta, quia aſſerere hominem eſſe primum liberum, etiam reſpectu ſuarum operationum eſt proximum duplici errori ut S. Thom. apertè docet, in 2. diſt. 37. q. 2. art. 2. de quo alibi copioſius jam diximus. Major autē conſtat, quia non antecedit divina volūtas volēs, & movens hominis voluntatem efficaciter ad operandum, & ipſa hominis voluntas operatur; jam ergo hominis voluntas ſuam incipit abſque Deo operationem, & ut ſic operetur à Deo minùs dependet; & ex conſequenti erit ipſe homo primum inchoans ſuam operationem, & primum liberum à nullo alio priori dependens ut liberè operetur.

Ex quo concluditur, quòd cum homo nequeat eſſe primum liberum, etiam reſpectu operationis ſuæ, ita indiget illa priori & antecedente ſuppoſitione divinæ voluntatis efficacis, ut ſi illa defuerit numquam homo liberè operetur: ergo qui negant hanc neceſſitatem provenientem ex illa antecedente ſuppoſitione divinæ voluntatis, ipſi conſtituunt hominem numquam liberè operari, & ex conſequenti reipſa apertiſſimè numquam voluntatem producturam actum liberum & ſic omnem actualem libertatem ab ipſo homine auferunt, cum auferant id, à quo eſſentialiter talis libera operatio dependet. Unde non ipſi deffendunt liberum arbitrium, ſed deſtruunt. Qua ratione S. Auguſt. ſæpè contra antiquos, qui hoc ipſo (ut diximus) utebantur argnmento dicit ipſos non deffenſores, ſed deſtructores & lapidatores eſſe liberi arbitrij, quia revera actualem omnem libertatem ab homine auferunt. Unde eſt illud celebre S. Aug. dictum epiſt. 107. ad Vitalem. *Si verè volumus defendere liberum arbitrium non oppugnemus unde ſit liberum*, id eſt non oppugnemus efficaciam gratiæ antecedentis, ex qua provenit in ipſo vera libertas, nec oppugnemus efficacem Dei voluntatem antecedentem, ex qua applicatur & movetur ad liberè volendum & ſine qua numquam actualiter liberè operabitur.

Tandem qui dicunt ſe non poſſe intelligere quomodo cum neceſſitate divinæ voluntatis antecedente noſtra concilietur libertas, dicant nobis an ipſi intelligere valeant quomodo cum decreto voluntatis divinæ æterno omnino immutabili, ſemper in actu ſine potentialitate aliqua divina cohæreat atque conſiſtat libertas? Procul dubio non minùs difficilè ab ipſis hoc quam illud intelligi valet, ſicut enim efficax decretum Dei antecedens noſtram voluntatem, eidem videtur obſtare propter ſui antecedentem efficaciam, ita æternum decretum Dei omnino immutabile & ſemper in actu obſtare videtur indifferentiæ & indeterminationi libertatis. Cum ergo non obſtante hac difficultate certiſſimum ſit & indubitatum optimè ſtare divinam libertatem & indifferentiam illam in qua eſſentialiter conſiſtit libertas cum actuali illo æterno ac immutabili Dei decreto, ita etiam non obſtante difficultate alia optimè ſtat humana libertas, & indifferentia in qua ipſa eſſentialiter conſiſtit cum antecedenti illa voluntate Dei efficaci. Si ergo vix aſſequi poſſumus, qua ratione inter ſe cohæreant æternitas & immutabilitas ſummaque actualis in Deo cum illius libertate quæ tamen divina attributa in ipſo, oſtendente rationis lumine inter ſe optimè cohærent; ita etiam ſi vix aſſequi valemus qualiter cum divina efficacia antecedente noſtra concordet libertas: id tamen firmiter cenſendum eſt, quia etiam lumen naturale utrumque docet, & Deum primam cauſam eſſe efficacem, & omnia movere & nos libertatem habere, licet modum conciliationis non oſtendat, ſic nec etiam modum oſtendit quo cum immutabilitate actuali æterna Dei ſtet illius libertas; ſed de hac ratione plenius in ſecundo hujus operis lib.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXII.

Solvuntur Argumenta contraria in cap. 17. apposita.

EX dictis non erit difficile argumenta in contrarium solvere, & manifestare qualiter videlicet necessitas ex suppositione voluntatis Dei antecedentis omnem arbitrij humani cooperationem, libertatem non destruat, sed confirmet. Ad primum enim dicendum cum S. Anselmo, & veritate ipsa suppositionem illam divinæ voluntatis antecedentem omnem humanam cooperationem verè ac propriè esse causam illius operationis, & verè ac propriè causam esse quòd homo faciat, & quòd homo illam operetur; & licet illa antecedente suppositione constituta non stet humanam voluntatem non operari, tamen ista necessitas, ut verba illa expressè sonant, non necessitas absoluta est, sed necessitas ex suppositione, & ex consequenti libertatem non aufert. Commune etenim dictum Sanctorum & Scholasticorum est necessitatem ex suppositione libertatem non auferre. Quòd autem illa sit ex suppositione antecedente, non tollit quin verè & propriè sit necessitas ex suppositione, igitur libertatem auferre non potest. Imò ex eo quòd est necessitas ex priori causa antecedente quæ, vult & hominem operari, & liberè operari, necesse est quòd homo operetur, & quod liberè operetur, ut supra satis manet explicatum. Et ratio hujus est, quæ sæpissimè erit repetenda, quia ista suppositio divinæ voluntatis antecedentis est causa non solum substantiæ actus, sed omnis modi ipsius, undè illum libertatis modum causat & facit secundùm quod supra abundè monstravimus, quòd efficacia antecedentis & prioris Dei voluntatis est prima radix primique causa omnis contingentiæ & libertatis. Non ergo ex eo quod illa suppositio antecedens sit causa talis operationis (ut rectè S. Anselmus dicit, & S. Thom. affirmavit in illo loco 1. p. quæst. 19. art. 8. ad 3.) possunt ij Theologi inferre illam tollere libertatem, sed totum contrarium omnino concludere debent quòd videlicet libertatem causet actualem, quia totum quod est in actu causat, totam videlicet substantiam, & totum modum liberum, & omne quod habet actus ille quoad omnem entitatem & perfectionem & omnem modum ejus. Vult enim quòd nos operemur non per modum naturæ, sed per modum electionis, & facit nos velle salvo modo volendi, salvaque indifferentia rationis, & libertate voluntatis. Cur enim hoc facere nesciat sapientissimus nostræ libertatis instaurator, & potentissimus nostræ voluntatis creator. Quis neget Deum posse antecedenter efficaciter inflectere & immutare voluntatem nostram, sibique liberum homins arbitrium subjicere, salvà ejus in omnibus perfecta libertate, & servando illius naturalem modum quem ipse donavit? Unde illud primum argumentum nihil omnino concludit, sed revera si attendatur contrarium omnino probat, ut diximus.

Itaque necessitas antecedens absolutè & simpliciter necessaria tollit libertatem: necessitas autem antecedens ex suppositione tantùm necessaria, non tollit libertatem, sed causat, & talis est necessitas antecedens divinæ voluntatis respectu nostræ, quæ proinde tantùm abest quòd nostram impediat libertatem, quòd potius ipsam causat. Secundo distinguendum est illud antecedens, & in idem redit: necessitas antecedens omnino extrinseca respectu nostræ voluntatis, tollit illius libertatem; necessitas antecedens intrinseca voluntati, non tollit, sed perficit libertatem. Necessitas omnino extrinseca, est illa quæ provenit à quocumque agente creato respectu voluntatis nostræ. Hæc planè repugnat libertati, necessitas autem antecedens intrinseca, est influentia Dei in voluntatem nostram, quæ non tollit libertatem, sed eam perficit. Hæc distinctio necessitatis extrinsecæ & intrinsecæ traditur à S. Thoma 1. contra gent. cap. 68. in fine ita dicente. *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exterius agentis: non autem excludit influentiam superioris causæ, à qua est ei esse & operari, &c.* Contraponit Sanctissimus Doctor violentiam causæ exterius agentis, scilicet cujuscumque agentis creati contra influentiam Dei à quo est esse, & operari. Contra violentiam agentis creati, statuit influentiam Dei, quæ violentiam non infert; & contra agens extrinsecum constituit quòd à Deo sit nostræ voluntati esse & operari, ac per hoc sit agens intrinsecum Deus nostræ voluntati, & docet quòd libertas nostræ voluntatis, quæ consistit in hoc quod ipsa habeat dominium suorum actuum excludit violentiam cujuscumque creati agentis extrinsecus operantis, non autem potest excludere influentiam antecedentem Dei interiùs in ipsa agentis, à quo ipsa habet esse & operari, & cui essentialiter subditur & subordinatur, vocatur autem à Sancto Thoma non solùm per verba æquivalentia in citato loco Deus agens intrinsecum nostræ voluntati, sed etiam expressis verbis in aliis locis Deum appellat agens intrinsecum, quamvis in aliis etiam testimoniis ipsum vocet agens extrinsecum, quæ non inducuntur, tum quia omnibus nota sunt, tum etiam quia non licet à principali intento digredi, sed id supponere & veram concordiam illorum testimoniorum ad invicem coaptare, quæ talis est, quod quando Deum appellat agens extrinsecum, ipsum comparat voluntati quantùm ad esse ipsius voluntatis, cum qua, quia Deus non identificatur, hac ratione agens extrinsecum dicitur. Appellatur autem agens intrinsecum propter multa: Primò quia comparatione omnium aliorum ipse solus dicitur agens intrinsecum voluntati, cum intimè in illa sit, non autem agentia alia. Secundo quia ad solum Deum habet voluntas creata essentialem & intrinsecam subordinationem tam in esse quam in operari. Tertio quia intrinsecè & essentialiter est necessaria divina influentia, ut creata voluntas aliquid operetur. Quarto quia solus Deus intra ipsam voluntatem potest operari immutando illam, ut sæpiùs S. Thom. docet, quod & multoties in his nostris operibus expendemus. Quintò & ultimò quia ut rectè à Theologis dicitur intimius Deus est nostræ voluntati quam ipsa sit intima sibi ipsi. Nec curamus an aliqua ex istis quinque numeratis reipsa sint idem, quia majoris explicationis gratia ea sic distinguenda censuimus.

Et ad probationem dicitur quòd licet illa suppositio sit independens à libero arbitrio, tamen actus qui à libero arbitrio fit, liber omnino existit, à nostra voluntate dependens, nec enim libertas hominis est quòd ipse à Deo in sua causalitate & influxu non dependeat, hoc enim de ratione primi liberi est, & contra rationem secundi liberi cujus propria natura est quod moveatur & applicetur à primo libero, & quod activitas primæ causæ supponatur omnino independens à causa secunda. Unde ista independens suppositio tantum abest quòd libertatem secundæ causæ impediat, quin potius de ratione secundæ causæ liberæ

Digitized by Google

est supponere illam antecedentem suppositionem independentem ab ipsa secunda causa.

Quod autem dicitur quòd illa suppositione constituta non potest homo non operari, aut non producere effectum ejus, negandum est quia istæ positiones simpliciter & sine addito prolatæ sensum important divisum, in sensu autem diviso potest liberum arbitrium præsupposita necessitate ex suppositione antecedente aliter operari & dissentire si velit, ut infra agentes de sensu diviso & composito pleniùs dicemus. Si autem dicatur non posse tunc liberum arbitrium dissentire in sensu composito, id est non posse simul stare quòd illa antecedens suppositio sit, & quod non operetur verum est, nec in hoc consistit aut consistere potest humana libertas, ut etiam infra dicetur.

Modò quoties Recentiores opponunt quòd prædefinitio, vel antecedens suppositio tollat libertatem, ita in forma respondeat Theologus. Illa Dei præmotio seu antecedens suppositio tollit libertatem: Distinguo tollit libertatem Ciceronianam, & Pelagianam concedo, tollit libertatem Catholicam, & Christianam, nego. Libertas illa Ciceroniana & Pelagiana, quæ non ponitur Deo subdita, per hanc necessitatem antecedentem, quia verè impia est, tollitur. At libertas quam Christiani ex fide credunt, quæ Deo subditur ab ipso regitur & gubernatur, hæc non tollitur, sed perficitur, ut semper Ecclesia & Concilia docuerunt. Si ergo modo sunt, qui à Deo volunt esse exempti & in suis actionibus liberi, ut etiam suam libertatem nec divinæ voluntati & potentiæ velint esse subjectam, cum in hoc Ciceronis libertatem tantum agnoscant, non mirum si per hanc Dei prædefinitionem & antecedentem suppositionem, tolli arbitrentur. Cæterum nos qui voluntatem nostram Deo planè fatemur subjectam, ab ejus prædefinitione nostram liberam voluntatem testamur non tolli, sed juvari, non lædi, sed perfici.

Huic præterea argumento responderunt semper Doctores Catholici prout modo à S. Thoma est. Et quidem damnasse illud fundamentum in eodem Petro de Rivo Sixtum IV. refert (ut supra diximus) Schola Lovanienſis. Refert ibi & relatus Franciscus Sylvius. Hoc etiam argumentum damnavit insignis Parisiensis Schola anno 1270. sub his verbis. *Error est dicere, quòd falsum est, omnia esse præordinata à prima causa, quia tunc evenirent de necessitate.* Item in alia censura eodem anno 1270. hunc articulum damnavit. *In causis efficientibus causa secunda habet actionem quam non accepit à prima.* Refert Franciscus Sylvius in suo tractatu de præmotione primæ causæ art. 19. ratione 17. & aliam ibi ejusdem scholæ clariorem damnationem subjicit sub his terminis: *Id quod sua natura non est determinatum ad esse, non determinatur nisi ad aliquid, quod est necessarium respectu sui.* Quibus manifestè hoc argumentum, quòd suppositio Dei antecedens lædit libertatem, confundit. Inveniuntur etiam alij tres articuli circa materiam prædestinationis ab eadem schola damnati, quibus prævius usus arbitrij solum ponitur, & non verè ex prædestinatione Dei antecedenti, effectus. Quibus etiam hoc periculosum, & antecedens argumentum refutatur. Sed de his infra lib. 2. in materia de Prædest.

Huic deinde argumento in faciem restiterunt doctissima Lovanienſis Academia cum alia egregia Duacensi in suis censuris acutissimis quas ediderunt contra doctrinam, quæ in hac fallaci consecutione fundatur quarum supra mentionem fecimus. Scotus autem cum Schola sua eidem resistit ut infra commodius expendemus. Driedo & Ruardus Tapert etiam hoc argumentum fatentur errantium fuisse fundamentum, quorum verba infra in tract. de sensu diviso atque composito inducuntur.

Unde non debuerunt ij authores cum quibus & pro quibus agimus, hoc proponere pro suæ doctrinæ fundamento, in eoque tantum instare, cum multipliciter semper à Catholicis viris inveniatur nedum solutum sed comminutum & tritum.

Sed illud S. Thom. ubique in sua doctrina solvit, quòd illa efficax suppositio antecedens Dei movet voluntatem ad opus juxta proprium modum ipsius libertatis, qui est ut cum libertate ab ea actus fiat. Quod est clariùs dicere ut fiat præsuppositio consilio; omnis enim actus, qui ad consilium sequitur liber est, & electio vocatur, nec potest non liber esse. Quomodo autem Deus moveat voluntatem ut applicet intellectum ad consiliandum dictum est supra & clariùs exponemus lib. 2. 3. & 4. Interim ista pro nunc sub hac brevitate notentur, satis namque sufficere putamus nunc ea tetigisse.

Ad secundum negandum est omnino necessitatem ex suppositione divinæ voluntatis antecedentem, esse necessitatem absolutam, imò illa antecedens suppositio nec est absoluta nec infert necessitatem absolutam, sed tantùm conditionatam cum qua optimè consistit humana libertas. Quod in terminis dicit S. Thom. 1. cont. gent. cap. 85. ratione 4. Sic dicens. *Necessitas ex suppositione in causa non potest concludere necessitatem absolutam in effectu. Deus autem vult aliquid in creatura non necessitate absoluta, sed solum necessitate quæ est ex suppositione ut supra ostensum est. Ex voluntate igitur divina non potest concludi in rebus creatis necessitas absoluta. Hæc autem excludit contingentiam.* Manifestè ergo docet S. Thom. quod ex necessitate ex suppositione divinæ voluntatis, quæ est causa volens, quòd infallibiliter homo velit, non sequitur absoluta necessitas in homine ad volendum (hæc enim tollit libertatem,) sed tantùm sequitur necessitas conditionata cum qua optimè cohæret humana voluntas. Non ergo sufficit ad hoc ut in effectibus humanæ voluntatis sit necessitas absoluta tollens libertatem, quòd præcedat necessitas aliqua ex priori & antecedenti causâ (divina videlicet voluntate.) Sed necessarium est quòd illa necessitas in causa sit absoluta, & non sit ex suppositione, ut manifestè ipse S. Doctor declarat. Unde (quod est advertendum in eodem principio ex quo isti Theologi inferunt necessitatem absolutam in humanis operibus tollentem ipsorum libertatem) ex eodem inquam non alio concludit S. Thom. totum oppositum, videlicet necessitatem conditionatam saluare libertatem, sicut etiam 1. p. quæst. 19. art. 8. ad secundum ex illo, *non est qui Dei voluntati possit resistere*, ex quo aliqui inferunt tolli libertatem, si non possumus Dei voluntati resistere, infert S. Tho. quòd potius ei resisteretur, si nos liberè non operaremur, cum divina voluntas cui nullus potest resistere, velit quòd nos liberè operemur.

Et per hoc patet ad locum inductum ex S. Thoma ab his Theologis ex 2. physic. lect. 15. (mirum est enim quòd istum locum pro se adducant.) Ut autem fiat apertissimum quam expresse contra mentem S. Thomæ inducatur, ejus formalia verba, licet aliquantulum longiora, transcribam: *Quærit ergo* (Philosophus videlicet.) *Virum in rebus naturalibus, sit necessarium simpliciter, id est absolutè, aut necessarium ex conditione. Ad cujus evidentiam sciendum, quod necessitas, quæ dependet ex causis prioribus est necessitas absoluta ut patet ex necessario quod dependet ex materia, animal enim esse corruptibile est necessarium absolutè, consequitur enim ad hoc quod est esse compos*

Digitized by Google

compositum ex contrariis. Similiter etiam quod habet necessitatem ex causa formali est necessarium absolutè, sicut hominem esse rationalem, aut triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, quod reducitur in definitione trianguli. Et similiter quod habet necessitatem ex causa efficiente est necessarium absolutè, sicut necessarium est esse alterationem noctis & diei propter motum Solis. Quod autem habet necessitatem ab eo quod est posterius in esse, est necessarium ex conditione aut suppositione, ut puta si dicatur, necesse est hoc esse si hoc debeat fieri & hujusmodi necessitas est ex fine, & ex forma in quantum est finis generationis. Hæc S. Thomas in quo loco quis vel cœcus non videat S. Thomam, cum ait, necessitatem ex causis prioribus esse necessitatem absolutam, loqui solum de causis prioribus mere naturalibus determinatis ad unum sicut & Philosophus, quem commentabatur, loquitur; & de ipsis tantum fieri sermonem. Ex quibus evidenter infert sequi effectum absolutè necessarium etenim de illis causis naturalibus & ad unum determinatis esse sermonem, & intentio Philosophi, & totus contextus, & ejus exempla apertè manifestant, in causis enim naturalibus materialibus, formalibus, & efficientibus ab intrinseco ad unum determinatis constituit exempla. Ex quibus in effectibus dicit provenire absolutam necessitatem; ab eo autem quod est posterius in esse in eisdem causis merè naturalibus dixit oriri solam necessitatem ex suppositione. Ex isto loco qua ratione infertur S. Thomam asserere ex suppositione antecedenti divinæ voluntatis tolli libertatem in actionibus humanis? An S. Thomas loquitur hic de causa priori & antecedente, quæ divina voluntas est? loquebatur ne de effectibus vel actionibus liberis? nihil minus, imò totum contrarium, quia expressè loquitur de causis prioribus creatis, & ab intrinseco ad unum determinatis, & de effectibus merè naturalibus.

Et cum hac vel potius minori apparientia inducunt aliud S. Thomæ testimonium ex 3. parte quæst. 46. art. 1. ubi S. Doctor affirmat. *Alio modo dicitur aliquid necessarium ex aliquo exteriori, quod quidem si sit causa efficiens, vel movens facit necessitatem coactionis, ut pote cum aliquis non potest ire propter violentiam detinentis ipsum.* Hæc sunt S. Thomæ verba. Quibus satis declarat, & in exemplo manifestat quòd loquatur de causa creata exteriori efficienti cogente, & violentiam inferente in ordine ad actum imperatum à voluntate. Hæc autem velle extendere ad primam causam, quæ divina voluntas est, quæ nec cogit, nec violentiam infert, sed causat motum voluntatis secundùm proprium modum ipsius voluntatis, quid est aliud quàm ad amplam doctrinam S. Thomæ nolle advertere, vel potius illi aperte velle contradicere? Parique ratione perperam inducunt aliud S. Thomæ testimonium ex 2. contra gent. cap. 29. ubi dicit necessitatem absolutam provenire ex causis prioribus, quia ibi luce clarius loquitur, quod & exemplis manifestat, de causis prioribus naturalibus & ad unum determinatis, sicut in duobus prioribus modò inductis locis explicavit.

Minus juvat quod adducunt ex S. Thoma q. 6. de malo in corpore ubi dicit quòd dispositiones naturales, quæ non subjacent voluntati, ipsam necessitant, & ejus libertatem auferunt. Dicendum est enim ibi, ita loqui S. Thomam & hæc illius esse verba quibus solis relatis apparebit qua intentione illius verba inducantur. *Si ergo dispositio, per quam alicui videtur aliquid bonum & conveniens, fuerit naturalis & non subjacens voluntati, ex necessitate virtuali voluntas præeligit illud, sicut omnes homines naturaliter desiderant esse, vivere & intelligere.* Ex isto loco, ubi de formis ad unum naturaliter determinatis & naturaliter voluntatem determinantibus loquitur, qua consequentiâ vel illatione possunt, qui Theologi nomen merentur, inferre quòd suppositio antecedens proveniens ex divina voluntate, quæ causa prima est, quòd homo liberè agat, necessitet vel tollat ejus libertatem?

Esto autem non ita in speciè & expressè loqueretur S. Th. de causis prioribus merè naturalibus, sed in genere affirmaret illud esse necessarium absolutè quod provenit ex causis prioribus, nunquid doctrina ista generalis aliquid obstaret illi particulari, quam in specie docet loco ex 1. cont. gent. modò citato, & magis in particulari in 1. p. q. 19. art. 8. solut. ad 3. ubi ut supra manifestavimus dicit & divinam voluntatem esse causam priorem & antecedentem ex qua provenit necessitas in humanis operationibus, non absoluta, sed conditionata juxta modum, quem vult illa causa prima antecedens. Nunquid non est certa regula juris quòd generi derogatur per speciem, & quòd in generali concessione non veniunt illa quæ in particulari negata sunt? Quomodo ergo volunt patres Societatis per istam doctrinam generalem traditam à S. Thoma in secundo Physicorum derogari illi doctrinæ in specie & in particulari in qua ex professo S. Thomas manifestat ex priori voluntate Dei, quæ sit causa antecedens non inferri necessitatem absolutam tollentem libertatem, sed conditionatam, ipsam perfectè conservantem; Igitur duo in S. Thoma sunt apertè manifesta. Alterum est ex causis prioribus naturalibus ad unum determinatis oriri absolutam necessitatem in effectibus, & hoc expressè docet in illo loco ex 2. Phys. Alterum verò ex priori Dei voluntate antecedente ut vera causa humanam operationem, nullo modo oriri absolutam necessitatem, sed tantùm conditionatam in humanis operationibus ut manifestissimè docet in locis citatis supra, & potissimè in illo ex 1. parte q. 19. art. 8. solut. ad tertium & in isto loco modo ex 1. cont. gent. relato.

Ad tertium dicendum quòd necessitas absoluta in hac materia sumenda est à divina voluntate sicut à causa priori volente effectum habere necessitatem absolutam ut ex S. Thoma satis manifestum dedimus ex illo loco 1. p. q. 19. art. 8. citato, quod & latè explicuimus supra, cum definivimus, quòd si Deus ageret ex necessitate naturæ effectus liber non esset in hominibus; & similiter si Deus vellet modò voluntatem necessitare optimè posset. Ex suppositione autem divinæ voluntatis antecedentis & volentis operationes ab homine certo fieri, & certo liberè fieri, impossibile est quòd necessitas absoluta colligatur; imò necesse est quòd necessitas tantum conditionata illa sit, non solùm ipsam hominis libertatem conservans, sed causans, ut dictum est.

Ad quartum dicendum apud S. Patres, & Scholasticos Doctores nullo modo esse idem necessitatem consequentis, & necessitatem antecedentem divinæ voluntatis, jam explicatam; imò sunt valde diversæ, & oppositæ. Nam necessitas consequentis apud illos idem omnino est ac necessitas absoluta quæ libertatem aufert. At vero necessitas ex suppositione divinæ voluntatis antecedentis (ut nomen sonat) necessitas absoluta non est, sed ex suppositione sive conditionata: ergo necessitas ista ex suppositione nullo modo est aut esse potest idem quod necessitas consequentis, imò est necessitas consequentiæ & ita vocari debet. Nec argumentum in oppositum aliquid probat, non enim est necessitas consequentis illa, quæ provenit ab antecedente causa, quæ per evidentem consequentiam sit vera causa consequentis, sed amplius requiritur quòd videlicet illud consequens inferatur ex necessitate absoluta antecedentis, non au-

tem

Digitized by Google

tem ex necessitate ex suppositione ipsius, ut expresse docet S. Thomas primo cont. gent. cap. 85. citato & relato in solut. ad secundum.

CAPUT XXIII.

Alia proponuntur & solvuntur argumenta.

Sed instant si necessitatem provenientem ex suppositione divinæ voluntatis Doctores non senserunt esse necessitatem consequentis, sed consequentiæ solum, cur tam multa, tamque difficilia de ista materia scripserunt, cum uno brevissimo verbo possent se expedire, dicendo quod in omnibus talibus est necessitas consequentiæ & illationis, seu unius conditionalis propositionis; potissimè, quia si sic sentirent, nihil particulare aut divinæ præscientiæ tribuerent, aut divinæ voluntati, quod secundis causis non conveniret. Tam necessaria enim est ista conditionalis, si causa secunda faciat hoc, illud erit, vel si præscit hoc futurum, illud erit futurum, sicut ista, si Deus vult hoc futurum esse, illud erit, imò tam necessaria est ista conditionalis, si Deus præscit Chimeram esse, illa erit, & ista si Deus præscit Antichristum esse, ille erit; unde nihil magis Doctores de una quam de alia assererent, si tantùm ad necessitatem consequentiæ & propositionis conditionalis attenderunt. Quod cum dicerè nullus possit, necesse est fateri Doctores non tantum de necessitate illationis loquutos fuisse, seu de necessitate consequentiæ, verum etiam de necessitate consequentis.

Secundo, nec per hunc dicendi modum de necessitate consequentiæ seu suppositionis nostra salvatur libertas, cum tamen ad hoc necessitas consequentiæ introducatur, ut per illam salvent libertatem nostram. Probatur si enim ista consequentia est necessaria, si Deus hoc prævult, illud erit, & antecedens non est in mea potestate: ergo nec consequens in mea potestate erit. Quod aliis verbis opponunt. Non est in mea potestate quod ponatur illa Dei antecedens suppositio, & illa posita non est in mea potestate ob illius efficaciam aliud velle, vel operari: ergo nulla in me manet libertas. Cui argumento ita adhærent, ut putent, imò clament illud esse evidens, nec illi posse responderi, unde concludunt minus stare posse hanc necessitatem ex suppositione, seu consequentiæ.

Hæc illorum, quasi portenta, argumenta pro magno his temporibus oppununtur, quasi verò non antiqua sint à quodam Bernardo apud Capreolum, (cui & ipse respondet in 1. sent. dist. 46. q. 1. ad argumenta contra secundam part. quintæ conclusionis) sub his eisdem terminis proposita. Nihil ergo de novo adducunt, sed contrita antiquitus argumenta restaurant hominum illorum quorum nulla authoritas fuit. Quis enim sciat quis fuerit ille Bernardus apud Capreolũ, à quo ista hi Authores didicerunt?

Unde ad ipsa respondetur, & ad primum dicendum quòd ex necessitate immutabilitatis, seu ex suppositione seu consequentiæ multa ardua & difficilia S. Doctores deducunt, & meritò, quia per hanc necessitatem tria potissimè docere intendunt. Primum est quod illa conditionalis est vera; Deus vult hoc, igitur ita erit. Et similiter Deus ita vult, igitur semper ita voluit, & volet, neque potest desinere voluisse aut velle hoc volitum. Secundum est quod simpliciter, & absolutè est impossibile Deum nunquam sic voluisse, aut sic velle, ita quod ista simul stant, Deus sic voluit, & potuit nunquam sic voluisse, licet stare non possit quod desinat velle, aut quod mutetur de volente in nolentem, & ideo optimè stat quod volitum à Deo necessariò eveniet necessitate immutabilitatis, & ex suppositione, & simul quod absolutè liberè eveniat: Tertium est quod ex eo quod Deus aliquid vult necessitate immutabilitatis, & ex suppositione, & absolutè & simpliciter liberè, sequitur quòd sit volitum necessarium ex suppositione ob efficaciam divinæ voluntatis immutabiliter illud volentis, & absolutè & simpliciter liberum. Ista tria intendunt Doctores explicare per necessitatem ex suppositione seu consequentiæ.

Ad aliud, quod in eodem primo argumento involvitur, dicendum aliquid valde singulare tribui per hanc necessitatem consequentiæ seu ex suppositione, divinæ voluntati, quod nullo modo convenire potest alicui causæ secundæ, tribuitur namque divinæ voluntati efficacia, & immutabilitas, ex qua bene sequitur, quod si Deus hoc voluit, illud erit, quod tamen creaturæ non convenit. Unde inapparens est ista consequentia, homo hoc vult, seu voluit ergo id erit, propter nempe ejus inefficaciam & mutabilitatem. Verum est quòd præscientia, non solum quatenus divina, sed ut sic quatenus præscientia, certa est, ut Sanctus Augustinus docet & probat 5. de Civitate cap. 9. Unde si homo hoc præscit, illud erit. Unde licet facile quidpiam sit intelligere necessitatem illius consequentiæ, Deus prævidit hoc, igitur hoc eveniet; non tamen tota resolutio stat in hoc, quia non solum Doctores dicunt consequentiam illam esse necessariam, sed simul asserunt antecedens esse necessarium necessitate immutabilitatis quam isti Authores non capiunt. Talis enim necessitas est (ut verba sonant) immutabilis, seu indefectibilis supposito quòd Deus illam vult, licet absolutè & simpliciter libera sit, & aliter absolutè, & simpliciter possit evenire.

Et per hoc respondetur ad aliud, quod in illo argumento tangebatur, quòd licet ista consequentia sit necessaria, si Deus prævidit Chimeram esse, Chimera erit, antecedens ejus non est necessarium necessitate immutabilitatis. Quare ut breviter dicamus, necessitas consequentiæ in his materijs accipitur prout includit necessitatem absolutam consequentiæ, & necessitatem immutabilitatis antecedentis, ac necessitatem infallibilitatis, seu ex suppositione consequentem cum absoluta libertate tam causæ primæ, quam secundæ ut dictum est sæpe.

Ad secundum, quod ut Achille opponunt, lib. 2. & 3. copiosiùs respondebitur, & nunc breviter dicendum quòd licet antecedens non sit in potestate nostra, bene tamen consequens in potestate nostra est. Nec enim sequitur quòd si bona est consequentia & antecedens non est in potestate nostra, etiam consequens in potestate nostra non sit, nec talem unquam regulam dialectica proposuit. Habetur quidem in illa quòd si antecedens est necessarium, consequens sit necessarium, ita quod si antecedens absolutè & simpliciter est necessarium, etiam consequens sit absolutè & simpliciter necessarium, & si antecedens est tantùm ex suppositione necessarium & absolutè liberum, etiam consequens sic sit necessarium. At quòd si antecedens non est in nostra potestate, nec consequens sit in nostra potestate, dialectica nunquam tradidit, sed nec aliqua ratione potuit tradere, quia fieri optimè potest, quod licet antecedens in mea non sit potestate, ponat tamen consequens in potestate mea, sicut fit in præsenti. Ex opposito autem bene sequitur, quod si bona est consequentia, & antecedens est in mea potestate etiam consequens in mea potestate sit quia tunc tenet per illam regulam. Quidquid est causa causæ, est causa causati. Unde si ego per meam potestatem sum causa antecedentis, quod est causa consequentis etiam ego per meam potestatem ero causa consequentis.

Pariqᵘᵉ

Parique ratione ex oppoſito conſequens ſequitur bene ſi bona eſt conſequentia, & ſi conſequens non eſt in mea poteſtate, nec antecedens in mea poteſtate erit. Cæterum, ut dixi, non ſequitur quod ſi bona eſt conſequentia, & antecedens non eſt in mea poteſtate, quod etiam conſequens in mea poteſtate non ſit, qua ut diximus poteſt illud antecedens quod in mea poteſtate non eſt, ponere conſequens in poteſtate mea, nec video ex quo capite ij Authores probent quòd ſi antecedens non eſt in mea poteſtate, nec conſequens in mea poteſtate ſit. Poteſt aliquale fortè exemplum eſſe; bene ſequitur qui habet oculos apertos, videt; non tamen ſequitur quod ſi cœcus non habet poteſtatem aperiendi ſibi oculos non habeat poteſtatem videndi, cum alius ei oculos aperit; quia illud antecedens, ſeu illa oculorum apertio, quæ in illius poteſtate non eſt, in ejus tamen poteſtate ponit quòd videat: ſic à ſimili, ſuppoſitio divinæ voluntatis quòd ego ſcribam, quæ in mea poteſtate non eſt, in mea tamen ponit poteſtate quòd modo ſcribam. Quomodo autem non ſit in poteſtate arbitrij creati cauſalitas ſeu ſuppoſitio primæ cauſæ inferiùs eſt agendum copioſè in 2. & 3. lib. Qualiter vero illa efficacia præhabita poſſit homo abſolutè aliud velle, licet non poſſit cum illa contrarium diſenſum conjungere infra planiùs explicandum eſt, nunc enim ſolum de neceſſitate antecedentis, & conſequentis ſermonem facimus nullamque eſſe illationem oſtendimus illorum qui prætendunt quòd in bona conſequentia qui non habet in ſua poteſtate antecedens, non habeat in poteſtate ſua conſequens. Illud verò addendum hanc illorum rationem ſeu illationem referri à Doctoribus Lovanienſibus damnatam fuiſſe à Sixto IV. Sub his verbis. *Quidquid ex ſuppoſitione quæ in poteſtate noſtra non ſit per neceſſariam conſequentem ſequitur, id ita eſſe neceſſarium, ut liberum eſſe nullo modo poſſit.* Hanc enim propoſitionem dicunt eſſe damnatam, quæ eſt in terminis fundamentum horum; de quo ſupra agimus.

Quod ſi dicas ex hoc etiam inferri, quòd ſi Deus vellet me neceſſario & ſine libertate aliquid operari, non erit neceſſitas conſequens & abſoluta quòd ego operer, quòd tamen falſum videtur. Patet ſequela, quia etiam tunc in cauſa, ſcilicet in divina voluntate tantùm eſt neceſſitas ex ſuppoſitione divinæ voluntatis qua Deus voluit me neceſſario & ſine libertate id operari unde nec erit neceſſitas conſequens in effectu.

Ad hoc dicendum quòd intali caſu ego neceſſario & ſine libertate operabor ſicut divina voluntas vult, & eo modo quem vult. At vero illa neceſſitas in voluntate mea operandi ſine libertate, orta ex illa præexiſtente divina voluntate, poſſet alicui videri non neceſſitas abſoluta nec conſequentis, ut argumentum probat ratione facta, quia non poteſt eſſe major neceſſitas in effectu quam ſit in cauſa & etiam quia abſolutè ego non operarer tunc ſine libertate, cum abſolutè poſſim liberè operari, quia abſolutè liberam potentiam habeo, ſed tantum operarer neceſſariò & ſine libertate ex præſuppoſitione divinæ voluntatis ita volentis & diſponentis. Itaque poſſet quis dicere quòd non ſolum neceſſitas abſoluta & conſequentis libertatem aufert voluntatis in operationibus ſuis, verum etiam neceſſitas conditionata orta ex divina voluntate volente me in aliqua ratione neceſſariò & ſine libertate operari, in tali actione libertatem aufert. Sicut enim divina voluntate præſuppoſita volente me liberè operari oritur neceſſitas conditionata qua infallibile eſt me operari & liberè operari, ſicut Deus voluit, ita ex præſuppoſita voluntate divina volente me operari neceſſariò & ſine libertate; oritur neceſſitas conditionata, qua infallibile eſt me operari, & neceſſariò ac ſine libertate operari. Non ergo illa talis neceſſitas erit in illo caſu dicenda neceſſitas abſoluta ſive conſequentis, ſed neceſſitas conditionata in effectu, neceſſitati ex ſuppoſitione quæ eſt in ſua cauſa proportionata, & ita libertatem auferret, ſicut cauſa ex ſua præſuppoſitione diſponit.

Secundo reſpondetur & melius ex Capreolo in 1. diſt. 45. quæſt. 1. ſolut. ad ſecundum contra ſecundum partem quintæ concluſionis concedendo quod in illo caſu hominis voluntas vult abſoluta neceſſitate quia abſoluta neceſſitas illa eſt qua poſita cauſa efficaciter diſpoſita non habet in ſua poteſtate operari aut non operari, & talis tunc eſſet humana voluntas. Eſt enim compoſſibile, ut ibi ait, cauſam ſecundum cauſare ex neceſſitate naturæ, primam autem cauſam non ſic cauſare, & ideo bene ſtat effectum provenire neceſſitate antecedente naturali à cauſa ſecunda & non à cauſa prima niſi neceſſitate immutabilitatis & ſuppoſitionis. Quia ſcilicet prima cauſa determinatâ ad hunc effectum per ſuam ſapientiam & voluntatem, non ſtat effectum non ſequi illo modo quo prævolitum eſt, & diſpoſitum à prima cauſa illum ſequi. Unde neceſſitas naturaliter antecedens ſive abſoluta reſpectu cauſæ ſecundæ non arguit neceſſitatem conſimilem in cauſa prima, ſed aliam neceſſitatem nobiliorem, quæ licet ſit ex ſuppoſitione & immutabilitate divinæ voluntatis, eſt tamen ex illa voluntate quòd homo tunc abſoluta volunrate illum actum eliceret. Et huic ſecundæ ſolutioni multò magis adhæremus, nec tunc major eſt neceſſitas in effectu quam in cauſa, imò eſt eadem neceſſitas abſoluta in effectu, ſicut prima cauſa vult quod illam habeat.

Et per hoc reſpondetur ad aliud quod poſſet objici nimirum ſaltem deduci ignem non conburere ex neceſſitate abſoluta, ſed tantum illa quæ eſt ex ſuppoſitione; quia neceſſitas quæ eſt in prima cauſa non eſt abſoluta, ſed ex ſuppoſitione liberæ voluntatis quòd ignis conburat. Ad hoc patet ex dictis, optimè videlicet ſtare cauſam ſecundum nempe ignem cauſare ex neceſſitate abſoluta, & primam cauſam non ſic cauſare, ſed per nobiliorem cauſationem; quia vult ignem ſic cauſare ex neceſſitate abſoluta. Poterit quis ſecundo reſpondere negando ſequelam, & ſimiliter negando illius probationem, quia quamvis ignem exiſtere ſit neceſſarium neceſſitate conditionata, ex ſuppoſitione videlicet divinæ voluntatis liberè volentis quòd exiſtat, at quòd ignis ſit abſolutè determinatus ad unum, & quòd ſit ex ſua propria ratione ſimpliciter & abſolutè agens neceſſarium ex ſuppoſitione libera divinæ voluntatis non dependet, ſed in ipſa prima cauſa neceſſitatẽ habet abſolutã, quia non minus eſt perpetuæ veritatis iſta propoſitio, ignis eſt à natura determinatus ad unum, & eſt agẽs ſimpliciter & abſolutè neceſſariũ, quã hominem eſſe animal vel quid ſimile, quæ abſolutam neceſſitatem habent in Deo, nec ab ejus libera voluntate dependent. Igitur ſicut ignis comburit neceſſitate abſoluta, ita eandem neceſſitatem abſolutam in ſua cauſa habet.

Adhuc fortè non quieſces, ſed replicabis non minus habere abſolutam neceſſitatem in prima cauſa hominem eſſe liberi arbitrij, quam ignem eſſe agens neceſſarium, cum tam unum quam aliud ſit perpetuæ veritatis ac veritas abſolutè neceſſaria: ergo ſicut ignem comburere cum determinatione ad unum eſt abſolutè neceſſarium ratione facta; ita hominem operari

Digitized by Google

rari istum actum videlicet scribendi cum libertate, & indeterminatione erit absolutè necessarium. Ad hoc patet ex dictis negando consequentiam quia prima causa vult quod ignis ex absoluta necessitate comburat, & ad hoc applicat causam determinatam ad unum, & cum absoluta necessitate; at hominem operari actum liberum vult prima causa quod liberè id fiat & ad id applicat causam liberam. Quod ex eo patet; quia si esset absolutè necessarium hominem hujusmodi actum scribendi verbi gratia facere cum libertate, nec Deus posset cum sua omnipotentia efficere quod illum exerceret sine libertate, sicut nec efficere potest ob eandem rationem, quod ignis cum libertate calefaciat. Potest secundo responderi ostendendo rationem discriminis, quia scilicet ignis ex sua adæquata natura absolutè est agens necessarium, unde impossibile est omnino quòd operetur cum libertate; cæterum humana voluntas duplicem habet rationem, consideratur enim ut natura & ut libera, & adæquatè utramque rationem includit. Unde non est de ratione voluntatis operari semper liberè, alias non possent esse actus primo primi; sed tantum est de ratione voluntatis præsuponentis indifferentiam rationis quòd liberè operetur, nec aliud erit possibile, & hoc tantùm argumentum probat.

Ad ultimum dicendum ignorantiam antecedentem tollere voluntarium ex eo quod tollit primam radicem voluntarij, quæ cognitio est. At vero voluntas Dei antecedens operationem, cognitionem & indifferentiam rationis, quæ est prima radix libertatis, non tollit, imò illam perficit, unde libertatem nullo modo aufert, sed potius movet voluntatem, ut suppositа rationis indifferentia ex parte intellectus, & supposito judicio, quod est determinatio illius indifferentiæ liberè eligat, quod sibi per tale judicium rationis proponitur. Unde planè hoc argumentum ex ignorantia procedens potius contrarium, si inspiciatur, persuadet. Tota enim ratio quare ignorantia antecedens tollit uoluntarium est, quia primam radicem voluntarij tollit; cum ergo divina voluntas efficaciter antecedens, illam primam radicem libertatis non auferat, sed perficiat, fit manifestnm quòd nec ipsam actualem libertatem potest à voluntate auferre, ut supra probatum reliquimus, agentes de modo quo potest Deus hominis voluntatem necessitare.

Unum ultimò hic dixerim circa illud quod apud Theologos commune est (quod videlicet necessitas consequentiæ non lædit libertatem) contrarium hujus non dici à Scoto in primo dist. 38. §. *ad primum istorum*, cum in fine ita concludit. *Quod autem necessario etiam necessitate consequentiæ sequitur ad necessarium simpliciter non potest esse contingens.* Nam ibi sermonem facit de illo quod necessitate consequentiæ sequitur ad necessarium simpliciter & absolutè, non autem de eo quod sequitur necessitate consequentiæ ad necessarium ex suppositione, loquebatur enim de actu divini intellectus antevertente omnem primam divinam libertatem quæ est scientia simplicis intelligentiæ necessaria simpliciter in Deo. Et rectè dixit quod id quod ad talem actum omnino necessarium sequitur necessitate consequentiæ non potest esse contingens, quod & nos probaturi sumus in nostro 2. lib. Verum est hanc necessitatem magis debere dici consequentis, quam consequentiæ, cum proveniat ex causa simpliciter & absolutè necessaria. In summa necessitas consequentis est illa quæ oritur ex causa simpliciter necessaria, necessitas autem consequentiæ illa est que provenit ex causa necessaria tantùm ex suppositione & absolutè & simpliciter libera. Ne autem aliquis fallatur ex verbis Scoti hæc in isto loco notare placuit, Theologi enim omnes solum dicunt quòd necessitas consequentiæ orta ex necessitate tantum quæ est ex suppositione nullo modo lædit libertatem, quod & Scotus ipse semper confessus est, ut ex dicendis constabit.

Hinc sequitur solemnem illam distinctionem de sensu diviso & composito non sic esse intelligendam ut necessitas in sensu diviso idem sit, quod necessitas ex suppositione antecedente, necessitas autem in sensu composito idem sit quod necessitas ex suppositione consequenti, qui enim sic imaginantur & necessariam illam distinctionem totaliter destruunt, voce solum illam admittentes, & nullam efficaciam in divina voluntate, ex qua sequatur infallibiliter hominem operari, admittunt, sed Deum sua efficaci virtute ab homine pendere, ipsum expectare, & post humanam voluntatem volunt esse sequentem, hac sua necessitate ex suppositione consequente, ut supra explicatum est, & sæpe inferius accuratiùs explicabitur.

Remittimus lectorem ad ea quæ pleniùs dicta sunt supra de Massilienſibus qui suppositionem antecedentem divine voluntatis negabant tanquam læsivam nostræ libertatis, & illis consideratis ipse dijudicet in quo ab illa, ista Recentiorum modò relata & impugnata sententia discordet.

CAPUT XXIV.

Solvuntur argumenta.

POST ista, quæ jam præparata erant, legimus Leonardum Lessium in suo alio lib. *de gratia efficaci inscripto*, sed nomine tenus, cum totus efficaciam gratiæ impugnet, in quo pag. 16. & 17. impugnando communem hanc Sanctorum doctrinam, quod nimirum necessitas ex suppositione voluntatis Dei antecedentis non tollat nostram libertatem, ait, hoc non satisfacere. Primo quia hæretici non pœnunt aliam necessitatem actionum humanarum quam ex suppositione decreti divini & divinæ motionis „ voluntatem moventis, & tamen reipsa tollunt „ liberum arbitrium alioquin non errarent in re, „ sed in modo loquendi quod nemo dixerit. „

Secundo quia bruta non moventur necessario „ nisi ex suppositione, videlicet apprehensionis „ objecti, & tamen absolutè necessariò & non liberè moventur. Motus etiam primi tentationum, „ motus gratiæ prævenientis, & amor ipse beatificus non sunt actus necessarij nisi ex tali suppositione, & tamen non sunt liberi. Denique omnes res naturales non moventur necessariò, nisi ex „ suppositione divinæ motionis ad suas functiones „ prædeterminantis, si enim absit hæc suppositio, „ non moventur juxta sententiam eorum quibuscum disputamus. „

Tertio. Quia quando suppositio non est in mea „ potestate, non pendet ex aliquo quod sit in mea „ potestate, & aliàs illa suppositione posita non „ possum impedire quin ex illa sequatur effectus, „ eo quòd hic cum illa suppositione necessariam „ conjunctionem habeat, talis autem suppositio est „ decretum divinum & impressio illa determinans: „ ergo tollit libertatem. Major probatur, quia sinon „ est in mea potestate impedire ejus efficaciam, evi- „ dens est in mea potestate non esse impedire effectum. Unde rectè inferunt Doctores fieri non „ posse ut aliquis effectus procedens à causa prima „ & secunda, proveniat à causa prima inevitabiliter, „ & à causa secunda evitabiliter. Vide Ochamum, „ & Gabrielem in 1. dist. 38. Gregor, Arimin „

eadem

Digitized by Google

„ eadem dist. q. 2. art. 3. ad quartum. Thomam
„ Valdensem lib. 1. doctrinalis fidei antiquæ cap.
„ 28. Minor patet, quia non est in potestate mea ut
„ divinum decretũ non existat aut impressio ab eo in
„ voluntatem meam non fiat, aut ut illa impressio
„ posita effectum non habeat.

„ Unde infero quòd necessitas suppositionis non
„ tollit libertatem intrinsecã, nisi tantùm in tribus ca-
„ sibus, Primò quando suppositio est in nostra pote-
„ state ut sit vel non sit. Secundò quando suppositio
„ pendet aliquomodo ab eo quod est in nostra pote-
„ state. Tertiò quando suppositio supponit aliquid,
„ quod aliquomodo à nostra potestate dependet V.
„ G. si Deus velit efficaciter ut in hoc mo-
„ mento habeam actum dilectionis Dei, necesse est
„ ex suppositione ut eo momento diligam Deum,
„ liberè tamen illum actum eliciam, si intrinsecam
„ voluntatis dispositionem spectes, quia hæc volun-
„ tas Dei supponit præscientiam conditionatam, qua
„ Deus novit certissimè quid quovis momento vo-
„ luntas sit liberè electura, si hæc vel illa suasio,
„ aut affectio menti injecta fuerit. Hæc autem præ-
„ scientia pendet objectivè ab eo quod liberè vo-
„ luntas tali suasione proposita esset electura. Unde
„ nec illa voluntas est omnino absoluta, sed impli-
„ cite est conditionata supponens conditionem, vi-
„ delicet si velim cooperari, etsi certò prævisam.
„ Extra hos modos, suppositionis necessitas libero
„ arbitrio repugnare videtur. Hæc ille.

Si quis ad supra à nobis resoluta attendat, facilè deprehendet objecta ista, antequam opposita essent, ac si prævisa fuissent, esse penitus expugnata, unde nec nova solutione indigent, nec quæ adducta sunt supra veniunt repetenda, sed magna brevitate ad ista applicanda. Dicendo non solùm in his tribus casibus stare libertatem cum necessitate ex suppositione antecedente, in quibus suppositio antecedens est in mea potestate, hoc enim nullius est difficultatis; verum nec etiam quando suppositio antecedens non est in potestate mea, sed eam omnino antecedit, sicut est decretum divinum & effectus ejus qui est divina præmotio, ut dictum & probatum est.

Unde solùm superest opposita argumenta diluere quamvis & hæc ex dictis jam soluta sint. Ad primum ergo dicendum, quod sicut in præcedenti capite ostensum fuit, in hoc hæretici omnes & Pelagiani & Calvinistæ errarunt quòd ex Dei antecedente voluntate efficaci dixerunt tolli hominis libertatem, & qui modo contendunt libertatem auferri per suppositionem provenientem ex Dei voluntate efficaci, ideo decipiuntur, quia nunquam intelligere volunt, quòd suppositio antecedens veniens ex priori Dei voluntate est causa substantiæ actus & omnis modi illius; vult enim Deus illa sua efficaci & priori voluntate quòd homo operetur & liberè operetur. Unde sicut ex eo quòd Deus vult quòd homo operetur, sequitur ipsum infallibiliter operaturum, ne fruſtretur divinæ voluntatis efficacia; ita ex eo quod Deus vult & causat modum, volens & causans quòd homo liberè operetur, etiam sequitur, esse infallibile quòd homo operetur liberè prout Deus vult, ne etiam fruſtretur ejusdem divinæ voluntatis efficacia. Unde quod prædictus author in argumento opponit, videlicet quod hæretici per efficax antecedens decretum divinæ voluntatis reipsa tollunt liberum arbitrium æquivoca propositio est; si enim sit sensus quod hæretici reipsa negant liberum arbitrium, verum est. Si autem intelligat quod posito ab illis illo efficaci decreto, eo ipso vel reipsa ex illius vi negatur libertum arbitrium, ita quòd negatio arbitrij reipsa sequatur ex tali decreto, falsissimum est: imo verissimum totum oppositum; quod nimirum ex vi illius decreti sequitur positio & conservatio libertatis, & in hoc ipsi graviter in re & non solùm in modo loquendi errarunt, quia pessimè intulerunt ex tali Dei decreto lædi libertatem; vel graviter errarunt putantes nullum posse esse tale decretum nisi quod libertatem auferat.

Ad secundum dicendum quod illa suppositio, ex qua bruta absoluta necessitate moventur, est suppositio divinæ voluntatis volentis quòd illa, tali absoluta necessitate moveantur, & sic fit, sicut illa antecedens divina voluntas vult. Ex quo potius pro veritate quam firmamus sumitur argumentum. Si enim ideo bruta absoluta necessitate moventur, quia divina voluntas antecedens sic vult quod moveantur juxta suam propriam naturam: pari ratione sequitur quòd homo liberè & absolutè moveatur quia divina efficax voluntas vult quòd liberè absolutè moveatur, juxta naturã suam. Ad id de motu primò primo & de amore beatifico dicẽdum similiter esse actus absolutè necessarios & sine libertate, quia omne præveniunt judicium rationis quod est radix libertatis. Unde auferendo radicem libertatis, ex consequenti libertatem auferunt. Unde suppositio antecedens, ex qua sequuntur, est talis quòd omnem impedit libertatem; & rursus divina voluntas antecedens vult, quòd homo illos actus absoluta necessitate & sine libertate efficiat sicut propria natura eorum expostulat. Pro actibus verò humanis totum oppositum invenitur, quia procedunt ex deliberatione rationis quæ est radix libertatis. Rursus divina voluntas efficax antecedens vult quod fiant juxta hanc propriam suam naturam, & cum libertate, & ita fiunt liberè sicut divina voluntas vult.

Ad tertium dicendum quòd efficacia divinæ voluntatis vel motionis non est in potestate arbitrij, nec illam potest homo tollere aut impedire, bene tamen actus volendi est in potestate voluntatis, & ipsum ita facit ex efficacia motionis quòd absolutè potest non facere, licet non possit cum efficacia motionis conjungere contrarium dissensum. Et ratio est quia efficacia divinæ voluntatis, seu motionis, quæ in potestate nostra non est, ponit in potestate nostra actum hoc modo, quòd illud liberè facere velimus & de facto faciamus, ita quòd si velimus, aliud facere absolutè possimus licet simul cum illa contrarium actum conjungere non possimus.

Ad illud pro quo Ocham & Gabrielem citat, dicendum Nominales istos minus bene id sensisse, quia contrarium S. Thomas verissimè dixit q. 6. de elect. hum. ad tertium. Ubi iterum argumentum istius authoris de brutis solvit, sic dicens. *Ad tertium dicendum quòd animalia bruta moventur per instinctum superioris agentis ad aliquid determinatum secundum modum formæ particularis, cujus conceptionem sequitur appetitus sensitivus. Sed Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest, sed propter naturam voluntatis motæ quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas sed manet libertas.*

Digitized by Google

TRACTATVS QVARTVS.

DE SENSV COMPOSITO, ET DIVISO.

CAPUT I.

Distinctionem de sensu composito, & diviso ceu omnino necessariam admitti, & probari debere ex S. Scriptura ostenditur.

DISTINCTIO illa celebris sensus compositi, & divisi ita antiqua, necessaria, & communiter recepta semper extitit, ita ab omnibus in universum Philosophis, ac Theologis in quolibet tempore, & ætate tradita atque fundata, ita cum Dialectica, Philosophia, atque Theologia orta, atque congenita fuit, ut etiam qui modò reipsa, & quoad sensum illam rejiciunt, saltem quoad vocem eam negare non audeant, ut constat ex septima horum Authorum assertione relata supra, quæ modò venit examinanda, in qua, voce quidem hanc distinctionem admittunt, sed reipsa, & quoad sensum negant, ut ex dicendis fiet manifestum. Nunc autem quam antiqua sit ista distinctio, & ab omnibus recepta primò aperiamus.

Omnes Doctores sine controversia fatentur distinctionem de necessitate in sensu diviso, & composito, ut verè antiquam, & omninò necessariam recipiendam, & defendendam esse. Veritas ista, quia à Recentioribus admittitur, potiùs ad præsens supponenda quam probanda est. Omnes enim Philosophi, Scholastici universi, ac Sancti Patres illam sine contradictione supponunt, imò & aliquando, ut dicemus, Concilia eandem honorant, utpote quæ ex divinis literis, (ut infra probabitur) planè colligitur. Et ratio pro necessitate hujus distinctionis convincit, quia sine illa nec in materia de divina scientia, divina voluntate, providentia, prædestinatione, nec in materia de divina gratia, seu motione loqui, ut decet, aliqua ratione valemus: vel enim libertas in arbitrio non rectè salvabitur, vel Dei scientia, providentia, ac prædestinatio fallibilis constituetur, quorum unumquodque est dogma pestiferum.

At vero posita hac distinctione de necessitate absoluta, & conditionata: sive divisa, & composita libertas defenditur humana, & certitudo infallibilis prædicatur divina, ut in processu hujus operis clarius apparebit. Qua ratione antiqui Theologi hanc semper distinctionem venerati sunt, quia videbant ipsam ex sacris literis deduci.

Plurima sunt divinæ scripturæ testimonia, quibus verbum, potest, modò in sensu diviso, modò in composito sumitur. Prioris generis sunt in primis illud. *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto.* Et illud. *Sine me nihil potestis facere.* Et illud. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.* In quibus apertus sensus videtur, non esse sufficientem potentiam ex nobis ipsis sine Dei auxilio ad faciendum, imò nec ad cogitandum opera salutaria, nec ad invocandum nomen Domini sicut oportet. In quo sensu verbum, potest, in sensu diviso sumitur, qui infrà copiosè explicandus erit. An verò, quod sæpius in scriptura traditur non posse hominem divinæ voluntati resistere Hester 13. *Non est qui tuæ possit resistere voluntati.* Genes. ultimo. *Num Dei possumus resistere voluntati?* Paralip. 20. *Nec quisquam tibi potest resistere.* Job. 41. *Quis enim resistere potest vultui meo &c.* In officio Missæ: *Nec est qui tuæ possit resistere voluntati.* An, inquam, in his verbum, potest, compositè sumatur, vel divisè dicendum nunc breviter, quod sensum compositum importet, videlicet non est possibile, sive non est compossibile, quod Deus efficaciter aliquid velit, & ipse homo

homo reſiſtat, ut in quarto libro erit copioſiùs explicandum, & in libro reſponſionum ad collationes notum dedimus reſponſione ad ſecundam collationem principalem, quod infra hoc libro commodiùs explicamus.

Alia etiam ſunt teſtimonia in quibus verbum *poteſt* in ſenſu compoſito accipitur Geneſ. 24. dicunt Laban, & Bathüel. *A Domino egreſſus eſt ſermo, non poſſumus extra placitum ejus quidquam aliud loqui tecum.* Quid clarius? Dominus ita dixit ac decrevit, nec eſt cum eo ſimul compoſſibile nos aliud loqui tecum. Num. 22. ait Balaam. *Non potero immutare verbum Dei.* Id eſt fieri non poteſt ut Deus aliquid efficaciter velit me loqui, & quod ego aliud loquar. Item ibi ab eodem ſic legimus dictum. *Nunquid loqui potero aliud, niſi quod Deus poſuerit in ore meo?* Cujus ſenſus eſt incompoſſibilia iſta duo ſunt ſimul, nec per me convincibilia, & quòd Deus aliquid efficaciter in ore meo ponat, & ego aliud loquar. Et cap. 23. Iterum ſine libertatis oppreſſione aut negatione repetit Balaam. *Nunquid aliud poſſum loqui niſi quod juſſerit Dominus? ad benedictionem miſſus ſum, benedictionem prohibere non valeo.* Id eſt, fieri non poteſt, ut Deus me mittat ad benedictionem, & quod ego non benedicam, ſed maledicam.

His namque teſtimoniis verbum *Poteſt* in ſenſu compoſito ſumitur ſine dubio, nam ſi in ſenſu diviſo explicarentur nec ſtaret veritas ſcripturæ, quia ſignificaretur, quòd Balaam non haberet liberam potentiam ad aliud faciendum quàm Deus vellet, quod dici non poteſt. Oportet ergo dicamus accipi verbum *Poteſt* in ſenſu compoſito, ita ut denotetur non eſſe ſimul compoſſibile, ut Deus vellet Balaam aliquid facere, & quod ipſe non faceret, qui (ut diximus, & abundè explicaturi ſumus) eſt ſenſus compoſitus.

Item Eccleſ. 7. dicitur. *Conſidera opera Dei, quod nemo poteſt corrigere, quem ille deſpexerit.* Quod teſtimonium Sanctus Thomas prim. p. 23. art. 3. ad 3. exponit de impoſſibilitate conditionata, ſeu in ſenſu compoſito; id eſt, fieri non poteſt, ut corrigatur ab homine, qui eſt deſpectus à Deo; In quo ſenſu ibi dicit, quod reprobus non poteſt gratiam adipiſci. Si autem procedat de homine non habente gratiæ auxilium, dicendum quod in ſenſu diviſo nec ipſe ſe poteſt corrigere & ad Deum converti, nec alius illum, quia nec in aliquo potentia eſt, ut hominem niſi gratia adſit corrigat, quod in quarto libro erit abundantius explicandum.

Joan. etiam 12. dicitur. *Non poterant credere, quia iterum dixit Iſaïas, excœcavit oculos eorum.* Ubi verbum *poteſt* in prædicto compoſito ſenſu accipitur, ut ſic intelligatur, fieri non poterat ut crederent, quia Iſaïas prædixerat non credituros, vel clariùs. Incompoſſibile erat, ut crederent, qui per Iſaïam prædicti fuerant non credituri. Nam ſi ſic compoſitè non accipiatur, operet dicere, quòd non poterant credere id eſt quod non habebant potentiam ad credendum: Quod non eſt aſſerendum, quia ſi auxilium ſufficiens ad credendum habebant, (ut illud dari omnibus Doctores cum quibus diſputamus, affirmant) dici nequit, quòd non poterant credere, ad hunc ſenſum quòd potentiam ſufficientem ad id non haberent. Quamvis autem admittatur eos auxilium ſufficiens non habuiſſe, adhuc concedendum non eſt quòd non poterant credere, id eſt quòd potentiam non haberent ad credendum, quia poſſet Deus eis auxilium ſuum dare & illi per ſuam potentiam poſſent illud recipere, & hoc ſufficit ut verificetur quòd potentiam haberent ad credendum.

Sed omiſſo pro nunc hoc ſecundo ſenſu & inſiſtendo in primo, cum hi Authores ponant homines illos habuiſſe auxilium ſufficiens ad credendum, non poſſunt ſalvare hoc teſtimonium in ſenſu diviſo, dicentes quod non poterant credere, id eſt, quod potentiam ſufficientem ad credendum non habebantr. Reſtat ergo ut ſic intelligere & explicare debeant, non poterant credere, id eſt, incompoſſibile erat quod crederent, ſuppoſito quòd Iſaïas prædixerat eos non credituros, qui eſt ſine dubio ſenſus compoſitus, ut clariùs, & efficaciùs infra probaturi ſumus.

Simile eſt aliud Chriſti Domini. *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me Calix iſte.* Et iterum. *Si non poteſt Calix iſte tranſire niſi bibam illum fiat voluntas tua.* Ubi verbum *poteſt* abſquè dubio in ſenſu compoſito, quem, & modo incepimus explicare Chriſtus Dominus ſumit, nam abſolutè potentiam habebat Pater, ut tranſiret Calix à Chriſto hoc enim quis negat? ſed ſuppoſita firma & efficaci Dei voluntate quod Chriſtus moreretur, non poterat ab eo paſſionis Calix tranſire, id eſt incompoſſibile ſimul erat, & Patrem id decreviſſe, & Calicem à Chriſto tranſire.

Hoc etiam apertè confirmat illud Matth. 7. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Cujus ſenſus videtur, quòd hominis voluntas habens charitatem, per quam conſtituitur in ratione arboris bonæ, non poteſt malos fructus facere, id eſt, impoſſibile eſt quòd ſimul habeat charitatem & malos fructus faciat, qui planè eſt ſenſus compoſitus. Nam ſi ſumeretur in ſenſu diviſo, poteſt abſolutè & ſimpliciter voluntas habens charitatem malos fructus facere, quia potentiam ad id abſolutè habet.

Illud etiam Matth. 18 Manifeſtè ſenſum compoſitum, ſeu neceſſitatem conditionatam commendat: *Neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala.* Procul dubio ſi neceſſe eſt ut ſcandala veniant, quæ peccata ſunt: ergo fieri non poteſt ut talia ſcandala, & peccata non veniant, qui eſt ſenſus compoſitus, ut evitentur hæretici quidam, qui ut Sanctus Thomas ſuper illum locum refert, contendebant ex iſto loco deducere eſſe neceſſitatem abſolutam, quòd peccata contingerent. Eundem locum de neceſſitate conditionata, & compoſito ſenſu intelligit 2. 2. q. 43. art. 2. ad primum, ubi inter alias explicationes, quæ ibi videri poterunt hanc primam conſtituit dicens. *Ad primum ergo dicendum, quòd hoc quod dicitur neceſſe eſt ut veniant ſcandala, non eſt intelligendum de neceſſitate abſoluta, ſed de neceſſitate conditionali qua ſcilicet neceſſe eſt præſcita vel prænuntiata à Deo evenire, ſi tamen conjunctum accipiatur, ut in primo libro dictum eſt.* Hæc S. Thomas.

Item hoc ipſum videtur colligi ex illo primæ Joan. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natum eſt.* Cujus ſenſus eſt; qui natus eſt ex Deo non poteſt peccare, id eſt impoſſibile eſt quod ſit natus ex Deo per gratiam, & ſimul peccet contra ipſam (qui etiam eſt ſenſus compoſitus) peccato repugnante gratiæ, nempe mortali. Ità hunc locum explicat Sanctus Pater Auguſtinus tract. 5. in Epiſtola Joann. Sanctus Hieronymus lib. primo adverſus Pelagianos. Licet alius ſenſus poſſit eſſe; quòd videlicet, in quantum homo naſcitur ex Deo per

Digitized by Google

gratiam, nullo modo habeat potentiam ad peccandum, sed aliundè ista potentiâ ad peccandum homini insit, quia scilicet factus est ex nihilo, qui est sensus divisus. Ita exponit Sanctus Pater Augustinus lib. 2. de pecca. merit. & remiss. cap. 7. dicens. *Justos, ut filios Dei non peccare, sed in quantum filij facti sunt ex carnis concupiscentia.* Ubi Sanctus Doctor aliam altiorem hujus loci tradit explicationem, dicens quòd in hac vita, qui per gratiam sunt filij Dei, quia nondum undique renovati sunt in mente & corpore, nec sunt perfectè filij Dei, peccare possunt. Sed in ultima regeneratione, idest, in Patria ubi perfecti sunt filij Dei & ex ipso perfectè nascuntur, tunc verificabitur, quòd omninò peccare non possunt; Et de his, qui nati sunt, sic ex Deo perfecti in Patria, intelligi dictum à Joanne, quod quia sic nati sunt ex Deo non peccant, sed nec peccare possunt.

Præterea Sanctus Augustinus lib. de nat. & gra. cap. 14. aliam explicationem habet, sic dicens. *Et illud quod dictum est non potest peccare pro eo dictum esse, ac si diceretur non debet peccare, non improbanda mihi videtur hac ejus assertio.* Igitur quadrupliciter hoc testimonium Joannis potest intelligi. Primò qui natus est ex Deo, non peccat, sed nec peccare potest, id est peccare non debet. Secundò peccare non potest qui natus est ex Deo perfectè in ultima regeneratione per gratiam consumatam. Tertiò peccare non potest, id est, quatenùs est ex Deo per gratiam etiam in hac vita, non ex hoc habet quòd peccare possit, sed aliunde quia scilicet creatus ex nihilo est. Quartò peccare non potest scilicet mortaliter in sensu composito, id est, impossibile est simul habere gratiam, & mortaliter peccare. Eundem locum explicat de prædestinatis Sanctus Bernardus in sensu composito dicens quod prædestinati non possunt perire commitendo peccatum mortale quo pereant.

Similiter procedit illud Rom. 8. *Qui autem in carne sunt Deo placere non possunt.* Cujus sensus est, impossibile esse quòd sint homines operibus carnis dediti, & simul placeant Deo; Et illud ibidem. *Quoniam sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest.* Id est, impossibile est, quòd sapientia carnis Deo subdatur, qui est sensus compositus; vel etiam potest esse sensus divisus, & absolutus, quòd videlicet sapientia carnis nullam habet ex se potentiam ut subdatur Deo, quia videlicet est contraria legi Dei. Egregium est illud ejusdem Apostoli ad Rom. 8. *Certus sum enim quòd nec mors, nec vita, nec Angeli, neque principatus, neque virtutes &c. Poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Cum enim dicat nullam creaturam posse nos separare à Charitate Dei, etiam liberum ipsum hominis comprehendit arbitrium. Unde in sensu composito loquitur, ac si clariùs diceret, incompossibile est quod prædestinatos (de his enim ibi loquitur?) creatura aliqua separet finaliter à charitate Christi, licet liberum arbitrium prædestinatorum possit se separare si velit, à Charitate Dei, quia liberam ad id potentiam habet, qui est sensus divisus. Si autem ibi loquatur Paulus de se ipso, & de aliis confirmatis in gratia, idem dicendum est ipsum conjunctim & compositè loqui, id est, impossibile esse confirmatos à charitate separari, licet divisè per suum liberum arbitrium potentiam liberam habeant ad se separandum, si velint, sed nunquam volent.

Idem sensus compositus colligitur ex illo *Ps. 75: Tu terribilis es, & quis resistat tibi:* & ex illo *Isa. 47. Non resistet mihi homo:* & ex illo *Rom. 9. Voluntati ejus quis resistit:* & ex illo *Isa. 46. Consilium meum stabit, & voluntas mea fiet.* Et ex illo *Isa. 14. Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare;* Omnes enim istæ loquutiones sensum compositum videntur apertissimè denotare, quòd videlicet non stant, nec stare possunt ista duo, quòd Deus absoluta sua voluntate velit aliquid fieri, & quòd illud non fiat. Item glosa in illud 1. Timoth. 2. *qui vult omnes homines salvos fieri*, inquit, *Rogandus est Deus, ut velit, quod si vult necesse est fieri.*

Sunt alia plurima divinæ scripturæ loca, ex quibus multoties sensus compositus denotatur, omnia enim illa, quæ significant Dei vocationem & attractionem efficacem, cum qua non stat contrarius dissensus humanus, sensum compositum & necessitatem illius apertè declarant; ut illud: *Omnis qui audit à Patre, & didicit venit ad me*, id est, nullus est qui sic audiat & discat, & non veniat, ut exponit S. P. Augustinus.

Concilia etiam sacra, quæ definiunt eum Dei præscientia, providentia, prædestinatione, ac efficaci Dei motione, non stare quod res sic præscita, prævisa, prædestinata, & fortiter ac suaviter mota, non eveniat, optimè tamen stare, quòd possit non evenire; nihil aliud docent, nisi necessitatem hujus distinctionis de necessitate absoluta, & ex suppositione, sive de sensu divisо & composito, & reipsa illam confirmant. Expressis autem verbis Concilium Colonienſe in Enchiridio Christianæ Institutionis, tract. de Sacramento Pœnitentiæ hac distinctione utitur sub nominibus necessitatis absolutæ, & conditionatæ, sive consequentis, & consequentiæ ad conciliandam humanam libertatem cum Dei præscientia.

CAPUT II.

Distinctio prædicta de sensu composito & divisо ex S. Concilio Tridentino & Patribus stabilitur.

EUNDEM compositum sensum tradit Sacrum Tridentinum Concilium sess. 6. de Justificat. can. 22. cum ita definit. *Si quis dixerit Justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse: Anathema sit.* Ubi verbum (posse perseverare) in sensu composito sumit, sicut etiam ex forma, sua prædicta propositio composita est, non divisa, ut Dialectici sciunt: & est sensus, quod non potest esse ut justificatus in accepta justitia perseveret sine speciali Dei auxilio, quæ proinde propositio de fide est, ut in Concilio definitur: nam in sensu divisо utique per gratiam justificantem potest homo perseverare, id est sufficientem potentiam habet, qua perseverare potest, ut Sanctus Pater Augustinus docuit lib. de correct. & gratia cap. 12. dicens. *Quod homo in primo statu accepit donum per quod perseverare posset, non autem accepit, ut perseveraret.* Ergo concedit Augustinus posse hominem perseverare in illo statu sine speciali auxilio perseverantiæ, quia potentiam ad id sufficientem habebat per gratiam, in quo sensu divisо Augustinus loquitur, sicut Concilium in sensu composito. Similiter S. Thom. 1.2. quæst. 109. art. 10. ad 3. inquit. *Nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt, & donum gratiæ, quo perseverare possunt, & ulterius eis datur quod perseverent.* Ergo antè donum speciale perseverantiæ quo de facto homines nunc perseverant

Digitized by Google

ſeverant concedit S. Thomas, quod per gratiam habitualem poſſunt nunc homines perſeverare licet non ità facilè. ſicut poterat homo in ſtatu Innocentiæ. Ubi S. Thomas loquitur in ſenſu diviſo, ſicut S. Auguſtinus ut explicatum eſt: Concilium autem negans hominem poſſe perſeverare ſine auxilio ſpeciali manifeſtè procedit in ſenſu compoſito, & ad hoc ſignificandum propoſuit propoſitionem, quæ habet formam propoſitionis compoſitæ.

Sancti etiam Patres hanc eandem diſtinctionem ſub nomine neceſſitatis abſolutæ, & conditionatæ apertè docent, agentes de divina præſcientia & futurorum contingentia atque libertate, de divina providentia, atque prædeſtinatione: quorum plurima poſſent adduci teſtimonia, ſed ad præſens pauca ſufficiant. S.P.Auguſt. libro de prædeſt. Dei vel quicumque ſit illius libri author, cujus libri ſententia refertur in cap. *Vaſis* 23. quæſt. 4. expreſsè diſtinguit duplicem neceſſitatem; alteram abſolutam, & libertati repugnantem; alteram verò conditionatam, ſive ex ſuppoſitione optimè cum libertate cohærentem, quod etiam gloſa ad prædictum caput *Vaſis* expreſsè habet. Iſte tractatus de prædeſt. Dei non eſt S.P.Auguſtini, ſed ſuſpecti authoris cujuſdam, ut alibi oſtendam infra lib. 2. Cæterùm in hac admittenda diſtinctione non erravit. Unde, & pro hoc adduci poteſt, potiſſimè cum in dicto cap. *Vaſis* approbetur, & communiter teneatur. Quam etiam diſtinctionem admittit ibi Gratianus, & Gloſa ſupra citata ſuper illud 1. ad Timoth. 2. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*, quæ gloſa deſumpta eſt ex eodem D. Auguſtino in Enchirid. cap. 103. Ubi ait: *Rogandus eſt Deus, ut velit, quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit.* Quem locum ſic explicat S. Thomas 1.p. quæſt. 19. art. 8. ad primum dicens. *Ad primum ergo dicendum quod per illud verbum Auguſtini intelligenda eſt neceſſitas in rebus volitis à Deo, non abſoluta, ſed conditionalis; neceſſe eſt enim hanc conditionalem veram eſſe, ſi Deus hoc vult neceſſe eſt hoc eſſe.* Quod S. P. Auguſtini teſtimonium cum adjuncta S. Thomæ explicatione: licet dum ſupra ageremus de ſententia S. Anſelmi, inductum à nobis ſit: non ſine cauſa iterum hîc inducitur: cum ex profeſſo de hac materia tractamus.

Idem dicit apertiùs S.P.Auguſtinus libro 5. de Civit cap. 10. Ubi contra Ciceronem, & ſequaces expreſsè dicit neceſſitatem conditionatam nullo modo lædere libertatem, quod, & ibi efficaciſſimè multis rationibus probat, licet fateatur neceſſitatem abſolutum non ſubdi libertati. Item in Pſalm. 106. in illa verba. *Et errare eos fecit in invio & non in via*, ait, *Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis, ſi enim ex nobis fuiſſent, per manſiſſent utique nobiſcum, ſed ſi fortè noſtri ſunt in occulta præſcientia Dei, neceſſe eſt ut redeant.* Ubi manifeſtè de neceſſitate conditionata, quæ optimè ſtat cum libertate, ſermo eſt. Videatur libro 3. de lib. arbit. Ubi copioſiſſimè de hoc diſputat, ſed potiſſimè libro de Correct. & gra. cap. 8. & in cap. 9. eandem neceſſitatem in ſenſu compoſito docuit dicens quod *prædeſtinati jam filij Dei ſunt, & omnino perire non poſſunt*, id eſt, impoſſibile eſt ipſos perire, qui eſt ſenſus compoſitus, nam in ſenſu diviſo potentiam habent, ut pereant, quod nullus negabit. Et eodem libro de Correct. & gra. cap. 12. inquit. *Nam ſi in tanta infirmitate vita hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent.* Quod accipit in ſenſu compoſito, id eſt fieri non poteſt, ut ſine auxilio efficaci perſeverantiæ perſeverent: nam per gratiam juſtificantem potentiam habent ad perſeverandum.

Inſuper idem S. P. Auguſtinus tract. 26. in Joan. in explicatione illius. *Et erunt omnes homines docibiles Dei*, inquit. *Quare hoc dixit ô Iudai Pater vos non docuit, quomodò me poteſtis agnoſcere?* Ubi etiam ſumit verbum (poteſt) in ſenſu compoſito, id eſt incompoſſibile eſt, quod vos non docuerit, & me cognoſcatis, nam in ſenſu diviſo captum verbum (*poteſt*) dicendum potiùs eſſet quòd Chriſtum poterant cognoſcere; quia per auxilium ſufficiens ſufficientem ad id potentiam habebant. Quia tamen efficax non habuerunt in hoc ſenſu dicit, quòd non poterant Chriſtum agnoſcere non docente eos Patre quia incompoſſibile erat iſta duo ſimul conjungere, & quod Pater eos non doceret, & quod ipſi Chriſtum agnoſcerent. Quod vero ibi per verbum docere, non intelligat puram internam doctrinam: ſed illam vocationem altam & ſecretam, qua Deus efficaciter ad ſe corda convertit: ex toto Proceſſu literæ redditur magis apertum, quàm ut nos id modo expendamus.

Eundem compoſitum ſenſum accipit in ſerm. 17. de nativitate, dicens de Iſaac. *Apprehendi meruit, vinciri meruit, non tamen aliquid mundo contuliſſet, ſi potuiſſet occidi.* Igitur ut mundo aliquid conferret, non poterat occidi Iſaac ſecundum apertam S. Patris Auguſtini ſententiam in qua manifeſtè ſumit verbum (*poteſt*) in ſenſu compoſito, ac ſi diceret impoſſibile erat eum occidi ſuppoſita Dei determinatione, qui decreverat eum non occidi, ſed vivum mundo aliquid magnum conferre. Nam in ſenſu diviſo quis dicat S. Auguſt. negaſſe Iſaac abſolutè & ſimpliciter occidi non potuiſſe.

Item idem Sanctus Doctor lib. 3. contra Creſconium Grammaticum cap. 33. ait. *In his Cypriani verbis non intelligimus lucem non capere diviſionem niſi Sanctis in Regno Dei prædeſtinatis, qui dividi ab Eccleſia nullo modo poſſunt.* Notanda ſunt verba, nullo modo prædeſtinati dividi ab Eccleſia poſſunt, quòd tamen in ſenſu compoſito eſſe dictum etiam appoſita illa tam magna negatione dubitare quis poteſt?

Sanctus etiam Hieronymus ſuper Pſalm. 32. Explicans illud. *Reprobat autem cogitationes Populorum*, ait: *hoc eſt Iudæorum conſilia, quæ non potuerunt illa facere, niſi quantùm à Deo præfinitum fuit.* Ubi ſumit verbum (*poteſt*) in ſenſu compoſito, id eſt fieri non potuit, ut aliud facerent, quam à Deo præfinitum erat. In eodem compoſito ſenſu intelligit primo libro adverſus Pelagianos illud 1. Joann. 3. *Qui natus eſt ex Deo non peccat quamdiu ſemen Dei manet in eo, & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt.* Nam poſtquam illa priora verba expoſuit, quæ clara ſunt. Qui natus eſt ex Deo non peccat, quamdiu ſemen Dei manet in eo, ad illa poſteriora veniens, inquit cum Pelagio loquens: *Quod ſi oppoſueris, quare dixerit & non poteſt peccare quia ex Deo natus eſt: audias, & ubi erit præmium voluntatis? Si enim ideo non peccat, quia peccare non poteſt liberum tollitur arbitrium, & nequaquam noſtrum fiet?* Quæ ſolutio, & reſponſio Sancti Doctoris prima fronte difficilis apparet, quis enim dicat ipſum aſſerere ex illis verbis Apoſtoli Joannis, ſed nec peccare poteſt, negare hominis libertatem, & hoc pro reſponſione dediſſe? Cum ergo hoc impoſſibile ſit tanto Doctori tribuere, neceſſe eſt dicamus eum ſenſiſſe negari hominis libertatem, ſi homo ex Deo natus non poteſt peccare in diviſo ſenſu, nempe ſi in illo negatur potentia libera, ad peccandum. Et hoc tantùm ibi dixiſſe, unde ne negetur hominis libertas, & ut

Digitized by Google

ſaluetur dictum Apoſtoli, quod qui ex Deo eſt peccare non poteſt, neceſſe eſt dicamus S.Hieronymum intellexiſſe illud in ſenſu compoſito fuiſſe prolatum in hoc videlicet, fieri non poteſt ut ſimul ſit à Deo per gratiam, & ſimul peccet.

Similiter Chryſoſtomus homil. 33. in Matth. inquit. *Quando Iudæi Chriſtum voluerunt occidere, tangere eum non potuerunt, quando autem ipſe ſecutus eſt mortem, parcere ei non potuerunt.* Contra quem non dubium quin inſurgant modo Recentiores dicentes eum per hæc verba libertatem à Judæis abſtuliſſe, quia dicit, quòd nec tangere potuerunt; ſed in ſenſu compoſito jam explicato Chryſoſtomus loquitur, id eſt, fieri non potuit ut ſimul iſta duo componerentur, & quod Chriſtus mortem ſequeretur & ei Judæi parcerent, licet ſua libera voluntate ſicut perfidè occiderunt, ita eâdem ei parcere potuerunt, quia liberam habebant potentiam ad ei parcendum, & à tanto peccato abſtinendum.

Parique ratione Gregorius hom. 18. ſup. Evang. cum ait, *audire verba ejus non poteſt*, ſcilicet Dei, *quiſquis ex Deo non eſt.* Verbum (*poteſt*) in ſenſu compoſito uſurpat, ut ſit ſenſus, fieri nequit, ut verba Dei in corde audiat, quiſquis ex Deo non eſt. Et in expoſitione Pſalm. 101. ad illud verbum: *quia cinerem tanquam panem manducabam*, ait. *Et cum juxta Apoſtoli ſententiam, nec volentis nec currentis, ſed miſerentis ſit Dei, alios qui corruerant, miſericordia erexit, alios qui ſtare videbantur, cadere juſtè permiſit. Ex peccato namque priori Parentis accepimus, ut nec in ipſa juſtitia ſtabiles eſſe poſſimus.* Quod ſimili modo in ſenſu compoſito uſurpatur, id eſt fieri non poteſt, ut in juſtitia ſtabiles ſimus, niſi videlicet potiori auxilio ſublevemur. Nam in ſenſu diviſo juſtus per juſtificantem gratiam potentiam habet ad ſtandum in illa. Item homil. 9. in Ezech. ſuper illa verba Matth. 24. *Dabunt ſigna magna, & prodigia ita ut in errorem inducantur ſi fieri poteſt, etiam electi*, ait: *Cur hoc ſub dubitatione dicitur, cum quid futurum ſit à Domino præſciatur? Unum verò è duobus eſt; quia ſi electi ſunt, fieri non poteſt, ſi autem fieri poteſt, electi non ſunt.* Ubi apertiſſimè ſumit verbum (*poteſt*) in compoſito ſenſu, ſicut dicitur, quòd fieri non poteſt quod prædeſtinatus pereat.

Item lib. 16. Moralium cap. 17. explicans illud Job & nemo poterit avertere cogitationem ejus, inquit. *Cogitationem ejus nullus avertit, quia nemo reſiſtere occultis ejus judiciis prævalet. Nam etſi fuerunt quidam qui deprecationibus ſuis ejus cogitationem avertiſſe videantur, ita fuit ejus interna cogitatio ut ſententiam illius avertere deprecando potuiſſet, & ab eo acciperent quid agerent apud ipſum. Dicat ergo, & nemo avertere poterit cogitationem ejus, quia ſemel fixa judicia mutari nequaquam poſſunt.* Quibus verbis, potiſſimè in iſtis ultimis, verbum *poſſunt* ſumi in ſenſu compoſito quis non videat? quaſi dicat fieri non poteſt ut fixa ſemel judicia mutentur.

In actis etiam Martyrij S. Luciæ ſic dicitur illa reſpondiſſe tyranno dicenti, ceſſabunt verba cum ventum fuerit ad verbera. Ancilla inquit. Chriſti ſum, qui dixit, quòd Spiritus Sanctus loquitur in nobis, & ideo verba Dei ceſſare non poſſunt. Quomodo, ô Lucia Sancta dicis, quòd quia in te Spiritus Sanctus loquitur, non poterunt verba ceſſare, arguet enim te quòd per hoc libertatem à te auferas, vel illam in te eſſe diffitearis, ſi non poſſunt ceſſare verba tua? Sed ſicut communis, ita & planus eſt ſenſus explicans efficaciam Spiritus Sancti moventis linguam, quòd fieri non poteſt, ut Spiritus Sanctus linguam moveat, & verba ceſſent.

Adeſt & Bernardus, qui verbum *poteſt* in hoc eodem ſenſu compoſito ſumit ſerm. 84. Super Cant. ita dicens. *Hinc zelus hinc ardor iſte quærendi quem diligit Anima, quia profecto, nec non quæſita quærere poteras, nec non quærere quæſita non poteras.* Ecce ait quòd quæſita Anima non poterat non quærere, quòd ſine dubio in ſenſu ſumit compoſito, id eſt fieri non poterat, vt Anima à Deo quæſita ipſum non quærat. Ad quod minus attendentes iſti Authores, cum quibus diſputatio eſt, nec ſit intelligentes, Sanctis Eccleſiæ Doctoribus reipſa opponunt quòd libertatem inficientur arbitrij, quia dicunt quòd anima efficaciter à Deo quæſita non poteſt non quærere. Item in ſerm. 1. de ſeptuageſima explicans illud 1. Joan. 3. *Non poteſt peccare quoniam ex Deo eſt*, id intelligit de prædeſtinatis dictum fuiſſe ſic enim ait: *Omnis qui natus eſt ex Deo non peccat, id eſt, non permanet in peccato, quia conſervat illum quæ falli non poteſt generatio Cœleſtis.* Quæ ultima verba licet poſſint accipi diviſè à Doctore tamen Sancto magis dicta videntur compoſitè.

Sanctus Proſper lib. 2. de vocat. gent. cap. 16. ita ait. *Quamvis quod ſtatuit Deus nulla poſſit ratione non fieri, ſtudia tamen non tolluntur orandi:* Ubi ſine dubio in ſenſu compoſito loquitur, videlicet fieri nequit, ut aliquid Deus faciendum ſtatuat, & ipſum non fiat, nam in ſenſu diviſo falſa ejus ſententia eſſet.

Sanctus etiam Fulgentius tract. ſeu libro de fide ad Petrum (illius eſt enim liber hic & non S.Auguſt. ut alibi commodiùs explicandum) cap. 35. ita habet. *Firmiter tene, & nullatenus dubites, omnes quos vaſa miſericordiæ gratuita bonitate Deus fecit ante conſtitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædeſtinatos à Deo, neque perire poſſe aliquem eorum quos Deus præſtinavit ad Regnum Cœlorum nec quemquam eorum quos non prædeſtinavit ad vitam ulla poſſe ratione ſaluari.* Quod ſicut firmiter tenendum proponitur à Fulgentio, & nullatenus dubitandum, ita firmiter tenendum traditur verbum *poſſe* vel *non poſſe* in prædicta Regula poſitum in ſenſu compoſito ſumi, nam in ſenſu diviſo propoſitio eſſet erronea, tantùm abeſt quòd firmiter id eſſet affirmandum. Item cap. 32. *Firmiſſimè tenendum divinis mandatis obedire neminem poſſe, niſi quem Deus gratia ſua præ-venerit, ut quod audit corpore, corde etiam perficiat, & accepta divinitus bona voluntate atque virtute mandata Dei facere, & velit, & poſſit. Neque enim, qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus qui etiam operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Ubi ſermo eſt & de auxilio ſufficienti & etiam efficaci, ut verba ſuadent, & ſicut intellecta de auxilio ſufficienti procedunt in ſenſu diviſo, quia ſine illo nec ſufficientem potentiam habet homo ad credendum: Ita comparata cum ſolo efficaci, intelliguntur in ſenſu compoſito, quia fieri nequit, ut homo credat, & auxilium efficax non habeat. Et ſic ſumpſit Fulgentius verbum *poteſt* & diviſè & compoſitè reſpectu diverſorum auxiliorum, ut dictum eſt.

Idem docet S. Anſelmus lib. de concord. prædeſt. & liber. arbitr. cap. 2. paulò poſt principium dicens: *Quando Deus vult effectum ſequi voluntatem, tunc neceſſe eſt voluntatem eſſe liberam, & eſſe quod vult.* En quomodo ex decreto antecedenti divinæ voluntatis inferatur in actibus liberis neceſſitas ex ſuppoſitione ſaluans eorum libertatem. Idem habet libro 2. cur Deus homo; quæ teſtimonia ſuperius inducta ſunt. Ubi mens S. Anſelmi aperta eſt circa materiam iſtam, & quæ in contrarium ex ipſo opponi ſolent, clariùs ſoluta.

Ad hæc Magnus ille Leo I. in ſermone de Paſſio-

ne

Digitized by Google

ne paſſim hac phraſi loquendi utitur, ut verbum *(poſſit)* in prædicto ſenſu compoſito accipiat. In ſermone enim primo ait. *Vinculis tenebamur aſtricti, ut niſi per hanc opem non poſſemus abſolvi.* Cujus ſenſus eſt, ſuppoſito quod Deus decreverat, nonniſi per Chriſti mortem Mundum abſolvere, impoſſibile ſimul erat, ut illud decretum ſtaret, & nos aliter ſalvaremur. Et rurſum in eodem ſermone in eodem ſenſu ſubdit. *Et quis hominum poſſet ſalvari, ſi ille non ſe ſineret comprehendi?* Et in ſerm. 7. *Nec ulla* (inquit) *poterat ratione turbari, quod ante æterna ſæcula, & miſericorditer erat diſpoſitum, & incommutabiliter præfinitum.* Et rurſus *Si non poteſt*, inquit, *Calix iſte tranſire niſi bibam illum*, quod in ſenſu compoſito ſupra explicato refert. Item idem Leo ſerm. 7. de Epiphania. *Quia niſi*, ait, *in unum tanta diverſitas conveniret, reconciliari Deo humana natura non poſſet.* Quod in ſenſu compoſito eſſe dictum nullus ignorat, quia in ſenſu diviſo & abſolutè potuit Deus aliter humanum genus ſalvare, & hanc potentiam non amiſit per hoc quòd decrevit nonniſi per Chriſtum illud redimere. Cæterùm hoc ſuppoſito firmo ſtabilique decreto incompoſſibile erat aliter homines ſalvari, & hoc explicat Pontifex Sanctus per verba; *Aliter reconciliari non poterat humana natura*, &c. Item Epiſtola 95. ad Leonem Auguſtum, ait. *Nam quia captivitatis noſtræ reſolvi originalia vincula non poterant, niſi exiſteret homo noſtri generis, noſtræque naturæ, quem peccati præjudicia non tenerent, & qui immaculato ſanguine ſuo Chyrographum lethale dilueret, ſicut ab initio erat divinitùs præordinatum, ita eſt in plenitudine præfiniti temporis factum.* Ubi ſicut his poſterioribus verbis prædefinitiones ſupra explicatas manifeſtè tradit, ita in prioribus verbum, *poteſt*, in ſenſu compoſito jam explicato manifeſtè uſurpat. Et iterum ibi in eodem compoſito ſenſu ait. *Niſi verbum dignaretur caro fieri nulla poſſet caro ſalvari.*

Cæleſtinus etiam primus Epiſt. decret. ad Preſbyteros, & Diaconos, & Plebem Conſtantinopolitanã, ait. *Quamvis nec conteri poſſit, Domino mens dicata, nec illidi, qui ſtat virtute Cæleſti.* Ubi verbum *poteſt* ſumit in ſenſu compoſito, id eſt fieri non poteſt ut quis ſtet virtute divina & ſimul illidatur, nam in ſenſu diviſo falſa eſſet propoſitio, quia potentiam habet ut illidatur etiam qui ſtat virtute divina.

Innumera ſunt alia Sanctorum Patrum teſtimonia, quibus verbum *poteſt* uſurpatur ab eis in prædicto ſenſu compoſito, quæ hic referri breviter nequeunt, cum potiſſimè allata ſufficiant; & quæ ſi in ſenſu diviſo intelligantur, falſas omnino ſententias efficient.

CAPUT III.

Ex S. Thoma & Scholaſticis eadem diſtinctio aperitur.

SANCTUS autem Thomas perpetuus eſt in defendenda, fundanda, & explicanda hac neceſſaria diſtinctione de neceſſitate abſoluta, & conditionata, ſive in ſenſu diviſo, & compoſito. In primis illam expreſsè docet in primo diſt. 38. & 39. & in 4. diſt. 47. & quodlib. 12. q. 3. art. 3. Quorum verba hic non tranſcribimus, ſed ibi videnda relinquimus. In primo etiam ſent. diſt. 47. q. 1. art. 1. in ſecundo argumento illud adhibet argumentum quo aliqui convincuntur: omnis cauſæ cujus effectus impediri non poteſt eſt neceſſarius; ſi ergo voluntas divina adeo eſt efficax, quòd impediri non poſſit effectus ejus erit neceſſarius: ſed omnium cauſa eſt voluntas divina, ut ſupra habitum eſt: ergo omnia ex neceſſitate contingunt, quod eſt impoſſibile. Cui argumento ita reſpondet. *Ad ſecundum dicendum, quod quamvis voluntas Dei ſit immutabilis, & invincibilis, non tamen ſequitur quod omnis effectus ejus ſit neceſſarius neceſſitate abſoluta, quam habet res à cauſa ſua proxima: ſed ſolùm neceſſitate conditionata, ſicut de præſcientia dictum eſt.* Item q. 6. de verit. art. 4. ad 8. ait. *Quamvis de quolibet abſolutè concedi poſſit, quòd Deus poteſt eum prædeſtinare, vel è converſò, & ideo dicitur communiter, quod hæc, Deus poteſt non prædeſtinatum prædeſtinare, vel prædeſtinatum non prædeſtinare, in ſenſu compoſito eſt falſa, in diviſo vera, & ideo omnes diviſiones, quæ ſenſum compoſitum important ſunt falſæ ſimpliciter. Vnde non eſt concedendum quod numero prædeſtinatorum poſſit fieri additio vel ſubſtractio, quia additio præſupponit, id cui fit additio, & ſubſtractio, illud à quo ſubtrahitur.* Idem dicit q. 1. de potentia art. 5. qui omninò videndus eſt. Sic enim habet. *Ad primum dicendum quod hæc loquutio, Deus non poteſt facere niſi quod præſcit ſe facturum, eſt duplex, quia exceptio poteſt referri ad potentiam, quæ importatur per ly, poteſt, vel ad actum, qui importatur per ly, facere, ſi primo modo, tunc loquutio eſt falſa, plura enim poteſt facere quàm præſciat ſe facturum; ſi autem ſecundo modo, ſic loquutio eſt vera, & eſt ſenſus quod non poteſt eſſe, quod aliquid fiat à Deo, & non ſit à Deo præſcitum.* Et q. 6. de potentia art. unico ad tertium: & q. 23. art. 4. ad 15. & eadem q. art. 8. ad tertium Item. 1. contra gent. cap. 67. in 1. p. quæſt. 14. art. 13. ad tertium exprimit neceſſitatem ſenſus diviſi, & compoſiti. Et q. 19. art. 3. in corpore diſtinguit duplex neceſſarium, ſcilicet neceſſarium abſolutè, & neceſſarium ex ſuppoſitione. Idem docet eadem quæſt. art. 7. ad 4. & quæſt. 23. art. 3. & art. 6. ad 2. & 3. Item 1. 2. quæſt. 10. art. 4. ad 3. ſic dicit. *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni, quod voluntas ad illud non moveatur, non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter.* Idem dicit quæſt. 112. art. 3 in corpore & 2. 2. quæſt. 24. art. 11. in corpore, & in multis aliis locis, quæ longum eſſet recenſere. In illo autem loco ex 1. 2. modò citato ita habet. *Alio modo poteſt conſiderari* (præparatio ſcilicet) *ſecundùm quod eſt à Deo movente, & tunc habet neceſſitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis ſed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non poteſt.*

In illo autem alio ex 2. 2. quæſt. 24. art. 11. ſic habet: *Tripliciter ergo poſſumus conſiderare charitatem. Vno modo ex parte Spiritus Sancti moventis Animam ad diligendum Deum. Et ex hac parte charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit. Vnde impoſſibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera, quod Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quod ipſe charitatem amittat peccando, nam donum perſeverantiæ computatur inter beneficia Dei quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur.* Idem docet primo contra gent. cap. 85. illis verbis. Si unumquodque à Deo cognoſcitur, &c.

Eundem compoſitum ſenſum clariùs exponit quæſt. 23. de verit. art. 5. ad 3. dicens. *Ad tertium dicendum quòd quamvis non eſſe effectus divinæ voluntatis non poſſit ſimul ſtare cum divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum ſimul ſtat cum divina voluntate, non enim ſunt iſta incompoſſibilia, Deus vult iſtum ſaluari, & iſte poteſt damnari, ſed iſta ſunt incompoſſibilia, Deus vult iſtum ſaluari & iſte damnatur.* Ubi veram intelligentiam ſenſus compoſiti & diviſi tradit, quam infrà commodiùs explicabimus.

Et

Digitized by Google

Et eadem quæſt. 23. artic. 4. ad 15. in fine inquit, quod propter efficaciam divinæ voluntatis de neceſſitate ſequitur ſi Deus vult aliquid voluntate beneplaciti, quod illud fiat. Item opuſc. 1. cap. 16. Athanaſium introducit ſic loquentem. *Impoſſibile erat ſecundum prædeterminationem divinæ rationis ut Eccleſia Domini inviſibilem formam & incorpoream immediatè nudam, &c.* Inſignis eſt etiam locus ille ex opuſc. 1. cap. 26. Supra relato in tractatu 3. part. 2. de divinis prædefinitionibus ubi & Sanctus Athanaſius quem exponit & ipſe S. Thomas apertius ſenſum compoſitum tradit qui & ibi videndus eſt : & nunc alium inſigniorem adhibemus ex opuſculo 39. cap. 5. ubi agens de fallacia compoſitionis, & diviſionis ſic dicit. *Quando enim oratio in ſenſu compoſito eſt falſa, tunc eſt fallacia ſecundum compoſitionem.* Et paulò infra, exemplificans quomodo committitur hæc fallacia circa ſenſum diviſum, & compoſitum, inquit. *Et formatur ſic Paralogiſmus. Quemcumque poſſibile eſt eſſe album, poſſibile eſt quod quod ipſe ſit albus; ſed nigrum poſſibile eſt eſſe album, ergo poſſibile eſt, quod niger ſit albus. Non valet, quia illud dictum, nigrum eſſe album poteſt ſupponere ei quod dicitur poſſibile, vel ratione ſubjecti; Et tunc poſſibilitas attribuitur ſubjecto dicti, & eſt modalis de re, & tunc eſt diviſa, & vera. Eſt enim ſenſus quod ille qui eſt niger potentiam habet, quod ſit albus; vel poteſt idem ſupponere in ratione totius dicti, & ſic eſt modalis de dicto, & eſt compoſita & falſa, & eſt ſenſus quod hoc dictum, album eſſe nigrum eſt poſſibile unde eſt fallacia compoſitionis. Et poteſt etiam formari ſic paralogiſmus, quodcumque eſſe nigrum eſt impoſſibile, ipſum non poteſt eſſe nigrum, ſed album eſſe nigrum eſt impoſſibile, igitur album non poteſt eſſe nigrum. Non valet quia minor eſt duplex ſicut ſupra dictum eſt. Et in ſenſu compoſito eſt vera & in diviſo eſt falſa. Unde eſt fallacia diviſionis. Hæc Sanctus Thomas,* Eundem compoſitum ſenſum communiter Catholici accipiunt, cum confitentur Papam in definiendis rebus fidei, non poſſe errare, quæ propoſitio ſicut catholicam continet veritatem; in illa, verbum *poteſt* in compoſito ſenſu capitur in hoc videlicet: non eſt compoſſibile, & quod Papa res fidei definiat, & erret, ſive fieri non poteſt Papam definire res fidei, & errare. Nam diviſè potentiam liberam habet ad errandum, quod nullus negavit.

Sanctus Bonaventura in 1. ſentent. diſt. 47. in articulo integro relato à Trigoſo 1. p. quæſt. 15. art. 1. poſtquam docuit voluntatem Dei abſolutam non caſſari, ſed ſemper impleri : ita ait : *Sed attendendum quod eſt neceſſitas conſequentiæ, & conſequentis, ſicut ſupradictum eſt de præſcientia : ipſa enim non habet neceſſitatem conſequentis, ſed conſequentiæ; quia neceſſario infertur, & ſequitur : Deus præſcit hoc, ergo hoc erit. Sed tamen non neceſſario præſcit, quia in actu præſciendi frequenter notatur effectus contingens. Sic in voluntate intelligendum eſt, quod voluntas Dei abſoluta connotat eventum rei, & ideo eſt ibi neceſſitas conſequentiæ, ſed non conſequentis, quia non mutat eventum rei, imò vult Deus quod eveniat conſequens contingens. Vnde ſicut præſcientia quia neceſſariò infert effectum, non poteſt falli : Sic voluntas abſoluta, quia neceſſariò infert non poteſt impediri, imò eam neceſſariò eſt impleri.* Et poſt pauca ſic ait. *Vnde benè ſequitur, vult iſtum ſaluari voluntate abſoluta : ergo iſte ſaluabitur.* Quam doctrinam confirmat ſolutione ad ſecundum argumentum.

Accedunt ultimo Scholaſtici, qui hanc perpetuò receperunt neceſſariam diſtinctionem, Magiſter in 1. diſtinct. 38. quæſt. 1. Tale proponit argumentum. *Aut aliter poteſt fieri res, quam Deus præſcivit, an non aliter; ſi non aliter, ergo neceſſariò cuncta eveniunt, ſi aliter, ergo præſcientia Dei falli vel limitari poteſt.* Cui ſic reſpondet. *Ad hoc dicimus illam locutionem, nempe aliter poteſt fieri quàm Deus præſcivit, multiplicem facere intelligentiam, poſſunt enim hæc conjunctim intelligi, & disjunctim. Si enim intelligas, non poteſt aliter fieri quam Deus præſcivit, id eſt, non poteſt utrumque ſimul eſſe, videlicet, quod Deus ita præſciverit fieri, & aliter fiat, verum intelligis; ſi autem per disjunctionem intelligas, & dicas hoc aliter non poſſe evenire quam venit, & quomodo Deus præſcivit falſum eſt.* Item in eodem 1. diſt. 40. quæſt. 1. & 2. agens de divina prædeſtinatione eandem omnino de ſenſu compoſito, & diviſo diſtinctionem adhibet, dicens *quod conjunctim, id eſt, in ſenſu conjuncto, & compoſito, non ſunt hæc duo, quod prædeſtinatus quis ſit, & damnetur; diviſim vero, id eſt, in ſenſu diviſo prædeſtinatus poteſt damnari, quia potentiam habet ut damnetur.* Hæc Magiſter. Quid clariùs potuit aſſerere pro neceſſaria hac diſtinctione tuenda ac defendenda ? Idem habet in 1. diſtinct. 47. in principio.

Eandem diſtinctionem communiter admittunt Scholaſtici in utroque loco citato. Durandus in 1. diſtinct. 46. quæſt. 1. Ubi eam ſatis benè explicat, & neceſſitatem illius oſtendit. Magnus Albertus in 1. diſtinct. 38. art. 4. & 1. part. ſuæ ſummæ quæſt. 61. membro 5. ubi aſſerit prædictam diſtinctionem haberi apud Boëtium ſub voce ordinis, & apud Anſelmum ſub voce poſitionis. Similiter Scotus in eodem 1. diſtinct. 39. quæſt. unica Alenſis 1. part. quæſt. 24. membr. 4. & 5. Ægid. Colum. Cardin. in eodem 1. diſtinct. 38. quæſt. 2. ad ſecundum eandem diſtinctionem a Magiſtro traditam defendit, allegans pro illa Boëtium, & Anſelmum. Hugo de Sancto Victore quæſt. 218. ſuper Epiſt. ad Rom. eandem defendit ſub nominibus disjunctim & conjunctim, ſicut Magiſter. Conſentiunt Gabriel, Gregorius in eodem primo & alij multi, ſed præcipuè Sanctus Bonaventura in eodem 1. diſtinct. 47. art. 1. ut diximus & habetur apud Petrum Trigoſum 1. part. quæſt. 15. art. 1. dub. 1. concluſ. 2. pag. 459. Idem docet latius dub. 3. notab. 1. ſolut. ad ſecundum. Hanc neceſſariam diſtinctionem uno ore defendunt omnes Sancti Thomæ diſcipuli Cajet. 1. p. quæſt. 23. art. 4. ſolutione ad primum. Conrad. 1. 2. quæſt. 10. art. 4. ſuper ſolutionem ad 3. S. Thomæ, & quæſt. 112. art. 3. Ferrar. 1. contra gent. cap. 85. verſ. *Ad evidentiam.* Hanc diſtinctionem explicat optimè Capreolus in 1. diſtinct. 40. quæſt. 1. ferè per totam, ſed potiſſimè ad argumenta contra quartam concluſionem. Vide Recentiorss omnes Thomiſtas ſuper primam partem locis nunc ex Sancto Thoma citatis, potiſſimè Dominicum Bannez 1. par. quæſt. 19. art. 8. Zumel ibi diſput. 2. concluſ. 2. Medina 12. quæſt. 10. art. 4. Magiſtrum Soto libro de natura, & gratia, cap. 16. Petrum Trigoſum Capucinum in Comment. ſuper ſummam Theologiæ Sancti Bonaventuræ 1. part. quæſt 15. artic. 2. dubio 1. concluſ. 1. Joann. Vincentium relectione de gratia Chriſti quæſt. 5. art. 3. concluſ. 3. Henricum Henriquez lib. ultim. de fine homine cap. 6. num. 1. ubi dicit, & probat, quod ſtante præmotione efficaci implicat in ſenſu compoſito, quod liberum arbitrium non convertatur, & nihilominus liberè convertitur, & hanc dicit eſſe ſententiam Sancti Thomæ. Videatur etiam Joannes Driedo de concord. lib. arbitr. fol. 39. aliàs 37. verſ. *Confert*, ubi dicit. Confert autem huic materiæ intellecta diſtinctio dialectica de neceſſitate conſequentis, & conſequentiæ, multæ enim ſunt conſequentiæ neceſſariæ, quarum conſequens eſt contingens. Sed hæreticus ne hac diſtinctione vinceretur, & concluderetur, victus libidine

Digitized by Google

dine contradicendi ſingulis,& univerſis Eccleſiæ Doctoribus, niſus eſt deſtruere omnem Dialecticæ artis vigorem,refellens maximè eam doctrinam quæ de diverſitate inter neceſſitatem conſequentiæ, & conſequentis tractat, quam tamen ex Scripturis Sacris ſemper ab initio intellexerunt Eccleſiæ Patres Chryſoſtomus, Anſelmus, Auguſtinus, &c. Quam etiam diſtinctionem apertè docuit Philoſophus lib. 1. de Interpret. cap. 8. dum ait, Res dum eſt, neceſſe eſt eſſe, non tamen eſt neceſſe ſimpliciter. Ubi utramque neceſſitatem planè docet, & 2. phyſic. text. 87. cum ait. Nunc conſiderandum eſt, utrum neceſſarium ipſum ex ſuppoſitione, ac ſimpliciter ſit in ipſis rebus naturalibus, & alibi ſæpè in metaphyſica hanc neceſſariam diſtinctionem tenet, & docet.

CAPUT IV.

Quomodo Recentiores admittant diſtinctionem de ſenſu diviſo, & compoſito.

CELEBRIS iſta diſtinctio magnam his temporibus patitur contradictionem. Nam Recentiores illam omnino negant in ſenſu, in quo ſemper à Doctoribus fuit recepta; licet in alio valde diverſo illam admittant.

Conveniunt ergo admittendam eſſe iſtam diſtinctionem de neceſſitate in ſenſu diviſo, & compoſito Molina in Concord. pag. 241. Olyſiponæ. Gabr. Vaſquez 1. p. q. 14. diſp. 66. cap. 3. & 4. Suarez in metaphyſ. diſp. 19. ſect. 4. n. 54. Greg. Valen. 1. 2. tract. de gratia efficaci diſp. 8. q. 3. & cæteri omnes.

Circa modum autem, quo explicant, & admittunt hanc diſtinctionem, eſt illorum primum fundamentum, quòd ſenſus compoſitus ſignificat compoſitionem alicujus actus, vel alicujus formæ cum ſubjecto, ita quod quotieſcumque forma aliqua, vel actus cum ſubjecto componitur, fit compoſitus ſenſus. Unde dicunt hanc propoſitionem, *Petrus albus poteſt eſſe niger*, eſſe propoſitionem compoſitam. Et ſimiliter hanc, *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum poteſt diſſentire, dicunt eſſe compoſitam, quia in utroque actus, motio, vel forma componitur cum ſubjecto.* Per oppoſitum autem illam dicunt eſſe diviſam propoſitionem, & diviſum ſenſum facere, quoties forma, motio, vel actus dividitur à ſubjecto, & ab illo ſeparatur, ſicut, *Petrus qui modo eſt albus ablata, diviſa, & ſeparata ab eo albedine poteſt eſſe niger, & liberum arbitrium motum, & excitatum ablata motione, & excitatione poteſt diſſentire.*

Secundum fundamentum ipſorum eſt. Quòd cum communiter Doctores affirmant neceſſe eſſe in ſenſu compoſito, quod ſit, quod eſt à Deo præſcitum, proviſum prædeſtinatum, & motum: ad iſtum ſenſum præciſè admittunt talem neceſſitatem in compoſito ſenſu, quod videlicet res dum eſt, non poteſt non eſſe, & ſimiliter voluntas dum vult, non poteſt non velle. Unde pro eodem reputant neceſſitatem in ſenſu compoſito, & neceſſitatem conſequentem libertatem humanam, vel ipſum eſſe rei; quia res dum eſt, jam ſupponitur quod ſit, & neceſſitas inde reſultans ſupponit eſſe rei, & voluntas dum vult liberè rem jam ſupponitur ejus actualis libertas. Unde neceſſitas inde reſultãs eſt conſequens hominis libertatem, nec aliam neceſſitatem in ſenſu compoſito admittunt, cum qua ſalvetur libertas, niſi iſtam conſequentem, & hanc ſolam dicunt eſſe neceſſitatem in compoſito ſenſu, cum qua Doctores dicunt ſervari hominis libertatem.

Tertium fundamentum eorum eſt, idem omnino eſſe, quod liberum arbitrium poſſit diſſentire præ-

ſuppoſita alia ſuppoſitione, ſeu compoſitione cum ipſo, & quod poſſit conjungere contrarium diſſenſum cum tali ſuppoſitione, ſive compoſitione. Si enim poteſt conjungere contrarium diſſenſum cum ſuppoſitione illa poteſt diſſentire, & libertatem habet. Si autem non poteſt illi conjungere contrarium diſſenſum, non poteſt diſſentire, & ex conſequenti non habet libertatem ad diſſentiendum. Ex hoc inferunt, quòd ſi detur aliqua antecedens ſuppoſitio, vel divinæ ſcientiæ, vel divinæ voluntatis, vel divinæ providentiæ, ſeu prædeſtinationis aut motionis Dei ità efficacis quòd homo non poſſit conjungere cum illa contrarium diſſenſum, etiã homo ille non poteſt diſſentire, & ex conſequẽti nec illa præſuppoſita habet homo libertatem ad diſſentiendum. Et iſtam vocant neceſſitatem in ſenſu diviſo ſive abſolutam tollentem libertatem. Cum autem homo jam vult liberè abſque tali priori neceſſitate licet dum vult non poſſit non velle, nec poſſit conjungere contrarium diſſenſum, nec poſſit diſſentire, nec libertatem habeat ad non volendum dum vult, quia jam à principio liberè ſe ad volendum applicuit, ideo tunc liberè vult, & liberè illum actum producit.

Ex iſtis fundamentis, & potiſſimè ex hoc ultimo, quòd videlicet omnis ſuppoſitio antecedens, cum qua non ſtat, nec poteſt conjungi contrarius diſſenſus, tollit arbitrij libertatem, inferunt prædicti Recentiores omnia quæ malè circa divinam providentiam, prædeſtinationem, & efficacem Dei motionem ſive naturalem, ſive per auxilium gratiæ conſtituunt.

Undè ultimatè concludunt, ut humanam ſalvent libertatem, omnem Dei providentiam prædeſtinationem, motionem; tam per concurſum naturalem comparatione operum naturalium, quam per auxilia gratiæ comparatione ſupernaturalium operationum, cauſalitatis ordine non antecedere cum certitudine & efficacia, arbitrij humani cooperationem, ita quòd illa motione præſuppoſita, non poſſit homo ſimul conjungere contrarium diſſenſum, ſed omnem talem antecedentem motionem & ordinem eſſe talem cum quo optimè ſtat aliquando pro arbitrij libertate poni contrarium actum, & diſſenſum. Hæc omnia graviſſima inconvenientia ex prava intelligentia ſenſus compoſiti, & diviſi deducunt. Imò ut formaliùs loquamur, hæc omnia inferunt ex negatione prædictæ diſtinctionis de ſenſu diviſo, & compoſito, illam enim negant omnino in illo ſenſu in quo ſuprà à Doctoribus fuit recepta.

Argumenta pro hac ſua explicatione, & doctrina ad hoc tandem tendunt; cum illa antecedenti ſuppoſitione efficaci non poteſt homo conjungere contrarium diſſenſum: ergo non poteſt diſſentire. Unde nec libertatem habet ſed abſolutam neceſſitatem.

Unum tamen non diſſimulandum addiderim, hæc eadem tria fundamenta, & potiſſimè hoc ultimum, illorum antiquorum fuiſſe, qui divinæ cauſalitati, & prævenienti efficaciæ gratiæ detraxerunt. Nulla enim ratione intelligere valebant motionem prævenientem Dei, cum qua homo, ſi vellet, non poſſet conjungere contrarium diſſenſum; quia aliàs, ut dicebant, ſi ſic conjungere non poſſet contrarium diſſenſum, nec libertatem haberet. Ut ergo libertatem ſervarent, omnem prævenientem operationem Dei circa liberum arbitrium talem conſtituebant, ut cum illa poſſet homo ſi vellet, oppoſitum diſſenſum conjungere, & vel operationem Dei in ſe efficacem efficere, vel illam reddere caſſam ſecundum quod arbitrium vellet.

Imò tria ſupra expoſita principia Calvinus ipſe admiſit, & ſimiliter per illa diſtinctionem illam de neceſſitate abſoluta, & conditionata, ſeu de ſenſu diviſo, atque compoſito explicuit, voce ſola illam admittens, ſed re omnino negans. Calvinus enim primò aſſeruit ſen-

Digitized by Google

sum divisum in his propositionibus esse cum ab arbitrio dividitur, seu separatur divinum decretum, & divina motio: & arbitrium ipsum suaptè natura secundum se absolutè, sine motione Dei consideratur; compositum autem quando jam præsupponitur decretum Dei, & ipsius divina motio circa arbitrium ut hoc vel illud operaretur. Ità enim in terminis posuisse Calvinum ex ipsius verbis ostendimus in alio nostro libro. In opusc. Respõsionum ad illũ tractatum cujus titulus erat, *summa controversiæ de efficacia gratiæ in tres sectiones distributa cap. 2. §. Efficax auxilium*, & clariùs, ac copiosiùs in alio tractatu Responsionum ad collationes quasdam responsione 3. ad 3. videlicet collationem & id quidem patet ex Calvino lib. 2. de libero arb. pag. 236. §. 3. in 3. Argumento & lib. 1. inst. cap. 16. §. 9. & lib. de æterna Dei prædest. pag. 940. §. *Quod Deus.*

Similiter nunquam negavit Calvinus, sed expressè confessus est, quòd postquam homo consentit, & dum consentit, non potest dissentire, ad hunc sensum, quod non potest cum illo suo præhabito consensu conjungere contrarium dissensum; hoc enim quia evidens est, nec ille negavit, ut sunt plura loca quibus id fatetur, sed ita manifesta, ut illa non oporteat inducere. Et quia nec ipse aliter intelligebat posse liberum arbitrium à Deo motum dissentire, nisi potens esset conjungere contrarium dissensum cum tali motionè (in quo tertium fundamentum supra explicatum efficaciùs exposuit) & ex alia parte admittebat ex Deo præmotionem efficacem; ideo absolutè, & simpliciter negavit posse liberum hominis arbitrium à Deo motum dissentire etiam si velit. Itaque ideo hanc catholicam veritatem, & in Tridentina Synodo definitam impiè negavit: quia arbitratus est nullum alium sensum facere propositionem hanc (*liberum hominis arbitrium à Deo motum potest dissentire si velit* (nisi hunc potest cum tali motione conjungere, & componere oppositum dissensum, quam conjunctionem dissensus cum efficaci motione videbat incompossibilem.

Igitur relata superius tria fundamenta circa intelligentiam sensus divisi, atque compositi Calvinus sustinuit, & secundum illa, distinctionem hujusmodi de absoluta necessitate, & conditionata, sive de sensu diviso, & composito se admittere contendebat, illam falsâ suâ intelligentia ita explicans, ut eam de medio tolleret. Unde Joan. Driedo supra relatus ritè dixit, quod hæreticus maximè hanc antiquam distinctionem auferre conatus est, reipsa videlicet licet non verbis, similiter doctè advertit, quòd intellecta ista distinctio confert huic materiæ de providentia, prædestinatione, & efficacia gratiæ, intellecta dixit, quia in vero sensu intellecta omnia sophismata solvit, & veritatem defendit, falsò autem intellecta veritati præjudicat.

CAPUT V.

Impugnatur primum Recentiorum fundamentum.

SATIS experientiâ comprobatur in hac parte veritas illius Philosophici Axiomatis tritissimi, & communissimi *quod parvus error in principio fit magnus in fine*, dum videmus ex ignorantia Dialectici cujusdam principij tot falsas opiniones in Theologia deduci, & publicari. Ut igitur principiis sinistrè intellectis obstemus, Dialecticum agentes, ecce revertimur ad explicanda prima & notissima in Dialectica, rudimenta, ex quibus forma propositionis facientis divisum sensum, & compositum colligenda est sicut & materia, ex qua tales formantur propositiones ex physica, metaphysica, seu Theologia emendicari solet; forma namque harum propositionum divisarum, & compositarum non aliunde, quam ex vera Dialectica sumenda est, quæ in hoc sicut in multis aliis materiis gravissimis Theologiæ deservit, qua etiam ratione à Sacris Doctoribus Hieronymo, Augustino, & aliis maximè commendatur, & contra ejus impugnatores defenditur. Nec aliquis id nobis vitio adscribat, quòd ad ista minutissima revertamur, licet enim minima appareant, quia tamen principia sunt, virtute, magna judicari debent. Quod si aliqui nobis objiciunt (quod aliquando audivi) quod simus Dialectici, his cum S.P. Augustino, Cresconio, similiter pro crimine opponenti, quod Dialecticus esset Augustinus, eodem modo quo Sanctus Doctor respondemus, Apostolum fuisse Dialecticum, imò, & Christum Dialectica usum, ideoque aliquos Dialecticam horrere, & potissimè Grammaticos, sicut erat Cresconius ille, quia per eam cavillationes & sophismata suorum argumentorum detegũntur. Mirum est enim (ait Sanctus Pater Augustinus), quod scientiam accusent, qua in suis argumentationibus juvantur, sed hoc ideo faciunt, quia cum multa falsa acutè per Dialecticam proponant, nollent Dialecticam acutè & veraciter illa solvere, sed ista missa faciamus, & ad explicanda vera Dialecticæ principia properemus.

Demonstrandum est jam per singula dicta Recentiorum discurrendo, quod minus convenienter ad veræ Dialecticæ, & Philosophiæ principia hujusmodi sensus compositi & divisi intelligentiam tradant, indeque adversus communem sententiam, propriam stabilire perperam conentur.

Igitur primum illorum dictum illud fuit, necessariam esse distinctionem de necessitate in sensu diviso & composito; tamen sensum compositum esse in quo denotatur compositio, sive conjunctio unius cum altero, sicut & divisus sensus ille est, in quo divisio, sive separatio unius ab altero designatur. In utroque hoc illorum dicto & nos convenimus, & verum illos affirmare fatemur. Nam nomen ipsum sensus compositi conjunctionem unius cum altero clamat, sicut vox ipsa sensus divisi negationem unius ab altero, sive separationem ostendit, in quibus omnes sine controversia conveniunt. Retentis ergo duobus istis in quibus rectè sentiunt, ad alia, quæ in suis constituunt fundamentis, & quibus a veritate valde declinant, procedamus. Dicunt ipsi sensum compositum importare conjunctionem alicujus actus sive alicujus formæ cum subjecto aliquo, ita ut quotiescunque præsupponitur aliqua forma, vel actus aliquis in subjecto, importetur sensus compositus.

Circa hoc primum ipsorum fundamentum dicendum est quòd licet quotiescumque forma aliqua, sive actus aliquis conjungitur cum aliquo subjecto, sit ibi aliqua compositio inter subjectum, videlicet illud, & illam formam vel actum, (quod nullus negare potest,) non tamen Dialectici aut Theologi illum vocant sensum compositum condistinctum contra sensum divisum in hac famosa divisione de sensu diviso, & composito.

Veritas ista omnibus debet esse manifesta. Primò quia tum Dialectici, tum Theologi per propositionem facientem sensum compositum planè intelligunt modalem propositionem compositam; modalis autem composita non præsupponit aliquam formam, vel aliquem actum cum subjecto, ita ut ista duo se teneant ex parte solius subjecti, & ante copulam, & prædicatum ipsum, ut notissimum est: quia in tali conjunctione sive cõpositione propositio minimè invenitur: ergo in tali compositione non consistit sensus propositionis compositæ. Major certa, & minor est nota, quia si aliquis diceret: *Petrus qui est albus potest currere*, cõjungeret, & cõponeret certè per illã implicationis copulã, albedinem cum Petro, Quis autem dicat ibi importari

sensum

ſenſum cõpoſitum propoſitionis modalis compoſitæ?

Confirmatur. Iſta propoſitio *Petrus albus poteſt eſſe niger*, veriſſima reputata eſt à Philoſophis, & reipſa, & formâ eſt modalis diviſa quia ut infra dicetur, modus clauſus in verbo *poteſt* interponitur inter ſubjectum, & prædicatum, utrumque ab invicem dividendo ſeparat, & hac ratione, qua eſt diviſa, eſt vera; licet aliquando poſſit ſumi, ut compoſita, ſed tunc erit falſa, & tamen ex parte ſubjecti compoſitio, & conjunctio eſt formæ albedinis cum Petro: ergo in tali compoſitione ſeu conjunctione nullo modo implicatur ſenſus compoſitus, vel propoſitionis compoſitæ. Quomodo ergo dicunt iſti Theologi hanc propoſitionem, *Petrus qui eſt albus, poteſt eſſe niger* ſemper eſſe propoſitionem compoſitam, & importare ſemper compoſitum ſenſum? Mirum eſt abſque dubio quòd talia ab eis proponantur, & dicantur. Ubinam invenerunt in Ariſtotele vel in Philoſopho aliquo hanc propoſitionem ſemper neceſſariam eſſe? Res quæ eſt, neceſſe eſt eſſe, & tamen ſi hæc facit ſenſum compoſitum ut ipſi dicunt, abſque dubio eſt neceſſaria, ſicut illa. Res dum eſt, neceſſe eſt eſſe; quæ hac ſola ratione eſt neceſſaria, quia ſumitur ab Ariſtotele in ſenſu compoſito; ita quod faciat hunc ſenſum: neceſſe eſt rem eſſe dum eſt. Verbum enim (dum) compoſitionem exprimit, quam non ſic denotat implicationis copula. Imò adhuc iſta propoſitio, res dum eſt neceſſe eſt eſſe, ſecundum omnium Dialecticorum placitum poteſt accipi dupliciter, & ut diviſa, & tunc eſt falſa, & ut compoſita, & tunc eſt vera, & neceſſaria: quanto ergo magis illa altera, Petrus qui eſt, neceſſario eſt non ſemper facit ſenſum compoſitum, & tamen ſecundum iſtos authores illa ſemper eſſet compoſita, & ex conſequenti ſemper neceſſaria erit iſta propoſitio, Petrus qui eſt, neceſſariò eſt.

Præterea Sanctus Thomas 1. par. quæſt. 14. art. 13. ad tertium dicit, quod iſta propoſitio: *Omne ſcitum à Deo neceſſarium eſt eſſe, conſuevit diſtingui: quia poteſt eſſe de re, vel de dicto: ſi intelligatur de re, eſt diviſa, & falſa, & eſt ſenſus, omnis res quam Deus ſcit eſt neceſſaria. Vel poteſt de dicto intelligi, & tunc eſt compoſita, & vera: & eſt ſenſus, hoc dictum ſcitum à Deo eſſe, eſt neceſſarium.* Hæc S. Thomas. Et tamen in illa propoſitione ſemper præſupponitur rem eſſe ſcitam à Deo, & ſemper in illa conjungitur ſcientia cum divino intellectu, & tamen adhuc ſuppoſito, quod Deus ſciat futurum, videlicet Anti-Chriſtum, hac ſuppoſitione, & conjunctione facta ſcientiæ hujus objecti cum Deo, adhuc, inquam, illa propoſitio diſtinguitur? & ut diviſa, & ut compoſita. Et idem omnino judicium eſt de plurimis aliis, quas ſæpè S. Thomas inducit. Non ergo ſemper eſt ſenſus compoſitus propoſitionis compſitæ quando cum ſubjecto propoſitionis conjungitur ex parte ipſius ſubjecti aliqua forma, vel actus. Quòd ſi ad iſta nolunt advertere prædicti Recentiores, quæ notiſſima ſunt; ſaltem conſiderent quænam ſit propoſitio modalis faciens ſenſum compoſitum per illam ſuam de ineſſe; apertiſſimè enim manifeſtat, quæ ſit compoſita propoſitio modalis, & quænam ſit compoſitio, & conjunctio, quæ attendi debet in ſimilibus propoſitionibus, nullò enim evidentiori ſigno id poterit aperiri. Hæc propoſitio, *Petrus dum eſt, neceſſe eſt eſſe*, ſi ſumatur, & compoſita ſic probatur, hæc propoſitio eſt neceſſaria, *Petrus eſt, dum eſt.* Videant ergo quam compoſitionem faciat illa de ineſſe, & illam intueantur in ſua modali. Nunquid illa de ineſſe conjungit ſolum eſſe cum Petro, ita ut denotet neceſſarium eſſe Petrum eſſe? Pluſquam falſa eſſet talis propoſitio, ſi ſic ſolum componeret. Componit ergo, ut conſtat inſpectis terminis, hęc duo ſimul, quod dum res eſt, eſt. Ita quod id quod ſe tenet ex parte prędicati componit cum eo, quod ſe tenet ex parte ſubjecti media illa copula, vel medio illo modo (neceſſariò) nec in hoc videtur amplius immorandum, quia, & Dialecticis, & Philoſophis, & Theologis, apud quos hæc notiſſima ſunt principia, non mediocris videretur injuria irrogari ſi in iſtis clariſſimis nimium illos gravaremus.

Dicendum eſt ergo ſecundo modalem compoſitam, & ſenſum compoſitum ab illa importatum eſſe, quando duæ formæ, vel duo actus, vel duo quæcumque illa ſint, quorum alterum ſe tenet ex parte ſubjecti, alterum vero ex parte prędicati componuntur, & conjunguntur in eodem ſubjecto ſimul, & pro eodem inſtanti medio aliquo modo.

Concluſio iſta ſicut fundamentalis, & maximè neceſſaria in his materiis obſervanda eſt, & tenenda, proceditque contra illorum ſecundum fundamentum ſupra à nobis relatum. Itaque attendendum eſt, ſi modalis compoſita fuerit de poſſibili, an id quod importatur per ſubjectum, & id quod importatur per prædicatum ſint ſimul compoſſibilia in eodem ſubjecto pro eodem temporis inſtanti, & tunc pronuntianda eſt propoſitio modalis vera & neceſſaria: Si autem id quod ſe tenet ex parte ſubjecti, & id quod ſe tenet ex parte prædicati non poſſunt compati ſimul, & pro eodem tempore in ſubjecto eodem, tunc pronuntianda eſt modalis compoſita falſa & impoſſibilis.

Similiter attendendum eſt, ſi utrumque tenens ſe videlicet ex parte ſubjecti, & ex parte prædicati, neceſſariam habeat connexionem in eodem ſubjecto ſimul, & pro eodem tempore, & tunc propoſitio compoſita de his neceſſariò dicenda eſt vera, & neceſſaria. Si autem illa duo non habuerint illam neceſſariam connexionem ut ſimul ſint in eodem temporis inſtanti in ſubjecto eodem, tunc dicendum eſt illam propoſitionem compoſitam eſſe falſam. Exempla clariorem hujus rei præſtabunt notitiam. Petrus, qui eſt albus poteſt eſſe niger: Si ſumatur in ſenſu compoſito, æquivalet huic, poſſibile eſt Petrum album eſſe nigrum. Et facit ſenſum iſta propoſitio eſt poſſibilis. Petrus albus eſt niger, ubi ſimul & pro eodem inſtanti conjungit, componit albedinem & nigredinem in eodem Petro, qua ratione eſt falſa, & impoſſibilis, quia impoſſibile eſt idem ſimul eſſe album, & nigrum in eadem corporis parte. Si autem prædicta prima propoſitio, videlicet Petrus qui eſt albus, poteſt eſſe niger, ſumatur ut diviſa, eſt vera, quia denotat quod Petrus, qui modo eſt albus, poteſt alio tempore habere nigredinem. Similiter denotat, quod Petrus modò dum eſt ſub albedine potentiam habeat ad nigredinem, ſed non pro eodem tempore habendam, quo habet albedinem. Similiter in propoſitione de neceſſario, iſta res, dum eſt, neceſſe eſt eſſe, ſi ſumatur, ut compoſita, æquivalet huic, neceſſe eſt rem eſſe, dum eſt, & facit iſtum ſenſum, hæc propoſitio eſt neceſſaria, res dum eſt, eſt, quæ veriſſima eſt, ſi autem ſumatur ut diviſa, eſt falſa, quia denotat neceſſarium eſſe, quod quælibet res quæ eſt, alio tempore ſit, quod tamen non eſt verum.

Sicut autem, propoſitio compoſita non eſt, quoties aliquid conjungitur cum ſubjecto ex parte ipſius ſubjecti, ſed quando id quod ſe tenet ex parte ſubjecti, & id quod ſe tenet ex parte prædicati denotantur conjungi ad invicem medio modo, ſeu verbo modali: Ita nec eſt diviſa propoſitio ſolum quando id quod ſe tenet ex parte ſubjecti à ſubjecto ipſo denotatur abeſſe, ſed etiam quando ex parte ſubjecti ponitur, & ſtatuitur, & id quod ſe tenet ex parte prædicati ab illo ut ſic dividitur, ſeu ſeparatur; ut patet in hac ſignata, *Petrus qui eſt albus poteſt eſſe niger*, in qua albedo cum Petro conjungitur; & tamen diviſa eſt,

Digitized by Google

quia ſit ſenſus, quod Petrus qui eſt albus, potentiam habet ad nigredinem, ita quòd nigredo importata per prædicatum non conjungitur cum albedine importata per ſubjectum, quaſi componi poſſint ſimul in eodem Petro albedo & nigredo cum potentia Petri, qui adhuc poſitus ſub albedine potentiã retinet ad nigredinem, qui (ut dictum fuit) eſt ſenſus diviſus.

Sed dicent fortè propoſitionem diviſam eſſe, quando actus vel forma ſeparatur à ſubjecto, quia id expreſsè videtur tradi à Magiſtro ſent. in 1. diſt. 41. in §. *Prædeſtinationem*, ſub finem; ubi tradens ſenſum disjunctum ſeu diviſum, inquit. *Falſum autem ſi diſjunctim, ut ſi intelligas, iſtum non poſſe damnari, quem dico prædeſtinatum, potuit enim non eſſe prædeſtinatus, & ita damnaretur:* ubi explicans disjunctum ſeu diviſum ſenſum in hac, prædeſtinatus poteſt damnari; dicit illum eſſe, quod ille homo potuit non eſſe prædeſtinatus. Ergo videtur ſupponere quod poſtquam ſupponitur ſub prædeſtinatione non faciat disjunctum ſenſum. Sed ad hoc finalis eſt reſponſio nullo modo id intelligere Magiſtrum, imò pro certò habet, quòd iſta, Petrus prædeſtinatus, poſtquam eſt videlicet prædeſtinatus, poteſt accipi disjunctim & diviſim in illo ſenſu, quem ibi, & diſt. 38. clariùs expoſuit, videlicet, quòd cum prædeſtinatione compoſſibilis ſit potentia ad damnationem, non autem ipſe damnationis actus, ut præcedenti capite ex ipſius verbis clarius relatum eſt. Quòd autem oppoſitis verbis dicit, tantum eſt quòd ſicut quia Petrus potuit eſſe non prædeſtinatus, & ſi prædeſtinatus non eſſet de facto damnaretur, ità poſtquam eſt prædeſtinatus non damnabitur, licet etiam ut ſic potentiam ſecundum ſe habeat, ut damnetur.

CAPUT VI.

Secundum recentiorum fundamentum evertitur.

SECUNDUM ipſorum fundamentum erat, neceſſitatem in ſenſu compoſito ſolam illam eſſe, quæ eſt neceſſitas conſequens humanam libertatem, de qua dicitur quod res dum eſt, neceſſe eſt eſſe, & dum voluntas vult, neceſſe eſt velle, non aliam poſſe eſſe neceſſitatem in ſenſu compoſito ſervãtem libertatem. Hoc ipſorum fundamentum, contra omnes Sanctos Patres, & Scholaſticos Doctores manifeſtè procedit, qui loquentes in materiis de providentia, de divina voluntate, de divina prædeſtinatione & gratia, de Dei motione, & libero hominis arbitrio, apertiſſimè dicunt neceſſitatem provenientem ex divina voluntate eſſe neceſſitatem in ſenſu compoſito ſervantem hominis libertatem. Sic enim dicunt, quod ſi Deus aliquid vult, neceſſe eſt illud eſſe, & quòd prædeſtinatum neceſſe eſt ſalvari, & quòd liberum arbitrium à Deo motum neceſſe eſt id operari ad quod Deus movet, neceſſitate inquam, in ſenſu compoſito, ſive ex ſuppoſitione, ſive conditionata, quod idem omninò eſt. Sed Doctores Sancti atque Theologi nullo modo intelligunt hanc neceſſitatem in ſenſu compoſito eſſe conſequentem hominis operationem, ſed verè antecedentem illam; ergo ſecundum communem Doctorum, & Sanctorum ſententiam, neceſſitas in ſenſu compoſito, non eſt tantum neceſſitas conſequens hominis libertatem, ſed potiſſimè illam antecedens. Contra Sanctos ergo Patres, ac Scholaſticos Doctores procedit, affirmare ſolam neceſſitatem in ſenſu compoſito (quam dicunt non lædere libertatẽ] eſſe illam neceſſitatem conſequẽtem hominis libertatem. Major eſt manifeſta, & etiam ab his authoribus admittitur: quia nihil magis communetum in Sanctis, tum in Scholaſticis Doctoribus, niſi quod ſi Deus vult aliquid, neceſſe ſit illud eſſe. Minor autem in qua eſt difficultas etiam ex ſupra relatis ex Sancto Patre Auguſtino, Anſelmo, & Thoma, & Scholaſticis aliis fuit comprobata: nihil enim magis ipſi Doctores Sancti oppugnant, quam Deum ſua providentia, ſua voluntate, & motione non antecedere efficaciter liberum hominis arbitrium, nihilque magis damnãt, quam negare nullam neceſſitatem provenire ex divina voluntate priori, & antecedente hominis cooperationem, ut illa tria in particulari ex S. Thom. allata loca apertiſſimè oſtendunt.

Videantur omnia loca à Sancto Thoma relata ſupra, & apparebit evidenter ipſum ſicut & omnes Scholaſticos ibi citatos loqui de motione Dei antecedente humanam cooperationem; illaque efficaci ex cujus virtute infallibiliter ſequitur hominem operari, & hanc dicunt neceſſitatem in ſenſu compoſito, ſive conditionatam, ſive ex ſuppoſitione, ſive infallibilitatis, ſive neceſſitatis conſequentiæ, omnia enim iſta idem omninò ſonant.

Quomodò ergo cum Sancti apertè dicant, quòd ſi Deus vult aliquid, neceſſe eſt id fieri [ubi apertis verbis ex divina voluntate priori inferunt talem neceſſitatem conditionatam, & in ſenſu compoſito] quò modò, in quam, iſtum ordinem pervertentes, & aperta verba negantes dicunt ij authores ſenſum eſſe, quod ſi Deus vult, poſtquam homo vult, neceſſe eſt id eſſe. Ubi jam non ex voluntate divina, ſed ex voluntate humana ſequitur talis ſubſequens neceſſitas. Doctores Sancti & Scholaſtici dicunt quod ſi Deus vult liberum arbitrium hoc operari ex hoc ſicut ex omnium prima cauſa, neceſſe eſt liberum arbitrium id operari. Et hanc neceſſitatem vocant conditionatam, ſive in ſenſu compoſito. At vero iſti moderni authores dicunt iſtam non eſſe neceſſitatem in ſenſu compoſito, & conditionatam; ſed in ſenſu diviſo, & abſolutam, ergo apertè Doctoribus Sanctis & Scholaſticis contradicunt.

Item Sancti Doctores, & Scholaſtici univerſi planè affirmant, quòd ſi Deus movet hominis voluntatem ad aliquid volendum, neceſſe eſt voluntatem illud velle, ut jam ex Sancto Thoma ſupra oſtendimus. Quod ex omnibus in univerſum Doctoribus oſtendi poterat ſimiliter. Et hanc vocant neceſſitatem in ſenſu compoſito ſervantem hominis libertatem, & tamen ij authores contrarium omninò dicentes affirmant non oriri neceſſitatem in ſenſu compoſito ex eo quod moveat Deus voluntatem ad actum, ſed ex eo quod ipſa voluntas jam prioritate rationis habeat actum, & ex eo quod Deus cum ipſa voluntate jam volente, cooperetur concurſu illo concomitante vel ſubſequente: Ergo apertè & Sanctis, & Scholaſticis Doctoribus contradicunt. Sancti enim apertè loquuntur de motione Dei, qua voluntatem movet ad habendum actum, & quæ eſt apertiſſimè ante actum prævia ei, ſicut illius propria ac vera cauſa, ex qua priori & antecedente motione ad actum dicunt neceſſe eſſe ipſam voluntatem operari propter efficaciam virtutis moventis, & hanc neceſſitatem appellant neceſſitatem in ſenſu compoſito ſervantem libertatem. Et tamen ij authores contendunt, apertiſſima verba negantes, Sanctos intelligi de motione concomitante vel ſubſequente ipſum actum; ita ut ſit ſenſus, quod ſuppoſito quod voluntas jam vult, & ſuppoſito quod Deus cum illa cooperatur conſequenter, neceſſe eſt illam operari, & hanc ſolam vocant neceſſitatem in ſenſu compoſito ſervantem libertatem.

Idem omninò poteſt oſtendi de divina providentia, nam communis conſenſio eſt, tum Sanctorum, tum

Digitized by Google

tum Scholaſticorum, quòd ſi Deus prævidit hominem operaturum eſſe, neceſſe eſt propter certitudinem & cauſalitatem divinæ providentiæ hominem illud operari. Et hanc communiter appellant neceſſitatem in ſenſu compoſito ſive conditionatam, quæ optimè ſalvat hominis libertatem in tali operatione; & tamen ij Authores contendunt illam certam providentiam, ex qua oritur illa neceſſitas eſſe comitem ſeu ſubſequentem hominis voluntatem liberam & non eſſe cauſam talis actualis libertatis, ſed neceſſitatem illam ſequi ex homine jam volente, jam operante, & ſimul ex Deo id providente, & concomitanter concurrente; ut ſalvent neceſſitatem in ſenſu compoſito ſupponere hominis priorem libertatem. De prædeſtinatione etiam uno ore omnes Theologi cum Doctoribus ſanctis fatentur, quod ſi hoc hominis opus eſt prædeſtinatum, neceſſe eſt hominem id operari, & talem vocant neceſſitatem in ſenſu compoſito, cum qua ſtat optimè humana libertas; & tamen Recentiores contendunt illam neceſſitatem in ſenſu compoſito non oriri ex Dei prædeſtinatione, quæ ut cauſa antecedat illam liberam hominis operationem, ſed oriri ex ipſa libera hominis operatione ſaltem ſub conditione prævisâ, & à Deo ante efficaciter non prædeſtinata.

Concludendum eſt ergo contra Sanctos Patres ac Scholaſticos Doctores procedere, qui affirmant neceſſitatem in ſenſu compoſito ſolùm eſſe illam, quæ eſt neceſſitas ex ſuppoſitione conſequente humanam libertatem, qua dicunt quòd voluntas dum vult neceſſe eſt quòd velit. Dixi, contra Sanctos procedere, qui dicunt ſolam neceſſitatem conſequentem, qua voluntas dum vult neceſſe eſt velle, eſſe præcisè & ſolam neceſſitatem in ſenſu compoſito ſervantem libertatem, quia non negamus illam talem ſuppoſitionem conſequentem eſſe neceſſitatem in ſenſu compoſito, imò id plane affirmamus, ſed id conſtanter negamus, illam ſolam neceſſitatem eſſe neceſſitatem illam quam Sancti Doctores vocant in ſenſu compoſito, & cum qua dicunt optimè ſtare hominis libertatem. Imo affirmamus potiſſimè Sanctos Patres & Scholaſticos Doctores in ſupradictis materiis loqui de neceſſitate priori & antecedente ad humanam cooperationem, proveniente videlicet ex efficacia divinæ voluntatis, ejus providentia, prædeſtinatione, & motione; & hanc propriè vocant neceſſitatem in ſenſu compoſito ſalvantem hominis libertatem.

Item ſancti Patres, & Scholaſtici Doctores hanc diſtinctionem de neceſſitate in ſenſu diviſo, & compoſito, ideo piè invenerunt, & rectiſſimè tradiderunt, ut per illam conciliarent humanam libertatem, cum efficacia divinæ voluntatis, quæ illa prior eſt, & illam omnino antecedit; affirmantes ex illa priori cauſalitate & efficacia divinæ voluntatis, ſequi hominem certò operaturum propter efficaciam divinæ voluntatis id volentis, & tamen liberè operaturum; & ideo neceſſitatem ex illa priori Dei voluntate provenientem rectè vocarunt in ſenſu compoſito ſive conditionatam, ſervantem hominis libertatem, quæ nihil eſt aliud, niſi quod homo infallibiliter operetur, & liberè, id quod Deus vult ipſum infallibiliter & liberè operari, nam de alia neceſſitate conſequente ad humanam operationem, ſatis notum erat, apertum, & manifeſtum, non tollere libertatem hominis, cum ipſa præſupponatur, nec de illa aliqua controverſia ſeu quæſtio fuit.

Ex quo aliud tale fit argumentum. Sancti Patres, & Scholaſtici Doctores aſſerentes neceſſitatem in ſenſu compoſito provenientem ex divina voluntate reſpectu humanarum operationum, licet communiter affirment, quod illa ſervet hominis libertatem, tamen modum apertè aperire, vel cognoſcere, quomodo ſtante illa neceſſitate in ſenſu compoſito hominis ſervetur libertas, fatentur à nobis minùs penetrari. Si autem loquerentur de neceſſitate in ſenſu compoſito, conſequente videlicet priorem hominis libertatem, quis non videat illos non poſſe aſſerere illum modum eſſe impenetrabilem, cum evidentiſſimè talis modus penetretur, explicetur, & apertiſſimè intelligatur? Quid enim evidentius, quid manifeſtius quàm intelligere ideò neceſſitatem ex ſuppoſitione conſequente hominis voluntatem, non lædere hominis libertatem, quia illam præſupponit, quia illam ſequitur, quia poſt illam vadit? Certè nihil evidentius poteſt demonſtrari. Ergo evidentiſſimum eſt Sanctos Patres, & Scholaſticos Doctores nomine neceſſitatis in ſenſu compoſito, in his, quas tractamus materiis, non intelligere illam neceſſitatem ex ſuppoſitione conſequente humanam operationem, ſed intelligere neceſſitatem ex priori & antecedente Dei voluntate provenientem, quam ſemper docuerunt ſervare hominis libertatem. Videantur Doctores Scholaſtici in primo diſt. 40. Sed videantur præcipuè SS. Doctores Hieronymus, Auguſtinus, Hilarius, Proſper, Fulgentius, S. Thomas citatis locis. Sanctus Hieronymus Epiſtola ad Cteſiphontem, & Dialogo contra Pelagianos. Sanctus Pater Auguſtinus lib. de nat. & grat. De gratia Chriſti; in libris quatuor contra duas Epiſtolas Pelagianorum: in libris ſex contra Julianum: in libro potiſſimè de corr. & grat. Libro de gratia & liber. arbitr. De prædeſt. Sanct. De dono perſev. & multis aliis libris hoc tractat, hoc ex profeſſo docet, & confirmat, quod antecedens Dei voluntas ſeu motio efficax, imò efficaciſſima licet infallibiliter inferat hominem operari, libertatem tamen ejus non lædit, ſed ſervat, & perficit. Sanctus etiam Proſper Epiſt. ad Sanctum Auguſtinum, & libro contra collatorem per totum, & Epiſtola ad Rufinum, Epiſtola ad Demetriadem, contra excerpta Genuen, contra objectiones vincentianas, contra objectiones Gallorum, atquè in utroquè libro de vocatione Gentium. Hilarius Epiſtola ad Auguſtinum. S. Thomas in hac doctrina eſt totus 1. p. quæſt. 19. quæſt. 22. quæſt. 23. quæſt. 83. 1. 2. quæſt. 10. art. 4. q. 112. art. 13. & innumeris locis ſuæ doctrinæ quæ infra in iſto operè commodiori loco adducentur.

CAPUT VII.

Tertium Recentiorum deſtruitur fundamentum.

IN tertio fundamento hoc ſibi perſuadent iſti Authores, idem omnino eſſe hominem poſſe liberè diſſentire cuicumque motioni vel ſuppoſitioni præſuppoſitæ, & poſſe cum illa conjungere contrarium diſſenſum, ita ut, ubi unum ponitur, ponatur & aliud, & quando alterum negatur, negetur & alterum. Unde inferunt ut hominis ſervetur libertas talem debere eſſe, quamcumque præviam & antecedentem motionem ſive cauſalitatem, ut cum illa poſſit homo conjungere contrarium diſſenſum. Quibus breviter reſpondemus hoc fundamentum, efficaciæ divinæ motionis eſſe valde inimicum. Patet quia hominis libertas conſiſtere non poteſt in eo, quod efficaciam divinam enervet. At verò ſi poſſet homo conjungere contrarium diſſenſum cum Dei voluntate efficaciter volente quòd homo conſentiat, planè enervaret divinæ gratiæ efficacitatem: ergo in hoc non conſiſtit hominis libertas, nec in eo conſiſtere poteſt. Minor probatur. Nam poſſe conjungere contrarium diſſenſum, hoc ſonat, quod poſſit homo ſi-

Digitized by Google

mul conjungere, & componere suum dissensum cum Dei voluntate, & motione antecedente efficaci, ità quòd ista duo simul sint compossibilia & conjungibilia, Deus efficaciter vult quod homo consentiat & homo non consentit, sed dissentit: At impossibile est ista duo simul componi atque conjungi: ergo non potest homo conjungere contrarium dissensum cum efficaci Dei motione sive voluntate antecedente: ergo nulla est in homine potentia ad ista duo simul conjungenda, & componenda: ergo hominis libertas in hoc non consistit, aut consistere potest. Ergo cum concilia, & Sancti Doctores dicunt posita quacumque efficaci Dei voluntate, seu motione antecedente posse hominem dissentire, & liberum manere, nullo modo intelligunt posse hominem conjungere contrarium dissensum cum tali motione.

Præterea non potest homo voluntati Dei resistere, secundùm illud Rom. 9. *Voluntati Dei quis resistit?* Et illud Esther cap. 13. *nec est qui tuæ possit resistere voluntati* Sap. 11. *virtuti brachij tui quis resistet?* quod ita intelligendum, quod in sensu composito non stat, nec est compossibile quod homo efficaci Dei voluntati resistat. An verò in sensu diviso habeat potentiam ad resistendum, & alibi dicetur, quod videlicet nulla in homine potentia est, aut esse potest ad Deo resistendum, si de vera, & propria resistentia sermo procedat, dicetur inquam de hoc infra tum in hoc libro tum in tertiò, & copiosiùs libro quarto. Si vero homo potest conjungere contrarium dissensum cum antecedenti Dei voluntate, sive motione efficaci posset homo resistere Dei voluntati, & posset illam impedire, & posset illam *cassam* reddere, nullo ergo modo potest homo cum illa conjungere contrarium dissensum. Si enim illa duo non sunt simul conjungibilia, voluntas Dei efficax quòd homo consentiat, & contrarius hominis dissensus, quo modo potest homo illa simul conjungere? An potest conjungere inconjungibilia, & componere incompossibilia? Quòd autem illa duo sint inconjungibilia sive incompossibilia fit manifestum; quia opponuntur contrariè, mediatè, sicut enim consensus, & dissensus immediatè simul opponuntur, ita efficax causa consensus mediatè opponitur dissensui. Imò quod majus est, nec per divinam potentiam videtur fieri posse, ut posita sua voluntate efficaci quod homo consentiat, ipse homo non consentiat, sed dissentiat, quia nec per divinam potentiam videtur factibile ut efficax Dei voluntas non impleatur; quia tunc involveretur contradictio, quod videlicet esset efficax, & non efficax, efficax quidem, quia supponitur in casu, inefficax autem, quia frustratur, quia impeditur, & quia effectum non producit.

Diximus hanc propositionem, *voluntati Dei nullus potest resistere*, facere sensum compositum, quia sunt aliquæ propositiones, quæ illud important, ut Sanctus Thomas affirmat quæst. 6. de verit. art. 4. ad 8. Sic dicens. *Ideo omnes loquutiones, quæ sensum compositum implicant sunt falsæ simpliciter. Unde non est concedendum, quod numero prædestinatorum possit fieri additio, vel subtractio, quia additio præsupponit illud cui fit additio; & subtractio illud à quo subtrahitur. Et eadem ratione* (inquit) *non potest concedi, quod Deus possit plures prædestinare, quam prædestinet, vel pauciores.* Et secundo contra gent. cap. 25. ait. *Et idèo omnes istæ loquutiones, Deus non potest facere contraria his quæ disposuit facere, & quæcumque similiter dicuntur, intelliguntur compositæ.* Hæc Sanctus Thomas. Similis autem est ista. Homo potest voluntati Dei resistere, quia præsupponit intrinsecè Dei voluntatem, cui dicitur posse fieri resistentiam, nec est idem de posse dissentire, ut citatis locis clariùs aperiemus & copiosè in libro responsionum ad collationes explicavimus.

Præterea posita efficaci divina voluntate, atque ejus efficaci motione, quòd homo consentiat, necessè est in sensu composito hominem consentire, non tamen est necesse absolutè sive in sensu diviso, ut communis est Theologorum sententia supra relata, ergo posita absoluta, & efficaci Dei motione seu voluntate, quòd homo consentiat, non potest dissentire in sensu composito, licet possit dissentire in sensu diviso sivè absolutè. Patet consequentia, quia tenet ab æquivalentibus. Unde sicut sancti Doctores concedunt in terminis, & expressè antecedens, in terminis etiam concedunt sæpissimè, & consequens, ut præcipuè ex multis S. Thomæ locis dabimus manifestum ergo hæc propositio, non potest homo conjungere contrarium dissensum cum Dei absoluta & efficaci voluntate intrinsecè involvit sensum compositum. Unde istæ duæ propositiones sunt æquivalentes. Homo potest conjungere contrarium dissensum cum voluntate absoluta, & efficaci Dei, qua vult hominem consentire, & potest homo dissentire in sensu composito. Qua ergò ratione hæc falsissima est, & ab omnibus rectè sentientibus in universum negatur, ità & illa prima omninò neganda est. Quod autem illa propositio qua dicitur posse hominem conjungere contrarium dissensum, involvat sensum compositum fit manifestum, tum quia illud verbum (conjungere) apertissimè conjunctionem, & compositionem imponat. Tum quia Magister sententiarum hoc verbo (conunctim) utitur ut visum est supra, ad explicandum sensum compositum, imò expressiùs verbum (*conjungere*) id magis exprimere videtur, quàm verbum (*componere.*) Vidit certè multo antè S. Thomas verba quædam ex propria significatione implicare compositum sensum, & propterea Regulam tradit dicens in q. 6. de verit. art. 4. ad 8. *Quod loquutiones illæ, quæ sensum compositum implicant* (non omnes, sed illæ de quibus illi loquebantur.) *sint falsæ simpliciter, unde non est concedendum, quòd numero prædestinatorum possit fieri additio vel subtractio, quia additio præsupponit illud cui fit additio, & subtractio, illud à quo subtrahitur.* Hæc S. Thomas. Si ergo ista propositio est absolutè & sine distinctione neganda (numero prædestinatorum potest fieri additio vel diminutio) quia implicat compositum sensum, ut S. Thomas ostendit, quis non videat multò expressiùs implicare compositum sensum istam propositionem: Homo potest cum Dei voluntate efficaci conjungere contrarium dissensum, ergo ista absolutè, & absque omni distinctione neganda est.

Præterea S. Thomas 1.2. q. 10. art. 4. pro comperto habet, quòd si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est eam ad id non moveri, licet non sit impossibile simpliciter. Similiter 1.2. q. 112. art. 3. 2.2. q. 14. art. 11. manifestè docet intentionem Dei moventis hominem, deficere non posse, ergo impossibile est, quòd homo eam deficere faciat; ergo impossibile est, quòd cum illa contrarium dissensum conjungat. Si enim hoc potest, poterit facere Dei efficacem intentionem, & tunc illa efficax Dei intentio ab homine penderet, & efficax esset, quia nos volumus, & ab effectu. Quod licet Recentiores expressè concedant, imò hoc intendant, cùm dicunt posse hominem cum illa conjungere contrarium dissensum, hoc tamen minimè admittendum est.

Igitur valde diversum est, quod præsuppositâ qualibet Dei motione, & voluntate absoluta efficaci homo possit dissentire, & quod possit ei conjungere contrarium dissensum. Illa propositio certa de fide est, & humanam exprimit libertatem & à Conciliis definitur (ut suo loco dicemus.) Hæc autem secunda adeo falsa est, ut contra eandem fidem procedat

differentia

Digitized by Google

differentia autem quæ eſt inter has duas propoſitiones, nulla eſt alia niſi, quæ eſt inter propoſitionem de ſenſu diviſo, & de ſenſu compoſito, & inter propoſitionem abſolutè neceſſariam, & neceſſariam tantùm ex ſuppoſitione. Nam prima propoſitio eſt diviſa, & verà abſolutè quòd homo poteſt diſſentire poſita illa efficaci voluntate ſeu motione. Hæc autem ſecunda eſt compoſita, & facit ſenſum, quòd poſſunt ſtare ſimul illa duo, voluntas Dei efficax, & hominis diſſenſus, vel quod in homine ſit potentia ad iſta duo ſimul componenda, & conjungenda. Qui autem utramque pro eadem reputant, quid aliud intendunt quàm confundere diviſam cum compoſita, & de ſenſu diviſo tranſire ad compoſitum, & de compoſito ad diviſum? Contra quos Sanctus Thomas 1. contra Gentes cap. 67. docet quod neceſſarium eſt eſſe quod Deus cognoſcit, *hoc autem* (ait) *non eſt neceſſarium abſolutè, vel ut à quibuſdam dicitur, neceſſitate conſequentis, ſed ſub conditione.* Et ſubdit. *Et ſic in his omnibus, & ſimilibus, quæ Dei ſcientiam circa contingentia oppugnantes argumentantur, ſecundùm compoſitionem, & diviſionem falluntur.* Sic prorſus falluntur ſecundùm compoſitionem, & diviſionem, qui concedentes hanc (homo poteſt diſſentire etiam à Deo motus, & excitatus efficaciter) quæ ſine dubio concedenda eſt, ſimiliter involvunt hanc ſecundam (homo motus & excitatus efficaciter à Deo poteſt tali motioni conjungere contrarium diſſenſum.

Ne ergo ſimul utramque involventes, & confundentes, incautos fallant, vel potius ſe ipſos, negantes reipſa neceſſariam diſtinctionem de ſenſu diviſo, & compoſito: has tres propoſitiones in hac materia præ oculis habeat oportet, quicumque ſimul & Pelagianam hæreſim, & Lutheranam, atque Calvinianam vitare, & media via ſecura inter hos extremos errores incedere deſiderat. Prima eſt, ſuppoſita qualibet Dei voluntate & efficaci antecedente motione, quòd homo conſentiat, poteſt homo diſſentire. Et ita abſolutè eſt fatendum, atquè dicendum, facit enim iſta propoſitio ſenſum abſolutum, & ita abſolutè, & ſine addito traditur à Conciliis. Cujus propoſitionis ſenſus eſt, quod etiam ſuppoſita illa efficaci motione habet homo liberam potentiã ad aſſentiendũ, & diſſentiendũ in hoc enim ſenſu ſumitur verbũ (*poteſt*) in hac diviſa propoſitione, ut infra copioſiùs erit explicandũ.

Secunda propoſitio. Poſita qualibet Dei abſoluta, & efficaci voluntate ſive motione antecedente, quod homo conſentiat non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito. Iſta enim propoſitio jam additum conſtituit, ut fit manifeſtum. Et ſenſus eſt quod poſita illa antecedenti voluntate vel motione Dei efficaci, non eſt compoſſibile, nec ſtat ſimul hominem diſſentire, quæ ut diximus veriſſima eſt.

Tertia propoſitio eſt eadem cum hac Poſita Dei voluntate ſivè efficaci motione, quod homo conſentiat, non poteſt homo conjungere cum illa contrarium diſſenſum. Hæc ut jacet concedenda eſt neceſſariò, etiamſi non ponatur illud additum (in ſenſu compoſito) quia illa ſenſum compoſitum manifeſtè involvit. Et ſicut per primam harum propoſitionum evertitur Lutherana, & Calviniana hæreſis negantium hominum libertatem ex efficaci Dei motione, ſeu voluntate antecedente, ita per hanc tertiam, quæ eadem omnino eſt cum ſecunda deſtruitur Pelagiana hæreſis, quæ Dei efficacem voluntatem, & motionem negat.

CAPUT VIII.

Vera traditur intelligentia de ſenſu diviſo, & compoſito.

EX vera ergò Dialectica illud in primis ſuppo-nendum eſt, duplicem eſſe modalem propoſitionem, alteram diviſam, & compoſitam alteram. Illa prima ſolet à Dialecticis & Theologis vocari de re, hæc autem modalis de dicto appellatur. Communis eſt doctrina, quam etiam tradit Sanctus Thomas opuſc. de modalibus; & prima p. q. 14. art. 13. ad tertium. Primo contra gent. cap. 67. de verit. q. 2. art. 2. & alibi ſæpe.

Supponendum ſecundò ex eodem S. Thoma ubi ſupra, & Doctoribus aliis qui hanc materiam modalium tractaverunt, modalem compoſitam regulariter illam eſſe, in qua totum dictum ſubijcitur, & modus prædicatur, ut ſi dicas ſedentem currere eſt impoſſibile, prædeſtinatum ſalvari eſt neceſſe. Quando autem modus ſubijcitur, & dictum prædicatur, verbi gratia (impoſſibile eſt ſedentem currere, neceſſe eſt prædeſtinatum ſalvari) quamvis magis accedant ad compoſitas, aliquando tamen ſumuntur à Doctoribus ut diviſæ. Cujus exemplum pro utraque parte habes in S. Thoma prima p. q. 23. art. 2. ad ſecundum. Modalis autem diviſa illa eſt in qua modus interponitur in medio dicti, & quaſi illud dividit, ac ſeparat, verbi gratia ſedentem poſſibile eſt currere, prædeſtinatum poſſibile eſt damnari. Et ſimiliter eſt modalis diviſa in qua modus tenet ſe ex parte verbi interpoſiti in medio dicti, ut ſi dicamus, homo albus poteſt eſſe niger, prædeſtinatus poteſt damnari, & aliæ ſimiles. Verum eſt, quod licet iſtæ regulariter à Doctoribus, ut diviſæ recipiantur, aliquando tamen claritatis majoris gratia, & ad tollendam æquivocationem, & ambiguitatem ſolent à Doctoribus diſtingui, vel ut diviſæ vel ut compoſitæ, cujus, & exemplum habetur etiam in S. Thoma 1. p. q. 14. art. 13. ad 3. ubi hanc (omne ſcitum à Deo neceſſarium eſt eſſe, in qua modus in medio dicti interponitur) diſtinguit vel ut diviſam, & ſic illam dicit falſam, vel ut compoſitam, qua ratione illam concedit veram, & eandem diſtinguit q. 2. de verit. art. 12. citato. Similiter Ariſtoteles ipſe primo de Interpret. cap. ult. dicit hanc (omnis res dum eſt, neceſſe eſt eſſe) eſſe compoſitam, & veram licet modus in medio dicti interponatur.

Tertio ſupponendum quòd quando modalis compoſitia eſt de poſſibili, ad ſui veritatem requirit, quod ejus de ineſſe ſit poſſibilis, & per illam immediatè regulatur, & probatur, & ſic talis modalis eſt vera, verbi gratia hæc (hominem eſſe album eſt poſſibile) ſic immediatè probatur, hæc eſt poſſibilis, homo eſt albus, quæ abſque dubio poſſibilis eſt. Unde illa modalis vera redditur, ut conſtat. Si autem fuerit compoſita per ly neceſſariò, ad ſui veritatem poſtulat quod ſua de in eſſe ſit neceſſaria, & per illam immediatè probabitur, ſicut iſta, (hominem eſſe Animale eſt neceſſe) ſic verificatur. Hæc propoſitio (homo eſt animal) eſt neceſſaria. Ad falſitatem autem modalis compoſitæ requiritur quod ſua de ineſſe ſit impoſſibilis, ut patet in iſta, album eſſe nigrum eſt poſſibile, quæ abſque dubio falſa eſt, quia iſta ſua de in eſſe (albũ eſt nigrum) eſt impoſſibilis. Undè S. Th. loco citato dicit, quod hoc dictum, album eſt nigrum non poteſt eſſe verum.

Supponendum eſt quarto quòd modalis diviſa non eſt immediatè reducibilis ad ſuam de ineſſe, nec per illam immediatè probari debet, quia aliàs multæ diviſæ & veræ, redderentur omninò falſæ, cujus unicum tantum adhibeamus exemplum in Dialecticis, & alterum in Theologicis. In Dialectica quidem homo albus poteſt eſſe niger, abſque dubio veriſſima eſt, & tamen ſi ſic probaretur per ſuam de ineſſe, hæc eſt poſſibilis, homo albus eſt niger, falſa redderetur, cum iſta non poſſibilis ſit, ſed impoſſibilis. Parique ratione in Theologia hæc, prædeſtinatus poteſt damnari, quæ ut diviſa ſine dubio veriſſima eſt, ſi ſic probaretur, hæc ſua de ineſſe eſt poſſibilis, prædeſtinatus damnatur,

Digitized by Google

damnatur, cum ista de inesse non possibilis, sed impossibilis sit, fieret ut modalis prædicta non vera esset, sed falsa. Debet ergo prius in his modalibus divisis tolli vel resolvi connotatio, & postea per de inesse probari hoc modo, ut in prædictis semper persistamus exemplis. Homo albus potest esse niger, homo potest esse niger, & homo potest esse albus, & postea unam quamlibet probari, vel reduci ad suam de inesse, dicendo hæc est possibilis, homo est albus, & similiter hæc est possibilis, homo est niger. Et similiter prædestinatus potest damnari, hoc potest esse prædestinatum, & hoc potest damnari, quia verbum (*possibile*) tam antè se, quàm post, ampliat terminos ad possibilia, & facta hac resolutione connotationis una quælibet pars probatur per suam propriam de inesse, dicendo hæc est possibilis, hoc damnatur, similiter hæc est possibilis, hoc est prædestinatum, quarum utraque est vera. Et istæ resolutiones sunt maximè considerandæ, ne contingant sophismata, dum propositiones veræ divisæ & verissimæ in materiis gravissimis, quia immediatè probantur per suas de in esse ad modum compositarum redduntur ex consequenti compositæ, & falsæ, ut in allatis exemplis satis constat, quod vitium à multis video committi, dum se & alios plurimis cavillationibus, & sophismatibus involvunt, & propositiones verissimas reddunt falsas, ut infra clarius demonstrabitur.

Supponendum ultimò id quod supra diximus, quòd modalis composita, faciens proinde compositum sensum, illa est in qua illud quod importatur per subjectum, & illud quod importatur per prædicatum denotantur componi, & conjungi simul, & pro eodem instanti in eodem subjecto mediantibus modis quibus afficitur: ita quòd si modalis composita fuerit de possibili denotatur id quod se tenet ex parte subjecti, & id quod se tenet ex parte prædicati esse simul pro eodem instanti compossibile in tali subjecto, & si fuerit composita per modum [necessariò] denotat id quod se tenet ex parte subjecti, & id quod se tenet ex parte prædicati simul, & pro eodem instanti necessariò conjungi in eodem subjecto; sive id quod se tenet ex parte subjecti, & quod se tenet ex parte prædicati, utrumque sit actus, ut magis regulariter contingit, sive unum sit actus, & alterum sit potentia, sive utrumque sit potentia.

Exemplis ista aperiamus. Hæc propositio album esse nigrum est possibile, quã diximus esse modalem compositam, hoc modo componit, quod videlicet aliquis possit esse simul, & pro eodem instanti albus, & niger in eadem videlicet corporis parte, qua ratione illa est falsa, ut sua de inesse manifestat, cum dicimus. Hæc est possibilis, album esse nigrum. Hæc enim duæ formæ importatæ per prædicatum, & subjectum incompossibiles sunt simul in eodem subjecto. Hæc autem alia similis, prædestinatum damnari, est possibile, Pariter falsa est, quia denotat utramque formam per subjectũ, & prædicatũ importatam videlicet prædestinationem, & damnationem simul in eodem subjecto posse compati, quod est impossibile. In hac autem, hominem risibilem flere est possibile, ex parte subjecti importatur potentia, ex parte vero prædicati actus, ut constat, quia tamen potentia illa cum illo actu simul, & pro eodem instanti compossibiles sunt in eodem homine, ideo illa modalis composita de possibili vera est, ut probat sua de inesse, hæc propositio est possibilis, risibilis flet. Similiter si dicamus flebilem esse risibilem est possibile, vera est, quia licet sit composita, & licet componat potentiam tenentem se ex parte subjecti cum alia potentia tenente se ex parte prædicati, tamen utraque potentia simul, & pro eodem instanti eidem convenit subjecto, ut sua de inesse manifestat, cum dicimus, hæc propositio est possibilis, flebilis est risibilis.

Modalis autem divisa per oppositum illa est, quæ dividit id quod se tenet ex parte subjecti, & id quod se tenet ex parte prædicati, ab invicem, dividit, inquam & separat, nè illa duo simul & pro eodem instanti conveniant eidem subjecto, & solum denotat, quod utraque forma pro diversis temporibus successivè possit eidem competere subjecto, & propterea dicitur divisa, quia dividit, & separat formas ab invicem; ut patet in ista, homo albus potest esse niger, quæ denotat quòd subjectum, quod potest esse album, potest esse nigrum pro alio tempore. Hæc fundamenta ex vera Dialectica esse deducta, illaque verissima nullus, nisi qui totius sit Dialecticæ ignarus, potest inficiari, vel de illis dubitare. Ab aliis autem multis pertinentibus ad modales compositas, & divisas abstinemus, quia solum ea ex Dialectica adduximus, quæ præsentem fundant materiam.

Ex quibus sequitur sensum divisum superius quid esse ad sensum compositum, latiùs enim patet divisus quàm compositus sensus: Sicut latiùs & superiùs quid est, subjectum & potentiam habentem unam formam vel actum posse pro alio tempore habere contrariam ad se ipsam quàm si ponatur conjuncta simul, & pro eodem tempore cum illa. Unde idem est argumentari à sensu diviso ad compositum, ac argumentari à potentia divisa, & separata ab aliquo uno actu ad eandem conjunctam cum illo: vel ut clarius dicamus, idem est ac argumentari à superiori ad suum inferius. Sicut ergo arguere à superiori ad inferius affirmativè, nulla est consequentia. Ità nulla est arguere affirmativè à diviso sensu ad compositum. Et sicut negativè tenet consequentia à superiori ad inferius. Ità negativè bona est consequentia à negatione sensus divisi, ad negationem sensus compositi, & per oppositum sicut arguere ab inferiori ad superius affirmativè bona est consequentia. Ita bona est arguere affirmativè à sensu composito ad divisum. Et sicut nulla est consequentia ab inferiori ad superius negativè, ita nulla est argumentari à negatione sensus compositi ad negationem sensus divisi, ut in exemplis allatis & inferendis de sensu diviso, & composito facile quis poterit practicè comprobare.

CAPUT IX.

Ad pleniorem sensus divisi, & compositi intelligentiam quædam regulæ adducuntur.

UT autem quæ dicta sunt perfectiùs intelligantur, has accipe Regulas. Prima est in his materiis de scientia Dei, ejus voluntate, de providentia, prædestinatione, atque divina motione, & humana libertate, cum Doctores communiter distingunt necessitatem in sensu diviso, & composito, semper id quod se tenet ex parte prædicati & ex parte subjecti constituuntur ut duæ formæ actuales, sivè ut duo actus, nec consueverunt ex parte subjecti actualem formam constituere sive actum, & ex parte prædicati potentiam, necè converso. Hoc fit manifestum primo in illa communissima propositione, *res dum est, necesse est esse*, quæ quoquomodo sumatur, sive divisè, sivè compositè, semper actuale esse ex parte subjecti, & actuale esse, & ex parte prædicati componit, vel dividit. Similiter hoc patet in illa alia frequentissima in materia de prædestinatione, prædestinatus potest damnari, quæ sivè sumatur compositè, sive divisè, semper id quod se tenet ex parte subjecti est actualis prædestinatio, & id quod se tenet ex parte prædicati est actualis damnatio, ut verba apertè sonant. Parique ratione in illa alia (*liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum potest dissentire*) quæ sensum facit divisum, id quod se tenet ex parte subjecti, est liberum arbitrium actualiter motum, & id quod se tenet ex parte prædicati, est actualiter dissentire.

Secunda

Digitized by Google

Secunda Regula. Quando illi duo actus, vel duæ actuales formæ importatæ per prædicatum & ſubjectum in ſimilibus propoſitionibus, ſunt ſimul repugnantes ad invicem, tunc propoſitiones compoſitæ per verbum (*poteſt*) vel per modum *neceſſarium* ſunt falſæ: Si autem ſint propoſitiones compoſitæ per verbum (*impoſſibile*) erunt veræ. Exemplum primi. Prædeſtinatum damnari eſt poſſibile, quæ eſt compoſita, falſa eſt, quia facit iſtum ſenſum, quod eſt ſimul compoſſibile, quod homo ſit prædeſtinatus, & damnetur, vel quod in ipſo homine ſit potentia ad conjungendum & componendum ſimul iſta duo, & quod ſit prædeſtinatus, & quod damnetur, ut oſtendit ſua de ineſſe. Hæc propoſitio prædeſtinatum damnari eſt poſſibile, quæ abſque dubio non poſſibilis ſed impoſſibilis eſt, quia componit per verbum (*poſſibile*) duos actus vel duas formas ad invicem ſimul incompoſſibiles, unde eadem propoſitio compoſita per verbum (*impoſſibile*) erit vera, dicendo prædeſtinatum damnari eſt impoſſibile, quæ compoſita ratione facta, eſt vera ut demonſtrat ſua de ineſſe; videlicet hæc propoſitio eſt impoſſibilis, prædeſtinatus damnatur. A fortiori autem ſi illa duo repugnantia conjunguntur per verbum (*neceſſariò*) erit propoſitio falſa, ut ſi dicas, prædeſtinatum damnari eſt neceſſe, facit enim ſenſum eſſe neceſſe, quod iſta duo ſimul cohæreant, quòd aliquis ſit prædeſtinatus, & damneur, vel quòd ſit in homine potentia ad neceſſariò utrumque ſimul conjungendum.

Tertia Regula. Quando illi duo actus, vel duæ actuales formæ, ſive actuales motiones ſunt adinvicem non ſolùm ſimul compatibiles, ſed neceſſariam habentes connexionem ex ſuppoſitione tamen, tunc propoſitiones compoſitæ per verbum (neceſſariò) ſunt veræ, Verbi Gratia, prædeſtinatum ſalvari eſt neceſſe, eſt vera, quia iſta ſua de ineſſe eſt veriſſima. Hæc propoſitio eſt neceſſaria, prædeſtinatus ſalvatur, diximus eſſe neceſſariam ex ſuppoſitione, quia ſi neceſſarium ſumatur ſimpliciter & abſolutè: illa propoſitio falſa eſt. Et ſimiliter hæc alia, liberum arbitrium efficaciter à Deo motum & excitatum conſentire eſt neceſſe, quæ eſt compoſita & veriſſima, quia ſua de ineſſe per quam comprobatur, vera eſt, ſi dicas hæc propoſitio eſt neceſſaria, nempè ex ſuppoſitione, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum conſentit. Et à fortiori utraque erit poſſibilis, & ſuæ oppoſitæ erunt falſæ, ut ſi dicas prædeſtinatum ſalvari eſt impoſſibile: liberum arbitrium à Deo efficaciter motum conſentire eſt impoſſibile.

Quarta Regula. Quando illi duo actus, vel duæ actuales formæ, vel motiones ſunt adinvicem repugnantes, ſeu incompoſſibiles, propoſitiones diviſæ de verbo (*poteſt*) ſeu de verbo (*neceſſariò*) ſunt veræ, Verbi Gratia ſi dicas, prædeſtinatus poteſt damnari, in qua actualis prædeſtinato importata ex parte ſubjecti, & actualis damnatio importata ex parte prædicati ſunt duo adinvicem repugnantes, & tamen illa propoſitio ſumpta diviſè vera eſt; imò ex eo vera eſt, quia dividit & ſeparat adinvicem illas duas repugnantes formas. Et tunc facit ſenſum quod prædeſtinatus poteſt, ideſt, habet ex ſe potentiam ut damnetur, quæ propoſitio diviſa vera eſt. Similiter iſta, liberum arbitrium à Deo efficaciter motum poteſt diſſentire, in ſenſu diviſo eſt vera, quia facit ſenſum quod liberum arbitrium adhùc ſic efficaciter motum potentiam liberam habeat ad diſſenſum, quæ propoſitio veriſſima eſt.

Ultima Regula. Quando illi duo actus, vel duæ actuales formæ ſive motiones ſunt ad invicem ſimul repugnantes propoſitiones diviſæ per verbum (impoſſibile) ſunt omninò falſæ: Verbi Gratia prædeſtinatus non poteſt damnari, liberum arbitrium à Deo efficaciter motum non poteſt diſſentire, utraque & quæcumque ſimilis in ſenſu diviſo accepta, eſt omninò falſa, quia ſit ſenſus, quod prædeſtinatus non habeat potentiam ut damnetur, & liberum arbitriam poſtquàm eſt efficaciter motum non habeat liberam potentiam ad diſſenſum, quòd falſiſſimum eſt, quia abſque dubio & homo poſtquàm eſt prædeſtinatus potentiam habet ex ſe ut damnetur, & liberum arbitrium poſtquàm eſt efficaciter motum potentiam habet ad diſſenſum, licet neuter (ut diximus) potentiam habeat ad ſimul componendum utrumque, & quod efficaciter moveatur, & quod diſſentiat, & quòd ſit prædeſtinatus, & quòd damnetur.

Ex his Regulis fit manifeſtum quiſnam ſit ſenſus compoſitus, & quis diviſus, & quomodo verificentur ſeu falſificentur propoſitiones, ſive diviſæ, ſive compoſitæ in his graviſſimis materiis. Unde in ſumma ſenſus compoſitus per verbum (poteſt) eſt quòd ſit potentia ad conjungendum id quod ſe tenet ex parte prædicati cum eo quod ſe tenet ex parte ſubjecti, id eſt actum cum actu, ſive actualem formam cum alia actuali forma. Senſus autem diviſus eſt, quòd in homine conſtituto ſub uno actu adhùc ſit potentia ad contrarium actum. Hoc enim eſt quòd expreſsè dixit Philoſophus ubi ſuprà.

Unde quod eſt maximè advertendum non eſt ſenſus compoſitus, quòd præſupponatur & conjungatur aliquid ex parte ſubjecti, ut jam ſuprà declaravimus, nec eſt ſenſus diviſus, quòd ablato illo, quod præſupponitur ex parte ſubjecti poſſit habere contrarium actum; imò ſenſus compoſitus eſt, quòd præſuppoſito eo quod ſe tenet ex parte ſubjecti ſit poſſibile cum illo conjungi & componi id quod ſe tenet ex parte prædicati: & ſenſus diviſus eſt non ſolùm, quod quando potentia nullum habet actum, poſſit habere utrumque, ſed etiam eſt ſenſus diviſus, quòd poſtquàm ſubjectum, vel potentia habet unum oppoſitorum, potentiam habet ad aliud. Imò ex eo quòd potentia, antequam habeat aliquod oppoſitorum, eſt in potentia ad utrumque ut iſti Authores fatentur, ex hoc inquam, manifeſtè ſequitur, quòd etiam poſtquàm habet unum oppoſitorum adhùc maneat cum potentia ad aliud, quia actus ſuperveniens potentiæ ab ipſa non aufert illam potentiam, quam ex ſe habebat ad alium contrarium, imò nec illam auferre poteſt; ſed neceſſe eſt quòd adhùc potentia vel ſubjectum conſtitutum ſub uno oppoſitorum cum potentia maneat ad aliud. Unde ſicut vocatur, & eſt ſenſus diviſus ille, quo potentia antequam aliquem habeat actum poteſt quodcumque oppoſitorum habere, ita eſt abſolutè verè ſenſus diviſus cum potentia actuata uno contrario retinet potentiam ad aliud, licet non ad aliud ſimul cum eo habendum, quia nec anteaquàm aliquod oppoſitorum habeat, potentiam habet ad utrumque ſimul conjungendum, hæc enim potentia repugnat, nec in aliquo ſubjecto poteſt aliquo modo aliqua potentia talis conſiderari. Et quòd iſte à nobis nunc explicatus ſit diviſus ſenſus & compoſitus, quem Recentiores nullo modo volunt intelligere, patet primo ex Philoſopho 9. Metaph. Text. 10. & 17. & 1. de Cœlo Text. 119. ubi docet, quòd potentia ſimul eſt ad utrumque oppoſitorum, ſed non oppoſita ſimul. Quibus verbis ſenſum compoſitum & diviſum manifeſtiſſimè tradidit, in prioribus quidem cum dicit potentiam ſimul eſſe ad utrumque oppoſitorum ſenſum exprimit diviſum, quia potentia, ſive ante actum, ſive formam, ſive poſt formam & actum potentiam retinet ad aliud oppoſitum. In poſterioribus autem verbis, cum ait, potentiam non eſſe ad oppoſita ſimul, apertè tradidit compoſitum ſenſum modò à nobis

Digitized by Google

explicatum; quia nulla potentia sive ante omnem actum & formam, sive post formam & actum, potest utrumque oppositorum simul conjungere, nec potentia ad hoc aliquando fuit, aut potuit esse in subjecto aliquo, quia esset potentia ad impossibilia & contraria simul habenda, & hoc est quod communiter distinguit Capreolus de simultate potentiæ & de potentia simultatis. Prima namque, id est, simultas potentiæ remanet in subjecto sub uno actu contrario ad alium oppositum. Secunda verò id est potentia simultatis negatur: quia ut dictum est est involuit duorum oppositorum simul compositionem.

Item cum Aristot. illam veram dixit propositionem. Res dum est, necesse est esse, manifestè illam in sensu composito protulit, quem satis clarè illa dictio, dum est, manifestat. Unde sensus est, necesse est, quod res dum est, sit.

CAPUT X.

Distinctio sensus compositi, & divisi aliis verbis, sed eodem sensu ex aliorum Doctorum sententia amplius explicatur.

ALIIS verbis Doctores alij explicant sensum compositum atque divisum, idem tamen significantibus; dicunt enim quòd in his propositionibus sedens potest stare, æger potest esse sanus, sensus compositus est falsus, quia involvit incompossibilia; est enim talis, fieri potest ut sedens dum sedet, stet; fieri potest ut æger, dum æger est, sanus sit; cum tamen sensus divisus sit verus, fieri potest ut is qui sedet, stet, qui est æger sit sanus scilicet pro diversis temporibus. Quia enim in his propositionibus de sensu diviso non ponitur illa particula (*dum est*) quæ ponitur in prioribus compositis, denotatur quòd non simul illa duo possint esse, sed quòd pro diversis temporibus possunt convenire subjecto.

Præterea. Hanc esse legitimam intelligentiam sensus compositi, & divisi docet apertè Magister sententiarum relatus supra, qui explicans formalibus verbis sensum conjunctum & compositum, simul conjungit & pro eodem instanti id quod ex parte subjecti, & id quod ex parte prædicati se tenebat, dicens: *Si enim intelligas, non potest aliter fieri, quam Deus præscivit; id est, non potest utrumque simul esse; videlicet quod Deus ita præsciverit fieri, & aliter fiat; verum intelligis.* Sic habet in 1. dist. 37. q. 1. §. Ad hoc autem: *Sed adhùc urgent quæstionem dicentes, aut aliter potest fieri quam Deus præscivit, aut non aliter, si non aliter? ergo necessario cuncta eveniunt. Si verò aliter? potest ergo Dei præscientia falli, vel mutari.* Et respondet. *Ad quod dicimus illam locutionem multiplicem facere intelligentiam, scilicet, aliter potest fieri quam Deus præscivit; & impossibile est non esse quod Deus præscivit; & impossibile est non esse præscita omnia, quæ fiunt, & hujusmodi. Possunt enim hæc conjunctim intelligi, ut conditio sit implicita, & disjunctim. Si enim ita intelligas, non potest aliter fieri, quam Deus præscivit, id est, non potest utrumque simul esse, scilicet quod Deus ita præsciat fieri, & aliter fiat, verum intelligis: Si autem per disjunctionem intelligas, ut dicas hoc aliter non posse evenire quam evenit, & quomodo Deus præscivit, falsum est. Hoc enim aliter potest evenire, quam evenit, & tamen Deus hoc modo futurum esse præscivit.* Idem repetit in eodem primo dist. 40. q. 1. dicens. *Quibus respondemus ex ea ratione dictum esse, & verum esse numerum electorum non posse augeri, vel minui; quia non potest utrumque simul esse, scilicet, ut aliquis salvetur, & non sit prædestinatus; vel ut aliquis prædestinatus sit, & damnetur. Intelligentia enim conditionis implicita veritatem facit in dicto, & impossibilitatem in vero. Si verò simpliciter intelligatur impossibilitas non admittitur; ut cum dicitur prædestinatus potest, vel non potest damnari, & reprobatus potest salvari. In his enim & hujusmodi locutionibus ex ratione dicti dijudicanda est sententia electionis. Alia namque fit intelligentia, si per conjunctionem hæc recipiantur verba, atque si per disjunctionem, ut suprà, cum de præscientia agebatur, pretaxatum est. Si enim cum dicis, prædestinatus non potest damnari intelligas ita, ideò, non potest esse, ut prædestinatus sit, & damnetur, verum dicis, quia conjunctim intelligis: falsum autem si disjunctim; ut si intelligas illum non posse damnari, quem dico prædestinatum, potuit enim non esse prædestinatus, & ita damnaretur.* Hæc sententiarum Magister. Quomodo autem hæc ejus ultima verba sint intelligenda jam suprà explicatum est.

Ampliùs omnia loca S. Th. supra relata nihil aliud ostendunt; nisi hoc solùm & non nisi hanc intelligentiam sensus compositi & divisi manifestam, præcipuè ille locus ex 1. p. citatus ex quæst. 23. art. 6. ad 2: ubi dicit. *Quod licet sit possibile eum qui est prædestinatus, mori in peccato, secundùm se consideratum, tamen hoc est impossibile, posito ut supra ponitur, eum prædestinatum.* Et solutione ad 3. inquit, quòd Deum velle prædestinare & salvare homines est necessarium ex suppositione, non tamen simpliciter. Item eadem 1. p. q. 19. art. 3. distinguit duplex necessarium, scilicet necessarium absolutè, & necessarium ex suppositione, & ait, quod Deus vult alia à se voluntariè, & non ex necessitate absoluta. Supposito enim, inquit, quòd Deus velit, non potest non velle, quia non potest voluntas ejus mutari. Idem docet quæst. eadem art. 7. ad 4. ait enim; *quod licet Deum velle aliquid, non sit necessarium absolutè, tamen necessarium est ex suppositione; propter immutabilitatem divinæ voluntatis.* Et q. 1. de Potentia art. 5. docet apertè, Deum non posse velle, vel facere aliquid in sensu composito, & hoc nihil aliud esse quàm non posse facere simul duo contradictoria vera; Et clarius eundem compositum sensum declarans 2. 2. q. 24. art. 11. sic dicit. *Unde impossibile est hæc duo simul esse vera, quòd Spiritus sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipse charitatem amittat peccando.* Idipsum dicit 1. 2. quæst. 10. art. 4. cum ait, ad 3. *Si Deus movet voluntatem ad aliquid impossibile est poni quod voluntas ad illud non moveatur, non tamen est impossibile simpliciter.* Ecce sensum compositum à D. Thoma explicatum per compositionem ejusdem actus tenentis se ex parte prædicati, cum alio actu se tenente ex parte subjecti. Item eadem 1. 2. qu. 112. art. 3. in corpore sic ait. *Alio modo potest considerari* (scilicet præparatio hominis ad gratiam) *secundùm quod est à Deo movente; & tunc habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non potest secundùm quod Augustinus dicit in libro de prædest. sanct. quòd per beneficia Dei certissimè liberantur quicumque liberantur. Unde si ex intentione Dei moventis est, quòd homo cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur secundùm illud Joan. 6. Omnis qui audit à Patre, & didicit venit ad me.* Et tandem quæst. 23. de Verit. art. 5. ad tertium. Regulam illam celebrem tradit in hac materia dicens: *Quod quamvis non esse effectus divinæ voluntatis non possit simul stare cum divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum divina voluntate; non enim sunt ista incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste potest damnari; sed ista sunt incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste damnatur.* Idem docet apertè q. 6. de

Digitized by Google

de Veritate art. 3. ad 7. dicens. *Si autem loquamur de prædeſtinato ſecundùm ordinem quem habet ad illud, ſcilicet ad Deum prædeſtinantem, ſic ordo ille non compatitur ſecum iſtum eventum, quamvis compatiatur ſecum iſtam potentiam, & ideo poteſt diſtingui ſecundùm diſtinctionem primò inductam, ſcilicet conſideratio ſub, ecti cum forma vel ſine forma.*

Item quæſt. 6. de Veritate art. 4. ad 8. ſic ait. *Quamvis de quolibet abſolutè concedi poſſit, quòd Deus poteſt eum prædeſtinare, vel non prædeſtinare, tamen ſuppoſito, quòd prædeſtinaverit, non poteſt non prædeſtinare, vel è converſo, quia non poteſt eſſe mutabilis; & ideo dicitur communiter, Deus poteſt non prædeſtinatum prædeſtinare, vel prædeſtinatum non prædeſtinare in ſenſu compoſito eſt falſa, in diviſo vera, & ideo omnes locutiones illæ quæ ſenſum compoſitum implicant, ſunt falſæ ſimpliciter. Unde non eſt concedendum, quod numero prædeſtinatorum poſſit fieri additio vel ſubſtractio, quia additio præſupponit illud, cui fit additio, & ſubſtractio illud à quo ſubſtrahitur. Et eadem ratione non poteſt concedi quòd Deus poſſit plures prædeſtinare, quam prædeſtinet, vel pauciores,* Et quæſt. 6. de malo art. unico ad 3. ſic ait. *Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt, ſed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas; ſicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur, & tamen à cauſis contingentibus proveniunt effectus contingentes inquantùm Deus omnia movet proportionabiliter, unum quodque ſecundum ſuum modum.*

Item primo contra gentes cap. 6. ratione vltima ait. *Si unumquodque à Deo cognoſcitur, ſicut præſentialiter viſum, ſic neceſſarium erit eſſe quod Deus cognoſcit, ſicut neceſſarium eſt ſortem ſedere, ex eo quòd ſedere videtur. Hoc autem non neceſſarium eſt abſolutè, vel ut à quibuſdam dicitur, neceſſitate conſequentis; ſed ſub conditione, vel neceſſitate conſequentia. Hæc enim conditionalis eſt vera, ſi videt ſedere, ſedet: unde ſi conditionalis in cathegoricam transferatur, ut dicatur, quòd videtur ſedere neceſſe eſt ſedere: patet eam de dicto intellectam, & compoſitam eſſe veram, de re verò intellectam & diviſam, eſſe falſam. Et ſic in his, & in omnibus ſimilibus, quæ Dei ſcientiam circa contingentia oppugnantes argumentantur, ſecundùm compoſitionem, & diviſionem falluntur.* Hæc ſanctus Thomas. Quibus addendum eſt teſtimonium aliud ſuprà à nobis allatum ex opuſc. 39. in quo manifeſtiſſimè tradit fallaciam quæ eſt in digreſſu à ſenſu diviſo ad compoſitum.

Prætereà quodlibet 11. quæſt. 3. art. 3. in ſolutione ad 1. ait. *Ad primum dicendum quòd hic prædeſtinatus omninò ſalvatur ex certitudine divinæ prædeſtinationis, non tamen ibi eſt neceſſitas abſoluta; ſed conditionalis.* Item quæſt. 23. de Verit. art. 4. ad 15. inquit quòd propter efficaciam divinæ voluntatis de neceſſitate ſequitur, ſi Deus vult aliquid voluntate beneplaciti, quod illud fiat. Deinde libro 3. contra Gent. cap. 94. *Manifeſtum eſt*, inquit, *quòd ordo divinæ providentiæ omninò immutari non poteſt, nec tamen oportet, quòd ea quæ ex providentia divina proveniunt, ex neceſſitate cuncta proveniant.* Idem docet poſt medium capitis §. *patet etiam.* Et eodem capite ſolvit argumenta, quibus multi his temporibus convincuntur, quod etiam proſequitur in cap. 95. Quæ omnia hic tranſcribenda non ſunt, ſed ibi legenda, & conſideranda. Illud enim cap. 94. memoria ex integro ab omnibus Theologis eſſet retinendum.

Tandem in 1. ſent. diſt. 47. quæſt. 1. art. 1. in ſecundo argumento ſic opponit: *Omnis cauſæ cujus effectus impediri non poteſt, effectus eſt neceſſarius; ſi ergo voluntas divina adeo efficax eſt, quod impediri non poſſit, effectus ejus erit neceſſarius: ſed omnium cauſa eſt voluntas divina, ut ſupra habitum eſt: ergo omnia ex neceſſitate contingunt.* Et reſpondet: *Ad ſecundum dicendum, quod quamvis voluntas Dei ſit immutabilis, & invincibilis, non tamen ſequitur, quòd omnis effectus ejus ſit neceſſarius neceſſitate abſoluta, quam habet res à cauſa ſua proxima, ſed ſolùm neceſſitate conditionata, ſicut & de præſcientia dictum eſt.* Plurima alia ſunt loca in quibus S. Th. docet expreſsè hanc doctrinam de ſenſu compoſito atque diviſo, quæ nec omnia referenda ſunt.

Similiter Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 6. §. Reſpondeo, eodem prorsùs modo quo ſanctus Thomas, & Magiſter explicat ſenſum diviſum, & compoſitum ita dicens. *Reſpondeo, Patet quod Beatus eſt impeccabilis in ſenſu compoſitionis, hoc eſt non poteſt ſimul eſſe Beatus, & peccare, ſed in ſenſu diviſionis, quòd manens Beatus non habeat potentiam, & poſſibilitatem ad peccandum, poteſt intelligi dupliciter.* Ex quibus omnibus fit apertiſſimum veriſſimam, & indubitatam eſſe intelligentiam de ſenſu diviſo, & compoſito ſuprà à nobis declaratam & explicatam, nec aliud poſſe vel à Philoſopho vel à Theologo intelligi aut explicari.

Hoc ipſum apertiſſimè demonſtratur. Certum eſt enim quòd antequàm Deus determinaret creare mundum, quòd in ipſo erat potentia ad creandum ipſum, & non creandum. Certum eſt etiam, quòd hæc eadem potentia ad creandum mundum, & non creandum in ipſo permanet etiam poſtquam illum creare determinavit; ergo certum eſt, quòd modo hac eadem ſua potentia poteſt mundum non creare; quia nempè ad id potentiam habet. Igitur omnes fateri debèt, quòd poſt mundi creationem adhùc potentiam habet Deus qua poteſt ipſum non creare, ſicut illam ante mundi creationem habebat: Hæc autem propoſitio vera eſt in ſenſu diviſo, ſeu ſimpliciter, & abſolutè: in ſenſu vero compoſito falſa eſt; ergo iſta diſtinctio ab omnibus concedenda eſt. Minor probabatur, quia verum eſt, quod poſtquam Deus determinavit mundum creare adhùc in ipſo eſt potentia ad non creandum abſolutè, nempè in ſenſu diviſo quia hæc potentia ſicut in ipſo erat ante creationem etiam permanet poſt creationem abſolutè & ſimpliciter, ut dictum eſt. In ſenſu autem compoſito falſum eſt, quod poſtquam Deus decreverit mundum creare poteſt ipſum non creare: quia falſum omninò eſt, quod poſſit conjungere, & componere cum creatione ſimul non creationem: vel quod habeat potentiam ad conjungendum & componendum ſimul iſta duo, & determinationem creationis mundi, & non creationem ipſius, quia ſi hoc poſſet, eſſet mutabilis, quod omninò ei repugnat. Igitur ſenſus compoſitus, & diviſus in hac vera intelligentia nunc, & ſæpiùs explicata ab omnibus admittendus eſt, & recipiendus.

Prætereà propoſitio iſta, voluntas ſuppoſito quòd vult non poteſt non velle (quæ etiam ab ipſis conceditur vera in ſenſu compoſito) vel facit hunc ſenſum, quòd voluntas ſuppoſito quod vult, non habeat potentiam ad volendum & nolendum, vel quod eam habeat etiam tali ſuppoſitione facta? Si primum concedant; ergo voluntas dum vult, nullam potentiam liberam habet ad contrarium actum; & ſic per hoc quòd velit, à ſe aufert ſuam potentiam liberam, quod omninò eſt impoſſibile. Si ſecundum admittant, habetur intentum, quòd ille ſit verè ſenſus compoſitus.

Prætereà iſta propoſitio, res dum eſt, neceſſe eſt

Digitized by Google

eſſe, quæ in ſenſu compoſito eſt vera (ut dicunt) illamque tradit Philoſophus, vel facit iſtum ſenſum quòd res dum eſt, non habet potentiam ad non eſſendum; vel facit hunc ſenſum, quod res dum eſt non habet potentiam, ut ſimul dum eſt, non ſit. Si ſecundum admittant, ergo iſte eſt ſenſus compoſitus, quo actus cum actu componitur ſimul. Si autem primum concedant; ergo per hoc, quod res ſit, amittit potentiam ad non eſſendum, & ſic res corruptibilis dum eſt, jam non haberet potentiam ad non eſſendum, quòd quis admittat?

Quod autem illam admittant, & ipſi in hoc ſecundo ſenſu vero ipſi teſtantur. Quia Franciſcus Suarez lib. 3. de Attribut. divin. poſit. cap. 9. §. de actionibus verò ita ait. *Unde in illo puncto certam exiſtimo D. Thomæ ſententiam in diſt. q. 25. art. 4. aſſerentis fieri non poſſe ut factum ſit infectum in ſenſu compoſito, ita enim ibi loquitur, & ſecundo contra Gent. cap. 15. Idem Bonavent. in 1. diſt. 42. q. 2. & Thomiſtæ omnes eſtque aperta ſententia Hieronymi Epiſt. 22. ad Euſtach. Aug. 26. contra Fauſtum cap. 5. Anſelm. in Prolog. cap. 6. & lib. de Concord. præſc. & prad, cap. 4. imò, & Ariſt. idem tradit 6. Ethic. cap. 2. Ratio vero eſt, quia præteritum dicitur, quod in aliqua differentia temporis habuit eſſe, impoſſibile autem eſt, ut quod ſemel ponitur habens eſſe in aliqua differentia temporis, in illa eadem non habeat, vel non habuerit eſſe, quia eſſet, & non eſſet pro eodem tempore, quod repugnat in ſe, & conſequenter etiam ipſi potentiæ Dei, quia ad ejus potentiam ſpectat, ut quod vult eſſe, pro aliquo tempore ſit, unde ſi pro eodem tempore non eſſet, eſſet contra potentiam Dei, ſicut ergo non poteſt Deus facere ut res ſit, & non ſit ſimul, quia hoc eſſet ſeipſum negare, & ſibi repugnare ita nec poteſt facere ut præteritum non fuerit.* Hæc ille. Quibus apertè conſtat eodem modo prorſus intelligere ſenſum compoſitum traditum à S. Th. & Thomiſtis, imò aliis ſacris Doctoribus, quo nos modò explicatum tradidimus, nempè ut componat actum cum actu. Talis enim res eſt, quæ licet ex contentione negetur, alibi tamen ab ipſis patentiſſimè prædicatur. Eodem modò explicat etiam Molina ſenſum compoſitum, & diviſum in Concord. diſp. 24. §. *Ad argumentum ergo*, ut nempè voluntas in inſtanti quo vult non poſſit non velle in ſenſu compoſito, ſit vera, ſcilicet in hoc, fieri non poteſt ut dum voluntas vult, non velit. In ſenſu autem diviſo ſit falſa, in hoc videlicet, quem ibi explicat, ut nullâ potentiâ fieri poſſit, ut voluntas quæ in aliquo puncto temporis aliquid vult, non poſſit tunc non velle illud, vel vacando ab omni ſuo actu, vel per contrarium actum illum rejiciendo. Hæc ille. Cum ergo ipſi dicant, hunc eſſe ſenſum diviſum, voluntas in inſtanti quo vult, poteſt non velle, & ex conſequenti eſſe propoſitionem veram; qua ratione negare poſſunt eſſe ſenſum diviſum in iſta, voluntas in inſtanti quo efficaciter movetur à Deo poteſt diſſentire.

Ex dictis ſequitur non debere dici hanc propoſitionem (liberum arbitrium efficaci motione motum à Deo poteſt diſſentire) eſſe falſam & compoſitam, componentem nempè diſſenſum cum actuali Dei efficaci motione. Et idem dico de omnibus ſimilibus ſupra poſitis, ſed affirmandum eſt prædictam propoſitionem, veriſſimam eſſe, quia etiam ſuppoſita divina motione efficaci potentia libera eſt in arbitrio ad diſſentiendum. Quod advertendum dicimus ab aliquibus, qui tenentes reipſa veram ſententiam, quòd videlicet cum motione Dei præveniente efficaci non poteſt conjungi contrarius diſſenſus, nec ſtat diſſentire, putant tamen eſſe propoſitionem compoſitam iſtam (liberum hominis arbitrium motum à Deo efficaciter poteſt diſſentire) cùm revera cum abſolutè profertur, diviſa ſit, nec fiat compoſita, niſi appoſito aliquo addito, dicendo in ſenſu compoſito, vel quid ſimile, dicendo, liberum arbitrium efficaciter motum poteſt diſſentire Deo efficaciter moventi: tunc enim eſſet compoſita, & falſa, ſi autem ſic dicatur, liberum arbitrium à Deo efficaciter motum, poteſt diſſentire Deo vocanti, & excitanti, etiam compoſita eſt: componens cum Deo vocante, & excitante, & vera eſt (ut infrà oſtendemus) parique ratione ſi prædicatum illius prædictæ propoſitionis non eſſet actus, ſed potentia ad diſſenſum V. G. ſi ſic diceretur, poſſibile eſt liberum arbitrium efficaciter à Deo motum poſſe diſſentire id eſt potentiam habere ad diſſenſum; tunc enim eſſet propoſitio compoſita componens ſive conjungens potentiam tenentem ſe ex parte prædicati cum actuali motione efficaci tenente ſe ex parte ſubjecti; quia autem iſta duo valde compoſſibilia ſunt, ut docet S. T. locis citatis, ideo prædicta propoſitio in ſenſu compoſito eſt vera, ut planè demonſtrat ſua de ineſſe per quam regulatur, & probatur; videlicet hæc propoſitio eſt poſſibilis liberum arbitrium efficaciter à Deo motum poteſt diſſentire, id eſt, potentiam habet ad diſſentiendum, quæ eſt ſua de ineſſe, quæ revera eſt poſſibilis, & neceſſaria.

Eundem verum ſenſum compoſitum, & diviſum nunc explicatum manifeſtant apertè inducta ſcripturæ teſtimonia ſupra Tract. de Prædefi. cap. 7. ut ibi manet expoſitum. In quo etiam vero ſenſu declaravimus ibi ſanctorum Patrum verba manifeſta, quæ procedunt in ſenſu compoſito hoc modo nunc explicato. Et ſimiliter Scholaſtici omnes ibi inducti hoc modo ſemper intellexerunt hanc famoſam diſtinctionem de ſenſu diviſo atque compoſito. Et tandem id apertè oſtendit illud certiſſimum fidei fundamentum, quòd ab omnibus fidelibus, ſub his verbis pronunciatur. Papa in his quæ fidei ſunt determinandis, errare non poteſt. Omnes enim Catholici ſic loquuntur ſumentes verbum (non poteſt) in ſenſu hoc eodem compoſito nunc declarato, videlicet fieri non poteſt ut Papa res fidei definiat, & erret, vel fieri non poteſt hæc duo ſimul ſtare atque conjungi, quod Papa diffiniat res pertinentes ad fidem, & erret. Nam in ſenſu diviſo, etiam ſuppoſito quòd definiat res fidei, potentiam ad aliud habet, non autem habet potentiam, quæ oppoſito actui conjungatur.

Unde Recentiores, qui intelligunt ſenſum diviſum eſſe antequam ſubjectum habeat gratiam, cui poteſt diſſentire, in hoc conveniunt cum Calvino ut lib. 3. & 4. hujus ex profeſſo oſtendemus. Recipit enim Calvinus hanc diſtinctionem de neceſſitate in ſenſu compoſito, & diviſo, ſed illam venenavit, intelligendo per ſenſum diviſum, in quo voluntas poteſt diſſentire (voluntatem) antequam habeat gratiam; & per ſenſum compoſitum, in quo voluntas non poteſt diſſentire (voluntatem) ut eſt ſub gratia, quo etiam modo nunc falsò Recentiores intelligunt, & explicant ſenſum diviſum, atque compoſitum. Sed de hoc latè quarto hujus operis libro. Cum tamen de fide ſit, quòd etiam voluntas poſita ſub efficaci gratia poſſit diſſentire, & potentiam liberam habeat ad diſſentiendum ſi velit, ut ſtatim copioſiùs explanabimus.

Ex quibus conſequitur quam falsò Martinus Becanus in ſuo libro de Libero Arbit. imponat Catholicis Doctoribus hanc prædictam falſam intelligentiam de ſenſu diviſo atque compoſito. Imò cum ipſe aliam non intelligat, eandem ſolam, quam Calvinus expoſuit, exponit, & intelligit ipſe dum dicit q. 2. illius libri. *Multi abuntur hac diſtinctione præſertim illi qui dicunt gratiam efficacem ita determinare*

Digitized by Google

minare voluntatem ad conſenſum ut non poſſit non conſentire, & eſſe liberam, unde ſi quaras an uſus liberi arbitrij poſſit conſiſtere cum gratia efficaci, putant ſatis eſſe ſi dicant, conſiſtere in ſenſu diviſo, non in ſenſu compoſito. Hæc reſponſio, ait, vulgaris eſt, & perindè valet ac ſi dicant hominem ad catenam alligatum manere liberum ut poſſit fugere, non quidem in ſenſu compoſito, ſed in diviſo: ideſt, ſi catena maneat conjuncta cum homine non poſſe fugere, ſi dividatur ac ſeparetur ab homine, poſſe fugere. Hæc ille. Ecce quàm apertè intelligit, & explicat hanc diſtinctionem eo prorsùs modo, quo eam expoſuit, & intellexit Calvinus: & utrique, ut eam reddant odioſam, imò perverſam. Si enim iſte ſenſus eſſet illius diſtinctionis, ipſa perverſa eſſet, cùm tamen ex Scripturis, ex ſanctis Patribus, ac Scholaſticis ſit utilis, imò neceſſaria in his materiis, ut oſtenſum eſt. Maneat ergo ille cum ſuo arbitrio ad hanc falſam intelligentiam ligatus, & concatenatus, ſicut, & Calvinus, qui priùs illam ſic falsò explicavit ut eam deſtrueret. Nos autem, & Thomiſtæ omnes, ac Scholaſtici antiqui, ut viſum eſt, hanc falſiſſimam intelligentiam ſemper damnamus, ut patet ex dictis. Unde non nos, ſed ille & ſui manifeſtè ea abutuntur, & cum ſit rectè intellecta, neceſſaria: ex falſa intelligentia, quam nobis imponunt, eam pernicioſam efficiunt.

CAPUT XI.

Quod in Deo eſt realis potentia ad non producendum Anti-Chriſtum poſtquam determinavit producere.

EX dictis ſatis conſtat quid ſit dicendum ad difficultatem illam, quæ inter Scotum, & Caietanum controvertitur, an videlicet ſuppoſito, quòd Deus voluit producere Anti-chriſtum ſit in ipſo vera & realis potentia phyſica ad ipſum non producendum. Scotus enim hoc videtur negare in 1. diſt. 38. quæſt. 1. Caietanus autem affirmat 1. 1. quæſt. 19. art. 7.

Dicendum eſt enim, quòd ſuppoſito quòd Deus voluit efficaciter Anti-chriſtum producere, verè manet in ipſo abſolutè & ſimpliciter, ſeu in ſenſu diviſo realis ac phyſica potentia ad ipſum non producendum. Veritas ſic explicata probatur primò ante determinationem illam divinæ voluntatis de producendo Anti-chriſto erat in Deo vera, & realis potentia ad non producendum illum, ut de ſe manifeſtiſſimè patet: ergo & modò ſuppoſita divina determinatione de ipſo producendo manet eadem realis potentia ad non producendum illum. Patet conſequentia, quia divina determinatio de productione Anti-chriſti non abſtulit à Deo realem potentiam, quæ antea in ipſo erat. Ratio eſt S. Th. 1. contra Gent. cap. 83. in ratione 3. cum dicit. *Quidquid Deus potuit, poteſt, virtus enim ejus non minuitur, ſicut nec minuitur ejus eſſentia:* Sed Deus potuit non producere Anti-chriſtum antequam ſe determinaret: ergo & nunc, cum ejus virtus non minuatur, idem abſolutè, & ſimpliciter poteſt. Explicatur hoc amplius. Poſtquam determinavit Deus producere Antichriſtum verè in ipſo manet liberum arbitrium ad producendum, & non producendum illum, verèque liberè in tempore producet, ut certiſſimum eſt, nec enim hoc aliquis poteſt negare: ergo quacumque determinatione facta verè manet in Deo realis potentia ad non volendum vel nòn producendum illum: patet conſequentia, quia liberum arbitrium realis potentia eſt in Deo ad non volendum vel volendum producendum vel non producendum effectum. Ultimò, quia alias ſequeretur quòd in me ſit modò realis potentia ad opus meritorium producendum, & tamen quòd in Deo non ſit potentia realis ad concurrendum mecum in tali opere, quod dici nullo modo poteſt. Patet ſequela: Nam ſupponamus quod Deus ab æterno permiſit me hodie non dicturum horas canonicas, hoc ſuppoſito, verè in me manet potentia, & libertas ad dicendum eaſdem canonicas horas, & tamen in Deo non manet potentia ad producendum mecum illum actum cujus contrarium Deus permiſit, ut contraria tenet ſententia.

Dicendum ſecundò quòd ſuppoſita divinæ voluntatis immutabili determinatione de producendo Anti-chriſto, ſive quolibet alio effectu, non poteſt Deus illum non velle compoſitè, id eſt, non eſt in ipſo realis potentia ad conjungendum cum illa ſuæ Divinitatis immutabili determinatione contrarium effectum, videlicet non velle vel non producere Anti-chriſtum, nec unquam in Deo fuit potentia ad iſta duo ſimul conjungenda, nempè efficacem voluntatem de producendo Anti-chriſto, & ipſum non producere, & forſitan ſic poteſt intelligi & interpretari Scotus loco ſupra citato.

Veritas iſta patet ex S. Th. in 1. diſt. 38. & 39. 1. p. q. 14. art. 13. q. 19. art. 7. & 8. q. 22. art. 2. & 4. q. 23. art. 5. & 6. Primo contra Gent. cap. 66. & 67. & alibi ſæpè dicens, quòd cum Deus vult aliquid, non poteſt ex ſuppoſitione id non velle, & ſimiliter ſuppoſito, quod ſcivit vel ſcit aliquid, non poteſt ex ſuppoſitione illud non ſcire. Parique ratione ſuppoſito quod Deus determinavit aliquid producere non poteſt ex ſuppoſitione illud non producere. Quas tamen omnes propoſitiones, in quibus eſt perpetuus, intelligit quod non poteſt in ſenſu compoſito, ut ipſe aperte docuit. Unde primo contra Gent. cap. 83. ſic dicit. *Ex his autem haberi poteſt, quòd licet Deus circa cauſata nihil neceſſariò velit abſolutè, vult tamen aliquid neceſſariò ex conditione, vel ſuppoſitione.* Et hujus reddens rationem ait. *Oſtenſum eſt enim divinam voluntatem immutabilem eſſe. In quolibet immutabili, ſi ſemel eſt aliquid, non poteſt poſtmodum non eſſe, hoc enim moveri dicimus, quod aliter ſe habet nunc & priùs. Si igitur divina voluntas eſt immutabilis, poſito quod aliquid velit, neceſſe eſt ex ſuppoſitione eum hoc velle.* In qua ratione utramque ſimul noſtram concluſionem expreſsè affirmat; nimirùm quòd ſuppoſito quòd Deus voluit aliquid, poteſt abſolutè, ſive in ſenſu diviſo illud non velle, non tamen poteſt id non velle in ſenſu compoſito. Idem dicit ibi ratione 3. & 1. p. q. 19. art. 9. ubi cum in tertio loco ſic oppoſuiſſet ad probandum Deum eſſe mutabilem: *In Deo eſt*, inquit, *potentia ad volendum, & non volendum idem: ergo Deus eſt mutabilis:* Et reſpondet, quòd licèt Deum velle aliud non ſit neceſſarium abſolutè, tamen eſt neceſſarium ex ſuppoſitione, & non poteſt Deus velle, & non velle idem, nec habet potentiam ad volendum, & nolendum idem ex ſuppoſitione, quia aliàs eſſet mutabilis. Et quæſt. 2. de Veritate art. 3. ait, quòd Deus non poteſt facere quòd ſimul dum vult; non velit, quia tunc mutaretur. Idem docet quæſt. 1. de Potentia art. 5. ad 1. ubi ait. *Ad primum dicendum, quòd hæc locutio, Deus non poteſt facere, niſi quod præſciit ſe facturum, eſt duplex; quia exceptio poteſt referri ad potentiam, quæ importatur per Ly poteſt, vel ad actum qui importatur per Ly facere: Si primo modo, tunc locutio eſt falſa; plura enim poteſt facere, quàm præſciat ſe facturum: & in hoc ſenſu ratio procedebat. Si autem ſecundo modo, ſic locutio eſt vera, & eſt ſenſus, quòd non poteſt eſſe quòd aliquid fiat à Deo,*

Digitized by Google

Deo præscitum. Quibus verbis veritatem utriusque conclusionis nostræ & primæ & secundæ manifestè declarat, & declarando confirmat.

Dicendum præterea, ex eo quòd modo sit in Deo realis potentia absolutè & simpliciter (ut prima ait conclusio) ad volendum vel producendum contrarium illius, quod semel Deus voluit, nullo modo infertur, quòd Deus sit mutabilis, vel quòd potentiam habeat ad se mutandum. Patet, quia ex divina potentia, quæ absolutè & simpliciter est in Deo & semper in illo fuit, non oritur nec oriri potest maxima illa imperfectio & impossibilitas, videlicet Deum esse mutabilem. Similiter ex eo quod in Deo modò sit liberum arbitrium ad producendum Anti-christum, quæ essentialis Dei perfectio est, quomodo inferri potest suprema imperfectio, qualis esset Deum mutabilem esse? Non ergo mutabilitas, quæ longè abest à Deo ex divina potentia libera dimanat, vel dimanare potest.

Si autem esset nunc in Deo potentia ad non producendum Anti-christum in sensu composito, id est ad conjungendum simul cum voluntate producendi voluntatem non producendi, vel esset potentia ad volendum non producere ablata à se prima volitione, tunc bene inferretur Deum esse mutabilem.

Ut autem hæc pleniùs percipiantur, & omnia quæ in hac materia de sensu diviso & composito, sive de necessitate absoluta, & conditionata, seu ex suppositione dicuntur, notandum divinam voluntatem esse immutabilem, esse simpliciter & absolutè necessarium; similiter efficacem Dei voluntatem impleri necessarium esse absolutè ac simpliciter: quia sicut de ratione intrinseca divinæ voluntatis est quod sit immutabilis, nec aliqua potentia excogitari potest, quę illam possit mutare, ita de ratione efficacis voluntatis Dei est quod impleatur nec est potentia in aliquo, ut illa non impleatur. Ex quo tamen non infertur, quod si efficax Dei voluntas vult me me scribere, vel loqui, & sic de singulis, quòd sit absolutè necessarium me scribere, vel loqui, sicut nec sequitur, quod si immutabilis Dei voluntas vult aliquid, absolutè sit necessarium id velle, sed tantùm hoc est necessarium ex suppositione, ut dictum est. Similiter & illud aliud, nempè me loqui, vel scribere tantùm est necessarium necessitate ex suppositione, sive conditionata. Et ratio hujus est, quia me scribere vel loqui, non sequitur immediatè atque præcisè ex illa necessitate absoluta, qua dicimus necesse esse absolutè divinam voluntatem efficacem impleri, sed sequitur ex illa mediatè, media videlicet alia propositione, quæ absolutè est libera, & tamen necessaria ex suppositione, unde & conclusionem hanc, debiliorem partem sequi oportet. Quod sic in actu exercito demonstratur formando integrum sylogismum: divinam voluntatem efficacem impleri necesse est; sed divina voluntas efficax vult me scribere vel loqui: ergo me scribere, vel loqui necesse est, ut nempè illa divina voluntas impleatur: constat quod Major est absolutè necessaria, Minor autem absolutè libera, & tantùm necessaria secundùm quid ex suppositione immutabilitatis Dei: ergo conclusio erit pariter necessaria necessitate tantùm, quæ est ex suppositione, sivè conditionata utpotè sequens illam debiliorem partem, nec poterit esse absolutè necessaria.

Id clarius apparebit in hoc simili: Voluntatem Dei esse immutabilem necesse est, sed hæc divina voluntas voluit Thomam prædestinare: ergo necesse est quod velit Thomam prædestinare. Manifestum est quod Major est absolutè necessaria; Minor verò absolutè libera, & tantùm ex suppositione necessaria: unde conclusio non potest esse necessaria absolutè sed tantùm est necessaria ex suppositione, quia debiliorem partem sequitur, & sic omnia consonant, quòmodo videlicet voluntatem Dei impleri sit necessarium absolutè, & quo modo necesse est quòd omnia quæ vult fiant, necessitate tantùm conditionata, ut S. Thom. ubique præcipuè 1. p. q. 19. art. 8. ad 1. ex S. P. Aug. declarat.

Ut autem quæ dicta sunt, & quæ dicentur in ista materia, pleniùs intelligantur, considerandum est hanc propositionem, causa libera est quæ positis omnibus requisitis ad operandum, etiam ex parte Dei efficaci motione, potest operari & non operari, posse facere triplicem sensum: Primum verum: secundum vero, & tertium omninò falsum. Primus verus sensus est, quod causa libera positis omnibus requisitis ad operandum, etiam ex parte Dei posita efficaci motione, potest operari & non operari, id est potentiam habet liberam ad operandum, & non operandum: qui sensus utique verus est: Nam potentiam liberam quam habebat ante illa requisita ad operandum, & non operandum positis illis requisitis retinet; nec illa adventia requisita talem liberam potentiam à causa libera auferre possunt.

Secundus sensus est, quòd causa libera positis omnibus requisitis ad operandum, etiam posita efficaci Dei motione, manet in potestate, & in indifferentia omninò æquali ad operandum & non operandum, & iste sensus falsus est: quia ad operandum est reducta de potentia in actum primum, non autem est sic reducta in actum primum ad non operandum.

Tertius sensus est, quod causa libera positis omnibus requisitis ad operandum, etiam Dei prævia & efficaci motione, potest conjungere, & simul componere cum omnibus illis requisitis ita non operationem, sicut operationem, qui sensus etiam falsus est. Etenim causa libera cum illis requisitis potest conjungere operationem: Imò illam de facto conjunget propter efficaciam Dei moventis, quæ deficere non potest; non tamen conjungit; imò nec potest conjungere cum illis requisitis non operationem, vel ut clariùs dicatur, illa propositio in sensu diviso est vera, facit enim divisum sensum in primo modo nunc explicato; in sensu autem composito est falsa, quem involvit secundus cum tertio modò nunc exposito, & declarato.

CAPUT XII.

An posse resistere & posse dissentire involvant sensum compositum, vel divisum cum eo, cui resistitur, & dissentitur,

MAGNÆ considerationis est ad vim, energiam, ac propriam naturam terminorum in hac materia attendere. Sunt enim voces quædam quæ ex sua propria ratione compositionem cum altero involvunt. Unde in hac parte Regula S. Thomæ observanda est tradita q. 6. de Verit. art. 4. ad 8. (& à nobis jam suprà relata) ubi sic ait: *Et ideò dicitur communiter, quod hæc, Deus potest non prædestinatum prædestinare, vel prædestinatum non prædestinare, in sensu composito est falsa, in diviso vera. Et ideò omnes locutiones, quæ sensum compositum implicant, sunt falsæ simpliciter: Unde non est concedendum quod numero prædestinatorum possit fieri additio, vel subtractio, quia additio præsupponit illud cui fit additio, & subtractio illud à quo subtrahitur. Et eadem ratione non potest concedi, quod Deus possit plures prædestinare, quam prædestinet, vel pauciores.* Et secundo contra Gent. cap. 25. etiam idem observat dicens. *Et ideo omnes istæ locutiones, Deus non potest facere contraria his quæ disposuit facere, & quæcunque*

Digitized by Google

eumque ſimiliter dicantur, intelliguntur compoſitæ. Quibus docet propoſitiones aliquas ex vi & forma verborum, ſenſum implicare compoſitum, nec eſſe diſtinguendas ut diviſas & compoſitas, ſed ſimpliciter & abſolutè eſſe dicendas compoſitas, & ut tales judicandas quoad veritatem vel falſitatem. Ad cognoſcendum autem, quæ importent ex vi ſua ſenſum compoſitum, illam regulam tradit, quòd videlicet, quando terminus in propoſitione ex vi ſua alium præſupponit, tunc cum illo componit; & propoſitio in qua talis terminus ponitur, compoſita eſt, & ſenſum importat compoſitum, ut patet in nominibus, additio vel ſubſtractio, in relatis propoſitionibus expreſſis.

Eſt ergo accuratiùs examinandum, an iſtæ voces reſiſtere, abjicere, ex propria ſua natura involvant compoſitionem. Si enim hanc important ſecundùm regulam à S. Thoma traditam, aſſerendum eſt poſſe reſiſtere, & poſſe abjicere, importare compoſitionem, cum eo quod abjicitur, & cui reſiſtitur. Rurſus conſiderandum an poſſe abjicere, & poſſe reſiſtere, importent compoſitionem duorum ad invicem compoſſibilium, vel incompoſſibilium: ſi enim dicant compoſitionem duorum incompatibilium juxta regulam S. Thomæ (quæ de tali compoſitione procedit) affirmativæ erunt falſæ, & negativæ veræ; ſi verò involvant compoſitionem duorum compoſſibilium, è contra affirmativæ erunt veræ, negativæ falſæ, ut exemplis ſtatim aperiemus.

Dicendum ergo eſt primò, quòd poſſe reſiſtere, in ſua ratione importat compoſitionem cum eo, cui reſiſtitur, & eſſentialiter præſupponit illud, cui reſiſtentia fit. Reſiſtere enim eſt alicui reſiſtere, vel alicui facere reſiſtentiam, & qui reſiſtit, alicui reſiſtit; nec magis additio præſupponit id cui fit additio, quam reſiſtere præſupponat id cui reſiſtentia fit, quod videtur ſatis notum. Cum ergo additio ratione hac, quia videlicet præſupponit id cui fit additio, importet compoſitionem cum eo, cui fit additio (ut Sanctus Thomas apertè docet) etiam eadem prorsùs ratione, reſiſtere importat compoſitionem cum eo, cui fit reſiſtentia. Parique ratione, abjicere, componit cum re quæ abjicitur, non minus quam addere cum eo cui fit additio, & ſubſtrahere cum eo cui ſubſtrahitur. Et idem dicendum videtur de verbo inobedire, & de verbo peccare, quòd ex propria ratione ſenſum importent compoſitum; inobedire enim eſt alteri inobedire, & eum cui inobeditur ſupponit: ſimiliter peccare eſt contra legem facere; & legem contra quam facit, præſupponit: unde poſſe inobedire, & poſſe peccare, ſenſum important compoſitum, ratione ex S. Thoma inducta, ut noſtro ſecundo libro agentes de Chriſti Domini merito copioſiùs oſtendemus.

De verbo autem, diſſentire, alia ratio eſt. Non enim ſemper in ſuo conceptu importat cum alio compoſitionem, nec eſſentialiter alium præſupponit cui diſſentiatur licet aliquando id poſſit haberi. Et ratio eſt, quia diſſentire non ſolùm opponitur aſſentire, ſed etiam opponitur huic, quod eſt conſentire; quod manifeſtum eſt. Licet autem aſſentire præſupponat in ſuo conceptu alium cui aſſentitur: quia ut S. Th. docet 1. 2. q. 15. art. 1. ad 3. aſſentire propriè eſt, quaſi ad aliud ſentire; & ex conſequenti aſſentire propriè ſumptum compoſitionem involvit cum eo, cui aſſentitur, & ponit differentiam inter aſſentientem, & illum cui aſſentitur. Tamen conſentire, alium cui conſentit in ſuo conceptu non præſupponit, nec differentiam ponit inter conſentientem, & alium cui conſentit; ſed tantùm dicit ſimul aſſentire, ut S. Th. citato articulo docet expreſsè, & in art. 3. illius quæſtionis manifeſtè dicit, quòd conſentire importat applicationem motus appetitivi ad aliquid quod eſt in poteſtate applicantis; unde in omni actu electionis docet quod homo conſentit, quia conſentit habere talem electionem. Ex quo conſtat, quòd etiam ſi voluntas, non ſit excitata vel invitata ab alio, ſed ſola ſponte ſuâ electionem liberam eliciat, in illam conſentit, & propriè conſentire tunc dicitur. Unde conſentire cum alium moventem non præſupponat, ita cum alio movente vel excitante non componit.

Cùm ergo diſſentire, ut diximus, non ſolùm immediatè opponatur huic, quod eſt aſſentire, ſed etiam huic, quod eſt conſentire (hoc enim nec contentioſus poteſt negare) & oppoſitorum eadem ratio ſit: fit conſequens, ut quamvis diſſentire, ſi conſideretur ut opponitur aſſentire, compoſitionem involvat, ſicut aſſentire ipſum; & tunc importet, quod alicui alteri diſſentiat: tamen conſideratum prout opponitur huic quod eſt conſentire, nullam involvit cum alio ſuadente, vel excitante compoſitionem, ſicut nec illam importat conſentire, ut dictum eſt; ſed tunc tantùm dicit quòd quis habeat contrarium conſenſum: ſicut conſentire importat; quòd quis habeat conſenſum in aliquo ſuo actu libero. Et propterea diximus, quòd diſſentire in ſuo conceptu eſſentialiter non involvit compoſitionem cum alio ſuadente, vel illum eſſentialiter præſupponit; ſed quod aliquando illud poteſt habere; quatenus videlicet opponitur aſſentire propriè ſumpto.

Præterea hæc propoſitio eſt vera, qui conſentit, poteſt diſſentire. Nam verum eſt dicere, quod qui conſentit potentiam habet ad diſſentiendum; quia antequam conſentiret potentiam habebat ad diſſentiendum, per hoc autem quod actu conſentiat, illam potentiam à ſe non abſtulit, nec auferre potuit: habere autem potentiam ad diſſentiendum, nihil eſt aliud quam poſſe diſſentire: ergo qui conſentit poteſt diſſentire, ergo facit talis propoſitio ſenſum diviſum, jam nunc explicatum, ideſt, potentiam habet ad diſſentiendum. Nam ſi faceret ſenſum compoſitum eſſet falſa & impoſſibilis illa propoſitio: quia faceret hunc ſenſum, quòd qui conſentit cum ipſo conſenſu poſſet conjungere contrarium diſſenſum. Igitur eſt manifeſtum, quòd diſſentire non involvit in ſuo conceptu compoſitionem, nec poſſe diſſentire importat poſſe conjungere cõtrarium diſſenſum cum conſenſu.

Si verò quis opponat, quòd etiam conſentire, ſenſum importet compoſitum, quia S. Th. 1. 2. q. 15. art. 1. docet, quòd conſentire dicat applicationem ſenſus ad aliud, & ſolutione ad 3. ſubdit, quòd conſentire eſt ſimul ſentire, unde & importat, ait, quamdam conjunctionem ad id cui conſentitur, & art. 3. affirmat quòd conſentire nominat applicationem motus ad aliquid præexiſtens in poteſtate applicantis, quæ omnia ſancti Doctoris verba compoſitionem importare videntur: unde & conſentire ſenſum apparet importare compoſitum.

Ad hoc dicendum, conſentire, in ſua ratione importare conjunctionem cum determinatione conſilii (ut S. Th. exponit ibi in art. 3.) quia importat motum voluntatis ſimul conſentientis cum determinatione conſilij, ſive voluntatis motum, acceptantis illam. Quòd & eſt de ratione cujuſcumque actus voluntatis circa media: omnis enim talis ſequitur conſilium & ſimul cum illo conſentit, qui enim vult aliquod medium in ordine ad finem, conſilium acceptat. Non tamen velle medium, ſenſum importat compoſitum. Parique ratione, quando ſolùm unum proponitur medium quod placet, quatenus placet, conſenſus eſt, quatenus verò eligitur præ aliis quæ non placent, dicitur electio: nullus tamen dicet, quòd illud placere, vel electio illa, ſenſum importet compoſitum. Imò omnis in univerſum actus voluntatis applicationem dicit & conjunctionem cum objecto volito; non tamen ſenſum importat compoſitum:

quia

Digitized by Google

quia hæc applicatio actus voluntatis ad objectum de ratione est volitionis: Ille ergo terminus propriè sensum importat compositum, qui in sua ratione importat & præsupponit aliquid distinctum & extraneum; sicut additio, diminutio, abjicere, resistere. Quod etiam importat assentire propriè sumptum, ut distinguitur à consentire: licet aliquando unum pro alio sumatur.

Unde de verbo dissentire diximus, quòd in suo conceptu non involvit semper sensum compositum: quia si sumatur ut opponitur consentire talem compositionem non implicat: Si autem sumatur ut tantùm opponitur assentiri, illam involvit, & multò magis si ex forma & dispositione terminorum exprimatur in propositione compositus sensus, puta dicendo; potest quis dissentire excitanti & vocanti, tunc enim sensus exprimitur compositus quòd cum excitante & vocante possit conjungere dissensum, ut plenius sequenti capite demonstrabimus. Ex dictis sequitur primò verum non esse quod aliqui his temporibus contendunt, scil. dissentire semper & ex propria significatione sensum involvere compositum: licet enim hoc verum sit sumpto dissentire, ut opponitur assentiri; non tamen id semper habet ex propria sua significatione, ut patet, cum opponitur consentire, quod illi minùs advertunt.

Similiter nec verum est, quod affirmant de ratione dissensus actualis esse, quòd qui dissentit, habeat actum contrarium positivè illi actui, ad quem suadens suadet vel exhortatur: satis est si habeat actum contradictoriè oppositum: seu negativè oppositum: Verbi Gratia, non est necesse, ut si quis suadet ad actum amoris, qui ei dissentit, habeat actum oppositum positivè, odij nempè: satis inquam est si habeat actum negativè oppositum, quo non vult amare, sicut alter suadet; illi enim suadenti tunc verè & propriè talis dissentit: quòd cum videatur manifestum, nec ampliori indiget probatione: tunc enim dissentiens positivè habet actum, quo non vult amare: licet non habeat actum positivè amori contrarium, nempè actum odij, ut illi putant necessarium, ut verè dicatur dissentiens actu. Parique ratione (quòd tertio adverterim) nec est verum quod asserunt, necesse esse ut quis verè & propriè dicatur dissentire: quòd in eodem instanti, quo alter suadet, vel exhortatur, invitat, seu allicit, aut quolibet alio modo moraliter excitat, ille contrarium velit, seu contradictorum, ut dictum est; quia optimè quis potest verè & propriè dissentiri alteri, qui ante tres vel quatuor horas, vel altera die suasit. Cum enim quis hoc instanti ad aliquid suadetur, & in illo instanti nec assentitur, nec dissentit, sed suspensus manet; quia nempè dubius est an sit conveniens, & bonum illi assentiri vel non; & posteà consultatione præmissa per horas aliquas, vel per diem se determinat ad dissentiendum; per positivum actum verè & propriè tunc dissentit: quia dissentit suasioni, quæ licet tunc formaliter non sit; est tamen virtualiter, nec videtur posse negari, quin tunc ille verè & propriè dissentiat.

Similiter nec vera regula est, quæ ab aliquibus Doctoribus, etiam S. Th. Discipulis traditur, nimirùm, quòd quando in istis modalibus propositionibus modus interponitur inter subjectum & prædicatum, seu verbum *potest*, quod idem est, semper est propositio modalis divisa: quando verò anteponitur est modalis composita. Tantùm enim abest, quod pro regula hoc habendum sit; quin potiùs contrarium subsistit: quia sicut ista propositio est vera & divisa respectu Dei efficaciter moventis: liberum arbitrium à Deo motum & excitatum potest dissentire: ita si dicatur: potest liberum arbitrium sic à Deo motum & excitatum, dissentire: etiam est vera propositio, & eundem divisum sensum facit, ac illa prior. In qua tamen modus, seu verbum *potest*, anteponitur. Et eodem modo idem judicium faciendum de utraque ista, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum potest aliud velle; ac de ista alia, potest liberum arbitrium à Deo motum & excitatum aliud velle: quòd nimirùm utraque divisa est & vera, cum tamen verbum *potest* toti propositioni anteponatur. Et ratione eâdem à contrario: ista propositio, numero prædestinatorum potest fieri additio, vel subtractio, in qua modus & verbum *potest*, interponitur, nullo modo divisa est, sed ex propriis terminis composita; ut expressis verbis Sanctus Thomas citatis locis affirmat. Idem possemus confirmare inducendo alias propositiones à S. Thoma superiùs inductas, in quibus modus interponitur explicatus per verbum *potest*, & tamen illas ex propriis terminis S. Th. docet esse compositas; sed ob brevitatem omittuntur; non dubium ergo quod ista, quæ ab aliquibus apponitur regula, contraria sit doctrinæ sancti Thomæ superiùs inductæ. Igitur ad cognoscendam & distinguendam propositionem compositam, atque divisam, non ad aliam, quam ad regulam sancti Thomæ inductam est attendendum: Quia etiam secundùm Philosophum hæc est modalis divisa: Album potest esse nigrum; & etiam ista, potest album esse nigrum, quæ eumdem prorsùs sensum facit. Ista autem est composita possibile, est album esse nigrum; similiter & ista, album esse nigrum possibile est: imò & ista, album possibile est esse nigrum: omnes enim istæ tres eundem important sensum compositum, licet modus anteponatur, postponatur, imò interponatur.

Sunt autem voces aliæ, quæ multò-minùs hanc involvunt compositionem, sicut stare, sedere, loqui, tacere, facere, non facere, & similes, quæ ex vi sua non præsupponunt aliud cum quo componantur. Unde posse loqui, posse stare, non componunt, cum dicimus, tacens potest loqui, sedens potest stare, & propterea sunt divisæ, & absolutè veræ: essent autem falsæ si essent compositæ.

Considerandum verò consultò nos dicere, posse dissentire, quando sumitur compositè, & posse resistere, involvere compositionem cum eo cui dissentitur atque resistitur; non cum alio, cum quo non exprimitur dissensus & resistentia. Contingit enim in propositionibus istis, quòd duo importentur ex parte subjecti, & tamen quòd posse dissentire, & posse resistere, cum uno illorum tantùm exprimat & componat dissensum, seu resistentiam, ut sequenti capite clarius exponemus.

CAPUT XIII.

Omnes propositiones, tàm affirmativæ, quàm negativæ, quæ possunt formari per hæc verba, posse resistere, & posse dissentire, adducuntur; & quam compositionem involvant, quomodove se habeant ad veritatem seu falsitatem ostenditur.

IGITUR potest primò talis formari propositio: Efficaci Dei voluntati liberum arbitrium potest resistere: quæ, ut constat ex terminis, componit resistentiam sicut possibilem cum efficaci Dei voluntate. Quia verò talis resistentia & efficacia divinæ voluntatis non sunt simul compossibiles; ista propositio composita falsa est, & sua negativa opposita, vera, hæc videlicet, efficaci Dei voluntati non potest liberum arbitrium resistere. Unde hæc negativa habetur

Digitized by Google

habetur expreſsè in ſcriptura. Heſter 13. *Nec eſt, qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati*, efficaci videlicet; quod & Eccleſia canit in Introitu Miſſæ cujuſdam Dominicæ poſt Octavas Sanctiſſimæ Trinitatis.

Cujus etiam in praxi efficaciſſimum Exemplum legimus in Concilio Sacro Nicæno lib. 2. ejuſdem Concilij cap. 13. Ubi cum diſertiſſimus quidam Arrianorum Philoſophus ad omnia quæ ſibi per Patres doctiores ex illo Concilio proponebantur aſtutiſſimè reſponderet ſurgens ſimpliciſſimus & illiteratus omninò Epiſcopus quidam, Spiridion nominatus, Philoſopho dixit: In nomine Jeſu Chriſti Philoſophe audi: & ſumma brevitate Catholica veritate de Myſterio Sanctiſſimæ Incarnationis propoſita, Philoſopho dixit: Credis hoc ita eſſe Philoſophe: At ille velut ſi nunquam ullum ſermonem contradicendi didiciſſet, ità ſtupefactus virtute dictorum mutus ad omnia hoc ſolum potuit reſpondere: ita ſibi videri nec aliud verum eſſe. Virtute inquam dictorum convictus, id eſt virtute divina quæ apparebat in verbis, & intus operabatur in corde. Ubi hìc congrua illa ſuaſio, quæ his temporibus fingitur ſola convertere homines? Cum ut oſtenderet Deus nullam talem operari ſolam hominis converſionem, nec voluit quod Epiſcopi Theologi ſubtilibus diſputationibus & ſuaſionibus eum allicerent, nec mediis illis eum convertere volvit: ſed ſimplici prolatione verborum à ſimpliciſſimo Epiſcopo prolatorū ut oſtenderet non ſuaſionibus ſolùm ſed efficaci ſua virtute illum fuiſſe converſum. Ubi hic congrua ſolùm ſuaſio, ſive exterior ſive interior homini obſtinatiſſimo & parato ad omnibus contradicendum. Virtute ergo ſola divina & potenti efficacia ſua Deus illius cor in inſtanti mutavit, atque convertit. Quod & Philoſophus ſuis propriis verbis in ſe ipſo expertus divinam efficacem ejus potentem virtutem confeſſus eſt dicens Diſcipulis ſuis: *Audite ô eruditi viri donec verbis mecum geſta res eſt, verba verbis oppoſui: & quæ dicebantur dicendi arte ſubverti: Vbi verò pro verbis virtus proceſſit ex ore dicentis, non potuerunt reſiſtere verba virtuti nec homo adverſari poterit Deo.* Quid clarius, quidvè efficacius? non poteſt homo divinæ efficaciæ, divinæque virtuti reſiſtere, & adverſari.

Secunda propoſitio ità poteſt formari: voluntati Dei inefficaci poteſt liberum hominis arbitrium reſiſtere, & iſta componit ſicut compoſſibilem reſiſtentiam cum inefficaci Dei voluntate, & quia hæc duo ſimul compoſſibilia ſunt [fieri enim poteſt, quod utrumque ſimul ſit) talis propoſitio compoſita affirmativa eſt vera, & ſua negativa oppoſita falſa. Undè in ſcriptura dicitur, *vos ſemper Spiritui Sancto reſtiſtis*, Spiritui, inquam, Sancto inefficaciter volenti.

Tertia propoſitio poteſt ſic formari. Efficaci Dei motioni poteſt reſiſtere hominis arbitrium; & iſta componit reſiſtentiam tanquam compatibilem, ſeu compoſſibilem cum efficaci Dei motione, & quia illa duo incompoſſibilia ſunt, nec enim fieri poteſt, quòd ſit efficaciter motum arbitrium, & reſiſtat ob efficaciam motionis; ideo illa affirmativa eſt falſa, & ſua oppoſita negativa vera, ſicut de voluntate Dei efficaci dictum eſt. Quantùm enim ad hoc idem eſt poſſe vel non poſſe reſiſtere efficaci Dei motioni, & efficaci Dei voluntati in cujus virtute motio efficaciam habet.

Quòd ſi opponatur, quia in Concilio Senonenſi decreto de liber. arbitr. dicitur non eſſe tale auxilium attrahentis Dei cui non poſſit reſiſti. Et Sanctus Thomas quolib. primo art. 7. inquit *quod motioni Dei poteſt homo reſiſtere.* Reſpondetur, nec Concilium, nec Sanctum Thomam aſſerere quod auxilio efficaci poſſit reſiſtere homo, unde poſſunt de excitante, & inefficaci motione intellgi, vel de efficaci in ſui principio quando incipit inſpiratio excitans antequam mens fortiori auxilio moveatur; tali enim poteſt reſiſtere homo: vel loquuntur de potentia ad reſiſtendum non propria, ſed ampla, quæ eadem eſt ac potentia ad aliud volendum quam moveat efficax motio Dei; hæc enim potentia ad aliud volendum manet cum tali motione efficaci, licet aliud velle cum illa non compatiatur, ut Sanctus Thomas docet q. 23. de verit. art. 5. de quo copiosè egimus in libro Reſponſionum ad collationes in reſponſione ad ſecundam collat. & in quarto libro copioſiùs dicemus.

Quod verò Concilium illud loquatur de gratia ſolum in ſpirante, & excitante: non de efficaci præcedentia verba declarant; dixerat enim quod Deus ſtat ad oſtium, & pulſat quod de inefficaci gratiæ auxilio procedit; & de eodem auxiliio ſtatim oppoſita verba adhibuit cui auxilio abſque dubio poteſt homo reſiſtere item loca ſcripturæ quæ adducit de inefficacia gratiæ etiam procedunt ut eſt illud, *quoties volui congregare*, & illud aliud, *vos ſemper Spiritui ſancto reſtitis*, quæ tantum de inefficaci gratiæ auxilio procedunt.

Illud etiam addendum Concilium illud Senonenſe Provinciale eſſe nec per Apoſtolicam Sedem approbatum, ex quo proinde efficax argumentum non ſumitur. Nec ſunt audiendi quidam Sancti Thomæ Diſcipuli, qui dicunt poſſe noſtram voluntatem reſiſtere efficaci præmotioni in eodem inſtanti in quo eam recepit, non quidem ut ſupponit illam præmotionem jam habitam, ſed ſecundùm ſimultatem quandam naturæ. Hoc enim eſſe impoſſibile in tertio noſtro libro probamus.

Similiter Sanctus Thomas in citato quodlib. non docet quod efficaci Dei motioni poteſt homo reſiſtere, ſed tantum quod poteſt reſiſtere Dei motioni, quod intelligendum planè eſt de motione divina in ſui principio, quando tantum excitans eſt; non verò quando jam redditur efficax: etenim Sanctus Thomas ubique in doctrina ſua docet quod efficaci Dei motioni non poteſt homo reſiſtere, ut in iſtis operibus noſtris paſſim oſtendemus.

Quarta propoſitio ſic formari poteſt: Inefficaci motioni ſeu excitationi, aut inſpirationi illi primæ poteſt reſiſtere hominis arbitrium. Et quia illa duo ad invicem compoſſibilia ſunt, nihil enim prohibet poni illam inefficacem motionem, ſeu excitationem, & cum illa ſimul poni reſiſtentiam ſicut de voluntate inefficaci dictum eſt: ideo pari ratione illa affirmativa eſt vera, & ſua oppoſita negativa falſa.

Quinta propoſitio ſic poteſt proponi: Poſita efficaci Dei motione poteſt hominis arbitrium reſiſtere. Et quia in iſta non ità expreſsè conjungitur reſiſtentia ſicut poſſibilis cum efficaci Dei motione; quia poſita illa efficaci motione non dicitur quod ei poſſit reſiſtere arbitrium, ſed quod poſita illa poſſit reſiſtere, ſivè illi ſive alteri, ideo hæc ad tollendam æquivocationem diſtinguenda eſt. Si enim fiat ſermo quod illi poſitæ efficaci motioni poſſit arbitrium reſiſtere, tunc implicitè, & reipſa componit ſicut compoſſibilem reſiſtentiam cum efficaci motione. Unde, ut jam ſupradictum eſt, affirmativa erit falſa, & negativa vera. Si autem fiat ſermo quod poſita efficaci motione poſſit arbitrium reſiſtere, non illi ſed excitationi & inſpirationi, tunc affirmativa, ut præmiſimus, eſt vera, & negativa falſa.

Digitized by Google

Quòd ut clarius constet, supponendum efficacem motionem Dei, qua arbitrium movet ad actum liberum, seu ad consentiendum, duo includere & excitationem illam primam seu inspirationem, & motionem verè efficienter moventem ad consensum liberum, ut contra Calvinum ex Concilio Tridentino, & vera Catholica fide in ipso tradita & explicata dicemus inferiùs. Unde quia in illa propositione non exprimitur possibilis resistentia cum efficaci motione, sed tantum dicitur, quòd posita illa, potest arbitrium resistere, posset quis sic eam explicare; quòd posita motione efficaci possit resistere arbitrium non illi efficaci, sed excitationi, aut primæ illi inspirationi. Verum est tamen, quod prædicta propositio multo magis ex forma & dispositione verborum videtur sonare, quod dicatur possibilis resistentia cum ipsa efficaci motione. Unde absolutè affirmativa neganda videtur, & negativa concedendæ juxta prædicta. Aliud esset, si in tali propositione exprimeretur fieri resistentiam possibilem cum sola excitatione, aut prima illa inspiratione; verbi gratia sic propositionem formando: Posita motione Dei efficaci potest arbitrium resistere Deo excitanti atque vocanti, tunc enim componeret compossibilem resistentiam, non cum efficaci motione, sed cum sola inspiratione & excitatione; & sic respectu excitationis esset composita & esset vera. Cum efficaci autem motione non denotaret esse compossibilem resistentiam, nec importaret fieri posse ut cum illa efficaci motione conjungeretur resistentia: unde respectu efficacis motionis non esset composita, & hoc est attentiùs considerandum. Quod clariùs & copiosiùs explicabitur sequenti capite.

Circa propositiones verò quæ per verbum dissentire, formari possunt, Dicendum est primò, quòd ista propositio: Posita Dei efficaci voluntate potest liberum arbitrium dissentire, absolutè vera est. Tum primo quia posse dissentire non ità propriè respicit efficaciter moventem sed magis propriè suadentem & invitantem attendit; non enim propriè dicimur assentire, vel dissentire efficaciter moventi, sed invitanti & allicienti, sicut oppositum posse resistere magis propriè efficaciter volentem, & moventem attendit, quam suadentem & invitantem, unde gratis admisso, quod talis propositio, seu tale verbum, dissentire, involvat sensum compositum, illum importabit respectu suadentis, & invitantis; ac proinde verum est, quod cum invitante & suadente potest dissensum conjungere, sed ut diximus, ex vi terminorum talem compositionem non importat, quod statim magis explicabimus. Tum secundo, quia posse dissentire absolutè & in suo conceptu non involvit compositionem, ut diximus, sed absolutè sensum importat divisum: scilicet posita efficaci Dei voluntate, potest arbitrium habere contrarium dissensum; quæ potentia in ipso est, posita efficaci Dei voluntate, licet in ipso non sit potentia ad conjungendum cum illa efficaci voluntate Dei dissensum oppositum, juxta Regulam traditam à Sancto Th. de verit. q. 23. art. 5. ad 3. jam in superioribus inductam. Et idem omnino dicendum est de ista, posita efficaci Dei motione potest arbitrium dissentire: Utraque enim sensum importat divisum: hunc videlicet posita Dei voluntate efficaci & efficaci motione potest arbitrium dissentire, id est potentiam habet ad dissentiendum seu ad nolendum, vel ad non acceptandum, quæ verba compositionem non important.

Dicendum secundò: Hæc alia propositio: efficaci Dei voluntati, sive efficaci Dei motioni potest arbitrium dissentire, falsa est & negativa opposita vera; quia in ista componitur expresè dissensus cum efficaci Dei voluntate sive motione, fit enim apertus sensus quod illi efficaci Dei motioni & voluntati potest arbitrium dissentire: posse autem illi dissentire est posse simul cum illo habere contrarium dissensum, vel posse illi contrarium dissensum conjungere: quæ proinde propositio sensum importat compositum, quare & falsa est. Quamvis enim verbum dissentire ex se non importet hanc compositionem ut diximus; tamen ex dispositione illorum terminorum exprimitur compositio & ex vi illorum illa propositio composita est.

Dicendum tertiò. Ista propositio, inefficaci Dei voluntati seu motioni potest arbitrium dissentire, ob similem rationem, nempe terminorum dispositionem, sensum importat compositum, sed verum; vera enim propositio est illa composita, quia verum est quod potest arbitrium conjungere oppositum dissensum cum voluntate, sive motione Dei inefficaci, sicut de verbo resistere, dictum est. Imò cum de facto illi inefficaci Dei voluntati dissentiat: sicut de facto illi voluntati inefficaci resistit, à fortiori illi potest conjungere contrarium dissensum. Verum est quod non ita propriè dicitur efficaci Dei voluntati, & motioni quis dissentire, sicut ei dicitur resistere, quia dissentire, ut infra commodius dicitur, propriè dicitur respectu Dei vocantis & excitantis, non respectu Dei Physicè moventis.

CAPUT XIV.

Hanc propositionem, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum posse dissentire Deo vocanti, & excitanti, componere cum Deo vocante & excitante., non cum Deo efficaciter movente.

Dictum est supra, quòd licet dissentire in suo conceptu non involvat compositionem cum vocante vel excitante, si tamen apponatur huic, quod est assentiri propriè sumpto, illam involvit; & potissimè si ex dispositione terminorum illa compositio exprimatur. Videndum erit igitur modò, an Concilium Sacrum Tridentinum in illo quarto Canone sessionis 6. de Justificatione cum definit; *liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum cooperari assentiendo Deo vocanti & excitanti, & posse dissentire si velit*; Sumat illa verba, posse dissentire, in sensu diviso, an verò in sensu composito; & si in sensu composito an componant cum Deo simul movente & excitante aut cum libero arbitrio jam in actu secundo consentiente; vel potius tantum & præcisè cum Deo vocante & excitante?

Ad quod dicendum primò, per illa verba, *posse dissentire si velit*, non fieri compositionem & conjunctionem cum Deo simul movente & excitante: vel quod idem est, cum Deo excitante & simul efficaciter movente. Hoc constat; quia dissentire non respicit efficaciter moventem; unde cum illo non componit: quia assentire, seu consentire, cui opponitur dissentire, non respicit moventem efficaciter: non enim quis dicitur assentiri seu consentire moventi efficaciter, sed vocanti, & excitanti: ut ex propriis verbis Concilij Tridentini.

In

In illo Canone quarto ſit manifeſtum: ergo nec diſſentire reſpicit efficaciter moventem, ſed vocantem & excitantem: cui ſicut quis aſſentitur, ità poteſt diſſentire. Secundò quia ſi poſſe diſſentire, componeret cum Deo efficaciter movente, ſenſus eſſet quod liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poſſet conjungere contrarium diſſenſum cum Deo efficaciter movente. Hoc enim explicatur per verbum, *motum*, additum ſupra *excitatum*, ut ſequenti capite oſtendetur: Et ſic poſſet conjungere contrarium diſſenſum cum Deo efficaciter movente ad conſenſum, quod dici non poteſt: aliàs eo ipſo redderet arbitrium per illam conjunctionem ſui diſſenſus, inefficacem motionem Dei moventis efficaciter ad conſenſum, quod eſt penitus impoſſibile.

Dicendum tertiò. Nec in illis verbis, *poſſe diſſentire*, poteſt importari ſenſus compoſitus cum libero arbitrio jam conſentiente. Patet utraque ratione præmiſſa. Primò quia, diſſentire, ut dictum eſt, non reſpicit conſenſum jam elicitum, nec ex conſequenti cum illo componit. Non enim quis dicitur diſſentire poſſe conſenſu jam habito, nec cum illo ſimul poſſe conjungere diſſenſum: cum impoſſibile ſit, quod cum conſenſu quis componat diſſenſum. Aliàs iſta duo ſimul eſſent compoſſibilia, conſenſus, & diſſenſus reſpectu ejuſdem: quod planè implicationem involvit. Præterea, ſi illa propoſitio Concilij ex illo Canone quarto relata ſenſum importat compoſitum cum Deo ſimul movente & excitante, vel cum arbitrio jam cooperante & conſentiente: ergo eſſet vera modalis compoſita: & ſic æquivaleret huic, liberum arbitrium motum, & excitatum diſſentire Deo moventi & excitanti, ſive ſibi jam conſentienti poſſibile eſt; quæ eſt formaliter ex vi diſpoſitionis terminorum compoſita, ſicut iſta, album eſſe nigrum eſt poſſibile. Hæc autem modalis compoſita manifeſtè falſa eſt, ut patet ex ſua probatione: ſic enim probatur; hæc propoſitio eſt poſſibilis, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum ad aſſentiendum & jam aſſentiens Deo excitanti, & ſibi jam aſſentienti, diſſentit: quæ non minus falſa eſt, quam iſta, hæc propoſitio eſt poſſibilis, album eſt nigrum. Et quidem qui illam Concilij propoſitionem compoſitam eſſe dicunt, & componentem cum Deo non ſolum excitante ſeu vocante ſed etiam movente, hoc intendunt quod in hoc ſenſu compoſito explicato vera ſit; ac per conſequens; quod ſit compoſſibile, ut arbitrium à Deo ſit motum & excitatum, & quod diſſentiat: ex quo rurſus ſequeretur non eſſe illam Dei motionem efficacem, quod tamen dici nullo modo poteſt: quia, ſi hoc ita eſſet, Concilium Sacrum nihil contra Calvinum definiret. Non enim efficaciam gratiæ, & divinæ motionis ſalvantem humanam libertatem contra ipſum traderet, ut non ſemel in hac materia convincemus. Etenim Calvinus efficaciam divinæ motionis contendebat humanam tollere, ſeu lædere libertatem. Unde contra ipſum Concilium definit efficaciam motionis Dei humanam non tollere, ſed ſalvare libertatem.

Dicendum tertiò. Sive illa verba Concilij, poſſe diſſentire, componant ſolum cum Deo vocante & excitante: (ſicut reipſa componere inferius oſtendemus) ſive cum illo non componant; nec unum, nec alterum, quod dicatur, aliquid refert ad ſalvandam veritatem, quam ibi Concilium tradebat; quia ſive uno ſive altero modo ſumatur, eadem veritas fidei ibi definita optimè ſalvatur; optimè enim ſive uno ſive altero modo noſtra ſalvatur libertas, atque componitur poſita Dei motione & excitatione, quod ibi Concilium definit.

Quod enim optimè ſalvetur libertas cum efficaci Dei motione, ſi illa verba diviſè ſumantur, ſatis liquet, quia tunc ſenſus eſt, quod liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum aſſentiendo Deo vocanti & excitanti, poteſt diſſentire ſi velit, id eſt poteſt habere contrarium diſſenſum reſpectu Dei vocantis & excitantis, hæc enim libera potentia ad habendum contrarium diſſenſum reſpectu Dei vocantis & excitantis, ſicut eſt in libero arbitrio antequam conſentiat, & antequam à Deo moveatur ad aſſenſum, ita in libero arbitrio manet poſt Dei efficacem motionem: imò poſtquam in actu ſecundo conſentit. Nec enim, vel per Dei motionem efficacem, vel per actualem ſuum conſenſum aufertur, aut auferri poteſt: ſicut nec potentia ad ſtandum aufertur per hoc quod quis ſedeat. Qua ratione vera eſt hæc propoſitio in ſenſu diviſo, quem importare poteſt: ſedens poteſt ſtare; licet in ſenſu compoſito, quem etiam implicare poteſt, vera non ſit; unde quoad veritatem, vel falſitatem diſtinguendum eſt modo prædicto.

Quod verò ſumpta ſupradicta propoſitio Concilij in ſenſu compoſito componente cum ſolo Deo vocante & excitante, non cum Deo inſuper movente, optimè noſtra ſalvetur libertas cum efficaci Dei præveniente motione copioſiùs infra venit explicandum; ſi prius oſtendamus prædicta verba, poſſe diſſentire, in illo quarto Canone Sacri Concilij cum Deo vocante & excitante componere.

Unde dicendum quartò: non videtur improbabile, quod aliqui viri docti affirmant, verba illa, poſſe diſſentire, in illo quarto Canone Concilij appoſita ſenſum importare diviſum, etiam reſpectu Dei vocantis & excitantis. Cujus & rationem reddunt: quia Concilium nec exprimit, nec apponit illa verba, poſſe diſſentire Deo vocanti, & excitanti: ergo non videtur illa ſumere in ſenſu compoſito; nec ad hoc reſtringenda ſunt verba illa: ut enim aſtringeremur ad id concedendum, deberet expreſsè in propoſitione apponi id cui arbitrium diſſentire ponitur; dicendo eidem Deo vocanti & excitanti cui aſſentitur, poteſt diſſentire.

Deindè cum dictum ſit ſupra, quod diſſentire non importat compoſitionem, ſi opponatur verbo, conſentire, quis prohibet ut ajunt, ita ſumi à Concilio ut opponatur verbo conſentire; ità ut ſenſus ſit quod poteſt diſſentire ſi velit: id eſt poteſt, ſi velit, habere contrarium diſſenſum nullo modo cum aliquo componendo. Sed cum ulterius advertunt, quod in illo Canone quarto opponitur, poſſe diſſentire, verbo aſſentiri, non verbo conſentire ut hoc evadant inconveniens, aſſerunt nullum inconveniens eſſe, quod ità propriè ſumat Concilium verbum diſſentire; quia etiam ſine hac proprietate vocis hujus tota intentio, doctrina & definitio Concilij ſalvatur optimè: dicendo nimirum, quòd ità hominis arbitrium liberum à Deo motum & excitatum aſſentitur Deo vocanti & excitanti quod ſi velit poteſt habere contrarium deſſenſum; vel poteſt, quod idem eſt, aliud velle. Qua ſimili ratione veniunt explicanda verba alia Concilij Senonenſis infrà referenda quibus dici videtur, quod gratiæ & motioni Dei efficaci arbitrium poteſt reſiſtere: ubi non ſumitur verbum (reſiſtere) in propria ſua ſignificatione, quia verè & propriè hominis arbitrium Dei efficaci motioni reſiſtere non poteſt; ut inferiùs clarius apparebit. Undè ſi tale Concilium loquatur de efficaci Dei motione & gratia, explicanda ſunt, quod poteſt arbitrium eidem gratiæ reſiſtere: id eſt poteſt aliud velle, ſumpto verbo,

Digitized by Google

resistere, in ampla hac significatione modo exposita. Tandem dictum est suprà quod assentiri aliquando sumitur pro consentire. Imò expressè Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 15. art. 1. ad tertium docet quod unum pro alio poni solet. Sic ergo probabiliter quis dicere potest quod in illo Canone Concilij, assentiri ponatur pro consentire, & sic non sumatur assentiri compositè, & per consequens nec dissentiri illi oppositum etiam compositè sumatur, sed divisè.

Quintò. Dicendum (minus obstantibus quæ dicta sunt modo) quod sumuntur revera illa verba Concilij, *posse dissentire*, in illo Canone fidei, in sensu componente cum Deo vocante & excitante; non cum Deo adjuvante, & movente: ut dictum est supra. Probatur ergo primo, quia ut dictum est supra, cum dissentire opponitur assentiri compositionem importat; sicut ipsum assentiri: sed in illo Canone quartò dissentire opponitur assentiri: ergo importat compositionem. Minor manifesta est in litera illius Canonis. Nec possunt illa verba explicari commodè de significatione impropria, ut prætenditur; quia verba definitionis fidei in proprio sensu explicanda sunt, nisi aliquod sequatur inconveniens ex tali proprietate sermonis: nullum autem penitus sequitur ex eo quod illa verba sumantur in proprio sensu, quo posse dissentire opponitur propriè assentiri; ergo sic sunt intelligenda, & explicanda. Quare simile non est, quod de Concilio Senonensi inducitur: quia inter alia quæ infra dicenda sunt, pro vera intelligentia illius Concilij: dato quod loquatur de efficaci actuali gratia: necessitas cogit explicare illa verba, potest resistere, in illa supradicta ampla acceptione, ne Concilium Scripturæ sacræ videatur esse contrarium, quæ absolutè dicit, non est qui tuæ possit resistere voluntati, nempè efficaci; nam inefficaci potest secundum illud: vos semper Spiritui Sancto restitistis. Quæ necessitas in in Canone Concilij Tridentini nullo modo currit.

Secundò quia Tridentinum Concilium in illo Canone quarto non obscurè tradit, quod arbitrium motum, & excitatum ità assentitur Deo vocanti, & excitanti, quod eidem Deo vocanti & excitanti potest dissentire si velit: unde compositionem cum Deo vocante & excitante revera importat. Licet enim id expressè ibi non exprimatur tamen implicitè, & reipsa, & quoad sensum ibi importatur. Quod nimirum, ita arbitrium sic motum & excitatum assentitur Deo vocanti & excitanti, quod eidem Deo vocanti & excitanti potest dissentire, si velit; Cum ergo hæc verba, posse dissentire, manifestè opponantur verbo assentiri, & cum virtualiter reipsa & quoad sensum & mentem Concilij eadem verba, posse dissentire, importent quod eidem Deo vocanti & excitanti, cui arbitrium motum & excitatum assentitur, possit dissentire, si velit; dicendum est sine dubio accipi illa verba, & à Concilio sumi, ut important compositionem cum Deo vocante, & excitante.

Dicendum, sextò eadem Concilii verba: posse dissentire; divisum sensum facere respectu Dei efficacis motionis. Unde comparatione Dei vocantis & excitantis sicut hæc propositio compositionem involvit; ità respectu Dei efficaciter moventis divisa est, & sensum importat divisum ut infra apertissimè explicaturi sumus.

Sed rogabis an absolutè & simpliciter dicendum sit esse divisam illam propositionem, à Concilio in illo Canone traditam: vel compositam?

Ad hoc dicendum est septimò & ultimò, illam propositionem, esse absolutè & simpliciter divisam, & secundum quid compositam. Cum enim in tali propositione magis principale quid sit efficacia Dei moventis importata in subjecto illius, quam Dei tantum excitatio: & respectu efficacis motionis Dei sit divisa, absolutè & simpliciter divisa dicenda est, & tantum secundum quid composita, comparatione nempe vocationis & excitationis. Quod ita amplius explicatur. Hæc enim propositio, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum cooperatur assentiendo Deo vocanti & potest dissentire si velit Deo videlicet excitanti atque vocanti æquivalet huic, liberum arbitrium à Deo efficaciter motum & excitatum potentiam habet ad dissentiendum Deo vocanti & excitanti. Potentiam autem habere ad dissentiendum Deo vocanti, & excitanti, est habere potentiam ad conjungendum dissensum cum Deo vocante & excitante, quia ut præcedenti capite dictum est ex vi dispositionis terminorum illius propositionis importatur ibi compositio cum Deo vocante: ergo hoc sonat prædicta propositio, liberum hominis arbitrium à Deo efficaciter motum & excitatum potentiam habet ad conjungendum contrarium dissensum cum Deo vocante & excitante, sed ista propositio est simpliciter divisa, & sensum divisum facit, ergo illa alia sua æquivalens, videlicet, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum potest dissentire Deo vocanti & excitanti, divisa est absolutè, & simpliciter facit sensum divisum. Major, nimirum quod illæ propositiones æquivalentes sint, aperitur. Quis enim dubiter æquivalere, posse dissentire, & potentiam habere ad dissentiendum, posse conjungere dissensum cum Deo excitante, & habere potentiam ad conjungendum dissensum cum eo? Ista proculdubio à Deo pervia sunt, ut nec sit timendum quod aliquando negentur. Similiter illa verba, motum, & excitatum æquivalent his, efficaciter motum & excitatum; nihil enim aliud posse significari per illud verbum, motum, supra excitatum appositum sequenti capite manifestum erit.

Hoc ergo supposito, probatur supradictam propositionem divisam esse & divisum sensum importari in illa propositione, denotat quod potentia conjungendi dissensum cum Deo excitante sit compossibilis cum Dei efficaci motione, non autem denotat, quod sit compossibilis cum efficaci Dei motione, ipsa conjunctio dissensus, vel ipsum actualiter dissentire; sed iste est manifestè sensus divisus, ergo talis propositio divisa est, & sensum facit divisum. Major est manifesta; quia in illa propositione denotatur, quod hoc quod est posse dissentire Deo excitanti simul stet cum libero arbitrio à Deo efficaciter moto & excitato, nec aliud per illam significatur; sed posse dissentire Deo excitanti idem est quod posse conjungere dissensum cum Deo excitante, & idem est quod habere potentiam ad talem dissensum conjungendum cum Deo excitante; ergo nihil aliud denotatur in tali propositione, nisi quod potentia ad conjungendum dissensum cum Deo excitante sit compossibilis cum libero arbitrio à Deo efficaciter moto & excitato. Minor constat ex omnibus traditis regulis pro sensu diviso atque composito, quibus dictum est propositionem compositam implicare conjunctionem actus cum actu, non actus cum potentia, potissimè ex locis à Sancto Thoma inductis, ex quibus unum repetere non fastidiat in q. 23. de verit art. 5. ad tertium. Sic enim habet. Ad tertium. *Dicendum quod quamvis non esse effectus divinæ voluntatis non possit simul stare cum*

tum divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum ſimul ſtat cum divina voluntate non enim ſunt incompoſſibilia, Deus vult iſtum ſalvare, & iſte damnatur. Ubi eſt manifeſtum, quod prima propoſitio, quæ denotat illam compoſſibilitatem eſt diviſa & vera, ſecunda autem quæ denotat incompoſſibilitatem eſt compoſita & falſa. Pari ergo ratione hæc propoſitio, liberum hominis arbitrium à Deo efficaciter motum & excitatum poteſt diſſentire, ſeu potentiam habet ad diſſentiendum; quia denotatur quod potentia conjungendi diſſenſum cum Deo excitante eſt compoſſibilis cum Dei voluntate efficaciter movente arbitrium, erit diviſa & vera. Non enim iſta ſunt incompoſſibilia; Deus efficaciter movet arbitrium ad conſentiendum Deo excitanti, & arbitrium poteſt diſſentire Deo excitanti; ſed iſta ſunt incompoſſibilia, Deus movet efficaciter arbitrium ad conſentiendum Deo excitanti, & arbitrium diſſentit. Conſtat autem quod ſicut iſta ultima eſt compoſita & falſa, quæ componit actum cum actu, ita prima eſt diviſa & vera quæ denotat ſimul ſtare potentiam ad unum contrarium cum arbitrio poſito ſub alio contrario alteri mediatè oppoſito.

Prætereà potentia ad diſſentiendum Deo excitanti atque vocanti eſt in arbitrio, antequam efficaciter à Deo moveatur, ut notum eſt: ergo in ipſo manet etiam poſtquam à Deo efficaciter eſt motum. Antecedens conſtat, quia innatum eſt libero arbitrio poſſe diſſentire cuicumque inſpirationi, & excitationi, ſi ei placuerit: ergo iſta potentia eſt in arbitrio, antequam efficaciter moveatur, quia id quod innatum eſt arbitrio, ſecundum ſe illi convenit ante quamcumque efficacem motionem, qua attrahatur. Conſequentia manifeſta eſt, quia potentia, quæ ineſt libero arbitrio ſecundum ſe, & ante quamcumque motionem, non tollitur per ſupervenientem motionem aliquam, ut in ſuperioribus manet ſatis expoſitum. Quomodo enim auferret à libero arbitrio motio ſuperveniens potentiam quam ſecundum ſe habet arbitrium? Propter hanc enim rationem docet Sanctus Thomas citato nunc loco quod cum divina voluntate, efficaciter videlicet volente vel movente (de hac enim palam loquitur) ſtat ſimul in arbitrio creato potentia ad aliud faciendum; quia illa potentia eſt pertinens ad liberam potentiam arbitrij, quæ non aufertur per Dei voluntatem vel efficacem motionem. Igitur illa propoſitio in qua denotatur, quod potentia ad diſſentiendum Deo excitanti ſtat ſimul cum Deo ipſo efficaciter movente arbitrium ad conſentiendum eſt vera, & per conſequens diviſa, ſi enim compoſita eſſet, cum ſit affirmativa; eſſet falſa, juxta expreſſam Regulam traditam à S. Tho. præcedenti capite.

Deinde, ſi ex eo quod per, poſſe diſſentire Deo excitanti, de notatur poſſe conjungere diſſenſum, cum Deo excitante infertur ſupradictam propoſitionem eſſe compoſitam & ſenſum compoſitum importare, profecto ferè omnes diviſæ propoſitiones compoſitæ eſſent & nulla ferè eſſet diviſa cum omnes aliqualem compoſitionem importent. Quod tamen quis admittat? Sumamus enim hanc ex phyſica notiſſimam, quod eſt album poteſt eſſe nigrum (quæ ut ex dictis in ſuperioribus conſtat, diviſa eſt) & inveniemus aliquam compoſitionem involvere. Nam potentia ad nigredinem, quæ ſimul ſtat cum albedine, qua ratione eſt illa propoſitio diviſa & vera, eſt potentia habendi albedinem, potentia autem habendi albedinem eſt potentia conjungendi ſibi albedinem, paſſiva tamen: ergo potentia habendi, & conjungendi ſibi albedinem eſt ſimul cum nigredine, & hoc denotatur in illa propoſitione; ſed hoc non obſtante illa eſt abſolutè diviſa: ergo potentia ad conjungendum ſibi unum oppoſitorum, quæ ſtat cum oppoſito alio non facit propoſitionem compoſitam, ſed diviſam. Idem poterit oſtendi in hac alia (materia hæc ſub iſta forma conſtituta poteſt habere aliam) quæ etiam ex phyſica, diviſa eſt, & ideo vera, denotans ſimul ſtare cum materia ſub hac forma potentiam ad aliam, quæ potentia ad habendam aliam formam eſt potentia ad recipiendam illam, & eam ſibi conjungendam. Igitur in materia ſub hac forma eſt potentia ad conjungendum ſibi aliam, quæ eſt propoſitio diviſa & vera. Nam potentia ad conjungendum ſibi quamlibet formam, quæ poteſt per agens naturale introduci, eſt connaturalis materiæ ab ipſaque inſeparabilis. Unde nec per formam, qua nunc actuatur, amittitur, ſeu deperditur, ſed talis potentia ad aliam habendam, recipiendam, ſeu ſibi conjungendam, manet in materia etiam actuata iſta forma & eſt vera propoſitio, atque diviſa; eſſet autem falſa, ſi eſſet compoſita & denotans eſſe in materia ſub hac forma potentiam ad conjungendum ſimul cum hac forma, aliam. Pari ergo ratione potentia ad diſſentiendum, ſeu ad conjungendum diſſenſum Deo excitanti, eſt ſimul in arbitrio ſub actuali efficaci motione, & importat ſenſum diviſum, & propterea vera eſt. Eſſet autem falſa, ſi eſſet compoſita denotans eſſe in arbitrio à Deo efficaciter moto potentiam ad conjungendum ſimul diſſenſum, non ſolum cum Deo excitante, ſed cum Deo efficaciter movente.

Inſuper ex parte ſubjecti in ſupradicta propoſitione, duæ motiones exprimuntur, ſcilicet excitatio & efficax motio, & liberum arbitrium ſub utraque conſtituitur, cum dicitur liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum: ergo ut ſit propoſitio compoſita, & importans ſenſum compoſitum, debet conjungere actum ſe tenentem ex parte prædicati, cum omni actu, & motione ſe tenente ex parte ſubjecti; aliàs ſi non importat conjunctionem actus tenentis ſe ex parte prædicati, cum omni tenente ſe ex parte ſubjecti, non erit ſimpliciter compoſita; ſed in illa propoſitione actus importatus ex parte prædicati, videlicet diſſentire, non componitur cum omni quod ſe tenet ex parte ſubjecti, quia non componitur cum Deo movente, vel cum arbitrio à Deo efficaciter moto; ſed ſolum cum Deo excitante, vel cum arbitrio à Deo excitato Ergo non eſt ſimpliciter cõpoſita, ſed abſolutè diviſa. Major ex dictis conſtat. Minor patet, quia propoſitio ſic dicit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt diſſentire Deo vocanti & excitanti, non autem dicit poteſt diſſentire Deo moventi; ergo non componit prædicatum cum eo quod ſe tenet ſimpliciter & abſolutè, ex parte ſubjecti: ergo non eſt compoſita, ſed diviſa.

Ampliùs, diverſa eſt iſta propoſitio liberum hominis arbitrium à Deo excitatum poteſt diſſentire Deo excitanti, ab iſta, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum poteſt diſſentire Deo excitanti; diverſa, inquam, eſt, quoad eſſe diviſam vel compoſitam. Prima enim quia componit ſicut compoſſibile diſſentire cum omni eo quod ſe tenet ex parte ſubjecti, videlicet cum arbitrio à Deo excitato eſt ſimpliciter compoſita, & facit hunc ſenſum, iſta duo ſunt compoſſibilia liberum arbitrium eſt à Deo excitatum, & Deo excitanti diſſentit, ſeu iſtum, liberum arbitrium à Deo excitatum poteſt conjungere diſſenſum cum tali excitatione. Quamvis autem ſit compoſita & affirmativa, eſt vera, quia illa duo ſunt compatibilia. At altera de qua nunc agimus, non conjungit prædicatum cum omni illo quod eſt ex parte ſubjecti, ut probarum eſt, & ſic manet di-

viſa

Digitized by Google

visa sensum divisum importans in ordine ad arbitrium efficaciter motum.

Undè in summa hæc propositio (liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum potest dissentire Deo vocanti, & excitanti) hunc sensum importat: In libero arbitrio à Deo efficaciter moto & excitato est potentia ad conjungendum dissensum cum Deo excitante, sed non cum Deo efficaciter movente; & sic cum Deo efficaciter movente non dicit esse compossibilem dissensum, sed illum potiùs à Deo efficaciter movente dividit & separat, ut patet, quia non sunt simul compossibilia ista duo, & liberum arbitrium esse à Deo efficaciter motum, & quod arbitrium dissentiat: non ergo componit illa duo, sed potius dividit. Similiter fieri non potest, ut arbitrium sit à Deo efficaciter motum ad assentiendum Deo excitanti, & quod dissentiat. Si non potest fieri ut utrumque simul cohæreat: ergo propositio illa quæ verissima est, illa duo non conjungit, sed ab invicem dividit, & sic est propositio illa divisa sensum divisum importans.

Ad hæc etiam authores cum quibus ista tractamus expresè concedunt, quod si supra primam illam indeliberatam excitationem detur vera efficiens præveniens motio ut arbitrium consentiat, non poterit arbitrium cum illa conjungere dissensum, nec ei poterit dissentire in sensu composito. Unde & hac ratione illam verè efficientem præmotionem negant; sed ut infra copiosè probaturi sumus, per verbum, motum, supra excitatum, nihil aliud importatur, nisi illa verè efficiens præmotio supra moralem excitationem, & supra indeliberatam inspirationem: ergo non potest cum illa conjungere arbitrium dissensum, nec ei poterit in sensu composito dissentire, nec hoc talis propositio importat; aliàs falsa esset, si hoc denotaret, cum tamen verissima sit.

Postremò Sanctus Thomas expresè docet liberum hominis arbitrium à Deo motum non posse dissentire in sensu composito: ergo ista propositio liberum arbitrium motum & excitatum potest dissentire Deo excitanti, quæ vera est, non facit sensum compositum, aliàs secundum Sanctum Thomam neganda esset. Antecedens patet 1.2. q. 10. art. 4. ad 3. ubi inquit. "*Dicendum quod si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moveatur; non tamen est impossibile simpliciter.* Si autem impossibile non est simpliciter, sed ex suppositione, quod arbitrium à Deo sit motum ad aliquid, & ad id non moveatur: ergo impossibile est ex eadem suppositione, quod liberum arbitrium sit à Deo motum ad consentiendum ipsi Deo vocanti, & quod dissentiat: & sic non poterit dissentire in sensu composito. Hæc ultima consequentia tenet ab æquivalentibus. Etenim duæ istæ propositiones æquivalentes sunt. Impossibile est non simpliciter sed ex suppositione liberum arbitrium esse à Deo motum ad assentiendum Deo vocanti, & quod dissentiat: & liberum arbitrium à Deo motum ad assentiendum Deo vocanti, non potest dissentire in sensu composito. Similiter idem Sanctissimus Præceptor 2. 2. quæst. 24. art. 11. Sic habet. *Impossibile est hæc duo simul esse vera, quod Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quod ipse charitatem amittat peccando:* Ergo similiter impossibile est liberum arbitrium à Deo esse motum ad assentiendum, & quod dissentiat: ergo non poterit liberum arbitrium motum à Deo ad assentiendum dissentire in sensu composito. Ergo cum illa propositio ut verissima traditur à Concilio, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum potest dissentire si velit, necesse est, quod non accipiatur in sensu composito, in quo esset falsa, sed in sensu diviso, in quo habet apertam veritatem.

Tandem hæc propositio, liberum arbitrium assentiens Deo vocanti eidem potest dissentire, vera est in sensu diviso: sicut ista, sedens potest stare, ergo sensum divisum importare potest: hunc videlicet, liberum arbitrium assentiens Deo vocanti potentiam habet ad eidem dissentiendum, & potentiam habet ad conjungendum dissensum cum Deo vocante: non autem cum suo consensu. Quia ista potentia ad conjungendum dissensum cum Deo excitante atque vocante inest secundum se arbitrio humano: ergo in ipso permanet etiam postquam consentit. Nec enim per hoc quod assensum præbeat Deo vocanti & excitanti aufert, aut auferre potest à se arbitrium illam potentiam, quam habet secundum se ad dissentiendum Deo vocanti. A fortiori ergo ista, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum ad assentiendum Deo vocanti & excitanti potest dissentire potestque conjungere contrarium dissensum cum Deo vocante & excitante, potest esse divisa & vera, dividendo nempè dissensum à Deo efficaciter movente: cum quo conjungere contrarium dissensum non potest. Sicut ergo illa prima, ut composita est falsa & impossibilis, ut divisa est vera, à fortiori hæc alia, quæ expresè traditur à Concilio. Quod si quis opponat: illa propositio liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum assentitur Deo vocanti & excitanti & ipsi Deo vocanti, & excitanti potest dissentire, componit cum Deo vocanti & excitanti: ergo ex hac parte composita est: ergo sua, per quam probari debet, etiam est vera: hæc nimirum: hæc propositio est possibilis, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum assentiens Deo vocanti, eidem dissentit: ergo ista duo sunt simul compossibilia liberum arbitrium sic motum, & excitatum dissentit: quod tamen falsum est, & incompossibile ut manet ostensum.

Ad hoc dicendum pro ut supra: quod licet illa propositio importet compositionem cum Deo excitante qua ratione secundū quid est cōposita importat tamé divisionem cum Deo movente, qua ratione est simpliciter & absolutè divisa, unde non debet probari per illam propositionem, ut argumentum prætendit quia per illam probantur propositiones, quæ tantum sunt compositæ: non quæ absolutè divisæ sunt, sicut ista propositio.

CAPUT XV.

Prædictam propositionem non sumi compositè, seu non componere simpliciter dissensum cum efficaci Dei motione ex eodem S. Concilio amplius demonstratur.

QUOD verò supradicta Sacri Concilij propositio in illo quarto Canone expressa non sumatur compositè, ita quod componat, aut componere possit dissensum cum Dei efficaci motione explicata per illud verbum motum supra extitatum positum à Concilio iterum sic confirmatur. Nam in cap. 5. ex cujus doctrina formatur ille Canon 4. docet Sancta Synodus quod homo recipiens, nimirum per suum consensum liberum, Dei inspirationem, illam potest abjicere. Si ergo importat sensum compositum: componit abjicere inspirationem cum consensu quo illam recipit: & sic erit sensus, quod homo recipiens per suum consensum inspirationem illam potest abjicere, id est potest conjungere dissensum cum assensu quo eam recepit: qui erit planè sensus impossibilis: non ergo fit in illa propositione sensus iste compositus, componens cum consensu recipientis, sed solum

cum

Digitized by Google

cum inſpiratione, & dividens à conſenſu.

Quod ſi dicant non eſſe mentem, & intentionem Concilij docere in prædicta propoſitione cap. 15. quod poſtquam homo per ſuum conſenſum recepit inſpirationem, illam adhuc poteſt abjicere, ſed intentionem & mentem eſſe, quod homo recipiens illam inſpirationem, ità verè aliquid agit eam liberè per ſuum conſenſum recipiendo, quod ſi vellet, eam poſſet non ſic liberè recipere, ſed poſſet abjicere.

Ad hoc dicendum, quod licet prædicta propoſitio iſtum duplicem ſenſum verum modo expoſitum poſſit importare: non tamen videtur, quod in illo primò à Concilio intendatur, ſed in hoc ſecundo modo explicato. Sed nos omnem verum ſenſum, quem importare poteſt, aperiamus: & in omni tali verò ſenſu declaremus non ſumi, nec poſſe ſumi in ſenſu compoſito, ſed ſemper ſumi in ſenſu diviſo. Et quia de primo ſenſu jam patet, de ſecundo ſenſu à Concilio intento id oſtendamus.

Homo recipiens per ſuum conſenſum liberum inſpirationem, ideo eam ſic liberè recipere vult, quia à gratia adjuvante movetur & adjuvatur, ut ſic inſpirationem illam recipiat, quod ex citato cap. 5. Concilij manifeſtè conſtat: quia niſi ſic efficaciter à Deo moveretur per veram adjuvantem gratiam non ſe ad juſtitiam moveret, illam inſpirationem liberè recipiendo & eidem volendo aſſentiri: ergo ſenſus Concilij eſt, quod homo efficaciter à gratia adjuvante motus & adjutus, ita liberè inſpirationem recipit, ut ſi vellet poſſet eam non ſic recipere, ſed eam poſſet abjicere: ſi ergo ſenſum importat compoſitum poterit inſpirationem abjicere & componere atque conjungere hoc abjicere cum efficaci illa motione, qua movetur, ut eam non abjiciat, ſed ipſam recipiat; ſi autem ſic componere poteſt, inefficacem poteſt reddere Dei efficacem motionem, qua movetur ad recipiendum illam; vel illa Dei motio efficax ex Deo ipſo non erit, ſed efficax ab homine ipſo efficietur. quorum utrumque impoſſibile eſt: ut ex citatis S. Thomæ teſtimoniis ſit manifeſtum. Non ergo in hoc ſenſu traditur à Sacro Concilio nec in ſenſu compoſito ab ipſo intenditur. Neceſſe eſt ergo dicamus prædictam Concilij propoſitionem in ſenſu diviſo à Sacro Concilio tradi, & intendi, in quo veriſſima eſt, ſcilicet quod homo ſic efficaciter à Deo adjutus ad recipiendam illam inſpirationem, ita liberè agit illam recipiens, quod ſi vellet, illam non reciperet, ſed abjiceret: unde efficaciter adjutus ita eam recipit, quod illam inſpirationem poteſt abjicere per diſſenſum poteſtque conjungere contrarium diſſenſum cum illa inſpiratione, non autem cum efficaci adjutorio illo, cum quo diſſenſum conjungere non poteſt: Unde non ſumitur in ſenſu compoſito, ſed potius in ſenſu diviſo, hoc videlicet, adjutus efficaci adjutorio ad aſſentiendum homo ità aſſentitur inſpirationem recipiendo, quod poteſt illam inſpirationem abjicere: id eſt potentiam liberam ad illam abjiciendum habet: non autem habet potentiam ad conjungendum illius diſſenſum cum efficaci auxilio quo movetur. Nec hanc potentiam aliquando habuit homo: vel aliquando fuit in ejus libero arbitrio.

Similiter in Canon. 4. definit Concilium Sacrum, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum cooperari aſſentiendo Deo vocanti & excitanti, & quod poteſt diſſentire, ſi velit, quæ propoſitio non poteſt intelligi in ſenſu compoſito vel componente poſſe diſſentire cum aſſenſu quo cooperatur arbitrium nec cum efficaci motione à qua movetur ad aſſentiendum Deo vocanti & excitanti; quod enim cum aſſenſu & cooperatione arbitrij non poſſit componere jam manet oſtenſum: quia eſſet impoſſibilis ſenſus dicere quod homo jam aſſentiens poſſit cum eodem ſuo aſſenſu conjungere contrarium diſſenſum. Quod vero nec importet compoſitum ſenſum cum Dei efficaci adjutorio dato homini ad conſentiendum vel aſſentiendum patet etiam ex dictis: quia ſi cum illo poſſet contrarium diſſenſum componere, poſſet utique illam Dei motionem, vel reddere inefficacem, vel ipſam inefficacem efficere, quorum neutrum eſt verum. In quo etiam Canone fidei intentio & mens Concilij in hoc ſecundo ſenſu procedit, non in illo primo ſuperius ſignato: cum ergo non poſſit intelligi illa fidei definitio illius 4. Canon. quod procedat in ſenſu compoſito, neceſſe eſt dicere quod in ſenſu diviſo à Concilo Sacro tradatur: hoc videlicet, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum ita liberè cooperatur aſſentiendo Deo vocanti & excitanti quod poteſt eidem Deo vocanti & excitanti diſſentire & cum illo conjungere contrarium diſſenſum: non verò poteſt diſſentiri Deo efficaciter moventi, vel cum illo contrarium diſſenſum componere.

Ratio autem ob quam non poteſt liberum creatum arbitrium à Deo motum & excitatum ad aſſentiendum ipſi Deo vocanti & excitanti conjungere ſeu componere contrarium diſſenſum cum Deo ſic ſimul movente & excitante, vel quod idem eſt, cum prævenienti Dei efficaci motione, illa eſt, quam ex Sancto Thoma tradidimus ſupra citatis locis ex 1. 2. quæſt. 10. art. 4. ad 3. & 2. 2. quæſt. 24. art. 11. ubi. ſic argumentum illud tertium opponit. *Poſſibile illud eſt, quo poſito non ſequitur impoſſibile, ſequitur autem impoſſibile, ſi ponatur quod voluntas non vult hoc ad quod Deus eam movet, quia ſecundum hoc operatio Dei eſſet inefficax.* Ad quod argumentum ſupradictam reſponſionem adhibuit, quam hic iterum repetimus nec vitio dandum eſt: cum ſit in tota hac materia & cauſa fundamentum ſingulare, *Ad 3.* inquit *dicendum quod ſi Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni quod voluntas ad id non moveatur, non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter.*

Tota igitur ratio ob quam argumento reſpondendo docet non eſſe poſſibile, quod Deus moveat arbitrium hominis ad aliquid & quod ipſum ad id non moveatur illa eſt ne detur motio Dei inefficax, ſi enim fieri poſſet, ut Deus moveret voluntatem ad aliquid & ipſa ad id non moveretur, eſſet manifeſtum, motionem illam Dei inefficacem eſſe: utpotè quæ non inferret effectum quem intendit. Quia ergo reputat Sanctus Thomas impoſſibile, quod motio Dei ſit inefficax; ideo docet impoſſibile eſſe quod Deus moveat arbitrium hominis ad aliquid & quod ad id arbitrium non moveatur: licet id non ſit impoſſibile ſimpliciter, ſed tantum ex ſuppoſitione: igitur ob efficaciã divinæ motionis (Dei enim motionẽ inefficacem quis admittat aliàs illam homo cum vellet conſentiendo redderet efficacem; & diſſentiendo faceret, quod cum ſua inefficacia permaneret) provenit quod liberum arbitrium à Deo motum & excitatum ad aſſentiendum Deo vocanti & excitanti non poſſit illi efficaci Dei motioni diſſentire, vel illi reſiſtere, aut cum illa conjungere & componere contrarium diſſenſum ſeu quod idem eſt, ei non poſſit diſſentire in ſenſu compoſito id eſt fieri non poteſt, ut ſic ſit arbitrium motum & excitatum efficaciter ad aſſentiendum Deo vocanti & excitanti & quod Deo vocanti & excitanti diſſentiat. Nam iſta propoſitio manifeſtè ſenſum importat compoſitum.

Quatuor ergo propoſitiones diſtinguendæ ſunt, nec ad invicem confundendæ. Prima, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum ad aſſentiendum Deo vocanti & excitanti, ita cooperando conſentit, quod eidem vocanti & excitanti Deo poteſt diſſentire & cum tali vocatione & excitatione poteſt componere contrarium diſſenſum, ad id enim

poten

Digitized by Google

potentiam ſemper habuit & habet, quæ veriſſima eſt & à Sacro Tridentino Concilio expreſsè tradita. Secunda, fieri non poteſt ſeu impoſſibile eſt ex ſuppoſitione quod ſic arbitrium à Deo moveatur ad aſſentiendum ſibi vocanti & excitanti & quod arbitrium vocanti & excitanti Deo diſſentiat aut cum illo conjungat contrarium diſſenſum, quæ etiam veriſſima eſt. Tertia, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum ad conſentiendum Deo vocanti & excitanti non poteſt Deo excitanti & ſimul efficaciter moventi diſſentire nec potentiam habet ad conjungendum ſeu componendum cum Deo movente diſſenſum contrarium, aliàs haberet potentiam ad reddendam efficacem Dei motionem inefficacem, quæ potentia nulla in arbitrio eſſe poteſt: unde propoſitio veriſſima eſt. Quarta propoſitio, multò minus poteſt liberum arbitrium à Deo motum & excitatum jam cooperans aſſentiendo, diſſentire ſibi ipſi jam aſſentienti, aliàs poſſet ſimul componere & conjungere diſſenſum cum ſuo conſenſu reſpectu ejuſdem, quod planè impoſſibile eſt. Quæ etiam propoſitio quarta vera eſt.

Igitur velle (ſicut authores cum quibus diſputamus prætendunt) ſupradictam propoſitionem tertiam negativam falſam eſſe & ſuam contradictoriam affirmativam veram eſſe in ſenſu compoſito, ita ut verum ſit dicere, arbitrium à Deo motum & excitatum ad aſſentiendum Deo vocanti & excitanti poteſt diſſentire in ſenſu compoſito eidem Deo excitanti & ſimul moventi, nihil eſt aliud ut ex Sancto Thoma manet oſtenſum quàm velle motionē Dei inefficacem eſſe, quia ſi efficax cognoſceretur ex Deo ipſo & ex vi motionis divinæ, impoſſibile eſſet contendere illam veram eſſe in compoſito ſenſu toties explicato. Qua etiam ratione & fine ut Dei operationem efficacem ſupra noſtrum arbitrium negent, contendunt ſupradictam tertiam propoſitionem, quam falſam eſſe diximus in ſenſu compoſito, in eodem compoſito ſenſu veram eſſe, & à Sacro Concilio tradi.

In hunc ergo, & non in alium finem ordinant, quod ſæpius clamant prædictam propoſitionem debere veram eſſe in compoſito ſenſu & quod eam in ſenſu compoſito Sacrum tradat Tridentinum Concilium, quaſi Concilium Sacrum inefficacem docuerit motionem divinam ſupra humanum arbitrium & non potius eam efficacem non obſcurè tradiderit: Cum expreſsè definit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum cooperari aſſentiendo Deo vocanti & excitanti propter nimirum divinam illam ex Deo efficacem motionem, qua ſic movetur ad aſſentiendum.

Tandem liberum hominis arbitrium jam conſentiens, ut in quarta propoſitione dictum eſt, non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito, id eſt non poteſt conjungere cum ſuo conſenſu contrarium diſſenſum. Ubi notandum nullo modo ſequi liberum arbitrium conſentiens poteſt ſibi conjungere contrarium diſſenſum, ergo poteſt conjungere ſimul diſſenſum & conſenſum. Antecedens enim verum eſt, quia ſemper liberum hominis arbitrium habet potentiam ad conjungendum ſibi diſſenſum, hanc enim ante Dei motionem habet, & antequam conſentiat talem potentiā à ſe auferre non poteſt, conſequens vero falſum eſt. Sicut etiam non valet liberum hominis arbitrium efficaciter motum poteſt ſibi conjungere diſſenſum: ergo poteſt illum conjungere cum Deo efficaciter movente: pari ratione nec ſequitur in Philoſophia, materia prima habens hanc formam poteſt ſibi conjungere aliam: ergo poterit cum una forma aliam conjungere, nullo modo ſequitur quia in omnibus iſtis fit tranſitus de ſenſu diviſo ad compoſitum. Antecedens enim in his propoſitionibus facit ſenſum diviſum, conſequens autem facit ſenſum compoſitum: unde ſi arbitrium conſentiens poſſet ſimul conjungere diſſenſum & conſenſum, poſſet etiam ſimul conjungere & componere duo contraria, quod eſt impoſſibile: conſenſus enim & diſſenſus reſpectu ejuſdem objecti contraria ſunt, continentia virtualiter duo contradictoria; benè enim ſequitur poteſt liberum arbitrium conjungere ſimul conſenſum & diſſenſum reſpectu ejuſdem objecti: ergo poteſt ſimul reſpectu ejuſdem conſenſum habere & non conſenſum: ſi enim poteſt diſſentire utique poteſt & non conſentire. Ob eandem ergo rationem, nec poterit liberum hominis arbitrium diſſentire Deo efficaciter moventi, vel cum illa Dei efficaci motione conjungere ſeu componere diſſenſum oppoſitum, quia cauſa efficax efficiens conſenſum, & ipſe diſſenſus mediatè opponuntur, ſicut conſenſus & diſſenſus opponuntur immediatè. Non enim ſolum repugnat poſſe duo ſimul componere, ſeu conjungere contraria immediatè oppoſita, quod eſt ſatis notum; ſed etiam repugnat poſſe ſimul componere atque conjungere duo contraria quæ ſunt mediatè oppoſita ſive contrariè, quod etiam manifeſtum eſt nec alia majori indiget probatione, quia etiam dato quod poſſet arbitrium duo contraria mediatè oppoſita ſimul componere atque conjungere; ſequerētur quod poſſet duo etiam contradictoria mediatè oppoſita conjungere atque componere; nempè illam divinam motionem efficacem eſſe & non eſſe efficacem reſpectu ejuſdem, quod enim ſit efficax ſupponitur in caſu, quod autem non ſit efficax patet, quia non conſequitur nec inducit effectum, illa autem cauſa inefficax, ſeu non efficax eſt, quæ effectum non inducit, quod etiam eſt ſatis clarum.

Dices, ſumit ne Concilium Sacrum illam propoſitionem illius Canonis 4. etiam in hoc ſecundo ſenſu, nempe quod liberum arbitrium à Deo motum & excitatum & jam cooperans aſſentiendo Deo vocanti & excitanti poteſt diſſentire, an vero ſolum in illo priori ſenſu, nempe quod motum & excitatum ità liberè cooperatur aſſentiendo, quod ſi velit poterit non aſſentiri, ſed diſſentire?

Ad hoc dicendum quod licet illa propoſitio in illo primo ſenſu explicata vera ſit, ut dictum eſt ſupra, quia non componit cum conſenſu, ſed cum Deo excitante; multo tamen veriùs eſt non intendi à Concilio Sacro in illo ſenſu, ſed intendi & tradi à Concilio in illo ſecundo ſenſu, quod & illud verbum additum à Concilio inſinuat ſatis, dum ait, poteſt diſſentire ſi velit, hoc enim verbum, ſi velit, ſignificat quod liberum arbitrium motum & excitatum ità liberè conſentit, quod ſi velit poteſt non aſſentire, ſed diſſentire, quod tamen verbum, ſi velit, non ità aptatur illi propoſitioni ſumptæ in illo ſecundo ſenſu, ut quilibet facilè videre poteſt.

Confirmatur: nam hæc propoſitio (Deus poſtquam determinavit producere Anti-Chriſtum poteſt illum non producere) eſt revera diviſa, & ideo vera, cujus ſenſus eſt quia poſita determinatione divinæ voluntatis de producendo Anti-Chriſto verè potentia eſt in Deo ad ipſum non producendum, qui eſt ſenſus diviſus, nec etiam per hoc quod Deus ſe determinavit ut illum produceret à ſe abſtulit potentiam, quam habebat de illo non producendo, ut ſupra eſt oſtenſum, non tamen eſt in ipſo potentia ad conjungendum non productionem Anti-Chriſti cum determinatione qua ipſum decrevit producere, nec unquam in ipſo talis potentia fuit, in quo ſenſu qui compoſitus eſt, illa propoſitio eſſet falſa: Unde communiter Theologi dicunt quod ſi illa ſumatur diviſè eſt vera, ſi compoſitè eſt falſa, quamvis abſolutè, & ſine addito prolata ſenſum importet

Digitized by Google

portet diviſum nunc & ſupra præcedenti capite explicatum. Pari ergo ratione iſta, liberum hominis arbitrium poſtquam eſt à Deo motum & excitatum poteſt diſſentire Deo excitanti, diviſa eſt vera faciens ſenſum diviſum, licet compoſitè ſumpta falſa ſit, ſimpliciter tamen prolata & ſine addito diviſa eſt, unde abſolutè eſt vera & ut talis ſimpliciter concedenda nec oportet illam diſtinguere, niſi fortè ad tollendam æquivocationem, quam quis in illa prætendere poteſt.

Igitur concludendum propoſitionem hanc (liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt diſſentire Deo excitanti atque vocanti) compoſitam eſſe, nec ſenſum importare compoſitum, ſed eſſe verè diviſam, & ſenſum diviſum facere, ac proinde abſolutè, ut veram eſſe concedendam, licet ſecundum quid quamdam involvat compoſitionem inferiùs explicandam. Concludendum etiam per illa verba: liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poſita à Concilio Tridentino ſeſſ. 6. Canon. 4. de Juſtificat. non ſolum excitationem moraliter ſuadentem, ſed etiam prævenientem, eſſe effectivam veram motionem, ſignificari.

Jam ad illam propoſitionem accedendo, quæ à Sacro Tridentino Concilio traditur ſeſſ. 6. can. 4. de Juſtificatione, illa in primis ex integro & quoad omnia ejus verba referenda eſt, ut ex omnibus ejus ſimul ſumptis vera ejus intelligentia comprehendatur, ſic enim habet: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, nec poſſe diſſentire ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omninò agere, aut merè paſſivè ſe habere anathema ſit.*

Circa quam fidei definitionem illud primo ſupponendum eſt (in quo authores cum quibus agimus conveniunt) certiſſimum eſſe hanc fidei doctrinam de ſupernaturalibus actibus expreſsè traditam, etiam proportionabiliter procedere de quibuſcumque aliis actibus liberis naturalis ordinis, in quibus etiam liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt diſſentire ſi velit. Deinde & illud ſupponamus (in quo nec ij authores diſſentiunt) certum eſſe Concilium loqui de motione Dei præveniente noſtram voluntarem; unde cum ejus definitio doctrinalis ſit, erit etiam generalis, quia eadem ratio debet eſſe de qualibet præveniente excitatione, atque motione, quoad hoc quod illa poſita poſſit liberum arbitrium diſſentire ſi velit. Præterea, & illud ſupponimus (de quo nec controverſia eſt) loqui Concilium de præveniente motione & excitatione efficaci, quia loquitur de præveniente Dei motione, quæ ſemper efficax eſt, & cum conſenſu voluntatis conjuncta, qua ſe homo diſponit ac præparat ad ſuam juſtificationem. Quod etiam ex eo patet, quia de hac hæretici, contra quos definiebat contendebant quod noſtram læderet libertatem, adverſus quos definit Concilium quod libertatem noſtram non lædat. Alias ſi de alia tantum inefficaci ſermo eſſet, nihil contra illos videretur definitum. In his tribus hinc inde convenientia eſt.

Quibus ſuppoſitis tota differentia circa intelligentiam hujus Canonis Concilij in eo poſita eſt, quod ij authores cum quibus & pro quibus agimus, hanc prævenientem gratiam, de qua Concilium procedit, aſſerant eſſe quatenùs præveniens eſt, ſolum moraliter excitantem, non autem verè activè propriè & realiter efficientem quod arbitrium conſentiat; ut autem illam excitationem moraliter tantùm ſeu objectivè moventem aliqua ratione ſalvent efficacem & ſemper conſenſum voluntatis inferentem, cum illoque conjunctam; dicunt illam eſſe ita congruam arbitrio, ut Deus eam & tali loco & tempore & ſub talibus circumſtantiis quibus & excitatum arbitrium ſcit Deus, quod infallibiliter ex ſua innata libertate certò conſentiet, & de hac affirmant loqui Concilium. Vnde ſecundo conſequenter loquendo arbitrantur Concilium non loqui in ſenſu diviſo, verùm in compoſito, ita quod ſenſus ſit, quod liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt diſſentire & potentiam liberam habet ad diſſentiendum, atque poteſt conjungere atque componere cum tali omni prævia motione & excitatione contrarium diſſenſum. Et quod ſi illum non conjungit cum tali motione & excitatione, ex eo ſolum provenit, quia non vult; ſicut cum conſentit tali motioni & excitationi, ex eo tantùm & præcisè conſentit, quia vult, nulla majori aut potentiori ſeu fortiori efficaci præmotione motum, ut infallibiliter & certò velit conſentire. Tertio etiam conſequenter dicunt duo requiri ut ſit in illa propoſitione ſenſus compoſitus. Primum eſt, quod conjungatur & componatur cum arbitrio illa Dei motio & excitatio; nam quando ſeparatur ab arbitrio, aſſerunt tunc eſſe ſolum ſenſum diviſum. Secundum eſt quod cum illa motione & excitatione poſita in arbitrio poſſit conjungere & componere ipſum arbitrium, oppoſitum diſſenſum.

Adeo autem inſiſtunt hanc eſſe mentem Concilij, & illius veram intelligentiam, ut tanquam Achille argumentum hoc ex Concilio petitum ſemper opponant & ubique divulgent, in tantum ut illorum quidam diſcipulus (de quo infra) hoc anno 1611. librum prælo mandaverit, in quo ex profeſſo probare laborat Concilium Sacrum in ſupradicto Canone loqui in ſupra explicato ſenſu compoſito, imò in tota illa ſeſſione 6. nititur fundare ſemper Concilium in omnibus locis quibus utitur verbo, *poteſt*, illud ſumere in compoſito ſenſu. Verum eſt quod hic Author admittit ſenſum diviſum & compoſitum in vera intelligentia quam ſupra explicavimus. De cujus ſententia & de his quæ ex Sacro Concilio ipſe deducit, non hic ſed in quarto hujus operis libro diſſerendum eſt diligentiùs. Hîc enim ſub brevitate iſta tractamus occaſione diſtinctionis de ſenſu diviſo atque compoſito.

Hæc itaque in ſubſtantia illorum diffinitio eſt & & profeſſio nullam prævenientem motionem pro ut ex Deo venit & ex ejus potenti virtute verè efficacem eſſe, veréque ac propriè ſeu verè efficienter movere arbitrium faciendo ipſum conſentire; ſed moraliter objectivè ſeu metaphoricè tantum excitare; cum qua aſſerunt poſſe liberum arbitrium conjungere oppoſitum diſſenſum, quem ſi conjungat, illam reddit inefficacem ſi autem nolit diſſentire, ſed conſentire velit, illam efficiet efficacem. Et in ordine ad iſtum finem ſicut medium ordinant ſupradictam Concilij expoſitionem.

Contra hanc ipſorum intelligentiam, qua Concilium exponunt in ſenſu compoſito, ut argumentum primum ad hominem, ut dicitur, procedat; id ante omnia aſſerimus, quod minus ipſi poſſunt intelligere in ſua ſententia canonem illum in ſenſu compoſito. Concilium enim ſecundum illos loquitur de efficaci prævenienti motione & excitatione ut ex ipſis præmiſimus, ſed efficax præveniens motio & excitatio illa ſua congrua includit actualem conſenſum arbitrij, fit enim efficax illa congrua per talem arbitrij actualem conſenſum: ergo ſi Concilium loquitur in ſenſu compoſito docet quòd poteſt arbitrium conjungere contrarium diſſenſum cum illa congrua & efficaci motione & excitatione; & ſic docet quòd cum actuali cõſenſu per quẽ ſit efficax illa motio

Digitized by Google

potest arbitrium conjungere contrarium dissensum. At hoc impossibile est, quod videlicet possit arbitrium conjungere cum suo actuali consensu oppositum dissensum, & sicut manifestissimum, etiam ij authores expresè concedunt: ergo non loquitur Concilium etiam in sententia horum in sensu composito.

Ad hoc argumentum si ipsi respondeant, quod priùs ratione intelligitur illa præveniens vocatio, quàm intelligatur actualis consensus arbitrij, in quo priori rationis ideo est congrua, quia datur tali tempore & loco, quibus arbitrio scitur congruere ut consentiat: in quo propterea priori rationis dicit ordinem ad consensum actualem arbitrij sicut ad effectum vel terminum, ita quod ideo ei consentiat arbitrium, quia ei illa congrua est, si à priori ratio procedat, non tamen è converso, ideo congrua sit, quia ei arbitrium consentit: hæc enim propositio, dicent, quod à posteriori procedit, non à priori: similiter dicent quod illa præveniens vocatio congrua in illo priori ante actualem consensum efficax est in actu primo per illas circumstantias loci & temporis, non per actualem arbitrij consensum, quia per hunc actualem consensum fit efficax jam in actu secundo; Itaque si dicant quod in illo priori rationis signo quo Deus tribuit congruam vocationem, antequam arbitrium consentiat, cognoscit illam esse congruam arbitrio, quia datur in tali tempore & loco & sub talibus circumstantiis, & tunc cognoscit Deus quod liberum arbitrium, & pro sua innata libertate potest consentire & dissentire, potestque cum illa cõjungere oppositum dissensum, cum illa non inclinet efficaciter arbitrium in alteram partem: In secundo autem actionis signo cognoscit Deus, quòd jam illi congruæ vocationi arbitrium consentit, & illam in actu secundo efficacem reddit. Unde jam tunc non cognovit, quod potest ei arbitrium dissentire in sensu composito nec cum illa conjungere hunc dissensum.

Si inquam ita respondeant, ut vim facti argumenti effugiant quid ad illud respondere poterunt primi hujus sententiæ defensores, qui planè concedunt auxilium esse efficax ab effectu, & quia arbitrium vult, quod propterea consensu suo illud efficax reddit. Sic enim primus hujus sententiæ divulgator Molina plerumque apertis verbis affirmat, in cujus sententia argumentum factum planè convincit. Si enim auxilium est efficax à consensu arbitrij: ergo arbitrij consensus includitur in ipso auxilio efficaci, imò ad illud præsupponitur. Unde ratio oppositа apertè procedit, & frivola est nunc relata solutio, quæ magis verbis ludit, quam reipsa satisfaciat

Minus etiam respondere poterit juxta relatam & prætensam solutionem alius ejusdem doctrinæ sectator Franciscus Suarez, cum in lib. 1. de concursu Dei cap. 3. in ultimis verbis clariùs affirmet, quòd suppositio antecedens, quæ comparatur ad actum voluntatis per modum actus primi, si illa posita voluntas non potest aliud velle in sensu composito, tollit libertatem; *Secùs verò*, inquit, *erit, si suppositio sit consequens formaliter vel virtute supponens actualem determinationem futuram ipsius potentiæ liberæ, ut per se est clarum & in discursu totius operis constabit.* Quibus planè docet, se suppositionem antecedentem seu auxilium efficax nullum admittere, nisi quod formaliter, aut virtute supponat voluntatis actualem determinationem. Igitur etiam in illius sententia auxilium efficax claudit, imò supponit, ut ait, actualem determinationem, & sic argumentum factum in sua remanet vi non obstante prætensa illa solutione.

Quod si alij timentes concedere auxilium esse efficax ab effectu, & quia arbitrium consentire vult, cum hoc videant fundamentum illorum fuisse, qui testante Sancto Prospero ad Augustinum, contendebant quod ideo homo adjuvatur, quia vult, non autem adjuvatur, ut velit, ac proinde ad illam superius relatam confugiunt responsionem, ut argumentum diluant, eos hic suus author ultimo loco inductus convincit, quod si suppositionem antecedentem seu auxilium efficax constituant per modum actus primi ante actum voluntatis, per hoc hominis auferunt libertatem. Et quidem infra agentes contra mediam scientiam dabimus manifestum eos per illam congruitatem loci, & temporis, ac aliarum similium circumstantiarum, sub quibus constitutũ arbitrium asserunt ipsum infallibiliter operari, libertatem nostram satis manifestè impugnare. Quomodolibet ergo auxilium efficax constituant, libertati adversantur; si primo modo ratione superiùs inducta, si hoc secundo, ratione modò facta, ut sic argumentum ut præmissimus ad hominem procedat. Imò ut præcedenti capite ostensum est, ipsum Concilium videtur loqui de arbitrio non solum excitato & moto, sed de arbitrio jam cooperante & assentiente: ergo fit sensus quod arbitrium motum & excitatum & jam assentiens potest dissentire, id est, ut explicant conjungere dissensum, non solum cum motione, sed cum assensu arbitrij, quo nihil potest dici impossibiliùs & tamen hanc impossibilem intelligentiam contendunt inadvertenter Concilio adscribere.

Sed alia efficaciori via ipsaque multiplici, hæc ipsorum sinistra explicatio Concilio adhibita revincenda est. Et quidem primò, in eo quod asserunt sensum divisum suum importari, cum arbitrium ponitur à divina motione separatum; cùm autem constituitur cùm illa conjunctum, vel sub illa positum, semper importari sensum compositum: jam supra sub fine denudatum est Calvini fuisse prauam intelligentiam, ut voce solum illam necessariam distinctionem de sensu diviso atque composito admittere videretur, cum re ipsa per talem intelligentiam illam penitus auferret, à quo penitus abstinere debebant qui jactitant se tantum ab eo differre. Hoc ergo fundamentum & intelligentia, quæ ipsi innititur, tantum à mente Sacri Concilij abest, quantum à Calvino, cujus falsam doctrinam anathematizavit, Concilium. Contra ipsum namque & omnes, qui sic falsò sensum divisum interpretantur, omnes Catholici Doctores semper docuerunt & docent sensum divisum minimè esse, cum liberum arbitrium separatur à motione & sic absolutè sine illa ponitur vel consideratur; vel compositum quoties motio & excitatio cum arbitrio conjungitur; sed verè esse sensum diuisum etiam posita tali motione & excitatione in arbitrio, illa namque præhabita & præsuppositа adhuc liberum arbitrium liberam retinet potentiam ad aliud volendum, qui est verus sensus divisus; licet non habeat potentiam ad simul conjungendum cum tali motione & excitatione contrarium dissensum, pro ut superius manet apertè declaratum.

Quod verò secundò dicunt compositum sensum in hac propositione, (liberum arbitrium à Deo motum & excitatum potest dissentire) hunc esse, potest cum illa motione & excitatione conjungere contrarium dissensum, nihil est aliud quam illam prævenientem excitationem & motionem Dei ex ipso Deo ponere inefficacem, reddendam efficacem ab homine; & illum solum constituere moraliter & objectivè tantum attrahentem, non autem verè efficienter adjuvantem atque moventem. Sed hoc manifestè est contra Sacri Concilij non solum mentem, sed literam, quod semper prævenientem motionem ex Deo efficacem docuit & verè ac efficaciter moventẽ arbitriũ ad consentiendũ: ergo talis explicatio & talis sensus cõpositus

Sacro-

Digitized by Google

Sacro Concilio repugnat. Major conſtat, quia ſi admittatur præveniens illa motio verè efficax ex Deo ipſo & verè efficaciter movens arbitrium ad conſenſum ob illius prævenientem efficaciam, non poſſet per arbitrium cum illa componi contrarius diſſenſus, quod & hi authores fatentur. Igitur cum aſſerunt poſſe arbitrium cum illa conjungere contrarium diſſenſum, hoc intendunt illam prævenientem motionem inefficacem eſſe & moraliter ſeu objectivè tantum moventem. Conſequentia autem manifeſta eſt ſi ſemel minor fuerit oſtenſa.

Cùm autem ſemper in ſuis libris dicunt illam excitationem, quam ſolum ponunt prævenientem gratiam eſſe ſolum moraliter ſuadentem ſeu objectivè, ſolum loquuntur de illa in ordine ad actum liberum: nec enim dubitant, quod verè effectivè cauſet actum indeliberatum. Non inquam de hoc in ſuis libris audent dubitare, quamvis verbis dumtaxat id dicant, licet reipſa id etiam negent, ut in ſequentibus nos oſtendemus ſed nec in hoc inſiſtimus, quia impertinens ad rem eſt, de qua cum illis agimus, etiamſi id verè reipſa affirment, ſed tantum in hoc quod nullum verum auxilium ſufficiens reipſa admittant, quia excitatio tantum moralis & objectivè movens, quam ſolùm admittunt eſſe gratiam prævenientem, manifeſtum eſt, quod vires ſufficientes voluntati non tribuit, proinde nec verum auxilium ſufficiens eſt.

Igitur hæc minor propoſitio, (quæ fundamentalis debet eſſe in hac materia) quod videlicet contra Tridentini Concilij mentem & literam ſit, conſtituere prævenientem motionem ex Deo ipſo inefficacem & moraliter ſeu objectivè tantum excitantem, cum ipſum ſæpius tradiderit ſupra excitantem gratiam prævenientem, etiam prævenientem verè adjuvantem & verè efficaciter ſeu efficienter arbitrium moventem, ut conſentiat excitationi & inſpirationi, & ex conſequenti quod intelligat, quod cum illa poſſit arbitrium conjungere contrarium diſſenſum, non autem cum efficaci motione & multo minus cum aſſenſu quo efficaci motioni arbitrium cooperatur, de quo aſſenſu & cooperatione expreſsè Concilium loquitur, multipliciter demonſtratur.

Primò à fine ſicut à cauſa prima & potiſſima procedendo, finis Tridentini Concilij fuit potiſſimè Lutheri, Calvini & ſimilium dogma confundere: ſed Calvinus in hoc erravit, quod omnem Dei efficaciam prævenientem contendebat ob efficaciam ſuam noſtram tollere libertatem: ergo Concilium oppoſitum definivit, nempe efficacem Dei motionem, quæ fit per excitantem & adjuvantem gratiam, ob efficaciam ſuam non lædere hominis libertatem: & ad ſtatuendum hanc veritatem contra illius falſitatem ferè totam ordinat ſeſſionem ſextam, tam in capitibus, quam in Regulis fidei. Si enim Concilium ſentiret nullam dari ex parte Dei prævenientem efficacem motionem verè efficientem quod arbitrium conſentiat, ſed excitationem illam ſeu inſpirationem indeliberatam movere ad ſequentem actum & conſenſum liberum moraliter tantùm & objectivè, quam arbitrium pro ut vellet efficacem vel inefficacem redderet conſentiendo vel diſſentiendo unico verbo quæſtionem iſtam declararet atque dirimeret, dicendo movere tantùm Deum objectivè, ſeu moraliter, ſeu inefficaciter & hominem ex ſua libertate conſentire & illam motionem reddere efficacem & cum illo jam conſentiente Deum cooperari, nec opus eſſet tanta doctrina in Capitibus, tot Regulas fidei multiplicare, tot Congregationes Theologorum congregare. Res enim eſſet patentiſſima & ſatis clara, quam nec Calvinus poſſet negare. Quia evidens eſt, quod poſita tantum excitatione præveniente & moraliter attrahente non læditur, vel impeditur per illam liberum arbitrium, nec unquam aliquis fuit adeo ſtultus vt hoc negaret. Itaque ſi Concilium videret Calvinum erraſſe in fundamento; id eſt, erraſſe in eo quod aſſerebat Deum ſua efficaci motione præveniente verè efficienter & efficaciter movere arbitrium, unico verbo hoc negando, eſſet contra illum concluſum & nec per horam, vel cum ipſo, vel cum Pelagianis tamdiu Eccleſia laboraret. Quia Pelagiani quieſcerent, nec Sanctis Patribus opponerent, quod talem prævenientem gratiam admitterent, qua libertatem hominum læderent, quod tamen ſemper oppoſuerunt. Diceretur enim illis manifeſtiſſimè & patentiſſimè, quod motio præveniens Dei eſt tantum objectivè ſeu moraliter excitans, invitans & alliciens, ex qua motione ſtultum eſſet inferre, quod illa libertatem hominis impediret. Undè nec ad horam cum Pelagianis quæſtio eſſet, quia ipſi evidentiſſimè hoc viderunt. Similiter diceretur Calvino & ſequacibus, quod ex falſo procedunt fundamento ad aſſerendum lædi hominis libertatem per motionem Dei, quia illa prævenians motio eſt tantùm objectivè ſeu moraliter invitans atque ſuadens, ex qua manifeſtum eſt & evidens non lædi hominis libertatem, nec poſſet eſſe Calvinus tam ſtultus, ut hoc non videret.

Mirandum planè eſſet, ſi veritas ita ſe haberet quod controverſia cum his hæreticis, quod iterum dico, ad horam duraret. Quis enim non videat id quod rationis lumine eſt evidentiſſimum, non lædi hominis libertatem per ſuaſionem & quamcumque excitationem moraliter tantùm & objectivè allicientem & invitantem. Igitur cum Eccleſia per tot Sanctos Patres tanto ſtudio & labore & per Concilia plura ſemper cum utriſque iſtis hæreticis agat & Pelagianis & Calviniſtis, & ab omnibus etiam Catholicis concordia iſta cum arbitrij libertate difficilis ſemper viſa ſit, eſt evidens, quod exparte Dei non detur prævenians motio ſolum moraliter, & objectivè excitans, ſed verè efficiens & efficaciter movens homines ad conſenſum. Hæc enim eſt quæ Catholicis ſemper intulit difficultatem, ſed ab ipſis ſuperatam, Hæreticis autem & Pelagianis & Calviniſtis, quia nolunt ſubjecti eſſe Deo & ejus potenti virtuti, apparet impoſſibilis & cum humana libertate minimè cohærens. Manifeſtum eſt etiam Tridentinum Concilium non illam prævenientem tantùm exhortatoriam motionem docuiſſe, ſed inſuper illam verè adjuvantem & efficienter moventem arbitrium. Hanc autem eſſe apertam Sacri Concilij mentem & ſententiam, quod videlicet prævenians gratia, quatenus prævenians eſt, non ſolum ſit excitans, ſed etiam adjuvans & efficax docuit inſignis illa Salmanticenſis Academia in ſua doctiſſima Cenſura, quam ex mandato Supremi Senatus Sanctæ Generalis Inquiſitionis in Hiſpaniæ Regnis exhibuit 22. Julij Anni 1595. per novem Catholicas & perdoctas propoſitiones diſtributam: Quarum omnium prima hæc eſt: *Neceſſario concedenda eſt diviſio gratiæ in gratiam excitantem & adjuvantem, ſive auxilij in auxilium ſufficiens & efficax.* Quibus verbis per excitantem gratiam intelligunt ſufficientem, quia non ſolùm excitat moraliter (quia moraliter excitare ſufficientes vires voluntati non præſtat) ſed etiam illa excitans gratia ſufficiens auxilium eſt, quia cum à principio efficaciter ad indeliberatum actum, reſpectu cujus proinde efficax auxilium eſt, reſpectu ulterioris actus liberi ſufficiens auxilium eſt, ſufficientesque vires animæ tribuit ad illum eliciendum, undè etiam circa hoc à veritate recedunt authores cum quibus agimus dicentes ſolùm moraliter excitare. Probat vero ſupradicta Academia illam primam propoſitionem ex eodem Sacro Concilio Tridentino.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Errores Calvini, & Hæreticorum contra quos ibi Sacrum Concilium Tridentinum definivit, breviter referuntur, & ex his ostenditur mens ipsius Concilij circa efficaciam divinæ motionis.

UT autem hoc clarius innotescat, aperiendum est in quo positus fuerit in hac parte error Calvini. Asserebat enim ille omnium primò Deum actu indeliberato hominem excitare & illi inspirare bonum, quam excitationem & inspirationem dicebat esse actum indeliberatum sponte ab homine elicitum & voluntariè, sed non liberè, cui proinde posset resistere; hanc enim indeliberatam excitationem & inspirationem, quam Deus in nobis sine nobis liberè concurrentibus, sed spontè tantùm efficientibus efficaciter efficit, Calvinus non negavit, sed adstruxit.

Secundo non admittebat, quod aliqua præveniens excitatio invitaret, suaderet & alliceret moraliter seu objectivè arbitrium ad sequentem actum liberum, negavit enim hanc excitationem & inspirationem sic moraliter hominem attrahere, quia videbat, quod excitatio sic invitans, suadens & moraliter alliciens non fit nisi libero arbitrio in ordine ad actum liberum eliciendum. Quia igitur ipse negare intendebat hominis libertatem in operationibus suis, negavit excitationem moraliter suadentem. Et hoc est quod communiter & veri Theologi dicunt non admisisse Calvinum auxilium sufficiens, sed tantum efficax, nec admisisse gratiam excitantem, sed tantum moventem; intelligunt enim, quod excitantem moraliter non admisit, sed excitantem tantum subito & indeliberatè, nec ulterius Deum procedentem ad suadendum moraliter.

Diximus non admisisse Calvinum excitationem moraliter invitantem arbitrium ad actum liberum, quia ipse post originale peccatum posuit arbitrium, quoad suam libertatem extinctum. Undè præcepta & exhortationes, quæ in Scripturis habentur, contendebat non excitare, seu moraliter allicere arbitrium ad suæ libertatis exercitium, sed tantum proponi in signum & testimonium quod homo habuit ante originale peccatum liberum arbitrium & quod illud suâ malitiâ deperdidit. Ad hoc enim proponi præcepta & exhortationes deliberabat, cum Catholica fides & naturalis ratio, imò experientia probet hominem nunc libertatem habere, ac proinde eidem præcepta & exhortationes & morales invitationes proponi, ut liberè eligat facilia, & pro difficilibus & aliis quæ secundum Deum & pietatem efficienda sunt Deum orare debeat, ut suo adjutorio faciat, quod homo præceptis & exhortationibus & internis suasionibus obtemperet, atque consentiat. Unde sæpè Sanctus Pater Augustinus & Thomas docent, quod ideo nobis talia præcipiuntur & ideo ad illa exhortamur moraliter, sive exteriùs per legem atque doctrinam, sive interiùs per Dei excitationem & suasionem, quia nos libertatem habemus, nec enim moraliter suadetur & invitatur, nisi qui libertate gaudet. Cujus signum est, quod brutis utpote libertate carentibus moralis excitatio non fit, nec fieri potest: & ex isto pravo funestoque principio, quod nimirum per peccatum originale in ordine ad opera salutaria extinctum fuerit hominis liberum arbitrium, consequenter errando alios deducebat errores: nimirum negando excitantem & adjuvantem gratiam, quæ non nisi homini liberum habenti arbitrium exhibentur. Subintulit etiam movente Deo efficaciter sua præveniente gratia arbitrium, utpote extinctum, ipsum hominem nec liberè obtemperare, nec liberè refragari posse. Subintulit præterea quod cum Deus gratia sua efficaci non movet hominem ipse (utpotè in quo extinctum ponebat liberum arbitrium) motu concupiscentiæ, sine libertate aliqua trahatur in peccatum, & tandem ex hoc principio multos deduxit errores alios, qui infra ex ipso referentur. Undè in summa ex duplici titulo Calvinus contendebat hominem libertate carere, primo & principaliter, quia post peccatum originale, quod in omnibus esse dicebat (ut supra tractat. 1. manet expositum) extinctum manere liberum arbitrium asserebat: undè extincto arbitrio excitantem gratiam moraliter, consequenter negabat & veram adjuvantem, quia videbat, quod qui adjuvatur aliquid & ipse facit: unde motionem ad modum naturæ moventem ponebat, quæ, etiam si homo poneretur à Calvino cum libertate, illam tolleret.

Parique ratione affirmabat tertio nullam esse verè adjuvantem gratiam prævenientem præter illam solam indeliberatam excitationem quam Deus causabat in nobis. Quia considerabat, quod, ut Sanctus Pater Augustinus contra Pelagianos demonstrat, qui adjuvatur, aliquid & ipse efficit. Undè si liberum arbitrium à Deo adjuvabatur verâ gratiâ adjuuante, ipsum arbitrium aliquid sua libertate sic adjutâ efficit. Ut autem hanc liberam efficientiam arbitrij negaret, negavit veram adjuvantem gratiam.

Itaque in negatione gratiæ prævenientis verè adjuvantis, sive in negando verò adjutorio prævenientis gratiæ, communis causa est Pelagio, Juliano, & Semipelagianis, Luthero, & Calvino. Omnes enim negant prævenientis gratiæ verum adjutorium, quod verè faciat nos facere licet ad id negandum moveantur fine intentioneque diversa. Nam Pelagius, Julianus, & sequaces alij Semipelagiani ideo illud præveniens verum adjutorium negarunt, quia contendebant per illud tolli seu impediri libertatem quam illi se salvare ostentabant. Calvinus autem & alij hæretici temporis hujus ideo negant talis prævenientis gratiæ verum adjutorium ne si illud admitterent, convincerentur fateri liberum arbitrium, quod si excitatur & adjuvatur, aliquid sua libertate efficeret; cum videant id per Sanctum Patrem Augustinum contra Pelagianos convictum quod videlicet qui adjuvatur non potest non aliquid & ipse facere, & qui excitatur in hoc suæ libertatis admonetur.

Asseruit quartò liberum hominis arbitrium non cooperari gratiæ; negavit enim nostram cooperationem respectu gratiæ, quod ex eodem fundamento deduxit ut nempe negaret libertatem nostram in consentiendo Deo. Videbat namque, quod si liberum Arbitrium gratiæ cooperatur, quod sua libertate cooperari debebat nec enim potuit intelligere quomodo si liberum arbitrium gratiæ cooperatur non liberè cooperetur, sicut revera intelligi nequit. Quia de intrinseca ratione cooperationis arbitrij est libertas. Unde libro 2. institut. cap. 3. videns quod Sanctus Pater Augustinus expresè dixisset quod omne bonum opus gratia præcedit & id comitante non ducente, pedisequa non prævia voluntate: In quo Sanctus Augustinus manifestè docet liberum hominis arbitrium cooperari Deo subsequendo: eundem Sanctum Doctorem palam deserit inquiens. *Sed quia reformata opus est Domini hoc perperam homini tribuitur quod gratiæ prævenienti pedissequa voluntate sequatur.* In quo etiam apertissimè negavit arbitrium cooperari prævenienti gratiæ. Unde in hoc tantum

sensu

ſenſu ipſe admiſit diſtinctionem illam celebrem de gratia operante, & cooperante, ut videlicet cooperans dicatur gratia reſpectu operantis, non reſpectu arbitrij noſtri, ſicut enim negavit noſtrum arbitrium cooperari gratiæ ita negavit Dei gratiam noſtro cooperari arbitrio vel ipſum adjuvare ut dictum eſt.

Contendebat tandem quintò Calvinus, quod etiam ſuppoſita indifferentia rationis ex parte intellectus adhuc motio qua Deus movebat voluntatem ſecum rapiebat voluntatem ut ei ſponte ſed ſine aliqua ſua libertate conſentiret. Sunt enim in ipſo expreſſa teſtimonia quibus indifferentiam illam rationis ex parte intellectus admiſit negando tamen ſemper hominis libertatem cum (ut à principio dictum eſt) arbitrium poſt Adæ peccatum extinctum, & penitus deperditum conſtituerit. In quo minus conſequenter erravit, nam poſita indifferentia rationis ex parte intellectus circa aliquod objectum, non poteſt non eſſe actus voluntatis qui ad illam ſequitur, liber quia etiam de potentia Dei abſoluta aliud effici nequit ut ſupra pleniùs oſtenſum eſt. Et eodem modo imperitè nimis & implicando in dictis, nec propriam vocem attendens admiſit electionem voluntatis ut patet ex ejus verbis & dictis quam tamen liberam eſſe negavit, ac ſi poſſit eſſe electio quæ libera non ſit vel alia convenientiori voce Philoſophi, & Theologi actum liberum explicent quàm per electionem.

In ſumma in his quinque mihi videor in hac materiam quaſi comprehendere hæreticam Calvini ſententiam. Primò admiſit excitantem gratiam in actu indeliberato conſiſtentem cui homo quia liber non erat reſiſtere non poterat. Secundo negabat per eam vel per aliam Deum aliqua ratione excitare moraliter arbitrium ad actum liberum. Tertio negavit cooperantem gratiam cui arbitrium cooperaretur ſubſequendo. Quartò negavit adjuvantem gratiam. Quinto poſuit quod etiam indifferentiâ rationis præmiſsâ ex parte intellectus adhuc ex illa efficaci motione ita rapiebatur ut ſponte tantum, & ſine libertate conſentiret.

Ex quibus illud ſextò fit manifeſtum, Calvinum non admiſiſſe veram prævienientem Dei motionem, nec verum prævenientis gratiæ adjutorium hoc enim eſt, tam excitans quàm adjuvans gratia, quod tamen ipſe non admiſit: ſed quamdam aliam prævenientem gratiæ motionem ſibi confixit: ſive illa ſit illa indeliberata excitatio ſive quælibet alia motio quæ ità voluntatem raperet ut illam non adjuvet nec eam ſibi faciat ſua libertate cooperari.

Ex quo illud ſeptimò eadem manifeſtatione deducitur, non admiſiſſe Calvinum veram efficacem Dei motionem ſeu efficacem gratiam; hæc enim ut dictum eſt, ſimul eſt excitans & adjuvans quam ille non recepit vel eſt adjuvans ut ſupponat excitantem.

Sequitur pari modò octavo. Non tantùm Calvinum erraſſe in illatione & conſequenti, ſcilicet in hoc quod ex efficaci Dei præveniente motione intulit ablationem ſeu læſionem noſtræ libertatis (quod à multis audio prolatum, putant enim ipſum ſolum in illatione & conſequenti erraſſe) ſed etiam erraſſe in antecedente modo nunc explicato, quia veram efficaciam gratiæ ſeu veram prævenientem motionem Dei & verum gratiæ adjutorium non admiſit, ut manet oſtenſum.

An verò conſequenter erraverit & ex errore & falſo antecedente, errans & falſum conſequens deduxerit ſub diſtinctione juxta prædicta dicendum eſt; in eo enim quod poſita indifferentia rationis aſſeruit ſequi actum voluntatis, non liberum aut indifferentem ſed neceſſarium, in antecedenti non erravit ſed in illatione & conſequente; quia poſito pro antecedente judicio rationis indifferenti per ſe ſequitur actus liber unde qui actum neceſſarium ex illa rationis indifferentia infert, fallitur in illatione & conſequente & juxta hunc modum poſſunt explicari Authores qui dicunt ipſum Calvinum non in antecedente ſed in illatione, & conſequente erraſſe.

Verùm cum ipſe ponit pro antecedente efficaciam illam ſeu illam rapientem Dei motionem quæ ut diximus vera efficax Dei motio non eſt, ut ex illa inferat ablationem noſtræ libertatis non ſolum in conſequenti errat, ſed in antecedenti quia veram prævenientem gratiam pro antecedenti non conſtituit, cum excitantem & verè adjuvantem gratiam negat, & tunc conſequenter ex errore errorem intulit. Ex illa preveniente motione rapiente voluntate ad modum naturæ, ſeu admodum brutorum ſine aliqua excitatione moraliter ſuadente more humano ad actum liberum, & ſine vero adjutorio gratiæ operantis, & cooperantis in libero arbitrio & cum ipſo conſequenter ſequitur libertatis læſio. Quia tunc Deus non moveret juxta propriam naturam, conditionem & modum noſtræ libertatis, ſed potius moveret ad modum naturæ. Unde etiam ex hoc capite negavit liberum arbitrium in homine Calvinus. Ex duplici enim capite noſtram negavit libertatem Calvinus. Primo quia ut dictum eſt extinctum arbitrium per originale peccatum poſuit. Secundo quia motionem efficacem talem conſtituit, quæ hominem raperet per modum naturæ. Qua motione etiamſi ipſe admitteret hominis liberum arbitrium per originale peccatum extinctum non fuiſſe, adhuc in exercitio homo ipſe liber non eſſet; quia illa motio ad modum naturæ moveret, ſicut & de facto modò motio movet ad actum indeliberatum ſeu ad actum primò primum. Diximus quod ex duplici capite libertatem noſtram negavit, vel ut formalior ſit ſermo conſequenter errans, pro libero arbitrio quod per originale peccatum extinctum poſuit talem illi proportionatam conſtituit motionem Dei, quæ ad modum naturæ non libertatis moveret.

Sed explicandum jam venit in quo Calvinus à Pelagianis diſſentiat, & in quo cum illis conveniat. Differunt Primo, quia Pelagiani potiſſimè Julianus, Caſſianus, & Fauſtus excitantem gratiam poſt actum priorem liberum voluntatis à quo ab ipſis pendens conſtituebatur admittebant, quam & ordinem dicere ad futurum liberum conſenſum aſtruebant. At Calvinus hanc moralem excitationem allicientem ad actum liberum excludit ut illa negata noſtram negaret libertatem.

Differunt ſecundò quia Pelagiani per illam excitantem gratiam Deum movere voluntatem dicebant tantum ſuadendo, alliciendo, & invitando nec aliam prævenientem Dei motionem agnoſcebant. At Calvinus hanc moralem excitationem non admiſit, ſed aliam motionem per modum naturæ & ſine libertate moventem conſtituit ut dictum eſt.

Differunt tertiò. Quia Pelagiani poſita indifferentia rationis ſi ſimul ex parte Dei gratia excitans & adjuvans præveniens admitteretur, contendebant libertatem impediri. At Calvinus poſita indifferentia rationis, ſi talis poneretur præveniens gratia excitans & ſimul adjuvans, putavit libertatem potius inferri; unde ut illam negaret talem excitantem, & adjuvantem prævenientem gratiam non admiſit. Sed ut dictum eſt motionem quamdam per modum naturæ moventem.

Convenit Calvinus cum illis. Quia ſicut Pelagiani omnes prævenientem adjuvantem & excitantem ſimul ac prævenientem cooperantem negarunt, ita eas negavit Calvinus ſed ratione ſinequa

diverſa

Digitized by Google

diverſis ut dictum eſt; illi ut per talem gratiam non læderetur arbitrij libertas, iſte ut per talem gratiam arbitrij noſtri libertas non convinceretur.

Explicandum eſt deinde in quo ſententia Authorum cum quibus & pro quibus iſta tractamus cum ſententia Calvini à qua ſe putant longius ire, videatur conſentire, & in quo etiam ab illo diſtans ſit.

Diſſentit ab ea Primò quia Calvinus gratiam excitantem ad indeliberatum actum ante omnem priorem actum liberum noſtræ voluntatis aſtruxit, ſive præviam motionem ſupra ex ipſo explicatam ante omnem noſtrum liberum actum admiſit. Iſti verò Authores eam ponunt, nempe excitantem gratiam, ad actum indeliberatum pendentem à priori actu libero voluntatis noſtræ, ut ex illorum ſupra relatis aſſertionibus fit manifeſtum, quod & in noſtro quarto libro apertiùs oſtendemus. Licet etiam fateantur quod aliquando talis excitatio divina omnem noſtrum priorem actum liberum præveniat.

Diſſentit ſecundò; quia Calvinus per excitantem illam gratiam, ſeu motionem Deum non movere moraliter ad actum, poſuit, ut dictum manet. Iſti verò Authores ſive per illam, ſive per aliam, Deum tantum moraliter movere ad actum liberum arbitrantur. Dicimus ſive per illam ſive per aliam quia cum illa excitatio ſit ad actum indeliberatum immediatè, non ità clarè apparet quomodo per illam moraliter moveat ad actum liberum: niſi dicant quod eo ipſo quod actum indeliberatum cauſat, & voluntas per talem actum indelibertatum moraliter aliqua ratione afficitur ad ulteriorem actum liberum: mediatè medio nempe actu indeliberato moraliter afficiat ad actum liberum: ſed quidquid de hoc ſit, parum retulerit, quia ut diximus ſive per illam ſive per aliam, quæcumque illa ſit, dicunt Deum moraliter tantum allicere ad actum libetum ſine aliqua alia efficaciori motione verè activè propriè movente ad actum liberum.

Diſſentit tertiò quia Calvinus poſita indifferentia rationis ſi ſimul ex parte Dei poneretur præveniens gratia, quæ ſimul eſſet excitans & verè adjuvans, libertatem noſtram putabat inferri atque ſalvari, ut ſatis credimus explicatum. Unde ne convinceretur libertatem admittere, talem verè prævenientem gratiam adjuvantem & excitantem negavit. Iſti verò Authores admiſſa indifferentia rationis, ſi ponatur gratia præveniens quæ vera ſit non ſolum excitans ſed etiam verè & efficaciter adjuvans, noſtram contendunt impediri libertatem.

Cum eo conſentire videntur (quod abſque ullius injuria dictum velim) quia ſicut Calvinus gratiam prævenientem verè adjuvantem, & prævenientem cooperantem negavit: ita & hi Authores prævenientem gratiam verè adjuvantem tam operantem quam cooperantem negant: cum ſolum pro præveniente illam excitationem moraliter ſuadentem ſtatuant. Sed in hoc in quo conveniunt, ratione & fine diverſis procedunt. Ille ne per talem gratiam convinceretur noſtram libertatem admittere: iſti verò, ne per illam noſtra ut ajunt impediatur libertas.

Conſentire videtur ſecundò horum doctrina cum illa Calvini quod ſicut Calvinus ex efficaci Dei præveniente motione (quam nec rectè conſtituit) noſtram dixit tolli libertatem, ita hi Authores ex omni Dei efficaci præveniente motione, quæcumque illa ſit & quomodo libet conſtituatur, aſſerunt noſtram impediri libertatem. Unde & approbant peſſimam illam Calvini illationem, quod ex divina prævia, & efficaci motione noſtra impediatur libertas.

Oſtendendum tamen eſt in quo horum Authorum ſententia cum Pelagianorum, & Semipelagianorum ſententia conſentiat, & an in aliquo ab illorum ſententia diſcordet. Conveniunt Primò, quia ſicut Pelagiani, & potiſſimè Semipelagiani excitantem gratiam dependentem à priori actu libero humanæ voluntatis poſuerunt, ita & hi Authores conſtituunt ſed in hoc aliqualis eſt differentia; quia Semipelagiani ſemper præcedere ante talem excitantem gratiam actum noſtræ voluntatis liberum conſtituebant. At Authores hi id regulariter evenire affirmant: concedentes quod poteſt aliquando dari, imo de facto datur talis excitatio ante omnem liberum actum voluntatis humanæ: ut jam ſupra ex ipſis relatum eſt. Verum hæc differentia accidentalis videtur: Cum omni homini habenti illum priorem bonæ voluntatis actum dicant infallibili lege Deum illam dare excitantem gratiam, de quo copiosè in noſtro quarto libro agemus.

Conveniunt ſecundò; quia ſicut illi priores potiſſimè Semipelagiani gratiam excitantem moraliter tantum allicere voluntatem ad conſenſum liberum aſſerebant: ita & Authores hi id affirmant dum ſemper dicunt gratiam prævenientem quatenus præveniens eſt, in illa ſola morali excitatione conſiſtere alliciente invitante & ſuadente ad liberum conſenſum.

Conveniunt tertiò, quia ſicut Pelagiani omnes contendebant, quod ſi admitteretur vera præveniens efficax gratia adjuvans, ſive illa ſit operans, ſive cooperans, libertas impediebatur arbitrij: ita & modò hoc ipſum audimus defenſum, & publicatum.

Conveniunt quartò; quia ſicut illi negarunt actum divinæ voluntatis prædefinientem quod hoc vel illud arbitrium creatum faciat ante præſcientiam, ſive abſolutam ſive conditionatam, ita & Authores iſti talem divinam prædefinitionem negant ante ſcientiam mediam ſeu futurorum conditionatorum, per quam ipſa certò à Deo prænoſci affirmant independenter à prædefinitione divina.

Sed ad Concilium Tridentinum revertamur, occaſione cujus breviter, & Calvini, & Pelagianorum convenientia & diſconvenientia explicata fuit in erroribus eorũ. Sacrum enim illud Concilium (quod nunc tangemus tantum, copioſiùs in noſtro quartò libro tractandum) in ſeſſione illa 6. de juſtificatione errores omnes, & Pelagianorum, & Semipelagianorum, Lutheranorum, & Calviniſtarum in hac materia, & cauſa gratiæ, & liberi arbitrij penitus deſtruxit, ſtatuendo prævenientem Dei per Jeſum Chriſtum gratiam non ſolum eſſe excitantem; ſed etiam eſſe verè adjuvantem ſeu moventem verè. Dicendo namque verè eſſe excitantem, illam excitantem deſtruxit, quam dependentem à priori actu libero voluntatis humanæ Pelagiani admittebant: hæc enim minùs excitans voluntatem erat ſed potius præventa, & excitata à priori humana voluntate conſtituitur. Similiter dicendo Deum per illam excitare ad conſenſum liberum humanam voluntatem: excitationem ad ſolum indeliberatum actum vel quamlibet aliam ſimilem motionem per modum naturæ attrahentem à Calvino conſtitutam damnavit. Parique ratione definiendo gratiam adjuvantem eſſe verè prævenientem cui arbitrium liberè conſentiendo cooperatur, & Pelagianorum omnium, & Lutheranorum, ſimul ac Calviniſtarum errorem damnavit: quam omnes illi negarunt, ſed fine & ratione diverſis, ut dictum eſt. Itaque non ſolum docet Concilium Sacrum liberum hominis arbitrium debere eſſe à Deo prævenienter excitatum, ſed etiam prævenienter verè adjutum ac verè motum ut ad Deum convertatur. Dixit excitatum prævenienter contra Julianum, & ſuos errores ſequaces. Adjutum verò prævenienter contra eoſdem, & etiam contra Calvinum atque Lutheranos. Si enim ſolum poneretur excitatum, vera præveniens efficax gratia negaretur quæ ſupra excitationem

Digitized by Google

tionem in vera adjuvante gratia conſiſtit. Si tantum poneretur adjutum & nullo modo excitatum, vel illud adjutorium eſſet ſequens priorem actum liberum voluntatis ſicut Julianus conſtituebat, & ex meritis prioris actus voluntatis redderetur: vel non eſſet verum gratiæ adjutorium, quia non adjuvaret liberum hominis arbitrium juxta ſuam propriam naturam, & conditionem liberam. Cum omnis moralis excitatio ſuadens, & invitans negaretur. Item ſi tantum poneretur moraliter excitatum ad conſenſum liberum, liber conſenſus ex naturæ viribus, non ex virtute gratiæ haberetur, ut Pelagiani contendebant; ſi verò poneretur ſolum adjutum ſinè prævia excitatione à Deo cauſata, prima hominis excitatio ad piè operandum ex homine haberetur & ſic ex ipſo eſſet ſuæ juſtificationis primum exordium. Ad omnes igitur hos errores, & hæreſes contundendas definit Concilium, liberum hominis arbitrium non ſolum excitatum, nec ſolum à Deo debere eſſe motum, ſeu adjutum; ſed utrumque ſimul eſſe ponendum; videlicet debere eſſe ſimul à Deo excitatum, & adjutum ſeu excitatum & verè motum.

CAPUT XVIII.

Eamdem non ſolum excitationem ſed veram prævenientem motionem eſſe à Sacro Concilio traditam amplius explicatur.

Sicut de ſententia Calvini conſtat, & in quo fuerit ejus error conſtitutus apparet, quem damnare principaliter Concilum intendebat: ita expendendo Sacri Concilij verba, manifeſtum erit non negare prævenientem excitationem, & inſpirationem, ſed illam firmare, & inſuper addere prævenientem gratiam verè adjuvantem arbitrium, & verè efficienter ipſum moventem atque efficientem ut magna ſua libertate conſentiat cum qua noſtram libertatem cohærere definit. Quod ſatis videtur conſpicuum, ſi antequam ad Canonem illum quartum expedendum deveniamus, doctrinam traditam in illo cap. 5. illius ſeſſ. 6. ex quo & ſequentibus, Canones formati ſunt, conſideremus. Sic enim incipit in cap. 5. *Declarat præterea ipſius juſtificationis ex ordium in adultis à Dei per Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſumendum eſſe hoc eſt ab ejus vocatione.* Quæ verba explicatione non indigent. Exponens autem quæ ſit iſta Dei vocatio, & præveniens Dei per Jeſum Chriſtum gratia, & quid includat continuò ſubjungit. *Quia nullis eorum exiſtentibus meritis à Deo vocantur ut qui per peccata à Deo averſi erant per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſui ipſorum juſtificationem eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur.* Diſponuntur ergo ſecundum expreſſa verba Concilij peccatores per excitantem, & adjuvantem gratiam: diſponuntur inquam ad ſe convertendum, & ad aſſentiendum, & cooperandum eidem gratiæ, nempe excitanti & adjuvanti. Gratia autem qua homines diſponuntur ad conſentiendum, & cooperandum eſt ſine dubio præveniens, quatenus enim diſponit prævenit, quia præveniendo diſponit: ergo non ſolum gratia excitans diſponit & prævenit; verum etiam gratia adjuvans diſponens & præveniens eſt ſecundum expreſſa Concilij verba. Quomodo enim intelligi poteſt quòd diſponantur homines non ſolùm per excitantem ſed etiam per adjuvantem gratiam ad aſſentiendum, & cooperandum eidem gratiæ, & quod gratia adjuvans non ſit præveniens ſicut gratia excitans? Utraque ergo ſine dubio à Concilio Sacro præveniens cognoſcitur, & prævenire prædicatur. Prævenire autem gratia adjuvans ſupra excitantem nulla alia eſſe poteſt, niſi illa quæ eſt verè adjuvans, & verè movens ad conſenſum, ut nomen ſonat, & Can. 4. expoſuit. Quod ad eo notum eſt ut etiam Authores cum quibus agimus planè id confeſſi ſint. Cum enim aliquando inter alia ex Sacro Concilio deducta, hoc aſtringerentur, conceſſerunt quòd ſi ſemel convincatur Concilium docuiſſe non ſolum gratiam excitantem, ſed etiam adjuvantem eſſe prævenientem, concludebatur illam adjuvantem eſſe ex Deo ipſo efficacem, & eſſe non ſolùm moraliter, ſed verè efficienter & activè propriè moventem arbitrium ad conſenſum, eſſeque reipſa illam quæ Phyſica, ſeu quaſi Phyſica motio appellatur. An vero ſit in hoc cap. 5. ſatis manifeſtum atque convictum, non ſolum excitantem ſed etiam adjuvantem gratiam eſſe prævenientem ratio, modò ex propriis verbis Concilij deducta oſtendit.

Quòd ſi dicant docere in illis verbis Concilium quòd diſponuntur ad ſuã juſtificationem homines per proprios actus, quibus gratiæ excitanti & adjuvãti liberè aſſentiuntur & cooperantur, id quidem verum eſt, ſed non negat: imò expreſsè affirmat in relatis verbis, quod ad hanc habendam proximam diſpoſitionem ad ſui juſtificationem homines (quæ videlicet diſpoſitio in aſſenſu & cooperatione illa conſiſtit) omnium primò diſponantur per excitantem & adjuvantem gratiam, & quòd per utramque præveniantur & primò diſponantur ad habendum illum ſuum aſſenſum & cooperationem: & hoc eſt quod docet per excitantem & adjuvantem gratiam diſponi homines ad ſe convertendum ad ſui juſtificationem, id eſt, ad habendum aſſenſum & liberam cooperationem, qua proximè ad ſuam juſtificationem diſponuntur; formaliter enim & proximè per ſuos actus diſponuntur, ſed effectivè ad habendos hujuſmodi actus per excitantem, & adjuvantem gratiam prævenientem præparantur & diſponuntur ſecundum illud ſæpè à Sancto Patre Auguſtino traditum, *præparatur voluntas à Domino.*

Hinc ergo primò conſtat, quod in præcedenti capite dicebamus, admittere nimirum Sacrum Concilium ex parte gratiæ prævenientis, ex qua exordium ſumitur juſtificationis, non ſolùm excitantem gratiam ſed etiam verè adjuvantem & verè moventem, nec Calvinum erraſſe in eo quòd ſubitam excitantem gratiam admiſit, ſed quia rurſus Deum excitare moraliter ad actum liberum negavit. Similiter erravit in eo quod verè adjuvantem ſeu prævie cooperantem gratiam non poſuit.

Hinc rurſùs liquet quod poſita illa excitante & adjuvante prævenient gratia, verè efficienter movente arbitrium ad conſenſum fieri nequit, ut cum illa ſimul conjungatur oppoſitus diſſenſus: vel quòd idem omninò eſt, ei non poteſt arbitrium reſiſtere; quia ut diximus ſit ſenſus compoſitus, quia non poteſt cum illa conjungere oppoſitum diſſenſum. Quod hac ſuppoſitione facta Authores cum quibus agimus non negant nec negare poſſunt.

Sic igitur ratio iſta ſecunda formetur: Concilium Tridentinum apertè docet; non ſolùm excitantem gratiam ſed etiam adjuvantem eſſe prævenientem; ſed cum gratia prævenient adjuvante, obſui efficaciam; non poteſt conjungi diſſenſus: ergo docet quòd cum illa excitante, & adjuuante non poteſt conjungi contrarius diſſenſus per liberum arbitrium. Major & minor modò probatæ ſunt, & conſequentia eſt manifeſta: ergo non loquitur in ſenſu compoſito componente diſſenſum cum excitatione, & cum motione ſeu cum excitante & adjuvante gratia ſimul.

Hinc præterea intelliget Theologus quare ſemper Concilium Sacrum, cum loquitur de liberi arbitrij conſenſu, hæc duo adhibet dicens, eidem gratiæ liberè aſſentiendo,

Digitized by Google

aſſentiendo, hoc enim ideo facit, ut illis duobus quæ ex parte Dei excitantis & moventis expreſſit, alia duo illis proportionata ex parte liberi arbitrij aſtruat, ex parte enim Dei moventis poſuit excitantem & adjuvantem gratiam: undè ex parte liberi arbitrij conſtituit aſſenſum per reſpectum ad excitantem, & cooperationem per reſpectum ad adjuvantem gratiam: ſicut enim excitanti aſſentimur, ità verè adjuvanti cooperamur; non tamen intendimus aſſenſum, & cooperationem arbitrij duo eſſe realiter diſtincta, hoc enim quis dicat? ſed eumdem actum arbitrij per reſpectū ad illa diverſa hanc ſumit diverſam rationem.

Hinc ultimò ſequitur prævenientem gratiam non ſolùm eſſe excitantem ſecundùm mentem Concilij, ſed verè adjuvantem atque efficienter moventem; quia ſi ſolùm excitans eſſet, ſufficeret quòd Conciliū diceret quòd ei homo aſſentitur, nec adderet, quod ei cooperatur; quia propriè non cooperamur excitanti, ſed nos adiuvanti vel moventi, vel in nobis atque nobiſcum operanti. Cum ergo Concilium ſemper doceat quòd homo cooperatur aſſentiendo, neceſſe eſt dicere quòd cooperatur Deo adiuvanti, & efficaciter moventi per realem motionem ſuam, & quòd aſſentiatur Deo excitanti, & moraliter vocanti.

Prætereà, & ſit tertia ratio ad id comprobandum, poſtquā Concilium in præcitato cap. 5. gratiam excitantem, & adjuvantem prævenientem conſtituit per quam homines diſponuntur ad aſſentiendum, & cooperandum eidem gratiæ, procedit ad explicandū quomodo gratia excitans & adjuvans ſe habeant in hominum converſione, & quæ prius cor hominis tangat continuò annectens poſt illud verbum, diſponuntur: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere poteſt; neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit.* Quibus docet exordium juſtificationis ſumi ab illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti qua Deus cor hominis tangit, illam enim quam priùs dixerat gratiam excitantem nunc vocat illuminationem, & inſpirationem Spiritus Sancti. Secundò docet quod homo recipiens illam aliquid agit quia ipſam liberè vult recipere & acceptare; & hoc Concilium intendit, cum ait, quòd aliquid agit homo illam recipiens: aliquid inquam agit illam per conſenſum volendo recipere; ſi enim non ſic ageret, & tantùm illam à Deo receiperet non ſalvaretur quòd eam recipiens aliquid ageret. Senſus ergo Concilij eſt quòd ità ſuo conſenſu agit illam volendo recipere quòd ſi vellet eam per conſenſum non reciperet ſed per diſſenſum abjiceret, & iſte videtur planè ſenſus Concilij. Tertio docet quod illam abjicere poteſt, id eſt potentiam habet ad illam abjiciendam.

Quòd enim potentiam habeat ad illam abjiciendā, habendo potentiam ad conjungendum oppoſitum diſſenſum certum debet eſſe, quia cum illa ſit tantùm inſpirans & excitans poteſt arbitrium non ſolum eam abjicere ſi amplius non adjuvetur ſed de facto ſi amplius non adjuvatur illam abjiciet: verum efficacius adjutum, & per hoc illam recipiens, liberam potentiam habet ad eam abjiciendam inſpirationem quam recipit, & potentiam liberam habet ad conjungendum cum illa oppoſitum diſſenſum: quia hanc liberam potentiam quam habebat priùs quàm efficaciter adjuvaretur, & priùs quàm illam reciperet non amiſit per hoc quod ſit efficaciter adjutum, & eam de facto recipiat, ſolùm autem impeditur, ne eam de facto abjiciat. Similiter fieri non poteſt ut eam de facto abjiciat propter moventis efficaciam, & propter aſſenſum quo eam jam recipit; etenim fieri nequit ut habens actum, quo illam recipit ſimul habeat actum quo eam abjiciat: unde non poteſt conjungere diſſenſum cum conſenſu quo eam recipit, benè tamen conſentiens poteſt conjungere contrarium diſſenſum cum illuminatione & inſpiratione ut diximus. Itaque adjutum liberum arbitriū ut recipiat inſpirationem ſic eam ſuo conſenſu liberè recipit, quòd ſi vellet non reciperet ſed abjiceret, non tamen ſtat quòd ſic adjuvetur, & nolit eam recipere quia gratia efficaci adjuvatur ut velit.

Secundus ſenſus eſt quòd etiam poſtquam ſuo conſenſu eam vult recipere adhuc potentiam liberam retinet quòd illam poteſt abjicere ſicut antea habebat, quia iſta potentia non tollitur per hoc quod efficaciter adjuvetur vel per hoc quòd conſentiat ut eſt manifeſtum: quamvis autem iſte ſecundus ſenſus verus ſit non tamen ita intenditur à Concilio ſicut ille primus qui revera à Sacro Cōcilio traditur, & intenditur.

Tertiò explicat per quid liberum arbitrium eſt recipiens liberè illam inſpirationem, & illuminationem docens quòd per gratiam adjuvantem verè adjutum illam recipit, & quòd ſine adjuvante eam recipere nequit, dicens, *non tamen ſine gratia Dei ſe ad juſtitiam movere poteſt;* ſine gratia, inquam, adjuvante ſe non poteſt movere ad juſtitiam acceptando illam bonam inſpirationem: Cùm enim idem ſit movere ſe ad juſtitiam coram Deo, & bonæ ejus inſpirationi aſſentiri ut notum eſt; idem etiam erit non poſſe ſe ſine gratia adjuvante inſpirationi conſentire vel eam recipere & acceptare: abjicere enim illam inſpirationem quia malum eſt poteſt homo ex ſola ſua libertate ſed illam acceptare movendo ſe ad juſtitiam quia bonū eſt, homo ex ſola ſua libertate ſine ampliori gratia videlicet adjuvante quam Concilium præmiſerat non poteſt. Unde hæc propoſitio, poſita illuminatione & inſpiratione Spiritus Sancti non poteſt homo ſine gratia Dei videlicet adiuvante ſe movere ad juſtitiam, in ſenſu compoſito procedit, id eſt fieri non poteſt ut ſine gratia adjuvante ſe homo ad juſtitiam moveat.

An verò poſita prædicta illuminatione & inſpiratione ante gratiam adjuvantem poſſit homo abſolutè, & ſimpliciter ſive in ſenſu diviſo ſe ad iuſtitiam coram Deo movere ita quòd ad id ſufficientes vires habeat ſeu auxilium quod dici ſolet ſufficiens ita quòd illa inſpiratio & excitatio ſit auxiliū ſufficiens. Dicendum eſt primo talem inſpirationem ſeu excitationem quatenus moraliter invitat & ſuadet ſeu metaphoricè & obiective movet, verè auxilium ſufficiens non eſſe nec veras ſupernaturales vires tribuere cum ab extrinſeco obiectum proponat: imò ut ſic talis excitatio non recedit à lege & doctrina ut oſtenſum eſt.

Dicendum ſecundò: dato quod talis inſpiratio & excitatio quatenus efficaciter movet voluntatem ut natura eſt ad actum indeliberatum nullas ſufficientes vires tribueret voluntati ad actum liberū ſequentem, ipſa gratia poſtmodum adiuvans ſicut formaliter vires efficaces voluntati tribuit ad actum liberum ſequentem ita à fortiori & ſufficientes daret; unde eſſet auxilium, efficax formaliter & eminenter ſufficiens, ſicut rationale eminenter continet vegetativum, & ſenſitivum.

Dicendum tertio abſque aliquo inconvenienti dici poſſe quod inſpiratio & excitatio illa quatenus ſic efficaciter movet voluntatem ut naturam ad indeliberatum actum ſufficientes vires tribuat ad actum liberum ſequentem; ita quod ut ſic talis excitans gratia ſit auxilium ſufficiens, ſicut poſtea adiuvans gratia eſt auxilium efficax; ut ſic aſſignetur auxilium ſufficiens diſtinctum ab efficaci ſaltem formaliter, ſicut formaliter gratia excitans in noſtra ſententia diſtinguitur ab adiuvante; vel in aliorum ſententia realiter utrumque ab invicem diſtinguatur: & ratio eſt, quia qui vires efficaces habet ad habēdum actum indeliberatum circa aliquod obiectum videtur quòd eo ipſo habeat ſufficientes circa actum liberum reſpectu eiuſdem obiecti,

Digitized by Google

objecti potiſſimè cum virtute talis excitationis & actionis indeliberatæ moveat voluntas intellectum efficaciter ad diſcutiendum de mediis, & ſufficienter ad benè de illis iudicandum : In quo neceſſitatem gratiæ adjuvantis quam ſupra dixerat intelligit per illa verba, *ſine gratia Dei*, docens quod ſine illa non poteſt homo aſſentiri illi inſpirationi & illuminationi. Ubi iterum neceſſitatem gratiæ adiuvantis ut ſe homo moveat ad iuſtitiam conſentiendo inſpirationi proponit, exponendo proprium officium gratiæ adiuvantis, quòd eſt movere ut conſentiat iuſtitiæ, in quo rursùs adiuvantem dicit eſſe prævenientem ; ſi enim ipſa liberum arbitrium movet ad iuſtitiam & ad aſſentiendum inſpirationi ; ergo ipſum prævenit ut aſſentiatur liberè.

Quòd verò intelligat Concilium, quòd etiam ſuppoſita illuminatione, non poteſt quis ſe movere ad iuſtitiam ſine gratia Dei, id eſt, ſine adiuvante conſtat; non enim intendit quòd ſine gratia Dei excitante & adiuvante, poſſit ſe homo ad iuſtitiam movere : tum quia hoc à principio illius cap. dixerat, cum docuit exordium iuſtificationis eſſe à gratia excitante ſumendum, & adiuvante, nec aliundè poſſe ſumi iuſtitiam ; ergo id poſteà inutiliter non repetit. Secundò, quia contextus clarus eſt, quòd ſuppoſita illuminatione & inſpiratione de adiuvante loquatur, nec faceſſit negotium illa particula (*ſine gratia Dei*) adiuvantem enim gratiam abſolutè & ſimpliciter vocat gratiam Dei, quia eſt illa propriiſſima gratia quæ adiuvat ut velimus, & ut inſpirationi aſſentiamus ut à principio hujus libri tactum eſt, & quam S. P. Auguſt. lib. 4. ad Bonif. cap. 5. dicit propriam gratiam eſſe. Imò illa eſt propria gratia Redemptoris, ut toto libro de gratia Chriſti S. Auguſt. oſtendit. Excitans enim ſola ad ſummum gratia eſt ſecundùm quid, vel non eſt illa propria gratia, qua Chriſtiani ſumus : ut quarto libro declarandum erit manifeſtiùs.

Concludit Concilium caput illud, immediatè poſt verba prædicta hæc adhibendo. *Unde in ſacris literis, cum dicitur convertimini ad me & ego convertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur, cum reſpondemus, converte nos Domine ad te, & convertemur, Dei nos gratiâ præveniri confitemur.* Circa quæ verba notetur primò illud verbum (*Unde*) unde enim infert Concilium hæc duo, quæ modo relata ſunt, niſi ex præmiſſis ? ex eo videlicet, quod præmiſerat gratiam prævenientem eſſe excitantem & adiuvantem, & ex eo quod dixerat recipientes bonam inſpirationem illam abjicere nos poſſe ; ſed non poſſe nos movere ad iuſtitiam inſpirationi aſſentiendo, ſine gratia videlicet adiuvante, infert, quòd cum dicitur convertimini ad me, libertatis noſtræ admonemur. Quaſi dicat, cùm Deus vel per legem exteriorem atque doctrinam exteriorem ſeu præcepta, ſive per interiorem illuminationem nobis interiùs dicit, convertimini ad me, tunc libertatis noſtræ, etiam per talem illuminationem, admonemur. Ideò autem admonet nos Deus interiùs per illuminantem gratiam, quia per illam nos vocat, & per eam offert nobis gratiam ſuam. Quam oblatam gratiam per talem illuminationem & excitationem abjicere poſſumns, ut ſacrum docet Concilium. Vel poteſt alius ſenſus eſſe, quòd nempè ex eo quòd poſſumus abjicere inſpirationem Dei cum illam recipimus, libertatis noſtræ admonemur : quæcumque illa inſpiratio ſit, ſive ſuadens tantùm interiùs, & per modum legis, atque doctrinæ : ſive indeliberatè efficienter & efficaciter moveat : ſive denique daret vires tantum ſufficientes eſſetque verum auxilium ſufficiens, ſemper enim illam abjiciendo vel illam recipiendo, cum poſſimus abiicere, apertè libertatis noſtræ admonemur.

Proſequitur. *Cum autem nos reſpondemus, converte nos Domine, & convertemur, gratiâ Dei nos præveniri confitemur.* Quaſi dicat, cum ſic reſpondemus Deo, petendo ut nos convertat, quam gratiam poſtulamus, niſi adiuvantem, qua de facto Deus nos convertit, & qua poſita infallibiliter ſequitur quòd nos convertamur. Et cum hanc adiuvantem gratiam petimus ita nos convertentem, ut nos de facto convertamur, quid confitemur, niſi prævenire nos gratia adiuvante & efficaciter nos convertente, & cauſante quòd nos convertamur ? Rursùs infert Concilium, quòd cum Deus dicit nobis ; *Convertimini ad me*, ſive hoc dicat per præcepta legis, ſive potiſſimè per excitantem gratiam, qua nos vocat, & moraliter etiam invitat & allicit ; tunc libertatis noſtræ admonemur. Cum autem nos reſpondentes dicimus, *Converte nos Domine, & convertemur*, gratiâ nos Dei prævenire confitemur, id eſt, confitemur nos prævenire Dei gratia adiuvante, qua verè Deus nos convertit, hoc eſt, verè efficit nos adiuvando, ut nos noſtra voluntate convertamur. Hic eſt literæ contextus. Ubi clarioribus verbis gratiam adiuvantem docet eſſe prævenientem, & ita prævenientem ut nos convertat, & ita nos convertentem, ut ei inſeparabiliter coniungatur, quòd nos convertamur. Et ex conſequenti docet quòd illa adiuvante gratia prævenient poſita de facto nos convertente, non ſtat quòd nos non convertamur, nec fieri poteſt, quòd non ſequatur noſtra converſio, nec poteſt arbitrium cum illa gratia adiuvante prævenient cauſante noſtram converſionem, coniungere atque componere non converſionem vel diſſenſum, vel non cooperationem. Docet ergo ſatis clarè Concilium neceſſariam eſſe adiuvantem gratiam prævenientem ad noſtram converſionem, & quòd illa poſita non poteſt homo cum illa coniungere contrarium diſſenſum.

Proſequitur Concilium in cap. 6. *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtificationem dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum.* Ubi iterùm non ſolùm excitantem gratiam dicit prævenientem, ſed etiam adiuvantem ; Si quidem ut fidem ex auditu percipiant, & ut liberè moveantur in Deum, docet non ſolùm homines debere eſſe à Deo excitatos, ſed etiam ab eodem adiutos : & per utrumque diſponi ad fidem præbendam, & liberè ſe convertendum in Deum. Cum hac verò prævenient diſpoſitione excitantis & adiuvantis gratiæ, ac efficaciter moventis hominem ad iuſtitiam, non ſtat diſſenſus: nec enim fieri poteſt, ut talis homo diſſentiat, nec cum adiuvantis gratiæ efficacia poteſt liberum arbitrium coniungere contrarium diſſenſum. Igitur ex tota doctrina cap. 5. citati, & ſequentium multipliciter conſtat non ſolùm excitantem gratiam, ſed etiam adiuvantem eſſe prævenientem, & ita efficaciter prævenire, ut cum illa minùs poſſit homo coniungere contrarium diſſenſum. Falſa ergo eſt illa explicatio & intelligentia, & contra ipſam Concilii mentem, qua ex oppoſito ſemper contenditur loqui Concilium in ſenſu compoſito : ita quod definire intendat, quòd motum liberum arbitrium excitante & adiuvante gratia poſſit diſſentire in ſenſu compoſito : id eſt, cum ea omni excitante & adiuvante gratia poſſit componere atque coniungere contrarium diſſenſum : quod infra agentes in particulari de vera illius 4. Can. intelligentia clariùs oſtendemus, argumenta oppoſita diluendo.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

Quid sit excitans & adjuvans gratia, & quomodo abinvicem distinguantur, breviter explicatur.

VERUM explicandum est modò, breviter tamen (quia de hoc copiosè in quarto libro agendum nobis est) quænam sit ista excitans & adjuvans gratia, & qualiter utraque abinvicem distinguatur.

Pro quo advertendum, quòd pro actionibus naturalis ordinis posita simplici apprehensione ex parte intellectus, qua finis, & bonum sine aliqua discussione apprehenditur, & practicè voluntati proponitur, statim in voluntate sequitur illius volitio indeliberata; quia illa præsupposita apprehensione statim Deus voluntatem, ut natura est, efficaciter movet ad indeliberatam finis volitionem, & per voluntatem sic actuatam tali finis indeliberata volitione intellectum de facto applicat, ut per rationis iudicium proponat, an illi indeliberatæ volitioni consentiendum liberè sit, & liberè idem finis acceptandus, atque volendus; proponente autem intellectu practicè voluntati conveniens esse illi consentire liberè, & conveniens; ut voluntas talem finem liberè velit, voluntas liberam elicit volitionem, liberam inquantùm ad exercitium operis, qua in exercitio operis liberè vult talem finem.

Hæc igitur libera volitio finis quoad exercitium secuta ad illud primum rationis judicium cum indifferentia & discussione vocatur & est volitio finis libera quoad exercitium: quia quoad specificationem necessaria est. Cum de fine quoad specificationem non sit consilium. Nam illa omnium prima secuta ad simplicem intellectus apprehensionem sine discussione aliqua nullo modo potest esse, cum ad indifferentiam rationis, quæ est radix libertatis, non sequatur; sed est indeliberata omninò finis volitio.

De illo autem omnium primo rationis discutientis judicio, secuto ad indeliberatam volitionem finis, & antecedente liberam finis volitionem quoad exercitium, Aristot. mentionem facit non semel citatus à Sancto Thoma; & dicit illius Deum causam esse: in ipsum enim Deum, & non in voluntatem hominis refundit tale primum judicium, & tale nostrum primum liberum velle. Licet enim nos illud velle liberè effiiciamus, tamen nos ad illud non movemus per priorem nostram deliberationem: sed Deus nos ad illud movet media illa nobis impressa prima finis indeliberata volitione, & medio illo primo rationis judicio, verba Aristot. & Sancti Thomæ commodiùs libro nostro secundo in principio apponemus, agentes de hac materia ex professo; nunc enim magis illam supponimus, quàm explicamus: sicut etiam supponimus illam primam liberam nostram volitionem, quoad exercitium vocari à Sancto Thoma interiorem actum voluntatis, quia versatur circa finem: nam media ab ipso vocantur actus exteriores seu impeperati: media, inquam, id est electiones mediorum.

Ex his sequitur primò, quòd cùm communiter dicitur, quòd in anima pro isto statu omnis actus circa finem est liber quoad exercitium, non debet intelligi de illa omnium prima indeliberata volitione jam explicata; hæc enim nullo modo libera est, sed omninò necessaria & totaliter indeliberata: sed intelligendum est de omni alia finis volitione, & de alia finis intentione, quæ liberæ sunt, volitio quidem finis libera quoad exercitium: intentio autem multòmagis libera.

Sequitur secundò hanc liberam volitionem secutam ad illud primum jam explicatum rationis judicium ex necessitate esse ponendum, in virtute enim ipsius postea nos ipsos per deliberationem, quæ sequitur ad illam, movemus ad electionem mediorum, & etiam ad intentionem finis per media. An verò omninò etiam necessarium sit præcedere semper illam aliam omnium primam indeliberatam finis volitionem, non ita certum est. Licet enim regulariter præcedat: poterit tamen Deus immediatè movere voluntatem per rationem discutientem judicium ad immediatè eliciendam illam liberam finis volitionem quoad exercitium: & fortè in subitaneis & instantaneis conversionibus, sicut fuit illa Pauli, in quibus nihil præcedit, movet immediatè Deus per judicium rationis ad actum liberum quoad exercitium eliciendum: de quo ex professo in nostro 4. libro tractabitur.

Itaque ut in summa dicamus, in nostris actionibus naturalibus, ut voluntas aliquid de novo incipiat velle, isti actus requiruntur. Primus, quo Deus intellectum nostrum movet ut bonum sine discussione simpliciter apprehendat, & apprehensum sine discussione ut bonum practicè voluntati proponat; & quamvis Deus omnia hæc unâ sui motione efficiat plura tamen per illam efficit. Primò, Bonum intellectui proponit. Secundò ipsum movet, ut illud simplici apprehensione apprehendat. Tertiò facit, ut ipsum voluntati, ut dictum est, practicè proponat, in quo ultimò illa motio, qua intellectum movet, finitur. Secunda Dei motio est; qua voluntatem movet, ut natura est, ad eliciendam illam finis indeliberatam volitionem; quæ etiam tria ordine quodam efficit: primò voluntatem constituit in actu primo ad sic volendum: Secundò illam sic in actu primo constitutam efficaciter movet ad actum illum primum indeliberatum. Tertiò eadem motione, per voluntatem indeliberata finis volitione actuatam, intellectum applicat ad supradictum & explicatum jam primum rationis iudicium.

Deinde intellectum movet ut rectum formet judicium & illud practicè voluntati proponat. Ac tandem ultimò eamdem voluntatem movet ut liberam illam primam volitionem finis quoad exercitium liberè eliciat, qua etiam motione, & voluntatem in actu primo constituit respectu talis volitionis, & sic constitutam efficaciter applicat ad volendum.

His suppositis pro actionibus naturalis ordinis (quæ copiosè tractanda sunt in secundo libro à principio proportione servata ad explicationem excitantis & adjuvantis gratiæ, eadem brevitate accedamus. Gratia ergo excitans quoad supernaturales actiones probabiliter hoc modo fit. Cum Deus aliquem sua supernaturali gratia excitare vult, omnium primo intellectum illius subitò illuminat supernaturali illustratione per modum simplicis apprehensionis, sine discussione aliqua: Secundò, Intellectum efficaciter movet ut tale apprehendat objectum. Tertiò, Eâdem efficaciâ ipsum movet, ut illud sicut bonum & conveniens sine discussione voluntati practicè proponat. Quæ omnia una reali supernaturali sua motione efficit. Quartò subitò etiam Deus alia motione ex parte voluntatis ipsam supernaturaliter constituit in actu primo ut possit supernaturalem actionem virtualiter elicere. Quintò, sic constitutam ipsam efficaciter movet

ut

Digitized by Google

ut indeliberatam ſupernaturalem finis volitionem eliciat. Sextò, Eadem motione voluntatem mouet, & per ipſam vel cum ipſa applicat intellectum ad iudicium rationis, an videlicet illi excitationi priori ſit liberè conſentiendum. Septimò, Intellectum dirigit in conſilio, ut rectum formet, & voluntati illud ſicut conveniens practicè proponat, quod, ut dictum eſt, facit per eamdem motionem, qua à principio intellectum applicavit ad bonum ſine diſcuſſione voluntati proponendum. Eadem, inquam, magis roborata atque perfecta poſtea facit benè intellectum conſiliari, & rectum conſilium voluntati proponere, ut ſtatim clariùs dicemus. Octavò & ultimò eadem motione, qua primò voluntatem excitavit ad indeliberatam finis volitionem, magis perfectâ atque roboratâ, voluntatem efficaciter adiuvat, vires ei efficaces tribuendo, & ipſam efficaciter applicando, ut liberam ſupernaturalem finis volitionem, liberam, inquam, quoad exercitium, eliciat. Quamvis autem ſupra ſeptem numeraverimus in his motionibus, & modo octo; in illis ſeptem, hæc octo clauduntur: ſicut hæc octo magis explicant illa ſeptem.

Ex quibus fit manifeſtum, utramque & excitantem & adiuvantem gratiam, prævenientem eſſe reſpectu illius liberæ volitionis finis: quod ex ſacro Concilio Tridentino oſtenſum eſt. Qua verò ratione utraque præveniat, an moraliter, an verò verè & activè propriè efficiendo: an utroque modo ſimul, ſub eadem brevitate dicemus (quia in noſtro quarto libro locus eſt proprius de hac materia diſputandi.) Ab omnium itaque primâ illa incipiendo, quæ fit per intellectum proponentem bonum per ſimplicem apprehenſionem ſine diſcuſſione aliqua: & ſimiliter ab alia, qua Deus ex parte ſubiecti movet voluntatem ad indeliberatam finis volitionem: Dicendum; quod utraque eſt gratia excitans. Prima ex parte intellectus obiectum proponendo: ſecunda ex parte ſubiecti voluntatem excitando: ſeu quod idem eſt, prima quoad ſpecificationem movendo, ſecunda quoad exercitium: de quo nulla poteſt eſſe difficultas. Inſuper illa prior quoad ſpecificationem ex parte intellectus, ex parte ſua & ex meritis propriis non habet movere voluntatem quoad exercitium, ſeu verè & propriè & activè ſeu efficaciter.

An verò moveat moraliter poterit alicui videri, cum non moveat verè & activè propriè. Sed veriùs videtur illam non eſſe motionem moralem veram & propriam, quia moralis motio movet ſuadendo, alliciendo, invitando, quæ motio reſpectu liberæ potentiæ datur, & ad actus morales & liberos: Sed illa ſimplex apprehenſio intellectus non eſt reſpectu liberæ potentiæ: ſed reſpectu eius ut natura eſt, quia ſine diſcuſſione bonum proponit: non ergo videtur motio moralis: qua ratione cum in brutis etiam bonum ſimpliciter apprehendatur ut conveniens quia libertate carent: non dantur reſpectu eorum morales motiones. Non, inquam, videtur vera & formalis motio moralis in ſeipſa: Licet ſit, & ita vocanda, radicalis ſeu originalis motio moralis, quia ab illa ſicut à prima radice originatur illa, quæ verè in ſeipſa & formaliter eſt moralis motio, ut ſtatim dicemus. Quod in motione qua brutum movetur, non invenitur, cum nec radicaliter, ſeu originaliter moralis ſit: ut eſt manifeſtum. Et licet moveat quoad ſpecificationem, non tamen moraliter movet; quia motio quoad ſpecificationem duplex eſt: alia per ſimplicem apprehenſionem in ordine ad actum indeliberatum: & hæc ratione dicta in ſeipſa formaliter moralis motio non eſt. Alia movet, quoad ſpecificationem cum diſcuſſione iudicii: & iſta eſt formaliter moralis. De alia verò motione ex parte ſubiecti, ſeu quoad exercitium reſpectu actus illius indeliberati, dicendum, illam motionem eſſe verè & activè, propriè ſeu phyſicè moventem voluntatem, ut natura eſt, ad illum actum indeliberatum, quod abſque omni contradictione verum eſt. Dicendum etiam illam non movere motione morali, quia iſta fit per intellectum proponentem obiectum, & ſic ſuadentem, invitantem, & allicientem: unde motioni immediatè moventi voluntatem quoad exercitium convenire nequit.

Dicendum præterea, voluntatem ſic motam ad actum indeliberatum per talem indeliberatam finis intentionem ſeu volitionem, benè eſſe diſpoſitam ad recipiendam ſubſequentem moralem motionem, qua pòſteà intellectus per illud primum iudicium iam explicatum, cum diſcuſſione eidem voluntati proponit illum finem liberè eſſe volendum, ſine qua indeliberata finis volitione, nudè voluntas conſiderata non ita eſſet diſpoſita ad acceptandum conſilium illud, quod & tradere videtur S. Thomas 1. 2. quæſt. 9. art. 2. dicens: *Id quod apprehenditur ſub ratione boni, & convenientis movet voluntatem per modum objecti. Quod autem aliquid videatur bonum & convenies, ex duobus contingit, ſcilicet ex conditione ejus quod proponitur, & ejus cui proponitur, conveniens enim ſecundum relationem dicitur, unde ex utroque extremorum dependet; inde eſt quod juſtus diverſimodè diſpoſitus, non eodem modo accipit aliquid, ut conveniens, & ut non conveniens; unde & Philoſophus dicit in 3. Ethic. Qualis unuſquiſque eſt, talis finis videtur ei.* Dubitari ergo non poteſt voluntatem per indeliberatam finis volitionem benè diſpoſitam eſſe ad acceptandam moralem motionem, qua per rationis iudicium ei proponitur, ut conveniens illum finem liberè acceptandum: imò per paſſionem appetitus ſenſitivi homo benè vel male diſponitur ad ſimiles morales motiones acceptandas, quòd & S. Thomas loco citato clarè docet, & nos ſupra cap. 19. ſub brevitate tradidimus.

Dicendum tandem, quod moralis motio, quæ in ſeipſa formaliter, & vera moralis eſt, conſiſtit in illo primo iudicio rationis, quo intellectus voluntati ptoponit liberè eſſe volendum hìc & nunc in exercitio illum finem priùs indeliberatè volitum: hæc enim eſt omnium prima moralis motio, quæ formaliter in ſeipſa verè moralis eſt. Sunt etiam poſt hanc aliæ plures morales motiones reſpectu actus intentionis, & electionis ut notum eſt, ſed illa modo explicata, eſt inter omnes prima.

An verò ille actus indeliberatus voluntatis, quo ut dictum eſt ipſa benè diſponitur ad recipiendum rationis iudicium ſit dicendus moralis motio reſpectu ſequentis actus liberi: Dicendum verè & propriè motionem moralem non eſſe: tùm quia verè & propriè voluntatem non movet, tùm etiam quia non proponit aliquid voluntati ſuadendo, aut monſtrando, aut moraliter alliciendo. Quòd ſi quis illam motionem moralem appellare voluerit, largo modo, ſeu impropriè & reductivè, quatenus nempè benè per illam voluntas diſponitur ad recipiendum rationis iudicium, nihil retulerit.

Multò autem minùs dici poteſt, talem indeliberatum actum verè & activè, propriè ſeu phyſicè, cum voluntate liberum actum efficere, quod non ſemel in his operibus oſtendemus. Quis enim dicat (ut alia modo omittamus) quòd voluntas ut actuata actu indeliberato & conſiderata ut natura eſt, & ſine aliqua prorsùs libertate, ſit immediata cauſa activa actus liberi? cum iſtæ rationes ſibi adinvicem contradicant.

Digitized by Google

Et ſi opponatur, quòd voluntas per volitionem finis, libera quoad exercitium, effectivè cauſet volitionem mediorum: ergo ſimiliter per indeliberatam finis volitionem activè poterit efficere primarium actum liberum.

Ad hoc dicendum valdè diverſam utriuſque eſſe rationẽ. Primò quia voluntas per liberam volitionem finis quoad exercitium, & per deliberationem ſecutam ex illa ſe movet ad volitionem mediorum; per actum verò indeliberatum, non ſe movet ad actum primum liberum. Secundò, & hoc oritur ex primo, quia ſuppoſita in voluntate libera volitione finis, quoad exercitium ipſa voluntas movet intellectum ad deliberandum de mediis. Unde, & tale judicium homini ipſi tribuitur. Cæterùm voluntas cum actu illo indeliberato non movet intellectum ad conſiliandum, nec illud primum rationis judicium homini tributitur, ſed Deo à quo efficienter intellectus movetur ad ſic conſiliandum. Unde, ubi ſupradictum eſt, quod Deus per voluntatem habentem actum indeliberatum, intellectum movet ad conſiliandum, propriùs & veriùs dicendum quod ſuppoſita voluntate ſic diſpoſita per indeliberatum actum, Deus efficienter movet intellectum ad illud primum conſilium. Tertiò & ultimò eſt ratio diverſa, quia in volitione libera quoad exercitium ipſius finis continetur virtualiter electio mediorum: qui enim efficaciter liberè vult finem, liberè ipſa media virtualiter vult: & ſic volens, per talem liberam finis volitionem efficienter producit volitionem mediorum in priori volitione virtualiter contentam. At verò primus actus indeliberatus, ut dictum eſt, nullo modo virtualiter continet actum liberum, cum utriuſque ratio diverſa imò oppoſita ſit, qua ratione nec talis indeliberatus actus poteſt effectivè cauſare actum liberum.

Quia verò de excitante & adjuvante gratia, atque de eo quod utraque in voluntate cauſat, ſermonem inſtituimus, & illud venit conſiderandum, qua ratione excitans & adjuvans gratia inter ſe abinvicem diſtinguantur: quòd enim diſtinctæ aliquo modo ſint, ſatis eſt manifeſtum, cum Concilia ſacra. Trid. ſeſſ. 6. Mogunt. cap. 7. Colon. in Enchirid. expreſsè excitantem & adjuvantem gratiam nominent.

Et quidem quòd gratia adjuvans realiter ſicut res à re diſtinguatur à gratia excitante moraliter tantùm movente, certum debet eſſe, quia gratia adjuvans tenet ſe ex parte voluntatis, ipſamque efficaciter ad actum liberum movet, & ſimul cum illa illum producit; at gratia excitans moraliter tantùm ſuadens tenet ſe ex parte intellectus objectum ſuaviter proponentis & ad illud invitantis & allicientis: ergo hæc realiter diſtinguitur ab adjuvante, quæ ſe tenet ex parte voluntatis.

Parique ratione gratia verè adjuvans ſuprà jam explicata realiter diſtinguitur à motibus indeliberatis, tàm intellectus, quàm voluntatis, qui ſolent dici gratia excitans (quamvis propriè gratia excitans non ſint, ſed propriè effectus ſint ipſius gratiæ excitantis) quod etiam debet eſſe manifeſtum, & nunc breviter ſic oſtenditur. Nam ut dictum eſt gratia adjuvans veras vires efficaces tribuit voluntati ad actum liberum, & ſimul cum illa illum producit, at actus indeliberatus, ſeu intellectus, ſeu voluntatis, veras efficaces vires voluntati ad actum liberum non tribuit, & multò-minus cum voluntate actum liberum producit: ergo realiter utraque abinvicem diſtinguitur. Et præterea, ut dictum eſt, in eodem inſtanti quo voluntas liberè elicit actum liberum gratia adjuvans eſt in voluntate ſimul cum illa illum producens, cæterum actus indeliberatus non poteſt eſſe in eodem inſtanti quo voluntas elicit actum liberum ſimul in eadem voluntate: repugnat enim quod in eodem inſtanti ſit actus indeliberatus & liber reſpectu ejuſdem objecti; ergo actus indeliberatus non eſt gratia adjuvans ſed realiter ut res à re ab illa diſtinguitur. Quod ex eo magis confirmatur, quia gratia adjuvans eſt verum divinum auxilium, divinum autem auxilium à ſolo Deo eſt: ergo realiter diſtinguitur ab actibus indeliberatis, qui à ſolo Deo non ſunt, ſed à nobis producuntur ut actus vitales noſtri.

An verò gratia adjuvans realiter tanquam res à re etiam diſtinguatur ab illa priori gratia excitante, quæ omnium primò & intellectum & etiam voluntatem efficaciter movet ad actum indeliberatum producendum, quæ proinde à ſolo Deo eſt, & eſt vera gratia excitans non ita eſt manifeſtum. Unde ſunt Doctores aliqui, qui utramque abinvicem ſola ratione, ſeu formaliter diſtingui dixerunt; alij verò Doctores utramque abinvicem realiter diſtingui affirmarunt, ſive autem una, ſive alia ſententia, nihil contra ſanam doctrinam divinorum auxiliorum defendit, quia potiùs ad Metaphyſicam id ſpectat. Et quidem qui tenent utramque ſola ratione ſeu formaliter aut officio & munere diverſò ſolùm diſtingui, his argumentis fundari videntur.

Primò, Quia Concilium ſacrum Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. poſtquam docuit homines per excitantem, atque adjuvantem gratiam diſponi ad ſuam juſtificationem, aſſerit quod hoc fit eidem gratiæ aſſentiendo & cooperando. Cum ergo, & excitantem & adjuvantem gratiam nominet, & ſtatim dicat, quod homines diſponuntur, eidem gratiæ aſſentiendo & cooperando, ſentire videtur, quòd excitans & adjuvans gratia ſit idem & unum auxilium, ratione ſeu munere, & officio diverſum. Id præterea confirmant, quia S. Auguſt. primo ad Simpl. cap. 52. & in aliis locis (quæ à nobis referentur quarto noſtro libro, ubi ex profeſſo de hoc agendum erit) docet quod illa alta & ſecreta uocatione ſic Deus movet ſenſum ut efficiat aſſenſum. Cum ergo vocationi Dei, id eſt, gratiæ excitanti tribuat, quod efficiat aſſenſum, ibi docere videtur, quòd illa excitans vocatio ſit adjunvans gratia, hæc enim eſt quæ efficit aſſenſum.

Quibus tamen non obſtantibus probabiliùs & veriùs dicendum, realiter adjuvantem gratiam qua Deus efficaciter movet voluntatem ad liberum actum producendum, ac ſimul cum illa illum producit, realiter diſtingui ab excitante priori illa gratia, qua priùs movet voluntatem ad indeliberatum actum eliciendum: hanc eamdem ſententiam, ſicut magis Conciliis conſonam, magiſque inter Theologos communem amplectimur & ſuſtinemus. Quod & ſic breviter oſtenditur: nam ſacrum Tridentinum Concilium poſtquam in ſeſſ. 6. cit. cap. 5. docuit per gratiam excitantem atque adjuvantem diſponi homines ad ſuam juſtificationem, ſtatim in Can. 3. definit non poſſe homines credere, ſperare, diligere ac pœnitere, prout ad ſalutem oportet, ſine Spiritus ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio; ſi enim ſentiret excitantem & adjuvantem eandem eſſe gratiam & auxilium, diceret, ſine inſpiratione Spiritus Sancti excitante atque adjuvante non poſſe homines credere. Cum ergo hoc non aſſerat ſed ſupra inſpirationem S. Spiritus addat, atque ejus adjutorio, ſentire videtur, quod adjutorium tale ab illa inſpiratione dividatur, ac realiter diſtinguatur.

Præterea idem Concilium Can. 5. ſeſſ. 6. poſtquam docuit exordium noſtræ juſtificationis ſumi à præveniente gratia, explicans quæ ſit præveniens hæc gratia addit hæc verba: ideſt ab ejus vocatione, qua homines per excitantem atque adjuvantem gratiam

ad

Digitized by Google

ad ſuam juſtificationem diſponuntur, & ſtatim ſubdit, quòd poteſt homo inſpirationem abjicere, id eſt, gratiam excitantem, & addit hæc verba: non tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo, libera ſua voluntate poteſt; ubi videtur aliam gratiam requirere præter excitantem, nempe adjuvantem.

Parique ratione Concilium Colon. in Enchirid. expreſsè docet quòd excitans & adjuvans, eſt duplex gratia: ergo conformius eſt Concilio ſacro, aſſerere, quod ſicut eſt duplex gratia, excitans & adjuvans; ita eſt duplex diverſum diſtinctumque auxilium utraque illa gratia.

Ratio etiam id ſuadere videtur: nam excitans illa prior gratia eſt auxilium ſufficiens; (quod ex Acad. Salmant. dictum eſt ſupra) adjuvans verò gratia eſt auxilium efficax; auxilium autem ſufficiens & efficax realiter abinvicem diſtinguntur, cum auxilium ſufficidns det tantùm ſufficicientes vires quibus homo operari benè poteſt, auxilium verò efficax dat vires efficaces, quibus de facto bene operatur, hæc autem duo auxilia diverſa ſignificare videntur.

Ad argumenta alterius ſententiæ breviter reſpondetur. Et quidem ad authoritatem ſacri Concilij Tridentini dicendum non eſſe ſenſum, quòd eidem uni gratiæ excitanti & adjuvāti aſſentiendo & cooperando, homines diſponantur. Sed ſenſum eſſe quod eidem gratiæ excitanti aſſentiendo diſponuntur, & eidem adjuvanti cooperando, quod magis expoſuit Concilium Mogunt. Can. 7. dicens quod homines aſſentiendo & cooperando gratiæ excitanti & adjuvanti per hoc ad ſuam juſtificationem diſponuntur.

Ad ſecundum ex S. Patre Auguſtino dicendum quod in illo loco ad Simpl. & in aliis plurimis ſeipſum declarat, quid intelligat per vocationem illam aliam, cui tribuit aſſenſum noſtrum efficere: intelligit namque vocationem efficacem ſeu efficaciſſimam (ſic enim illam vocat) quia hæc duo ſonat & vocationem & efficaciam; ac proinde eſt vocatio habens adjunctam adjuvantem gratiam, per quam fit & redditur efficax, quod etiam in ſacro Concilio Tridentino fit manifeſtum cit. cap. 5. ſeſſ. 6. ubi poſtquam prævenientem gratiam vocavit vocationem, dicit illam eſſe excitantem atque adiuvantem gratiam, ideſt, excitantem gratiam, cum adiuncta diverſa adiuvante, quod in noſtro quarto libro clariùs oſtendemus.

CAPUT XX.

Idem amplius oſtenditur ex Concilio Tridentino in Canone 3. & 4. illius ſeſſionis 6.

SED iam veniamus ad Canones fidei, qui ex doctrina tradita in illis capitibus formati ſunt, in quibus Concilium non ſolùm Calviniſtarum ac Lutheranorum; verùm etiam Pelagianorum detruncavit errores, media Catholica via inter utroſque procedens, & utroſque æqualiter damnans; ne Calviniſtæ poſſent opponere, quod eoſdem damnans, ad Pelagianos declinaret. Unde ſic adiuvantem gratiam verè & efficaciter moventem hominem ad aſſentiendum gratiæ excitanti contra Pelagianos ſtatuit, ut contra eoſdem, & Calviniſtas determinet nullum per eam præiudicium noſtræ inferri libertati.

Neceſſarium autem Concilio viſum fuit antequam Lutheranorum & Calviniſtarum errores damnaret, olim condemnatam Pelagianorum hæreſim iterum confutare, ſtatuendo contra illos verum gratiæ adiutorium verè efficienter movens liberum arbitrium ad aſſenſum, quod ideo illi negarunt, ut libertatem hominis defenderent; & quod Calvinus non verè admiſit, ut libertatem noſtram negaret. Quod gratiæ verum adiutorium verè faciens nos facere priùs contra Pelagianos definit, ut ſic illo ſtabilito, hæreſim damnet Calvini, qui poſita gratia efficaci, nullam in homine dicebat eſſe libertatem ad obtemperandum vel refragandum.

Qua ratione in Can. 1. definit non ſufficere ad ſalutem opera vel per naturæ vires facta, vel per legem atque doctrinam, & in ſecundo gratiam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ad ſalutem requiſitam non dari ad facilius: quibus dàmnari Pelagianos errores nullus dubitat. In tertio verò etiam Pelagianorum damnat errorem, qui excitationem & inſpirationem ſtupentem ſuſcitantem voluntatem, illamque ad actus liberos invitantem ex parte prævenientis gratiæ tantùm admittebant, verum autem præveniens adiutorium fortificans & firmans arbitrium, ipſumque faciens conſentire negabant, adverſus quos in Can. 3. ſeſſ. 6. ita definit. *Si quis dixerit ſine prævenien-te Spiritus ſancti inſpiratione atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare diligere, ac pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

Ecce præter prævenientem inſpirationem Spiritus ſancti ſubitò ſuſcitantem voluntatem, apertiſſimè definit eſſe neceſſarium prævenientis gratiæ adiutorium ad credendum. Quod enim de adiutorio prævenienti loquatur, ita quod verbum (*prævenien-te*) ſupra utrumque cadat, & ſupra inſpirationem, & ſupra adiutorium, conſtat manifeſtè ex cap. 5. ſupra relato, ex quo Canon compoſitus, vel deſumptus eſt. Conſtat præterea ex ſequenti Can. 4. Conſtat denique ex fine & intentione, qua damnare prætendebat Lutheranorum & Calviniſtarum errores: quod infra erit manifeſtum. Hoc autem præveniens adiutorium ſupra inſpirationem & excitationem nullum eſt aliud, niſi quòd verè adiuvat, & veras vires dat voluntati, & verè efficienter eam movet ad conſentiendum; & hoc neceſſarium definit contra Pelagianos, qui ſemper illud negarunt, prætextu quòd ex ipſo impediretur hominum libertas, ut ſupra etiam ex conceſſione horum Authorum oſtenſum eſt.

Igitur Concilio adſcribere prævenientem gratiam ſolùm eſſe inſpirationem ſeu excitationem interiùs à Deo immiſſam, negando aliud præveniens adiutorium fortificans ipſam voluntatem, & illam verè adiuvans & movens, ut inſpirationi & excitationi liberè velit conſentire: contra apertam, non dico mentem, ſed literam Concilii procedit. Igitur contendere ſolam prævenientem gratiam debere eſſe moraliter ſuadentem, ut cum illa poſſit arbitrium coniungere contrarium diſſenſum, eique diſſentire in ſenſu compoſito, negando illud aliud præveniens verum gratiæ adiutorium, cum quo non ſtat diſſenſus, & cum quo non poſſit homo coniungere oppoſitum diſſenſum, adverſus Tridentinum Concilium militat.

Sic ergo, ut ſtrictiùs procedamus, quarta ratio formetur: conſtituere, poſſe hominem coniungere contrarium diſſenſum cum prævenient Dei motione & excitatione, & ſic explicare Concilium, nihil eſt aliud, quam conſtituere, prævenientem Dei motionem ſolam eſſe inſpirationem moraliter, & obiectivè arbitrium moventem ad credendum, ſperandum, diligendum & pœnitendum; ſed hoc eſt expreſsè contra Canonem Concilii relatum: ergo conſtituere, quod Concilium intendat, poſſe hominem coniungere contrarium diſſenſum cum motione & excitatione, eſt apertè contra Concilium. Vel ita ratio proponatur: Conſtituere, poſſe liberum arbitrium à

Deo

Digitized by Google

Deo motum & excitatum conjungere cum tali motione, & excitatione contrarium dissensum, & sic explicare Concilium in Can. 4. nihil est aliud quàm admittere solam inspirationem supernaturalem prævenientem, non autem præter illam adjutorium præveniens, sed hoc expresè est contra Concilium in Can. 3. ergo contra Concilium est asserere posse liberum arbitrium motum & excitatum conjungere contrarium dissensum cum tali motione & excitatione; seu quod idem est, posse dissentire in sensu composito. Major ut præmissimus, manifesta est, Minor constat ex omnibus libris & dictis horum Authorum, quibus perpetuò affirmant nullum aliud præveniens adjutorium esse necessarium præter illam supernaturalem à Deo immissam inspirationem seu excitationem, qua Deus moraliter seu objectivè tantum liberum arbitrium attrahat ad liberè consentiendum. Unde convincuntur, quòd reipsa & in veritate nullam ex parte voluntatis excitationem admittant; sed solùm illuminationem & revelationem ex parte intellectus: Nam motio quæ tantùm moraliter & objectivè movet suadendo & invitando solùm est motio intellectus; illa enim, quæ voluntatem excitat in illa recepta verè & activè propriè ipsam movet ad actum indeliberatum, & non moraliter, similiter sufficientes vires voluntati tribuit respectu actus liberi, ut manet ostensum. Cum ergo ipsi pro fundamento habeant, quòd omnis gratia præveniens est excitatio tantùm & solùm moraliter & objectivè movens: convincuntur quod reipsa, & in veritate solùm excitationem ponant ex parte intellectus, non voluntatis: licet verbis dumtaxat illam dicant esse ex parte voluntatis. Quam excitantem gratiam ex parte intellectus moraliter & objectivè tantùm moventem ipse Pelagius constituit apud S. August. de gratia Christi cap. 7. ut ex eo manet ostensum. Quamvis autem ipsi revera admitterent veram excitationem ex parte voluntatis, verumque auxilium sufficiens, adhùc sacrum Concilium contra ipsos manifestè staret; quippe quod in Can. 3. & 4. definit præter veram excitantem gratiam, necessariam esse veram & propriam gratiam adjuvantem, & verè ac propriè arbitrium effectivè moventem ad consensum, ut statim ostendemus.

Itaque, quod jam supra notavimus, ipsi verbis dumtaxat, & non reipsa ponunt excitationem ex parte voluntatis. Verùm admittendo quod illam etiam revera ponant ex parte voluntatis, similiter admittendo, quod per actum illum indeliberatum voluntatis largo modo moraliter moveatur ad sequentem actum liberum, nihil penitus ad rem, de qua agimus retulerit. In hoc tantùm instamus, quòd ipsi nullum verum auxilium sufficiens prævenientis gratiæ admittant. Cum enim asserunt omnem prævenientem gratiam esse tantùm & solùm excitationem moraliter & objectivè seu metaphoricè moventem, & talis moralis & objectiva motio non dat vires sufficientes voluntati, ad actum liberum efficiendum: manifestum est, quòd voce tantùm admittunt auxilium sufficiens dans voluntati sufficientes vires, non verò reipsa. Nec per auxilium, quod adjuvans ab ipsis ponitur, tales sufficientes vires voluntati tribuuntur: quia talis adjuvans gratia ab eis ponitur non prævenies, sed tantùm simul cum voluntate actum efficiens, non autem agens in voluntatem: sed tantùm immediatè in actum ipsum simul cum voluntate concurrendo effectivè. Cum ergo in voluntatem non agat, nec ei vires aliquas tribuere potest. Præterquam quòd, ut alibi ostendemus, talis gratia adjuvans reipsa ab eis subsequens ponitur ad humanum assensum; cum dicant, quod ideo Deus sic adjuvat, quia voluntas vult, vel quia voluntas incipit suum actum liberum. Procul dubio si ad istum tertium Canonem vellent ij Authores attendere, invenirent præter excitationem seu inspirationem, qua Deus liberum arbitrium invitat & moraliter attrahit, cum qua potest arbitrium conjungere oppositum dissensum, requiri aliud prævenies fortius auxilium adiuvans & movens efficienter ad consensum, quo motum & adiutum arbitrium non potest cum tali adiutorio & motione componere contrarium dissensum.

Postquam Concilium sacrum contra Pelagianos statuit in Canone illo tertio necessitatem veri adiutorii gratiæ supra inspirationem: considerans Calvinum, & hæreticos alios, ex ea motione prævia, non rectè ab eis constituta, movente efficaciter seu efficienter voluntatem ad assensum, inferre tolli vel lædi eius libertatem, subdit Canonem 4. inquo illam prævian motionem moventem efficaciter non rectè positam ab eis, refellit, & iterum definit, hoc verum efficiens adiutorium necessarium esse; damnans qui dixerit quod tale sit Dei præveniens adiutorium cui homo dissentire non possit, si velit: *Si quis*, inquit, *dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, nec posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omninò agere, aut merè passivè se habere, anathema sit.* Ubi sex suo ordine statuuntur, primum quod arbitrium cum se disponit ad iustificationem est à Deo motum. Secundum quod est à Deo excitatum. Tertium quod sic motum & excitatum cooperatur assentiendo Deo excitanti atque vocanti. Quartum quod potest dissentire si velit. Quintum quod non se habet ut inanimè quoddam. Sextum & ultimum, quod non se habet merè passivè.

Relictis autem pro nunc his duobus ultimis, quæ definiuntur contra Lutherum, qui stultissimè asserebat, se habere arbitrium in negotio iustificationis merè passivè, & ut inanimè quoddam, ad alia quatuor, quæ in prioribus verbis illius definitionis tradit contra Calvinum, accedamus.

In quibus primò dicit arbitrium esse à Deo motum & non solùm excitatum, ita quod nec solùm motum nec solùm excitatum, sed utrumque simul debere esse, docet, scilicet motum & excitatum, sicut præmiserat in Can. 3. nunc expositio, & in cap. 5. & 6. relatis. Quod enim in illis explicavit per gratiam adiuvantem supra excitantem, & per adiutorium supra inspirationem; in hoc Can. 4. exponit per motum supra excitatum. Unde sicut per adiutorium seu per gratiam adiuvantem intellexit verum gratiæ auxilium efficienter adiuvans ad consensum, in Can. 4. clariùs expressit per verbum, motum, imò utendo verbo, motum, motionem veram & realem seu verè efficientem exposuit, qua Deus ex parte potentiæ efficienter liberum arbitrium movet: Quid enim aliud per verbum, motum, supra excitatum potuit intelligere, nisi veram efficientem motionem, efficaciter moventem arbitrium ad liberum consensum, supra excitationem, quæ non sic efficaciter seu verè efficienter arbitrium movet ad actum liberum? Et per ista sola duo verba duos confundit errores, Pelagianorum nempe & Calvinistarum. Per verbum enim motum, destruit Pelagianorum errorem, qui admittentes arbitrium esse excitatum, negarunt à Deo verè efficienter esse motum ad liberè consentiendum; per aliud verò verbum, nempè excitatum, damnat Calvinum, qui admittens motionem Dei efficienter moventé arbitrium, negavit arbitrium esse à Deo moraliter excitatum ad liberè consentiedum. Manifestum est ergo Concilium supra omnem gratiam excitantem, sive illa ex parte intellectus moraliter & objectivè tantùm movens; sive sit ex parte voluntatis effectivè

propriè

propriè actum indeliberatum cauſans : ſive voluntati ſufficientes vires in ordine ad actum liberum tribuens ; docere & definire neceſſarium eſſe veram & propriam gratiam adjuvantem , & moventem verè & activè propriè voluntatem ad conſenſum.

In quo etiam aliud eſt conſiderandum Concilium in hoc Canone non ſolùm damnare conſequentiam Calvini , concedendo ejus antecedens , ut multi viri docti arbitrantur , dicentes admiſiſſe Concilium liberum arbitrium eſſe à Deo motum , quod ponebat Calvinus ; & negaſſe ex illa motione ſequi noſtram lædi vel impediri libertatem. Ex dictis enim conſtat non ſolùm hanc peſſimam illationem & conſequentiam cum conſequenti hæretico , Concilium anathematizaſſe ; ſed etiam illud antecedens Calvini, ex quo illud conſequens deducebat , damnaſſe. Antecedens enim Calvini erat Deum tantum efficienter movere voluntatem, non autem etiam moraliter excitare. Quod antecedens negat Concilium, cum ait, liberum hominis arbitrium , non ſolùm motum , ſed à Deo eſſe excitatum. Imò ſi illud antecedens Calvini verum eſſet , quòd videlicet Deus tantum efficienter moveret arbitrium , non autem ipſum moraliter excitaret ſatis videretur non moveri liberè arbitrium , ſed tantùm ſpontaneè , & admodum quo ſine morali excitatione brutum efficienter movet ad pabulum. Ut igitur hæc omnia confundat , definit liberum hominis arbitrium in negotio juſtificationis à Deo eſſe motum efficaciter ſeu verè efficienter , & excitatum etiam moraliter. Et propter hanc eamdem rationem , quia agebat contra Calvinum, & ſequaces, & contra Lutheranos ; priùs poſuit Concilium ipſum motum & excitatum : Cùm tamen priùs ſit excitatum, quàm verè motum ; & ratio eſt quia Calvinus dicebat arbitrium motum à Deo non poſſe diſſentire , Concilium autem contra eum definiens,ait, arbitrium à Deo non ſolùm motum ; ut nempe ille dicebat : ſed excitatum poſſe diſſentire. Ac ſi clariùs dicat, liberum arbitrium à Deo motum, & non ſolùm motum, ſed etiam priùs excitatum , cooperatur aſſentiendo , & poteſt diſſentire.

Rurſus antecedens Calvini (ut dictum eſt ſuprà) fuit, quòd illa motio, qua Deus efficaciter movebat arbitrium ; no erat verum adjutorium , nec vera gratia adjuvans liberam voluntatem. Cæterum Concilium ad declarandum eſſe illam prævia efficacem motionem verè adjuvantem gratiam , illam aliquando nominavit motionem, ut in iſto Can. 4. aliquando adjutorium , ut in Can. 3. aliquando adjuvantem gratiam , ut in cap. 5.

Ad oſtendendum autem ulteriùs intellexiſſe per illud verbum (*motum*) veram motionem efficienter moventem arbitrium ad conſentiendum Dei excitationi , & ita efficienter ſeu efficaciter moventem ut ei inſeparabiliter arbitrium conſenſum conjungat , ſubdit Concilium , quòd arbitrium hominis ſic excitatum & motum cooperatur aſſentiendo Deo excitanti & vocanti ; quia ob efficaciam talis motionis vidit quòd ſemper homo ab illa ſic motus, conſentit. Unde damnavit qui dixerit , ſic efficienter motum arbitrium , & moraliter excitatum nihil cooperari, aſſentiendo tali vocationi & excitationi. Conjungendo enim conſenſum cum libero arbitrio moto & excitato , manifeſtè docuit efficacem & verè efficientem eſſe illam motionem ; qua à Deo motum & excitatum arbitrium cooperatur , aſſentiendo Deo excitanti , atque vocanti. Et hoc eſt tertium quod continet Canon ille.

Nec poteſt dici Concilium non definire , quòd liberum arbitrium à Deo motum & excitatum , ob efficaciam videlicet divinæ motionis ſemper cooperetur , aſſentiendo : ſed tantùm intendere, quòd ſic motum & excitatum non privetur operatione , quia hoc in poſterioribus verbis illius Canonis excluſit , cum definivit liberum arbitrium à Deo motum & excitatum, non ſe habere merè paſſivè & ut inanimè quoddam abſque operatione ſua ; ergo in aliis prioribus , niſi inutilis repetitio fieret , quæ longè abeſt à Concilio , hoc ipſum non intendit excludere , ſed illud aliud ſuperiùs explicatum ; damnando videlicet , qui dixerit liberum arbitrium ſic à Deo motum & excitatum non conjungere ſemper cooperationem ſuam & aſſenſum cum tali motione & excitatione. Igitur non obſcurè etiam in his verbis efficacem & verè efficientem prævenientem motionem docet Concilium , cum qua proindè , ob ejus efficaciam , definit minùs cohærere cum illa non cooperatione, & diſſenſum arbitrij. Docet ergo quòd liberum arbitrium à Deo motum & excitatum ſemper cooperatur aſſentiendo, & quòd non ſtat quòd non cooperetur , & quòd fieri non poteſt ut diſſentiat , & quòd incompoſſibile eſt ſic eſſe motum & excitatum ad conſenſum , & quòd non conſentiat , tradens id quod ſanctus Thomas priùs dixerat 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3. dicendum, *Quod ſi Deus movet voluntatem ad aliquid , impoſſibile eſt poni quòd voluntas ad illud non moveatur , non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter.*

Toties itaque firmato per ſacrum Concilium , tùm in doctrina, tum in regulis fidei, prævenientis gratiæ vero adjutorio , vera ac efficienti ſeu efficaci motione ſimul cum excitatione , cum qua motione ob illius efficaciam ſemper voluntas conjungit ſuam cooperationem , ac conſenſum ; multotieſque ſtabilita hac efficaci motione contra Pelagianos, & morali excitatione contra Calviniſtas: tandem damnat Calvini hæreticum conſequens , quo ille dixerat ita efficaciter Deum voluntatem movere , ut nullam in arbitrio libertatem relinquat , qua poſſit diſſentire ſi velit ; docens liberum hominis arbitrium motum & excitatum ita cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti , quod poteſt diſſentire ſi velit. Et hoc eſt quartum quod habet Canon ille.

Hanc autem libertatem voluntatis in conſentiendo contra Calvinum ſacrum Concilium duobus modis efficaciter oſtendit. Primò per illud verbum (cooperari) definiendo enim arbitrium cooperari poſtquam eſt à Deo motum & excitatum ipſi Deo moventi , manifeſtè damnat ſententiam Calvini , qui talem noſtræ voluntatis cooperationem negabat , ut diximus ſuprà. Secundò libertatem in tali cooperatione eſſentialiter clauſam , propter quam negavit Calvinus cooperationem noſtram , contra illum defendit. Tertiò eamdem noſtram libertatem , qua liberè Deo efficaciter moventi & excitanti cooperamur in negotio juſtificationis , propriiſſimè explicuit Concilium ſacrum ; per illa verba , aſſentiri , & poſſe diſſentire ; manifeſtum eſt enim , ut ſanctus Pater Auguſtinus ſemper docuit, quòd conſentire,& diſſentire propriè, voluntatis eſt.

Circa quæ verba quædam ſunt conſideranda. Primò Concilium ad idem referre illud diſſentire , ad quod retulit aſſentire, nimirùm ad Deum excitantem, atque vocantem inſpiratione moraliter attrahente; ſicut enim docuit , quod libeium arbitrium à Deo motum , & excitatum cooperatur aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti , ita docet , quod diſſentire poteſt eidem , videlicet Deo excitanti atque vocanti. Et ſicut docuit quòd coopetatur arbitrium Deo efficaciter ipſum moventi , ita aſſerit quod aſſentitur Deo vocanti & excitanti. Et meritò quidem , nam aſſentiri, & diſſentire non dicuntur per reſpectum ad Deum efficienter moventem , ſed per reſpectum ad Deum excitantem , atque moraliter attrahentem , ſeu gratiam

Digitized by Google

tiam suam sic offerentem. Non enim dicimur assentiri & dissentire, nisi per comparationem ad vocantem & excitantem, seu ad objectivam motionem; cooperari autem dicimur alteri cooperanti seu effectivè moventi.

Secunnò considerandum, quòd licet hoc, quòd est posse dissentire, ut diximus, solùm sit respectu excitationis & inspirationis, non respectu motionis efficienter moventis, at posse resistere utrique optimè adaptatur. Etenim dicitur quis posse resistere alteri excitanti, & etiam verè ac realiter moventi, ut dictum est. Et fortè hac ratione Concilium Tridentinum, non dicit in Can. 4. liberum arbitrium posse resistere, sicut dixit posse dissentire, ne putaretur docuisse posse hominem resistere illi efficaci, & efficienti motioni, sed dixit posse dissentire Deo excitanti.

Tertiò considerandum Patres Concilij pro eodem accepisse, posse abjicere inspirationem, posse illam respuere, posse illi reniti, posse reluctari, posse illi resistere, & posse dissentire, omnia enim ista possunt dici de arbitrio, quasi in triplici statu constituto. Primò de arbitrio habente inspirationem antequam habeat illam aliam adjuvantis gratiæ veram motionem. Secundò de arbitrio jam constituto sub illo adjutorio & gratia verè movente. Tertiò de arbitrio jam in actu secundo consentiente, de quibus diversa ratio erit quoad justificandas propositiones illas, ut sequenti capite explicabimus.

CAPUT XXI.

Vera stabilitur intelligentia illius propositionis (liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum potest dissentire, si velit) *quam tradit sacr. Concil. Trident, sess. 6. de justificatione.*

JAM ad punctum difficultatis accedendo, ut omnia distinctè proponamus, oportet per illos quasi tres status liberi arbitrij discurrere, & considerare in quo sensu de illo illæ propositiones debeant verificari, & in quo sensu Concilium Tridentinum illas proponat.

Dicendum est ergo primò quòd loquendo de libero hominis arbitrio inspirato & excitato, priùsquam habeat illud aliud adjuvantis gratiæ verum adjutorium efficienter ipsum movens ad consentiendum tali inspirationi; omnes illæ propositiones affirmativæ sunt veræ, & negativæ oppositæ falsæ. Probatur quia potest liberum arbitrium inspiratum & excitatum, antequam fortiùs adjuvetur, abjicere inspirationem, & illi potest reniti, ei reluctari, ei resistere, ac eidem dissentire, & cum ea potest conjungere contrarium dissensum, imò de facto si amplius non adjuvetur; ei dissentiet, & illi resistet. Et ratio est, quia cuilibet inspirationi, per quam Deus gratiam offert, & cuilibet objectivæ motioni potest liberum arbitrium dissentire vel resistere, & cum illa conjungere dissensum, cum à nulla efficacia præveniente ad consentiendum trahatur. Quòd autem de facto dissentiet, atque resistet, patet quia supernaturali inspirationi & objectivæ motioni benè assentiri bonum est: ergo nisi adjuvatur à Deo, ut illi consentiat, non consentiet arbitriū. Probatur Ant. quia bonæ inspirationi cōsentire, Dei donum est, & ab ipso provenit, quòd ei consentiamus: ergo nisi Deus hoc donet ei non consentiemus, sed potius dissentiemus, quòd cum malum sit ex nobis habere possumus. Quod, & Concil. Trident. non obscurè proponit sess. 6. de justif. cap. 5. postquàm enim hæc verba præmisit: *Itaut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, nec homo ipse nihil omninò agat, quippe qui eam abjicere potest*; statim subjungit hæc alia: *Neque tamen sine gratia Dei moxere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate potest.* Cujus sensus est, ut superiùs expositum fuit, quòd licet illuminationem & excitationem homo de se abjicere possit, quia cum hoc malum sit, homo de se potest; & nisi amplius adjuvetur, illam abjiciet: at movere se ad justitiam, consentiendo videlicet illi inspirationi, sine gratia adjuvante non potest. Nec enim fieri potest, ut sine gratia adjuvante, se ad justitiam moveat homo, illi inspirationi consentiendo. Si ergo fieri nequit, ut sine gratia adjuvante inspirationi homo consentiat: ergo si illam adjuvantem non habeat, semper illi dissentiet.

Notandum verò, sicut supradictum est, quòd si illa inspiratio, seu excitatio, seu gratiæ oblatio (nihil enim aliud videtur illa excitatio & inspiratio, quàm gratiæ oblatio) fuerit ex Dei proposito, jam erit vocatio secundùm propositum, & sic numquam abjicitur, quia semper ulteriùs procedit usquequò fiat adjuvans & efficax faciens voluntatem sibi consentire.

Dicendum secundò quòd Concil. Trident. prædicto cap. 5. relatis modo verbis, cum docet, posse hominem abjicere inspirationem, in hoc sensu procedit, quòd videlicet non solùm priùsquam ampliùs & fortiùs adjuvetur, potest inspirationem & excitationem abjicere, & cum illa componere dissensum: sed etiam adjutum efficaciter, potentiam retineat ad illam abjiciendam. Nam ut modò dictum est; postquàm docuit, posse hominem abjicere inspirationem cum à principio Deus cor incipit tangere, ut denotaret, quòd loquebatur de arbitrio etiam efficaciter adjuto, dixit quod homo illam recipiens, eam abjicere potest & rursus exponens, per quod illam recipiat. Subdit modo relata verba. *Non tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate potest.* Quasi clariùs diceret, abjicere inspirationem potest homo sua libera voluntate etiam efficaciter adjutus, quia posse eam abjicere, ex se voluntas habet. At inspirationi consentire eadem solâ liberâ suâ voluntate sine gratia Dei nempè adjuvante, non potest. Ideo autem à principio Concilium sacrum expressit posse hominem abjicere inspirationem sola sua libertate, ut traderet id quod nos ex nobis possumus, quo explicato, statim tradidit id quod ex adiuvante gratia nobis conceditur; & iam de arbitrio ab illa adiuto, sequentem texit sermonem, tàm in sequentibus capitibus, quàm in regulis fidei.

Considerandum autem, quòd cum homo habet excitationem illam & inspirationem, si ampliùs non adiuvatur per veram motionem effectivè moventem & adjuvantem ad consensum, poterit quidem homo illam inspirationem abjicere, imò de facto illam abjicit. Cæterùm cum non solùm illam habet, sed insuper amplius adjuvatur per veram & propriam gratiam adjuvantem, poterit quidem inspirationem illam abjicere, & cum illa poterit contrarium dissensum componere, sive conjungere: quia ad id veram liberam potentiam habet: at de facto numquam illam abjiciet, aut cum illa contrarium consensum conjunget, propter efficaciam gratiæ adjuvantis, quæ verè & activè propriè facit illam benè consentire.

Dicendum tertio, loquendo de arbitrio iam constituto, non solùm sub excitante gratia, sed sub adjuvante, non solùm existente, sub inspiratione, sed etiam sub adiutorio; non solùm quando excitatum est à Deo, sed etiam cum est verè motum; non solùm quando ei offertur gratia, sed quando à Deo movetur, ut ei consentiat, & eam acceptare velit, potest sic excitatum & motum dissentire inspirationi & vocationi seu gratiæ oblationi, & potentiam retinet qua potest conjungere cum illa excitatione dissensum. Hoc expressè definit in Can. 4. illius sess. 6. cum dicitur. *Liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum posse*

Digitized by Google

poſſe diſſentire, ſcilicet Deo excitanti atque vocanti, nec dixit quod poteſt diſſentire Deo moventi ut ſupra abundè obſervatum eſt. Quæ veritas ampliùs explicatur. Antequam liberum hominis arbitrium adjuvetur à Deo, & ad conſenſum moveatur habet veram realem ac liberam potentiam ad diſſentiendum cuilibet inſpirationi & excitationi ſeu gratiæ oblationi ut eſt ſatis notum. Similiter habet veram realem ac liberam potentiam ad conjungendum ſuum diſſenſum cum tali qualibet inſpiratione, & cum Deo ſic inſpirante & excitante quod ratione eadem eſt manifeſtum: ergo etiam poſtquam à Deo adjuvatur atque movetur, remanet in ipſo arbitrio eadem realis, & libera potentiam ad diſſentiendum Deo excitanti atque vocanti: ergo etiam poſtquam fortiùs adjuvatur, remanet in ipſo realis & vera potentia ad conjungendum diſſenſum cum Deo excitante atque vocante. Conſequentia probatur quia adjutorium efficienter movens ſuperveniens potentiæ, non aufert ab ea illam realem ac liberam potentiam quam antea habebat, ſolùm enim relicta in arbitrio tali potentia, facit ut arbitrium non conjungat de facto talem diſſenſum cum Deo excitante, atque vocante, ſicut de ſe patet. Ex dictis ſupra manet ſatis iſta veritas comprobata.

Itaque liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum de facto conſentit Deo excitanti atque vocanti ob efficaciam motionis Imò propter ejus efficaciam incompoſſibile eſt, nec fieri poteſt, quod ſit motum & excitatum, & diſſentire velit Deo vocanti, & excitanti; quæ duo certa debent eſſe, ut patet ex doctrina Sancti Thomæ citata 1. 2. q. 10. art. 4. & 2. 2. q. 24. art. 11. Cum quibus optimè ſtat hæc tertia veritas, quòd videlicet optimè, cum illa efficaci motione Dei compatitur & cohæret, & benè ſtare poteſt, quòd liberum arbitrium ſic excitatum & motum à Deo, poteſt diſſentire ipſi Deo vocanti & excitanti. Optimè enim cum illa efficaci Dei motione ſtat potentia arbitrij ad diſſentiendum Deo vocanti, & excitanti, ſi arbitrium diſſentire velit; quia iſta potentia benè concordat cum efficaci præmotione, ſicut S. Thomas docuit q. 23. de verit. art. 5. ad 3. qui eſt locus ſuperiùs inductus, atque notandus. Quæ potentia exprimitur per illam propoſitionem, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt diſſentire ſi velit, Deo ſcilicet vocanti & excitanti. Itaque omni excitationi ſive inſpirationi ſive ſit tantùm moraliter ſuadens, ſive effectivè ex parte voluntatis ipſum moveat ad actum indeliberatũ, poteſt diſſentire, ſed numquam de facto diſſentiet.

Dicendum quarto liberum hominis arbitrium à Deo verè motum & excitatum ſeu conſtitutum non ſolùm ſub excitatione, ſed ſub vero adjutorio ipſum arbitrium verè movente ad conſenſum, non poteſt reſiſtere eidem Deo, ſic verè moventi, nec hoc aliquando Sacrum Concilium dixit. Itaque ſicut ſcriptura abſolutè dicit, quod non eſt, qui Dei voluntati, nimirum efficaci, poſſit reſiſtere: ita dicendum eſt quòd Deo efficaciter adjuvanti, & moventi non poteſt arbitrium reſiſtere, ſeu (& idem eſt) non poterit arbitrium à Deo efficaciter motum, & excitatum reſiſtere illi efficaci motioni ſecundùm quod ex Deo venit. Probatur primo, quia poſſe reſiſtere ut ſupra oſtenſum eſt, ſenſum importat compoſitum cum eo cui reſiſtitur; ſed liberum hominis arbitrium non poteſt componere vel reſiſtentiam ſimul cum Deo efficaciter movente, vel cum efficaci motione, ſecundùm quod venit ex Deo, & ex ejus efficaci voluntate: ergo non poterit liberum hominis arbitrium à Deo efficaciter motum, & excitatum reſiſtere Deo efficaciter moventi. Major ex præmiſſis manet probata. Minor verò conſtat, quia iſta duo ſunt incompoſſibilia, Deus efficaciter movet arbitrium, & arbitrium non movetur, propter efficaciam Dei moventis ut ex apertis ac clariſſimis Sancti Thomæ teſtimoniis notum dedimus: Ergo propoſitio affirmativa, quæ denotat illa ſimul eſſe compoſſibilia, falſa eſt; Sed iſta propoſitio, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt reſiſtere Deo efficaciter moventi propter compoſitionem implicatam in verbo, reſiſtere, ſupra expoſitam, denotat illa duo eſſe ſimul compoſſibilia, ſcilicet Deum efficaciter arbitrium movere, & quòd ei conjungat reſiſtentiam arbitrium, non ſe movendo; ergo illa propoſitio non minus eſt falſa quàm iſta, voluntati Dei, nimirum efficaciter moventi, quis poteſt reſiſtere, cujus oppoſita in ſcriptura traditur.

Per verbum, reſiſtere, propoſitionem formavimus in hac Concluſione, non per verbum, diſſentire; quia quoad implicatam compoſitionem eadem de utroque ratio eſt, ut viſum eſt ſupra. Etenim ſi dicatur liberum arbitrium à Deo motum & excitatum non poteſt diſſentire eidem Deo ſic efficaciter moventi; etiam propoſitio eſt vera ſicut quarta modò propoſita; cum qua eundem ſenſum facit. At ut præcedenti cap. diximus, non congruè dicitur arbitrũ poſſe diſſentire Deo adjuvante, ſeu efficaciter movẽti, ſicut dicitur ei poſſe reſiſtere.

Idem ampliùs probatur, quia numquam fuit potentia libera in arbitrio, etiam antequam efficaciter à Deo moveatur vel adjuvetur ad ſimul conjungendum ſive componendum cum efficaci Dei motione, ſive cum Deo efficaciter movente oppoſitum diſſenſum: ergo nec illam habet poſtea quam eſt adjutum & efficaciter motum. Conſequentia eſt manifeſta, & antecedens probatur, quia potentia illa eſſet ad conjungenda duo contraria mediatè oppoſita, quæ nulla poteſt eſſe; mediatè enim opponuntur efficax Dei motio ad conſenſum, & ipſe diſſenſus. Unde regula ſuperiùs tradita in hac materia de ſenſu diviſo, & compoſito obſervanda eſt; quòd videlicet, omnem potentiam, quam habet arbitrium ante receptionem efficacis adjutorij, in ipſo remanet poſt illius receptionem; illa autem quæ in arbitrio antequam recipiat efficax auxilium non eſt, nec poſtea in ipſo eſt eſt conſtituenda. Et quia, ut in præcedenti concluſione diximus, antequam arbitrium efficaciter à Deo moveatur, eſt in ipſo realis & libera potentia ad diſſentiendum Deo excitanti atque moventi ſeu gratiam offerenti; ſive, quod idem eſt, ad conjungendum diſſenſum cum Deo excitante atque vocante: ideo hæc in arbitrio remanet, poſtquam eſt à Deo efficaciter motum & excitatum. Quia vero potentia ad reſiſtendum Deo efficaciter moventi, numquam fuit in arbitrio etiam ante efficacem motionem, multò à fortiori poſt illam in arbitrio non invenitur.

Prætereà. Si arbitrium à Deo motum, & excitatũ poſſet cum illa motione conjungere non cooperationem ſeu reſiſtentiam, de facto ſæpè illam cum ea conjungeret, quod eſt incompoſſibile. Patet, quia non haberet aliquid à quo impediretur, quin de facto conjungeret. Quod inconveniens ceſſat in veritate tradita præcedenti capite. Etenim licet liberum arbitrium verè motum, & excitatum poſſit diſſentire ſeu reſiſtere Deo excitanti atque vocanti, poſſitque cum eo conjungere diſſenſum; ab adjuvante tamen gratia efficaciter ipſum movente ad conſenſum, detinetur ne de facto, ſicut poteſt, diſſentiendo reſiſtat. Hoc enim illa efficax adjuvans gratia efficit, quòd cum arbitrium poſſit diſſentire, poſſit reſiſtere, & poſſit cum Deo excitante diſſenſum conjungere; non tamen diſſentiat, non reſiſtat, nec talem diſſenſum conjungat. Itaque cum efficaci illa Dei præmotione non ſtat diſſentire, nec cum illa eſt compoſibilis

Digitized by Google

diſſenſus, nec fieri poteſt ut arbitrium, ſic moveatur, & diſſentire velit, qui eſt ſenſus compoſitus, vel non poſſe illi efficaci motioni diſſentire in ſenſu compoſito. Imò etiam non addita hac limitatione (in ſenſu compoſito) ſimpliciter & abſolutè prolata hæc propoſitio, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt diſſentire, vel poteſt reſiſtere Deo efficaciter moventi, ſenſum importat compoſitum, ut dictum eſt ſupra: unde ſimpliciter & abſolutè neganda eſt, & ſua negativa oppoſita concedenda: ſicut hac ratione ſcriptura concedit nec eſt qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati ſcilicet efficaciter operanti, nec enim eſt in homine potentia ad diſſentiendum, vel reſiſtendum Deo efficaciter aliquid volenti & efficaciter ad id moventi, nec in tali potentia quæ nulla eſt, hominis conſiſtit aut conſiſtere poteſt libertas.

Aliud eſſet de iſta, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt non cooperari, vel poteſt aliud facere, hæc enim verba, poteſt non cooperari vel aliud facere, non implicant compoſitionem. Undè propoſitiones illæ ſunt diviſæ, & ſenſũ faciunt diviſũ, & affirmativæ sũt abſolutè veræ, & negativæ falſæ, ſicut iſtæ albũ poteſt eſſe nigrum, & materia actuata hac forma poteſt habere aliã, quæ ſunt diviſæ, & verę, ut dictũ eſt.

Quod ſi quis opponat: liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum poteſt conjungere diſſenſum cum Deo excitante atque vocante ut dictum eſt in tertia concluſione; ergo poteſt conjungere eundem diſſenſum cum efficaci motione quod eſt contra hanc quartam: bene enim ſequitur, ſi liberum arbitrium motum, & excitatum à Deo conjungeret diſſenſum cum Deo excitante, etiam eundem conjungeret cum Deo efficaciter movente; ergo ſi poteſt conjungere diſſenſum cum Deo excitante; poterit eundem diſſenſum conjungere cum Deo efficaciter movente: patet conſequentia per illud axioma, ſicut actus ſe habet ad actum, ita potentia ad potentiam. Ad hoc reſpondetur negando conſequentiam, quia revera in illa, argumentum divertit à ſenſu diviſo ad compoſitum. In iſta enim propoſitione, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt conjungere diſſenſum cum Deo excitante fit ſenſus diviſus in ordine ad Deum moventem, hic nempè, cum tali Dei motione eſt potentia ad diſſentiendum Deo excitanti: at in hac, ergo poteſt conjungere diſſenſum cum efficaci Dei motione, fit ſenſus compoſitus, hic videlicet: ergo fieri poteſt ut ſit arbitrium motum & excitatum à Deo, & quod conjungat diſſenſum cum eodem Deo ſic efficaciter movente: ſicut ratione eadem non ſequitur, ſi arbitrium aliud faceret, quàm ſcientia Dei præſcivit, Dei ſcientia falſificaretur, ergo ſi poteſt aliud facere, quàm ſcientia Dei præſcivit poteſt eam falſificare. Certum eſt enim, quòd poſitâ Dei ſcientiâ poteſt homo aliud facere, non tamen poteſt ſcientiam Dei falſificare: quia poſſe ſcientiam Dei falſificare eſt poſſe ſimul cum illa conjungere aliud quàm ipſa præſcivit. Illud verò axioma, ſicut actus ſe habet ad actum ita potentia ad potentiam duplici ad ſui veritatem indiget limitatione. Prima traditur à S. Th. q. 6. de electione humana art. unic. ad 19. quod videlicet procedat de actu adæquato ipſius potentiæ. Sicut enī ſe habet actus adæquatus unius potentię ad actũ adæquatum alterius: ita ſe habet potentia ad potentiã, non autē tenet in actibus in adęquatis. Secũda limitatio eſt, quòd non fiat variatio de potentia ſumpta in ſenſu diviſo ad ipſam ſumptam in ſenſu compoſito. Etenim Ariſt. docet, quòd potentiæ rationales ſunt ad oppoſita, ſed non ad oppoſita ſimul habenda; quod eſt dicere quòd potentiæ rationales poſſunt habere oppoſita diviſim, non autem ſimul & compoſitè. Unde quoties ex una potentia divertitur ad aliã ex relatis nulla eſt conſequentia. Propter quod nõ ſequitur, materia prima actuata hac formâ poteſt habere aliã: ergo cũ hac forma poteſt ſimul aliã habere.

Et ſi iterum opponatur, ſi arbitrium à Deo motum, & excitatum de facto conjungeret diſſenſum cum Deo excitante, etiam de facto illum conjungeret cum Deo efficaciter movente; ergo ſi motum, & excitatum poteſt conjungere diſſenſum cum Deo excitante, etiã poteſt illum conjungere cum Deo efficaciter movente. Ad hoc dicendum nullam eſſe conſequentiam, antecedens enim verum eſt: quia unus actus includit alium actum; in conſequenti una potentia non includit aliam, imò una eſt valde ab alia diverſa. Non enim ſequitur, quod ſi una potentia componit cum uno objecto; quod ſimiliter componat cum alio objecto valde diverſo. Eſt enim in homine potentia, ut manet oſtenſum, ad conjungendum diſſenſum cum Deo excitante, ſed non eſt in ipſo potentia ad conjungendum diſſenſum cum Deo efficaciter movente.

Notandum autem quòd Concilium illa verba adhibuit in Canone fidei, per quæ maximè explicavit hominis libertatem, dicendo, poteſt diſſentire ſi velit. Veriſſimum eſt enim quòd liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum ad conſenſum poteſt diſſentire ſi velit: id eſt ſi velit, diſſentire poteſt, cum liberam retineat potentiam ad diſſentiendum. Unde non ſolum dixit poſſe diſſentire, ſed addidit, ſi velit. Rurſus verum eſt, quòd ſic excitatum & motum liberum arbitrium, ſi velit diſſentire, poteſt conjungere diſſenſum cum Deo excitante atque vocante ut in cap. 3. præmiſſum eſt. Imò addiderim verum etiam eſſe; quòd ſic excitatũ & motum ſi velit diſſentire, diſſentiet, nam ipſum velle diſſentire, diſſentire eſt. Verùm ſicut incompoſſibile eſt, quòd ſic motum, & excitatum velit diſſentire ob Dei efficacem motionem ad conſenſum, ità incompoſſibile eſt, quòd diſſentiat. In priori duplici ſenſu, nunc explicato, conceditur à Concilio, & in utroque noſtra manifeſtatur libertas: quia veriſſimum eſt, quòd liberum hominis arbitrium à Deo efficaciter motum, & excitatum potentiam liberam habeat ad diſſentiendum, qui eſt primus ſenſus. Similiter verum eſt quòd ſic excitatum, & motum ſi velit, poſſit diſſentire, poſſitque cum Deo vocante, & excitante conjungere diſſenſum, quia potentia ad ſic conjungendum diſſenſum optimè ſtat cum Deo efficaciter movente ad conſenſum, ut dictũ eſt ſæpe. In tertio vero ſenſu illa conditionalis eſt vera, ſi liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum velit diſſentire, diſſentiet, ſed ſicut antecedens eſt incompoſſibile, ita & conſequens: ſicut S. P. Auguſtinus lib. 1. ad Bonifacium cap. 16. dicit quòd non eſt homo bonus ſi nolit, ſed gratia Dei ad hoc datur ut velit; ſic liberum arbitriũ à Deo motum, & excitatum ſi velit diſſentire, diſſentiet, ſed ad hoc efficaciter movetur, & adjuvatur à Deo, ut nolit diſſentire, & conſentire velit. Itaque ſicut S. Thomas 1. p. q. 25. art. 3. ad 2. docet poſſe concedi hanc, Deus poteſt peccare ſi vult, quia conditionalis eſt vera, licet ſicut eſt impoſſibile quòd peccet; ita impoſſibile eſt quòd peccare velit; ita iſta, liberum arbitrium à Deo efficaciter motum ſi velit diſſentire, diſſentiet, ſed ſicut incompoſſibile eſt quod diſſentiat, ita incompoſſibile eſt quod velit diſſentire.

Dicendum quintò ſi ſermo fiat de arbitrio jam conſentiente in actu ſecundo, iſta propoſitio, liberum arbitrium conſentiens poteſt diſſentire, magis cenſenda eſt diviſa, quam compoſita; & magis ſenſum importat diviſum, hunc videlicet, liberum arbitrium conſentiens potentiam liberam habet, qua poteſt diſſentire: nec enim hæc potentia ad diſſentiendum ab eo tollitur per hoc quòd conſentiat, unde vera eſt nec enim in illa exprimitur compoſitio poſſibilis diſſenſus cum conſenſu; ſicut etiam iſta, ſedens poteſt ſtare, ob eandem rationem, quia diviſa eſt, vera communiter reputatur.

Quòd

Quod ſi compoſita eſſet hunc faceret ſenſum, liberum arbitrium conſentiens poteſt cum tali conſenſu conjungere contrarium diſſenſum, quæ proinde falſa eſſet, & incompoſſibilis; Et multo magis hæc erit diviſa & vera, liberũ arbitrium à Deo efficaciter motum, & excitatum poteſt diſſentire ſi velit: cæterũ hæc alia, liberum arbitrium à Deo motũ nempe efficaciter, & excitatum & jam conſentiens, dum conſentit poteſt diſſentire ſi velit, licet poſſit diſtingui, ut diviſa & ut compoſita; & diviſa vera ſit, compoſita falſa, non eſt tamen dubium, quin ex vi terminorum multò magis compoſita ſit; & ita ut compoſita cenſenda eſt, & falſa; quia importat quòd dum arbitrium conſentit, ſimul poteſt diſſentire; vel quòd dum conſentit, cum conſenſu poteſt conjungere contrarium diſſenſum; ſicut ratione eadem iſta, ſedens dum ſedet poteſt ſtare, communiter compoſita dicitur, & falſa; Et ratio eſt quia arbitrium conſentiens, dum conſentit, neceſſariò ex ſuppoſitione conſentit: ergo eadem ſuppoſitione non poteſt non conſentire: ergo ex ſuppoſitione eadem non poterit diſſentire.

Dicendum ſextò quod Concilium Tridentinum in illa ſeſſ. 6. Can. 4. cum difinit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum cooperati aſſentiendo Deo vocanti, & excitanti: Non ſolùm intendit, quòd in illo priori in quo eſt à Deo motum & excitatum antequam conſentiat, poteſt diſſentire ſi velit, ſed etiam ſonant verba; quòd motum, & excitatum, & jam conſentiens Deo vocanti, & excitanti poteſt ſi velit, diſſentire; Et quidem quòd verba illius Canonis poſſint importare primum ſenſum clarum eſt; quod verò etiam videantur importare ſecundum ex eo conſtat quia damnat qui dixerint liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo vocanti, & excitanti, nec poſſe diſſentire ſi velit. Illa enim particula, *nec*, ſupponit illa alia verba, nihil cooperari aſſentiendo: ergo ſupponit jam arbitrium aſſentiens, ſeu conſentiens: unde eſt ſenſus quòd liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum imò jam conſentiens excitationi, poteſt diſſentire ſi velit, id eſt, potentiam liberam habet ad diſſentiendum, ſi velit diſſentire; vel ſic motum, & excitatum, & jam conſentiens, poteſt ſi velit conjungere cum Deo vocanti & excitanti contrarium diſſenſum. Item probatur, quia (ut jam ſupra notavimus) Canon ille 4. formatus eſt ex doctrina tradita in cap. 5. illis verbis, *ita ut homo nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippe qui eam abjicere poteſt*; ubi eſt ſermo (etiam ut hi Authores concedunt) quòd inſpirationem recipiens homo, ſuo libero conſenſu eam abjicere poteſt; ergo eumdem ſenſum important verba illius Canonis. Et in utroque ſenſu veriſſima eſt propoſitio, ut explicatum eſt, & in utroque eſt diviſa reſpectu Dei efficaciter moventis, & etiam reſpectu arbitrij jam conſentientis, nullo enim modo denotat componi diſſenſum vel cum Deo efficaciter movente vel cum arbitrio jam conſentiente, ut non ſemel dedimus manifeſtum; ſed componit cum Deo excitante atque vocante, & eſt ſecundum quid compoſita; abſolutè verò & ſimpliciter diviſa; & ita ſimpliciter, & abſolutè dicenda eſt, juxta ea quæ in ſuperioribus manent explicata.

Quòd autem Authores, cum quibus, & pro quibus iſta tractamus, ultimò publicarunt in libro qui prælo mandatus eſt anno 1611. cujus, & titulus eſt, *de concurſu Dei ad actus liberos voluntatis creata opuſcula Theologica*: Concilium videlicet Tridentinum in tota illa ſeſſ. 6. tam in capitibus quam in Regulis fidei ſemper propoſitiones formatas per verbum, poſſe, ſumere in ſenſu compoſito; & ex conſequenti etiam, in illo Canone 4. loqui in eodem compoſito ſenſu, alias eſſet æquivocatio & confuſio, ſi aliquando in ſenſu diviſo, aliquando in ſenſu compoſito illas formaret; longiorem diſputationem expoſtulat, quam propterea in ſua propria ſede videlicet in 4. huius operis libro accuratiùs examinabimus. Nunc magna brevitate ſub hoc triplici dicto reſpondemus.

Primum eſt quando Concilium loquitur de libero arbitrio reſpectu inſpirationis abjiciendæ, antequam ipſum potentiori gratia adjuvetur: loquitur in ſenſu compoſito. Nam cum tali inſpiratione poteſt optimè conjungere oppoſitum diſſenſum (ut ſupra expoſitum eſt) ſimiliter inſpirationem eamdem poteſt abjicere etiam poſtquam eſt fortius adjutum, etiam in ſenſu compoſito quia potentiam habet efficaciter adjutum, ad illam abjiciendam. Et in utroque ſenſu procedit ſacrum Concilium in cap. 5. illius ſeſſionis 6. cum ait, quòd inſpirationem poteſt homo abjicere, eſt enim propoſitio compoſita. Tum quia, abjicere, ut expoſitum eſt ſupra, compoſitionem involvit. Tum præterea; quia arbitrium excitatum, & inſpiratum non ſolùm antequam ampliùs adjuvetur per adjuvantem & moventem gratiam, ſed etiam poſtquam ſic adjuvatur & efficaciter movetur, potentiam habet, ad abjiciendum illam inſpirationem, etiam in ſenſu compoſito: quia potentiam habet ad conjungendum cum illa contrarium diſſenſum, licet ut efficaciter adjutum non conjunget de facto abjectionem & diſſenſum talem.

Secundum dictum: cum Concilium loquitur de neceſſitate gratiæ adjuvantis ſupra excitantem, docens ſine adjuvante gratia non poſſe hominem ſe ad juſtitiam movere vel non poſſe ſine tali adjutorio credere, & ſimilia: videtur loqui in ſenſu compoſito; unde illa propoſitio poſita in cap. 5. *Nec tamen ſine gratia Deus movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit, &c.* Si in illa ſermo fiat ut explicatum eſt ſupra de gratia adjuvante quæ requiritur ut homo ſe moveat ad conſentiendum excitanti, ſenſum importat compoſitum, hunc videlicet, incompoſſibile eſt, ut quis ſe moveat ad juſtitiam ſine gratia adjuvante: vel fieri non poteſt, ut quis non habens gratiam adjuvantem ſe ad juſtitiam moveat. Si autem contendat quis per illa verba (ſine gratia) negari omnem gratiam etiam excitantem, tunc etiam in ſenſu diviſo procedit propoſitio. Conſtat enim ſine aliqua gratia ex ſola videlicet naturæ facultate nulla ratione poſſe hominem ad juſtitiam ſe movere nec potentiam ad id habere proximam & ſufficientem ſed radicalem tantùm ſeu remotam.

Clariùs in Canone tertio fit ſermo compoſitus cum definitur ſine Spiritus Sancti inſpiratione atque ejus adjutorio non poſſe hominem credere, ſperare, diligere, & pœnitere prout ad ſalutem oportet: ſenſus enim eſt, incompoſſibile ſimul eſſe, hominem ſic credere, &c. Et adjutorium illud non habere ſupra inſpirationem; vel fieri non poſſe ut homo taliter credat, & cætera illa opera faciat, & quod illud adjutorium requiſitum ſupra inſpirationem non habeat.

Clariſſimè hunc ſenſum compoſitum tradit Concilium Canone 22. cum definit. *Si quis dixerit juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe vel cum eo non poſſe, anathema ſit.* Apertus eſt enim ſenſus compoſitus videlicet eſſe incompoſſibile, vel fieri non poſſe, ut juſtificatus perſeveret ſine auxilio ſpeciali. Cum eo autem, poſſe perſeverare potentia conjuncta cũ ipſo actu perſeverãdi.

Et quidem quòd in citatis locis loquatur Concilium in ſenſu compoſito, etiam ipſa forma propoſitionum oſtendit quę compoſitionem importare videntur: iſtæ enim propoſitiones ſine adjutorio gratiæ homo non poteſt ſe ad juſtitiam movere, non poteſt credere ſine ſpeciali auxilio, juſtificatus non

Digitized by Google

poteſt perſeverare, multò magis compoſitæ ſunt quam diviſæ ſicut Sanctus Thomas q. 109. art. 1. & q. 22. de verit. art. 8. & alibi ſæpe dicit, quòd quantumvis ſit perfecta potentia non poteſt in actum exire, ſine Dei auxilio. Propterea enim abſolutè illam ſanctus Doctor concedit & veram tradidit quia illa abſolutè ſenſum compoſitum importat, hunc videlicet, incompoſſibile eſt, quod potentia exeat in actum ſine Dei auxilio quæ propterea veriſſima eſt: nam ſi fieret ſenſus diviſus iſte nempè, non eſt in arbitrio potentia ſine auxilio ad exeundum in actum non concederetur quia etiam ſine auxilio talis potentia eſt in arbitrio, vel in qualibet alia creatura: quia in utroque allato teſtimonio loquitur Sanctus Thomas de perfecta potentia in ordine ad naturales ſuas operationes, & docet quòd licet potentiam liberam habeat ad operandum, & habendum actum qui eſt ſenſus diviſus & verus: tamen ſine Dei auxilio, ſive influxu non poteſt in actum exire; quia ut dictum eſt involvit ſenſum compoſitum, hunc nimirum fieri non poteſt ut ſine Dei auxilio ſeu influxu exeat in actum, quæ proindè propoſitio abſolutè vera eſt. Verum eſt quòd ad tollendam æquivocationem, quam quis poſſet prætendere aliquando S. Thomas illam diſtinxit, ſive ut diviſam, ſive ut compoſitam ut patet q. prima de potentia art. 4. ſicut ergo ſupradicta propoſitio à S. Thoma 1. 2. abſolutè ut vera conceditur, & abſolutè ut compoſita ab ipſo traditur; quia ex forma ſua compoſitionem importat, ita illæ traditæ à Concilio, quæ eandem formam retinent, compoſitæ videntur, potiſſimè autem illa de perſeverantia ultimo loco relata, videlicet, ſine ſpeciali Dei auxilio non poteſt juſtificatus perſeverare, ex neceſſitate eſt in compoſito ſenſu accipienda jam ſupra explicato. Nam in ſenſu diviſo juſtificatus etiam ſine ſpeciali auxilio potentiam ſufficientem habet ad perſeverandum. Itaque ſicut iſta, homo ſine lumine non poteſt videre ut vera communiter acceptatur propter ſenſum compoſitum, quia fieri nequit ut qui videt ſine luce videat. Quæ tamen ſi diviſa eſſet falſa diceretur cum ſine lumine potentiam habeat homo ad videndum: ità & nunc relatæ quia eandem formam habent, compoſitæ cenſendæ ſunt.

Tertium dictum; Cum Concilium loquitur de libertate arbitrij ſtatuenda quam diſinit ſubſiſtere cum efficaci Dei motione, ſumit verbum, poſſe diſſentire, in ſenſu diviſo. Hæc patet ex dictis quia cum ſit ſimul incompoſſibile arbitrium efficaciter eſſe motum à Deo, & diſſentire, propter efficacem divinæ motionis nequit propoſitio ſumi in ſenſu compoſito componentente ut compatibilia, quæ incompoſſibilia ſunt; quia in tali potentia ad componendum illa duo incompoſſibilia libertas hominis non conſiſtit cum nulla talis potentia ad ſimul illa conjungenda in arbitrio reperiatur: ergo neceſſe eſt, quod ſumatur in ſenſu diviſo jam explicato denotante quod cum efficaci Dei motione optimè ſtat potentia ad diſſentiendum Deo vocanti, & excitanti.

Itaque tria docet Concilium Tridentinum in illa ſeſſ. 6. Primum eſt fieri non poſſe ut ſine adjuvante & verè movente gratia homo operetur prout ad ſalutem oportet. Secundum fieri non poſſe ut arbitrium illam adjuvantem & verè moventem gratiam habeat, & non operetur id ad quod à Deo movetur per efficaciam Dei moventis & utrumque ſonat ſenſum compoſitum. Tertium eſt quòd liberum arbitrium à Deo efficaciter motum & excitatum potentiam habet ad diſſentiendum Deo vocanti & excitanti quod importat ſenſum diviſum ſupra explicatum; Quæ omnes tres propoſitiones optimè cohærent, & omnes ſimul veræ ſunt. Nec Concilium committit vel æquivocationem vel confuſionem ſumendo aliquando verbum *poteſt* ut diximus compoſitè aliquando diviſè, quia reſpectu diverſorum loquitur & diverſa materia prout dictum eſt, poſtulat ut aliquando diviſæ aliquando compoſitæ propoſitiones ſumantur.

CAPUT XXII.

Solvuntur argumenta contra diſtinctionem de ſenſu diviſo, & compoſito.

NON obſtant autem contra prædictam reſolutionem argumenta quædam, quæ objiciuntur, vel obiici poſſunt. Quorum primum eſt: prædicta diſtinctio de ſenſu diviſo atque compoſito locum tantum habet in formis ſeparabilibus, ut doctrina eſt expreſſa S. Thomæ q. 2. de verit. art. 12. & q. 6. art. 3. ad 8. Sed divina ſcientia, divina voluntas, & prædeſtinatio inſeparabilis eſt à ſubjecto: ergo in ipſis prædicta diſtinctio de ſenſu diviſo, & compoſito locum non habet. Maior ſic explicatur à S. Thoma ubi ſupra quòd videlicet iſta propoſitio corvus poteſt eſſe albus nec poteſt conſiderari ut diviſa & ut compoſita; ita quòd ut diviſa ſit vera, & ut compoſita falſa ſed quòd omnibus modis eſt falſa, quia nigredo eſt forma inſeparabilis à corvo; ſed multo magis inſeparabilis eſt divina voluntas, ſcientia, & prædeſtinatio ab ipſo homine; ergo iſta prædeſtinatus poteſt damnari, ratione facta, & per S. Thomæ Regulam modo explicatam non poterit conſiderari ut diviſa & ut compoſita ſed omnibus modis erit falſa.

Hoc argumentum fit in terminis à Sancto Thoma utroque loco citato ex quæſtionibus de veritate & quodlib. 12. art. 13. & ſignanter 1. p. q. 14. art. 13. in ſolut. ad 3. in quo ultimo loco poſtquam docuit hanc propoſitionem, omne ſcitum à Deo neceſſarium eſt eſſe, & poſſe ſumi in ſenſu diviſo & in ſenſu compoſito ita opponit: ſed obſtant quidam dicentes quòd iſta diſtinctio habet locum in formis ſeparabilibus à ſubjecto; ut ſi dicam album poſſibile eſt eſſe nigrum, quæ quidem de dicto eſt falſa, & de re eſt vera; res enim quæ eſt alba poteſt eſſe nigra; ſed hoc dictum, album eſſe nigrum nunquam poteſt eſſe verum. In formis autem inſeparabilibus à ſubjecto non habet locum prædicta diſtinctio, ut ſi dicam corvum nigrum poſſibile eſt eſſe album, quia in utroque ſenſu eſt falſa, eſſe autem ſcitum à Deo eſt inſeparabile à re, quia quod eſt ſcitum à Deo non poteſt eſſe non ſcitum.

Prætereà liberum arbitrium à Deo efficaciter motum & excitatum non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito ut dictum eſt ſupra: ergo in ſenſu compoſito homo non eſt liber. Patet conſequentia quia libertas conſiſtit in potentia ad conſentiendum, & diſſentiendum: ergo qua ratione in ſenſu compoſito non poteſt diſſentire, eadem ratione in eodem ſenſu compoſito, dicendum eſt non eſſe liberum; ſed non poteſt admitti quod homo in ſenſu compoſito non ſit liber: ergo nec admitti debet aut poteſt quod homo in ſenſu compoſito non poſſit diſſentire; ſed dicendum eſt, quòd adhuc in ſenſu compoſito poteſt diſſentire, & quod poſſit coniungere contrarium diſſenſum cuicumque antecedenti motioni divinæ, & ſic ruit totum quod ſupra circa veram intelligentiam ſenſus diviſi atque & compoſiti traditum fuit.

Amplius ſic opponunt nulla eſt potentia ad actum impoſſibilem vel ad actum ſibi incompoſſibilem, ſed in voluntate excitata & efficaciter à Deo mota ad conſenſum eſt impoſſibilis vel ad minus eſt incompoſſibilis diſſenſus; ergo in voluntate ſic excitata & efficaciter mota à Deo ad conſenſum, non eſt potentia ad

Digitized by Google

ad diſſenſum ; & idem argumentum objiciunt contra voluntatem Phyſicè ſeu efficienter prædeterminatam ad conſenſum , quod idem eſt ac efficaciter à Deo motam , quod videlicet cum voluntate ſic à Deo prædeterminata non ſic compoſſibilis diſſenſus, & quòd ex conſequenti in ipſa ſic prædeterminata ad conſenſum non ſit potentia ad diſſenſum.

Ultimò hæc propoſitio, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt diſſentire, eſt abſolutè vera & concedenda & eſt de poſſibili : ergo probanda venit per ſuam de ineſſe , hoc modo. Hæc propoſitio eſt poſſibilis. Liberum arbitrium à Deo motum & excitatum diſſentit , & ſic idem quod priùs , potiſſimè, quia ſi liberum arbitrium à Deo motum poteſt diſſentire, cum poſſibili poſito in eſſe nullum ſequatur inconveniens , ut Ariſtoteles docuit , potuit optimè poni in eſſe quòd liberum arbitrium à Deo motum de facto diſſentiat , & ſic non erit incompoſſibilis diſſenſus talis cum tali Dei antecedente motione.

Hæc argumenta non ſolum veritatem ſupra traditam non infringunt , ſed occaſionem non minimam præſtant, ut illa multomagis confirmetur , & intelligatur , unde ad primum , quod in terminis proponitur à Sancto Thoma quodlib. 12. art. 13. ad ſecundum cum eodem reſpondetur. *Ad ſecundum dicendum, quod bona eſt diſtinctio (ſcilicet de ſenſu diviſo, & compoſito) ſed ad objectum de formis , dicendum , quòd aliter eſt de formis realibus, & aliter de prædicatis , quæ important aliquid pertinens ad actum rationis; quia in primis ſcilicet realibus, ſi in eis debet habere locum talis diſtinctio, oportet ineſſe ſeparationem in re, & in conſideratione : in ſecundis autem non requiritur, ſed oportet, quod res illa cadat ſuper alia conſideratione , & ſic dico , quod iſte prædeſtinatus poteſt damnari, poteſt conſiderari , vel ut eſt in ſe , vel ut divinæ cognitioni relatus, & ſic uno modo attribuitur & quòd poſſit damnari , alio modo non.* Hæc Sanctus Thomas. Quibus verbis admittens illam regulam à ſe traditam in quæſtione de veritate de formis inſeparabilibus , illius tradit veram intelligentiam, dicens quod quando formæ ſunt realiter inhærentes ſubjecto & inſeparabiliter, tunc non habet locum prædicta diſtinctio de ſenſu diviſo atque compoſito. Et hac ratione, iſta, corvus poteſt eſſe niger , non poteſt diſtingui , ut compoſita , & ut diviſa , quia nigredo realiter inhæret ſubjecto & realiter ab ipſo inſeparabilis eſt. At verò quando formæ ſunt extrinſecæ & pertinentes ad actum rationis, tunc habet locum prædicta diſtinctio de ſenſu diviſo, & compoſito, & ſatis eſt quòd talis forma ſolùm per rationem ſit à ſubjecto ſeparabilis, ità quòd poſſit ratio conſiderare ſubjectum abſolutè ſecundum ſibi propria , & etiam ſecundum quod ſubſtat prædeſtinationi divinæ : & conformiter ad hanc doctrinam docuit Sanctus Thomas 1.p. quæſt. 14. art. 13. ad 3. quòd quia eſſe ſcitum non dicit diſpoſitionem ſubjecto inhærentem , ſed tantum importat actum ſcientiæ, licet ſemper ſciatur , poteſt tamen aliquid attribui ſecundum ſe ſubjecto , quod non attribuitur ei in quantum ſtat ſub actu ſciendi , quia videlicet poteſt per rationem conſiderari ſubjectum ut non habens talem formam. Imò in quæſt. 6. de verit. citata in oppoſitum, ſolutione ad 8. hoc ipſum docet. Verba prioris loci ex prima parte ſunt , quibus reſpondet ad argumentum à ſe factum & ſuperius relatum. *Hæc autem inſtantia*, inquit , *locum haberet , ſi hoc quod dico ſcitum , importaret aliquam diſpoſitionem ſubjecto inhærentem , ſed cum importet actum ſcientiæ ipſi rei ſcitæ (licet ſemper ſciatur) poteſt aliquid attribui ſecundum ſe , quod non attribuatur ei , in quantum ſtat ſub actu ſciendi , ſicut eſſe materiale attribuitur lapidi ſecundum ſe, quod non attribuitur ei ſecundum quod eſt intelligibile.*

Quæres forſan , quare cum formæ ſint realiter ſubjecto inhærentes & inſeparabiliter, ſemper ſit compoſitus ſenſus , nec poteſt admitti diviſus. At prædicata quæ important actum rationis , licet ſint ſemper , tamen admittant etiam ſenſum diviſum. Hujus enim rei adhuc ratio deſideratur.

Ad hoc dicendum , quòd cum formæ ſunt reales ſubjecto inhærentes inſeparabiliter , ſatiant totam illam capacitatem materiæ ipſamque complent , nec relinquunt in illa potentiam ad aliam formam , unde non poteſt tale ſubjectum conſiderari , ut habens potentiam ad formam aliam , & ſic non poteſt conſiderari in ſenſu diviſo , qui eſſentialiter attenditur per potentiam ad aliam formam præter eam , quam actu habet : quod patet in nigredine Corvi , quæ complet totam materiam Corvi , nec potentiam in illo relinquit ad albedinem ; eſſet enim hæc potentia in illo fruſtranea , cum ab intrinſeco haberet , quòd numquam poſſet reduci ad albedinem. Verum cum prædicata important actum pertinentem ad rationem , ut eſſe ſcitum , eſſe prædeſtinatum , cum illa prædicata extrinſeca ſint naturis rerum , nihil auferunt de illarum potentia , nec illas complent aut ſatiant : Undè optimè poſſumus conſiderare res ſecundum ſuas proprias & intrinſecas naturas, & aliquid eis ut ſic attribuere , & poſſunt etiam conſiderari ut ſubſunt extrinſecæ illi ſcientiæ vel prædeſtinationi : Unde poſſunt & diviſè & compoſitè ſumi.

Inquires tandem , an iſta propoſitio ſit concedenda ; eſſe ſcitum à Deo , vel eſſe prædeſtinatum , ſunt inſeparabilia à re ſcita vel prædeſtinata. Ad hoc dicendum, quod ſi conſideretur res ſcita, ut ſcita eſt, vel prædeſtinatus , ut prædeſtinatus, inſeparabile eſt à re ſcita & à prædeſtinato, eſſe ſcitum & eſſe prædeſtinatum, quia ſemper unum cum alio componitur , ſi autem conſideretur res ſcita & prædeſtinata abſolutè, & ſecundum naturam ſuam , ſcitum & prædeſtinatum ab illis rebus ſeparabilia ſunt : Et ſecundum hanc rationem ſeparabilitatis admittunt ſenſum diviſum , & potentiam ad oppoſitum. Solutio eſt Sancti Thomæ quæſt. 2. de verit. art. 12. ad 4. *Dicendum*, inquit, *quod quamvis ſcientia Dei invariabilis ſit, & ſemper eodem modo , tamen diſpoſitio ſecundum quam res refertur ad Dei cognitionem invariabilem , non ſemper eodem modo ſe habet ad ipſam , refertur enim res ad Dei cognitionem ſecundum quod eſt in ſua præſentialitate , præſentialitas autem rei non ſemper ei convenit : Unde res poteſt accipi cum tali diſpoſitione, vel ſine ea, & ſic per conſequens poteſt accipi illo modo quo refertur ad Dei cognitionem , vel alio modo. Et ſecundum hoc prædicta diſtinctio procedit.* Hæc Sanctus Thomas.

Sed quia inſtantia fit in nigredine Corvi , dicendum ex eodem Sancto Thoma quæſt. 6. de verit. artic. 3. ad 8. quod ſicut conſiderando tantummodo eſſentiam Corvi , poteſt ei aliquid attribui , quod repugnat nigredini ejus, ſecundùm quem modum dicit Porphyrius , quòd poteſt intelligi Corvus albus, quia nigredo Corvi eſt aliquid præter eſſentiam Corvi licet non ſit aliquid extra Corvum : ita etiam in propoſito , poteſt homini, vel à Deo ſcito, vel prædeſtinato , attribui aliquid ſecundum ſe conſiderato, quod non attribuitur ei ſecundum quod intelligitur ſtare ſub prædeſtinatione ; quia eſſe ſcitum vel prædeſtinatum , eſt aliquid extra eſſentiam hominis , licet non ſit aliquid extra ipſum hominem conſideratum , ut ſubeſt vel ſcientiæ Dei, vel prædeſtinationi.

Quod ſi objicias inde ſequi confirmationem in gratia, quia & eſt quid realiter confirmato inhærens & etiam inſeparabiliter , non admittere prædictam diſtin-

Digitized by Google

distinctionem de sensu diviso & composito, & ex consequenti non magis posse distingui istam, confirmatus in gratia potest peccare, quam istam, corvus potest esse albus, sed utramque omnibus modis dicendam esse falsam, quod tamen dici non potest; quia confirmatus in gratia absolutè, & divisè, ut communis tenet sententia illaque verissima, potest peccare, licet non stet quod peccet.

Ad hoc dicendum confirmatis in gratia necessariam esse illam distinctionem de necessitate in sensu diviso, & composito: Et ad objectionem, non disputando modò quænam sit ista gratiæ confirmatio, de hoc enim in quarto istius operis libro commodiùs agetur, sed admittendo esse quid realiter habitui charitatis & voluntati inhærens inseparabiliter, ex suppositione dicendum est, quòd illa confirmatio ab intrinseco & ex natura subjecti ab ipso est separabilis, quòd sufficit, ut possit rectè subjectum considerari, & in sensu diviso, & in composito. Nigredo autem corvi, quia ex ratione intrinseca individuali inseparabilis est, ideo talem distinctionem non admittit. Si autem sermo sit de essentia corvi, quia ipsi non inhæret inseparabiliter nigredo, possumus essentiam corvi considerare ut est sub nigredine, & absolutè secundum se; potest optimè hac ratione habere etiam ibi locum prædicta distinctio, ut Sanctus Thomas ex Porphyrio docet prædicta quæst. 6. de verit. & sic patet ad primum.

Propter secundum argumentum Theologi aliqui, qui optimè de efficacitate divinæ motionis & gratiæ sentiunt, dicunt illam propositionem, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum potest dissentire si velit, esse veram tum in sensu diviso, tum etiam in composito; ne si semel admiserint non posse dissentire in sensu composito, cogantur fateri in sensu composito non esse in homine libertatem. Cæterùm nullo modo in primis concedendum est liberum arbitrium à Deo efficaciter motum posse dissentire in sensu composito, ut suprà explicatum est: quia fieret sensus quod potest conjungere cum tali efficaci motione contrarium dissensum, quod est incompossibile. Nec tamen inde sequitur esse concedendum hominem non habere libertatem in sensu composito, imò planè totum contrarium infertur. Nam hominem non posse dissentire in sensu composito nihil aliud est, nisi quod fieri non possit, ut efficaciter à Deo moveatur, & dissentiat. Ex hac ergo necessitate in sensu composito, unde oritur quod tunc in sensu composito non habeat libertatem? Cùm enim tunc infallibiliter consentiat, & magna sua libertate consentiat, qua tunc posset dissentire si velit, tantùm abest, quod in sensu composito non habeat libertatem, quod potiùs libertatem exercet in actu secundo, & perfectiùs liber est, quam prius antequam se determinaret, quia liber tantùm in potentia erat. Liber igitur homo est in sensu composito, quia actualem suam libertatem cum efficaci Dei motione componit. Hæc enim est libertas in sensu composito, sive libertas in actu secundo.

Si autem intelligatur quod in sensu composito, non habet libertatem, id est, non habet libertatem ad conjungendum contrarium dissensum cum efficaci Dei motione antecedente, verè intelligunt. Sed tunc lingua est cohibenda, quia ista propositio (homo in sensu composito non habet libertatem) istum sensum non admittit. Unde omninò neganda est, & præcipuè temporibus istis, ne erroris præbeatur occasio. Negetur ergo, & iterum negetur talis propositio, quia non solum ex illo antecedenti non sequitur, sed potiùs totum contrarium, ut dictum est.

Ad tertium concessa majori, nimirum non esse potentiam sive in voluntate, sive in quolibet alio subjecto, vel ad actum absolutè impossibilem, vel ad actum incompossibilem cum tali potentia, distinguatur minor illa, in voluntate mota efficaciter, seu à Deo prædeterminata ad consensum est impossibilis seu incompossibilis dissensus, est impossibilis dissensus absolutè & simpliciter, negatur; est incompossibilis simul cum prædeterminatione, vel est incompossibilis potentiæ habenti simul prædeterminationem conceditur. Itaque in voluntate efficaciter à Deo mota seu prædeterminata, si consideretur secundùm se, absolutè atque simpliciter compossibilis est dissensus. Si verò consideretur voluntas ut stat sub prædeterminatione, non est dissensus componibilis, seu compossibilis cum voluntate, & prædeterminatione simul. Et tunc etiam distinguitur consequens; ergo in voluntate non est potentia ad dissensum, non est potentia in voluntate prædeterminata ad conjungendum seu componendum dissensum simul cum prædeterminatione conceditur. Non est in voluntate prædeterminata, potentia absolutè & secundum se ad dissensum, negatur. Unde ad actum incompossibilem, non absolutè, sed ex suppositione est potentia in voluntate.

Ad ultimum dicendum, verissimam esse illam propositionem, & esse secundùm Catholicam veritatem asserendam. Similiter dicendum illam esse de possibili, negandum est tamen reducendam esse immediatè ad suam de inesse, vel per illam posse immediatè probari, quia illa est modalis divisa non composita, ut dictum est. Modalis autem composita est, quæ immediatè per suam de inesse probatur, ut diximus, non autem modalis divisa, quia in modalibus divisis priùs auferendæ sunt connotationes, & postea reduci debent ad suam de inesse, verbi gratia. Homo albus potest esse niger, modalis divisa est vera, & tamen si sic immediatè probaretur, hæc est impossibilis, homo albus est niger, falsa & impossibilis redderetur. Undè sic probatur. Homo potest esse albus, & homo potest esse niger: ergo homo albus potest esse niger. Rursus homo potest esse albus, reducitur ad suam de inesse dicendo, hæc est possibilis, homo est albus. Parique ratione illa alia, liberum arbitrium à Deo excitatum & motum potest dissentire, quia divisa est & verissima, sic probatur, liberum arbitrium à Deo est motum, & liberum arbitrium potest dissentire: ergo liberum arbitrium à Deo motum potest dissentire: vel unico verbo dicatur, sensum divisum illius propositionis divisæ & absolutæ esse, liberum arbitrium à Deo motum potentiam liberam habet ad dissentiendum & sic clariùs proceditur & omnia sophismata auferuntur.

Ad illud aliud quod secundum Aristotelem possibili posito in esse nullum sequitur inconveniens, dicendum id debere intelligi si ponatur in esse absolutè, si autem ponatur in esse suppositio alio incompossibili, sequitur maximum inconveniens, sequuntur enim duæ contradictoriæ veræ vel quod duæ contrariæ & repugnantes formæ sint in eodem subjecto simul, vel quid simile, v.g. possibile est quod Petrus sit albus, & quod hoc possibile absolutè ponatur in esse nullum sequitur inconveniens; si tamen supponamus aliud incompossibile scilicet quod Petrus sit niger implicat hoc supposito, quod ponatur in esse illa propositio de possibili, Petrus niger possibiliter est albus. Ità dicimus in proposito, quod liberum arbitrium à Deo motum & excitatum absolutè possit dissentire, supposito tamen quod efficaciter movetur ad consentiendum, non potest illud possibile poni in esse; quia duo contraria impossibilia componerentur simul. Et hoc sufficiat pro sensu diviso, & composito, omittimus enim alia minutiora argumenta nè fastidium generemus.

Sed illud quod communiter opponi solet, omittendum non est, quod frustrà sit potentia, quæ non reducitur

citur ad actum, ergo fruſtrà erit illa potentia ad diſſentiendum ſi poſito auxilio efficaci, ad actum numquam reducetur. Ad hoc primò dicendum fruſtrà eſſe potentiam, quæ ex propria ratione non reducitur ad actum, ſi autem ab extrinſeco impediatur, fruſtrà non erit; niſi quis vellet fruſtrà eſſe potentiam progreſſivam cum impeditur ab extrinſeco ne reducatur ad actum, & fruſtrà fuiſſe in ſtatu innocentiæ potentiam mortalitatis (homo enim etiam tunc mortalis erat, quia compoſitus ex contrariis) ex eo quod per juſtitiam originalem impediebatur ne exiret in actum.

Secundò dicendum, fruſtrà eſſe potentiam quæ non reducitur ad aliquem actum ſub contentis adæquate ſub ſua potentia, ita quod nulli actui conjungatur: quando autem conjungitur nobiliori actui, etiamſi ignobiliori non conjungatur non eſt fruſtrà, vel imperfecta, ſed potius magis perfecta. Et ſic fit in præſenti, quia reducitur potentia voluntatis ad optimum actum, qui eſt conſentire Deo vocanti.

Tertiò dicendum quòd fruſtrà eſt potentia, quæ non reducitur ad actum aliquando, non tamen ſi pro aliquo tempore ad aliquem actum non reducatur. Modò potentia ad diſſentiendum, licet non reducatur ad actum pro tempore quo efficaciter arbitrium movetur, reducitur tamen ad actum cum non ſic efficaciter movetur; quia non ſemper efficaciter Deus arbitrium hominis movet ad conſentiendum.

Quartò & melius, dicendum cum S. Th. q. 5. de pot. art. 5. ad 7. Ubi hoc facit argumentum ſeptimo loco: Et ita reſpondet *ad ſeptimum dicendum, quod res non dicitur eſſe imperfecta, quacumque potentia in ipſa non reducta ad actum, ſed ſolum quando per reductionem in actum res ſuum non conſequitur complementum. Non enim homo, qui eſt in potentia vt ſit in India, imperfectus erit ſi ibi non fuerit, ſed imperfectus dicitur, ſi ſcientia vel virtute careat, qua natus eſt perfici.* Et per hoc demonſtrat, quod licet cœlum ſit in potentia ad Ubi, tamen poſt diem judicij quieſcet ſine imperfectione, quia cœlum non perficitur per locum ſicut corpora inferiora, quæ in proprio loco conſervantur. Undè licet potentia, qua poteſt eſſe in aliquo Ubi, numquam reducatur ad actum poſt diem judicij, non tamen ſequitur, quod cœlum ſit imperfectum. Similiter ergo quia diſſentire Deo vocanti non eſt actus quo voluntas perficiatur, licet non reducatur potentia ad diſſentiendum in actum, non ſequitur, quòd illa potentia vel fruſtranea ſit, vel imperfecta, cùm potiſſimè ſit reducta ad actum quo maximè perficitur, qui eſt Deo vocanti excitanti aſſentire.

In hac ergo materia de ſenſu diviſo atque compoſito, ad ejus claritatem utendum eſt ſemper communi exemplo de homine prædeſtinato. Certum eſt apud omnes, quòd prædeſtinatus abſolutè & ſimpliciter poteſt damnari, & quòd etiam poſitus ſub prædeſtinatione potentiam habet ſimpliciter & abſolutè ut damnetur: omnes etiam concedunt, quod in ſenſu compoſito prædeſtinatus non poteſt damnari, id eſt, non eſt cum prædeſtinato compoſſibilis damnatio, nec potentiam habet ad ſimul cum prædeſtinatione conjungendam atque componendam damnationem. Et ut argumentum etiam hos Doctores convincat. Procedit de prædeſtinato, ſive certa ſit prædeſtinatio ex vi divini Decreti, ut veritas habet, vel ex vi mediorum: ſive ſit certa ex vi divinæ præſcientiæ utrobique enim argumentum curtit, quod nempe abſolute & ſimpliciter, ſive in ſenſu diviſo prædeſtinatus poteſt damnari, & liberam ad id potentiam habeat: in ſenſu verò compoſito non poteſt damnari, nec conjungere damnationem poteſt cum prædeſtinatione: unde habet abſolutè potentiam ad actum ex ſuppoſitione incompoſſibilem, non autem ad actum, qui ſimpliciter & abſolutè incompoſſibilis ſit. Hinc ergo etiam opponat fruſtrà eſſe talem potentiam in prædeſtinato, quia nunquam reducitur ad actum. Imò quod ut ſupra diximus, in Deo poſtquam determinavit creare mundum, vera eſt potentia ad ipſum non creandum, ſicut illam habebat antequam determinavit illum creare. Hinc etiam ſi audent dicant talem potentiam eſſe fruſtrà in Deo cùm nunquam ſit reducenda in actum.

TRACTATUS

Digitized by Google

TRACTATVS QVINTVS,

EXAMINATVR SCIENTIA MEDIA ET IMPVGNATVR.

TOTALE fundamentum & ſingulare principium ad excludendam ſuppoſitionem antecedentem divinæ voluntatis, ejus efficaciam atque virtutem, & ex conſequenti unicum fundamentum omnium aſſertionum, quas à principio hujus libri ex Recentioribus attulimus, & quæ in tota hac magna controverſia diſcutiuntur, in quadam ſcientia media ſive conditionata, ſive quocumque alio nomine vocetur (de vocibus enim quæſtio non eſt) totaliter conſiſtit. Ex hac totius adverſariorum doctrinæ conſurgit ædificium, quam proinde ut fortiſſimum præſidium tuentur ac venerantur, & novis argumentationibus quotidie munire procurant: expreſséque fatentur hac media ſcientia de medio ablata totam ſuam Doctrinam in materia prædeſtinationis & gratiæ everti funditus, ac penitùs diſſipari. Unde neceſſe erit hanc appoſitionem falſi nominis ſcientiæ diligentiùs expugnare, ejus impoſſibilitatem oſtendere: proponendo priùs quidquid eſt hujus mediæ ſcientiæ, ſecundùm quod à ſuis defenſoribus explicatur.

CAPUT I.

Aperitur quid ſit ſcientia hæc media ſive conditionata.

QUÆNAM ſit ſcienta iſta media ipſius fautores clariùs explicant in illa 8. aſſertione fundamentali tract. 6. cap. 5. à principio hujus libri à nobis relata, quam & hic iterum ſuis ipſorum formalibus verbis conſtituimus. *Triplicem ſcientiam oportet diſtinguamus in Deo, niſi periculosè in conciliandâ libertate cum divina præſcientia hallucinari velimus. Alteram merè naturalem, quæ proindè nulla ratione potuit eſſe aliter in Deo, per quam ea cognoſcit, ad quæ divina potentia, ſive immediatè, ſive interventu ſecundarum cauſarum ſe extendit, tum quoad naturam ſingulorum & complexionem eorum neceſſariam, tum quoad contingentiam, non quidem quod futura eſſent, vel non eſſent determinatè, ſed quod indifferenter eſſe & non eſſe poſſint; quod eis neceſſariò competit, atque ideo ſub ſcientia naturali cadit. Aliam merè liberam, quâ Deus poſt actum liberum ſuæ voluntatis abſque hypotheſi & conditione aliqua cognoſcit abſolutè & determinatè ex complexionibus omnibus contingentibus, quænam reipſa eſſent futura, quæ non, item. Tertiam denique mediam ſcientiam, quâ ex altiſſima & inſcrutabili comprehenſione liberi arbitrij cujuſcunque in ſua eſſentia, intuitus eſt quid pro ſua innata libertate, ſi in hoc, vel illo, vel etiam infinitis rerum ordinibus collocaretur, acturum eſſet, cum tamen poſſet ſi vellet, facere reipſa oppoſitum.* Ità dicit qui hanc mediam ſcientiam his temporibus introduxit P. Molina in concordia ſua relata ſæpiùs quæſt. 14. art. 13. diſp. 52. §. *triplicem*: in impreſſione Antverpiæ. Uliſſyponæ autem diſp. 50. & Comment. ad 1. p. eadem quæſt.

Videre etiam oportet longiſſimam illam diſputationem, quam de iſta ſcientia addit in ſecunda impreſſione videlicet Antverpiæ, quæ eſt diſputatio quinquageſima tertia per quatuor membra diſtributa; cujus doctrinam in hac parte ſecuuti ſunt omnes alij ejuſdem ſocietatis authores relati ſupra à principio, & alij etiam ante ipſum. In ſumma ferè omnes, qui ex ſocietate ſcripſerunt: ut Cardin. Toletus, Cardin. Bellarm. Fonſeca, Molina, Valentia, Vaſquez, Benedictus Pererius, Maldonatus, Barradas, Albertinus, Lorinus, relati à Franciſco Suarez 1. Tom. operis tripartiti: ubi pro eadem ſententia, cui & ipſe mordicùs adhæret, allegat etiam plures alios extra ſocietatem, de quibus nobis inferiùs redibit ſermo.

Idem Molina *in eadem diſput. 52. cap. 5. de ſtatu controverſiæ*, plenius mentem ſuam explicans ſubjungit: *ſciſcitabitur fortè aliquis an hujuſmodi ſcientia media, appellanda ſit libera an naturalis? Ad quod in primis reſpondendum eſt eam nulla ratione dicendam eſſe liberam: tum quia antecedit omnem actum liberum voluntatis divinæ: tum etiam quia in voluntate Dei non fuit ſcire per illam ſcientiam aliud quam reipſa ſciverit. Deinde dicendum eſt neque in eo ſenſu eſſe naturalem, quaſi innata ſit Deo, ut non potuerit*

ſcire

Digitized by Google

scire oppositum ejus, quod per illam cognovit. Si namque liberum arbitrium creatum acturum esset oppositum, ut revera potuit, id ipsum sciviſſet Deus per eandem scientiam, quare non magis est innatum Deo scire per eam scientiam hanc partem contradictionis ab arbitrio creato productam, quam oppositam. Dicendum est ergo, ait, *partim habere conditionem scientiæ libera, quatenus sicut Deus potuit scire alia per scientiam visionis, ita per hanc scientiam potuit scire aliud quàm scivit, si voluntas humana in aliis occasionibus aliud esset operatura.*

Et post pauca ita dicit: *Item quod res libero arbitrio prædita, si in certo ordine rerum & circumstantiarum collocetur, in unam aut alteram partem se flectat, non provenire ex præscientia Dei: quin potius ideo Deum id præscire, quia ipsa res libero arbitrio prædita liberè id ipsum agere debet, nec provenire ex eo quod Deus velit id ab ea fieri, sed ex eo quod ipsa id liberè velit facere.* Quibus ultimis verbis apertissimè dicit, quòd liberum arbitrium se flectat in hanc vel illam partem non provenire ex eo quòd Deus velit liberum arbitrium sic operari, nec in tali divina voluntate id Deum cognoscere, sed id provenire & id Deum cognoscere, ex eo quòd liberum arbitrium ita pro sua innata libertate acturum est. Hic negat manifestè primam divinam causalitatem, quæ divina voluntas est respectu futuri contingentis & liberi. Hanc autem mediam præscientiam conditionatorum essentialiter ordinant prædicti authores ad aliam præscientiam de futuro absoluto, qua Deus videat liberum creatum arbitrium jam constitutum sub quocumque ordine rerum sub quo de facto est constitutum, operari quidquid operatur ex sua innata libertate, & non ex Deo donante & volente, quod sic operetur. Hoc præterquam quod manifestè deducitur ex illa media præscientia, apertis verbis expressit prædictus author disput. 50. §. *Accedente*, cujus & verba sunt: [Accedente verò determinatione libera voluntatis, non qua liberum arbitrium determinet ad alteram partem contradictionis (ut Scotus, & alij volunt) sed qua relinquendo illud liberum arbitrium & omniò indifferens, ut ad quod voluerit, porrigat manum, statuat creare hunc vel illum ordinem rerum & causarum ac circumstantiarum, in quo sint hæ vel illæ causæ liberæ operaturæ, certò cognoscit complexiones omnes contingentes secundùm esse futurum absolutè, & simpliciter, ac sine ulla jam hypothesi, & conditione.] Quibus verbis ex media scientia conditionatorum infert præscientiam absolutam, qua Deus postquam voluit hominem constituere in tali rerum ordine, cognoscit illum operari, quidquid operatur, antequàm ipse Deus determinet & velit quod sic operetur; sed tantum velit liberum arbitrium ponere in tali ordine rerum, in quo si poneretur prævidebatur ex sua innata libertate se ad operandum determinaturum.

An verò post hanc mediam scientiam detur actus absolutus & efficax, quo Deus velit hominem illum absolutè facere, quod sub conditione prævideretur facturum, qui ab aliquibus dicitur prædefinitio; an solus ille sequatur, quo Deus vult hominem ponere in tali ordine rerum, &c. Supra agentes de divinis prædefinitionibus, eorum de hac re sententias adduximus, & asseruimus non loqui consequenter ad illam mediam scientiam, qui talem absolutum actum prædefinitivum, quem vocant, post illam admittunt; Imò sine necessitate ex superfluo superaddi Leonardus Lessius illius mediæ scientiæ defensor acerrimus clariùs asseruit, qui & ibi citatus est. Et revera nullam esse necessitatem ponendi illum actum absolutum, deducitur ex illa conditionata præscientia, quæ supponit, ut omnes fatentur, res absque illa prædefinitione futuras, per hoc solum quod Deus hominem talem in tali rerum ordine vellet constituere: superfluit ergo ille alius, qui adstruitur actus prædefinitivus.

Item prædictus author disp. de prædest. & reprob. Angel. & Hom. sect. 5. num. 55. §. *Hoc igitur*, hæc verba habet. [Hæc voluntas (*scilicet divina*) ante positam conditionem non est absoluta, sed conditionalis. Posita autem illa conditione transit in absolutam, & simul influit in opus. *Et statim.* Itaque non opus est nova aliqua voluntate absoluta, qua rursus illud opus velit, quæque respectu illius operis habeat se per modum principij effectivi, hoc enim nec necessarium est, neque intelligibile: nam conditionata voluntas, quæ præcedit determinatione liberi arbitrij abunde sufficit posita illa conditione. Explico exemplo humano: Cum quis contrahit cum altero verbis de præsenti sub conditione, voluntas se obligandi est conditionata. Verùm posita conditione transit in absolutam, & habet vim voluntatis absolutæ, & parit suum effectum absque novo actu. Simili modo semotis imperfectionibus, cogitandum in Deo quoad voluntatem ejus æternam attinet, qua vult opera nostra bona: Deus tamen non expectat tempus quo conditio ponitur sicut homo, sed ab æterno eam prævidet; Unde ab æterno ejus voluntas absoluta distinctè & cum intelligentia, omnia bona opera attingit. Simile quoque videmus in actibus intellectus. Nam præscientia conditionata transit in absolutam, eo ipso quod ponitur hypothesis. Concipitur tamen in Deo posita conditione novus actus complacentiæ & approbationis, sed hic in opus non influit, utpote illud supponens.] Ex qua doctrina & exemplo manifesta sunt tria.

Primum, non esse necessarium post scientiam mediam illum actum, quem aliqui ex eis prædefinitivum vocant illumque constituunt. Secundum voluntatem illam, qua Deus vult hominem constituere in tali rerum ordine sub quo si poneretur prævidebatur sic vel sic operaturus, esse voluntatem conditionatam in illo priori quo antecedit determinationem voluntatis humanæ: prius namque est Deum sic velle hominem constituere, quam quod ipse se determinet. Quod sic debet intelligi. Quod est voluntas conditionata non respectu hujus, quod est velle illum hominem sic constituere (hæc enim sine dubio absoluta est) sed est conditionata respectu hujus quod est hominem sic operari, non enim vult absolutè quod sic operetur, sed quod sic operetur si tamen ipse voluerit. Tertium est, quod hac conditione adimpleta, quod homo se determinet, ille actus voluntatis transit in absolutum actum quo Deus vult in opus influere, & actum complacentiæ quo Deus complacet sibi illum actum sic ab homine fuisse factum. Unde sæpè Ludov. Molina illum vocat actum complacentiæ. Verùm illum actum absolutum præter actum complacentiæ nullum esse, sed verbis solum apponi, multis convincemus in nostro tertio hujus operis libro, modo enim referimus, non impugnamus.

Prosequitur prædictus author, & ait: [Utrum autem illa voluntas conditionata posita illa conditione prius habeat rationem voluntatis absolutæ & efficacis, quam præscientia conditionata rationem præscientiæ absolutæ, parum refert ad præsens statutum videri possit voluntatis absolutæ ratio prior, ac proinde bonum opus prius à Deo absolutè volitum, quam prævisum, quia hæc influit in opus. At prævisio absoluta jam supponit opus nec est completa

Digitized by Google

intuitio niſi objecto jam plenè conſtituto. Si tamen non loquamur de tali intuitione completa, ſed de nuda notitia futuri quatenùs reſultat ex vi præſcientiæ conditionatæ, poſita conditione, ſic non puto inter hæc eſſe ullum ordinem prioris & poſterioris propriè, ſed concomitantiam, quia nulla eſt alterius ab altero dependentia. Quod enim voluntas conditionata tranſeat in abſolutam, non pendet à præſcientia abſoluta futuri, ſed ab impletione conditionis. Similiter quod præſcientia conditionata tranſeat in abſolutam, non pendet propriè à voluntate abſoluta, ſed ex conditione poſita; quare hæc concomitanter ſe habent, & ſuo modo pendent à conditionis poſitione; Atque hoc modo opus non eſt abſolutè volitum ante præſcientiam determinationis liberi arbitrij. Quę determinatio ratione prior eſt, non naturâ propriè, quam ſit opus completum.] Hæc ille.

Quæ verba ſunt attentiùs expendenda, in illis namque explicat quod præmiſerat, quomodo videlicet illa voluntas conditionata quæ tranſit in abſolutam poſita conditione, influat in opus. Et tota doctrina clariùs propoſita eſt, quòd non influit in illam conditionem nempè in determinationem voluntatis, quatenùs determinatio & influxus ejus eſt, quæ determinatio eſt prior ratione quam opus ſit perfectum, ſed influit in opus ipſum completum, poſt illam videlicet voluntatis determinationem. Itaque in determinationem voluntatis & in ejus influxum non influit nec illa abſoluta quæ dicitur voluntas, nec divina cauſalitas, ſed poſita illa conditione & determinatione à ſola voluntate, voluntas divina poſt illam redditur abſoluta & influit poſteriùs ratione in opus perfectum. Unde ſequitur talis divina abſoluta voluntas, & ejus cauſalitas influens in opus: ſequitur, inquam, ad priorem determinationem noſtræ voluntatis, quæ prioritate rationis antecedit. Unde priores partes tribuit homini iſta ſententia, & poſteriores dat Deo, ut Sanctus Auguſtinus exponit de prædeſtinat. Sanct. cap. 2.

Ad hunc finem itaque tendit hæc media ſcientia & omnis deſuper machina in illa fundata, ut determinatio & influxus voluntatis humanæ, quatenus ejus influxus & determinatio eſt, non cauſetur à Deo, nec in illam influat divina voluntas, ſed quod illam ex ſolo homine habitam prioritate rationis ſupponat & in poſteriori ratione in opus perfectum influat.

Quod eſt clariſſimè initium boni operis quod in illa determinatione conſiſtit, homini ex homine dare, & illius complementum, quod explicat opus completum, Deo adſcribere. Quæ ſententia quorum ſit, nullus eſt qui non videat. Sed hoc modò referendo dicimus ipſorum potiùs verba expendendo, quam impugnãdo, quia hæc eorum doctrina quam relatis modò verbis & aliis ſimilibus apertè propoſuerunt, plenius eſt à nobis expugnanda in noſtro tertio & quarto hujus operis libro; Imò quàm antiquitus expugnata ſemper fuerit ibi erit convincendum. Unde verum eſt quod præmiſimus non ponere reipſa ſententiam hanc, actum abſolutum, qui influat in voluntatis detetminationem, ſed quod tantum illius complacentia ſit.

Alius autem autem author in Comment. ſupra 1. p. S. Thom. admittens & ipſe hanc conditionatam ſcientiam, dicit illam non reduci ad ſcientiam viſionis, quia ſcientia viſionis aſſimilatur viſioni corporali & proinde ad rem præſentem & exiſtentem terminatur, quod verò ſub conditione eſt non eſt hujuſmodi. Unde potiùs ſibi videtur pertinere ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ [vel ſi placet, *ut ait*, claritatis gratiâ tertium membrum conſtituere, quid obſtat? Quod enim antiqui Scholaſtici, qui hactenus ſcripſerunt, tantùm meminerint ſimplicis intelligentiæ & viſionis parùm intereſt: tùm quia illi de hac ſcientia ſub conditione nihil omnino diſputarunt: tùm quia illi non dixerunt omnem Dei ſcientiam tantùm in illa duo membra diſtingui. Quid igitur ſi nos aliam ponamus, cujus ipſi mentionem non fecerunt, nec negarunt.]

Tertius alius ſive quartus ejuſdem Societatis Theologus hanc eandem ſcientiam latè nititur fundare illamque comprehendi ſub ſcientia viſionis affirmat, cujus rationem reddit, quia videlicet eſt libera ex parte objecti, licet participet quandam proprietatem ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, inquantùm videlicet antecedit omnem determinationem liberam divinæ voluntatis, ut in re abſolutè poſitam; licet ſit poſterior eadem divina determinatione, ut ſub conditione pertinet ad objectum hujus ſcientiæ, quod prima ſcientia præſupponit. Qui proinde author in opuſculo integro, quod de hac conditionata ſcientia compoſuit, plurima in defenſionem ejus coacervat teſtimonia infra à nobis referenda & in eodem libro opuſc. in brevi reſolutione controverſ. de auxilio efficaci §. ultimo ſtà neceſſariam hanc mediam ſcientiam iudicat, ut dicat illam totale fundamentum eſſe ad declarandam efficacem vocationem & totum divinæ prædeſtinationis myſterium. Et quamvis fateatur quòd non omnes Catholici illam admittant, ait tamen illam ferè expreſſam eſſe in ſcriptura & quod ferè omnes Patres illam Deo tribuunt. Ac tandem in hæc verba concludit. *Relinquitur apud omnes de Deo, & de fide rectè ſentientes, indubitatum eſſe Deum hac ſcientia non carere.*

Modum autem explicando quo Deus per eam futura illa conditionata cognoſcat, ait non illa cognoſci à Deo in comprehenſione liberi arbitrij: impoſſibile enim reputat in comprehenſione liberi arbitrij indifferentis ad hunc, vel illum actum, poſſe certò aliquem determinatum actum circa aliquod determinatum objectum cognoſci, ut infrà clariùs oſtendemus: ſed cognoſci in quadam objectiva præſentia certa illorum objectorum, ad quam poteſt certa Dei cognitio terminari, quæ infrà à nobis ex illius mente magis explicanda erit cum fuerit expugnanda. Præter enim realem & actualem coëxiſtentiam rerum in æternitate in quas feratur certò divinus intuitus, aliam certam objectivam præſentiam invenit quæ poſſit certò terminare divinam cognitionem.

Poſtremò defenſores hujus mediæ ſcientiæ ſeu conditionatæ in ipſius defenſionem dum Romæ cauſa graviſſima tractaretur, inter alia, ſpeciale quoddam ſcriptum ſub titulo de ſcientia media ſeu conditionata obtulerunt, in quo in ſumma hæc continebantur. Primò quod iſta ſcientia accommodatiſſimè & propriiſſimè vocatur & vocari debet ſcientia media. Secundò quod propriè reducitur ad ſcientiam viſionis. Tertiò quod res ſignificata per hanc ſcientiam antiquiſſima eſt apud Sanctos Patres. Quartò quod Semipelagiani hac ſcientia utebantur nec in hoc errabant, ſed quia peſſimè hac certiſſimâ ſcientiâ ad duos errores abutebantur. Primum probabant eadem omnino ratione ſupra ex Molina relata, quia videlicet aliquid participet de ſcientia naturali, & aliquid de libera; ad neutram tamen in totum pertinet. Secundum quod ſit magis viſionis ſcientiam, probant, quia ejus objectum eſt quid liberum futurum ſub conditione & quia ex objecto potiſſimè ſcientia denominatur, ideo magis ad ſcientiam viſionis attinet: itaque contra Suarez ultimo loco inductum

in

in opere tripartito, contra Molinam & Vasquez ac alios relatos hanc mediam scientiam dicunt non pertinere ad simplicis intelligentiæ scientiam, sed ad scientiam visionis. Tertium probat, quia scientia futurorum sub conditione optimè significatur per scientiam mediam. Quartum autem ex Epist. Sancti Prosperi & Hilarij ad S. P. Augustinum relinquunt ut manifestum, quod videlicet Semipelagiani hac scientia usi fuerint, quia enim hoc negare non possunt, asserunt Semipelagianos in illa constituenda non erasse, sed in malo usu, & applicatione ipsius.

Circa novitatem autem nominis dicunt non esse mirum quod aliquando Doctores ad sua dicta magis explicanda utantur novis distinctionibus, nec ideo vituperandos esse sicut nec vituperatur Cajetanus & alij qui invenerunt distinctionem illam de scientia Dei inter naturalem & liberam, nec (ut aiunt) prætextu novitatis vocis illam possunt impugnare defensores physicæ prædeterminationis, quæ voces novæ sunt.

Si autem scire desiderat quis, quo tempore hæc media scientia, & doctrina in illa fundata inter prædictos recentiores cæperit divulgari, respondet Ludovicus Molina in concordia quæst. 14. art. 13. disput. 33. membro 2. sub his verbis in §. Parvipendunt. *Atque à triginta annis in privatis & publicis disputationibus, à viginti vero in nostris ad primam partem commentariis eam sub nomine scientiæ naturalis idcircò tradiderimus, quod libera in Deo non sit, &c.* Cum autem hæc dixerit seu scripserit anno 1588. constat quod per triginta annos antea hæc divulgabatur & quod etiam nunc quinquaginta anni expleti sunt à quo tempore hæc doctrina publicari seu defendi cæpit. Imò ut jam supra retulimus incepit ista scientia & doctrina in illa fundata, in Patre Lainez ex societate ante 70. & amplius annos ut ibi dedimus manifestum.

Ultimò, alius ejusdem sententiæ sectator & scientiæ hujus defensor in alio suo libro quem sub anno 1611. typis mandavit in opusculo de scientia, quam Deus habet de contingentibus sub conditione futuris prius ratione, quàm quidquam liberè decernat, in proæmio alia via hanc mediam scientiam reducit ad scientiam simplicis intelligentiæ & visionis; dicit namque primo contra Ludovicum Molinam illam non esse mediam inter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, sed qua parte fertur in res non actu existentes, comprehendi sub simplici intelligentia, nec pertinere ad visionem. Idem dicit in capite ultimo illius secundi sui articuli §. Ad tertiam respondeo, quòd videlicet est simplex intelligentia, quæ nihil intuetur existens in aliqua temporis differentia. Similiter ait, non debere poni mediam inter scientiam naturalem & liberam sed diversis rationibus sub utraque contineri. Si enim scientia libera vocatur illa quæ est de objecto libero, cum futura illa conditionata sint sub conditione futura, potuerunt pro libertate causarum non esse futura, & erit secundum hanc rationem scientia libera. Si verò ea tantum dicatur libera scientia in Deo quæ posterior est aliquo divino libero decreto, cum hæc media scientia non sit tali libero decreto posterior, sed omne tale antecedat, erit secundùm hanc rationem naturalis scientia in Deo.

Circa modum autem, quo ista scientia certò cognoscat, vel Deus per illam futura contingentia conditionata, rejecta sententia Ludovici Molinæ quòd videlicet in comprehensione liberi arbitrij illa à Deo cognoscantur: hanc enim cum Francisco Suarez pariter impugnat, hujus objectivam præsentiam supra relatam magis fundat & explicat dicens. Primò futura conditionata & futura ex suppositione seu ex hypothesi nullatenùs differre. Secundò hypothesim esse duplicem, quædam quæ simul cum eo quod affirmatur unam constituit propositionem, quæ nihil est aliud quam consequentia & illatio in conditione posita, ut cum dicimus, si sol est, dies est; in hoc enim exemplo, ex hypothesi & non absolutè affirmamus esse diem, ità tamen affirmamus, ut tam hypothesim, quam id quod ex hypothesi asserimus compleatur unica propositione, quæ neque solem esse nec diem esse absolutè affirmet, sed solum affirmet unum inferri ex alio, ità ut altero existente, verum omnino sit alterum quoque existere, & tunc fit verè propositio hypothetica & conjunctione una diversa à simplicibus Cathegoricis.

Alia rursùs inquit est hypothesis quando inter disputantes supponitur vel admittitur aliquid ex quo infertur alia propositio, putà si supponamus quod nunc in meridie sit sol apud Antipodas, infertur: ergo dies est apud illos, quæ propositio quæ infertur cathegorica est & distincta ab alia cathegorica quæ supponitur, nec ex utraque fit hypothetica vel propositio conjunctione una, sicut fit in prima.

Hoc supposito fundamento à se diffusè explicato, doctrinam hanc ad rem applicando, asserit tertio quod futura conditionata prioris ordinis, id est, quæ importantur per hypotheticam propositionem, quæ denotat solam illationem, considerantur sub ratione formali futuri secundùm quod continentur præcisè in causis suis, abstrahendo ab omni existentia & actualitate ipsorum, & ideò sub hac ratione non videntur subesse posse nisi conjecturali cognitioni. Arbitratur enim quòd nullum futurum sive absolutum, sive conditionatum sub ratione futuri & pro ut continetur in causis est certo etiam à Deo cognoscibile, quod copiosè in illo opusculo probare laborat: Cæterùm si considerentur talia conditionata futura ex hypothesi secunda explicata, jam habent rationem præsentis & existentiam ex hypothesi; & ideo certissimam habent rationem objectivam, ratione cujus sub certissimam cognitionem cadant.

Hæc autem sic exponit. Dato per hypothesim ut causa libera, quæ absolutè & reiliter non existit, actu existat in certis circumstantiis in quibus certum habeat objectum sibi cum perfecta cognitione propositum; pro primo quidem instanti rationis, quod est instans actus primi, libertas ipsius intelligitur indifferens ad amplectendum illud objectum atque ad illud positivè aut negativè per liberam suspensionem actus rejiciendum. Ex hac tamen hypothesi ex natura rei sequitur, ut in sequenti instanti rationis sit certus & determinatus usus libertatis eligentis illud objectum liberè, aut liberè respuentis. Non quod ex hypothesi illa inferatur immediatè & determinatè volitio aut nolitio aut libera suspensio utriusque, quia illa hypothesis relinquit plenam indifferentiam & libertatem, ut causa habeat actum secundum, quem malit, sed quia cum illa hypothesi incompossibile est, ut causa libera in secundo instanti rationis non sit in actu secundo libero, qui tamen non potest esse nisi certus & determinatus. Nam in illa actuali determinatione & actualitate, qua voluntas pro sua libertate se determinat, non potest esse confusio, sed ad aliquid determinatè se habet determinare. Et sic pro illo secundo instanti rationis est in voluntate actus secundus certus & determinatus, qui propterea potest certo à Deo cognosci per propriam cognitionem, quæ immediatè in ipsum feratur ut actu existen-

Digitized by Google

existentem ex hypothesi. Sicut enim (ut ait) futurum absolutum contingens certò Deus cognoscit non prout futurum & in sua causa, sed prout præsens & extra causam coëxistens æternitati, ità futurum conditionatum ex hypothesi, quòd voluntas ponatur cum talibus circumstantiis in secundo instanti rationis cognoscitur in seipso ut in se existens extra causam suam, ex hypothesi tamen; & ista est objectiva & certa præsentia horum futurorum in seipsis quæ certo à Deo ponuntur cognosci.

Verùm priusquam pro hac media scientia, quæ prætenduntur fundamenta, proponantur, & illud præmittendum est in triplici casu seu respectu hanc mediam scientiam posse confingi. Primò quidem respectu personæ, & casus, seu conditionis, quæ duo in aliqua temporis differentia revera ponenda sint & existentiam sint habitura, ut si ponatur Deum per illam ex sua æternitate cognovisse, quid facturus esset Adam, si ab uxore tentaretur, vel quid facturus sit hic homo, si ab Anti-Christo tentabitur. Secundò modo potest hæc scientia poni respectu personæ, quæ revera habitura est existentiam, sed circa conditionem quæ numquam futura est, ut si dicatur cognovisse Deum per illam quid facturus fuisset Adam in proposita tentatione, si Eva non fuisset illius uxor, aut quid facturus fuisset Alexander, si in Italiam transivisset. Tertiò & ultimò ut utrumque & persona, & conditio nullam prorsus sint existentiam habitura, ut si ponatur præcisè Deum si fœmina alia ex viri alicujus costa iterum formaretur & à Dæmone sicut prior tentaretur, quid esset factura. Nec præter hos modos alius videtur dabilis, licet (quod verum fatear) ad propriam hujus mediæ scientiæ rationem per accidens omninò sit quod persona vel conditio in re aliquando futura sit, quia illa ex sui propria ratione ab his omnino abstrahit, si quis illam attentè consideret.

Novissimè libellum quendam parvum legi, qui Memoriale Theologicum in titulatur in quo pag. 22. & 23. quandam peregrinam opinionem inveni: alteram enim mediam scientiam astruit ad cognoscenda ista conditionalia futura, sed ab hac, quæ modo relata est fortè alienam, quamvis & hanc tanquam probabilem reipsa constituat. Dicit ergo quod cum Apostolus Rom. 11. exclamat, ô altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei, hæc duo nominat, sapientiam videlicet & scientiam; per scientiam intelligit scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ; per sapientiam verò quandam divinam cognitionem quæ non est scientia visionis, aut simplicis intelligentiæ, per quam ista conditionata futura intelligit Deus.

Cæterum peregrina opinio est, ut diximus, & in seipsa & in suo fundamento valdè deficiens: hîc enim breviter impugnabitur, ut locus suppetat ad hanc mediam scientiam Recentiorum confutandam.

In primis, mediam quandam cognitionem in Deo collocare respectu rerum creatarum, seu in differentia temporis sub conditione futurarum, quæ nec sit simplex intelligentia, nec visionis à communi scholasticorum sententia est penitùs alienum, ut diffusè in hoc tractatu probaturi sumus. Præterea vel ista sapientiæ cognitio supra visionis scientiam & simplicis intelligentiæ præsupponit in Deo determinationem divinæ voluntatis vel volentis vel permittentis ut talia futura libera fiant si tales adhibeantur conditiones, vel antevertit prædictam divinæ voluntatis determinationem, si hoc secundum detur, prædicta sententia nomine tantum ab hac media Recentiorum scientia differt, re autem ipsa eadem omninò cum illa est, unde in toto hoc processu copiosiùs impugnabitur. Si autem supponit divinæ voluntatis determinationem non dubium quin ad scientiam visionis debeat reduci, ut ostensuri sumus contra hanc mediam scientiam quam ex professo intendimus expugnare.

Illud etiam ex Apostolo desumptum fundamentum valde deficiens est & Apostoli mentem nullo modo attingit. Certum est enim & apud Expositores manifestum per sapientiam intelligere Paulum divinorum cognitionem, cum sapientia altissimam primæ causæ cognitionem importet. Qua ratione Theologia quia scientia de Deo est, sapientia vocatur; & Metaphysica quia altissimarum causarum cognitionem importat, sapientia ab Aristotele dicitur. Unde per sapientiam Paulus citato loco cognitionem intelligit divinorum, & per scientiam cognitionem creaturarum, ut Sanctus Thomas super illum locum exponit. Malè ergo & sine fundamento dicitur, quod per sapientiam intelligatur in illo loco cognitio futurorum sub conditione, cum ista futura sub conditione ad creaturas pertineant, non autem sint de illis, quæ altissimam divinorum cognitionem important.

Unde hac rejecta sententia ad illam aliam mediam scientiam Recentiorum redeamus. Hoc ultimò circa illam advertendo. Quod quomodolibet à suis defensoribus exponatur secundum varios modos dicendi modo collatos, idem ab omnibus dicitur in substantia, dum illorum futurorum certa cognitio ponitur ante divinæ voluntatis decretum volentis vel permittentis quòd hoc vel illud fieret, si talis vel talis conditio apponeretur. Unde vel in comprehensione liberi arbitrij, vel in determinatione actuali liberæ voluntatis à sola mota libertate elicita, & non à Deo effecta atque causata ponitur Deus certa futura cognoscere accipiendo à creatura ipsa illam suam certam cognitionem ut copiosè infra probaturi sumus: vel in objectiva veritate quam nullam esse ostendemus inferiùs. Illud præterea notandum authores relatos qui pro fundamento conciliandæ libertatis creatæ cum divinæ voluntatis efficacia illa media scientia utuntur, in doctrinæ substantia omnes convenire, nec illorum aliquem mediam aliquam viam tenere, inter defendentes divinæ causalitatis & gratiæ efficaciam ex Deo ipso, & constituentes illam ex usu liberi creati arbitrij efficacem, ut quæ modo contra hanc scientiam mediam dicentur, ostendent & potissimè quæ in quarto libro de efficacia divinæ gratiæ apponemus clariùs manifestabunt.

Quod consultò hîc advertendum duximus contra quemdam Sancti Thomæ Discipulum modernum, qui asserit Arrubalem constituentem post mediam scientiam prædeterminationem absolutam divinæ voluntatis, media via procedere inter discipulos Sancti Thomæ defendentes efficaciam divinæ gratiæ, & sententiam Molinæ illam impugnantis; nimis enim fallitur qui hoc asserit: quia inter sententiam defendentem efficacem gratiam ex Deo ipso independenter ab humana voluntate & inter eam quæ gratiam dicit efficacem à cooperatione arbitrij & non ex Deo ipso, mirum est, quod quis dicat sententiam posse esse mediam: sed & scientia media, ac absoluta Dei prædeterminatio ad invicem opponuntur, ut in processu hujus: & potissimè secundò nostro libro agentes de divina prædestinatione monstrabimus.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT II.

Fundamenta pro hac media scientia proponuntur & primò ex Sacris literis.

DECLARATA jam satis ab his Authoribus quidditate hujus scientiæ approbataquè (ut illis videtur) voce ipsa quod prophana non sit nec vitanda: multis tum scripturæ testimoniis, tum sanctorum Patrum authoritatibus & rationibus illam undiquè communire, & corroborare procurant.

Similibus ergò authoritatibus & rationibus necessitatem hujus scientiæ introducere conantur. Primò scientia ista in plurimis divinæ scripturæ locis videtur expressa: ergo necessario est admittenda. Patet antecedens. Nam 1. Reg. 23. consuluit David Dominum dicens: *Si tradent me viri Ceilæ in manibus ejus* (videlicet Saulis) *& si descendet Saül? Respondítque Dominus, tradent.* & 3. Reg. 11. dicitur quod. *Rex Salomon adamavit Mulieres alienigenas multas de gentibus; super quibus dixit Dominus filiis Israël non ingredíemini ad eas nec de illis ingredientur ad vestras certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum.* In quo primo loco Dominus respondit David, non id quod possibile erat, nec enim hoc interrogaverat ipse David, sed quod certissimè eventurum erat, si David maneret in Ceila: In secundo autem loco similiter dicit Dominus, quod Mulieres alienigenæ certissimè aversuræ essent corda Israelitarum; si ad ipsas intrarent. Eodem modo 4. Reg. 13. dixit Eliseus Regi Joas; *Si percussisses quinquies aut sexies, percussisses Syriam usque ad consummationem.* Ubi etiam certissimè pronunciatur futurus eventus, si tamen illa conditio quæ nullo modo apposita fuit, apponeretur. Similiter Sap. 4. habetur. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, &c.* Sciebat ergo Deus quod si ille viveret, malitiâ mutaretur in malum; hoc autem nihil est aliud quam cognoscere futurum si conditio adhiberetur; quod tamen reipsa nunquam futurum erat. Item Gen. 11. dixit Dominus: *Ecce unus est Populus & unum labium omnibus caperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis donec opere compleant.* Ubi futurum sub conditione prænunciatur, quod tamen nunquam fuit; quia ut non esset, Dominus impedivit. Item Isaïæ cap. 30. *Si revertamini, & quiescatis salvi eritis.* Quod erat cognoscere futurum quoddam conditionatum. Similiter Ezechiel. 3. dicitur: *non ad Populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris.* Et infra: *& si ad illos mitteréris ipsi audirent te.* Ubi S. Hieronymus, & Theodoretus hæc verba dicunt significare veram & infallibilem præscientiam Dei.

Sed omnium clarissimum & magis expressum testimonium est illud à Christo Domino apertissimis verbis prolatum Lucæ 10. & Math. 11. *Væ tibi Corozain, vè tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Cognovit ergo Christus Dominus illarum gentium futuram conversionem, si in eis factæ fuissent virtutes &c. Et Math. 24, ait idem Dominus: *Nisi brevitati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur*; Prænovit ergo Deus superandos electos si diuturnior esset tribulatio: undè prænovit futurum conditionatum, si talis conditio adhiberetur, quæ adhibenda non erat. Alia plurima scripturæ testimonia omittuntur; quia hæc sufficere videntur. Sed in particulari addamus pauca quædam alia, ut est illud Hieremiæ 38. ad Regem Sedeciam: *Si profectus exiens ad Principes Regis Babilonis; vivet anima tua, & civitas hæc non succendetur igni & salvus eris tu, & domus tua.* Cumquè Rex respondisset: *Solicitus sum propter Judæos, qui transierunt ad Chaldeos*: dixit Propheta, *non te tradent*: nempè si exieris. Item Act. 22. narrat Paulus dixisse sibi Dominum: *festina & exi velociter de Hierusalem quoniam non recipient testimonium tuum de me*: Ubi item revelatur ut certum futurum sub conditione quod non evenit, nempè, si eis prædicaveris non recipient testimonium tuum de me. Item Exodi 3. habetur, *Ego scio, quod non dimittet vos Rex Egypti ut eatis, nisi per manum validam.* Tandem Isaïæ 1. dicitur. *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma & Gomorra fuissemus.* In quibus futura sub conditione ut certa revelantur.

Ex istis tale formant argumentum defensores hujus mediæ scientiæ. Certum est Deum revelasse, quòd aliqua essent futura si talis conditio poneretur, quæ posita non fuit, ut patet ex allatis testimoniis: ergo certum est Deum omnia illa infallibiliter cognovisse futura fore, si tales adhiberentur conditiones; quia revelatio Dei non est de aliquo incerto vel dubio; ergo certum est esse in Deo hanc mediam seu conditionatam scientiam. Probant hanc ultimam consequentiam; quia futura illa conditionalia per hanc mediam scientiam agnoscuntur. Quod ità reputant certum prædicti authores, ut dicant hoc solum debere sufficere absque aliqua explicatione ad asserendum in Deo hanc mediam scientiam, quam propterea negari non posse salva fide contendunt.

Et ut sententiam tuam magis fundent, dicunt, quòd quadrupliciter potest intelligi Deum hæc futura conditionata cognoscere. Primò ità ut scientia Dei non terminetur ad veritatem conditionalis, sed tantum ad bonitatem consequentiæ; verbi gratia in hac propositione: si David mansisset Ceilæ, traderetur Sauli; sit sensus, non quod David sit tradendus posita illa conditione, sed tantùm quod rectè inferatur, quod David sit tradendus: hoc autem dici non potest; nam hoc manifestè est contra Divinam scripturam; Deus enim non revelavit quod hoc sequeretur ex illo, nec quod ex natura conditionalis sequeretur talis effectus, sed ex libertate arbitrij, vel ex aliis causis, ut patet; quia multa sunt quæ non habent hanc consecutionem: contingere enim potest, ut docuit S. Augustinus lib. 12. de Civit. cap. 6. quod ex duobus hominibus æque affectis animo & corpore & æquè tentatis unus peccet, & alter non. Imò contingit, quod ille peccet qui minùs tentatus est. Ex hoc autem & similibus casibus, evidens est, ajunt, non esse bonam consecutionem, si iste homo sit tentatus peccabit, & tamen Deus poterat hoc præscire, & revelare. Sicut non erat bona illatio quod Adam in statu innocentiæ, & Angeli in tam perfecta natura & cum tantis donis si pernaturalibus essent peccaturi, cum tam levi tentatione & occasione; & tamen Deus hoc præscivit.

Secundus modus est, ajunt, Deum non ea præscivisse & revelasse tanquam infallibiliter futura, sed quasi humano modo, & per conjecturas probabiles, ac si diceret, probabile est; quod posita tali conditione sequeretur talis effectus. Sed hic modus videtur similis præcedenti, & eisdem ferè rationibus concluditur & eum optimè confutat Stapletonius in illa verba Matthei 11. *Si in Tyro, & Sidone*; Ubi ait hanc esse interpretationem Calvini dicentis: humano more Christus loquitur, contra quem optimè Stapletonius ait, hoc nihil aliud esse, quam verba Christi mendacij arguere. Et meritò hanc vocat apertissimam verbi Dei corruptelam alioquin non esset absolutè verum, quod si in Tyro, & Si-

done

done facta fuissent signa quæ Bethsaidæ facta sunt, Tyrij & Sidonij converterentur: hoc autem esset Evãgelio apertè refragari. Undè S. Prosper in responsione ad excerpta Genuensium cap 8. exponens prædictum locum Matth. 11. & verba S. Augustini lib. 2. de bono perseverantiæ, ait. *Nos, etiamsi rationem facti, & profunditatem judicij ejus penetrare non possumus, manifestissimè tamen scimus, & verum esse, quod dixit & justum esse quod fecit.* Et S. Ambrosius lib. 2. de pœnitentia tractans eundem locum cap. 5. idem omninò dicit. Item quia ponere in Deo cognitionem conjecturalem & non omninò certam, maximam includit imperfectionem; quia talis potest subesse falso, quod à perfectissima scientia Dei longè distat. Item quando David consuluit Dominum an viri Ceilæ ipsum traderent: quis dicat hoc fecisse ut tantum conjecturalem audiret determinationem? Consultationem ergo suam ad hoc ordinavit, ut certissimè Dei judicium quod decipi nequit, exquireret.

Tertiò potest dici, (ajunt) Deum quidem infallibiliter præscire futura hæc, sed præscire in determinatione suæ voluntatis quæ ità statuit & decrevit, quod si talis conditio apponeretur, esset tale futurum v. g. quod si ista signa, quæ facta sunt Bethsaïdæ, fierent in Tyro, ego physicè prædeterminarem Tyrios, & darem eis auxilium prædeterminans quo converterentur, & non aliter nisi in hoc suo decreto, dando eis auxilium prædeterminans. Hoc autem de physica prædeterminatione præter illa manifesta absurda, quæ contra libertatem, & sufficientiam gratiæ continet, habet etiam specialia incommoda in hac materia. Primò quia determinatio Dei & ejus efficax decretum non est nisi circa ea quæ aliquando erunt. Secundò multa ex his conditionalibus, quæ Deus præscivit sunt intrinsecè mala & peccata, sed hæc Deus prædeterminare non potest: ergo non potest præscire in determinatione sva voluntatis: aliàs Deus haberet decretum prædeterminans physicè voluntatem civium Ceilæ ut traderent David Saüli, & prædeterminandi Adamum, ut serpentis suggestioni consentiret, quod tam horrendam blasphemiam præ se fert, ut ipsemet Calvinus, qui hujus solutionis est primus assertor & author, horreat & vereatur id affirmare: nam in lib. 3. Instit. cap. 23. §. 7. postquam asseruit Deum hoc præsciviſse in decreto suæ voluntatis, subdit, decretum quidem horribile fateor; inficiari tamen nemo potest quin præscierit Deus, quem exitum esset habiturus homo antequam ipsum conderet, & ideo præsciverat, quia decreto suo ità ordinaverat, quæ verba refert Cardin. Bellarm. lib. 2. de statu peccati cap. 3. & paulò post. Item tertia illa interpretatio apertè contradicit Evangelio ipsi. Cùm enim Christus Dominus exprobravit Bethsaïdæ, quòd si signa quæ facta sunt apud illos, fierent apud Tyrios, Tyrij converterentur, certè voluit significare aliquid speciale ex parte Tyriorum, quod non erat ex parte Bethsaidæ; nihil autem speciale esset, si præscientia illo prædicto modo explicaretur, nimirum si ea signa fierent in Tyro, & ego physicè prædeterminarem Tyrum, Tyrus converteretur, quia hoc erat commune omnibus gentibus mundi: nam si illa signa facta fuissent Bethsaidæ, & Deus physicè prædeterminaret illam, & illa infallibiliter converteretur; unde nulla esset ratio exprobrandi homines Bethsaidæ; facilè enim responderent. Si etiam apud nos facta fuissent hæc signa converteremur, tamen nobis non est datum auxilium physicè prædeterminans.

Post ista formalia verba, quibus hos tres modos refutarunt, continuo subjungunt hi Authores. Quare cum constet Deum hæc futura cognoscere, & nullus ex his modis cognoscendi, possit citra fidei periculum sustineri, non videtur alius & infinitæ Dei perfectioni & principiis Theologiæ magis accomodatus, quàm quòd hæc futura conditionalia cognoscantur à Deo primariò in se ipso propter eminentiam suæ sapientiæ infinitæ; secundò autem in veritate, quam ipsæ res secundum se habent; ex acumine enim, & summa perfectione sui infiniti intellectus comprehendit Deus omnes actus liberi arbitrij, non solùm eos qui futuri sunt, sed etiam eos qui futuri essent, si tales conditiones ponerentur. Hactenus illi.

Nos ergo omnem illorum discursum breviter comprehendendo, sic in summa pro ipsis formamus argumentum. Deus certò cognoscit futura hæc conditionalia; sed non est alius modus cognoscendi illa, nisi per scientiam mediam: ergo per illam cognoscit ea: necessarium ergo erit constituere in Deo talem scientiam. Majorem probant ex apertis sacræ scripturæ testimoniis modò relatis; minòrem verò à sufficienti divisione, & exclusione illorum trium modorum ut retulimus modo.

CAPUT III.

Eandem mediam scientiam probant adversarij ex Sanctis Patribus.

MULTIS ex Sanctis Patribus attribuunt prædicti authores hanc suam mediam seu conditionatam scientiam, & in primis S. Hieronymo dialogo 3. contra Pelagianos, ubi respondens argumento Marcioni, quod erat in hunc modum: *vel præscivit Deus hominem in Paradiso positum mandatum transgressurum, vel non præscivit? si præscivit Deus, non peccavit homo; quia non potuit divina scientia resistere: si non præscivit, cui aufers præscientiam, aufers & divinitatem.* Cui respondet S. Hieronymus. *Et præscivit Deus, & peccavit homo, quia ità Deus præscivit, ut eum in sua libertate relinqueret.* Hoc idem argumentum, & solutionem tractat Tertullianus etiam contra Marcionem. Ex hoc tale conficiunt argumentum Recentiores. S. Hieronymus, & Tertullianus loquuntur de præscientia peccati, quæ antecedit voluntatem creandi & Decretum divinæ voluntatis, ut ex sua propria ratione explicata supra satis constat. Ergo &c. Antecedens autem patet, tum ex casupposito & ex materia de qua contra Marcionem tractabatur; tum etiam quia Tertullianus illam præscientiam annumerat simul cum Dei bonitate & potentia, & dicit ab his tribus procedere divinam providentiam, permissionem, & creationem: ergo illa præscientia antecedit Decretum creandi & omnem actum liberum divinæ voluntatis; sic enim sequeretur ipsam libertatem divinæ voluntatis, non posse annumerari cum Dei bonitate & potentia necessaria, nec ab illa procederet actus liberè creandi, providendi, & permittendi, ut notum est.

Idem omninò argumentum sumunt ex Gregorio Nysseno oratione magna Cathe. cap. 7. ubi negat sequi Deum esse authorem mali, propterea quod hominem creare voluerit, quem præsciebat peccaturum: Justino etiam q. 78. Irenæo lib. 4. contra hæreses cap. 75. ad finem. Gregorio Nazianzeno oratione 42. ubi sic dicit, mandatum accepimus ut eo servato gloriam assequeremur, non quod Deus id quod futurum erat, ignoraret, sed quod arbitrij libertatem lege sanciret. Ubi antequam daret Deus mandatum, affirmatur ipsum habuisse præscientiam futuræ transgressionis. Idem dicit Damascenus dialogo contra Manichæos fol. 475. Eodem modo loquitur

Digitized by Google

Theodoretus q. 37. in Geneſim, & Iſidorus lib. 1. de ſummo bono cap. 13. Idem dicit Euſebius 6. de præparat Evang. Eandem præſcientiam tribuunt S. P. Auguſtino lib. de nup. & concup. cap. 16. & lib. 5. contra Julian. cap. 8. Et 1. contra Creſconium cap. 8. & lib. 21. contra Fauſtum cap. 14. 16. & 21. & lib. primo de origine animæ cap. 21. in quibus locis apertè docet quod Deus creat homines eiſque præcepta dat, licet antea præſciat ipſos eſſe lapſuros. Chryſoſtomo etiam homil. de Adam, & Eva tom. primo de Crucifixoribus Chriſti homil. de anathem. tom. 5. ubi dicit: Eos prius formavit vincente præſcientiam bonitate. Ex quibus verbis idem omnino colligunt argumentum, quod videlicet loquatur Chryſoſtomus de ſcientia conditionata, quia ſcientiam abſolutam futurorum non vincit bonitas, ſed potiùs eſt quædam origo illius. Cyrillus etiam admittens lib. 9. in Joan. cap. 10. præſcientiam, qua Deus ſcivit homines ſi onderentur, lapſuros, ait non debuiſſe Deum has rationales creaturas non condere, quæ peccaturæ erant, cum peccatum non Deo, ſed ab earum libertate eſſet profecturum. Idem dicit Damaſcenus *Dialogo contra Manichæos ante medium ipſius.* Eandem doctrinam, & rationem tradit S. Ambroſius lib. 6. de Paradiſo cap. 10. & S. Thomas eandem tractat quæſtionem & reſponſionem opuſc. de præſcientia, quod in fine primæ partis apponitur. Ex omnibus memoratis Sanctis docentibus Deum antequam determinaſſet creare, præſciviſſe homines lapſuros, dedu cunt hi authores illos ſi am mediam ſivè conditionatam ſcientiam docere, quia ut dicunt cum illa præſcientia antevertat volitionem creandi, & ſit de futuro eventu libero, nequit eſſe ſcientia omnibus modis neceſſaria, nec etiam poteſt eſſe ſcientia viſionis: ergo eſt illa ſcientia conditionata ſive media.

Idem argumentum formatur in opere tripartito citato prolog. 2. cap. 1. ex verbis Ambroſij ad illa verba Apoſtoli, miſerebor cui miſerebor: hoc eſt, inquit Ambroſius, miſericordiam dabo cui præſcivi reverſurum & iterum, hoc eſt dare cui eſt dandum, ut illum vocet quem ſciat obedire: iſtum autem non vocet quem ſciat non obedire. In quibus verbis ſupponit Ambroſius præſcire Deum an homo ſit benè uſurus vocatione priuſquàm velit dare illam, quod non poteſt eſſe niſi per ſcientiam conditionam.

Idem conficit argumentum ex verbis S. P. Auguſtini dicentis conſenſum liberi arbitrij eſſe ex motione Patris cœleſtis ſic trahentis illum qualiter aptum novit. Quæ notitia ait Suarius conditionata eſt, ut conſtat. Et concluditur poſſe pro hac media ſcientia allegari omnes Catholicos Doctores, qui putant neceſſitatem antecedentem factam voluntati, ejus tollere libertatem, inter quos citat Vualden. dicentem: certè ille qui facit concordiam in ſublimibus, non faceret illam concordiam inter neceſſitatem quam Auguſtinus appellat extrinſecam, & Anſelmus præcedentem, & liberum arbitrium. Et eodem modo poteſt referri Roſſenſis art. 32. §. nemo ſanct. & ſequentibus.

Secundum argumentum colligunt ex Sanctis in hunc modum SS. Doctores expreſsè docent Deum præſciviſſe aliquos peccata commiſſuros, ſi viverent, & ideo multos ex ipſis præmaturo tempore rapuiſſe priuſquam peccata committerent, ſed talis præſcientia neceſsè eſt, quod ſit iſta media & conditionata; ergo neceſſario ponenda eſt in Deo talis præſcientia. Majorem probant potiſſimè ex S. P. Auguſtino lib. de dono perſever. cap. 9. *Certè* (inquit) *poterat Deus præſciens illos eſſe lapſuros auferre de vita.* Et poſtea ait. *An eò redituri ſumus, ut adhuc diſputemus quanta abſurditate dicatur, judicari homines mortuos etiam de his peccatis, quæ præſcivit eos Deus perpetraturos fuiſſe ſi viverent.* Ubi expreſsè concedit Deum præſciviſſe, quæ peccata illi eſſent facturi ſi viverent, ſed non judicati propter illa quæ reipſa non erant ipſi facturi. Illa autem peccata præſcivit Deus per ſcientiam mediam non per ſcientiam viſionis, quod paulò poſt confirmat dicens, quæ præſcivit Deus eos habituros, ſi viverent, ubi iterum ſcientiam conditionatam oſtendit, & lib. de gra. & lib. arb. cap. 23. ait. Adæ occulta Dei judicia revocate, quando videritis illum baptizatum in hac vita relinqui quem præſcivit Deus impium futurum, iſtum vero baptizatum eripi ex hac vita ne malitia mutet intellectum ejus. Et lib. de corr. & gra. cap. 8. ait. Reſpondeant cur priuſquam peccarent non rapuit illos Deus, an quia non potuit? vel quia eorum malitiam non præſcivit? Nihil horum niſi perverſiſſimè ac impiiſſimè dicatur. Et lib. primo de peccat. merit. & remiſſ. cap. 21. & Epiſt. 105. ad finem docet Deum præſciviſſe peccata, quæ aliqui committerent, ſi viverent aſſeritque non poſſe cognoſci per ſcientiam aliquam abſolutam, cum illa non ſint futura; ergo docet quod cognoſcuntur per ſcientiam conditionatam, ſicut illa ſunt futura ſub conditione; ergo per ſcientiam mediam, & juxta hanc ſcientiam exponit illud Sap. 4. Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus. Eodem modo procedit Gregorius Niſſenus oratione de infantibus qui præmaturè rapiuntur. Et Cyrillus lib. 3. contra Julianum poſtmedium approbat, quod Deus ſciens, futurum ſæpe numero prævenit hos quidem adhuc adoleſcentes prius vita eripiens, illos verò relinquens.

Tertio ſic argumentantur: Loquentes Sancti de providentia divina in genere ſæpè dicunt hanc ſcientiam eſſe Deo neceſſariam, ut patet ex S. P. Auguſtino libro contra Adimantum cap. 19. agente de facto Saül, & David. Similiter Gregorius Nyſſenus lib. 8. Philoſophiæ cap. 8. Anaſtaſius Nyſſenus lib. quæſtion. q. 17. Gregorius Magnus 6. Moral. cap. 12. illis verbis. Qui comprehendit Sapientes in aſtutia eorum. Irenæus lib. 5. cap. 28. Origines lib. 3. periarch. cap. 4. & 7. & latius lib. 5. in Epiſt. Ad Rom. circa illa verba, non eſt volentis, nec currentis. S. Proſper de vocat. gent. cap. 4. aliàs 13. ad finem ubi agens de Caïn, & Abel ſic ait. *Et utique præſciebat Deus ad quem finem inſanientis eſſet progreſſura conceptio, nec ex hoc quod falli ſcientia divina non poterat, neceſſitate peccandi urgebatur facinus voluntatis, à cujus utique intentione atque affectu potuit incolumitas Abel illæſa defendi, niſi placuiſſet Deo cum magna laude patientiæ ſuæ ut temporalis furor impij fieret perpetuus honor Juſti*: Iſta verba pro media ſcientia valdè exaggerat author opuſculorum cap. 2. libro de ſcientia futur. conting. dicens, quod ex illis verbis conſtat eum loqui de hac ſcientia conditionata. Et in opere tripartito, cujus jam mentionem fecimus prolegom 2. cap. 1. dicit hanc præſcientiam, quæ præſupponitur ad prædeſtinationem non poſſe eſſe niſi hanc conditionatam: nam abſoluta, ut inquit, vel eſt poſt prædeſtinationem: vel eſt ipſa prædeſtinatio: & pro illa citat Ægidium, & Arboreum.

Prætereà quartò ſic opponunt: Sancti Patres potiſſimè utuntur hac ſcientia tractando de prædeſtinatione, & reprobatione, de vocatione efficaci, & ſufficienti; ergo admittenda eſt hæc ſcientia. Antecedens manifeſtatur præcipuè in S. Auguſtino lib. de præd. Sanct. cap. 12. & 13. & lib. 10. de Geneſ. ad literam cap. 16. & lib. 1. q. ad Simplician. q. 2. Epiſt. 105. & 106. quibus locis potiſſimè illa q. 2. ad Simplic. ait. *Si vellet* (videlicet Deus) *etiam ipſorum miſereri poſſet & ita vocare, quomodò illis aptum*

Digitized by Google

aptum esset, ut moverentur & intelligerent, & sequerentur. Et paulò inferiùs. *Cujus autem miseretur, sic eum vocat quomodò scit congruere ut vocantem non respuat.* Quibus verbis hanc mediam scientiam conditionatam apponit qua Deus scit quid congruat libero arbitrio hominis, ut vocantem sequatur. Sed clariùs Chrisostomus homil. 31. in Matth. ubi loquens de Paulo & Magdalena dicit ambos fuisse à Deo vocatos quando, & quomodò scivit non reluctaturos, sic enim ait. *Nam qui omnia scrutatur, & occulta mentium, is etiam quando unusquisque ad obediendum paratus erat, non ignoravit.* Item homil. 65. in Matth. de Paulo ait, prius non fuisse vocatum à Deo, quia Deus præscivit ipsum repugnaturum vocationi: postea vero fuisse vocatum, quia præscivit Deus vocationem fuisse penetraturam ejus animam. Quæ omnia de præscientia absoluta nequeunt intelligi: ergo de præscientia conditionata procedunt, etenim absoluta decretum Dei & ejus vocationem consequitur non autem eam antecedit.

Postremò in favorem hujus scientiæ mediæ & conditionatæ sic opponunt ejus defensores. Sancti Patres hac scientia conditionata utuntur tractantes quæstiones de adventu Christi, quia sæpe dicunt tunc venisse Christum, & tunc voluisse venire quando præscivit homines sibi & Evangelio suo fuisse credituros. Ità S. Augustin. Epistol. 49. de sex quæstionibus Paganorum q. 2. circa finem, & lib. de præd. Sanct. cap. 9. dicit nihil esse verius, quàm præsciviisse Christum, qui, & quando, & quibus locis essent in illum credituri. Addit causam idem Sanctus Doctor lib. primo contra Cresconium cap. 9. etiam Christum interdum prædicasse his quos noverat esse repugnaturos, quæ omnia de præscientia conditionata manifestè intelliguntur.

In particulari verò hanc mediam scientiam potissimè in S. P. Augustino fundari laborant primò in lib. de correp. & gra. cap. 8. ubi probans donum perseverantiæ esse gratuitum Dei donum, & aliquibus justis negari sic ait. *Respondeant si possunt cur illos Deus cùm fideliter & piè viverent, non tunc de vita hujus periculis rapuit ne malitia mutaret intellectum eorum & ne fictio deciperet animos eorum; utrum hoc in potestate non habuit an eorum mala futura nescivit? nempè nihil horum, nisi perversissimè, & insanissimè dicitur.* Illis enim verbis: *an eorum mala futura nescivit*, evidenter de scientia conditionata loquitur, ut est manifestum, quam nisi perversissimè & insanissimè dicit in Deo negari non posse.

Secundum testimonium ad idem inducunt ex eodem Doctore Sancto Epist. 49. q. 2. ubi ex hac præscientia conditionata rationem reddens, quarè tali tempore incarnatio facta sit: dicit *tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicare Doctrinam suam: quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.* Ubi scientiam habuisse Deum de his qui in eum fuerant credituri, si eis Evangelium prædicaretur, apertissimè docet, quæ est illa conditionata præscientia; Nec ut quidam prætendunt, hanc retractavit sententiam lib. de præd. Sanctorum quin potius illam confirmavit, cum ibi dixit; quid enim est verius, quàm præsciviisse Christum, qui & quando, & in quibus locis in eum fuerant credituri.

Tertio id ex eodem Sancto Patre ita confirmant inducendo illius verba ex lib. de dono perseverantiæ cap. 9. in explicatione illorum verborum Matth. 11. Si in Tyro, & Sidone: ex quibus apertè scientiam conditionatam admittit in Deo, quæ à nobis in responsione hujus objectionis ex integro referentur. Modò sufficiant illa, quibus loquens de multis qui cum uno tempore justi sunt, postea damnantur. Sic ait: *ut ergo id non dicam certè poterat illos Deus præsciens esse lapsuros, antequam id fieret auferre de hac vita*: Ubi particula, præsciens, de conditionata scientia sine dubio est intelligenda, sensus enim est satis notus, præsciens esse lapsuros si viverent, poterat antequàm id fieret, auferre de hac vita: quia de præscientia absoluta impossibile est quod intelligantur: quia si jam absolutè prævisi sunt vivere, & peccare: quomodo poterant hoc supposito auferri de vita nè peccarent? undè eandem conditionatam præscientiam ibi iterum supponens subjungit, *quanta absurditate dicatur judicari homines mortuos etiam de his peccatis, quæ præscivit eos Deus perpetraturos esse, si viverent.* Nec solùm hanc conditionatam præscientiam supponit, sed apertissimis verbis statuit; cum dicit *sed numquid possumus dicere Tyrios, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse si fierent? cùm eis ipse Dominus attestetur, quod acturi essent magna humilitatis pœnitentiam si eis facta essent divinarum signa virtutum*, ecce manifestissimè tradit in Deo certam præscientiam futurorum sub conditione, quæ numquam futura fuerunt; apertissimè ergo in Deo constituit illam præscientiam conditionatam qua talia futura sub conditione cognoscuntur.

Quarto idem ex eodem Doctore Sancto ità corroborant inducendo ipsius verba ex lib. de gratia & lib. arb. cap. 23. ubi inter Mysteria divinæ prædestinationis ponit. *Illum baptizatum parvulum in hac vita relinqui quem præscivit Deus impium futurum: Istum verò baptizatum rapi ex hac vita ne malitia mutet intellectum ejus.* Ubi loquitur non de præscientia generali omnium periculi, sed periculi particulari hujus: seu de certa præscientia malitiæ futuræ ut verba sonant.

Ultimò opponunt omnia loca ex S. P. Augustino in quibus tradit vocationem efficacem congruam factam per hanc conditionatam præscientiam, qua Deus prævidit, quæ inspiratio, seu vocatio tali voluntati ità sit congrua & apta, ut ab ea sit infallibiliter acceptanda. Quæ doctrina habetur à S. Doctore tradita q. 2. ad Simplic. de prædestinatione S. cap. 16. de dono perseverantiæ cap. 8. & 14. de spir. & litera cap. 34. & Epist. 107. ante medium.

Deinde pro eadem conditionata præscientia inducunt S. Prosperum, ad excerpta Genuens. respons. 8. ubi sic ait, *de Tyriis, & Sidoniis, quid aliud possumus dicere, quàm non esse eis datum ut crederent, quos etiam credituros fuisse ipsa veritas dicit, si talia qualia apud non credentes facta sunt virtutum signa, vidissent*, & subdit, *Nos autem etiam si rationem facti & profunditatem judicij ejus penetrare non possimus manifestissimè tamen scimus, & verum esse quod dixit, & justum esse quod fecit.*

Tandem potest ad eandem conditionatam præscientiam suadendam induci Anselmus cum Remigio, & Abulensi ad illud Matth. 11. si in Tyro, & Sidone, &c. quod exponentes, hanc conditionatam scientiam in Deo præsupponunt. Similiter & Beda actu 16. reddens rationem, cur Paulus & socij prohibiti sunt prædicare verbum Dei in Asia, ait *quia sciebat contempturos verbum Dei.* Parique ratione inducunt Nemesium libro de natura hominis cap. 44. §. Euripides in fine: cujus verba sunt. *Cum enim Deus non nesciat bono viro expedire pauperem esse ejusque sensum opes si dentur depravaturas, utiliter eum in paupertate finit vivere: at qui opulentus est, sæpe importuniorem fore videns, si egeat (ad latrocinandum enim aut alia quædam gravia facinora animum adjungeret) potiri illum opibus permittit.* Quibus satis clarè in Deo admittit conditionatam

Digitized by Google

natam præscientiam de futuro sub conditione à Deo certò cognito.

Omnia prædicta confirmant dicentes videri communem sensum & conceptum hominum, sentire de Deo & de seipsis quod Nemesius præmisit, quia enim fideles ignorant an divitiæ vel dignitas illis futura sit occasio peccandi, ad Deum orant ut si ea de causa peccaturi sunt, talem statum vel conditionem ab eis avertat: pro certo supponentes non ignorare Deum, quid ipsi acturi sint si in tali munere vel statu constituantur.

CAPUT IV.

Ex Scholasticis probant scientiam mediam adversarij.

CONANTUR etiam hanc mediam scientiam antiquioribus Scholasticis adscribere Alensi, S. Bonaventuræ, Durando, Gregorio, Gabrieli, Marsilio, & Scoto. Ex Alensi, & S. Bonaventura sic inprimis illã colligunt; quia isti Doctores nihil aliud requirunt ut Deus cognoscat futura contingentia, nisi solùm divinas ideas: ergo infinita representatio idearum secundum illos sufficeret ad ista futura conditionata cognoscenda. Ex Durando verò sic illam inferunt, quia ipse dicit cognosci à Deo futura contingentia absoluta in comprehensione causarum secundarum cum omnibus suis circumstantiis: ergo sive causa extitura sit sive non, comprehendetur à Deo: ergo in tali comprehensione cognoscet Deus quid talis causa factura esset si in tali rerum ordine collocaretur. Ex Gregorio autem, Gabriele, Ocham, & Marsilio, quia universaliter dicunt Deum efficacitate sui intellectus cognoscere futura ex eo quod ex omnibus propositionibus de futuro, altera est determinatè vera; eadem autem ratio est de futuris conditionatis, quod videlicet altera illarum sit determinatè vera. Cum enim isti negent Deum cognoscere futura libera in propositio efficaci suæ divinæ voluntatis & potissimè Gregor. qui contra Scotũ in 2. dist. 12. art. 2. dicit tolli libertatem si futura libera cognoscantur in determinatione efficaci divinæ voluntatis: omnes isti ex consequenti admittunt scientiam hanc conditionatam, seu mediam. Scoto vero hanc attribuunt scientiam, ex eo quod ipse tenet futura cognosci à Deo in se ipsis: ergo idem sentire ipsum necesse est de his futuris. Adducitur etiam pro hac media scientia Magnus Albertus in summa tract. 6. q. 61. membr. 5. & 6. & q. 63. art. 2. Egid. in primo disti. 40. q. 2. art. 2. alias q. 5. Thom. de Argentina ibi art. 3. ad 6. contra primam conclusionem. Dried. de concord. 1. p. cap. 4. ad tertium argumentum, & de captivitate tract. 4. cap. 2. §. 8. membro 2. & 3. & tract. 5. cap. 2. §. 1. ad finem tertiæ conclusionis. Ricard. art. 7. Vuald. lib. 1. doctrin. cap. 23. Petrus Aurel. in Lutheranorum impugnatione digress. 2. fol. 77. Delphinus lib. 2. de rerum eventu fol. 86. Stapleton. super illud Matth. 11. si in Tyro &c. pag. 71. & super Epist. ad Rom. cap. 12. pag. 777. Ubi expressè hanc scientiam approbat, & mediam appellat inter naturalem & liberam. Idem supponit Magister soto lib. 3. summul. cap. 8. dicens hujusmodi conditionalia habere veritatem distinctam à veritate illationis. Imò dicunt recentiores, quòd ferè omnes Theologi totius Christianitatis hanc sicut necessariam admittunt, nec posse sine magno periculo negari, affirmant.

Undè ille Author opuscul. lib. 2. de scient. futur. conting. cap. 3. num. 4. ait quòd omnes Theologi quos ipse in Italia & Hispania consuluit, hanc mediam scientiam approbant: & hujus scientiæ defensores idipsum confirmant ex thesibus in multis universitatibus defensatis, in tantum ut Magister Zumel. (ut ajunt) qui in prima parte in prima editione hanc scientiam negavit, posteà in secunda editione se retractando illam admisit; videns non posse citra fidei periculum negari. Imò Semipelagiani (ajunt) hanc defenderunt scientiam mediam, nec in hoc errarunt, sed quia illa abutebantur.

Adducunt etiam S. Thomam in aliquibus locis pro hac media scientia, quæ tamen commodiùs apponentur infra, cum ex professo mentem S. Doctoris circa hoc expendemus. Asserunt deinde, Authores à 40. annis & infrà pari consensu hanc mediam scientiam admisisse, & quidem ex suis allegant Card. Toletum super Lucam cap. 10. annot. 18. Card. Bellarm. lib. 2. de amiss. gratiæ cap. 17. & lib. 1. de grat. & lib arbit. cap. 12. & 13. ac lib 4. cap. 15. Fonsecam lib. 2. Methap. cap. 11. q. 4. sect. 8. Molin. in Concord. disp. 17. ad art. 13. Valent. 1. q. 14. art. 13. punct. 1. & Valquez eadem 1. par. disp. 67. Lessiũ opusculo de auxilis cap. 19. Benedictum Pereyrium lib. 16. in Genesim. cap. 11. disput. 7. Maldonat. Matth. 11. Barrad. ad eundem locum tom. 3. lib. 2. cap. 11. Albertinum, Joann. Lorinum Act. 16. ad ver. 6. Allegant etiam ex aliis Episcopum Algarb. tract. de auxilis disput. 2. p. 3. num. 23. & disput. 3. p. 4. Alexand. Pesantium 1. p. q. 14. art. 13. disp. 3. & ultmò P. Lorcam. tom. 1. disput. 4. §. in secũdo puncto 4. n. 12. Alfonsum Curiel. lib. controv. ad illum locum Sap. 4. raptus est. Alfons. Mendozam quolib. 7. Cordub. lib. 1. suarum quæst. q. 55. dub. primo & 10. Francis. Zumel jam supracitatum.

CAPUT V.

Rationibus eandem scientiam persuadent.

NON desunt etiam apparentes quædam rationes quibus hujus scientiæ fautores illam suadere procurant, quarum prima est: inter futurum absolutũ & possibiliter futurum datur medium, videlicet futurum sub conditione, si talis conditio apponeretur: ergo datur media scientia inter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis ad illud cognoscendum: ergo ad id erit hæc media scientia necessaria. Ultima consequentia patet, & prima probatur: quia sicut possibiliter futurum cognoscitur per scientiam simplicis intelligentiæ, & futurum absolutum per scientiam visionis; Ità illud futurum sub conditione, mediũ inter utrumque, cognosci debet per scientiam mediam inter utramque. Antecedens autem probatur ex communi modo loquendi, quo homines affirmant se aliquid facturos fore, si aliqua conditio apponeretur; ergo illud futurum aliquid addit supra possibile; non tamen est futurum absolute: est ergo tertium genus entis medium inter utrumque.

Secunda est, sicut se habet res aliqua ad fore vel non fore absolutè; ità se habet ad fore & non fore sub conditione: ergo sicut in futuris absolutis altera pars est determinatè vera & ex consequenti à Deo certò cognoscitur per scientiam visionis; ita in futuris conditionatis altera pars est determinatè vera & ex consequenti certò à Deo cognoscitur, sed non cognoscitur per scientiam visionis nec per scientiam simplicis intelligentiæ, ut probatum manet, ergo cognoscitur per mediam aliam scientiam. Explicatur totus ferè discursus exemplis tum in futuris absolutis tum etiam in conditionatis v. g. si dicamus. Petrus leget cras hora prima Petrus non leget cras hora prima, altera pars determinate est vera, & certo à Deo cognoscitur. Similiter in futuris sub conditione, ut si dicamus si Petrus vocatus fuerit tali vocatione consentiet; si Petrus vocatus fuerit tali vocatione non consentiet: altera illarum debet esse determinate vera & ex consequenti à Deo certo cognita per prædictam scientiam mediam & conditionatam.

Tertia est, Deus infinitate suæ cognitionis infinito excessu comprehendit liberum hominis arbitrium; ergo ante omnem determinationem suæ voluntatis penetrat, quid liberum arbitrium creaturæ facturum est, si in tali occasione poneretur. Patet consequen-

Digitized by Google

tia, quia si id non cognosceret, vix ipsum creatum arbitrium comprehenderet.

Quarta est nisi Deus certò cognoscat aliqua futura conditionalia quæ numquam futura sunt, non possumus defendere sicut veram, aliquam illarum opinionum, quas docet S. Thomas ex suppositione alicujus conditionis; consequens omninò falsum est: ergo admittenda venit hujusmodi scientia media in Deo. Major patet, quia S. Thomas docet, quòd si Adam non peccasset, verbum non fuisset incarnatum, quod tamen est futurum conditionatum, & licet numquam fuerit in rerum natura, tamen nos cum S. Thoma determinatè ut verum defendimus tale futurum conditionatum. Sequela patet, quia nullus potest ut determinatè verum defendere, quod affirmat à Deo, ut certum non cognosci. Quod si tale conditionatum futurum cognoscitur à Deo, per illam mediam scientiam debet cognosci: ergo illa datur in Deo.

Quinta est, unanimis & quasi naturalis omnium hominum est conceptio, qui interrogantibus de hujusmodi conditionalibus, v. g. An Petrus Religiosus, si mansisset in sæculo peccasset, nec ne? An si Paulus perveniret in Hispaniam, Deo serviret, incunctanter cuncti respondent, Deus scit, supponentes quasi rationis lumine & fidei principiis hoc ad infinitam Dei perfectionem spectare, ut nihil prorsus sit, vel esse possit, quod summam ejus lateat sapientiam; hæc autem omnia non possunt certò à Deo cognosci, nisi per scientiam mediam. Confirmatur quia viri sancti & docti, à Domino postulant, ut Deus det hoc vel illud ipsis, si ipsis tamen convenit: ergo supponunt Deum scire, quòd si ista hominibus dentur illis proderunt vel non.

Sexta est, hæc media scientia necessaria est ad Dei providentiam, prædestinationem, vocationem, certam & infallibilem constituendam: ergo est necessaria in Deo. Antecedens probatur, quia nullus potest prudenter statuere de fine nisi habeat præcognita media sibi possibilia ad consecutionem talis finis: ergo pari ratione nullus poterit habere propositum certum & infallibile de consecutione finis, nisi præhabeat seu præcognoscat certa & infallibilia media, quibus illum certò consequi valeat: ergo nisi Deus præcognoscat quibus mediis seu quibus rebus & conditionibus positis, humanum arbitrium hoc vel illud operabitur, non poterit habere certum propositum vel de fine, vel de hominis operatione, qua finis talis debet obtineri: ergo necessaria est in Deo hæc media scientia, qua certo cognoscat, quid liberum arbitrium si in tali vel tali ordine collocetur, acturum sit. Nam alias opporteret unum è duobus evenire; vel quòd decretum & propositum Dei & sua providentia multoties fallatur, vel quòd si infallibilis debet permanere, necessitatem infert voluntati, ejus libertatem tollendo. Explicatur discursus in prudentia humana. Constat enim quòd si cupio alteri persuadere aliquid; ut prudenter id faciam, multùm confert prænosse in quo tempore vel opportunitate soleat ille meliùs esse dispositus, & quibus rebus magis afficiatur: quod si omninò præscirem, quid esset facturus tali vel tali modo exhortatus, talis cognitio utilissima esset ad statuendum quid agere opporteat. Cùm ergo Deus habeat perfectissimam providentiam & sit potentissimus, necesse est ipsum habere omnia, quæ ad perfectissimam providentiam conducunt: ergo necesse est præsciri, quibus magis alliciatur liberum arbitrium creatum, & quibus infallibiliter consentiet. Necessaria ergo in Deo erit ista scientia media sic præcognoscens.

Ultimò, quia nisi statuatur hæc scientia media periculosè procedimus in concilianda rerum contingentia, & libertate creata cum Dei certa prædestinatione & vocatione, hac autem stabilita media scientia facilis est concordia ut notissimum est; ergo ista media scientia admitti debet in Deo ad istam facilem concordiam assignandam & prædicandam.

Propter hæc argumenta ità firmiter adhærent Recentiores huic mediæ scientiæ, ut illam sicut unicum Doctrinæ suæ fundamentum venerentur, ad ipsamque sicut ad sacellum refugiant in omnibus; per ipsamque omnium Conciliorum ac Sanctorum Patrum testimonia in materia de prædestinatione & gratia sibi accomodent, & hac media scientia utuntur ad quodlibet expressèque fatentur id quod, evidentissimum est, quòd videlicet nisi illa scientia admittatur, constituendæ sunt in Deo prædefinitiones divinæ, & humanæ voluntatis prædeterminationes physicæ, quas ipsi ut è medio tollerent hanc mediam scientiam introduxerunt, sicut hujusmodi divinis prædefinitionibus inimicam; sic dicit author concordiæ disp. 53. membr. 4. *addito*, in impressione Antverpiæ.

Igitur, ut in summa, quid sit hæc media scientia concludam; Volunt ij Authores Deum ante absolutum Decretum seu propositum voluntatis suæ vel volentis bonum, vel permittentis malum, certò cognoscere quid creatum arbitrium acturum sit, si in tali vel tali rerum ordine collocetur cum concursu ex parte Dei indifferenti ad naturalia opera; vel cum tali vel tali supernaturali excitatione ad opera supernaturalia, ut ex dictis sit manifestum.

Verùm & hîc advertendum, quemdam ex Sancti Thomæ Discipulis in comment. ad primam par super q. 19. disput. 58. sect. 2. & 3. hanc mediam scientiam reipsa tradere, licet aliis in locis eam neget: asserit enim cognoscere Deum per scientiam simplicis intelligentiæ, quòd vocatus homo, vel si vocetur congrua & contemperata vocatione: ille infallibiliter consentiet, & converteretur ex efficacia nimirum illius contemperatæ & congruæ vocationis. Quomodolibet enim talem certam Dei cognitionem vocet, vel nomine simplicis intelligentiæ, vel quolibet alio, essentiale objectum mediæ scientiæ illi adscribit; & reipsa (nam de vocibus quæstio non est, cum de re constat) scientiam mediam admittit.

Etenim essentiale objectum mediæ scientiæ nullum est aliud, nisi quod ante omne liberum divinæ voluntatis decretum efficaciter volentis hominem convertere; certò sciat Deus, quòd homo si vocetur illa congrua & contemperata vocatione infallibiliter convertetur, atque consentiet. Quod cum author prædictus expressè dicat: ipsam mediam scientiam reipsa tradit. Nec excusatur cum dicit se mediam scientiam non admittere quia per illam ponitur Deus certò cognoscere, quòd liberum arbitrium suo consensu efficacem reddit illam congruam vocationem: ipse autem hoc non dicit, sed oppositum potiùs, quòd nempe certò cognoscit Deus illam vocationem congruam ex seipsa efficacem esse ad movendum arbitrium ut consensum eliciat.

Non, inquam, excusatur, quia media illa scientia ideo (ut infrà efficaciùs probabimus) reprobata fuit semper, quia efficaciam negat divinæ liberæ voluntatis & malè illam libertati humanæ adscribit: sed ista ab authore vocata scientia simplex intelligentia, eandem efficaciam divinæ liberæ voluntati pariter negat, illamque tribuit sicut causæ principali creaturæ, nempe illi vocationi congruæ. Unde in neganda efficacia divinæ voluntatis, & illa assignanda creaturæ: quamcumque, vel quamlibet eam ipse statuat scientiam, revera scientiæ mediæ adhæret; quia ponit ante omne decretũ divinæ volũtatis volẽtis efficaciter hominẽ cõvertere, quod ex efficacia congruę vocationis cõvertetur

quæ

quæ proindè vocatio, efficaciæ divinæ voluntatis ut ejus instrumentum non subditur: sed ex se ipsa sicut à causa principali illam efficaciam habebit. Hoc autem & impossibile penitus est: & contra sententiam S. P. Augustini & Thomæ procedit, qui hujusmodi efficaciam supra humanam libertatem soli divinæ tribuunt voluntati sicut causæ principali. Unum breviter testimonium S. Thomæ inducam, (quia ex infrà dicendis id erit manifestum) ex primo contra gent. cap. 66. ubi sic habet: *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exterioris agentis: sed non excludit influentiam superiori causæ à qua est esse & operari.* Ubi tria pariter docet, primum quòd humana libertas excludit esse ad unum determinatam. Secundum quòd excludit violentiam exterioris agentis. Tertium quòd influentiam Dei non excludit, à quo solo efficaciter potest moveri, quia sicut ei dat esse, ità ei tribuit velle & operari. Dixit autem in illo secundo, quod excludit violentiam exterioris agentis: quia pro certo supponit nullum agens posse violentiam inferre voluntati. Solius ergo Dei influxum humana libertas non excludit: cujuscumque autem alterius agentis ut causæ principalis, penitus excludit humana libertas, quia nullum creatum agens influere potest efficaciter ut causa principalis in humanam libertatem. Cum ergo illa congrua vel contemperata vocatio ponatur à Deo certò cognosci per scientiam simplicis intelligentiæ ante omne divinæ voluntatis Decretum, quo Deus vellet efficaciter hominem convertere, ponitur sine dubio non subordinata in sua efficacia divinæ voluntati: nec ponitur ut ejus instrumentum in cujus virtute operetur: ac proindè ponitur ut causa principalis talis efficaciæ: & quod sic ut causa principalis illius efficaciæ à Deo cognoscatur. Quod à simili in consensu prævio per scientiam mediam fit manifestum. Quia enim antè decretum divinæ voluntatis prævidetur ille consensus futurus voluntatis humanæ redditurus efficacem congruam vocationem, ideò talis consensus non ut instrumentum divinæ voluntatis, aut in virtute ejus efficaciam illam habet: sed à solo homine sicut à causa prima, & principali. Similiter ergo quia illa objectiva seu congrua vocatio præscitur efficax ante omne decretum divinæ voluntatis, à quo ut instrumentum efficaciam participet: oportet quòd à se ipsa quæ creatura est, ponatur efficaciam habere sicut à causa principali; Quod creaturæ, ut dictum est repugnat. Imò dato per impossibile, quòd talis congrua vocatio ex se illam efficaciam haberet, violenter & sine libertate raperet voluntatem. Undè libertatem penitus tolleret, quod est aliud gravissimum inconveniens. Solus enim Deus ut causa principalis habet dominium supra humanas voluntates, ut efficaciter & salva earum libertate eas quocumque volverit convertat: ut S. Thomas habet ubi supra, & S. P. Augustinus ex divinis literis ubique contra Pelagianos ostendit.

CAPUT VI.

Hanc mediam scientiam, Pelagianorum fuisse damnatum fundamentum ostenditur ex S. Hilario, & Prospero.

NULLA alia efficaciori via hæc media scientia destruitur & expugnatur quàm si apertè ostendamus illam olim fuisse Semipelagianorum damnatum fundamentum ad suos errores tuendos & defendendos. Quia verò, ut suprà retulimus hac media scientia sub nomine præscientiæ fuisse usos Pelagianos, & ipsi Authores, qui modo illam introducunt, apertè fatentur, id amplius probare non oporteret. Cæterum quia aliquando publicè negarunt id scripsisse vel affirmasse, omnium primò id relatis ipsorum verbis convincam. Secundò licet ab eis non diceretur, id ex Sancto Prospero, Hilario, & S. P. Augustino apertè monstrabo. Tertiò denique quod in eodem sensu, & in ordine ad eundem finem hac media scientia utantur recentiores, ad quem olim eam ordinabant Semipelagiani, erit aperiendum.

Prius tamen aperiam hac etiam scientia media sub nomine præscientiæ usos fuisse Arrianos ad suum defendendum errorem. Hujus rei locupletissimus testis est Alexander Alexandriæ Ecclesiæ Episcopus in Epistola ad alterum Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum, ut patet ex Epist. 1. quæ habetur ante Concil. Nicænum ubi sic dicit. *Est enim in nostra quoque situm potestate, (ut istæ Ecclesiæ pestes prædicant,) filios Dei fieri, non aliter atquè ille factus est; scriptum namque est filios genui, & exaltavi. At cum illis objicitur sententia, quæ deinceps sequitur: & ipsi spreverunt me (quod planè naturæ Salvatoris, qui est natura immutabilis, repugnat) tunc omni exuta erga Deum pietatè ac reverentia, ajunt Deum cum præscientia & præsentione prænovisset, neutiquam ipsum aspernaturum idcircò ex omnibus elegisse.* Idem refert de Arrianis Theodoretus lib. 1. Eccles. historiæ cap. 4. his verbis. *Conceditur ergò, inquiunt furiæ istæ & nobis, filios Dei fieri perinde atque ille. Scriptum est enim filios progenui, & amplitudine extuli. Cum autem opponitur eis, quod mox dicitur ipsi vero me reprobaverunt, quod certè naturale non est Salvatoris naturæ immutabilis: tum vero omni deserta pietate respondent: Cum præscientia sua & previsione cognovisset de ipso Deus non exprobaturum se: ideo ex omnibus unum elegisse.* Ubi manifestè Arriani de præscientia illa conditionata, quæ est ante electionem Dei, sermonem faciunt. Igitur sicut fundamento hac media scientia seu præscientia conditionata etiam utebantur Arriani ad suam insanam hæresim defendendam; non invenientes quo horrendam illam suam hæresim, qua dicebant verbum esse primam omnium creaturarum, meliùs tuerentur, quam per mediam illam præscientiam, dicentes, quod ideo illam sic præstantissimam elegit, quia præscivit, quod si illam crearet, illa erat Deo obtemperatura. Imò alium simul Arriani, Pelagianorum conjungebant errorem, in nostra videlicet situm esse potestate filios Dei fieri, & non quomodolibet, sed sicut Salvator filius Dei fuit. Id enim in nostra esse potestate, eodem sensu ac Pelagiani dicebant: nimirum id ita in nostra potestate situm esse, ut ad id non indigeremus gratia divina in nobis efficiente verè ut filij Dei simus. De quo Arrianorum & Pelagianorum errore infra diffusior nobis erit sermo.

Prædictum verò testimonium, si aliqui contendant de absoluta præscientia posse intelligi, in suo sensu abundent, nobis enim de conditionata procedere videtur. Si enim de absoluta præcedat doctrina Pelagij est, si vero de conditionata Semipelagianorum. Idem refert de Achilla, & aliis Arrianis Prateolus lib. de vitis & sectis hæreticorum, verbo Achillas. Author operis illius tripartiti prologom. 2. de scientia conditionata cap. 4. dicit illos hæreticos Arrianos locutos fuisse de absoluta præscientia, sed & quod isti fuerint locuti de conditionata nihil retulerit, quia illa male utebantur.

Circa primum, scriptis confessos fuisse authores cum quibus agimus, dum Romæ gravissima ista controversia agitaretur, Semipelagianos hac media scientia usos fuisse, illorum aperta verba testantur. In scripto enim quod pro illa defendenda Romæ

Digitized by Google

publicarunt, cujus titulus erat, *Rescriptum de scientia media seu conditionata*, cujus initium erat, *certum est secundum fidem*, finis autem, *paratus non ignoravit*. In hoc, inquam, scripto prope finem §. Ex quibus, ita expressis ac formalibus verbis dicunt. [Ex quibus sequitur verum esse id quod Patres Prædicatores in scripto quodam evulgarunt, videlicet etiam ipsos Massilienses Semipelagianos hanc scientiam mediam docuisse, quod benè inferunt ex illis verbis Hilarij: Cum autem dicitur eis, quare aliis, vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, quod aliquando penè omnibus sicut nunc aliquibus non prædicatum sit, dicunt id præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore, & ibi veritas annuntiaretur, quando & ubi prænuntiabatur esse credenda.] Ecce duo simul manifestant, & Sanctum Hilarium expressè affirmare Semipelagianos hac usos fuisse media scientia sub nomine præscientiæ; & hoc ut pote apertissimum non negari sed expressè ab his Authoribus affirmari.

Prætereà ipsimet Authores cum quibus disputamus id expresserunt manifestè in responsione ad quandam 14. propositionem, in qua apud censores à S. Sede deputatos de hac materia tractabatur anno 1601. In hac ergo responsione sic Pater Cobos nomine Societatis inter alia dicebat in §. Massilienſium, *Massiliensium Semipelagianorum error, quem Sanctus Prosper & Hilarius referunt, erat Deum prædestinare, aut reprobare propter opera bona vel mala, quæ Deus sciebat ipsos facturos si supervixissent, aut Evangelium vel lex fuisset aliquibus prædicata. In qua assertione non ideò errabant, quia putarent Deum scire, quod ejusmodi parvuli, vel alij si supervixissent, aut Evangelium audivissent, fuissent facturi; sed quia causam prædestinationis aut reprobationis esse contendebant ea parvulorum opera, quæ nunquam futura erant.* Hæc ij Authores. Etiamsi aliquando id negare aut tergiversare prætenderint.

Sed præter testimonia ipsorum, id expressè affirmat Sanctus Hilarius relatis verbis. Item Sanctus Prosper Epistola ad S. Augustinum, ubi referendo Semipelagianorum doctrinam ait: *Qui autem creditur sunt, qui verò in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda mansuri sunt præsciisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in Regnum suum, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit.* Sed quia hoc testimonium potest optimè de absoluta præscientia procedere, ideo alia manifestiora, quæ solùm de conditionata procedere possunt, inducamus. In eadem Epist. de Semipelagianis referens quid de parvulis affirmarent, inquit, *Tales perdi, taleſquè salvari, quales illos si ad longiorem servarentur ætatem scientia divina præviderit.* Et iterum tertiò sic ait contra Pelagianos: *Sed in tantùm quibuscumque commentitiis meritis electionem Dei subijciunt, ut quia præterita quæ non extant, futura quæ non sunt, futura confingant novoquè apud illos absurditatis genere & non agenda præscita sint, & præscita non acta sint.* Et iterum ibi de Semipelagianis ait, *ipsos de his qui non audierunt Evangelium dicere solere: Evangelium non audierunt, quia nec fuerant credituri.*

His ergo apertissimis testimoniis luce clariùs convincitur Semipelagianos hac media scientia usos fuisse sub nomine præscientiæ. In his enim testimoniis, & potissimè in priore inducto loquitur in terminis. S. Prosper de hoc futuro conditionato, si infans qui moritur diutius viveret, peccaret, quod dicebant Semipelagiani esse certo à Deo cognitum per illam mediam scientiam, de quo tamen, & de aliis similibus futuris conditionatis docet S. Prosper quod illis præcisè conditionibus appositis non erant certò futura, sed quod confingebantur futura, & ex consequenti quod illorum non poterat esse vera præscientia in Deo. Quod sit pro hac parte primum argumentum contra hanc mediam scientiam, quæ in Deo à Pelagianis confingebatur.

Eandem mediam scientiam sub nomine præscientiæ iterum in illa Epistola Pelagianis attribuit, dicens: *Hanc sanè de humanis meritis præscientiam Dei secundum quam gratia vocantis operetur, multo sibi rationabilius videntur astruere, cum ad earum nationum contemplationem venitur, quæ vel in præteritis sæculis dimissa sunt ingredi vias suas, vel nunc quoque adhuc in veteris ignorantia impietate depereunt nec ulla eis aut legis, aut Evangelij illuminatio corruscavit, cum tamen in quantum Prædicatoribus ostium apertum est, & via facta est, gentium Populus qui sedebat in tenebris, & in umbra mortis lucem viderit magnam, & qui quondam non Populus, nunc autem Populus Dei sit & quorum aliquando non misertus est, nunc autem misereatur, præviſos inquiunt à Domino credituros, & ad unamquamquè gentem ità dispensata tempora ac ministeria Magistrorum ut exortura erat bonorum credulitas voluntatem.* Quibus verbis apertè dicit præsciviſſe Deum, qui erant credituri si eis Evangelium esset prædicatum, quæ est illa scientia media, quæ modo proponitur, & publicatur. Et iterum: *nec vacillare illud quod Deus vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quandoquidem in excusabiles sint, qui ad unius veri Dei cultum potuerunt instrui intelligentia naturali, & Evangelium ideò non audierint, quia nec fuerant recepturi.* Et post pauca. *Quia ad omnes homines pertineat divina misericordia Sacramentum, quo ideò plurimi non renoventur, quia quod nec renovari velle habeant, prænoscantur.* Apertissimè ergo multiplicatis verbis hanc illorum antiquorum præscientiam nominatam temporibus istis mediam scientiam refert S. Prosper.

Sed dicunt Recentiores, ut modò ex ipsis relatum fuit, S. Prosperum, & Hilarium tantum damnare scientiam illam mediam sub nomine præscientiæ in Semipelagianis, non quia ipsa certò tale futurum sub conditione cognoscat, sed quia in tali futuro sub conditione certo cognito constituebant Semipelagiani causam, vel rationem ob quam Deus homines reprobaret, aut prædestinaret, quod tamen nos, inquiunt, non dicimus. Hæc tota solutio est, nec aliam umquam assignarunt, aut assignant, inquà ità persistant.

Cæterum & fuit damnata illa præscientia, quia certò in Deo constituebatur de illo futuro sub conditione ante absolutum Decretum voluntatis Dei, & fuit damnata quia constituebatur causa vel ratio prædestinationis seu reprobationis, imò hoc secundum essentialiter oritur ex primo, ut dicemus. Quod etiam, qui modo illam mediam scientiam introducunt, propter illam dicant fieri prædestinationem, aut reprobationem, copiosè in secundo nostro libro agentes de prædestinatione ostendemus, nunc id tangere satis sit.

Et quidem quod illa media scientia, seu præscientia fuerit damnata, quia certa in Deo constituebatur de illis futuris conditionatis ante propositum divinæ voluntatis; imò hanc fuisse quæstionem inter Pelagianos, qui hoc dicebant, & Sanctos Patres qui contrarium affirmabant, constat in terminis ex S. Prospero citata Epistola, dum inter illa, de quibus instrui per S. Augustinum desiderabat, unum hoc fuit potissimum, quod sub talibus verbis proponit.

Tum

Digitized by Google

Tum utrum præscientia Dei ita secundum propositum maneat, ut ea ipsa, quæ sunt proposita, sint accipienda præscita, an per genera causarum & species Personarum ista varientur, ut quia diversæ sunt vocationes, in his, qui nihil operaturi salvantur, quasi solum Dei propositum videatur existere; in his autem, qui aliquid boni acturi sunt per præscientiam possit stare propositum; an verò uniformiter, licet dividi præscientia à proposito, temporali distinctione non possit; præscientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito. Et sicut nihil sit quorumcumque negotiorum quod non scientia divina prævenerit, ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo authore defluxerit. Hæc S. Prosper.

Igitur præcipua quæstio inter Catholicos & Pelagianos erat, quod Pelagiani ante divinæ voluntatis propositum illam præscientiã constituebant, per quam staret certum firmumque propositum; Catholici autem omnem boni præscientiam post divinæ voluntatis propositum, illud bonum tribuens semper docebant. Igitur damata fuit Pelagianorum doctrina in eo quod admittebant ante divinum propositum certam præscientiam in Deo de eo quod homo facturus esset, si in tali rerum ordine collocaretur; ergo etiam ex ista radice errabant, & damnati fuere Pelagiani, & meritò, quia non solùm est error asserere illam præscientiam esse causam prædestinationis & gratiæ, sed etiam est error, maximusque error affirmare Deum præscire aliquid boni esse ex hominibus ante divinam voluntatem illud tribuentem, quia jam tunc non constitueretur divina voluntas totius boni fons, & origo, sed haberent homines vel præscirentur habere aliquid boni, quod ex primo bono non participarent, ut apertè S. Prosper relatis nunc verbis affirmat. Reputat enim manifestum id quod apertissimum est, quod si illa præscientia certo cognoscit futurum bonum usum arbitrij ante divinæ voluntatis decretum illum dare volentis, quod aliquid boni & illius participationem haberemus, cujus Deus Author non esset, quod ostensuri sumus manifestè ex prædicta præscientia deduci, cum rationibus ejus impossibilitatem impugnabimus. Et quidem modo relata D. Prosperi verba id satis ostendunt dum inquit: *Et quia præterita, quæ non extant, futura quæ non sunt, futura confingant novoque apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint, & præscita non acta sint.* Quibus conficta docet esse ista futura conditionata, quæ à Semipelagianis constituebantur, ante nimirum divinæ voluntatis propositum.

Quod verò Author operis tripartiti Prologom. 2. cap. 3. scientiam suam mediam seu conditionatam S. Prospero conatur adscribere resp. 8. ad excerpta Genuens. nihil omninò obstat: quia ibi tantùm docet cognovisse Christum Tyrios & Sydonios credituros si eis Evangelium fuisset prædicatum; sed intelligit planè id cognovisse in suo proposito, quo decreverat eos fore credituros si eis Evangelium fuisset prædicatum. Verba illius sunt. *De Tyriis & Sydoniis quid aliud possumus dicere, quam non esse eis datum ut crederent, quos etiam credituros fuisse ipsa veritas dicit, si talia qualia apud non credentes facta sunt, virtutum signa vidissent:* Ex quibus verbis ita citatus Author infert: neque video quomodo ad tam clara verba Prosperi possunt verissimiliter applicari evasiones quas supra circa ipsa verba retulimus.

Ad quod ita respondemus (quidquid sit de aliis solutionibus, quas vocat evasiones) solùm S. Prosperum in citatis verbis admittere in Christo certam præscientiam illorum futurorum sub conditione, quæ numquam futura fuerunt, sed intelligi planè debere post divinum propositum, quo id ita statueret, ut fieret si illis gentibus prædicaretur Evangelium: nam ante tale propositum semper illam certam præscientiam ipse negavit, ut ex apertis testimoniis inductis fit manifestum, ad quæ non attendere, nihil est aliud quam nolle considerare, & verba Sanctorum Patrum in alienos sensus detorquere. Sanctum etiam Patrem Augustinum hanc præscientiam damnare, secundùm quod per illam præscitur ante decretum divinæ voluntatis quid homo facturus sit, si in tali rerum ordine constituatur, in sequenti capite ostendetur.

Similiter ex hac positione, quod nimirum Deus ante propositum suæ voluntatis certò sciat hominem benè usurum auxiliis gratiæ, & in illis perseveraturum, si sic vel sic congruè vocetur, manifestè sequitur, quòd certitudo prædestinationis, non ex divino proveniat proposito, sed ex illa media præscientia; (ut etiam Authores cum quibus disputamus, apertè fatentur, ut dicemus ex ipsis infrà lib. 2. agentes de prædestinatione). Rursùs ex hoc quod certitudo prædestinationis ex illa media scientia proveniat, sequitur evidenter, quod prædestinatio in ratione prædestinationis sit ab illa præscientia, & propter illam, ut tùm ex Sancto Thoma monstrabimus, tùm ex Authoribus cum quibus disputamus. Ergo de primo ad ultimum illam certam præscientiam esse causam prædestinationis ponitur ab his Authoribus. Si ergo damnati vere Pelagiani, ut aiunt, quia in illa media scientia causam vel rationem prædestinationis constituebant, cum ij Authores in illa hanc causam vel rationem prædestinationis, ut prædestinatio est, constituant, videant in quo ab illis distinguantur.

Dicent fortè, quod nec rationem, nec causam, sed tantum conditionem prædestinationis in illa media scientia, seu in bono usu arbitrij per illam prævisio ipsi ponant. Verum & hoc minus juvat, quia (ut copiosè infrà libro secundo probaturi sumus) si semel ex parte hominis constituatur aliquid, ob quod à Deo prædestinatus sit, quomodocumque voce nominetur, sive causa, sive ratio, sive conditio, sive motivum prædestinationis in eumdem Pelagianorum errorem descenditur. Nec enim substantialis quæstio in hac parte in his metaphysicalibus consistit de distinctione causæ, rationis, vel conditionis, sed an aliquid, quomodolibet illud ponatur, aut nominetur, ex parte hominis sit, quo Deus ad ipsum prædestinandum inclinetur & moveatur. Quamvis reipsa convincatur, quod id quod ab eis, (ut difficultatem fugiant) sola voce conditio vocatur, sit revera prædestinationis ratio quod infra citato loco constabit apertiùs.

Idem Sanctus Prosper illam mediam scientiam expressiùs à Cassiano assertam expugnavit libro contra collatorem cap. 32. ubi hæc refert verba ex collatione 13. Cassiani: *Qui* (videlicet Deus) *tantam tentatori tribuit potestatem, quantam, & illum* (videlicet Job) *noverat habere virtutem.* Quibus verbis de hac media præscientia loquebatur Cassianus qua Deus præsciebat, quid liberum arbitrium Job esset operaturum si sic tentaretur. Quam ibi impugnans Sanctus Prosper dicit: *Nonne rectiùs, veratiùsque loquereris, si ubi dixisti, quantam & illum noverat habere virtutem, diceres potiùs, quantam & illi resistendi noverat se dedisse virtutem.* Ubi quid aliud Sanctus Prosper, quàm hanc mediam scientiam apertissimè damnat, qua Deus sciat quid facturum est liberum arbitrium, si in tali occasione tentetur ante decretum, quo Deus velit homini dare virtutem ad resistendum? Unde ibi concludit præscientiam istam constituere

Deum

Digitized by Google

Deum inspectorem & testem bonorum, non autem factorem, & authorem ipsorum. Similiter in sententiis super 15. cap. sic habet : *Quæ enim ex Dei munere habemus & quæ præscita dicuntur, non possunt non esse prædestinata, & quæ prædestinata appellantur non possunt non esse præscita, in malis autem* (ait) *sola Dei præscientia intelligenda est : quæ sicut præscivit & prædestinavit quæ ipse facit & ut faceremus dedit : ita præscivit tantum, non etiam prædestinavit, quæ nec ipse facit, nec ut faceremus exigit.* Ubi præscientiam in bonis post divinum decretum constituit, in malis autem solam constituit præscientiam, sed intelligit post divinam permissionem, ut dicemus. In prosa etiam de ingratis efficacissimè hanc mediam scientiam sub nomine præscientiæ in Semipelagianis condemnat : qua constituebant Deum vocare sub tali tempore, & circumstantiis, quibus præsciit hominem consensurum, dicens Deum non expectare sic tempus præscitum, vel occasiones alias sed semper habere in potestate sua tempus paratum ad hominem convertendum : ipsumque posse suâ gratiâ in omni tempore, & sub omni circumstantia, ac sub qualibet complexione salvare & justificare, ipsum ad se liberè convertendo.

Sanctus etiam Fulgentius libro de prædestinatione ad Maximum per totum, hoc intendit ostendere Deum nullo modo prædestinare ad malum culpæ, sed ad bonum, & sæpiùs rationem hujus reddit, quia mala sunt tantum modo præscita à Deo, non autem prædestinata, vel in sua dispositione præparata, at verò bona præscita, sunt præordinata. Unde ait : *Quod autem daturum se præscivit, in æterna bonitatis dispositione prædestinavit, ipsa enim prædestinatio Dei, sempiterna scilicet dispositio, futuri operis Dei.* Quibus verbis apertissimè præscientiam bonorum post divinam dispositionem & præparationem constituit, & ad illam planè sequi affirmat.

Et quamvis in aliquibus ex istis inductis testimoniis Sancti Patres de præscientia absoluta loqui videantur, quæ videlicet sit in bonis post divinam electionem, ipsorum tamen intentio & doctrinæ contextus de omni præscientia procedit ; omnis enim certa ab ipsis ponitur post firmum divinæ voluntatis decretum, vel omninò absolutum, vel quo Deus decrevit illud facere, si talis conditio adhiberetur : in aliis verò relatis apertus sermo fit contra mediam seu conditionatam præscientiam.

Aliam secundam excusationem adhibet alius hujus mediæ scientiæ sectator in libro de concursu Dei supra relato opusc. 2. cap. ultimo §. *Ad secundum*, dicens, Massilienses & Pelagianos usos fuisse ad suos errores confirmandos, non quacumque scientia contingentium sub conditione futurorum, sed ea, quæ putabant à Deo sub conditione præsciri initia fidei ex naturæ viribus prodeuntia, ut patet ex Epistolis Sanctorum Prosperi, & Hilarij ad Augustinum, & ex ipsomet sancto Augustino de prædest. sanct. cap 17. Hujusmodi autem, ut dicit, conditionatorum scientiam cum omnibus Catholicis rejicimus & damnamus.

Sed excusatio ista, sicut de præcedenti dictum est, minus juvat : Primò, quia Semipelagiani non solùm errabant in hac præscientia respectu illius objecti modò relati, seu quod idem est, comparatione initij prædestinationis, sed quia secundùm talem boni usus præscientiam, totam ipsam certitudinem totius prædestinationis astruebant, & non secundum Dei propositum à primo illius initio usque ad donum perseverantiæ inclusivè, ut ex citatis Epistolis Hilarij & Prosperi apertissimum est. Et ex Sancto Patris Augustini libro de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantip, ita clarè constat, ut nullus possit inficiari. Unde prædicta excusatio, unum in quo erraruntSemipelagiani, admittit, & aliud de quo pariter damnati sunt, astutè substituit. Secundò, quia etiam in illo primo de quo fatetur drmnatos Pelagianos, si advertit cum illis consentire convincitur, cum enim posita exteriori Evangelij prædicatione solum admittant ij Authores interiorem revelationem & moralem excitationem, quàm Sanctus Pater Augustinus convincit non recedere à lege atque doctrina ; ut à principio hujus libri latè probatum est. Etiam convincitur, quòd illa tantùm posita, ex solis naturæ viribus, homo credere incipiat, & quod hoc per hanc mediam scientiam de homlnibus præsciat Deus.

Accedit, quod cum Molina & Authores ij qui illius defendunt sententiam expresè admittant, quòd positis & explicatis revelatis, quia à Deo revelata sunt, illis potest homo sine gratiæ auxilio & sola sui arbitrij libertate certò assentiri, & hic actus sit apertè initium fidei, reipsa convincitur etiam eos initium fidei ponere ex solis naturæ viribus, licet verbis id solum negent. De quo & supra in referenda Semipelagianorum sententia jam diximus, dicturique sumus plura præsertim in nostro quarto libro, in quo de his agemus ex professo.

Tandem debebat advertere, qui hanc prætendit excusationem, quòd sæpius in illo suo opusculo his verbis utitur, quod Deus quos non vult convertere, non eis subvenit per ostensionem miraculorum cap. 11. in principio. Idem dicit cap. 5. §. 2. quod idem, & §. 5. & alibi. Ubi ad conversionem, solius illius ostensionis miraculorum meminit. Verum est ipsum semel hæc verba addidisse, *addita etiam illa interiori inspiratione*, cum toties de Miraculorum ostensione sermonem multiplicet, ut appareat quasi timuisse, vel illam semel nominare. Per quam tamen etiam admissam, cum illa à lege atque doctrina non recedat, nec ab illis distare videtur, quos damnatos agnoscit.

CAPUT VII.

Hanc mediam scientiam damnat Sanctus Augustinus sæpè, præcipuè cap. 9. de prædestinatione Sanctorum.

NIHIL frequentiùs & certiùs in Sancto Augustino, quàm negare præscientiam qua Deus cognoscat quid liberum arbitrium facturum sit ex seipso quomodolibet constituatur, & non ex Deo donante vel efficiente, ut homo id faciat. Sicut enim semper negat hominem ex se, & non ex Deo donante benè operaturum, ita perpetuus est in neganda præscientia, qna hoc cognoscat de homine sub quibusvis conditionibus constituatur, semper enim docet quòd præscientia sequitur ad Dei propositum : ergo sicut absoluta præscientia secundum ipsum sequitur ad absolutum propositum, quod omninò absolutum est : ita præscientia conditionata sequitur ad propositum de objecto conditionato : & sicut Deus præscivit hos absolutè benè operaturos, quia ipse voluit ut benè operarentur : ita alios præscivit benè operaturos, si sic constituantur ; quia ipse voluit, ut si sic constituerentur, benè operarentur.

Nec est diversa ratio ut quidam putant dicentes absolutam

absolutam præscientiam sequi ad absolutum propositum, quia res illa aliquando in tempore futura est: quod non est simile de futuro conditionato prævisо, quod futurum in aliqua temporis differentia non est. Non inquam est ista prætensa ab aliquibus ratio diversa, quia assignatur non causa pro causa: non enim ideo præscientia conditionata debet sequi ad Dei propositum, quia futurum per illam prævisum futurum, vel non futurum est in aliqua temporis differentia; sed quia ante tale propositum non habet unde certò futurum sit positum sub tali, vel tali conditione propter incertitudinem objecti illius conditionati; quia nempe ex seipso, & ex meritis propriis sub qualibet conditione ponatur, certitudinem non habet, sed incertum manet: propterea indiget ut propositum divinum præsupponat volens, ut si talis conditio apponatur, illud futurum certò futurum sit: ut sic certo à Deo cognoscatur. Quando nullus alius esset locus qui hoc manifestaret, insignis ille, qui habetur libro primo de prædestin. Sanct. cap. 9. ad hoc satis sufficeret. In illo enim hæc clariùs invenies.

Primò, quod Semipelagiani attribuebant Sancto Doctori sententiam suam, attribuendo illi præscientiam conditionatam, quam ipsi pro fundamento suæ sententiæ tuebantur, quod deducebant ex quodam loco Sancti Doctoris de quæstionibus Paganorum q. 2. Ubi sic dixerat Augustinus respondendum propositæ quæstioni, cur Christus post longa tempora venit, quam Pagani proposuerant. [Proinde inquam, cùm Christo non objiciant, quòd ejus doctrinam non omnes sequuntur (sentiunt enim & ipsi nequaquam hoc rectè objici posse vel sapientiæ Philosophorum, vel numini Deorum suorum) quid respondebunt si excepta illa altitudine sapientiæ, & scientiæ Dei, Ubi fortassis aliud divinum consilium longè secretius latet, sine præjudicio etiam aliarum fortè causarum, quæ à prudentibus investigari queunt, hoc solùm eis brevitatis gratia in hujus quæstionis disputatione, dicamus, tunc voluisse hominibus apparere Christum & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant crediturі, si videlicet eis Evangelium prædicaretur.] In quibus S. P. Augustini verbis sermo potissimè fit de præscientia conditionata, qua præscivit Christus, qui essent, & ubi essent qui in ipsum forent crediturі, si illis ejus Evangelium prædicaretur. Præterea id responsio Sancti Augustini in prædictis verbis manifestat. Sic enim eis respondet: *quare magis illo tempore, quam alio voluerit venire Christus, quia sciebat; quod si illo tempore veniret, & eis doctrina sua esset prædicata, illi crederent, & propterea tunc voluit venire, & eis prædicare doctrinam suam.* Igitur & verba, & responsio de præscientia conditionata potissimè procedunt.

Unde & ipsi Semipelagiani id considerantes attribuebant Sancto Augustino suam conditionatam præscientiam, & ex consequenti totam suam pravam doctrinam ei adscribebant. Item loqui S. Augustinum de præscientia conditionata in hoc loco confessi sunt Patres in quadam disputatione 33. habita coram Sanctissimo Clemente Papa octavo, in qua dixerunt, quod S. P. August. Epist. 49. dicebat, *quod si tantæ potestatis fuisset Pythagoras, ut ubi vellet & quando vellet sua dogmata prædicaret, si haberet etiam cum ea potestate summam rerum præscientiam, nusquam & numquam appareret, nisi ubi, & quãdo sibi homines crediturос esse prænosceret, &c.* Et post pauca inquit August. *Hoc solum eis brevitatis gratia in hujusmodi quæstionis disputatione dicamus, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant crediturі.* Hæc illi in prædicta disputatione asserebant, addentes S. August. in prædicto testimonio loqui de præscientia conditionata qua scivit Christus, qui crediturі essent suæ doctrinæ, si eis Evangelium prædicaret. Similiter hæc eadem ratione in dicta disputatione dixerunt S. Augustinum in cap. 9. de prædest. Sanct. in quo se ad ista refert, etiam loqui de præscientia conditionata. Hoc ergo pro certò supposito, quod etiam ij authores fatentur loqui S. Augustinum & in illa quæst. 2. contra Paganos & Epist. 49. & in cap. 9. de prædest. Sanct. in quo ex priori loco sua verba refert de præscientia conditionata.

Videamus de quo ibi Augustinus eam condemnet priùs si adverterimus, quod sicut Semipelagiani ex allato testimonio scientiam conditionatam ante decretum divinæ voluntatis, (id est, scientiam postea vocatam mediam) S. Doctori Augustino objiciebant, & in suam sententiam trahere conabantur, ità & nunc authores hi ex eodem prorsus loco eandem mediam scientiam & doctrinam suam in illa fundatam Sancto Patri Augustino arrogant. De quo videri potest author operis tripartiti, cujus non semel mentionem fecimus, præsertim in 1. lib. prologom. 2. cap. 3. Ubi ad probandam ex S. P. Augustino mediam scientiam, inter alia, testimonium adducit ex illa Epist. 49. in qua eadem verba habet, quæ apposuerat in quæst. 2. contra Paganos. Fortè aut non nominavit quęst. illam secundã contra Paganos, ne eandé ex illa opponeret objectionem, quam Semipelagiani oppoſuerunt, sive autem ex uno sive ex altero loco mediam scientiam S. P. Augustino adscribant, cum utrobique eadem sint verba, quæ sive tunc sive nunc objiciuntur, eadem proculdubio objectio est. Sed quid ad hanc oppositionem, & illis & istis temporibus objectam S. P. Augustinus respondeat audiamus.

Post relata verba, in quibus Semipelagiani suam conditionatam præscientiam fundare procurabant, sic ait, Sanctus Doctor ad Hilarium, & Prosperum, qui hæc ipsi Sancto Doctori per litteras de Semipelagianis retulerant, ut ex præcedenti capite relinquitur manifestum. [Cernitis ne me sine præjudicio latentis consilij Dei, aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem, sufficere videretur? Quid enim est verius, quam præsciviſse Christum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant crediturі? Sed utrum prædicato sibi Christo à seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est utrum tantummodo eos præsciverit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere ac differere tunc necessarium non putavi: proinde quod dixi tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat, qui in eum fuerant crediturі. Posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem. Sed quoniam, si ita diceretur, lectorem faceret intentum ad ea requirenda, quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris necesse est copiosiùs & laboriosiùs disputare, visum est mihi, quod tunc satis erat breviter esse dicendum, excepta ut dixi, altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, & sine præjudicio aliarum causarum, de quibus non tunc, sed aliàs opportuniùs disputandum putavi.] Hæc S. August. lib. de prædest. Sanct. cap. 9. Quibus verbis non negat S. Doctor se fuisse locutum de præscientia conditionata, sed tantum docet se nomine illius præscientiæ non intellexisse in illo loco præscientiam aliquam; quæ antecedat divinæ voluntatis decretum, sed

Digitized by Google

ſed præſcientiam, quæ ſequatur decretum divinæ voluntatis, ejuſque prædeſtinationem, & electionem. Imò Sanctus Doctor docet apertiùs, quod præſcire Deum ſolum homines eſſe credituros, ſi eis Evangelium Chriſti prædicaretur, nihil aliud eſt, quàm præſcire eos ex ſe credituros eſſe, & non ex Deo donante, ac proinde ſicut hoc ſecundum tanquàm apertè Pelagianum expugnat, ita & illud primum de præſcientia condemnat, docetque expreſsè nihil eſſe verius, quam Chriſtum præſciviſſe, qui in eum fuerant credituri, præſcientia, inquam, ſecuta ad electionem & ad divinum decretum. Unde non ſolùm in cap. hoc 9. aſſerit ſe locutum in appoſita quæſtione contra Paganos, excepto præjudicio latentis conſilij Dei, ſed etiam in illa quæſtione contra Paganos hoc prius poſuiſſe ad declarandum illam præſcientiam, quæ ſibi opponebatur ante conſilium divinæ voluntatis, eſſe cum notabili præjudicio conſilio & voluntatis Dei, ut revera eſt.

Verùm nec tam apertum S. Doctoris teſtimonium defenſores hujus mediæ ſcientiæ ab ejus publicatione retraxit: quin imò noviter in citato nunc loco operis illius tripartiti relato, cap. 3. adjuncto & quinto hoc ipſum teſtimonium conantur contra apertiſſimum litteræ ſenſum ad ſuam ſententiam retorquere, tria circa illud proponentes. Primum non mutaſſe ibi Doctorem Sanctum priorem illam ſententiam, quam de præſcientia conditionata habuerat in illa quæſt. 2. contra Paganos: ſicut quidam mutaſſe affirmabant. Secundum illam potius ibi confirmaſſe & corroboraſſe illis verbis: *Quid enim eſt verius, &c.* Tertium quod ibi non loquitur de præſcientia conditionata, quæ ſequatur ad decretum divinæ voluntatis. Quod primo probant ex illis adjunctis verbis: *poſſet etiam ſic dici tunc voluiſſe hominibus apparere, & apud eos prædicare doctrinam ſuam quando ſciebat, & ubi ſciebat, qui electi fuerant in ipſo ante mundi conſtitutionem:* Quaſi dicat, quod poſſet ſecundo ſic dici de præſcientia illa ſupponente electionem, licet prior modus dicendi de illa præſcientia antecedente talem electionem optimè poſſet ſtare.

Secundò id confirmant, quia in citata Epiſt. 49. alia adhibet verba, quæ de præſcientia conditionata ſupponente electionem intelligi nequeunt. Loquendo enim de præſcientia, qua Chriſtus Dominus præſcivit totum pene orbem in infidelibus poſitum, & infidelibus noluiſſe apparere, nec apud eos prædicari doctrinam ſuam; hæc addidit verba. *Quid ergo mirum ſi tam infidelibus plenum orbem terrarum Chriſtus prioribus ſæculis noverat, ut eis apparere vel prædicare merito nollet, quos nec verbis, nec miraculis ſuis credituros eſſe præſcivit?* Quæ verba, inquiunt, non poſſunt intelligi de conditionata præſcientia, quæ ad electionem ſequatur. Tùm quia Deus ad non credendum neminem eligit: tùm quia illis non ſubtrahit ſufficiens auxilium ad credendum. Hæc tria ſi Sancto Patri Auguſtino fuiſſent oppoſita, ipſe ad ea, ſicut ad illud primum ſibi objectum reſponderet: nunc autem quia contra ejus reſponſionem & litteram de novo apponuntur, ex eodem Doctore Sancto pro ipſo ſic reſpondemus: Et quidem ad primum & ſecundum dicendum, verum eſſe non mutaſſe S. P. ſententiam, qua prius docuerat habuiſſe Chriſtum Dominum præſcientiam conditionatam, imò illam explicaſſe atque declaraſſe, & in quo ſenſu illa intelligenda veniret expreſſiùs denudaſſe, & quod in illa implicitè continebatur, explicitè propoſuiſſe, & ſic declaratam atque explicatam confirmaſſe; nimirum nihil eſſe verius quam præſciviſſe Chriſtum, qui, & quando, & ubi in eum fuerant credituri, ſed poſt electionem, quia eos ut crederent ipſe elegit, ut apertiſſimis verbis exponit, non verò antè talem electionem: ut ipſi tunc opponebatur, & modò defenſores illius mediæ ſcientiæ attribuunt.

Quare ad tertium dicendum, illud contra apertam litteram Sancti Patri Auguſtini in illo cap. 9. de prædeſt. Sanct. procedere ut oſtenſum eſt; & ad primam objectionem planè mirandum eſſe arbitramur quod illa verba Sancti Doctoris, *poſſet etiam ſic dici*, ab eis explicentur, tamquam dicta pro ſecunda ſolutione de præſcientia conditionata ſupponente electionem: ſtante ſimul prima alia de eadem præſcientia antecedente electionem talem; ita ut utramque talem præſcientiam conditionatam ibi S. Doctor Auguſtinus tradere intendat. Mirandum planè, quod ſic exponantur. Primò, quia ſi ſic eſſet, objectioni ſibi oppoſitæ non reſponderet: ſed illa ſe convictum potius fateretur, ſi præſcientiam illam conditionatam ante Dei electionem aliquo modo admitteret: nec enim aliud Semipelagiani deſiderabant. Secundò, quia ſi in ſecunda ſolutione electionem Dei ante illam præſcientiam conditionatam admiſit: jam talis electio non tollit libertatem, & hoc neceſſe eſt fateantur, qui noviter S. Auguſtinum de illa etiam locutum fuiſſe teſtantur: per quod evertitur totum fundamentum doctrinæ ipſorum, & neceſſitas ponendi illam ſuam mediam præſcientiam. Tertiò & principaliter, quia contendere ibi aliquo modo commendaſſe illam mediam ſcientiam quæ ante divinum decretum conſtituitur, contra intentionem, contextum, & apertam litteram Sancti Auguſtini procedit, in qua toties repetit ſe illa verba de præſcientia conditionata protuliſſe excepta altitudine ſapientiæ & ſcientiæ Dei excepto divino Conſilio & ſine præjudicio aliarum cauſarum, quam ſapientiæ altitudinem, conſilium & cauſas ibi nominata in quæſt. 2. contra Paganos in illo cap. 9. de prædeſt. exponit eſſe illud altius conſilium, quo ipſos elegerat, ut crederent prædicato ipſis Evangelio & quod de præſcientia ad talem electeonem ſecuta, ſe fuiſſe locutum apertè teſtatur. Reddit vero rationem quare electionem ibi implicitè poſitam nomine altitudinis ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, & conſilij, atque aliarum cauſarum non expreſſerit, quia ſcribens contra Paganos de hoc cum illis non agebatur. Unde nec id exprimere neceſſe erat. At contra Pelagianos tractans qui hanc electionem ante Dei præſcientiam non admittebant, & præſcientiam conditionatam hanc ante Dei electionem ſibi ex propriis verbis ſupra allatis opponebant, neceſſe illi fuit hanc electionem Dei ante talem præſcientiam expreſſiùs declarare, ſicut apertis verbis fecit.

Ad aliam ſecundam objectionem facilis eſt reſponſio, dicendo, quod illa præſcientia qua Chriſtus præſcivit non credituros, ſupponit in ipſo decretum, non quidem electionis, quia ad non credendum neminem eligit Chriſtus, ſed decretum quo ſtatuit eis non dare ut crederent: ſicut enim præſcientia conditionata creditorum, electionem ſupponit in Chriſto qua electi ſunt ut crederent: ita per oppoſitum præſcientia conditionata non creditorum, decretum ſupponit quo ſtatuit eis non dare ut crederent: & iſta S. P. Auguſtini doctrina, quod videlicet talis conditionata præſcientia ſupponat divinæ voluntatis decretum, pro fundamento habenda eſt in iſta materia, ut infra clariùs oſtendemus.

Conſonat quod Sanctus Doctor clariùs fortè expreſſit, (ſi tamen aliquid clariùs dici poteſt) lib. 11. de Civitat. cap. 4. ſub his verbis. *Cujus novitatis*

Digitized by Google

Consonat quod S. Doctor clariùs fortè expressit (si tamen aliquid clarius dici potest) lib. 11. de civit. cap. 4. sub his verbis. *Cujus novitatis causam, si Deum negabunt in æterno habuisse consilio simul eum negabunt etiam beatitudinis ejus authorem, quod nefandæ impietatis est.* Pro certo ergo supponit, quod si beatitudo de novo homini advenit cujus Deus causam non habeat in suo consilio, illius Deus author non ponetur; sed per illam mediam scientiam cognoscitur certò futurus bonus usus arbitrij ante omne consilium voluntatis Dei; ergo illius novi boni usus ponitur Deus non habuisse consilium, & ex consequenti ponitur illius authorem non esse. Hoc eodem modo loquitur de prædestinatione Sanct. cap. 10. dicens. *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Et iterùm. *Quoniam, qui promisit potens est, & facere. Non ait* (inquit) *prædicere, non ait præscire, nam & aliena facta potest prædicere, atque præscire, sed ait potens est, & facere ac per hoc facta non aliena sed sua.* Et iterum de prædestinatione Sanct. cap. 15. *Hæc se Deus esse facturum profectò præscivit.* Et iterum de don. perseu. cap. 7. *Deus ergo donat perseverantiam usque in finem, hoc Deus facturum se esse præscivit.* Et iterum ibi cap. 14. *Ubi veram Dei gratiam, id est, quæ non secundum merita nostra datur sine ulla ambiguitate declaravit, quam se daturum quoniam præscivit Deus. &c.* Et iterum ibi. *An quisquam dicere audebit Deum non præscisse, quibus esset daturus, ut crederent, aut quos daturus esset filio suo, ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique si præscivit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare præscivit.* Et iterùm cap. 17. *Ista igitur sua dona quibuscumque Deus dat, procul dubio donaturum se esse præscivit, & in sua præscientia præparavit.* Et iterùm ibi. *Quod si & dantur, & ea se daturum esse præscivit, profectò prædestinavit.* Et iterùm ibi. *Cum hæc & alia multa, quæ piget repetere, dixerimus atque ostenderimus & initium fidei, & usque in finem perseverantiam Dei dona esse nec ulla futura esse sua dona, & quæ danda essent, & quibus danda essent Deum non præscire potuisse.* Et iterùm ex lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 17. sic ait: *Nam quid est, quod ait Apostolus; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem? Quod profectò, si propterea dictum est, quia præscivit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes, contra istam præscientiam loquitur Filius dicens, non vos me elegistis, sed ego vos elegi, Cum hoc potius præscivit Deus, quod ipsi eum fuerant electuri, ut ab illo mererentur eligi. Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit; electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id quod prædestinavit, implevit.* Quid clariùs à Sancto Doctore dici potuit contra istam præscientiam conditionatam, qua dicitur præsciisse Deum homines credituros si eis Evangelium prædicaretur ante decretum divinæ voluntatis, quo voluit illos esse credituros, quam dicere, quod Filius hanc præscientiam damnavit cum dixit non vos me elegistis, sed ego elegi vos? Certè posita illa exploratione mediæ scientiæ verè diceretur vos me elegistis, & feciſtis ut ego eligerem vos, quia Deus antequam eos eligeret, explorasset, nùm illi electuri, an recusaturi essent Christum, ita quod si prævideret eos recusaturos, & non electuros Christum, nec eos eligeret. Et iterùm de corr. & grat. cap. 9. *Quicumque ergo in Dei providentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, justificati, glorificati sunt, non dico etiam nondum renati, sed etiam nondum nati, jam Dei filij sunt, & omninò perire non possunt.* Ecce præscientiam, sed quæ supponit divinam providentiam & dispositionem. Fateor plurima ex locis inductis de præscientia absoluta procedere: Verum ex ipsis sumitur efficax argumentum, quod sicut futura absoluta non cognoscuntur ante absolutum Dei decretum, quo illa voluit absolutè futura: ita futura conditionata non cognoscuntur ante decretum, quo illa futura fore si talis conditiones apponerentur, Deus ordinavit, statuit & determinavit.

Non minùs insignis est alius tertius locus ex libro de prædest. Sanctorum cap. 14. ubi loquens de cognitione futurorum conditionalium, & adducens illud sap. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*, sic dicit. *Dictum est secundùm pericula vitæ hujus non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat, id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Quibus verbis media illa scientia procul abigitur, hujusque ratio redditur; quod nimirum Deus non præscit illud, quod futurum non est, sed illud quod futurum est. Unde quia futurum erat quod moreretur homo in infantili ætate, hæc Deus præscivit, quia tamen in majori ætate peccaturus non erat, hoc non præscivit certò futurum ante suæ voluntatis decretum id permittentis, ut alibi ostendimus. In quo testimonia sanctus Doctor non facit instantiam contra Semipelagianos; quia dicebant illa futura sub conditione merita esse (hoc enim jam demonstraverat) sed potissimè eos expugnat, quod certa statuerent illa futura conditionata: ergo etiam secundùm hanc rationem hujusmodi scientiam mediam sanctus Augustinus in Semipelagianis damnat. Diximus negare S. Patrem Augustinum illorum futurorum sub conditione certam præscientiam ante decretum voluntatis divinæ statuentis ut illa certò essent futura, si tales apponerentur conditiones: Hoc enim modo illi contra quos agebat hujusmodi futura à Deo certò cognosci contendebant. Nam quod post divinæ voluntatis decretum certissimè à Deo cognoscantur jam ipse apertissimè docuerat in eo lib. cap. 9.

Nec sufficit respondere sanctum Augustinum ibi tantùm negare præscientiam absolutam illius futuri: quia si sic esset, non responderet difficulati; sed extrà illam procederet, quia Semipelagiani non dicebant illud futurum conditionatum, de quo ibi quæstio erat, præsciri absoluta præscientia, sed tantùm sub conditione: ergo aut sanctus Augustinus hanc præscientiam illius futuri sub conditione negat, vel illis non respondet. Potissimè, quia illæ particulæ, *dictum fuit secundùm pericula vitæ hujus, non secundùm præscientiam*, manifestè declarant illum negare omnem certam præscientiam, & tantùm affirmare id fuisse dictum secundùm communia pericula vitæ. Quod iterùm manifestat subjunctis verbis, cum ait, *ut tentationum subtraheretur incerto.* Ecce incertitudinem constituit ex parte illius objecti, quod est futurum conditionatum.

Eandem mediam præscientiam tradidisse Pelagianos refert Epistola 105. *Sed Deus, inquiunt, in eis quos hinc aufert, prævidit quemadmodum victurus esset quisque si viveret, & ideò quem nequiter novit fuisse victurum sine baptismo facit & mori.* Quam tamen præscientiam ibi condemnat sub

Digitized by Google

utraque ratione, & quia scita per illam merita ponebantur, quod ex professo ibi damnat, & etiam quòd illa certa futura ponantur, ad hoc enim præmiserat. *Quomodo enim futura dicuntur, quæ nulla erunt?* Sed in cap. 14. de prædest. Sanct. ut visum est clariùs exposuit illa non præsciri, nec certa esse, sed incerta astrui secundùm communia pericula vitæ.

Sed omnium clarissimè certam illam præscientiam de futuro conditionato quod non erit damnat lib. 1. de origine animæ cap. 12. Ubi postquam damnavit quod futura illa non commissa à parvulis essent merita vel demerita, rursus damnat illa non esse certò præscita, sic dicens. *Quid quod ipsa exinanitur omnino præscientia, si quod præscitur non erit? Quomodo enim rectè dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* Ergo dicere quod illa media scientia sit certa de futuro conditionato, quod nunquam erit, nec in se certum est, ante decretum videlicet divinæ voluntatis expresse reprobatur à S. Augustino, & in terminis ab eo damnatur illa media scientia damnato ejus objecto.

Notandum tamen circa hæc S. P. Augustini testimonia, & illa alia suprà ex S. Prospero inducta, quibus docent exinaniri præscientiam, si præsciri dicatur, quod futurum non est, hoc ideò Sanctos hos Doctores dixisse; quia loquebantur contra Pelagianos & Semipelagianos, qui negabant bonorum actuum nostrorum prædefinitiones divinas, vel certas divinas permissiones, sine quibus futura illa certa esse non poterant, nec certò cognosci; Unde de illis incertis poni præscientiam certam, erat ipsam exinanire, secus esset si illa futura supponerent divinum decretum, à quo certitudinem haberent.

CAPUT VIII.

Quædam Recentiorum ad D. Augustini testimonia responsiones præcluduntur & rejiciuntur.

Sed contendunt illius mediæ scientiæ defensores aliter S. P. Augustinum in relatis modò locis explicare asserentes illum nedum damnare illorum præscientiam, quin imò illam approbare, ut patet ex Diotalevio in opusc. secundo capite ultimo in principio: qui, ut hoc probet, præmittit præscientiam dupliciter sumi, uno modo ut solet distingui à scientia; scientia enim est cognitio præsentium, at præscientia est cognitio futurorum, quæ absolutè futura sunt. Secundo modo ut præscientia ratione illius particulæ præ significet existentiam scientiæ in instanti rationis antecedente divinum decretum, qua scientia cognoscatur aliquid de effectibus causæ liberæ priùs ratione quam ipsa existat, aut sit absolutè futura.

Qua præmissa distinctione quasi concordat diversa S. P. Augustini testimonia, quæ contraria videntur, dum in quibusdam locis ut libro de dono perseverantiæ cap. 11. citato à S. Thoma 3. p. q. 1. art. 5. ad 2. apertè docet prævidisse, & præscisse Deum aliquos credituros, si apud eos fierent miracula, qui tamen absolutè nunquam erant credituri, quia eis Deus noluit subvenire. In quibus apertè statuit certam præscientiam rei quæ absolutè futura non est, ac proinde admittit præscientiam in illa secunda acceptione modò exposita. Cæterùm in libro de prædest. Sanct. & in aliis relatis modò locis, ubi negat præscientiam, non loquitur de præscientia in illa secunda acceptione in qua eam admisit, alioquin sibi ipsi contrariùs esset, sed loquitur de præscientia in prima consideratione, & sic tantùm negat præscientiam alicujus futuri, quod revera aliquando absolutè futurum non erat.

Probat autem tantùm negare sanctum Doctorem in illo loco de prædest. Sanct. & aliis similibus præscientiam futuri absoluti, non futuri sub conditione, primò, quia loquebatur ibi de præscientia, ratione cujus præmio vel pœna homines digni prævidèrentur, at in judicio tantùm futurum absolutè præscitum potest habere rationem pœnæ, vel præmij. Secundò, quia si S. Augustinus ex eo quod res absolutè futura non sit, negaret absolutè & simpliciter omnem certam præscientiam, non solùm negaret certam scientiam contingentium sub conditione futurorum ante decretum divinum, sed absolutè negaret pro quocumque signo rationis omnem planè cognitionem certam futurorum conditionalium, sive contingentia sint sive etiam necessaria, dummodo tamen nunquam sint absolutè futura. Nec, ut ait, dici potest Augustinum negare Deo præscientiam ante omne decretum qua præsciat peccata illius qui raptus est, eo quod ante decrettum hæc peccata non sint conditionaliter futura. Augustinus enim non negat (ut ex ipsius contextu patet) hæc peccata à Deo præsciri ante decretum, sed negat simpliciter præsciri. Nec hoc negat, quia non sint conditionaliter futura, nam oppositum non modò in aliis locis, sed in illis ipsis qui in oppositum afferuntur satis expresse tradit. Unde ea peccata eò solùm præsciri negat; quia non sunt absolutè futura, ut ostendunt illa præsertim verba quæ habentur de prædest. Sanct. cap. 14. *Quia hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat, id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Ex his enim clarissimum est agi de absolutè futuris & peccata negari futura non sub conditione longioris vitæ, sed absolutè. Mors enim immatura, quam dicitur Deus fuisse largiturus, absolutè futura erat: quod etiam ille, de quo est sermo, in tentatione mansurus non esset, verum est, absolutè quidem; non tamen si intelligatur sub conditione longioris vitæ sub qua etiam conditione falsum est, ipsum non fuisse peccaturum (ut ibidem sentit Augustinus) quia alioquin frustra commendaret beneficium immaturæ mortis. Hæc illius Authoris intelligentia & explicatio est.

Verum nihil istorum tàm apertè veritati ex sancto Patre Augustino traditæ (quæ nullam certam præscientiam alicujus futuri contingentis conditionati ante decretum divinæ voluntatis constituit, sed eam expresse damnat, ut ex relatis constat) obstare potest, ut ex manifesta horum quæ opposita sunt, confutatione monstratur. Et ut ab illa præmissa distinctione de præscientia exordiamur; licet primum illius distinctionis membrum verum sit, quod uno modo sumitur præscientia ut distinguitur contra scientiam, quæ solet dici præsentium cognitio, itaut illa dictio (*præ*) anteceſſionem dicat ad futura, quæ tamen aliquando erunt. Hoc, inquam, verum est & infrà à nobis ex Sanctis Patribus erit confirmandum. At illud secundùm membrum distinctionis fictitium est, in quo impossibilis illa media scientia stabiliri procuratur. Sed secundùm membrum illius distinctionis distinctum ab illo primo sic statuendum est, ut accipiatur secundò præscientia pro certa cognitione alicujus, quod certò futurum est, si sub tali poneretur conditione; itaut dictio (*præ*) anteceſſionem dicat ad futurum illud, quod esset si talis apponeretur conditio. Vel ut loquamur clariùs; duplex distingui potest præscientia, & utraque respectu futuri: sed altera respectu futuri absoluti; altera comparatione futuri conditionati.

Sed

Digitized by Google

Sed ſicut abſolutè futurum ideò eſt abſolutè futurum quia Deus vult vel permittit quod ſit: ideò futurum conditionatum eſſet futurum ſi talis eſſet conditio, quia Deus decrevit ut illa adhibita futurum eſſet, vel illud permittit ut eſſet, ſi talis adhiberetur conditio.

Illa ergo ſiniſtra diſtinctione præſcientiæ rejecta, & hac rectè conſtituta, ſumma facilitate ad cætera patet reſponſio. Concordia enim S. Auguſtini in inductis teſtimoniis quæ apparent diverſa, ab eodem ſancto Doctore juxta prædictam diſtinctionem de præſcientia concordantur. Cùm enim libro de dono perſeverantiæ allato loco & à S. Thoma citato & approbato docet præſciviſſe Deum qui in ipſum eſſent crediturí ſi eis Evangelium prædicaretur, ipſo manifeſtè teſtante & ex profeſſo ſe exponente & declarante in libro de prædeſt. Sanct. cap. 9. procedit de præſcientia illius futuri conditionati præſuppoſita prædeſtinatione & electione, qua voluit eos credere ſi eis Evangelium eſſet prædicatum. Unde mirum eſt cum hoc ex profeſſo tradat in cap. illo 9. de prædeſt. Sanct. (ut viſum eſt ſuprà) quod ad id iſti Authores non advertant, nec illius teſtimonij planiſſimi aliquam mentionem faciant, fortè quia ſe vident illo evidenter convinci. Nec me latet illius noviſſimè mentionem feciſſe authorem operis tripartiti; ſed quam extorta omninò explicatione illud fuerit interpretatus contra ipſius apertam literam, jam dictum eſt ſuprà. Eos tamen monitos velim quòd modò opponant S. Auguſtino de dono perſeverantiæ cap. 11. quod illi primitus antiquiores oppoſuerunt ex quæſt. 2. contra Paganos, ut conſtat ex eodem cap. 9. de prædeſt. Sanct. Sed majorem excuſationem illi priores in hoc habuerunt, quia nondum viderant explicationem, qua S. P. Auguſtinus priora ſua verba expoſuerat. At poſt tàm claram & tàm manifeſtam explicationem ab ipſo traditam, ad illam non velle attendere, ſed idem opponere, potiùs admiratione quàm reſponſione dignum eſt.

Ad primum ergo dicendum, prout ſuprà, non ſolùm S. P. Auguſtinum in illo loco de prædeſtinat. Sanct. refutaſſe illam mediam ſcientiam, quatenùs ſtatuebat illius objecta, ſcilicet futura conditionata, quæ numquam futura erant, eſſe merita vel demerita; ſed etiam quatenùs per illam confingebatur ut certò futurum, quod certò futurum non erat, ut in præcedentibus ſatis reliquimus comprobatum. Ante decretum enim voluntatis Dei vel volentis vel permittentis, nullum contingens futurum, qualibet conditione adhibita, eſt certò futurum. Et hoc ſonant S. P. Auguſtini verba illa, *præſcivit quod futurum erat, non quod futurum non erat*, id eſt, præſcivit quod certò futurum erat, non quod certò futurum non erat, ſive illud eſſet certò futurum abſolutè, ſive certò futurum ſub conditione, & illa alia. *Quid quod ipſa exinanitur omninò præſcientia, ſi quod præſcitur non erit;* id eſt non erit certò futurum, ſive abſolutè ſive ſub conditione illud futurum, quod ante decretum divinæ voluntatis Pelagiani confingebant, qua ratione ſuprà relatus S. Proſper meritò dicit, illa futura conditionata eſſe ab eis conficta. Hoc ipſum declarant manifeſtiùs illa alia verba, *ſecundùm communia pericula vitæ.* Quis enim non videat per illa omnem certam cognitionem futurorum ſive abſolutorum ſive conditionatorum excludi? Si enim certò à Deo cognoſcerentur futura illa conditionata, & hoc S. P. Auguſtinus intenderet vel doceret, non poterat dicere, illud dictum fuiſſe ſecundùm communia pericula vitæ. Quia iſta duo opponuntur, cognoſcitur à Deo ſecundùm communia pericula vitæ, quod ſi infans ad longiorem ſervaretur ætatem, peccaret, ut apertis verbis S. Auguſtinus docet, & cognoſcitur illud futurum conditionatum à Deo certum, ut hic Author malè S. Auguſtino attribuit.

Tandem id mirificè confirmant illa alia verba adhibita. *Ut tentationum ſubſtraheretur incerto.* Incertitudinem apertè proponit S. Auguſtinus in illo futuro conditionato, nimirùm ex meritis propriis & ante divinum decretum, à quo ſumeret firmitatem; & tamen hic Author contra tam expreſſa multiplicataque verba contendit S. P. Auguſtinum loqui de certa præſcientia illius futuri ſub conditione, & ſolùm negare præſcientiam illius, quod eſt abſolutè futurum. Minus autem neceſſarium putamus hic oſtendere in prædicto teſtimonio ſermonem fieri de præſcientia conditionata non de abſoluta contra alios ex defenſoribus ſcientiæ mediæ infra citandos, qui id abſque omni apparentia contendunt, cum omnibus ſit apertiſſimum illud ſcripturæ teſtimonium, *raptus eſt ne malitia &c.* nullo modo procedere aut explicari poſſe de præſcientia abſoluta, ſed tantùm de conditionata, qua Deus præſcivit: quod ſi infans raptus diutiùs viveret, malitiâ mutaretur intellectus ejus. Unde cum S. Pater Auguſtinus hanc certam neget præſcientiam per illud importatam, conſtat, quod illam conditionatam certam omninò neget.

Ad ſecundum dicendum non eſſe eandem rationem de futuro conditionato contingenti & neceſſario, ut neutrum à Deo cognoſcatur. Quia ex eo quod ante decretum divinæ voluntatis non certò cognoſcatur futurum contingens conditionatum, non ſequitur quod ante illud non cognoſcatur certò futurum conditionatum neceſſarium, quia illud ante decretum non eſt certæ veritatis, hoc verò maximè; nam etiam ante divinæ voluntatis decretum habet neceſſariam veritatem & illationem, quæ nedum à Deo, ſed à nobis certò cognoſcibilis eſt. Certò enim cognoſcitur, quod ſi homo eſt, animal eſt, quod ſi ſol eſt, dies eſt; etiamſi numquam exiſteret homo, vel creatus eſſet ſol.

Ad aliud dicendum, non poſſe aliud dici, niſi negare S. P. Auguſtinum Deo præſcientiam illius futuri conditionati ante divinum decretum, quia ante tale decretum illud futurum non erat certò ſub conditione futurum. Et ad probationem dicendum ideò negaſſe S. Doctorem ſimpliciter illius conditionati præſcientiam, quia ante divinum decretum ſimpliciter illud certò futurum non erat. Et ad ſecundam probationem dicendum non negare S. Doctorem præſcientiam futuri abſoluti, admittendo illam quæ eſt de futuro illo conditionato, ut patet ex dictis: imò potiſſimè hanc negavit, quia hanc conditionati futuri Semipelagiani ante decretum divinæ voluntatis ſtatuebant, non illam, quæ eſt de futuro abſoluto. Quorſum ergo S. Pater & Doctor negaret, contra illos ex profeſſo agendo, præſcientiam quam ipſi non conſtituebant? Aut quorſum, cum ſcripturæ teſtimonium à ſe inductum expreſsè procedat de futuro conditionato quod numquam erat abſolutè futurum, ipſe in explicatione illius negaret præſcientiam futuri abſoluti? indigna ſunt iſta, ut in mentem aliquorum veniant. Senſus igitur planus eſt, quia Semipelagiani dicebant præſcire Deum certò ante ſuum decretum, quod ſi infantes ad longiorem ſervarentur ætatem immutaret malitia intellectum eorum, quod & probabant ex illo ſcripturæ teſtimonio, *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus.* Ad quod reſpondit ſanctus Doctor id dictum fuiſſe ſecundùm comunia pericula vitæ, non ſecundùm certam præſcientiam; quia illud conditionatum futurum ex una parte numquam futurum erat & ex alia ſecundùm ſe & ex meritis propriis ante

Digitized by Google

decretum voluntatis Dei, quod circa illud Pelagiani negabant, nullam in se certam & determinatam veritatem habebat ut certò posset à Deo cognosci.

Quod autem in illis verbis inductis S. Augustini fiat mentio de aliquo futuro absoluto, quod Deus præscivit videlicet moriturum in infantili ætate illum parvulum, & quod in tentatione mansurus non erat, quod etiam certò Deus absolutè præscivit, non probat quod non negetur ibi alia præscientia nisi absoluti futuri; imò videtur contrarium inferri, quia sensus est, quod Deus absolutè præscivit utrumque illud futurum, quod absolutè futurum erat: illud autem conditionatum quod certò futurum à Pelagianis confingebatur, quia nullum certò erat, nullo modo à Deo certò præsciebatur. Maximè autem commendatur Dei beneficium si eripiat infantem in gratia à vita, illum eripiens à communibus periculis vitæ & ab incerto tentationum. Et sic optimè omnia consonant, & veritas doctrinæ & satis apertta intentio ac litera S. P. August. in illis testimoniis.

Cæterùm videntes hi Authores prædictum S. P. Augustini testimonium maximè suæ sententiæ de illa media scientia esse contrarium: illud noviter in opere tripartito Prologom. 2. cap. 4. ad suam detorquere conantur: Dicentes primò verissimile non esse S. August. uno verbo obiter dicto illo nempè (dicta sunt non secundùm præscientiam, sed secundùm communia pericula vitæ) voluisse destruere quod tam expresè in multis aliis ædificavit; addentes secundò negasse ibi tantùm absolutam præscientiam, non conditionatam. Considerantes verò id apertis verbis contradicere illius testimonij, & dictis Pelagianorum qui non de absoluta sed conditionata præscientia loquebantur; asserunt Pelagianos erasse & propriam vocem ignorasse ponentes merita, vel demerita in prænotione eorum quæ non sunt absolutè futura: Unde illi talem præscientiam absolutam constituebant, licet ignoranter illam conditionatam appellarent. Quod confirmant tertiò, quia si in illis verbis *secundùm communia pericula vitæ*, etiam conditionata præscientia negetur à S. Augustino, & sola communia pericula vitæ prævidisse constituat, sola ista ratio periculi prævisi non esset sufficiens ad exaggerandam præmaturam mortem & specialem gratiam mortuis parvulis, qui sic à vita per mortem eripiuntur. Imò secundùm illa communia vitæ pericula etiam esset contingens quod illa anticipatio mortis sicut est mali impeditiva, etiam sit impeditiva majoris gratiæ, & ex consequenti erit contingens an gratia sit, an non: nec poterit Deus certò cognoscere qualiter ille sic raptus, vitam, si viveret esset instituturus.

At hæc ultima explicatio præ jam relatis & impugnatis minùs apparens est, & multòmagis contextui & literæ S. P. August. repugnans. Quod enim asserit primò non esse verissimile quod uno verbo obiter dicto &c. minùs considerat verba illa non obiter, sed magna consideratione à sancto Doctore apposita ad expugnandum Pelagianorum sententiam qua intromittebant illam præscientiam conditionatam certam de futuro sub conditione ante divinæ voluntatis decretum. Si enim semel admittatur ista explicatio, de verbo obiter dicto, id ad quemlibet locum Sanctorum poterunt applicare, & omnia penitus evertere. Nec per verba illa destruxit sanctus Doctor, quod alibi expresè dictavit: sed semper in firma & stabili sententia permansit. Sicut enim in aliis citatis locis certam præscientiam conditionatam post divinæ voluntatis electionem expresè tradidit: ita eam certam sub conditione ante tale divinum propositum omninò negavit, & tantùm cognoscere secundùm communia pericula vitæ per illam astruxit. Contendere verò secundò Pelagianos ignorantes propriam vocem, conditionatam præscientiam appellasse illam quæ est absoluta, quomodo dicere possunt? Cùm etiam si vellent Pelagiani illum locum scripturæ, *raptus est &c.* de absoluta præscientia nequirent explicare, ut omnibus est apertissimum. Non erant tam insensati Pelagiani ut existimantur ab his Authoribus, quippè qui acuti erant, & propterea contra ipsos divina providentia acutissimum destinavit Augustinum. Imò in illa sua conditionata præscientia ante divinam electionem, suam fundabant doctrinam ex errore errorem deducentes, quod in nostro secundo libro agentes de prædestinatione dabimus manifestum.

Ad aliud quod tertiò opposuerunt: miramur profectò quomodo isti Authores negare attentent specialem esse gratiam, eripere Infantes baptizatos à vita, qui si viverent communibus periculis vitæ exponerentur. Si enim aliquem eripere ab imminenti periculo mortis temporalis, gratia esset sine dubio, quis poterit dubitare specialem gratiam esse illum eripere à periculo mortis æternæ? Quòd verò addunt, etiam esse contingens, quod illa anticipatio mortis sit in peditiva majoris sanctitatis & gratiæ, ab his solum hoc potuit affirmari qui ante decretum divinæ voluntatis contendunt hominem, si sic constituatur in communibus periculis vitæ & cum sufficientibus auxiliis dantibus tantùm posse benè operari, præsciri à Deo posse certò, quod ex sua innata libertate benè de facto operabitur; illaque sibi (ut dicunt) ex seipso reddet efficacia, & illis pro sua innata libertate benè de facto utetur, & non ex Deo ipso faciente & volente quod benè operetur.

Unde per hæc potiùs quæ ultimò addiderunt clarius constat quam falsa & impossibilis sit illa sua media vocata præscientia, quæ ad hunc finem tota ordinatur, ut per illam præsciat Deus quid boni homo ex se facturus est, & non ex Deo faciente ut ipse homo benè faciat. Cùm certum debeat esse & indubitatum, quòd ante omne decretum, quo velit Deus ut homo si viveret, communia pericula vitæ superet, non est certo scibile, quod ipse utendo ex sua innata libertate benè auxiliis gratiæ illa reddens efficacia, eadem pericula superabit: sed tantùm ante tale decretum præsciat Deus, quod communibus periculis vitæ erit expositus & incerto tentationum commissus, ut S. P. docuit August. Si verò Deus certo voluerit præscire qualiter Infans qui à vita eripitur, instituturus esset vitam, si viveret, id certo sciet in decreto voluntatis suæ, quod id vel determinaverit, vel permiserit fieri.

Ut autem apertiùs constet semper S. P. August. hanc mediam scientiam non novisse, nisi ut expugnaret, ad hominem fit argumentum ex ipso Molina qui scientiam mediam his temporibus introduxit. Hic enim quamvis in concordia quæst. 14. art. 13. disp. 52. §. *Augustinus*, illam ipsi Augustino nitatur adscribere ex eo quod sanctus Doctor de Civit. Dei cap. 10. dixerit, *Non ideò peccat homo, quia illum Deus peccaturum prævidit.* (Quod ex hoc dicto nulla ratione sequi ostendemus infrà de præscientia absoluta, tractantes quæstionem de qua ibi S. Doctor loquebatur ut est satis notum.) Tamen postea id eadem concordia quæst. 23. art. 4. & 5. disput. 1. membr. 6. §. *Quoad Augustinum*, ait, numquam S. Augustinum addidisse in materia prædestinationis & gratiæ, prædestinationem fieri secundùm illam mediam præscientiam: asserit tamen quod illam non negavit. Sed hoc ultimum quàm sit gratis dictum & sine fundamento, imò contra expressam S. August. sententiam ex eo patet primò quòd lib. de dono perseverantiæ

Digitized by Google

severantiæ cap. 18. expressè Authores qui vocationem secundum Dei præscientiam constituebant (ne in illis error inveniretur) exponendos dicit quòd nomine præscientiæ prædestinationem intelligant. In quo clarissimè & patentissimè prædestinationem fieri secundùm illam mediam præscientiam manifestissimè damnat. Præterea quomodo si Augustinus secundùm citatum Authorem fuit in illa sua quasi caligine, ut irreverenter nimis iste Author de tanto Patre ausus fuit publicare in citato §. *Quoad Augustinum*, illam mediam scientiam astruxit, vel non negavit; per quem Authori huic, ut ipse opinatur sublata fuit caligo? Tandem idem Author in fin. concord. quæst. 23. art. 4. & 5. membr. ult. id satis clarè fatetur dum in §. *licet* dicit unum semper difficillimum visum Augustino fuisse, veram invenire concordiam inter libertatem & Dei prædestinationem, præscientiam & gratiam. Cum autem ipse Author facilem dicat per mediam scientiam, eo ipso fatetur hanc facilem viam Augustinum latuisse.

Præterea ibi ait, quod quamvis hæretici per Sanctos fuerint efficaciter revicti qui vel libertati vel gratiæ detrahebant, haud tamen scit an explicata penitùs & abundè reddita ratio illis sit de hac concordia libertatis & gratiæ, ex eo quod per mediam illam scientiam illam non conciliarunt. Fatetur ergo non conciliasse S. August. & alios Patres per hanc mediam scientiam hanc nostram cum divina prædestinatione libertatem. Unde concludit in §. *Nos*, se per hanc scientiam plenè hanc concordiam tradidisse. (*Quæ*, inquit, *si data explanataque semper fuissent nec Pelagiana hæresis fuisset exorta nec Lutherani libertatem nostram ausi fuissent tàm impudenter negare: neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati.* Quid clariùs dicere potuit ut fateretur S. August. non conciliasse libertatem nostram cum gratia & prædestinatione per illam mediam scientiam? Tandem adhùc id clarioribus verbis protestatur in ultimis illius disputationis §. Longior fui, *longior fui*, inquit, *in hac disputatione, quam optaram vereorque ne aliquarum rerum repetitio Lectori molestiam attulerit: quia tamen res est magni momenti, ac valdè lubrica & hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrij cum divina prædestinatione à nemine quem viderim hucusque tradita ideò, &c.* Cum se fateatur primum hujus concordiæ per scientiam mediam inventorem, & à nemine quem ipse viderit traditam: quomodo non apertè fatetur S. P. August. non sic concordasse libertatem arbitrij cum Dei prædestinatione per illam mediam scientiam? Quomodo ergo ad ista tàm manifesta non attendunt hujus Authoris doctrinæ sectatores, qui contendunt hanc concordiam arbitrij cum gratia & prædestinatione per illam mediam scientiam S. P. August. tribuere, potissimè propter illum locum ad Simpl. quæst. 27. ac si illum ipse Molina non viderit? De cujus tamen loci vera intelligentia infrà ex professo tractaturi sumus & ostensuri nullo modo illum vocationi factæ congruæ per scientiam mediam favere.

Quæret forsan aliquis, cur sanctus Doctor Augustinus ad illud testimonium, *raptus est &c.* sibi à Pelagianis oppositum pro sua præscientia stabilienda de futuro conditionato ante decretum voluntatis, non respondet illud futurum conditionatum certo à Deo fuisse cognitum sed post divinum decretum, sicut respondit ad illud aliud de præscientia eorum, qui crediturí erant si eis Evangelium prædicaretur.

Ad hoc dicendum hujus rationem fuisse, qua crediderim motum Doctorem sanctum, ut non multiplicaret hæc divina decreta in Deo sine necessitate & causa, quod & observari ab omnibus debet, ut infrà hoc libro clariùs explicaturi sumus. Quia enim illud scripturæ testimonium; *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*, satis commodè explicari potest de illa cognitione, qua regulariter cognoscuntur communia pericula vitæ, ut explanatum est, non fuit necesse sancto Doctori recurrere ad certam præscientiam illius futuri post decretum. At quando scripturæ testimonia alia salvari nequeunt per præscientiam certam alicujus futuri conditionati, tunc necesse habuit sanctus Doctor recurrere ad certam causam illius præscientiæ, scilicet ad divinum decretum. Et quia cum sermo fit de receptione fidei aliquorum qui crediturí Evangelio dicuntur, si eis Evangelium fuisset prædicatum; ibi fit sermo de certa receptione fidei illorum, & hæc certa receptio fieri nequit, nisi Deus decernat quod illi credant, si eis fuerit Evangelium prædicatum: ideò in his scripturæ testimoniis semper recurrit sanctus Doctor Augustinus ad divinum decretum, à quo illud futurum certò futurum fit, & ad certam præscientiam, quæ de illo futuro ad tale decretum sequitur.

CAPUT IX.

Prædicta doctrina tradita in cap. 9. de prædestin. Sanct. magis explicatur & falsa intelligentia illius capitis præcluditur.

Sed opponunt defensores scientiæ mediæ illam approbare sanctum Augustinum in isto cap. 9. quia dicit Christum cognovisse, qui in eum erant crediturí, si eis Evangelium prædicaret. Quæ præscientia (ut aiunt) cum antecedat decretum de adventu Christi; constituitur certa à S. Augustino ante decretum divinæ voluntatis.

Duo dicunt ij Authores in hoc argumento: Alterum sanctum Augustinum in illo 9. cap. loqui præcipuè de scientia conditionalium. Alterum, quod statuit illam certam ante decretum divinæ voluntatis. Primum verum est, quia de illa præscientia loquitur potissimè, de qua Hilarius & Prosper retulerant illam S. Augustino à Semipelagianis attribui; sed illa erat præscientia conditionalium, ut ex præcedenti capite relinquitur manifestum: ergo de illa loquitur S. August. in isto cap. 9. de prædestinat. Sanct. aliàs quæstioni non responderet. Unde loquitur S. Augustinus de præscientia qua Deus certò cognoscat, qui essent crediturí si eis Evangelium prædicaretur. Sunt qui dicant S. P. August. in illo loco non loqui solùm de illa conditionalium scientia; quia etiam de absoluta præscientia ejus verba possunt exponi. Unde omnem, ut dicunt, præscientiam sive absolutam sive conditionatam sive de futura credulitate, quæ antecedat decretum divinæ electionis manifestè condemnat, sed principaliùs & expressiùs loqui dicunt de præscientia conditionalium: quod licet non multum retulerit, nec multum super hoc contendendum.

Certum tamen videtur de illa conditionata in illo loco tantùm fuisse locutum. Primò, quia id verba sonant, ut præcedenti cap. ostendimus: Tùm quia responsio quam dabat hoc probat. Tùm quia Semipelagiani ex illis verbis S. August. suam conditionatam præscientiã attribuebant; Tùm quia S. Doctor eis respondens hoc non negat, sed docens se de præscientia conditionata loqui, declarat de qua loquatur, an de præscientia quæ antecedat decretum divinæ voluntatis, an de illa quæ ad ipsum sequatur. Hoc ergo eis concesso, quod S. August. loquatur de præscientia conditionata, potissimè aperiendum est modo, quàm

Digitized by Google

quàm expreſsè illam damnet, quæ antecedat divinæ voluntatis decretum, apertiſſimè enim damnat talem præſcientiam ante decretum electionis & prædeſtinationis: ergo apertiſſimè damnat eam, quæ antecedat decretum Dei; ergo apertiſſimè damnat ſcientiam mediam. Totum hoc eſt textuale, nihil enim ſanctus Auguſtinus magis expreſsè docet, quam certam præſcientiam non antecedere, ſed ſubſequi ad divinam electionem & ad propoſitum divinæ voluntatis. Imò hoc tantum docere intendit in prædicto capite & per hoc ſeipſum explicat in loco oppoſito, quod videlicet intellexerit ſemper per illam præſcientiam conditionalium, illam quæ ſequitur ad divinæ voluntatis propoſitum.

Unde ad argumentum primò dicendum, illud apertè contra literam S. Auguſtini pugnare, ut ex ipſa manifeſtè conſtat. Ibi enim expreſsè damnat illam mediam ſcientiam, quatenùs conſtituebatur antecedere divinæ voluntatis electionem. Nec argumentum modò factum aliquid probat; ſcientia enim illa futuri conditionati, licet antecedat decretum de adventu Chriſti quoad executionem, ſupponit tamen decretum de adventu Chriſti quoad intentionem. Itaque omnium primò decrevit Deus per carnem in mundum tali tempore venire & electione ſuæ gratiæ homines prædeſtinare & ad fidem vocare. Deinde quoad operis executionem tunc voluit apparere & apud illos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & uti ſciebat eſſe qui electi fuerant, ut crederent, ſi eis Evangelium prædicaretur, ut apertè verba S. Auguſtini manifeſtant. Itaque elegit eos Deus ut crederent, elegit etiam ut eis Evangelium prædicaretur ut crederent, deinde præſcivit Deus in hac electione, qui in eum erant crediturí ſi eis Evangelium prædicaretur, & jam prædicato Evangelio abſolutè præſcivit in eadem electione ſua ipſos crediturós.

Inſtant ſecundò ex illo S. Auguſtini in cap. 11. de dono perſeverantiæ ubi dicit præſciviſſe Chriſtum Tyrios & Sydonios convertendos ſi eis ipſe prædicaſſet, quod dicunt eſſe intelligendum de hac media præſcientia certa ante divinæ voluntatis decretum; quia non dantur in Deo hujuſmodi decreta reſpectu illius quod nunquam futurum eſt.

Ad hoc dicendum argumentum hoc potius ſupradictæ veritati favere illamque magis fundare, comparando enim hoc cap. 11. de dono perſeverantiæ cum illo ſuprà explicato de prædeſt. Sanct. convincitur, quod in eodem omnino caſu loquatur utrobique, id eſt de certa præſcientia, qua cognovit Deus, qui in eum eſſent crediturí, ſi eis Evangelium prædicaretur. Sicut ergo in cap. 9. de prædeſt. Sanct. apertiſſimè docet id præſciviſſe Chriſtum non antè, ſed poſt electionem divinæ voluntatis, ita in cap. 11. de dono perſeverantiæ non docet hujus contrarium, ſed ipſum quod antè docuerat, videlicet certò præſciviſſe Chriſtum Tyrios & Sydonis crediturós, & pœnitentiam acturos, ſi eis ipſe prædicaret, quia ita ipſe decreverat illos convertere, ſi eis prædicaret; ut copioſiùs dicemus infrà, cum ex profeſſo de ſenſu illius loci tractabimus; modò enim ſolum contextum S. Auguſtini aperimus & ex ipſo monſtramus illum in cap. 11. de dono perſeverantiæ ſicut in in cap. 8. de prædeſt. Sanct. præſcientiam conditionalium damnare, quæ antecedat divinæ voluntatis propoſitum: & illam probare, quæ ad tale propoſitum conſequitur.

Hac igitur excluſa interpretatione ad aliam ſe convertunt defenſores mediæ ſcientiæ dicentes damnare S. Auguſtinum in illo cap. 9. & ſequentibus præſcientiam illam ſub conditione, qua dicebant Semipelagiani certò cognoſcere Chriſtum, qui ex ſeipſis eſſent crediturí abſque aliqua interiori gratia per hoc præcisè quod eis exterior prædicatio Evangelij proponeretur: non autem damnaſſe illam mediam ſcientiam qua Deus certò videat homines ſe converſuros ſi internum adjutorium gratiæ illis detur, ut Molina per ſcientiam mediam affirmat.

Cæterùm interpretatio iſta per literam S. Auguſtini excluditur maxifeſtè. Licet enim (ut ſuprà diximus agentes de errore Semipelagianorum circa initium fidei) Semipelagiani ſola prædicatione exteriori adhibita, ſenſerint ex nobis eſſe fidei initium & Deum præſcire, quod ſi his Evangelium prædicaretur, ex ſe ſolùm eſſent crediturí, tamen S. P. Auguſtinus in illo cap. 9. & ſequentibus & hanc præſcientiam condemnat & omnem illam qua Deus videat homines ex ſe crediturós, ſi eis Evangelium prædicaretur, & non ex Deo donante ipſis, ut crederent: ſed illa interior excitatio non dat hominibus, ut credant; imò illa poſita adhùc homines ex ſeipſis crederent: ergo & illam impugnat S. P. Auguſtinus. Præcipuè quia ſecundùm expreſſam S. Auguſtini ſententiam lib. de gratia Chriſti cap. 7. 8. 9. & 10. cum ſequentibus, & Epiſt. 107. ad Vitalem, & clariùs q. 2. ad Simpl. excitatio illa interior, quæ non facit hominem credere non recedit à lege atque doctrina exteriori. Et præterea quia ut conſtat apertè ex Epiſt. S. Proſperi ad Auguſtinum, Semipelagiani admittebant homines ſub adjutorio gratiæ eſſe præſcitos à Deo benè ex ipſis perſeveraturos & in hac media præſcientia totam certitudinem prædeſtinationis errando conſtituebant: ergo damnata ſententia eſt conſtituere homines, ſi eis detur auxilium congruum, ex ſeipſis crediturós vel perſeveraturos. Nec enim Semipelagiani ſolùm errabant, quia dicebant præſcire Deum homines ex ſe crediturós, ſi Evangelium tantùm exterius eis prædicaretur, ſed etiam errabant, quia dicebant præſcire Deum homines certò, ſi illis daretur tale adjutorium gratiæ excitantis, ex ſe converſuros & in bono ex ſe perſeveraturos; quod in terminis conſtituunt Recentiores per ſcientiam mediam. Imò ſicut libro de prædeſt. Sanct. condemnat præſcientiam, qua Deus præſciat homines ex ſe crediturós ſi tamen eis Evangelium prædicaretur, ita liber ſequens de dono perſeverantiæ damnat præſcientiam, qua Deus præſciat homines ſub adjutorio interiori gratiæ, dantis videlicet poſſe tantum, ex ſe conſenſuros, & ex ſe uſque in finem perſeveraturos. Et ſic in utroque libro tàm initium quàm finem boni operis, quem malè illa præſcientia ex homine conſtituit, Deo tribuit Auguſtinus, illâ præſcientiâ negatâ.

Opponunt ulteriùs, quod nec Cœleſtinus, nec Concilium Arauſicanum aliquid definierunt contra illam præſcientiam conditionatam quam Semipelagiani admittebant, quod eſt manifeſtum ſignum, quòd illa nihil contra ſanam doctrinam continebat.

Quibus reſpondetur, quod damnatis aliis in quibus media illa præſcientia cõtinebatur, & illa penitus damnata manſit V. G. definientibus Cæleſtino & Arauſicano Concilio auxilium Dei ex Deo ipſo independenter ab homine, & minùs expectata ejus voluntate, efficienter hominem convertere; ibi præſcientia illa huic divinæ efficacitati gratiæ inimica perempta eſt. Imò in ſpecie, & ipſa damnatur in S. Auguſtino, Proſpero & Hilario, ut viſum eſt.

Sed adhùc inſtant defenſores hujus mediæ ſcientiæ, quòd in illis locis de prædeſt. Sanct. & de dono perſeverantiæ. S. Auguſtinus condemnat hanc mediam præſcientiam ſecundùm quod à Semipelagianis conſtituebatur cauſa prædeſtinationis & gratiæ, ut patet ex cap. 12. 13. 14. & 17. de prædeſt. Sanct. & ex aliis teſtimoniis deductis ex lib. de dono perſeverantiæ, & potiſſimè Epiſtola 105. ergo & in iſto cap. 9. cùm damnat hanc præſcientiam, quatenùs cauſa

Digitized by Google

causa constituitur prædestinationis & gratiæ illam damnat; & non quatenùs certa constituitur ante suæ voluntatis decretum.

Ad quod tamen facillima est responsio, verissimum quidem esse in multis testimoniis hujus libri de prædest. Sanct. & alterius de dono perseverantiæ expugnasse S. Augustinum illam mediam scientiam, quatenùs malè constituebatur causa prædestinationis & gratiæ, sed & illud verissimum est in illo cap. 9. de prædest. Sanct. & in multis aliis illam præscientiam mediam expugnasse, etiam quatenus certa in Deo constituebatur ante divinæ voluntatis decretum. Imò tot formalia testimonia sunt istud attestantia, sicut & illud aliud, ut declaratum manet. Nec minùs errabant in constituenda certa præscientia de aliquo bono usu hominis ante divinam voluntatem dantem, quam cum illam dicebant causam prædestinations & gratiæ, cum iste secundus error ex illo priori descendat. Imò hæc fuit S. Augustini profunda sapientia, quòd non tantùm expugnavit illam præscientiam conditionatam, secundùm quod constituebatur causa prædestinationis, quod fecit in processu libri de prædest. Sanct. & de dono perseverantiæ, sed in illo cap. 9. de prædest. Sanct. ubi incipiebat de ipsa agere, voluit ante omnia primam radicem primumque fundamentum eradicare ex quo Pelagiani consequenter dicebant illam esse causam prædestinationis, damnando illam esse certam de aliquo bono usu hominis ante propositum divinæ voluntatis illum hominibus tribuentis.

Ad quod extat expressum testimonium Sancti Doctoris in quo illam præscientiam sub utraque ratione expresse condemnat lib. videlicet 2. ad Bonif. cap. 7. dicens. *Quomodò enim præscivit ea futura, quæ illis in infantia morituris, quia præscientia ejus falli non potest, præscivit potiùs non futura? Aut quid prodest eis qui rapiuntur ex hac vita, nè malitia mutet intellectum eorum, si peccatum etiam quod non est factum, dictum, cogitatum, tanquam commissum fuerit, sic punitur?* Ubi apertè agens contra illam præscientiam futurorum sub conditione, (de hac enim quæstio cum illis erat, non de præscientia absoluta, quam nec illi pro illis parvulis constituebant:) sicut ex secunda ratione modo assignata illam expugnat, quatenùs causa prædestinationis seu reprobationis constituebatur, ita in ratione prima illam condemnat; quia certa ab eis ante decretum divinæ voluntatis ponebatur. Et præterea quia gratis dato quòd S. Augustinus sicut Hilarius & Prosper tantùm damnet illam præscientiam conditionatam tanquam Pelagianam, secundùm quòd ab ipsis constituebatur causa prædestinationis & gratiæ; ibi in terminis damnavit hanc mediam scientiam secundùm quod à Molina & suis defensoribus constituitur, quia & ipsi ad eundem omninò finem illam ordinant, ut videlicet per illam constituant causam, rationem vel conditionem certæ prædestinationis, ut distinguitur à communi providentia, quod & apertis verbis fatentur, ut dicemus', potissimè libro secundo tractantes materiam divinæ prædestinationis. Extat manifestissimum testimonium lib. 1. de Anima, & ejus origine cap. 12. ubi supradictam præscientiam futurorum conditionatorum de futuris, quæ nunquam futura sunt, damnat ratione duplici. Primò, quatenùs Semipelagiani dicebant judicari infantes, qui rapiuntur à vita sine Baptismo ob peccata, quæ si vixissent, Deus præscivit eos commissuros. Secundò, eam apertissimè damnat, quia certa constituebatur de objecto omninò incerto: sub his verbis. *Quid quod ipsa exinanitur omninò præscientia, si quod præscitur non erit? Quomodo enim rectè dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* Quibus luce clariùs mediam scientiam seu præscientiam futurorum sub conditione ante decretum liberum divinæ voluntatis (per quod certò futura sunt) à Semipelagianis malè constitutam rectissimè damnat & illam omninò incertam esse de illis conditionatis ostendit, quod similiter S. Prosperum fecisse ostensum est suprà. Præterea in Enchirid. cap. 95. manifestè docet Deum omnipotentem posse sua gratia hominem ad se convertere ipsumque salvare in omni tempore, sub omni circumstantia & respectu cujuscumque occasionis & complexionis homo constituatur, nec expectare ad convertendum hominem has circumstantias & complexiones per hanc mediam scientiam præviſas.

CAPUT X.

Quod hanc mediam scientiam damnaverit Sanctus Thomas.

QUIA in utroque capite præcedenti præmisimus demonstraturos nos, quod si tota certitudo in prædestinatione constituatur ex præscientia, sicut ex prima radice (ut planè Authores hujus mediæ scientiæ constituunt cum Lud. Molina q. 23. disp. 1. art. 4. & 5. membro 11. §. secunda conclusio, & §. ex his omnibus, & in §. tertia conclusio in princ. & in fine §. & alias sæpè.) Tunc ex hoc sequatur, quod prædestinatio detur propter talem præscientiam, id nunc ex S. Thoma necesse est comprobare, ut sic constet, quomodo Sancti Doctores Augustinus, Prosper, Hilarius & Fulgentius impugnando præscientiam quæ sit causa prædestinationis, simul impugnant illam certam præscientiam in seipsa, secundùm quod ab his Authoribus contra quos disputamus, approbatur. Igitur verba S. Thomæ sunt attentiùs notanda & considerandi. Ex professo enim tractans istam materiam q. 6. de Verit. art. 3. in corpore, sic dicit. *Non enim potest dici quod prædestinatio suprà certitudinem providentiæ nihil aliud addit nisi certitudinem præscientiæ, ut si dicatur, quod Deus ordinat prædestinatum ad salutem sicut & quemlibet alium, sed cum hoc de prædestinato scit quod non deficiet à salute; sic enim dicendo non diceretur prædestinatus differre à non prædestinato ex parte ordinis, sed tantùm ex parte præscientiæ eventus & sic præscientia esset causa prædestinationis, nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis, quod est contra authoritatem scripturæ, & dicta Sanctorum.* Qui locus sufficere deberet, ut ab hac sua scientia media isti Authores cessarent, cum tàm apertè à S. Thoma reprehendatur, & quod majus est, præter suum consuetum scribendi modum qualitatis nota gravissima taxet. Apertis ergo verbis docet S. Thomas, quòd si prædestinatio suprà certitudinem providentiæ nihil aliud habeat nisi certitudinem præscientiæ, ita quod Deus ordinet prædestinatum ad salutem sicut & quemlibet alium, cum hoc tamen de prædestinato sciat quod non deficiet à salute, ex hoc evidentissimè sequitur prædestinatum non differre à non prædestinato ex parte ordinis, sed tantùm ex parte præscientiæ eventus.

Secundò infert, quòd illa præscientia est causa prædestinationis & ex hoc ultimò concludit, quòd prædestinatio non est per electionem prædestinantis, quod est contra authoritatem scripturæ & Sanctorum. Ex uno ergo principio S. Thomas tres conclusiones deducit in hunc modum. Prædestinatio suprà providentiam nihil aliud addit nisi certitudinem præscientiæ: ergo prædestinatus non differt à non prædestinato ex parte ordinis, sed solùm ex parte præscientiæ: Ergo præscientia est causa prædestinationis: ergo prædestinatio non est per electionem prædestinantis

Digitized by Google

deſtinantis : ſed hoc ultimum eſt contra authoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum ; ergo & illud primum principium ex quo ſequitur, eſt contra authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum ; ſed tota ratio & quidditas hujus mediæ ſcientiæ (atteſtantibus id ſuis propriis defenſoribus) nulla eſt alia, quàm dare certitudinem prædeſtinationi, ita quod abſque illa non differat prædeſtinatio à communi providentia & per illam habeat certitudinem prædeſtinatio ſuprà eõmunem providentiam : ergo iſta ſcientia media eſt contra authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum. Minor multipliciter ab his Authoribus expreſsè aſſeritur, Molina enim ſic habet in concord. quæſt. 23. art. 4. & 5. diſput. 1. membr. 11. §. Ex omnibus. *Ut enim explicatum eſt, in æterna prædeſtinatione non alia eſt certitudo, quod prædeſtinatus ſempiternam ſit beatitudinem conſecuturus, quàm quæ eſt in divina præſcientia.* Et loquitur expreſsè de iſta media ſcientia. Et iterum in §. ſequenti incipiente tertia concluſio. *Certitudo quod parvuli prædeſtinati vitam æternam conſequentur non eſt ex certitudine mediorum effectuſve prædeſtinationis, qui in ſe non eſt certò futurus, ſed ex certitudine divinæ præſcientiæ, qua Deus altitudine ſui intellectus, quod in ſe eſt incertum, potuitque non eſſe, cognovit certò futurum.* Idem ſemel atque iterùm in illo §. ſtatuit ut fundamentum totius doctrinæ ſuæ. Manifeſta eſt ergo minor illa, unde, & diſcurſus concludit. Ecce quam qualitatem tribuit S. Thomas hîc mediæ ſcientiæ quæ ita contentiosè ab his Authoribus affirmatur. Jam ergo ex S. Thoma ſit apertiſſimum hanc mediam ſcientiam, quæ ad hunc finem à ſuis defenſoribus introducitur, ut certitudinem tribuat prædeſtinationi ſuprà communem providentiam, eſſe cauſam prædeſtinationis. Unde ſicut S. Auguſtinus, Hilarius & Proſper negarunt expreſsè præſcientiam, quæ ſit prædeſtinationis cauſa ; ita expreſsè hanc mediam ſcientiam ſub nomine præſcientiæ negarunt. Sola ergo voce & verbis dumtaxat negatur ab his Recentioribus hanc mediam ſcientiam eſſe cauſam prædeſtinationis, cum id S. Thomas tàm apertè demonſtret, & nos in materia de prædeſtinatione clariùs explicabimus.

Nec ſatis eſt reſpondere, damnaſſe hîc S. Thomam præſcientiam abſolutam non conditionatam ; quia omnem præſcientiam damnat, quæ det prædeſtinationi certitudinem ſuprà communem providentiam, ſicut dat iſta media ſcientia ; quia ad hoc præcisè iſta media ſcientia introducitur à ſuis defenſoribus.

Secundò hanc mediam ſcientiam damnat ſanctus Thomas 1. p. quæſt. 23. art. 5. in corpore : Ibi enim retulit hanc mediam ſcientiam ſive præſcientiam & ejus objectum, cum dixit aliquos aſſerere Deum dare gratiam alicui, & præordinare ſe daturum, quia præſcivit bene uſurum. Et explicans S. Thomas de quo bono uſu præſcito illi loquerentur, ait, quod de bono uſu arbitij ſequente gratiam, qui tamen non procederet ex ipſa gratia, præſciebatur tamen futurus ille bonus uſus arbitrij, ſi tali gratia homo vocaretur. Quibus verbis manifeſte & hanc ſcientiam mediam & ejus objectum refert ſicut aliorum ſententiam & ipſam damnat, affirmando quòd ille bonus uſus arbitrij debet eſſe ex prædeſtinatione & gratia & non ex eo quòd præſciatur liberum arbitrium bene uſurum, ſi tali gratia & tali vocatione vocaretur. Igitur damnata manet hæc media ſcientia quæ diſtinguit inter id quod eſt ex gratia & id quod eſt ex libero arbitrio, quaſi non poſſit idem eſſe ex utroque ut ibi Sanctus Doctor affirmat. Diſtinguit planè hæc media ſcientia inter id quod eſt ex gratia & id quod eſt ex libero arbitrio, dum ait, quod Deus per illam ſcit quid liberum arbitrium ex ſe facturum eſt, ſi tali gratia vocatum fuerit, non autem ſcit, quod ex gratiæ efficacia operaturum ſit. Igitur in terminis talis præſcientia à S. Thoma damnatur.

Tertiò Sanctus Thomas prima par. q. 19. art. 8. expreſſiùs docet quod efficacia divinæ voluntatis eſt prima cauſa primaque radix omnis contingentiæ : ergo ſentit quod eadem efficacia eſt prima radix libertatis, eadem enim prorſus eſt ratio de contingentia, & libertate quantùm ad hoc. Docet ergo apertè Sanctus Thomas quod antè actum divinæ voluntatis efficacem nulla eſt contingentia vel libertas in rebus : ergo docet quod per nullam ſcientiam poſſit cognoſci contingentia ſeu libertas in rebus abſquè efficacia divinæ voluntatis : ergo docet falſam & impoſſibilem eſſe hanc mediam ſcientiam, quæ hoc conatur ſuadere, quòd videlicet abſque efficacia divinæ voluntatis certò cognoſcatur bonus uſus liberi futurus arbitrij, ſi arbitrium in tali ordine collocaretur.

Nec ſufficit reſpondere, ut iſti Authores prætendunt, Sanctum Thomam ibi loqui de futuris abſolutis, hæc enim (ut aiunt) non ſunt ſine actu divinæ voluntatis, non autem dicit Sanctus Thomas, quod futurorum ſub conditione ſit prima radix efficacia divinæ voluntatis. Qui enim ſic reſpondent, advertant, quod futurum ſub conditione poſita conditione tranſit in abſolutum. Undè ſi præſcientia cognoſcit liberum arbitrium habiturum hunc actum liberum ex ſe, & non ex efficacia divinæ voluntatis, ſi in iſta occaſione conſtituatur ; jam ipſum liberum arbitrium in tali occaſione conſtitutum ex ſe, & non ex efficacia divinæ voluntatis illum actum liberum operabitur, & ex conſequenti libertas illius actus non provenit ſicut ex prima radice ex efficacia divinæ voluntatis, ſed ex efficacia ſecundæ cauſæ, videlicet liberi arbitrij, ut vanitas antiquorum Philoſophorum conſtituebat. Iſta ergo media ſcientia & vanitatem Philoſophorum fundat ; & divinæ voluntatis efficaciam enervat, & Doctrinæ S. Thomæ, & ejus principiis manifeſtè repugnat.

Quartò S. Thomas ubiquè in doctrina ſua divinam ſcientiam dividit in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſionis, id eſt, in naturalem & liberam : ubi hanc mediam ſcientiam reprobat, quæ nec eſt ſimplicis intelligentiæ nec viſionis nec ad illarum aliquã poteſt reduci, ut rationibus demonſtrabitur infra.

Quintò Sanctus Thomas lib. 1. contra gent. cap. 67. docet quod contingens ut futurum repugnat certæ cognitioni non verò ut præſens ; ſed antè decretum divinæ voluntaris, præſens etiam objectivè non poteſt eſſe, ut infrà contra illam præſcientiam objectivam dicemus : ergo ibi Sanctus Thomas illorum mediam ſcientiam reprobat ; quæ ſuadetur in illa objectiva præſcientia vel in pura futuritione. Idem dicit in primo diſt. 38. q. 1. art. 5. & q. 2. de verit. art. 22. & q. 16. de malo art. 7. Similiter, 1. p. q. 14. art. 13. docet quod in cauſis contingentibus id eſt ad utrumlibet exiſtentibus, non poteſt certo cognoſci effectus futurus ; quod etiam confirmat 2. 2. q. 171. art. 6. ad 2. Sed ante decretum divinæ voluntatis cauſæ contingentes ſunt ad utrumlibet : ergo docet, quod ante tale decretum non poteſt certò cognoſci futurum, per quod illam mediam ſcientiam reprobat. Inſuper S. Thomas ubique docet influxum Dei eſſe immediatè in cauſam ſecundam, quo ipſa applicatur, movetur & determinatur ad agendum. Docet ergo S. Th. quod antè tale decretum, quo Deus velit cauſam ſecundã applicare ad agendum, ipſa nihil operabitur ; nec erit aliquod futurum certò cognitum.

Sextò inſignis eſt locus S. Thomæ 1. p. q. 16. articul. 7. Ad tertium, ubi ſic habet. *Ad tertium dicendum quod illud quod nunc eſt, ex eo futurum fuit*

Digitized by Google

fuit antequam esset, quia in causa sua erat ut fieret. Undè sublata causa non esset futurum illud fieri. Sola autem causa prima est aeternâ. Unde ex hoc non sequitur, quod ea, quæ sunt, semper fuerit verum ea esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura, quæ quidem causa solus Deus est. Ubi clarioribus verbis quàm à nobis possit explicari, docet quòd nisi in prima causa futura præhabeantur illa non possunt esse futura, nec posse esse verum, quod illa futura erunt, nisi in tali prima causa præcontineantur. Constat autem quod futura, quæ per mediam scientiam dicuntur certò cognosci à Deo, non præhabentur in prima causa, ut futura, cum de ipsis nihil prima causa disposuerit, sed sciverit tantùm quid secunda causa facura sit: ergo sublata hac dispositione primæ causæ non est futurum, illa conditionata fieri Quod si non est futurum illa fieri, nec est futurum illa certò à Deo cognosci ut futura. Et sic perit tota hæc machina hujus mediæ scientiæ, illam expugnante apertissimè Sancto Thoma in testimonio inducto.

Septimò alius etiam invenitur locus eximius, & manifestus in S. Thoma in primo sententiarum distinct. 39. quæst. prima art. 1. ad quintum, in quo loco sicut in aliis pro certo habet quod futura contingentia absoluta sciri non possunt ante decretum quod immediatè circa ipsa versetur. Verba illius loci sunt. *Scire, secundum rationem sequitur voluntatem*: Si autem in Deo est scientia illa media contingentium sub conditione futurorum antè decretum sequitur omnino, ut cognoscantur futura contingentia absoluta ante decretum immediatum circa ipsa. Quia antè hujusmodi decretum, per solum decretum circa conditiones, purificatur omnis conditio, & res transit ad rationem futuri absoluti. Igitur in allata doctrina Sanctus Thomas hanc illorum mediam scientiam reprobat.

Quintò Sanctus Thomas 1.2. q. 109. art. primo pro comperto definit id quod etiam naturali lumine demonstratur, quod videlicet nulla potentia nulla-quæ causa quantùmvis perfectissima potest transire in actum sine divina motione, movente videlicet illam ad illum actum; ergo scientia nulla erit quæ cognoscat aliquam potentiam vel causam posse exire in actum sine tali motione: ergo impossibilis est omnino secundum mentem S. Thomæ hæc media scientia, quæ ad hoc potissimè in Deo constituitur, ut per illam cognoscat Deus potentiam liberi arbitrij exire in actum posita aliqua occasione, absque divina motione movente ipsam potentiam liberam ad illum actum.

Ultimò Sanctus Thomas ubicumque in sua doctrina agit de cognitione futurorum contingentium, semper docet talia contingentia futura & libera cognosci à Deo per scientiam visionis, quæ actum divinæ voluntatis præsupponit: ergo in omni sua doctrina negat scientiam istam mediam ad certam cognitionem futurorum habendam, cum ista antecedat actum voluntatis divinæ. Nec valet respondere Sanctum Thomam in omnibus illis locis loqui de cognitione futurorum absolutorum, non autem de cognitione futurorum sub conditione, quia evasio ista eadem prorsus quæ præcedens, facillimè secluditur. Et mirum est certè, quòd Sanctus Thomas in tot locis suæ doctrinæ ità accuratè & diffusè loquens de scientia Dei &, de omnibus, quæ ad divinam cognitionem spectant, nunquam tamen expressè fecerit mentionem hujus scientiæ mediæ sivè præscientiæ, quam ità esse necessariam in Deo affirmant isti Recentiores.

CAPUT X.

Quod in locis à Recentioribus pro media scientia stabilienda inductis S. Thomas scientiam mediam non approbet.

SEx vel septem sunt potissimè loca, quæ ex Sancto Thoma contra eundem S. Thomam à Recentioribus adducuntur in favorem suæ mediæ scientiæ. Primus habetur tertia p. q. 1. art. 5. ad secundum ubi ita habet: *Ad secundum dicendum quod Augustinus ad hoc respondet in libro de sex quæstionibus Paganorum, dicens q. 2. quod tunc voluit Christus apparere, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri; his enim temporibus, & his in locis, quibus Evangelium ejus non est prædicatum tales homines in ejus prædicatione futuros esse præsciebat, quales non quidem omnes, sed tantum multi in ejus corporali præsentia fuerunt, qui nec in eum suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt. Sed hanc responsionem reprobat idem Augustinus lib. de perseverantia cap. 9. dicens Nunquid possumus dicere Tyrios, & Sydonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse aut credituros non fuisse, si fierent, cum Ipse Dominus attestetur eis, quod acturi essent magna humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum? Proinde ut ipse solvens subdit, sicut Apostolus ait, non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis qui his quos prævidit suis miraculis credituros quibus voluit, subvenit, aliis autem non subvenit, de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed aliud justè judicavit.* Hæc Sanctus Thomas ex quibus verbis, quibus Sanctus Doctor simul cum S. P. Augustino semel atque iterum asserit Deum præsciviisse, qui in eum fuerant credituri si eis suum prædicaretur Evangelium, moventur ut ipsi sicut & Sancto Augustino attribuant defensores scientiæ mediæ ipsam mediam scientiam, quam dicunt affirmare sub nomine illius præscientiæ conditionatæ.

Circa quod Sancti Thomæ testimonium tandem in opere illo tripartito quod Francisco Suarez tribuitur lib. 1. prolegom. 2. de scientia conditionata, cap. 6. inducitur aliud ex eodem Sancto Thoma super 11. cap. Matthæi de Tyriis & Sidoniis, quem locum exponit de propria præscientia, supponens semper non deesse Deo talium operum scientiam, sed in ipsis operibus deesse rationem meriti & demeriti nisi in aliqua differentia temporis futura sint, undè asserit illius tripartiti operis Author in doctrina Sancti Thomæ nihil inveniri sententiæ de media scientia contrarium, imò interdum illam indicare vel supponere.

Sed ista illatio nulla omninò est, quamvis enim Sanctus Thomas sicut & Sanctus Augustinus, cujus & verba refert, loquantur de præscientia & de conditionata præscientia, loquuntur tamen de illa, quæ ad electionem & prædestinationem sequebatur, ut expressis verbis se explicando & ad similes objectiones respondendo S. Augustinus præmiserat, lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 9. ut supra retulimus. Non autem loquuntur de præscientia conditionata, quæ antecedat divinam electionem & divinæ voluntatis decretum ut isti Recentiores Sanctis Augustino & Thomæ laborant adscribere. Quasi vero cum Sancti loquuntur de præscientia, nulla alia intelligi debeat, aut queat, nisi ista media scientia quam omnibus

Digitized by Google

Doctoribus loquentibus de præſcientia conantur irrogare. Undè ad hoc propoſitum duo in hac parte diſtinguenda ſunt, quæ diſtinguenda eſſe Author operis tripartiti ubi ſupra etiam admittit. Alterum, an in Deo ſit præſcientia futurorum ſub conditione. Alterum verò, quomodo, ſeu quo medio fiat, an videlicet ante, vel poſt divinæ voluntatis decretum? Priorem ergo partem, nempè dari in Deo talem præſcientiam Sanctus Thomas docuit in citato teſtimonio, & aliis: ſed planè intellexit illam eſſe in Deo poſt ſuæ divinæ voluntatis decretum, ut manet probatum. Quod verò illa ſit ante decretum tale, ſicut ponitur per illam vocatam mediam ſcientiam, ſemper Sanctus Thomas impugnavit, nec unquam aliquid dixit, in quo illa poſſit fundari, vel quod illam redoleat.

Eadem tertia parte q. prima art. 5. in corpore, ait, Deum diſtuliſſe Incarnationem, *ut natura, cognita ſua infirmitate clamaret ad Medicum, & gratiæ quæreret auxilium.* Et art. 6. Deum veniſſe inquit, quando ſcivit gratum futurum beneficium, ſi enim, ut ait, uſque ad finem ſæculi dilata eſſet Incarnatio, futurum fuiſſet ut honeſtas & fides penitus abolerentur. Ex his autem colligitur ab eis ſcientia illa contingentium futurorum ſub conditione antè divinum decretum. Cum enim aliquid Deus facit, ut aliquis eventus, aut ſequatur, aut evitetur, certò ſcit finem intentum à ſe eſſe comparandum, alioquin etiam timidæ eſſent cogitationes, & providentiæ illius. Certò ergo ſciebat Deus ex ſententia S. Thomæ futura illa contingentia conditionata ante decretam Incarnationem pro eo tempore, in quo facta eſt, futurum ſcilicet ut natura humana clamaret ad Medicum, & gratiæ quæreret auxilium, ſi Incarnatio differretur uſque ad tempus in quo ad nos ipſe venit. Et præterea futurum ait ut omnis honeſtas ac fides abolerentur, ſi uſque ad finem Mundi Incarnatio protraheretur.

Ad utrumquè jam patet ex dictis certiſſimè utrumque illud conditionatum futurum cognoviſſe Chriſtum Dominum antè decretam Incarnationem ex S. Thomæ ſententia, ſed non cognoviſſe futura illa conditionata antè decretum quo decreverat, ſicut & de facto factum eſt, cum natura infirma concurrere, ipſamque movere ut ad Medicum clamaret & gratiæ auxilium quæreret: niſi velint ij Authores aſſerere utrumque hoc, & Medicum deſiderare & auxilium gratiæ quærere poſſe naturam infirmam ex ſeipſa ſola habere & id Deum præſciviſſe; quod in terminis ut Pelagianum in Caſſiano S. Proſper convincit libro contra Collat. paulò poſt principium. Similiter certò Deus cognovit defecturam honeſtatem & fidem ſi Incarnatio uſque in finem protraheretur, quia ità ſe permittere diſpoſuerat, ſi talis eſſet adhibita conditio. Et hoc eſt quod S. Thomas docet.

Secundus locus ſic habet 3. p. q. p. art. 3. ad 4. *Ad quartum dicendum quod prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum & ideo ſicut Deus prædeſtinat ſalutem alicujus hominis per orationes alterius implendam, ità prædeſtinavit opus Incarnationis in remedium humani peccati.* Ex iſto loco ex illis verbis (*prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum*) inferunt defenſores ſcientiæ mediæ illam eſſe à Sancto Thoma traditam ſub nomine præſcientiæ, quod & ſic deducunt. Illa præſcientia futurorum quæ ſecundum S. Thomam præſupponitur ad prædeſtinationem non poteſt eſſe præſcientia abſolutorum futurorum, hæc enim eſt ſcientia viſionis, & ex conſequenti poſterior prædeſtinatione ipſa: ergo eſt præſcientia futurorum ſub conditione, quâ videlicet prænoſcit Deus, quod ſi iſte conſtituatur in tali vel tali ordine, ſalvabitur; ergo hanc præſcientiam conditionatam ſive mediam ſcientiam ibi tradit S. Thomas.

Nec videtur ſufficienter dictum, ſi dicatur illam præſcientiam hîc traditam ex Sancto Thoma eſſe præſcientiam futurorum abſolutorum, quæ licet ſit prior prædeſtinationis actu, eſt tamen poſterior alio priori actu divinæ voluntatis, videlicet volentis creare homines, vel quolibet alio ſimili. Quia contra hoc eſt, quia prædeſtinatio eſt omnium primus actus liber divinæ voluntatis, quia eſt finis cæterorum: ergo antè illum non intelligitur alius prior actus voluntatis divinæ, ad quem illa futurorum abſolutorum præſcientia ſequatur. Reſtat ergo quod præſcientia omnem actum voluntatis divinæ antecedat, & ex conſequenti quod non poſſit eſſe præſcientia futurorum abſolutorum, ſed præſcientia conditionata hæc media, ut prima ratio inducebat.

Cæterum mirum eſt, quod in iſto loco ſcientia illa media fundetur, nam Sanctus Thomas in illo hoc intendit, quod quia Chriſtus Dominus venit in remedium peccati, ita quod non exiſtente peccato non veniret, ideò neceſſe fuit peccatum aliqua priorirate præſciri ante decretum de Chriſti Domini prædeſtinatione, & hoc eſt in ſubſtantia quod ibi principaliter intendit & docet: & ſic communiter ab omnibus illius diſcipulis intelligitur & explicatur, quia hoc eſt in litera ipſius apertiſſimum. Et ad fundandam hanc ſuam doctrinam ſumpſit illam propoſitionem, quod videlicet prædeſtinatio præſupponit præcientiam futurorum, ac ſi apertiùs argumentaretur: Prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum: ergo cum Chriſtus fuerit prædeſtinatus in remedium peccati neceſsè fuit illud peccatum fuiſſe aliqua prioritate prævisum. Ex hoc autem concluditur manifeſtè S. Thomam de præſcientia media conditionata non loqui, ſed de præſcientia abſoluta aliquorum futurorum abſolutorum.

Itaque ſicut S. Thomas ſuper illud ad Rom. 9. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit &c.* dicit quod prior eſt præſcientia, quam prædeſtinatio; præſcientia, inquam, abſoluta, & viſionis eorum hominum, quos prædeſtinat: oportet enim, quod homines, qui prædeſtinantur, priùs præcognoſcantur; ità quando aliquid prædeſtinatur in remedium peccati neceſſe eſt prius cognoſcere id in cujus remedium id prædeſtinatur, ſicut ſi medicus præordinaret aliquid in remedium alicujus infirmitatis, oporteret quod priùs ipſam prænoſceret infirmitatem. Hæc autem præſcientia apertiſſimè eſt præſcientia abſoluta & futurorum abſolutorum. Et quòd hoc ſit manifeſtum patet ex communi intelligentia, & explicatione hujus loci, omnes enim dicunt Sanctum Thomam loqui de præſcientia futuri peccati, quæ antecedat decretum Incarnationis in divina mente ſolum in prioritate naturæ, & quaſi in genere cauſæ materialis ſive occaſionalis; at verò ipſum Incarnationis decretum antecedit ipſius peccati præſcientiam in genere cauſæ finalis; ergo loquitur S. Thomas de præſcientia peccati abſoluta, nam conditionata, ſecundum ſuos defenſores, omnino antecedit omne liberum decretum divinæ voluntatis, nec ipſam præſupponit in genere potiſſimè cauſæ qualis eſt cauſa finalis.

Intantum autem hoc verum eſt, quod loquatur ibi S. Thomas de præſcientia abſoluta futurorum, ut etiam præſtantiores ex ipſis hoc ipſum fateantur: Suarez enim lib. 1. de eſſentia prædeſtinationis cap. 1. §. *At enim*, ait, *Dubitari poteſt an prædeſtinatio unius rei vel effectus ſupponat neceſſariò abſolutam præſcientiam alterius rei vel effectus futuri? Id affirmare videtur D. Thomas 3. p. q. p. art. 3. ad 4.* Ubi

Ubi ait quod prædestinatio supponit præscientiam futurorum. Hoc autem non potest intelligi respectu ejusdem effectus prædestinationis, ut probatum est: ergo saltem debet intelligi de præscientia unius rei respectu prædestinationis alterius. Nam quod loquatur de præscientia absoluta rei futuræ videtur manifestum, quia ex illo principio declarat Christum fuisse prædestinatum præviso Adæ peccato ut futuro. Hæc Franciscus Suarez. Quibus pro manifesto reliquit in libro, quem post hanc magnam controversiam scripsit loqui S. Thomam citato loco non de præscientia conditionata, sed absoluta futurorum, & eadem ratione, qua nos id convincit.

Verum est, ut ne suos ita redargueret, ne quod apparet manifestum non videant infra eodem, cap. §. *At verò*, inquit, quòd potest Sanctus Thomas de scientia conditionata ibi intelligi. Si ergo apparet manifestum, quod loquatur de præscientia absoluta futurorum, quomodò potest intelligi de conditionata, an potest aliquid intelligi contra id quod apparet manifestum? Sed talis est temporum miseria, & doctrinæ libertas, ut etiam contra id quod manifestum apparet, aliud extortis explicationibus posse intelligi dicatur ut nihil sit in doctrina firmum, sed omnia in incerto permaneant. Quia enim inhonorificum putant retractare sententiam quam malè à principio tenuerunt, etiam contra id quod sibi apparet manifestum, in ea stare contendunt. Verum idem Franciscus Suarez vel quicumque sit Author operis tripartiti postea lib. 1. prolog. 2. cap. 6. explicando supradictum testimonium Sancti Thomæ à cognita manifestatione priori recedit dum sic dicit: potest etiam idem S. Thomas allegari in tertia parte quæst. 1. art. 3. ad 4. ubi dicit prædestinationem supponere præscientiam futurorum: quod de hac præscientia optimè intelligitur, nam absoluta præscientia futurorum potius sequitur ad prædestinationem maximè secundum sententiam Thomistarum. Sed ille locus, ut ibi notavi incertus est. Ad quid ergo inducit pro sua sententia incertum locum Sancti Thomæ? contra id quod prius dixerat esse manifestum, illum procedere de præscientia absoluta: sed in comment. ad tertiam partem ad quem locum se refert postquam dixit esse incertum, quod ibi Sanctus Thomas loquatur de scientia conditionata continuò hæc verba subjungit. *Tum quia ille*, nempè Sanctus Thomas, *rarò aut nunquam hujus scientiæ meminit, tum quia hujusmodi conditionata scientia non solet simplicer vocari præscientia futurorum.* Itaque omnium primo in comment. ad 3. partem expresè asserit Sanctum Thomam aut rarò aut nunquam meminisse sententiæ illius conditionatæ, postea in opuscul. dicit esse manifestum vel videri manifestum, quod in illo loco loquatur Sanctus Thomas de præscientia absoluta; & tamen postea in opere tripartito eumdem locum inducit pro præscientia illa conditionata: ut appareat quam consequenter loquatur: & quomodo rem cognitam incertam contra id quod sibi videtur manifestum, modo pro sua sententia, & media scientia, inducat.

Et per hoc patet ad fundamentum Recentiorum. Respondetur enim Sanctum Thomam loqui ibi de aliquorum futurorum præscientia absoluta, quæ antecedit decretum prædestinationis, ut modò probatum est. Et ad instantiam dicendum quod licet Christi prædestinatio fuerit in divina mente prior in genere causæ finalis quia videlicet erat de fine, ad quem Deus omnia creata & creanda ordinabat (fine inquam non ultimo, nam iste est gloria Dei ad quam etiam ipsa Christi Domini Incarnatio ordinatur) cæterum in genere causæ occasionalis, & quasi materialis sive dispositivæ priùs voluit divina voluntas peccatum permittere, ita quod ex ipsa peccati permissione nostro intelligendi modo, sicut ex causa dispositiva ad prædestinationem Christi Redemptoris processit. Unde talis peccati permissio in genere causæ quasi materialis & dispositivæ, prior fuit in divina mente quàm Christi prædestinatio & ex consequenti in isto genere priùs fuit peccatum præviſum scientia visionis absoluta: Quare inducere hic scientiam conditionatam, est illam ad quodlibet sine delectu intromittere. In forma itaque ad argumentum dicendum futura esse in duplici differentia: quædam enim sunt ex ipsa prædestinatione: ut effectus illius: Ita quod prædestinatio est vera causa efficiens illorum: & futura ista non cognoscuntur absolutâ præscientia ante prædestinationem. Alia sunt futura, quæ non constituuntur per prædestinationem nec sunt illius effectus in genere causæ efficientis, sed potius præsupponuntur ad ipsam sicut subjectum: sicut natura præsupponitur ad gratiam, & cognitio infirmitatis ad medicinam: & hoc modo cognitio peccati originalis præsupponitur, ut in remedium illius Christus prædestinaretur. Dicendum est ergo quòd si cognitio originalis peccati, vel peccatum ipsum verè effectus esset in genere causæ efficientis prædestinationis Christi, nullo modo & in nullo priori rationis posset cognosci ante Christi prædestinationem, at cum potius fuerit quasi subjectum, & occasio ut Christus prædestinaretur: in aliquo priori genere causæ potuit præsciri, & de facto fuit scitum antè prædestinationem Christi.

Igitur prædestinatio Christi & voluntas permittendi peccatum, & peccatum ipsum, absoluta præscientia præcognitum in diverso genere causæ se ad invicem antecedunt, & quod est in uno genere prius, fit posterius in alio; nec enim est Christus prædestinatus sine ordine ad futurum peccatum & ad permissionem ipsius & ad omnia alia naturalia & supernaturalia, nec ipsa omnia naturalia & supernaturalia etiam ipsa peccati permissio, sunt à Deo volita vel permissa, nisi in ordine ad Christi Domini prædestinationem sicut ad finem, sicut Deus simul voluit creare naturam & gratiam dare, volendo priùs naturam in genere causæ materialis perficiendæ per gratiam, & gratiam volendo in genere causæ finalis perficientis ipsam naturam, & utrumque priùs in genere causæ materialis, quam Christi Domini Incarnationem, per quam omnia tam naturalia quam supernaturalia perficiuntur; ipsam autem Christi Domini Incarnationem voluit ut finem perficientem omnia illa. Præscivit ergo Deus per scientiam absolutam & visionis peccatum absolutè futurum, suppositâ divina permissione, quæ in genere causæ quasi materialis erat prior quàm Christi Domini Incarnatio seu prædestinatio.

Tertius locus affertur ex q. 6. de verit. art. 3. ubi ait: *liberum arbitrium deficere potest à salute tamen in eo quem Deus prædestinat tot alia adminicula præparat, quod vel non cadat vel si cadat, quod resurgat.* In hoc testimonio suam volunt fundare scientiam mediam, dicentes scire Deum liberum arbitrium defecturum, si talibus auxiliis præmoveatur & consensurum si aliis in alia occasione præveniatur & eum quem vult prædestinare, constituere in illis occasionibus, quibus scit ipsum tandem consensurum tot videlicet multiplicando, quod si non istis tandem illis consentiat.

Dicendum tamen ibi Sanctum Thomam de scientia conditionatorum non loqui, sed de præscientia absolutorum & quod in eo quem Deus prædestinat

Digitized by Google

tot adminicula præparat, quod vel non cadat vel si ceciderit, resurgat; illa autem adminicula quibus Deus scit ipsum vel non stare vel non resurgere, scit Deus ex divino proposito efficaciam non habere, illa autem alia, quibus Deus scit illum vel non cadere, vel post casum resurgere, id scit Deus, quia ita efficaciter dispossuit illis adminiculis illum liberare. Et quod ista sit S. Thomæ mens patet apertè ex contextu; demonstrare enim ex professo intendebat prædestinationem non solum esse certam ex præscientia eventus, sed ex vi ordinis, qui à divina voluntate præparatur. Ergo illa adminicula quibus Deus hominem liberat, ex vi ordinis à divina voluntate præparati efficaciam habent, & non solùm ex parte præscientiæ, ut media scientia opinatur. Certè quomodò iste locus præoccupetur à tenentibus scientiam mediam intelligere non valemus, cum potissimè in litera hujus articuli efficaciùs præ cæteris media ista scientia confundatur, ut satis constat ex capite præcedenti, & abundantius confirmabimus, & explicabimus lib. 2. infra agentes de certitudine divinæ prædestinationis, ubi in particulari testimonium hoc expendetur.

Adducunt etiam Sanctum Thomam in omnibus locis quibus docet Deum cognoscere futura contingentia, ut sunt realiter in æternitate præsentia: ex quibus inferunt illa cognosci à Deo secundùm S. Thomam ante decretum divinæ voluntatis. Ad quod respondetur sine apparentia aliqua esse illationem talem, quasi illa futura, quæ nobis sunt futura, & jam Deo in sua æternitate præsentia, sic sint præsentia ante actum divinæ voluntatis, vel volentis illa in tempore causare si bona sint, vel permittere si mala, volendo simul causare entitatem, & actionem illorum quatenus entitas & actio est ut infra secundo libro copiosiùs explicabimus.

Non dissimili ratione adducunt S. Thomam 1. p. q. 23. art. 7. dicentem non omnia esse à Deo prædefinita, & ex consequenti, quòd cognoscantur sine actu antecedentis divinæ voluntatis. Ad quod est dicendum falsò citari locum illum, quia S. Thomas tantùm ibi dicit, quòd non omnia sunt ex principali prædefinitione & intentione prædefinita, non autem dicit non esse prædefinita. Itaque in illo articulo expressè docet quædam ex principali intentione, alia secundariò, & non ex primaria intentione prædefinita, ut alibi fusè ostendemus.

Inducunt etiam S. Thomam 2. 2. q. 174. art. 1. dividentem prophetiam in prophetiam præscientiæ, & prophetiam prædestinationis, ex quo inferunt prophetiam præscientiæ non esse ex prædestinatione, nec ex actu divinæ voluntatis sed ante illum. Cæterum falsò ad hoc inducitur locus iste, quid enim S. Thomas per hoc intelligat dicemus infra libro secundo nec enim omnia hæc sunt disputanda, sed ibi videnda in propria materia prædestinationis.

Inducunt etiam opusculum de præscientia & prædestinatione cap. 7. pro media scientia, sed illud in primis non esse S. Thomæ, liber opusculorum ejus declarat, nec enim inter opuscula illa invenitur in impressione correcta Romana, & quando S. Thomæ esset, non obstaret; quia tantùm ibi dicit quod Deus hominem creavit, quem sciebat peccaturum si creatus esset. Hoc quidem scivit Deus, sed post decretum quo illum cadere permisit, ut ex professo infrà explicabitur, ubi Sanctos alios DD. qui id priùs asseruerunt, in vera intelligentia contra mediam scientiam explanabimus.

Tandem quomodo Sanctum Thomam pro hac sua media scientia audent allegare: cum ipsimet supra relati fateantur Scholasticos Authores parùm aut nihil de hac media scientia tradidisse? potissimè cum Ludovicus Molina quem alij sequuntur in defendenda hac media scientia glorietur se illam invenisse pro vera concordia prædestinationis & gratiæ, dicatque in concordia Sanctum Patrem Augustinum & Thomam hanc mediam scientiam ignorasse quam, ut inquit, approbassent, si eis proposita & explicata fuisset. Hujus Authoris verba relata sunt suprà in assert. ult.

CAPUT XI.

Rationibus falsitas hujus mediæ scientiæ demonstratur.

POST tot Doctores Sanctos, qui ita ex professo hanc mediam scientiam condemnant, non desunt rationes, quæ impossibilitatem illius demonstrant; nec illa in ultimo loco constituenda est, quæ ex varietate & contradictione horum Recentiorum desumitur circa stabiliendam hanc mediam scientiam, quam & totius suæ doctrinæ voluerunt esse fundamentum. Tanta enim diversitas in stabiliendo hoc suo fundamento, manifestum indicium est falsitatis.

Inventor hujus scientiæ mediæ Molina in concord. quæst. 23. art. 4. & 5. disput. prima membr. 11. §. *De secunda autem*, apertè dicit Sanctos Doctores parum aut nihil de hac media scientia fuisse loquutos; undè in se ipso quod illam invenerit, gloriatur. Franciscus autem Suarez in suis opusculis lib. 2. de scientia conditionata mediam scientiam à Sanctis Patribus & Scholasticis traditam, etiam ipsis esse satis familiarem contendit. Hoc autem quid est aliud, quam sibi invicem contradicere? sed illius prioris qui gloriatur hanc se novam invenisse doctrinam verba referamus; sic enim habet: *longior fui in hac disputatione quam optaram, vereorque ne aliquarum rerum repetitio lectori molestiam attulerit quia tamen res est magni momenti & valdè lubrica & hac nostra ratio conciliandi libertatem arbitrij cum divina prædestinatione à nemine quem viderim hucusque tradita; ideo satis hac duxi paulò fusiùs explicare*, ita dicit q. 23. art. 4. & 5. disput. 1. in ultimis verbis totiùs disputationis, & disput. eadem membr. 11. §. de secunda, sic præmiserat. *De secunda autem q. parum aut nihil tam Patres quam Doctores Scholastici loquuti sunt: cum tamen à præscientia illa media (quam nullo refragante, comparatione determinationis arbitrij creaturarum in unam aut alteram partem in Deo ante omnem actum liberum suæ voluntatis constituimus) pendeat legitima conciliatio præscientiæ, providentiæ, & prædestinationis cum arbitrij libertate.* Hæc ille unum ad præsens observatum vellim quod jam satis supra dedimus manifestum, semper nimirum Patres hanc concordiam arbitrij cum prædestinatione & gratia per hanc mediam præscientiam, condemnasse. Prudens igitur lector perpendat qualiter quare ratione, aut motivo prædictus Author suam concordiam & novam agnoscit & novam Ecclesiæ proponere non formidet. Nec illius novitas aliis verbis, quam S. Cyrilli in Epistola ad Clericos Constantinos, quæ refertur in Concilio Ephesino tom. 1. profliganda est. Cum enim ibi dixisset Nestorius: *Animadverto Plebem nostram præclaros cum in Religione, tum in pietatis quoque fervore progressus fecisse; sed magna interim divinæ notitiæ ignoratione teneri video. Nec tamen idipsi Populo, vitio vertendum existimo, sed ut modestè loquar, Doctoribus,*

Digitized by Google

Doctoribus, quibus tantum non ſuppetit otij, ut quippiam accuratiùs de dogmatibus vobis proponant; Adverſus verba Neſtorij ita Cyrillus, *Ad cujus*, inquit, *demonſtrationem publicamque redargutionem, unum hoc ſat eſt, quod ejuſmodi in illis exegeſibus leguntur, cujuſmodi à nemine unquam in Eccleſiis dicta comperiuntur.* Et paulò inferiùs. *Quod hoc ſupercilium? Quæ hæc oratio? Numquid qui illum anteceſſerunt doctrinæ fidei operam non dederunt? Numquid eloquentior eſt Ioanne Chryſoſtomo? Numquid ſapientior eſt forſan Attico? Imò verò cur ingenuè non agnoſcit doctrinam ſe invexiſſe peregrinam planeque inuſitatam, talem denique quæ præ ſua abſurditate majoribus noſtris in nullis unquam Eccleſiis, aut fidelium cœtibus vel cognita fuit, vel approbata.* Ita Neſtorium de novitate gloriantem refellit Sanctus Cyrillus, nec aliis verbis refellendus venit hic author, qui doctrinam in materia prædeſtinationis & gratiæ, ac libertatis arbitrij, quam à nemine traditam agnoſcit, novam noviter in Eccleſia divulgat.

Sed ad principale intentum revertamur & aliam ſecundam inter ipſos defenſores hujus mediæ ſcientiæ contrarietatem denudemus, ea eſt circa Sancti Auguſtini mentem in ordine ad hanc mediam ſcientiam. Nam Ludovicus Molina primus hujus doctrinæ promulgator negat Auguſtinum eam admiſiſſe in prædicta quæſt. 23. membr. 6. §. *Quoad Auguſtinum.* Franciſcus autem Suarez ubi ſupra pro viribus laborat illam S.P.Auguſtino tribuere, in quo majorem S.Doctori irrogat injuriam & ſibi ad invicem adverſantur.

Circa Scholaſticorum etiam ſententiam de hac media ſcientia non minor eſt ipſorum varietas & contradictio, dum Gabriel Vaſquez 1.p. quæſt. 14. diſput. 67. cum primo hujus ſcientiæ inventore affirmat, Scholaſticos nullam hujus ſcientiæ mentionem feciſſe. Franciſcus autem Suarez ubi ſupra, dicit in hanc defendendam mediam ſcientiam Scholaſticos conſpiraſſe.

Quarta ipſorum varietas & diverſitas. Etenim ipſorum aliqui ut Molina diſput. 52. §. *Triplicem* & §. *Sciſcitabitur* & Gabriel Vaſquez ubi ſupra, hanc mediam ſcientiam ad ſimplicem intelligentiam dicunt eſſe reducendam nec ad ſcientiam viſionis reduci debere affirmant, alius non ad ſimplicem intelligentiam ſed ad viſionis ſcientiam arbitratur pertinere, affirmans illam ex parte objecti ſimpliciter liberam eſſe, cujus & verba ſunt. *Quapropter ego exiſtimo Theologos hanc ſcientiam ſub ſcientia viſionis comprehendiſſe, quia & eſt ſimpliciter libera ex parte objecti ſicut illa, & eodem modo concipitur in Deo per modum ſimplicis intuitionis veritatis contingentis ut inferiùs declarabimus.* Sed quod magis eſt, nec iſte author in ſuis dictis perſeverat, quia poſtea lib. 1. de eſſentia prædeſtinationis cap. 7. §. *Ratio igitur*, ait, quod illa comprehenditur ſub ſcientia ſimplicis intelligentiæ & ſic nedum aliis, ſed ſibi ipſi contrarius eſt, & variè de illa loquitur. Quæ varietas minus ſolidam doctrinam oſtendit; niſi dicatur, quod mutavit ſententiam, quod ſi ſic eſt, cum tantam videat varietatem, mutare potius debuerat ſententiam in reipſa, & hanc mediam ſcientiam quæ ante decretum liberum divinæ voluntatis ponitur reprobare.

Adjiciam quod prædicti Patres cum Romæ cauſa iſta tractaretur, tractatum quemdam pro media ſcientia cenſoribus tradiderunt, (de quo & ſupra mentionem jam fecimus) qui propterea communi conſenſu elaboratus apertè eam ad ſcientiam viſionis pertinere dicebat. Ideò autem propriè eam ad viſionis ſcientiam ſpectare aſſerebat, quia ejus objectum eſt quid liberum futurum ſub conditione & quia ex objecto potiſſimè ſcientia denominatur, ut appareat quantam varietatem & contradictionem haberent ij authores circa hanc ſuam mediam ſcientiam ſtabiliendam.

Tandem his poſterioribus contraveniens & prioribus conſentiens Leonardus Leſſius, qui poſteà ſcripſit anno 1610. aſſerit quòd vocatur præſcientia conditionalis, quamvis revera ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & rerum poſſibilium pertineat, ita aſſeruit cap. 19. in principio ſui libri. Sed & alius hujus ſententiæ ſectator & ſcientiæ mediæ defenſor ſupra relatus cap. 6. in ſuo libro Typis mandato ſub anno 1611. quem opuſcula Theologica inſcripſit, hanc ſcientiam non mediam dicit appellandam, ſed pertinere putat ad ſimplicem intelligentiam, ut ſuperiori loco relatum eſt.

Circà nomen etiam illius cum omnes ejus ſectatores mediam appellent; Pater tamen Suarez lib. 2. ſuorum opuſculorum cap. 3. non audet hanc ſcientiam appellare mediam: fatetur namque id quod Theologo debet eſſe certum, hoc nomen novum eſſe nec in Theologia admittendum, cùm quo conſentit alius modò citatus.

Sit quinta eorum diverſitas, nam poſita hac ſcientia media ſtatim conſtituit Gabriel Vaſquez ubi ſupra diſput. 99. cap. 5. §. *Horum* in Deo actum prædefinientem & prædeterminantem actus bonos morales, at verò alij prædefinitionem illam conſtanter oppugnant ſicut libertatis deſtructivam. Ita Molina & Leonardus Leſſius in diſput. de prædeſtinat. tum in Prologo tum ſectione 5. argum. 6. Alij vero media via pergentes reſpectu aliquorum actuum admittunt prædefinitiones non reſpectu omnium, ut Franciſcus Suarez libro 2. de concurſu Dei quæſti. an omnes boni actus §. Addo verò. Poſſunt tamen ij authores contra Thomiſtas argumentum ſimile opponere de diverſitate ſive contradictione in ſtatuendo modum, quo futura conditionata, quæ numquam futura ſunt, à Deo cognoſcantur: nam diverſos eſſe in hac parte Alvarez, Ledeſma, Zumel & Cabrera, opponit author operis tripartiti in libro 1. prolegom. de ſcientia conditionata cap. 1. Oppoſitos inquam ſibi dicit quantum ad hoc quod illa futura conditionata cognoſcantur vel in decreto divinæ voluntatis vel ante ipſum: de quo tamen dicemus agentes an in Deo circa talia conditionata futura decretum ſit conſtituendum. Nec noſtræ intentionis eſt omnes S. Thomæ diſcipulos à contradictione liberare, nihil enim mirum, quod in aliquibus diverſa ſentiant. Cum omnes conveniant in defendenda divinæ voluntatis efficacia ſupra liberas hominum voluntates, quam media illa ſcientia negat. Verùm ad alias horum authorum contradictiones revertamur.

Sed nec his contenti ſimus, ſed aliam ipſorum ſextam aperiamus manifeſtam contradictionem. Dicunt enim quidam cum Molina in diſput. 52. §. *Quæres fortaſſis*, hanc ſcientiam eſſe in Deo, quia ex altiſſima & infinita comprehenſione qua divinus intellectus comprehendit arbitrium creatum, certò cognoſcit quid ipſum, ſi in tali vel tali ordine rerum collocaretur acturum ſit. Alij verò cum P.Suarez libro 2. de ſcientia condit. futur. conting. cap. 7. Videntes rationem contra hoc à defenſoribus gratiæ objectam planè contrarium demonſtrare, fatentur contra priores impoſſibile eſſe, quod in comprehenſione humani intellectus & arbitrij talia futura certò cognoſcantur. Unde alia via procedentes affirmant, illud tale futurum conditionatum certò à Deo cognoſci in ipſa veritate in ſeipſa, qua videlicet determinata eſt ad unam partem. Sed quodammodo ſe vindicans Molina affirmat expreſsè in concord. diſput. 52. §. *Quidam contendentes*, & §. *Verumtamen*, hanc ſententiam quam amplectitur Suarez & cum Ariſtotelis doctrina & cum communi Doctorum ſententia & cum natu-

Digitized by Google

contingentis pugnare & contingentiam rerum negare. Ecce Suarez dicit modum, quem Molina conſtituit ad hujuſmodi futura cognoſcenda, eſſe impoſſibilem: Molina autem ait alterum quem fundat Suarez tollere rerum libertatem & contingentiam. Quamvis autem alij ſint modi quibus alij laborant certitudinem illius mediæ ſcientiæ fundare tamen iſti duo principaliores ſunt ſibique contrarij quod modo oſtendere intendimus de aliis modis alibi ſuo proprio loco commodiùs tractaturi, ubi oſtendemus quinam ex his authoribus ad ſuam ſententiam conſequentiùs loquantur.

Quis autem non videat tam mutuam in dicendo contrarietatem ac diſcordiam redolere falſitatem, quæ multicolor eſt. Idcirco ſemper ij qui falſam doctrinam ſuperſeminarunt in varios modos illam tradendi abinvicem diviſi ſunt, dum quod aliquibus placet aliis diſplicet; quemadmodum obſervavit D. Irenæus lib. 1. contra hæreſ. cap. 5. 6. & 7. poſt illum Sanderus, Tapert. Driedo, & alij plures qui contra novatores hujus temporis ſcripſerunt.

Septima ipſorum contradictio eſt, dum aliqui ipſorum judicant quod ſicut Deus ante decretum ſuæ voluntatis certò & infallibiliter cognoſcit, quid liberum arbitrium ſi ſic, vel ſic conſtituatur acturum ſit; ita etiam cognoſcit eadem media ſcientia in quam partem ſua libera & divina voluntas inclinatura erat. Alij verò id omninò negant de divino intellectu reſpectu ſuæ divinæ voluntatis, cum tamen id conſtantiſſimè affirment de intellectu divino reſpectu humanæ libertatis. Ita Molina diſput. 52. §. *Quæres fortaſſis* Diotalevius, & quidem priores illi convincuntur dicere Deum ante omne decretum voluntatis cognoſcere futurum abſolutum, ſiquidem cognoſcere ponitur, quid volitura eſt ſua voluntas ſimpliciter & abſolutè, & ex conſequenti dicitur quod Deus cognoſcat ante omne decretum ſuæ voluntatis futurum actum liberum abſolutum ejuſdem voluntatis. Nam in divina voluntate non eſt recurſus ad imaginarias illas conditiones, ſi ſub talibus vel talibus conditionibus conſtituatur, ut eſt patentiſſimum. Unde convincitur in illo modo dicendi, Deum abſoluta præſcientia ſcire ante omne ſuæ divinæ voluntatis decretum liberum, in quam partem abſolutè & ſimpliciter inclinatura eſt ſua voluntas. Unde jam cognoſceret Deus actum liberum ſuæ voluntatis abſolutè antequam ſua voluntas ſe liberè determinet. Quod autem ſit abſoluta illa præſcientia, id eſt, de futuro libero abſolutè conſtat, quia abſolutè & ſine conditione cognoſcit divinam voluntatem aliquid volituram circa creaturarum creationem vel non creationem. Unde abſolutè etiam & ſine conditione cognoſcit, illam hoc vel illud determinatè volituram, ſecundum illorum ſententiam. Iſte enim alius actus, quod divina voluntas circa creaturas aliquid velit, videlicet illas volendo vel nolendo producere, actus neceſſarius eſt & abſolutè à ſcientia neceſſaria Dei cognoſcitur, unde ille actus ſic disjunctim poſitus à conditione non pendet. Tunc rurſus, illo cognito Deus certò ſcit in ſecundo inſtanti rationis jam exiſtentem talem actum liberum ſuæ voluntatis, ut ponit ultimus ille modus dicendi illius auctoris duorum opuſculorum: ergo abſoluta præſcientia cognoſcit divinus intellectus ante ſuæ voluntatis actum liberum ejuſdem voluntatis liberum actum abſolutum. Jam ergo tunc erit in Deo ſcientia de futuro aliquo libero abſoluto ante omne liberum decretum divinæ voluntatis: ſed ſcientia, quæ omnino prævenit omne liberum decretum voluntatis Dei, & eſt de objecto abſoluto, eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ & eſt omninò neceſſaria in Deo, ut omnes Theologi fatentur, ergo abſoluta & neceſſaria ſcientia erit de objecto omnino libero, quod contradictionem involuit, quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ quæ eſt omninò neceſſaria de objecto neceſſario eſt, nec poteſt eſſe de objecto libero. Sed in ſequentibus magis hoc explicandum erit, & probandum.

Sed opponunt aliqui: Deus intuitivè cognoſcit omne, quod licet futurum ſit, coëxiſtit tamen jam præſens æternitati; ſed illa futura Dei volitio coëxiſtit præſens æternitati; ergo certò à Deo cognoſcitur in illo priori antequàm ſit. Hoc argumentum quod aliquibus feciſſe difficultatem aliquando comperi nullam prorſus habet. Quia enim S. Thomas docet Deum intuitivè cognoſcere omnia futura, quia jam illa coëxiſtunt præſentia æternitati, ſupponit illa certò futura eſſe in ordine ad menſuram temporis & certò coëxiſtere æternitati præſentia, ſi autem ſit aliquod futurum quod certò futurum non ſit, ſed tantùm poſſit eſſe futurum, illud ex conſequenti nec certo coëxiſtet præſens æternitati, ut patet in omnibus poſſibilibus, antequam determinatam veritatem quoad unam partem & cauſam ſui eſſe determinatam habeant; ſed quid ſit volitura divina voluntas ante ejuſdem divinæ voluntatis determinationem non habet certam veritatem, quoad unam partem, nec eſt certò futura hæc ſignata vel illa contradictionis pars, ſed tantùm manet poſſibilis utraque ut eſt manifeſtum, quia aliàs jam eſſet illa volitio neceſſaria abſolutè, ſi ante primam libertatem haberet neceſſariam veritatem quoad partem unam: ergo ante determinationem voluntatis divinæ ſicut non eſt certò futura talis in particulari volitio, nimirùm volo creare mundum, ita nec talis volitio, quæ determinata pro illo priori rationis non eſt, coëxiſtit præſens æternitati, & ex conſequenti nec pro illo priori poterit à Deo vel inſpici vel certò cognoſci.

Hanc ergo mediam ſcientiam iſtis ſepten capitibus exornatam relinquamus, quæ à defenſoribus ſuis adhibentur vel ex ipſorum dictis manifeſtiſſimè concluduntur & rationibus aliis hujus ſcientiæ impoſſibilitatem demonſtremus.

CAPUT XII.

Aliis rationibus impoſſibilitas hujus mediæ ſcientiæ aperitur.

DEFENSORES hujus mediæ ſcientiæ illud expreſſis verbis fatentur hanc ſcientiam nec plenè naturalem eſſe nec plenè liberam, ſed mediam quamdam inter naturalem & liberam; unde & nomen mediæ ſcientiæ accepit, ſed quam impoſſibile ſit quis non videat? dare enim in Deo cognitionem quæ nec ſit naturalis, nec libera ſed mixta, abſurditatis genere non caret. Quia ille actus debet procedere à potentia ut natura eſt vel ut libera eſt. Si primum, erit ſcientia naturalis & neceſſaria. Si ſecundum erit libera. Implicatio eſt ergo, quòd media ſit inter utramque. Antecedens primum conſtat, quia illa cognitio vel debet procedere à potentia ut à natura determinata ad unum, vel ut non determinata ad unum ex natura ſua, cum iſta contradictoriè opponantur; ſi ut eſt determinata ad unum ex natura ſua erit actus naturalis & neceſſarius, ſi autem procedit à potentia ut non determinata: ergo procedit ab illa ut indifferenti ad utrumque ex natura ſua & ſic erit actus ſimpliciter liber. Sicut ergo eſt impoſſibile quod actus aliquis ſimul procedat à potentia determinata ad unum ex natura ſua & non determinata ad unum ex natura ſua, ità impoſſibile eſt, quod aliquis actus ſit ſimul neceſſarius, & liber.

Prætereà in hominibus in quibus dantur actus non

non plenè deliberati nullus invenitur, qui non sit vel simpliciter necessarius, vel simpliciter liber, ut est manifestum: ergo multominùs in Deo hæc scientia reperiri potest, quæ nec sit naturalis nec libera. Patet consequentia, quia in Deo non sunt semiplenæ deliberationes. Certè si alicubi posset dari actus nec necessarius simpliciter nec simpliciter liber esset in illis subjectis, quæ admittere possunt non plenam deliberationem, non autem ubi nulla semiplena deliberatio est, sed undequaque plena atque perfecta. Item cognoscere Deum res quæ sunt extra ipsum, vel est in potestate ipsius Dei, vel non est in potestate illius? Si primum detur, illa cognitio erit simpliciter libera: si autem secundum concedatur, illa erit in Deo necessaria simpliciter postquam non est in potestate ipsius Dei: non ergo est media, mixta videlicet ex naturali, & libera.

Ultimus autem hujus scientiæ defensor Diotalevius in proëmio secundi sui opusculi pro defensione hujus scientiæ elaborato, dicit non esse appellandam scientiam mediam inter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, nec inter naturalem & liberam, sed diversis rationibus sub altero membro contineri. Si enim consideretur, quatenùs est de objecto libero, quod potest pro humana libertate aliter esse, est scientia libera; si verò consideretur, quatenus antecedit actum liberum voluntatis Dei est naturalis, & pertinet ad simplicem intelligentiam, undè ait, quod si scientia dicatur libera, quæ est de objecto libero, illa est libera, si vero scientia dicatur libera, quæ sequitur ad actum liberum Dei, illa non est libera. Et sic conditionaliter loquens author iste per scientiam conditionatam nihil ponit in re, ut communiter dici solet, nec dicit quid absolutè & simpliciter dici debeat. Interrogandus est enim in primis. Quomodò cum secundum unam rationem pertineat ad scientiam liberam, & sub alia ratione ad naturalem, ut modò asserit, & utramque illam rationem comprehendat nec totaliter sit vel sub una, vel sub alia, sed partim, id est, sub una consideratione sub una, & partim, id est, sub alia consideratione sub alia, non sit media inter utramque, si quidem ex parte aliquid de utraque participat. Id ergo de illa asserere & ex alia parte negare dicendam esse scientiam mediam non consequenter asseritur, sed credendum illi potiùs fuerat Magistris suis, qui illam mediam appellarunt, videntes eam de utraque aliquid ut mediam inter utramque participare.

Interrogandus est etiam quid simpliciter & absolutè præponderet magis in illa an esse liberam, an esse naturalem? Si enim hoc ultimum dicat, ut asserere videtur, obstat, quia cum objectum ejus liberum sit, & ex objecto simpliciter & absolutè specificatio scientiæ proveniat, potiùs è contrà erit simpliciter & absolutè dicenda libera. Si verò hoc tractus argumento concedat, ex oppositio est, quòd jam scientia libera dicitur absoluta in Deo cujus libera ratio, seu specificatio à libertate divina non descendat, sed ab humana libertate dependeat originaliter: imò solùm ab ea proveniat. Et sic jam divina scientia non à Deo, sed ab objecto creato speciem suam sumeret & perfectionem, quod admitti non potest. Verbis ergo solum negat illam mediam scientiam esse & verbis solùm inconvenientia vitare videtur, quæ inferius contrà hanc mediam scientiam, quolibet modo appelletur, monstrabimus militare.

Præterea, quomodò non vidit illam scientiam secundum ipsos simpliciter, imò totaliter dicendam esse naturalem in Deo, cum ponatur ab ipsis omninò antecedere divinam libertatem, sicut enim actus in me quicumque, qui antecedit meam libertatem est in me simpliciter imò totaliter necessarius; ita illa Dei cognitio, quæ ponitur omninò antecedere libertatem divinam, dicenda erit omninò necessaria in Deo: Cujus ratio est, quia actus quilibet sive intellectus sive voluntatis, dicitur & est simpliciter necessarius vel liber ob antecedentia vel subsequenia ad libertatem subjecti in quo est, quod mirùm est si quis neget. Et hinc sequitur illa maxima contradictio, ut sit illa media scientia in Deo simpliciter, imò totaliter necessaria & ex alia parte ponatur esse de objecto libero.

Potissimè augetur difficultas in illa scientia, quæ ponitur scire, quid divina voluntas factura sit. Hæc enim cum necessaria sit & absoluta, ut supra probatum est, erit omninò absoluta & omninò necessaria &: tamen erit de objecto omnino libero, quod non potest magis esse implicatorium. Qua ratione motus Molina rectè dixit, quod si illa ponatur tollit à divina voluntate libertatem, quia videbat quod scientia absoluta, & necessaria omninò non potest esse nisi de objecto necessario & non libero.

Sed respondent quod cum ista cognitio omnem liberum actum divinæ voluntatis antecedat, non est in potestate Dei aliud per illam scire, quam scivit, dicunt tamen esse in potestate hominis facere quod Deus aliud sciat, quam reipsa scivit, quia videlicet potest homo aliud facere, quam reipsa facit. At mirum profectò est quod ista Theologi concedant, & magis mirandum quod talis media scientia quibusdam arriserit, & non omnes vno ore illam expugnarint, audientes necessariò sequi id quod sui authores publicabant, videlicet non esse in potestate Dei aliud per illam scire quam scivit, esse autem in hominis potestate facere quod Deus aliud per ipsam sciat, quam scivit. Iam ergo aliquid est in hominis potestate, quod non est in potestate Dei, & homo potest aliquid facere quod tamen Deus non potest facere ut ipse faciat. Quo quid indignius divina omnipotentia excogitari potest? Nam implicationem satis notam involuit ponere aliquid possibile per ordinem ad potentiam creatam, & quod non sit possibile per ordinem ad potentiam divinam, cum omnis potentia creata participetur à potentia divina. Manifestè ergo repugnat aliquid esse liberum ad voluntatem creatam, quin etiam liberum sit ad voluntatem divinam. Quomodò ergo dici potest esse in potestate libera hominis aliud facere & non esse in potestate libera Dei aliud facere vel aliud scire.

Nec vis rationis infringitur, si dicatur, quod potest Deus illum hominem in tali rerum ordine non constituere, vel potest cum ipso in tali rerum ordine constituto non concurrere, & sic potest facere quod ille homo aliud faciat. Hoc si dicatur vim rationis factæ nullo modo infirmat; semper enim instat ratio, quod supposito, quod homo sit constitutus in tali ordine rerum & cum tali concursu possit aliud facere & possit facere quod Deus aliud sciat & tamen quod eadem suppositione præmissa non possit Deus aliud scire & ita aliquid erit in hominis potestate, quod non erit in potestate Dei, ut apertissimis verbis sui authores fatentur. Similiter hac suppositione facta, quod videlicet homo ille constituatur in tali rerum ordine, potest aliud operari & velle & tamen eadem præmissa suppositione non potest Deus facere, quod ille aliud operetur vel velit. Quod profectò sufficere deberet ad deterrendum homines ab hac media scientia. Nam ex illa manifestè sequitur non fuisse in potestate libera Dei, quod si Verbum assumeret naturam humanam non invitaretur ad nuptias. Patet quia cognovit secundum illos per scientiam mediam ante omnem suam voluntatem, quod si verbum assume-

Digitized by Google

ret naturam humanam invitaretur ad nuptias. Ergo oppositum nec scire, nec per suam potentiam facere potuit.

Nec huic argumento, & pluribus similibus, quæ confici possunt Franciscus Suarez respondet, cum ait illam invitationem ad nuptias habuisse dependentiam à pluribus aliis conditionibus, quas Deus immutare poterat. Frivola certè ista solutio, quia quidquid sit de dependentia illius futuri conditionati ab aliis conditionibus; certum apud illos est, quod Deus certò illud cognovit per mediam scientiam ante omnem suam liberam voluntatem: ergo non potuit aliud scire nec immutare aliquid per quod non esset certò à Deo cognitum illud futurum conditionatum: ergo nullam conditionem potuit immutare, per cujus mutationem variaretur illud futurum conditionatum certò à Deo cognitum per illam mediam scientiam.

Secundò, quia ille concursus clauditur in objecto illius scientiæ mediæ, cognoscit enim illa, quod si ille homo constituatur in tali rerum ordine & Deus velit præbere suum concursum, quo resistat tentationi, vel disputet, resistet, vel disputabit. Unde supposito quod sic constituatur & detur talis concursus, adhuc ipse homo potest aliud facere & tamen Deus non potest facere, quod ille aliud faciat.

Confirmatur, nam planè sequitur, quod sit aliquod futurum contingens & quod non sit futurum contingens, quæ implicatio est. Primum constat, quia homo in tali rerum ordine constitutus contingenter & liberè illum actum præscitum operabitur & verè operatio illa erit libera & contingens, ut planè fatentur hujus scientiæ assertores. Quod autem non sit futurum contingens constat, quia id quod Deus non potest impedire quin eveniat, futurum contingens non potest vocari. Quod si dicatur esse futurum contingens & possibile respectu causæ secundæ, non autem respectu primæ causæ, ergo jam illud erit possibile & contingens respectu secundæ causæ, impossibile autem respectu primæ, quo nihil potest esse magis implicatorium.

Quæ argumenta eodem omninò modo illum dicendi modum Diotalevij impugnant. Posito enim libero arbitrio in illo ordine rerum, ita videt Deus in secundo instanti rationis ab ipso signato & supra ex ipso exposito, actum determinatum exire à potentia libera humanæ voluntatis, quod videt alium potuisse ab eadem pro sua libertate oriri & tamen non fuit in potestate Dei aliud scire nec potuit ipse efficere ut voluntas sic constituta aliud efficeret, cum potestatem supra talem voluntatem non ponatur habere nec manus sed oculos solùm ad videndum quid ipsa ex se, inchoare voluerit.

CAPUT XIII.

Rationibus aliis media scientia impugnatur.

IMò aliud terribile magis cõsequitur, nimirum Verbum divinum generari non ex cognitione Patris omninò & omnibus modis necessaria, sed ex cognitione partim libera, partim necessaria, quod Catholica veritas non admittit. Probatur apertè quia Verbum divinum procedit secundum hos authores etiam ex cognitione quæ habetur in Deo per illam mediam scientiam, ergo procedit ex cognitione partim libera & partim necessaria. Probatur antecedens, quia procedit divinum Verbum ex cognitione comprehensiva Patris, quæ antecedit omnem actum divinæ voluntatis, sed etiam illa media scientia secundum hos authores pertinet ad scientiam comprehensivam Dei cum antecedat omnem actum divinæ voluntatis: ergo ex illa media scientia procedit divinum Verbum.

Imò consequenter convincitur quod productio divini Verbi pendeat ab aliquo contingenti, quod magis fidei repugnat. Probatur, quia Verbi divini productio pendet ex illa media scientia, quæ in Deo quantum est ex parte Dei necessaria est, omnem ejus antevertens libertatem, ergo pendet ex objecto talis scientiæ. Consequentia ista manifesta est, quidquid enim ab aliqua scientia vel cognitione dependet necesse est quod etiam ex objecto talis scientiæ vel cognitionis dependeat, sed objectum illius mediæ scientiæ seu cognitionis, ut sui defensores publicant, est futurum contingens, ad hoc enim ponitur, ut per eam certò Deus futura contingentia cognoscat, ergo divini Verbi productio ab illo futuro contingenti dependet vel potiùs ab omnibus futuris contingentibus, quæ per illam mediam scientiam cognosci ponuntur.

Planè non apparet, quid huic argumento responderi possit à defensoribus illius scientiæ mediæ nisi ex alia simili absurditate dicant, quod illa media scientia solùm antecedit in Deo omnem liberum actum divinæ voluntatis, non necessarium: imò supponit illum & sic supponit spirationem activam, qua Spiritus Sanctus producitur, & à fortiori productionem Verbi simul cum Patre spirantis spiratione illa una omninò necessaria. Quod si sic dicant (quod non crediderim) sequitur Patrem in illa comprehensiva sua cognitione, qua Verbum æternum producit, non comprehendere quid liberum hominis arbitrium facturum sit, si in tali ordine rerum ponatur, deficereque Patri æterno hanc magnam perfectionem pro illo priori originis, eamque posteà acquirere spirato jam Spiritu Sancto, quod stultissimum esset atque falsissimum.

Imò in Deo tres scientiæ constituerentur, prima comprehensiva, qua Pater se perfectè cognoscit, ante omnem actum divinæ voluntatis tam necessarium quam liberum. Secunda illa media scientia qua cognosceret Deus quid liberum arbitrium facturum sit, si in tali rerum ordine collocaretur, quæ ponitur post actum necessarium divinæ voluntatis, sed ante omnem liberum. Tertia scientia visionis, quæ est post actum liberum divinæ voluntatis. Quæ sunt absurda intolerabilia. Unde ut mihi relatum est, quidam ex defensoribus mediæ scientiæ Salmanticæ cum hoc argumento premeretur concessit divinum Verbum procedere ex aliquo contingenti, quod tamen absit ut concedatur. Sicut nec id concedit Pater Suarez lib. 2. de scien. futur. conting. affirmans in primo instanti se Deum cognoscere & omnia possibilia & ex hac cognitione Verbum produci; in secundo verò instanti habere illam scientiam mediam. Verùm contra ipsum est', quia, ut ait, media illa scientia est per se pertinens ad divinam perfectionem, ergo sicut omnis alia divina perfectio supponitur in Patre ad Verbi generationem, & sic Verbum ex illa etiam procedit, si enim illam non haberet Pater cum Verbum producit, ergo post Verbi generationem illam per se perfectionem acquireret, quod nullus dicet.

Præterea Verbum procedit ex comprehensiva cognitione Patris & suiipsius & divinæ essentiæ, sed cognitio illorum futurorum est perfectio in divina essentia comprehensa, ergo ex illius comprehensione Verbum procedit & sic ex cognitione talium futurorum procedit Verbum.

Deinde futura illa conditionata sunt determinatè vera pro illo primo instanti quo Deus possibilia cognoscit:

gnoſcit : ergo pro illo primo inſtanti à Deo cognoſcuntur. Antecedens eſt horum authorum ſententia & ex ipſorum dictis ſatis manifeſtum, quia ut aiunt, ſemper ſunt determinatè vera ; ergo etiam pro primo inſtanti hanc habent deteminatam veritatem, vel dicant, quando incipiunt eam habere, quod minimè ſignare poterunt. Conſequentia autem ſatis nota eſt, quia omne determinatè verum eſt à Deo cognoſcibile pro illo inſtanti, quo determinatè verum eſt, aliàs ex defectu cognoſcentis eſſet, quod id quod tunc eſt cognoſcibile minùs à Deo cognoſceretur.

Tandem illa tria rationis ſigna quæ à Suarez multiplicantur loco ſignato, multiplicari non debent, ſed duo tantum in quorum primo Deus ſeipſum cognoſcit ut primarium objectum & rationem cognoſcendi alia. In ſecundo omnia poſſibilia cognoſcit atque omnia habentia tunc determinatam veritatem; in quo duplici ſigno ſe Deus comprehendit. Et ſic cum pro illo ſigno ſecundo futura contingentia conditionata habeant, ſecundum hos authores, determinatam veritatem, ex comprehenſione illa Pater Verbum producit, ut in ſua ſententia id eſſe dicendum probat Franciſcus Albertinus in lib. ſuarum quæſt. Theolog. quæſt. 3. ubi concedit planè Verbum divinum procedere ex cognitione qua ſe Pater, omnia poſſibilia, atque futura omnia contingentia conditionata per illam mediam ſcientiam cognoſcit.

Imò ex iſtorum ſententia concluditur, quod Verbum procedat ex cognitione futurorum contingentium abſolutè futurorum, quod idem Franciſcus Albertinus videtur concedere ; & ſic non ſolum electorum prædeſtinatio ſit in ipſorum ſententia ex prævisione abſoluta bonorum operum ut abſolutè futurorū, (ut alibi diſputamus atque convincimus) ſed quòd magis eſt ipſum divinum Verbum ab eis procedere ponitur ex cognitione futurorum contingentium ut abſolutè futurorum, hoc autem quis concedat ?

Secundò ſcientia iſta media eſt ſpeculativa : non ergo eſt practica ſeu operativa : ergo nihil Deus per illam cauſat in objecto cognito : ergo tantùm cognoſcit id quod liberum arbitrium ex ſua innata libertate facturum eſt, ſi in tali rerum ordine collocetur cum indifferenti concurſu. Ergo homo conſtitutus in tali rerum ordine ex ſeipſo & non ex Deo movente operatur & ex ſeipſo determinat indifferentem Dei concurſum ad hanc vel illam actionem. Primum antecedens communiter recipitur à recentioribus, licet modernus quidam dicat poſſe nos loqui de illa & ut ſpeculativa eſt, & etiam ut ordinatur ad praxim, tamen ſecundùm ſe fatetur eſſe ſpeculativam.

Sed multò veriùs Ludovicus Molina dixit in concordia quæſt. 22. diſput. 2. §. *Alterum*, illam nullo modo eſſe practicam ſeu cauſam rerum, ſed tantùm ſpeculativam. Et quod ita ſit patet ; nam cognoſcere quid liberum arbitrium eſt facturum, conſtat eſſe actum ſpeculativum, licet extenſione ordinetur ad praxim : omnes autem conſequentiæ intermediæ de ſe ſunt manifeſtæ præter ultimam, quæ ſic probatur. Homo ſic de facto in tempore operatur, ſicut præſcitur operaturus : ergo ſi præſcitur operaturus aliquid primò & originaliter ex ſeipſo ſi talis conditio apponatur, jam poſita illa conditione id ex ſeipſo primò & originaliter operabitur : ergo Deus per illam ſcientiam videt quid liberum arbitrium ex ſe facturum eſt, non autem quid Deus facturus eſt, ut ipſum arbitrium faciat, quæ eſt illa damnata Pelagianorum ſententia.

Nec valet ſi dicatur quòd Deus, qui voluit conſtituere illum hominem, & de facto ipſum conſtituit in tali ordine rerum, etiam & hoc voluit, quòd ille homo operaretur, & ſic illa operatio provenit à divina voluntate, & cauſalitate. Hoc enim vim rationis factæ nulla via infirmat. Nam Deus conſtituens illum hominem in tali rerum ordine, in quo præſciebatur ex ſe operaturus, per hanc voluntatem ſolùm voluit quòd ille homo operaretur illo modo quo præſciebatur operaturus, ſed ille homo per illam præſcientiam præſciebatur operaturus ex ſeipſo primò & originaliter : ergo per voluntatem qua Deus voluit illum conſtituere in tali rerum ordine, ſi quid voluit, hoc voluit, quod homo ille ex ſe primò & originaliter ſine Deo ad id movente operetur : & ſic idem quod prius.

Confirmatur, quia iſta ſcientia conditionata adimpleta conditione tranſit in abſolutam, ut commune eſt rebus omnibus conditionatis : ergo ſicut Deus per illam mediam ſcientiam videt quid liberum arbitrium, ſi in tali rerum ordine ponatur, facturum eſt concomitante Deo cum ipſo arbitrio jam ex ſe operante, jam collocato arbitrio in tali rerum ordine videbit Deus abſolutè per ſcientiam viſionis operari ipſum arbitrium ex ſe cum illo divino concurſu concomitante humanam operationem. & ſic abſolutè videt Deus hominem incipere, & Deum concomitari. Vel ut clarius dicamus, quod futuritio actus non depédeat ex Deo. Hoc autem quis concedit ? Jam enim erit creatura quæ ex Deo non pendeat, quod creaturæ repugnat. Illa namque futuritio planè creatura eſt. Patet ſequela, quia quod talis actus ſit futurus à libero arbitrio, non provenit ex eo quod Deus velit quod ille futurus ſit, ſed ex eo quod liberum arbitrium illum velit elicere : ergo quod ille actus futurus ſit non pendet ex divina voluntate ; ergo futuritio illius actus non provenit ex Deo. Quod totum diverſis verbis Molina concedit, videns id ex ipſa manifeſtè convinci. Verba illius ſunt in concordia quæſt. 14. diſput. 52. §. Sciſcitabitur. *Item quod res libero arbitrio prædita, ſi in certo ordine rerum & circumſtantiarum collocetur, in unam aut alteram partem ſe flectat non provenire ex præſcientia Dei, quin potius ideo Deum id præſcire, quia ipſa res libero arbitrio prædita, liberè id ipſum agere debet, nec provenire ex eo quod Deus velit id ab ea fieri, ſed ex eo quod ipſa liberè velit id facere.* Quibus verbis ſicut unum fundamentum, & ſcopum ſuæ doctrinæ & illius mediæ ſcientiæ conſtituit, ita & expreſsè futuritionem actus liberi à Deo non provenire confeſſus eſt, ſed à ſolo libero arbitrio & proinde creaturam non provenire à Deo protulit. Quod ſolùm ſufficiens eſſe debuerat, ut nullus unquam Theologorum tali doctrinæ adhæreret.

Inducta modò ratio cum confirmatione ſua eodem omnino modo illum novum modum explicandi hanc mediam ſcientiam per authorem illorum duorum opuſculorum evertit, nec mirùm cum non diſtinguatur ab illo, quem Franciſcus Suarez tradiderat priùs, ſed illum tantummodo magis expoſuerit. Conſtat enim ex ipſo clariùs arbitrium conſtitutum ſub tali ordine rerum in illo priori rationis ſigno indifferens eſſe ad hunc vel illum actum habendum & pro ſola ſua libertate ſe determinare ad hunc potiùs quàm ad illum & ex conſequenti ex ſe ſolo inchoare aſſenſum adjuvandum poſt illam inceptionem à concurſu ſolùm concomitante, ſeu potiùs ſubſequente ad illam priorem inchoationem à ſolo homine factam.

Quòd ſi aliquando dicit, ut cap. 6. illius tertij opuſculi, quod actualis influxus creatus non eſt prævius, ſed cōcomitans influxum Dei, hoc ſolis exterioribus verbis aſſerit, quia videt damnatam in Pelagianis ſententiam, quòd gratia non ſit prævia, ſed comitans.

Unde ad frangendam invidiam id ſolis verbis adſtruxit, ſed reipſa nihil aliud poſuit, quàm quod verbis negauit. Etenim ipſe clariùs fundat arbitrium pro illo primo rationis ſigno eſſe indifferens ad hunc

Digitized by Google

vel illum actum pro innata libertate habendum, & in secundo signo rationis ex se solo se determinare ad hunc potius quam ad illum. Igitur inceptio, & inchoatio illius determinationis ex solo homine est & ideo adjuvatur à Deo auxilio concomitante, quia homo sic incepit, ut millies in his nostris operibus demonstrabimus. Nec, ut arbitrantur, humana libertas in hoc consistit, aut consistere potest, quòd ipsa ex se sola suam determinationem & actionem incipiat, hoc enim prætextu non humanum defenditur arbitrium, sed præcipitatur, dum initium & inchoatio boni sui actus illi, non Deo tribuitur, quod in Conciliis esse damnatum, nullus est qui non videat. Sed de hoc copiosè tum infra in hoc volumine, tum efficacius in tertio & quarto libro ex præcipua intentione tractatur.

Unde sic formetur argumentum: vel cognoscitur certò à Deo ante suum decretum, quod secunda causa libera posita sub talibus circunstantiis moraliter suadentibus & concursu Dei concomitante infallibiliter operationem efficiet: vel cognoscitur à Deo in decreto suo, quo verè faciet, quod ipsa operetur. Si secundum, vana est illa media scientia & tota machina, quæ in illa fundatur adversus divinam causalitatem & gratiam, & vera est divina prædefinitio atque divina præmotio seu prædeterminatio. Si primum ergo causa secunda libera determinat concursum Dei, & ipsa est primum illius suæ determinationis principium, quod damnatur in Concil. Arausic. 2. Can. 3. & 6. Quòd si dicatur, quòd nec concursus Dei determinat secundam causam nec secunda libera causa concursum Dei, sed tantum adest condeterminationi seu simul condeterminat, ut hi authores dicunt: ergo jam erunt duo prima principia actualis illius causalitatis, & determinationis, quod Manichæorum favet errori, ut demonstrat S. Thomas in 2. sentent. distinct. 37. artic. 2.

CAPUT XIV.

Rationibus aliis impossibilitas mediæ scientiæ demonstratur.

Accedit, quod (ut supra in principio hujus tractatus de scientia media præmisimus) isti authores ex illa expressis verbis deducunt quòd antecedente voluntate Dei de constituendo homine in tali rerum ordine, in quo si poneretur prævidebatur taliter operaturus, talis Dei voluntas non est qua Deus vellet hominem taliter operari, sed qua vult quod taliter operetur, si tamen ipse velit. Unde & fatentur, quod se inflectat arbitrium hominis in hanc vel illam partem, non provenire ex eo quod id Deus velit ab humana voluntate fieri, sed ex eo quod voluntas hominis id liberè velit facere. Quid clariùs dicere potuerunt, ut ostenderent hanc mediam scientiam, & omnia quæ consequuntur ex ipsa, negare efficacem Dei voluntatem & ejus divinam causalitatem supra actus liberi hominis arbitrij? Procul dubio manifesta sunt tria ista & ab ipsis apertè concessa, suppositâ illa media scientia. Quòd homo in hanc vel illam partem se flectat non provenire ex eo quod Deus id velit ab eo fieri & hoc est primum & fundamentale. Secundum, accedente Dei libera voluntate, qua vult hominem in tali rerum ordine prævisо per scientiam mediam constituere, non vult Deus, quod homo potiùs in hanc vel illam partem se flectat, sed tantùm vult quod se flectat, si tamen ipse voluerit, ut apertè concedunt. Tertium quod manifestè consequitur, est, quod jam absoluta scientia visionis intuetur Deus hominem se inflectere in hanc vel illam partem, non quia Deus vult, quod sic se inflectat, sed quia ipse homo taliter se inflectere vult. Unde scientia visionis absoluta de nostris bonis operibus à solo homine inceptis, quam constituerunt primi Pelagiani, in hac scientia conditionata fundatur & ab illa dependet. Præterquàm quòd Semipelagiani expressè hanc scientiam conditionatam ad defensionem suorum errorum expresserunt, ut & Recentiores fatentur, & nos copiosiùs diximus supra.

Præterea, quòd se voluntas in hanc, vel illam partem inflectat, vel est aliquid reale in voluntate, vel nihil penitus reale in illa est? secundum dici à nullo potest cum sit realis influxus, ut à voluntate elicitus: si autem est quid reale: ergo vel est aliquid reale per essentiam, vel per participationem? Si primum, est Deus, quo nihil impossibilius fingi potest: si secundum, ergo à primo ente participatur: ergo ab ipso efficienter producitur per voluntatem ipsius: omne enim ens per participationem à primo ente per illius voluntatem efficitur & causatur: ergo divina voluntas illius est vera efficiens causa: ergo a divina voluntate habet creata voluntas, quod se in hanc vel illam partem inflectat. Aperta, ostensiva, & palmaria Theologiæ demonstratio ista est.

Hoc idem argumentum æquè manifestè illam mediam scientiam confundit & totaliter expugnat in hunc modum. Manifestum est & probatum, arbitrij influxum esse ens per participationem: ergo verè à primo ente causatur, à quo & participatur: ergo ab illius voluntate verè efficitur; nihil enim Deus causat in rebus nisi per voluntatem suam: ergo prior est divina voluntas volens, quod ille influxus à creata voluntate fiat, quia causa omnis prior est suo effectu: ergo penitus impossibilis & chimerica est illa media scientia, quæ negat decretum divinæ voluntatis esse prius, quam ille influxus arbitrij prævideatur futurus. Sicut ergo apertam involuit contradictionem contra omnem naturalem & revelatam doctrinam, quòd aliquid sit ens per particapationem & à priori primi entis voluntate non verè fiat; ita eandem apertè contradictionem implicat, quod sit illa media scientia quæ videat aliquod ens per participationem esse, & quòd à priori decreto divinæ voluntatis non habeat, quòd sit, à qua & habeat quod à secunda sua causa efficiatur.

Imò ex hoc quod ista scientia conditionalium ordinetur ad aliam absolutam, tanquam ad finem, aliud sequitur valde notandum, priorem nempe ratione esse in Deo illam scientiam absolutam, quàm istam conditionalium, sicut prior est intentio finis, quàm ea quæ ad ipsum ordinantur. Et hoc est, quod communiter & verissimè dicitur, quod veritas conditionalis regulatur per veritatem absolutam, regula enim prior ratione est quam regulatum.

Adde quod istimet authores id reipsa fatentur, cum dicunt, quod propositio conditionalis ideo est vera quia sua de inesse est vera: igitur hæc conditionalis, si arbitrium constituatur in tali ordine rerum sic operabitur, ideo est vera, quia sua de inesse est vera: arbitrium constitutum in tali rerum ordine sic operatur: ergo cognoscit Deus illam conditionalem veram, quia cognoscit illam de inesse veram: ergo priùs ratione est quod Deus cognoscat veram illâ de inesse quàm conditionalem illam; sed illam de inesse cognoscit veram per scientiam absolutam, ut manifestissimum est: ergo scientia absoluta qua Deus cognoscit hanc de inesse, arbitrium sic constitutum sic operatur, prior ratione est in divina mente quàm scientia illa conditionalium: ergo in primis falsum est illorum fundamentum, quo asserunt priorem esse

Digitized by Google

esse in divina mente illam scientiam conditionalis illius objecti, quam scientiam absolutam ejusdem objecti absolutè sumpti. Falsum est etiam, quod ubique contendunt primam & originalem certitudinem providentiæ prædestinationis & mediorum earumdem esse in illa media scientia, cum è converso originaliter sit in scientia absoluta jam explicata, etiam hoc ipsis fatentibus, cum dicunt propositionem conditionalium ideo verã esse, qnia sua de inesse est vera. In hoc enim principio, quod verissimum est, si attendant totum ædificium mediæ suæ scientiæ totaliter prosternunt.

Addendum ex hoc eodem principio, quòd prior sit in divina mente scienta absoluta signata & explicata quam scientia illa conditionalium, unum è duobus convinci, vel illam conditionalium non antecedere decretum liberum divinæ voluntatis, quia illud supponit scientia illa absoluta: vel scientiam illam absolutam, si antecedat tale decretum, sicut & sciẽtiam mediam, esse scientiam necessariam in Deo, suppositio quod antecedit omne decretum liberum divinæ voluntatis. De quo infra tractabimus, cùm ostendemus ex hac media scientia tolli hominum libertatem, quam illius defensores per illam stabilire laborãt. Modò ad hoc dicant. Prior ratione est in divina mente scientia absoluta futurorum contingentium, quam illa conditionalium, ut probatum est: ergo si illa conditionalium antecedit omne liberum decretum divinæ voluntatis, etiam illa prior absoluta antecedet idem decretum, & sic absolutè cognoscet Deus futurum contingens, antequam divina voluntas aliquod habeat decretum. Et ad hoc tacitè insinuandum plerique ex his authoribus id protulerunt, quod ex ipsis relatum est supra, cognoscere nempè Deum ante omne decretum voluntatis suæ in quam partem ipsa inclinatura erat, quod est apertè cognoscere actum futurum liberum absolutè ante omne decretum ejusdem divinæ voluntatis Si enim hoc cognoscere Deus potuit in sua voluntate, quare id in voluntate creata cognoscere non potuit, ut videlicet certò sciat, quid voluntas Petri sit absolutè volitura.

Dicent diversam esse rationem, quia ut divina voluntats sit, non dependet à libero decreto ejusdem, imò necesse est quòd illud antecedat, at ut voluntas Petri sit, essentialiter dependet à divinæ voluntatis decreto volente eam creare, unde impossibile est cognoscere, quid voluntas Petri absolutè volitura est nisi cognoscatur, quod illa in rerum natura absolutè posita sit, non potest autem autem poni in rerum natura nisi per voluntatis decretum & sic necesse est, quod talis absoluta scientia qua Deus sciat, quid voluntas Petri volitura sit, præsupponat liberum decretum voluntatis Dei. Sed contra hoc est, quia ex hoc manifestè sequitur non requiri ad hanc absolutam scientiam aliud divinæ voluntatis decretum, nisi illud quod est necessarium, ut voluntas Petri sit, quod est decretum purum creationis. Unde hoc præcisè creationis decreto posito, volo creare Petrum, & nullo alio habito circa ejus operationes futuras certò cognoscet Deus in quam partem Petri voluntas inclinatura sit posito extrinseco objecto indifferenti omninò. Patet sequela, quia sicut id cognoscit in sua voluntate præexistente ante omne decretum ejus, ita in voluntate existente Petri cognoscere poterit ante omne aliud decretum.

Et præterea, id est in sententia horum authorum manifestum. Cum enim Deus per illos certò cognoscat, quod si voluntati Petri proponatur tale objectum omninò indifferens, hoc & non aliud volitura est: jam creata voluntate Petri præcisè & ab extrinseco proposito indifferenti objecto, certò absolutè Deus cognoscet, quòd hoc factura est, & sic jam illud futurum contingens certò erit, & certò à Deo cognoscetur ante aliquod divinæ voluntatis decretum, quo aliqua ratione Deus velit quod illud sit, quod apertè est contra illud: *Quomodo autem posset aliquid permanere nisi tu voluisses*, jam enim aliquid, nempe illud determinatum futurum contingens quod ponitur certò Deum cognoscere non solum esse posset, sed de facto certò esset antequam Deus vellet ut sit. Unde ad hoc quod hoc vel illud voluntas operetur, & id certò à Deo cognoscatur, sufficiens erit purum & nudum creationis decretum, quod tamen nec Pelagius ipse negavit, sed expresè confessus est, dicens quòd posse habemus ex Deo, id est, possibilitatem voluntatis, quam Deus per creationem à principio contulit, cætera autem, videlicet velle & operari habemus non nisi ex nobis.

Quòd si dicant se ulteriùs admittere simultaneum concursum aut voluntatem offerendi illum, quod Pelagius non admisit. Dicendum quòd illum subsequentem & pedissequum concursum nec Pelagius negaret, quia per illum nihil penitùs suo dogmati contradicebat: & si expresè de illo interrogaretur, nec est dubium quin illum admitteret. Secundo dicendum quod ut copiosè libro nostro tertio ostensuri sumus, negato prævio Dei influxu reipsa & ille simultaneus vel subsequens negatur & solis verbis asseritur ne omnem Dei concursum negare videantur, quia si homo actum suum potest inchoare sine Dei concursu, utique poterit sine concursu Dei, quod incepit consummare, potissimè, quia in similibus voluntatis determinationibus, illas incipere est eas integras habere.

Prætereà aliud sequitur maximum inconveniens ex scientia ista, quod videlicet Deus accipiat cognitionem à creaturis, hoc autem dici nullo modo potest, aliàs reciperet Deus suam maximam perfectionem, qualis est certa divina cognitio à creaturis, unde & Deus à creatura perficeretur, quod impium est affirmare. Sequela probatur. Deus non scit per hanc scientiam id quod ipse fieri decrevit, vel fieri permisit, sed id quod liberum arbitrium ex se facturum est, si in tali rerum ordine collocetur: ergo quia sic liberum arbitrium operaturum est, si in tali rerum ordine collocaretur Deus id cognoscit, quæ causalis etiam ab his authoribus admittitur, ut jam supra visum fuit: ergo ex creatura & ex actione ipsius sic sub conditione præscita, sicut ex prima radice provenit quòd Deus id cognoscat: ergo divina cognitio originaliter & primò ab objecto pendet creato & ab ipso desumitur. Nec infringitur vis rationis hujus dicendo, ut Recentiores dicunt magis verbis quam reipsa, quòd objectum illius divinæ cognitionis conditionatæ primarium non est aliquid creatum, sed est ipsa divina essentia continens creaturas in qua Deus intuetur id quod liberum arbitrium acturum est posita tali conditione, & ex consequenti non sumit Deus suam cognitionem vel perfectionem à creaturis, quæ objecta secundaria sunt, sed à divina essentia, quæ est ut dicunt objectum illius cognitionis primarium. Hæc enim evasio manifestè præcluditur, si res ista aliquo modo penetretur. Et enim positio hujus scientiæ totum contrarium hujus evasionis ostendit, declarat enim arbitrium creatum objectum esse primarium, vel saltem primam radicem, quod illa certa cognitio conditionalium habeatur in Deo, & sic quod Deus à creatura sumat & certam cognitionem & perfectionem.

Quod sic manifestatur. Inquiro enim ab his authoribus, ut assignent primam omnium radicem à priori ob quam Deus præsciverit liberum arbitrium creatum hoc facturum si in tali rerum ordine collocetur. Et ipsi respondent hanc esse, quia liberum arbitrium ita facturum est, si in tali rerum ordine collocetur, nullam enim aliam priorem ostendunt: ergo objectum illud creatum est prima radix & origo ob quam divina essentia illud futurum conditionatum & continet & re-

Digitized by Google

præsentat & ob quam Deus illud certò cognoscit. Ergo tum continentia, tum repræsentatio, tum etiam divina cognitio certa & divina perfectio ab ipso objecto creato sicut à prima radice sumitur, ab illoque dependet. Cùm enim dicant quòd divina essentia continens sua infinita perfectione arbitrium creatum, est objectum primarium illius cognitionis, debent ulteriùs ostendere unde provenit quòd divina essentia contineat & repræsentet hunc actum futurum à libero arbitrio & non alium. Rationem autem hujus assignant, quia ita liberum arbitrium cooperaturum est ex sua innata libertate, ergo hæc est prima radix & continentiæ & repræsentationis & certæ cognitionis, & ex consequenti certam cognitionem sumit Deus ab arbitrio creato sicut à prima radice.

Quod argumentum eodem prorsùs modo expugnat illum modum dicendi ultimo loco oppositum à Doctore Diotalevio jam supra relatum. Is enim in illo primo instanti rationis in quo Deus cognoscit quòd si arbitrium constituatur sub his conditionibus factum sit, dicit Deum non cognoscere certò futurum actum illius liberum determinatum, sed quod in secundo instanti, cum jam arbitrium pro sua libertate se determinat, illius actum determinatum Deus videt. At quòd in illo instanti sic se arbitrium determinet ex sola illius libertate est, ut ipse ait, non ex aliquo priori & antecedente illud determinante. Ergo quod essentia divina repræsentet divino intellectui illum determinatum actum liberum, ex eo est sicut à prima radice, quia arbitrium ex sola sua libertate sic se determinavit, ergo quod divinus intellectus certò id sciat, ex eo est sicut à prima causa, quia ex se se arbitrium determinavit, & sic certam suam cognitionem & perfectionem sumit divinus intellectus ab objecto creato sicut à primo objecto. Imò in hoc modo dicendi authoris hujus à fortiori argumentum convincit; quia ipse non in congruam aliquam antecedentem vocationem reducit quod arbitrium operetur, sed in solam libertatem arbitrij volentis se determinare, cùm ante illud secundum instans, quo se determinat etiam positum sub illis conditionibus, ponatur indifferens ad volendum & nolendum, nec ponatur in illo primo instanti ex aliqua congrua vocatione certò operaturum, vel id Deus certò cognoscens, sed ex sola arbitrij libertate in secundo instanti se se determinante, quia solùm vult.

Postremò ut ista media scientia penitus confundatur, considerandum diligentiùs quod ad hunc finem ordinatur, ut ponatur Deus per illam cognoscere liberum hominis arbitrium sub talibus conditionibus suadentibus, invitantibus & excitantibus moraliter solùm esse firmum & fortè ad inchoandum suam salutem sine divina gratia ei dante vires ad id efficiendum, & ex consequenti sine Dei gratia sanante arbitrium ipsum constituit firmum & fortè ad benè operandum opera salutis, ac demùm sine peccato originali, quod invalidum & attenuatum viribus reddit arbitrium. Quod clariùs supra probandum reliquimus.

Insuper illationibus non egemus, sed & ipsorum expressis verbis id convincamus. Ipsi enim concedunt manifestè quòd illa media scientia est libera in Deo, non ex eo quod sit in potestate Dei aliud per per illam scire, quam scivit, sed quia est in potestate arbitrij facere, quod Deus aliud sciat, quam scivit: ergo libertas illius mediæ scientiæ à libero hominis arbitrio desumitur; & cum esse scientiam liberam in Deo sit ex parte intellectus perfectio formalis, hæc perfectio formalis à creatura participatur. Proculdubiò cum universa Theologorum Schola semper docuerit, quod libertas quæ ponitur in actibus divinis non emendicatur à creaturis, sed quod est perfectio conveniens illis actibus ex Deo ipso, modò noviter audimus esse quandam scientiam seu cognitionem liberam in Deo propter libertatem tantùmmodò quæ reperitur in creaturis. Jam ergo si fas est audire, libertas divinæ scientiæ ortum habet non ex indifferentia & libertate, quæ in Deo sit, sed ex indifferentia & libertate, quæ est in creatura.

Tandem inconveniens illud consequitur ex hac media scientia, quod nimirum liberum arbitrium Dei non se determinat primò ex seipso ad cognoscendum unam contradictionis partem, sed potiùs quòd ad id determinetur primò ab extrinseco, scilicet ex eo quod liberum hominis arbitrium potiùs facturum est hoc quàm illud: & sic ponitur, quòd sicut intellectus creatus ab objectis creatis determinatur potiùs ad hoc cognoscendum, quam illud, ità intellectus divinus ab ipsis etiam rebus creatis ad intelligendum determinetur, quæ est magna imperfectio Deo totaliter repugnans. Quis autem non justè miretur, quòd nolint authores cum quibus disputamus, quòd voluntas creata à Deo determinetur ad suos actus liberos eliciendos, & tamen concedant, quòd divinus intellectus determinetur ad cognoscendum potiùs hoc, quam illud ab ipsomet creato arbitrio.

Confirmatur, quia Deus nullum tale futurum cognoscit certò nobis esse futurum, nisi per ideam, qua illud ut nobis futurum repræsentet & causet, sed idea non determinatur ad illud repræsentandum & causandum ex ipso objecto creato, sed ex proposito divinæ voluntatis, ut communis est Theologorum sententia quam Sanctus Thomas tradit quæst. 3. de verit. art. 6. ergo ante tale divinum propositum seu divinæ voluntatis decretum, nec idea illud futurum certò repræsentat, nec illud Deus certò potest cognoscere. Qui rationes plures videre desiderat legat relectionem tertiam doctissimi Doctoris Gasparis Ram, in qua duodecim efficaces inveniet quibus perfectè hanc mediam scientiam poterit confutare, ad quas lectorem remittimus & ad alias explicandas atque fundandas properamus.

CAPUT XV.

Impossibilitas hujus mediæ scientiæ demonstratur ex eo quod per illam Deo denegetur certa futurorum cognitio.

NON solùm autem prædicta sequuntur inconvenientia ex hac media scientia, sed quod magis est eadem via, qua libertatem plus justo extollit, omninò deprimit & aufert: & quo magis exaltat divinam cognitionem circa contingentia, futura & libera, illam penitus tollit, constituendo Deum minimè futurorum contingentium præscium, quæ duo jam sunt demonstranda & ab hoc ultimo incipiendo, si quis attendat, hac mediâ præscientiâ tollitur à Deo certa futurorum contingentium cognitio, quod sic aperitur: S. Thomas 1. p. q. 14. art. 13. q. 57. art. 3. & q. 86. art. 4. 1. contr. gent. cap. 67. & 22. q. 171. art. 6. docet expressè quod contingens, ut contingens, id est, ut non determinatum ad unam partem, sed ut possibile ad utramque non potest subdi certæ cognitioni, sed illud futurum conditionatum, quod ponitur objectum hujus scientiæ mediæ, non habet certam determinationem ad unam partem: ergo nequit certò à Deo cognosci: ergo per illam scientiam Deus non habet, nec habere potest certam cognitionem de illis futuris. Major præterquàm quod est expressè asserta à S. Tho. manifesta ratione suadetur. Quia objectum scibile certum debet esse & determinatum & aliqua necessitate necessarium, ut notissimum est in Philosopho, qui ad scientiam certam, certum & invariabile objectum consti-

Digitized by Google

constituit. Quod & S. Thomas semper docuit & ut certum præsupponit, ut patet ex primo sentent. dist. 38. art. 5. videatur Arist. primo Periher. cap. ult. & ibi S. Thomas. Cum enim scientia ex objecto pendeat, si objectum est incertum & variabile, variabilis & incerta erit cognitio ipsa. Quod ergo certam ac determinatam veritatem ad unam partem non habuerit, sed possibilitatem tantum & contingentiam ad utramque, cognoscetur tantum ut possibile, non verò ut ad unam partem determinatum. Minor, in qua est difficultas, probatur: Illud futurum conditionatum liberum nec in se habet esse determinatum nec in aliqua sua causa, vel prima vel secunda: ergo nullum esse habet determinatum & ex consequenti nullam habet certam & determinatam veritatem. Utraque consequentia nota est, quia ut S. Thomas docet sæpius, & per seipsum est manifestum, futura nullam aliam habent aut habere possunt determinationem, nisi vel in se ipsis vel in suis causis. Et quidem quod illud futurum conditionatum liberum in nulla sua causa determinationem habeat, fatentur expressè hujus mediæ scientiæ defensores, qui tam acriter invehuntur contra omnem tàm primæ causæ, quàm secundæ prædeterminationem respectu horum futurorum contingentium & liberorum. Quod autem in se ipsis determinatum esse non habeant, constat, quia nequeunt illa futura esse determinata in seipsis, nisi priùs intelligantur determinata in causis suis, ergo in causis suis non præhabent determinationem nec in se ipsis determinata erunt.

Nec valet recurrere ad illam conditionem, seu evasionem, sub qua voluntas constituta, dicitur quod infallibiliter operabitur, quia nulla causa nec prima nec secunda est determinata ad producendum illum effectum etiam adhibita illa conditione: ergo effectus non sequetur infallibiliter. Verbi gratia, si Petrus invitatus fuerit à Paulo in tali occasione, acceptabit convivium, positâ enim hac conditione voluntas Petri indifferens manet ad convivium acceptandum vel non acceptandum: ergò ex illa voluntate sic posita sub tali conditione non sequitur infallibiliter quòd Petrus acceptet convivium, cum optimè stet totum contrarium evenire: ergo nec in illa causa posita sub tali conditione & occasione certò continetur effectus ille nec ex illa infallibiliter sequitur. Igitur concludendum est illa futura conditionata nec in se ipsis nec in aliqua sua causa, sive prima, sive secunda, determinatam aliquam veritatem habere, nec ex vi conditionis appositæ; & ex consequenti remanent prorsus certò incognoscibilia. Explicatur hoc magis: voluntas humana adhuc posita sub tali vel tali conditione omninò manet indifferens & indeterminata ad volendum vel non volendum: ergo in illa, nulla pars certò continetur; ergo nulla determinatè & certò potest in illa cognosci etiamsi à Deo comprehendatur infinito excessu. Antecedens recipitur ab his Authoribus; etenim illæ conditiones non prædeterminant voluntatem, ut certò hoc vel illud velit. Consequentia autem prima & secunda patent, quia licet Deus infinito excessu comprehendat creatam voluntatem, non poterit tamen in illa cognoscere certum, quod certum in illa non est. Imò planè quantò perfectius Deus illam comprehendit, tantò magis perfectè cognoscit ejus indifferentiam ad utrumque & nullam ad alteram partem certam determinationem.

Hoc argumentum manifestè impugnat illum modum dicendi Ludovici Molinæ, qui contendit suadere in tota sua concordia Deum certò illa futura cognoscere in comprehensione humanæ libertatis. Cum enim humana voluntas etiam constituta sub quibusvis similibus conditionibus indifferens omnino sit ad consentiendum & non consentiendum, ut ipse fatetur, impossibile erit in causa sic indifferenti & indeterminata ad illa duo, aliquod illorum certò & determinatè cognosci, ut ratio modo facta & suprà explicata ostendit & S. Thomas allatis locis convincit, & Franciscus Suarez supra inductus apertè fatetur hac eadem ratione & ipse convictus. Imò hoc ipsum ut opinor, Molina ipse vidit & tacitè confessus est, cum sæpius in eadem sua concordia asseruit, quòd licet illud futurum non sit certum in se nec in sua causa, tamen Deus altitudine sui intellectus illud quod in se certum non est, certò cognoscit. Hæc enim ejus verba, quid aliud reipsa testantur, nisi ipsum agnovisse id quod nunc aperimus, videlicet Deum non cognoscere certò futura illa? Quis enim sibi persuadeat Authorem, aliàs doctum sensisse aliquem intellectum certò cognoscere, quod certum non est, cum scientiæ certitudo objecti certitudinem requirat, ut Aristoteles cum omni Philosophia demonstrat. Dum ergo incompossibilia simul proponit, nempè cognitionem certam de re omnino incerta, duo videtur intendere. Primum, ut docti intelligant re ipsa ab eo incertam poni illorum futurorum scientiam; pro aliis autem, qui ista comprehendere nequeunt, appareat eum in Deo certam ponere cognitionem. Unum ergò necesse est dicamus, vel illum non vidisse hanc manifestam contradictionem vel ipsum intellexisse non salvari revera in Deo certam cognitionem futurorum illorum, quam tamen nec apertis verbis ausus fuit inficiari, temperans voce dumtaxat id quod de Patre suo Laynes manuscripta testantur, Deum certò illa futura non cognoscere; sed tantùm conjecturaliter. Ità enim priorem Patrem Laynium dixisse atque legisse aliqui his temporibus protulerunt ostensis scriptis, quæ ejus esse dicebantur.

Et Pater Enriquez ejus familiæ Doctor in quodam memoriali dato de aliquibus propositionibus, quas in libris hujus familiæ deprehendit, cujus copiam apud nos habemus, hanc propositionem illis adscribit. *Quod cum Beato Augustino asserunt Theologi prædestinationem nimirum Dei circa eos quos elegit, esse ex providentia certam, asserunt esse dubiam, & probabilem opinionem.* Ecce apertè dicunt esse dubium an Deus certam habeat providentiam, & quod probabile est illam esse incertam. Quia ista dicunt, manifestè à Deo auferunt certam futurorum contingentium scientiam cum Cicerone. Supra relatam propositionem prædictus P. Enriquez tribuit Francisco Suarez 3. p. tom. 1. quæst. 19. in prima editione Compluti, quod forte in aliis editionibus sublatum est. Dicent forte se fateri certam Dei cognitionem de illis futuris, non tamen esse certam ex providentia, sed ex scientia; sed ex dictis & dicendis hoc meram evasionem esse patebit.

Unde Authores ij, licet magis vel minus expressè, cum Cicerone à S. P. Augustino relato quinto de Civit. cap. 9. certam futurorum præscientiam Deo videntur denegare, dum incertam vel conjecturalem tantum cognitionem illi adscribunt. Sicut ergo cum Cicerone hanc sibi fecerunt causam communem, negantes in Deo certam futurorum præscientiam; ita contra eos pariter S. Augustinus cap. 10. citati libri concludit, *quod aut Deum esse negant, quem non præscium constituunt futurorum; aut si esse confitentur Deum, cum tamen negant eum futura præscire, etiam sic nihil aliud dicunt, quam quod ille dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Cujus & ratio est, quia ut idem S. Doctor affirmat cap. 9. præcitati libri, confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum apertissima insania est.

Unum tamen concedimus, eos consequenter ad suam sententiam suaque principia fuisse loquutos. Cum enim ab humana voluntate omnino indifferenti ad hoc vel illud agendum separent omne id per quod certò est inclinanda in hoc potiùs quam illud necesse est quòd illam incertam in suis operationibus constituant, minusque Deum certam aliquam ejus operationem præscire dicant.

Sicut etiam Cicero, quia nomine fati quod negavit, intellexit non solùm Syderum positionem nec solùm connexionem causarum ab invicem colligatarum, verum etiam efficaciam & potentiam divinæ voluntatis moventis hominum voluntatem ad omne id quod entis rationem habet & omnia ista nomine fati negavit, non dubium quod consequenter locutus sit, certam futurorum præscientiam Deo negando ratione facta, sed in hoc miserè erravit, & de hoc à S. Patre Augustino citato loco reprehenditur. Quia negando fatum quod & negare debebat, non debuit nec potuit negare priorem divinam voluntatem & potentiam ejus, quæ omnia disponens efficaciter, etiam suaviter præparat causas contingentes, & liberas pro liberis operationibus, & in tali suavi certa & efficaci præparatione optimè certò præscit futura talia.

Hoc igitur modo dicendi de medio sublato, alium Philosophandi modum, quo alij Authores certam Deo tribuunt futurorum præcognitionem videamus. Dicunt quod cognoscit Deus futura illa in se ipsis non determinatè existentibus, sed determinatè objectivè representatis divino intellectui. Cæterum quod magis impossibilis sit iste modus defendendi hanc mediam scientiam, jam supra ex parte ostendimus ex Molina ipso, asserente per istum dicendi modum tolli rerum contingentiam, & libertatem, quod inferiùs copiosiùs comprobabitur, & hoc sit primum argumentum contra istum novum modum philosophandi.

Præterea redditur penitus inintelligibile, quòd aliquis effectus posita conditione in se ipso determinatè eveniat, vel determinatè evenire intelligatur, nisi vel conditio illa vel aliqua causa priùs intelligatur determinata ad illum producendum cum infallibili ordine ad eum, & contrarium asserere contra omnem rationem procedit, & omnem evertit Philosophiam ut suprà fuit demonstratum. Et præterquàm quòd jam manet probatum fictitiam esse omninò illam objectivam præscientiam, id demonstrat S. Thomas 1. p. q. 16. art. 7. ad 3. dicens, quod si verum est nunc dicere, hoc futurum est, semper fuit verum dicere, quod futurum est, hæc autem sempiterna veritas ideò veritas de futuro est, quatenus in causa sempiterna fuit, ut esset illud futurum. Unde concludit S. Thomas quòd si auferatur, quòd in causa sempiterna non est quod hoc sit futurum, id revera futurum non erit. Verba sunt expressa Sancti Thomæ. Sed per ipsam mediam scientiam hoc constituitur expressè, quòd in prima causa & in ejus voluntate, & dispositione non est quòd hoc sit futurum, ergo illud futurum non erit, ergo nullo modo dici potest illa futura esse determinatè futura, & veritates illorum esse objectivè determinatè veras priùsquam in prima causa dispositum sit, quòd ità id sit futurum.

Nec sufficit dicere esse in divino intellectu sempiterno, quòd illud futurum erit: nam divinus intellectus speculativè cognoscit hanc veritatem ut ponunt. Dicant ergo unde illa veritas est determinata, & à quo habet hanc certam determinationem, ut illam certò divinus intellectus cognoscat: non habet hanc certam veritatem à divina voluntate quæ est causa sempiterna, ergo non erit tale futurum, & determinatum, ut S. Thomas ostendit. Itaque S. Thomas convincit, quòd futurum quod aliquando erit certò futurum, semper fuit verum quòd erit futurum & hanc sempiternam veritatem debet habere in causa sempiterna, quæ sit causa illius futuri. Posito autem hoc certo futuro in tali sempiterna causa divinus intellectus illud certò ab æterno cognoscit.

Confirmatur, quia etiam iste Author fatetur, quod priùs debet esse determinatæ veritatis illud futurum, quam quod divinus intellectus illud certò cognoscat, ideo enim (ut ait) divinus intellectus illud certò cognoscit, quia est determinatæ veritatis: ergo signare debet à quo habeat in illo priori rationis ante divinam cognitionem hanc certam veritatis determinationem; non à causa secunda, quæ secundum ipsam non ponitur determinata infallibiliter ad illud, non in prima causa sempiterna, quæ divina voluntas est, ut contendit; non denique in se ipso, quia antequam intelligatur extrà suas causas verè & realiter existens, non est in se ipso, quia solum consideratur ut futurum, & ut in causis suis: ergo à nullo habet in illo priori rationis antè divinam cognitionem determinatam certitudinem, ut determinatè, & certò cognoscatur.

Nec sufficit respondere cum Doctore Diotalevio, qui exponit hunc modum dicendi, asserendo esse illam veritatem certam in se ipsa, quia in illo secundo instanti rationis voluntas se determinat ad hunc actum, & talem actum jam objectivè existentem, & repræsentatum in se ipso divino intellectui ipse divinus intellectus intuetur. Nam primò voluntas nequit se primò determinare ad illum actum, quia non est primum suæ actionis principium, ut est manifestum. Ergò si à Deo non primò determinatur ut se liberè determinet, nec se potest determinare, ut semper S. Thomas docuit in 2. sent. dist. 37. art. 2. 1. 2. quæst. 109. art. 1. Undè tam impossibile est ponere, quod in illo secundo instanti se illo modo voluntas determinet, quàm ponere illam esse suæ actionis primum principium. Secundò quia si id affirmetur, aliud sequitur impossibile, quod videlicet humana voluntas à se inchoet determinationem illam suam, adjuvandam postmodum à Deo subsequenter, & sic jam initium illius esset ex homine, consummatio ex Deo, quod esse dogma perversum, nullus est qui non videat. Tertiò quia illud superius relatum inconveniens semper instat, quod ab ipso objecto creato Deus sumat suam certam cognitionem, & perfectionem. Cum ergo omnia ista impossibilia sint, impossibilis redditur modus ille dicendi.

Alij Recentiores alium tertium cognoscendi modum adhibentes, dicunt cognosci illa futura conditionata in decreto quo Deus statuit cum libero arbitrio concurrere, si in tali, vel tali ordine collocetur. Sed non minùs impossibilis est modus iste, quàm præcedentes. Nam illud decretum quo Deus vult concurrere cum humana voluntate, secundùm quod ab his Authoribus constituitur, est decretum dandi concursum, si nempè humana voluntas voluerit operari. Sed iste concursus est de se indifferens ad hanc vel illam actionem, & ab ipsa secunda causa determinatur ad hanc vel illam speciem actionis. Undè repugnat, quòd in voluntate dandi tale auxilium vel concursum certo cognoscatur in particulari quid liberum arbitrium acturum sit. Quia voluntas illa dandi concursum est conditionalis, si videlicet voluerit operari humana voluntas: ergo ut ponatur in re, dependet à voluntate humana operante. Cùm ergo Deus non cognoscat in comprehensione voluntatis creatæ, quod voluntas id operabitur, nec etiam in ipsa re in seipsa, ut modo ostensum est, nec certitudinem habebit, quod cum voluntate humana certo concurret. Et ex consequenti nec in isto concursu

seq

Digitized by Google

ſeu voluntate concurrendi Deus certò illud futurum cognoſcat.

Id etiam manifeſtiùs conſtat, quia per voluntatem dandi concurſum indifferentem ex ſe ad hanc vel illam actionem impoſſibile eſt quod determinatè iſta actio cognoſcatur, quia in re indifferenti ad duo unum determinatè non cognoſcitur, ut ex Sancto Thoma jam à principio hujus capitis demonſtravimus. Nullo ergò modo manet futurum illud conditionatum certò à Deo cognoſcibile. Igitur hæc media ſcientia tollit à Deo futurorum contingentium cognitionem.

Quod ſic amplius aperitur. Objectum hujus ſcientiæ eſt omninò incertum, & fallibile; ergò talis ſcientia incerta eſt, & fallibilis. Antecedens iterum probatur. Nam objectum ejus eſt futurus ille actus liberi arbitrij, ſi talis conditio apponatur; ſed ille actus etiam adhibita conditione nullo modo eſt futurus: ergo objectum hujus ſcientiæ eſt omnino incertum, & fallibile. Probatur minor, quia liberum arbitrium, etiam ſub tali conditione collocatum, nulla neceſſitate vel conſequentis, vel conſequentiæ operatur actum illum, ut etiam iſti Authores fatentur; ergo ille actus nulla neceſſitate etiam conſequentiæ, nullaque infallibilitate procedit à libero arbitrio: ergo nullo modo conſtituitur certus & infallibilis, nullo ergo modo poterit certò cognoſci futura hominis converſio, vel certa ejus prædeſtinatio.

Confirmatur arguendo ad hominem ex dictis, & confeſſis ab iſtis Authoribus; ipſi explicantes definitionem liberi arbitrij dicunt, quod poſitis omnibus requiſitis antecedentibus debet eſſe tale arbitrium, quod poſſit agere, & non agere hoc vel illud: ita quòd in ſenſu compoſito ſtent ſimul iſta duo, quod videlicet de facto unum vel alterum operetur. Nunc ergo ſtent ſuæ definitioni, & explicationi, & dicant an liberum arbitrium poſitum in quibuſcumque conditionibus, & circumſtantiis antecedentibus ejus conſenſum maneat liberum ad conſentiendum; quod quia negare non poſſunt, vel ipſi inferant: ergo conſtituto arbitrio ſub omnibus illis requiſitis antecedentibus ſtat optimè, quod ſicut hoc, ita illud operetur; quod quia etiam negare non poſſunt, vel ipſi inferant: ergo conſtituto arbitrio ſub omnibus illis requiſitis antecedentibus non eſt certum, aut infallibile quod hoc determinatè producat: ergo actus converſionis ex hac parte non erit infallibilis, nec certus ex eo quod arbitrium conſtituatur, vel non conſtituatur ſub talibus antecedentibus conditionibus: per nullam ergo ſcientiam actus ille certò cognoſci poteſt. Quod ſi alij recurrant ad illum alium modum dicendi magis explicatum à Diotalevio, ex modo dictis manet expugnatus. Ex quibus videtur manifeſtum, quòd cum non ponatur poſſibile, quod voluntas in illo ſecundo inſtanti rationis hunc actum operetur, nec etiam ponitur poſſibile, quod divinus intellectus illum intueatur ut jam exiſtentem, & ſic perit tota illa machina, qua Author opuſculorum illorum fundat illum actum videri à Deo ut jam exiſtentem extra ſuas cauſas in ſe ipſo. Sequitur etiam quòd nullo modo ille repræſentatur magis in divina eſſentia quàm oppoſitus. Nam in ſe ipſo non repræſentatur, ut probatum eſt triplici illa ratione ſuperiùs expreſſa. Rurſus nec in voluntate ut poſita ſub illis conditionibus; quia ut aiunt, qui ſic philoſophantur, indifferens eſt, nec unum potiùs quàm alterum continet, ut unum magis quàm aliud in divina eſſentia repræſentetur, nec in decreto divinæ voluntatis, quod omnes negant antecedere debere: ergo nulla ratione redditur certò cognoſcibilis talis determinatus actus.

Noviſſimè audivi alium quartum modum philoſophandi ad conſtituendum certum illud futurum, ut certò à Deo poſſit cognoſci: dicunt enim Deum certò illud cognoſcere futurum, quia ſcit ſuam voluntatem volituram, quòd illud fieret ſi talis conditio adhiberetur. At verò iſte modus dicendi in primis ſcientiam mediam deſtruit & ejus objectum, ſi attendere volunt. Quia jam admittit divinæ voluntatis determinationem antè actum futurum voluntatis humanæ, ſive rectè illam determinationem voluntatis conſtituat, ſivè non. Secundò impoſſibile omnino eſt, quòd ſciat Deus ante actualem determinationem ſuæ voluntatis, in quam partem ſe inclinabit divina voluntas, ergò non præſcit Deus, quod ſua voluntas determinabit, ſi homo in tali ordine conſtituatur ante actualem ſuæ voluntatis determinationem. Tertiò, & ultimò, quia iſta propoſitio, certò ſcit Deus quid determinabit ſua voluntas, ſi tales conditiones apponantur; ſi faciat ſenſum, quod ex illis conditionibus reſultat neceſſaria connexio, ut Deus ſic determinet ſuam voluntatem ad hoc volendum circa hominem in actibus liberis ipſius, falsò hoc diceretur; quia jam divina voluntas ſubſequens eſſet, & quaſi ex debito ſic vellet, quod dici nullo modo poteſt. Quamvis enim ex ſuppoſitione, ſuppoſito videlicet quod Deus vult aliquid ab homine fieri, neceſſe ſit quod velit aliud, ſine quo primum ſtare non poteſt, vel quod ad primum actum conſequatur, ut communis eſt doctrina, illaque veriſſima. Cæterum quod ex vi harum circunſtantiarum & conditionum, quæ explicantur in objecto ſcientiæ, certò ſit Deus aliquid volturus, nulla ratione dici poteſt, niſi dicatur Deum id velle eſſe quodammodo debitum homini ſub illis conditionibus conſtituto.

Nec ſufficit ſi dicatur quintò ſcientiam mediam eſſe certam, quia præſupponit voluntatem conſenſuram, & quia præſupponit jam ipſum actum liberi arbitrij, quo ſuppoſito, dum vult, nec ſtat non velle, ſed certò, & infallibiliter vult. Nam tunc ulteriùs interrogentur, per quid ergo ſcit Deus, quod ipſa eſt conſenſura, vel per quid illa de facto magis certò conſentiet, quàm diſſentiet: planè ipſi nullam aliam reddunt rationem, niſi quandam apertam principij petitionem, dicunt enim Deum videre illam eſſe conſenſuram, quia ipſa eſt conſenſura. Sed quis non videat dicere illos idem per idem? Hoc enim inquirimus, quare cum ſit indifferens ad duo magis hoc operetur, vel operatura ſit, quam aliud? Aſſerere autem quòd ideo eſt conſenſura, quia eſt conſenſura, tale quid eſt, quod non oportet impugnare. Ut enim hoc clariùs conſtet, ponamus id quod ij authores facilè concedunt, videlicet prævidiſſe Deum ante actum ſuum liberum quòd ſi Petrus ſub his conditionibus conſtituatur liberè loquetur, & Paulus eodem modo affectus in anima, & corpore, & ſub eiſdem omnino conditionibus conſtitutus non loquetur. Quo admiſſo nulla poteſt ratio aſſignari ex parte voluntatis utriuſque, ut magis unum quam aliud cognoſcatur, cum in utroque eadem omnino ratio ſit viſa ad loquendum, vel ad non loquendum; nulla enim diverſitas in illis poteſt inveniri, unde neceſſe eſt quòd recurrant ad ſolam libertatem, dicentes Petrum pro ſua libertate eſſe volturum, non Paulum, & ſic dicunt Petrum eſſe volturum, quia eſt volturus, nec aliam aſſignant cauſam; ſed iſta manifeſta petitio principij eſt, ut diximus. Adverſus quam præterea inſtatur, quia ratio futuri, & non futuri in utraque illa voluntate, quæ tribuit his objectis veram diverſitatem, ratione cujus poſtulent diverſam cognitionem, debet eſſe aliquid reale exiſtens in ipſis rebus priùs ratione quàm intellectus divinus illa cognoſcat.

Unde falſum eſt, quod dicere ſolent, videlicet non

Digitized by Google

non esse assignandam aliam majorem rationem, quare actus Petri sit conditionaliter futurus, non Pauli, sed satis esse pro causa assignare libertatem ex qua Petrus sic operari velit, non Paulus. Debet enim necessario vel ex parte causæ, vel ex parte actus aliquam realem, & veram differentiam illius diversitatis assignare nec aliud intelligibile est. Sed ex parte illarum duarum voluntatum & conditionum sub quibus constituuntur, nulla est vera diversitas, ut magis una, quam alia velit, nec ulla major ratio motiva, & determinativa in una voluntate quam in alia, sicut de causa determinativa omnes illi concedunt, & de motiva illorum plures. Dato autem quod omnes majorem motivam admitterent, cum hæc plenam relinquat indifferentiam, non infert certitudinem actus futuri hujus magis quam illius vel magis quam sui oppositi, vel suspensionis actus. Ergo ex parte causarum, & conditionum nulla est diversitas vera, ut unus actus magis quàm alius ex vi earum certo cognoscatur.

Nec etiam est diversitas ista ex parte ipsius actus existentis jam, ut objectivè præsens est in illo secundo instanti ad quod alij recurrunt. Quia, ut dictum est, & probatum supra in capite isto, impossibiliter ponitur actus Petri ut jam existens, non Pauli pro illo secundo instanti rationis. Undè nulla vera, sed fictitia, & impossibilis diversitas assignatur. Quòd autem inducunt de futuris absolutis, quorum quædam cognoscuntur, quia futura sunt, non alia, quia futura non sunt, minus juvat, imò illorum magis redarguit sententiam. Certum est enim futura absoluta ideo esse futura, quia Deus vult vel permittit, quòd futura sint, & non aliter. Undè quia hoc decretum Dei negant in aliis futuris, illa non erunt, nec ex consequenti certò à Deo cognoscentur.

Et hoc est, quod uno verbo docuit S. Thomas, cum ait quòd contingens ut contingens non est certò cognoscibile, & quod communiter Philosophus clamat, quod objectum scientiæ debet esse aliquid necessarium. Undè optimè Scotus In 2. d. 37. §. *Contra istam conclusionem.* de illa media scientia, sub nomine præscientiæ, dixit, quòd simul tollit à Deo causalitatem, & cognitionem. Itaque, ut uno Verbo concludam, objectum hujus mediæ scientiæ non est futurum sed confingitur futurum secundum quod S. Prosper affirmat Epistola ad S. Augustinum. *Novo absurditatis genere futura, quæ non sunt futura confingunt.* De objecto autem non certo certa scientia esse non potest, & de futuro non verè futuro sed ficto præscientia non potest esse nisi conficta. Debent ergo Authores cum quibus disputamus, probare primò illa futura conditionata esse revera futura suppositis conditionibus, & ex certitudine subjecti, ut decet Philosophos, & Theologos, & ad certitudinem præscientiæ devenire, non autem contra omnem scientiam constituere priùs præscientiam certam antequam firment illius objecti certitudinem. Quamvis certitudo à divina scientia non sumatur ex certitudine objecti creati sed ex divina voluntate, quæ causat certitudinem in objecto.

CAPUT XVI.

Quod per hanc mediam scientiam nostra tollatur libertas ostenditur.

PRÆTEREA non solùm sequitur modo relatum inconveniens de incertudine divinæ cognitionis. Imò, quod ampliùs est, sequitur ex ista media scientia quod Deus certissimè cognoscat liberum arbitrium sub his conditionibus collocatum nullo modo operaturum vel se conversurum & ex consequenti impossibilis omnino redditur conversio, quæ in illa media scientia fundatur. Probatur, Deus cognoscit quod deficit tunc arbitrio præcipuum requisitum ad operandum, ergo certò cognoscit quod non operabitur. Antecedens patet, nam prævia Dei motio est requisita ut voluntas exeat in actum & operetur, taliter quod est impossibile voluntatem exire in actum sine tali Dei motione prævia, ut apertè docet S. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 1. sic dicens. *Nulla potentia licet perfectissima potest exire in operationem sine Dei motione.* Et loquitur planè de previa: hæc enim à S. Thoma vocatur motio ad actum sicut alibi vocat applicationem ad actum (ut infrà libro tertio dicemus abundè) ergo necesse est voluntatem in actum non exire sine illa Dei motione: ergo Deus hoc certissimè cognoscit, quòd videlicet voluntas creata nunquàm exibit in actum sine sua prævia motione & applicatione, hoc ergo cognoscit Deus si aliquid cognoscit, videlicet si voluntas creata constituatur in quolibet rerum ordine, & illam non movero, vel applicavero ad actum liberum nullum actum liberum producet. Quod clarius S. Thomas expressit q. 3. de potentia art. 7. ad 5. sic dicens: *de ratione virtutis inferioris est quod sit aliquo modo operationis principium in suo ordine, id est, ut agat ut instrumentum superioris virtutis: unde exclusa superiore virtute* (quæ nempè utitur inferiore ut instrumento) *inferior virtus operationem non habet.* Hoc inquam objectum conditionatum necessarium est & necessariò à Deo cognoscitur per scientiam omnino necessariam in Deo, quæ est scientia simplicis intelligentiæ, ut dicemus infrà. Itaque hoc objectum, *potentia licet perfectissima non operabitur sine Dei previa motione*, objectum necessarium est, sicut quodlibet aliud objectum necessarium: quia de ratione potentiæ creatæ est indigere illa prævia Dei motione & applicatione ut agat, per quam reducatur in actum, cum ipsa de potentia in actum se reducere non valeat. Tantùm ergo abest, quòd Deus cognoscat per illam scientiam, quid liberum arbitrium operaturum est, quin potiùs cognoscit quòd nunquam operabitur actum liberum & quod non erit liberum in actu, sed tantùm in potentia: & ex consequenti hac mediâ scientiâ tollunt ij Authores ab humana voluntate actualem libertatem.

Confirmatur & explicatur hoc magis, nam per hanc mediam scientiam cognoscit Deus liberum hominis arbitrium esse primam radicem, primariam causam suæ determinationis, & primum liberum in genere suo (Hoc enim Authores illius mediæ scientiæ expressè fatentur, ut in brevissimo compendio ad finem hujus libri appositio, apertissimè constat, sed repugnat omnino liberum hominis arbitrium primam radicem & primam causam esse suæ determinationis, & primum liberum in genere suo: ergo omnino repugnat ipsum talem exercere libertatem: ergo per istum modum omnis nostra negatur libertas. Tribuitur enim illi libertas prima in exercitio suæ determinationis, quæ & omnino impossibilis est: & aufertur ab eo propria sua connaturalis libertas causæ secundæ, de cujus ratione est, ut ab alio mota se moveat & ex consequenti omnis nostra negatur libertas. Itaque in illa sua prima determinatione, in qua hominis voluntas à Deo non determinatur: ipsa primum liberum in suo genere constituitur, ut ingenuè ij Authores concedunt: ergo in illa prima determinatione creatum arbitrium non ponitur secundum liberum à primo dependens; sed, ut aiunt, primum liberum in genere suo: ergo omnem ejus negant libertatem; quia libertas hominis, sicut in actu primo, ita & in actu secundo vel in operis exercitio secunda libertas est, non prima.

Cum

Digitized by Google

Cum ergo ſecunda libertas ab eo auferatur quæ ſibi convenit, & prima ei tribuatur quæ ſibi repugnat, qua alia efficaciori via ejus poteſt negari propria libertas?

Unde meritò S. Auguſtinus lib. 2. ad Bonif. cap. 2. & 4. eos, qui initium boni operis ex nobis conſtituebant in illa nempe prima noſtra determinatione ad bonum, in quo opere à nobis ſic incepto dicebant Deum concomitanter hominem adjuvare: ubique appellat, non defenſores liberi arbitrij, ſed deſtructores, lapidatores & præcipitatores. Non enim efficaciùs poteſt præcipitari & deſtrui creatum arbitrium, quam ſi ab eo tollatur ratio creati arbitrij, quæ eſt ſemper à Deo pendere atque moveri, & ipſi tribuatur prima radix ſuæ determinationis, quæ omnino ei repugnat. Qua etiam ratione S. Hieronymus Epiſt. ad Cteſiphont. contra Pelagianos, qui hanc primam operis inceptionem & determinationem homini & non Deo adſcribebant, ut ejus ſalvarent libertatem, oſtendit eos noſtram omnino negare libertatem. Notanda ſunt S. Doctoris Hieronymi verba. *Quod autem ſurſum deorſum jactitant liberum à nobis arbitrium deſtrui, audiant è contra eos arbitrij deſtruere libertatem, qui eo malè utuntur adversùs beneficium largitoris. Quis deſtruit* (inquit) *liberum arbitrium ille qui ſemper Deo agit gratias, & quodcumque in ſuo rivulo fluit ad fontem refert? an qui dicit recede à me; quia mundus ſum, non habeo te neceſſarium: dediſti enim mihi ſemel arbitrij libertatem, quid rurſum te ingeris, ut nihil poſſim facere, niſi tu in me tua dona compleveris?* Ecce Sanctus Hieronymus ex eo quod antiquiores illi, contra quos diſputabat, non omnia quæ erant in rivulo voluntatis ſuæ, ad Deum ſicut ad fontem referebant; ſed aliquod initium boni operis ſeu bonæ determinationis ſibi tantùm reſervabant; à quo boni operis initio ſeu bona determinatione Deum excludebant: adversùs eos convincit, quod ipſi noſtram tollerent libertatem: quia nempè in illo initio hominem primam radicem & primariam cauſam eſſe dicebant ac primum liberum in illa ſua determinatione, quæ omnino creatæ libertati repugnant.

Sed & illud attendendum, quare dicat Sanctus Hieronymus Pelagianorum errorem nedum liberum hominis arbitrium ſimile Deo ponere, ſicut & diabolus appetivit cum dixit aſcendam & ſimilis ero Altiſſimo; ſed quòd magis eſt æquale Deo facere, quòd ipſam diaboli ſuperbiam videtur excedere: hoc enim ideò Sanctus Hieronymus docuit, quia optimè ſcivit (id quod poſtea Sanctus Thomas expoſuit 1. p. quæſt. 65. art. 3.) quod nimirum, licet diabolus appetiverit eſſe ut Deus & ſimilis illi, non tamen appetivit ſimilis eſſe Deo quantum ad hoc quod eſt nulli ſubeſſe ſimpliciter; quia ſic ſuum non eſſe appeteret: cum nulla creatura eſſe poſſit niſi per hoc quod ſub Deo eſſe participat. Et tamen hoc quod diabolus non appetivit, tribuit Pelagiana hæreſis illi initio noſtræ bonæ operationis ut à Deo non fiat, ab ipſo non cauſetur, nec participetur: Et propterea inquit Sanctus Hieronymus quod nedum Dei ſimilitudinem, ſed æqualitatem ſibi audet vendicare.

Hoc autem conſiderare debuerat P. Fr. Suarez, qui ſicut dixit arbitrium noſtrum eſſe primum liberum in genere ſuo, & primam radicem ſuæ determinationis, ita alibi aſſeruit conſequenter loquendo, divinam libertatem eſſe illuſtre exemplar libertatis noſtræ ac per conſequens debere noſtram libertatem illam imitari, ut ſeipſam ex ſeipſa liberè determinet (quod in ſecundo noſtro libro copioſiùs adversùs prædictum Authorem proſequemur, & ad præſens tantùm tangendo dicimus impoſſibile omnino eſſe quod divina libertas exemplar imitabile ſit à voluntate noſtra in eo quod eſt proprium & ſingulariſſimum divinæ libertati, videlicet per ſeipſam abſque alio determinante ſe determinare.) Et qui in hoc dicunt noſtram libertatem eam debere aut poſſe imitari, conſtituunt procul dubio, ut S. Hieronymus oſtendit, libertatem noſtram æqualem divinæ libertati. Quod etiam Sanctus Thomas apertè docet quæſt. 3. de potentia art. 7. ad decimum argumentum, quod taliter fuerat objectum. *Creatura Dei ſimilitudinem habet, inquantum actu eſt & actu agit & ſecundùm hoc eſt divinæ bonitatis particeps; hoc autem non eſſet, ſi virtus ſua ad agendum non ſufficeret: ſufficit ergo creatura ad agendum, ſine hoc quod Deus in ea operetur.* Et ad hoc argumentum, quod prætendit creaturam debere aſſimilari Deo in eo quod opponit, ita Sanctus Thomas reſpondet. *Ad decimum dicendum, quod creatura habet aliquam Dei ſimilitudinem participando bonitatem ipſius inquantum eſt & agit: non tamen ita quod per ſimilitudinis perfectionem ad æqualitatem perveniat: Et ideò ſicut imperfectum indiget perfecto, ita virtus naturæ in agendo indiget operatione divina.* Docet ergo quod ſi noſtra libertas, quæ creatura eſt, ſit primum liberum in ſuo genere & prima radix ſuæ determinationis, ita quod per ſe ſufficiat ad ſe determinandam, quòd ſimilitudinis perfectionem ad æqualitatem cum Deo habebit: quod Sanctus Hieronymus oſtenderat priùs. Hæc ergo attendant, qui divinam libertatem volunt eſſe illuſtre exemplar libertatis noſtræ, in hoc quod noſtra illam imitetur per ſe ſolam ſe ad agendum determinando, ceſſabunt iſta vel imaginari, vel dicere.

Ampliùs. Sunt aliqui obſtinatiſſimi peccatores, ita in peccatis obdurati, ut ſub nulla poſiti invitatione, ſuaſione & occaſione in Deum convertantur: iſtos ergo nulla via poterit Deus convertere ſalva illorum libertate. Quis autem dicat aliquem eſſe, aut eſſe poſſe peccatorem, quem Deus convertere non poſſit? Antecedens licet ab aliquibus defenſoribus hujus ſcientiæ non admittatur, ut à Suarez lib. 3. de auxilio divinæ gratiæ cap. 14. dicunt enim nullum ita obſtinatum eſſe in malo dum eſt in via, quem Deus non præſciat ſub aliqua occaſione poſitum ex infinitis quibus illum Deus conſtituere poteſt, conſenſurum & converſurum: tamen alij defenſores mediæ ſcientiæ antecedens illud eſſe poſſibile planè fatentur, contra quos ratio facta modò convincit. Imò idem Suarez, ubi ſupra, utrumque concedit: & caſum eſſe impoſſibilem, & quod ſi per impoſſibile id admittatur, inde nihil ſequi contra divinam omnipotentiam; ſed ſolùm Deum non poſſe liberè & efficaciter convertere quem cognovit reſtiturum ſemper, ſi liber uſus ei relinquatur. Quaſi non ſit contra divinam omnipotentiam aliquam liberam hominis voluntatem non poſſe liberè & conformiter ad ſuam liberam naturam ſalvare: nec poſſe hominem etiam per Dei omnipotentiam liberum uſum ſuæ libertatis habere circa ſalutem ſuam. Planè ſi hoc Deus ſua omnipotentia non poteſt circa liberam hominis voluntatem efficere nec omnipotens erit. Quomodo enim erit omnipotens, ſi libertatem quam creavit ad ſe convertere non poteſt? Ut autem univerſaliter contra omnes procedat ratio, certum eſt Deum ex ſua omnipotentia diabolum poſſe liberè ad ſe convertere & facere quòd ille liberè ad ſe

Digitized by Google

convertatur. Quis enim hæc audeat negare divinæ omnipotentiæ? Et tamen præsciit illum Deus ita obstinatum in malo, quòd sub nulla occasione positus ex se convertatur ad Deum, ut est notissimum: ergo conversio non fundatur nec fundari potest in illa media scientia, qua Deus præsciat quid liberum arbitrium creatum ex se facturum est, si in tali occasione vel tali ponatur, sed potius fundari debet in divina potentia, quæ efficaciâ suâ potest à se aversas & adversas quomodolibet convertere voluntates.

Similiter Deus de potentia absoluta potest creare hominem, quem scit repugnaturum cuilibet vocationi moraliter tantùm suadenti: id enim repugnantiam non involvit; & tamen illum posset Deus de sua omnipotentia liberè ad se convertere, ut probatum est: ergo non fundatur efficacia conversionis in illa congrua vocatione tantùm moraliter suadente, sed in potentia virtutis Dei ac ejus efficacia: qua potens est quascumque adversas voluntates ad se liberè convertere.

CAPUT XVII.

Quod scientia media, voluntatem humanam ex natura rei determinatam ad unam, partem constituendo, ejus libertatem auferat.

POstremò hæc media scientia voluntatem humanam ex natura rei determinatam ad unam partem constituit, & ipsius totaliter aufert voluntatem. Unde eadem via, qua contra divinam causalitatem liberum creatum arbitrium extollit, illud ita præcipitat, ut omnino libertatem ejus auferat. Quod sic ostenditur. Hæc scientia media est certa & infallibilis (ut ejus defensores fatentur) imò est prima radix omnis certitudinis prædestinationis & omnium effectuum ipsius: ergo objectum ejus est infallibile & certum: ergo quod voluntas constituta in tali rerum ordine consentiat, vel hoc factura sit, est infallibile & certum, hoc enim est illius scientiæ objectum: ergo voluntas creata constituta sub tali rerum ordine prævidetur infallibiliter operatura: ergo jam sic posita & constituta infallibiliter se determinabit ad volendum talem actum prævisum. Sed ista infallibilis voluntatis determinatio non provenit à scientia illa media; imò præsupponitur ad illam sicut illius objectum, hoc enim est, quod illa scientia videt, videlicet voluntatem se infallibiliter determinaturam. Non etiam provenit ex aliquo antecedenti decreto divinæ voluntatis, vel volentis, vel permittentis, quòd voluntas liberè se ad illum actum determinet, ut dicunt Authores hujus mediæ scientiæ. Nec etiam provenit ex auxiliis motionibus sive conditionibus illis antecedentibus, sub quibus constituitur ad agendum, quia ista non prædeterminant voluntatem, ut defensores hujus scientiæ contendunt. Denique nec illa infallibilis determinatio voluntatis provenit ex priori alio actu ipsius voluntatis, quia de illo omnium primo actu & decreto esset eadem prorsus ratio: ergo quòd illa voluntas se infallibiliter ad istum actum, & non ad alium determinet, habet ab intrinseco & ex propria natura objecti: ergo illa determinatio infallibilis, naturalis est voluntati, & non libera. Patet consequentia, quia omnis necessitas proveniens ex objecto, naturalis est & simpliciter absoluta; inquirendum enim est, à quo habet tunc voluntas quod infallibiliter se determinet? cui respondebitur, quia congruè vocatur: ergo illa congruitas pendens ex causis naturalibus loci & temporis, & cæterorum causa efficax est, quod voluntas infallibiliter operetur; ergo ex tali naturali temperamento, & naturali objecto habet, quod infallibiliter se determinet: quod est fatalem quamdam inducere necessitatem, quod enim fatalis necessitas, vel veniat ab actis, vel ex aliis rebus naturalibus per tale vel tale contemperamentum & congruitatem loci & temporis, ac cæterarum rerum naturalium, nihil minuit de fatali necessitate.

Nec valet respondere, ut Molina vult, objectum esse in se incertum & ambiguum, tamen Deum ob illimitatam suam perfectionem penetrare in creato arbitrio, quod in illo incertum est. Ita in terminis dicit in concord. quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 4. §. *tertia Conclusio.* Hæc enim responsio contra omnem scientiam tam naturalem, quàm supernaturalem procedit, omnes enim docent de objecto incerto nullam certam scientiam esse posse etiam in Deo ipso, quia essentialiter certitudo scientiæ requirit objecti certitudinem. Unde Franciscus Suarez hoc ipsum admittens in hoc Molinæ contrariatur, sicut neganti certissimum omnis scientiæ principium, quod abundè suprà declaratum est.

Non etiam valet dicere, quòd se determinabit liberè, quia hoc quærimus unde habet quod infallibiliter se determinabit liberè ad istum actum & non ad alium, vel enim reddenda est aliqua causa, & ratio ob quam se liberè, & infallibiliter ad hunc actum & non ad alium determinabit, vel si nulla est, ut revera non est in sententia horum Authorum; convincitur quòd ideò se infallibiliter ad hunc actum determinat, quia ab intrinseco & ex natura propria est ad illud objectum determinata ex objecto illo.

Ampliùs Molina ipse in concord. disp. 52. §. *Quaret fortasse* vers. *Unde* hæc verba habet. *Nec satis percipio quanam ratione in Deo integra maneret libertas, si ante actum suæ voluntatis præcognosceret in quam partem esset inflectenda, etenim existente tali scientia nulla ratione partem oppositam eligere potest; quare si ante determinationem præcognosceret in quam partem foret inflectenda, non video quando libertatem habuerit ad partem oppositam eligendam.* Pari ergo omnino ratione; si Deus præsciit in quam partem sit flectenda humana voluntas ipsa hâc præscientiâ suppositâ non potest eligere oppositam partem, & sic non libera maneret.

Nec potest disparitatis ratio sufficiens assignari quare præsupposita illa præscientia in Deo respectu suæ voluntatis, non potest divina voluntas aliud velle, & tamen quod posita præscientia eadem in Deo comparatione humanæ voluntatis, ipsa humana voluntas possit aliud velle, nec enim potentior adhoc vel liberior est humana voluntas quàm divina, ut præscientia à divina voluntate auferat libertatem & non à voluntate creata; præcipuè quia fundamentalis ratio ob quam dicit illam præscientiam tollere libertatem à divina voluntate, in illo casu, eodem modo currit in præscientia respectu humanæ voluntatis. Ideò enim dicit, quod tunc illa præscientia à divina voluntate tolleret libertatem, quia illa præscientia suppositа nulla ratione divina voluntas partem oppositam potest eligere, sed etiam suppositа divina præscientia, quòd humana voluntas hoc volitura sit, non poterit aliam partem velle humana voluntas: ergo talis præscientia ab illa aufert libertatem.

Non tertiò juvat cum P. Suarez respondere, non esse verum quod in tali casu impediretur divina libertas: quia, ut aiunt, anima Christi Domini scientiam

beata

Digitized by Google

beata certò cognoscebat, quid sua humana voluntas erat volitura, nec tamen per hoc à se in illis actibus libertatem auferebat. Dicendum est enim exemplum in primis esse valde diversum, quia Anima Christi videbat decretum liberum divinæ voluntatis, quo disposuerat Deus voluntatem Christi liberè & infallibiliter sic volituram, & sic videbat quod liberè se determinatura erat, quia videbat secundam suam libertatem pendentem à prima: cæterùm cum Deus ante omnem suam primam libertatem id viderit ut infallibile, id videt ut necessarium. Deindè quòd rectè id dixerit Molina ratio supra facta ostendit, quæ docet, non ex natura propria libertatis, quæ indifferens est; sed ex natura proprij objecti illam provenire determinationem.

Confirmatur idem & demonstratur demonstratione facta ab Aristotele 1. de Interpret. cap. ult. ubi demonstrat, quod si ponatur aliquod futurum contingens singulare ex sua natura determinatum ad unam patrem, jam illud non erit contingens seu liberum, sed absolutè necessarium: At liberum arbitrium constitutum sub istis conditionibus ponitur hoc determinatè operaturum: ergo jam ponitur futurum contingens singulare determinatum ad unam partem: ergo jam non ponitur contingens, sed absolutè necessarium. Et ratio convincens est, quia determinatum ex natura sua ad unum sicut intrinsecè opponitur contingenti vel indifferenti, quod potest in unam & in alteram partem flecti; sic constituitur simpliciter necessarium. Quæ tamen demonstratio non currit de libero arbitrio determinato à prima causa juxta suam propriam naturam liberam, ut statim dicemus. Adverte etiam quod licet Arist. demonstratio procedat de futuro absoluto singulari determinato ex sua natura ad unum, eodem modo prorsùs currit de futuro conditionato, quod ponitur ex natura sua determinatum ad unum, si tales conditiones apponantur, probat enim quod illud sit absolutè necessarium, non contingens ac liberum. Unde multò magis hæc demonstratio currit contra Franciscum Suarez lib. 2. de scientia futur. condition. cap. 7. §. *Dicendum*, asserentem Deum cognoscere hæc futura conditionata in seipsis & in ipsorum veritate objectiva, quia jam ponit illud futurum (quod vocat contingens) ex natura rei determinatum ad unam partem: ergo illud constituit non contingens, sed absolutè necessarium. Nec audias Franciscum Suarez dicentem dictum illud Aristotelis non esse verum (quia vera demonstratio est, ut ex dictis fit manifestum) in quo sequitur Gregorium in 1. dist. 38. quæst. 2. art. 1. ubi postquàm Aristotelem in citato capite reprehendit eum impugnat. Sed contra utrumque optimè quidem Ludovicus Molina supra relatus de sententia quam Suarez defendit, intulit quòd pugnat cum Aristotelis doctrina, & quòd contingentiam & libertatem de medio aufert. Cognovit enim, & quidem in hoc optimè Molina Aristotelis rationem, demonstrationem esse, quam tamen Suarius negat, quia videt adversum ipsum convincere atque concludere, quòd rerum neget contingentiam & arbitrij nostri manifestam libertatem, ut revera negat. Videant ergo Molinæ defensores, an ipsi potiùs omnium illorum in hac materia & causa Magistro, an Francisco Suarez credendum sit.

Sed dices, ergo secundùm hanc sententiam quam ex Aristotele defendimus nullum futurum est determinatæ veritatis, & ex consequenti incognoscibile erit. De hoc infra agendum est, nunc respondetur, quòd de futuro contingenti possimus loqui dupliciter; vel ut Physici in ordine tantùm ad suas naturales causas, vel ut Theologi in ordine ad divinæ voluntatis determinationem. Si primo modo, quia futurum contingens in suis causis, quas Philosophus considerat, non habet determinatam veritatem, cùm illæ causæ ex sua natura sint indifferentes & indeterminatæ ad hoc vel illud contingens producendum, optimè Aristoteles hoc ut Philosophus attendens dixit, nullum singulare futurum contingens esse determinatæ veritatis ob rationem factam, quia aliàs si causæ ex sua propria natura essent determinatæ ad hoc contingens efficiendum; jam illæ causæ essent necessariæ, & tale futurum non contingens esset, sed simpliciter necessarium. Si autem loquamur de futuro contingenti, ut Theologi, in ordine ad supremam causam, scilicet divinam voluntatem, ejus decretum & determinationem (sub qua ratione Aristoteles non fuit locutus) tunc asserendum est post talem divinæ voluntatis determinationem verè ab æterno futura contingentia singularia habere determinatam veritatem, nec per hanc determinationem eorum tolli contingentiam aut libertatem, cùm illa Dei determinatio utrumque determinet, & quòd illud futurum fiat, & cum contingentia & suo proprio modo fiat. Utrumque enim determinat, & utrumque causat, & substantiam illius futuri, & modum proprium illius nempe contingentiam. Et secundùm hanc distinctionem possunt concordari diversæ sententiæ, cum aliqui Doctores ut Gregorius & alij Aristotelem impugnant, alij defendunt, qui enim impugnant, Theologicè procedunt, qui autem defendunt ut Physici loquuntur, sicut revera Aristoteles loquebatur, de quo non impugnari debet: quia ut Philosophus rectè locutus fuit, & negari non potest, quod si prædicta contingentia libera considerentur præcisè & pure in ordine ad suas proximas causas omnino indeterminatas, quòd hac ratione non possint habere determinatam veritatem.

Ut ergo cum his Authoribus concludamus, vel illa media scientia seu conditionatorum futurorum præscientia in Deo constituitur, ut per illam cognoscat Deus talia futura in comprehensione humanæ voluntatis, vel in veritate determinata ipsorum futurorum in seipsis: ad istos enim duos modos cognoscendi tantùm, illam sui defensores constituunt: sed uterque modus est impossibilis, ergo impossibilis est illa præscientia. Minor quoad primum modum de comprehensione humanæ voluntatis ostenditur à Francisco Suarez contra Ludovicum Molinam lib. 2. de scient. cond. futur. conting. cap. 7. ubi illum modum non posse subsistere ex ratione S. Thomæ demonstrat. Quoad secundam autem partem & secundum modum cognoscendi illa futura in veritate derminata objectivè in illis futuris patet ex dictis ex Aristotele & Ludovico Molina adeò esse impossibilem, ut contingentiam ab illis futuris de medio tollat. Ergo ex potissimis defensoribus hujus mediæ scientiæ illius ostenditur impossibilitas. Uterque enim adversùs alterum revera demonstrat: posterior Suarez contra primum Molinam quòd in comprehensione humanæ libertatis non possint illa futura certò à Deo cognosci determinatè cùm in causa illa nullum determinatè sit. Prior autem Molina contra posteriorem etiam ex Aristotele & vera ratione concludit illum dicendi modum de veritate determinata in illis futuris, ab eis veram contingentiam auferre, & illa necessaria absolutè constituere, quidquid verbis aliud dicatur. Igitur non tantùm à nobis, sed à potissimis defensoribus illius mediæ scientiæ seu præscientiæ conditionatæ, ipsa ostenditur impossibilis, dum impossibilem modum cognoscendi per ipsam futura

Digitized by Google

contingentia conditionata statuunt, & apertis verbis pronunciant.

Insuper, sicut suprà declaratum est atque conclusum, priùs est in Deo scientia absoluta hujus objecti, arbitrium positum sub tali ordine rerum sic operatur, quam illa scientia media ejusdem objecti sub conditione signati, sed ex hoc etiam concluditur quod illa scientia absoluta, quæ antecedit illam conditionatam sit de objecto omnino necessario: ergo erit hoc objectum necessarium, arbitrium constitutum sub tali ordine rerum sic operatur, & sic nulla ratione liberum erit. Quod sic ostenditur. Prior est in divina mente scientia absoluta illius objecti, quam illa conditionata, ut ex principiis horum Authorum suprà probavimus: ergo vel illa absoluta scientia quæ prior est quam conditionata, est absolutè libera, in Deo, vel absolutè necessaria? neque enim ipsi dabunt aliam scientiam objecti absoluti mediam inter naturalem & liberam, ut modo supponimus. Non dicent esse liberam, quia ante omnem actum divinæ voluntatis non possunt scientiam liberam in Deo collocare, & multò minùs de operatione libera absolutè à creatura fienda, ut est apertissimum: Ergo erit illa scientia illius objecti absoluti, naturalis & necessaria in Deo: ergo objectum ejus erit sine dubio necessarium, & non liberum. Patet consequentia, quia objectum scientiæ necessariæ simpliciter, debet esse etiam simpliciter necessarium, ut omnes sciunt; cum ab objectis scientiæ specificentur: ergo hoc objectum, arbitrium cõstitutum in tali rerum ordine sic operatur, erit objectum simpliciter necessarium, & sic omnino peribit libertas, quia omnis necessitas quæ ex objecto tali provenit absolutè necessaria est, sicut objectum ipsum ex sua natura ex necessitate movet.

Vel sic formetur argumentum. Veritas propositionis conditionalis est vera, quia sua de inesse est vera, ut supponunt: ergo si Deus ante omnem actum liberum suæ voluntatis cognoscit certò, quod si arbitrium ponatur sub tali ordine rerum sic operabitur, etiam ante omnem talem suæ voluntatis liberum actum certò cognoscit, quod arbitrium sic constitutum sic operatur. Vel ergo ante omnem actum divinæ voluntatis liberum datur aliquod futurum liberum absolutè, quod dici nullo modo potest, vel illud objectum est objectum simpliciter necessarium, nullam dicens extremorum existentiam, sed essentialem connexionem prædicati cum subjecto, & sic erit propositio simpliciter necessaria, non minùs quam ista, albedo constituta in corpore dealbat, quæ revera existentiam extremorum non dicit, sed essentialem connexionem prædicati cum subjecto, quæ est veritas necessaria, & per necessariam scientiam Deus illam cognoscit ante omnem suum liberum actum. Unde sicut Deus ante omnem liberum actum suæ voluntatis cognoscit, quod si Albedo ponatur in corpore dealbabit, ita etiam cognoscit ante omnem suam libertatem hanc conditionalem esse veram, quia ista de inesse est vera, albedo constituta in corpore dealbat; & quia hanc absolutam certò cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ, quæ in Deo est necessaria simpliciter, ita & illam propositionem conditionalem per eandem scientiam simplicis intelligentiæ certò cognoscit. A simili ergo, si Deus ante omnem suum actum liberum certò cognoscit, quod si arbitrium sic constituatur, sic operabitur: necesse est quod etiam ante talem liberum actum cognoscat aliam veritatem absolutam per quam illa conditionalis regulatur, & sic cognoscet ante omnem suum actum liberum hanc absolutam, arbitrium constitutum in tali rerum ordine sic operatur; & quia hanc certò cognoscit ante suum liberum actum, etiam illam conditionalem cognoscet; sed cognoscere Deum ante liberum actum suæ voluntatis illam absolutam secundùm existentiam extremorum veritas Catholica non admittit: ergo necesse est dicere, quòd non dicat extremorum existentiam, sed essentialem ordinem prædicati cum subjecto, & sic erit propositio simpliciter necessaria cognita per scientiam simplicis intelligentiæ. Unde omnino in similibus humanis operationibus libertas impeditur per positionem hujus mediæ scientiæ.

Accedit quòd quidam ex defensoribus hujus mediæ scientiæ manifestè dicunt quòd ex prædefinitionibus, quas aliqui post ipsam in Deo constituunt, magna ex parte nostra auferatur libertas, quorum verba inducta sunt suprà cum divinas prædefinitiones defendimus.

Sed nec multum est laborandum in ostendẽdo quòd statuant hi Authores absolutam scientiam futurorum absolutorum, & non tantùm conditionatorum in Deo ante decretum omne liberum divinæ voluntatis. Id enim expressè confitetur Franciscus Suarez lib. 2. de scient. futur. cond. cap. 8. §. Ad secundum sub his verbis. *Ad secundam confirmationem cum infertur, quòd etiam respectu creaturarum scientia absoluta futurorum antecederet ad decretum liberum divinæ voluntatis, distinguere oportet, antecedere ad illud ut cognitum, falsum est; quia saltem necessarium est præcognoscere decretum liberum voluntatis divinæ, ut secundùm rationem futurum proximè post talem scientiam, nam ex illo pendent absolutè futura in creaturis. Si verò inferatur, quod illa scientia antecedit ad illud decretum ut actu in se positum secundum rationis ordinem, sic concedenda est sequela. Nec hinc sequitur aliquod inconveniens, &c.* Jam ergo admittit ante liberum decretum divinæ voluntatis ut in re positum Deum certò cognoscere futura absoluta humanæ voluntatis: ergo ante decretum divinæ prædestinationis quo Deus homines prædestinat, certò scit futura absoluta creatæ voluntatis omnia quæ ipsa factura est: ergo prædestinatio fit in Deo ex prævisione absoluta futurorum ut futura sunt: consequentia hæc ultima evidens est, est tamen contra eundem Authorem, nam illam ipse negat cum S. Augustino contra Pelagianos.

CAPUT XVIII.

Per hanc mediam scientiam tolli arbitrij nostri libertatem amplius ostenditur.

Insuper magis hoc confirmatur & declaratur ex istorum Authorum sententia, quæ asserit hominem positum sub talibus conditionibus loci & temporis, & sub tali humorum temperamento infallibiliter consensurum. Sic enim formatur argumentum planè convincens. Locus, tempus & humorum temperamentum planè res merè naturales sunt: ergo si positum sub illis infallibiliter consentiet arbitrium, naturalem connexionem habet arbitrij infallibilis consensus cum illis: ergo illæ res naturales determinant arbitrium ad sic infallibiliter consentiendum; siquidem positis illis ita infallibiliter consentiet, quòd fieri non potest, quòd dissentiat: ergo tale temperamentum infallibiliter inclinabit, seu determinabit arbitrium ad consensum: ergo à forma merè naturali & antecedenti determinabitur arbitrium ad consentiendum: ergo non remanet liber consensus. Consequentia ista ultima manifesta est, quia arbitrium tractum infallibiliter à forma merè naturali & antecedente ut consentiat, naturaliter à tali naturali forma determinatur ad consensum, & sic liberè non

consentit,

Digitized by Google

consentit. Unde optimè Lovanienſium doctiſſima Schola intulit, quòd ſi cum illo naturali temperamento infallibilem connexionem habet conſenſus arbitrij, quòd ille conſenſus liberè non fiat. Quomodo enim ſalvatur arbitrij libertas, ſi poſito temperamento merè naturali antecedente & trahente efficaciter arbitrium, fieri non poteſt quod arbitrium diſſentiat, ſed infallibile eſt quod conſentiat? Procul dubio iſta infallibilitas in conſentiendo ab illa forma merè naturali & determinata ad unum proveniet, unde libertas in conſentiendo non erit.

Poteſt hoc oſtendi ratione ſimili. Si enim poſita paſſione appetitus ſenſitivi antecedente liberum voluntatis conſenſum fieri non poſſet, quod arbitrium diſſentiret, ſed infallibile eſſet quod conſentiret, illa paſſio non ſubderetur imperio rationis, nec libertati voluntatis, ſed è contra ſibi ſubderet voluntatem, & ex neceſſitate ad conſenſum determinaret; unde libertatem à voluntate auferret, ut in hoc caſu Theologi omnes ſine contradictone fatentur. Pari ergo ratione, ſi poſito naturali humorum temperamento antecedente conſenſum voluntatis, fieri non poteſt quòd voluntas diſſentiat, ſed infallibiliter conſentiet tali naturali temperamento, ex neceſſitate determinabitur voluntas ad conſenſum, & ſine libertate conſentiet. Patet conſequentia ratione prorſus eadem. Quis enim ignoret idem omnino eſſe judicium de paſſione in illo caſu & de naturali temperamento in iſto, cum utrumque ſit forma vel qualitas, vel quid merè naturale determinatum ad unum & efficaciter trahens ſecum voluntatem, ita quòd fieri non poteſt, quòd voluntas illi diſſentiat? Mirum eſt planè quòd prædeterminationem provenientem à divina voluntate, quæ vult hominem infallibiliter & liberè conſentire, & ad id applicante cauſas liberas tam acriter iſti Authores negent, ſicut lædentem arbitrij libertatem, ex eo quod fieri non poteſt, quòd illa poſita arbitrium illi reſiſtat; & quòd iſti conſtituant aliam prædeterminationem phyſicam, & merè naturalem ejuſdam naturalis temperamenti, & humorum proportionis, quia poſitâ non ſtet liberum arbitrium non conſentire, & quod ipſi non videant multò magis per hanc noſtram tolli libertatem.

Advertere quidem debebant prædeterminationem efficacem provenientem ex efficacia divinæ voluntatis volentis, quòd voluntas infallibiliter conſentiat & liberè conſentiat, & ad id applicante cauſas proportionnatas liberas, libertatem non lædere, ſed actualem libertatem cauſare. Secus verò prædeterminationem phyſicam provenientem ex cauſa merè naturali & ex temperamento humorum, quæ cauſa merè naturalis eſt, & ad unum determinata. Advertere, inquam, debebant ſi infallibile eſt, quod ei voluntas conſentiat, ita quod non ſtat illâ præſuppoſitâ voluntatem non conſentire, quod omnino noſtram auferat libertatem.

Sed objicere poſſunt, quod poſito objecto ſub majori ratione boni & convenientis, & poſito exercitio actus ſub eadem omnino majori ratione boni non ſtat voluntatem vel aliud operari vel actum in exercitio non habere illa ſuppoſitione facta, ut libro tertio & quarto dicturi ſumus ex S. Thomæ ſententia 1. 2. quæſt. 13. art. 6. ad 3. ergo ex propria natura objecti certò homo eſt operaturus, & hoc Deus cognoſcit. Inter autem alias conditiones & humorum temperamenta, illud eſt quod ſic congruè proponatur objectum ſub majori ratione convenientiæ: ergo illa ſuppoſita, nihil aliud requiritur ex parte voluntatis, ut de facto, & certò voluntas illud operatura ſit.

Ad hoc dicendum concedendo ſic congruè poſito objecto hominem operaturum, nec ſtare aliud operari illa ſuppoſitione facta; non tamen ex ipſo ſe primò voluntas ad tale objectum movebit; ſed illo ſuppoſito Deus ſemper præſtabit voluntati influxum, ut in tale objectum ſic repræſentatum feratur; quia hæc eſt natura voluntatis, ut ei detur talis influxus, ſuppoſito quòd illi Deus fecit ſic objectum illud proponi, unde tunc Deus qui incepit ſic congruè proponere objectum voluntati utique & perficiet, ulteriùs procedendo & dando voluntati neceſſarium influxum, quo in tale objectum feratur. Dato autem, quòd tali objecto ſic propoſito Deus voluntati negaret ſuum influxum, minimè in illud objectum ferretur, ſed hoc eſſet præternaturale.

Sed adhùc dices. Sicut tunc infallibiliter movebitur voluntas in objectum ſub majori ratione boni omnibus modis propoſitum & tamen liberè; ita movebitur ſub illo naturali temperamento poſita infallibiliter, & tamen liberè. Ad hoc reſpondetur, diſparem eſſe rationem, in primo enim caſu liberè movetur, quia propria & intrinſeca natura potentiæ liberæ id poſtulat ut ſic propoſito objecto in illud liberè feratur. At ſi ſuperaddatur ei tale vel tale humorum temperamentum, quod eam faciat infallibiliter operari, cùm tale temperamentum naturale quid ſit, & minùs liberum, determinabit naturaliter voluntatem ad volendum ut dictum eſt. Quia jam tunc objectum non cum ſola libertate voluntatis connexionem habebit, ſed cum illo naturali temperamento, vel cum voluntate ſub illo naturali temperamento conſtituta, quæ proinde neceſſaria connexio erit minùs libera.

Explicatur & confirmatur adhùc. Ideo enim motus voluntatis qui dicuntur primò primi naturales ſunt & non liberi, quia voluntas in ipſis non movetur à ratione, cum illi rationis uſum antevertant, ſed movetur à paſſione appetitus, vel ex alia cauſa non libera, ſed naturali: ergo ſi voluntas habet infalliliter conſentire ex eo quod ſub tali humorum temperamento conſtituitur, neceſſe eſt quod à tali temperamento, & non à ratione moveatur; & per conſequens motus voluntatis erit antevertens rationem, unde nec erit liber ſed neceſſarius, ſicut motus primo primi. Sed in hac ratione loquimur de motibus omnino primo primis, iſti enim ſi dentur nullo modo liberi ſunt. Quod autem tales regulariter non dentur in nobis omni ex parte prævenientes rationis uſum verum putamus. Qua ratione S. Thomas in illis peccatum dicit eſſe veniale, quia regulariter poterant aliquo modo impediri: verum eſt quod in infidelibus ſemper illi quomodocumque proveniant, voluntarij ſunt in ſua cauſa, id eſt in peccato originali, ſeu actuali quibus quaſi antecedenter voliti ſunt.

Prætereà. Ponere voluntatem conſenſuram, ex eò quod ſub tali naturali temqeramento collocatur, & ſub tali loco & tempore, eſt ponere voluntatem conſentire ex fatali quadam neceſſitate, quæ omnino libertatem aufert. Probatur. Nam hac ratione fatalis neceſſitas ab illis antiquioribus ponebatur libertatem auferre, quia ponebatur quædam vis poſitionis ſyderum, vel connexionis aliarum cauſarum quæ antecederet voluntatis humanæ conſenſum, & ipſam inevitabiliter traheret ad conſenſum, ut conſtat potiſſimè ex P. S. Auguſtino lib. 5. de civit. cap. 1. Ergo eadem omnino ratione, ſi modo ponitur in loco & tempore & naturali quodam temperamento vis quædam, quæ inevitabiliter trahat voluntatem ad conſenſum ponitur fatalis quædam neceſſitas in illis rebus naturalibus non minùs quam in poſitione ſyderum, vel in connexione aliarum cauſarum; ergo per hanc poſitionem, ſicut per fatalem neceſſitatem

Digitized by Google

cessitatem nostram libertatem de medio tollunt. Si ergo Deus per illam mediam scientiam cognovit hominis voluntatem infallibiliter consensuram, si ponatur sub tali loco & tempore, ac naturali temperamento, videt utique voluntatem nostram ex antecedenti & efficaci forma naturali ad consensum determinari, & videt ex fatali quadam quasi necessitate consensuram, & sic videt illam non liberè, sed ex necessitate consentire. Igitur omni ex parte constat quòd per hanc mediam scientiam, quæ certitudinem habet ex arbitrio posito sub loco & tempore, ac temperamento naturali, tollitur nostri arbitrij potentissima libertas ita efficaciter, sicut tollitur per alios, qui fatalem introducebant necessitatem.

Omitto, quod Deus per hanc etiam mediam scientiam debet poni ab his Authoribus certò cognovisse Angelos qui salvi facti sunt fuisse salvandos, si tali gratia excitarentur, & alios minimè etiam sub tali excitatione gratiæ constitutos, & tamen in Angelis non est recursus ad talem locum & tempus, & ad humorum temperamentum, ut est satis notum, quia istis carent. Ridiculum ergo est ad ista recurrere pro formanda certitudine divinæ scientiæ. An etiam in Angelis invenient humores istos, & hoc temperamentum & positionem loci & temporis, ex quibus illorum quidam infallibiliter ad consensum traherentur, & non alij, & hoc Deus per illam mediam scientiam cognosceret? Sed de hoc copiosè infrà lib. 4. erit agendum.

Sed aliquos ex ipsis cum hoc argumento urgetentur, audivi dicentes, quod in Angelis, quòd congruè vocati consentirent, provenit ex ipsorum individua ratione, & quòd hoc Deus certo cognovit. Cæterùm hoc jam clarius est in aliquid omnino necessarium & naturale reducere, quod isti & non illi Angeli conversi sunt ad Deum. Nam illa individualis ratio quid merè naturale & necessarium est, & est antecedens liberum consensum, & ex illa infallibiliter consensus provenit: ergo consensus ille connexionem necessariam habet cum illa individuali ratione, & sic liber non erit talis consensus. Nam originaliter provenit à causa merè naturali, & determinata ad unum, consensus autem qui necessariam connexionem habet cum causa merè naturali, naturalis est, & non liber.

Sed & illud omnes advertant imò isti Authores exponant, quodnam ex seipso habebat Paulus temperamentum, ut à Deo vocatus consentiret, cum potiùs in actuali esset resistentia & persecutione: Absque dubio totaliter erat dispositus, ut ex se nunquam consentiret nisi efficacia sua Deus illius voluntatem in bonum inflexisset. Quod & in aliis obstinatis peccatoribus, qui subitò convertuntur, videre licet, sicut fuit ille Philosophus, qui cum in Concilio Nicæno multa contra fidem protulisset, ut callidè veritatem impugnaret, à quodam sancto Episcopo qui literas nesciebat, & solùm Jesum Christum sciebat, simplicissima fidei veritate proposita convictus fuit, non Rethorica, non persuasione, non ex eo quod congruitatem ex se haberet ad fidem suscipiendam quam acriter impugnabat, sed Dei virtute, Dei efficacia illum convertentis. Sicut, & Philosophus ille dans manus veritati apertè confessus est: De quo suprà mentio facta est.

Hoc argumentum de naturali temperamento contra illos concludit, qui vocationem congruam defendunt. Nam contra illum, qui ultimò illa duo collata opuscula edidit, non ita procedit, ipse enim non in congruam vocationem reducere videtur certitudinem consensus, sed in solam meram arbitrij libertatem: Unde non admittit, quòd in illo primo signo in quo arbitrium intelligitur constitutum sub talibus conditionibus, sit certò hoc voliturum ita quòd ex ipsa congrua vocatione hoc Deus certò cognoscat; quia dicit, quòd solùm illum actum Deus certò scit, postquàm in secundo instanti jam intelligitur existens ut suprà est relatum. Unde iste nec etiam verbis admittit efficaciam vocationis congruæ: sed manifestè illam negat supposito quòd ait Deum in illa non posse certò futurum contingens cognoscere, sed expectare debere, ut in secundo instanti jam illud existens sit.

Rationes alias plures omittimus, præcipuè quæ adversùs justificationem & gratiam, quam hi Authores per illam mediam scientiam salvare procurant, opponi possunt: quia ex proposito in quarto nostro libro firmabuntur. Ubi Deo præoperante monstrabimus per auxilium illud gratiæ quod scientiæ mediæ subdunt, & quo Deus videt, si apponatur effectum consecuturum, seu per illam quam dicunt vocationem congruam expectare Deum tempus, & alias illius congruitatis necessarias circumstantias ad hominem convertendum. Nec habere semper tempus paratum ad hominem, quoties voluerit, convertendum (hoc enim manifestè ex tali congruitate sequi nullus est, qui inficiari possit, cum una ex requisitis circumstantiis ad illam congruitatem sit quod tali tempore, & non alio Deus vocet, ut expresse Authores illius congruitatis exponunt.) Quod tamen in Semipelagianis id de tempore prætendentibus, & fortè id in terminis dicentibus S. Prosper in Prosa contra ingratos ita damnat, post illorum sententiam relatam.

At verò omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus; cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit, non moribus illi
Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis.
Nec quod sola potest, curâ officioque ministri
Exequitur, famulisve vicem committit agendi.

Ad quid enim S. Prosper adversùs Pelagianos dicebat quod Deo ad hominem convertendum semper est tempus paratum, si ipsi non asseruissent, quod ut Deus congruè vocet, & homo vocatus sequatur, debet inspicere ut hoc potius tempore, quam alio vocaret? Procul dubio hoc ipsos dixisse expugnatio S. Prosperi manifestat. Vel ad quid in illorum confutatione adderet? quod Deus ut hominem convertat, non causis anceps suspenditur ullis, si illi non dixissent, quod ut Deus congruè vocet oportet inspicere, ut tali tempore & talibus circumstantiis vocatio fiat, & interim quod anceps maneret suspensus. Non potuit clarius S. Prosper illam mediam scientiam, quæ talem congruitatem vocationis scrutaretur, & depingere & expugnare, quam relatis modo verbis.

Insuper si ista media scientia attendatur, & illud invenietur, quòd per illam nullum speciale auxilium perseverantiæ ponant ad perseverandum necessarium nisi tantùm illud sufficiens, & quod omnibus assignant commune, quod expresse opponi Canoni videtur Tridentini Concilij citato nostro quarto libro convincemus. Quod autem manifestè sequatur, patet: quia ipsi dicunt, quod dato duobus in gratia existentibus æquali auxilo ad perseverandum sufficiente, unus perseverat, quia vult, & non alius, & quòd quando Deus vult dare auxilium perseverantiæ, dat illud sufficiens in illo loco, tempore, ac circumstantiis, in quo si daretur prævidebatur homo perseveraturus: Ergo cum illud auxilium perseverantiæ sit æquè sufficiens in uno ac in alio, & ex se æqualè in ambobus, non habet qui perseverat speciale aliquod auxilium quod non habeat, qui non perseverat.

Dicunt, quòd dare illud secundùm se sufficiens auxilium eo tempore quo prævidetur homo perseveraturus,

Digitized by Google

veraturus, quod est dare congruè, & majus beneficium, quam dare alio tempore, & ex consequenti est majus vel præstantius, vel specialius auxilium. Sed contra hoc est, quia quòd illud auxilium sit congruum, vel sit majus beneficium, oritur ex dispositione hominis, qui sub talibus circumstantiis positus consentiet, & sic non ex Deo erit illud speciale auxilium, sed originaliter ex homine ipso, qui sibi facit, quia vult, quod illud sit auxilium perseverantiæ. Potissimè, quia amplius sequitur, quod citato loco efficaciùs probaturi sumus, quòd per illam mediam scientiam & auxilium, quod illi subest, non possit Deus facere hominem perseverare, nec id cognoscat; nam perseverare dicit continuationem bonorum actuum usque in finem, non enim dicit solùm unum vel alterum bonum actum: sed in tota illa continuatione dabitur aliquod instans vel tempus aliquod, in quo Deus sciat hominem ita esse dispositum, ut dato ei auxilio sufficienti non perseveret: ergo tunc nec poterit illum facere perseverare. Antecedens patet, quia in tota illa continuatione sunt diversæ hominum affectiones, & arbitrium de se variabile, mutabile & instabile: ergo morale erit, quod nisi firmetur in bono per auxilium perseverantiæ efficax antecedens non perseverabit, & quod si suæ naturæ & dispositioni relinquatur, in tota illa continuatione & multiplicatione actuum aliquando ex indispositione deficiet, & quòd hoc per illam mediam scientiam Deus cognoscat & ex consequenti, quòd per illam non sciat semper hominem ex se perseveraturum. Quam rationem solum modò tactam, ex pendemus nervosiùs infrà citato nostro quarto libro, tractantes in specie hanc de dono magno perseverantiæ materiam.

Omitto etiam, quod confirmati in gratia, & etiam prædestinati saltem in ultimo vitæ, ita sunt efficaciter à Deo, & ejus gratia præventi, ut sub quibuscumque imaginalibus temperamentis & creaturarum positione, loci & temporis constituantur, semper infallibile sit eos bene operari, ita quod fieri nequit, quod à Deo avertantur: ergo locus & tempus & hoc imaginatum, seu confictum humorum temperamentum nihil omnino, vel ad infallibilem consensum, vel dissensum arbitrij potest conducere. Major videtur clarè à Paulo prædicari Rom. 8. illis verbis. *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei,* Ubi loquens de se, & de aliis confirmatis in gratia & prædestinatis docet, quod nulla creatura poterit eos finaliter separare à charitate Christi. Nullum ergo temperamentum hoc poterit efficere. Cesset ergo hoc temperamentum ubi Paulus negat creaturam aliquam hoc posse efficere. Sed hoc hîc tantùm tangimus infrà quatro libro copiosè explicandum & comprobandum.

CAPUT XIX.

Ex universali Dei Providentia de rebus omnibus disponente, ad excludendam scientiam mediam arguitur & demonstratur nec eminenter in Deo illam reperiri posse.

TANDEM quòd hæc media scientia non sit in Deo, hæc sola ratio, etiamsi omnes aliæ deessent, convincit. Divina Scriptura & Patres, ac Scholastici omnes uno ore affirmant Deum simpliciter, & absolutè omnia dirigere, providere & gubernare nulla facta mentione prævisionis futurorum liberorum conditionalium, quam prævisionem teste ipso Molina Patres non agnoverunt ut ad providentiam Dei requisitam: Igitur dirigit Deus omnia, provident atque gubernat secundùm Sanctos Patres sine ista præcedenti media scientia. Imò quod antecedere divinam providentiam non possit, non obscurè Scriptura sacra declarat, quæ docet Deum à fine usque ad finem fortiter attingere & disponere omnia suaviter. Sap. 8. *Omnia in mensura, numero & pondere disposuisti.* Procul dubio si omnia sic divina providentia disposuit & ordinavit, etiam disposuit & ordinavit quod futura illa libera conditionalia evenirent, si tales conditiones adhiberentur. An divina sapientia omnia disposuit, & non ista libera conditionalia futura? Quis ita dicat, imò desipiat, ut cum Scriptura dicat omnia esse à divina providentia disposita, excipiat quis pro libito suo futura conditionata libera. Numquid quod homo si sic vocetur consentiat, non est quid magnum & bonum? An non pertinet ad res de quibus dicitur, quod omnia in mensura, numero & pondere Deus disposuit? Quomodo ergo ista magna bona ab humana libera voluntate pendentia audent aliqui non ponere divinæ providentiæ subjecta? Quomodo dicunt hoc esse præscitum ante omnem divinam providentiam Dei, non autem ab illa esse dispositum. Procul dubio cum omnia divina providentia fortiter & suaviter disponat, etiam fortiter & suaviter disposuit, quòd si homo sic vocetur, vocationi consentiat: & cum divina providentia omnia in mensura, numero & pondere disposuit, etiam disposuit numerum, mensuram & modum eorum, qui si sic vocarentur, vocationi habebant consentire. Nullo ergo modo dici potest, quod talia conditionata futura cognoscantur ante omnem actum divinæ voluntatis & divinæ providentiæ.

Sed & hîc illud attentius considerandum authoritates & rationes inductas, non solùm convincere, non esse in Deo illam mediam scientiam formaliter, sed nec eminenter respectu illorum futurorum conditionatorum ante decretum divinæ voluntatis liberum. Æqualiter enim, & illam formalitatem, & hanc eminentiam expugnant. Nec enim quæstio ista gravissima, quæ de hac media scientia, seu potiùs contra illam ventilatur in hoc consistit, quod non sit in Deo formaliter nuncupata illa media scientia: sed in hoc quod nullo modo, nullaque ratione sive formaliter, sive eminenter in Deo reperiatur. Imò si hujus mediæ scientiæ defensoribus semel concedatur, quod illa eminenter in Deo sit ante omne decretum liberum divinæ voluntatis, nec multùm curabunt, quod illa formaliter in Deo sit, quia reipsa suum principale intentum obtinerent; nec inconvenientia superiùs inducta minùs ex illa eminentiali scientia sequerentur, quàm ex ipsa posita in Deo formaliter, ut facile quis deducere potest, quod & pro manifesto relinquitur.

Hoc autem ideò diximus advertendum, ne quis fallatur in his quæ legerit apud insignem D. Thomæ discipulum Magist. F. Balthazar Navarrete ad primam partem quæst. 14. controv. 56. §. 3. qui cum rectè impugnasset hanc mediam scientiam formaliter in Deo ab aliquibus constitutam seu admissam, plurimis videtur, quod eam eminenter ipse in Deo admittat. Quod tamen apertè ex his quæ dicit, convinci non potest. Licet enim aliquibus verbis id videatur asserere, aliis tamen & fortè clarioribus id ipse negat. Et quidem quod illam mediam scientiam illorum futurorum sub conditione post determinationem

Digitized by Google

minationem humanæ voluntatis eminenter in Deo non constituat, sed post decretum voluntatis divinæ constare potest primo quia citato loco §. 1: in quadam tertia conclus. sic habet. *Etiamsi in Deo esset formaliter cognitio futurorum conditionatorum, tamen omnino improbabile est asserere, quòd Deus ante aliquod decretum suum cognosceret quid futurum esset in eisdem rebus conditionatis.* Et rationes, quibus conclusionem hanc probat, idem ostendunt de eminentiali illa congnitione ante divinæ voluntatis decretum, ac de formali. Si enim Deus, ut ait, non decerneret præmovere arbitrium ad bene operandum, nunquam arbitrium bene operaretur quacumque apposita conditione, & per consequens nunquam sciret Deus arbitrium operaturum bene, quacumque illa adhibita conditione: quod ibi probat propter essentialem liberi arbitrij creati subordinationem ad divinam primam libertatem, quæ per ejus liberum decretum habetur respectu cujuscumque liberæ creatæ operationis.

Similiter in §. 3. in quadam septima conclusione eruditè concludit, quod illa media scientia minuit perfectionem creatæ libertatis ex eo quod illa admissa non originaretur illorum futurorum conditionatorum libertas à prima divina libertate, quod est contra libertatem creatam. Quæ ratio sicut & illa prior relata pro tertia conclusione æqualiter militat contra illam mediam scientiam, non solùm si formaliter in Deo constituatur ante decretum liberum divinæ voluntatis; verum etiam si ante tale decretum in Deo eminenter constituatur: quia etiam tunc libertas creata illorum futurorum conditionatorum sic eminenter à Deo cognitorum ante divinæ voluntatis decretum liberum à prima libertate non originaretur, ut ratio ab illo authore facta concludit.

Tandem tertiò id clariùs videtur constare ex aliis verbis, quæ adhibet in eodem §. quæ sic habent. *Supposito ergo quod cognosceret Deus actus nostros liberos expectando determinationem nostræ voluntatis derogat perfectioni libertatis. Quando in superioribus diximus, quòd Deus habeat secundùm quandam eminentiam cognitionem futurorum conditionatorum, nullo modo ponimus illam, sicut illi Authores, nec concedimus aliquod genus eminentis cognitionis, quod præsupponat dictam determinationem, sed ut declaratum est, etiamsi Deus cognosceret, quod si Petro, Verbi Gratia, conferretur tale vel tale auxilium in hac illa dispositione, & secundùm tales vel tales circumstantias Petrus converteretur; est necessarium ad hoc præintelligere efficacem determinationem, qua positis eisdem circumstantiis Deus decerneret convertere Petrum; & ante hoc nulla libertas efficacis determinationis creatæ potest cognosci à Deo.* Hæc prædictus Author.

Quibus si alia non adhiberet, quæ aliquibus videntur habere difficultatem, utique manifestum esset & clarum illum mediam illam scientiam seu eminentem cognitionem futurorum sub conditione nullo modo admittere ante divinæ voluntatis liberum decretum, sed post illud; & omnem aliam illorum cognitionem, sive formaliter, sive eminenter, antè tale divinum decretum omnino in Deo negare. Quia tamen alia subjungit quæ multis non benè cum relatis cohærere videntur: ex eis occasionem sumpserunt, ut ei eminentem illam mediam scientiam ante divinæ voluntatis decretum liberum attribuerent; quæ etiam hic inducenda sunt.

In relato namque loco in quadam sexta conclusione postquàm probavit non esse in Deo illam mediam scientiam formaliter, & asseruit esse in Deo eminenter respectu illorum futurorum conditionatorum quæ in Scriptura traduntur Lucæ 10. & 1. Regum 2. quæ tamen non evenerunt, tradens ibi modum quo illa à Deo præscita fuerunt, sic dicit: *Ex hac Conclusione sequitur, quod quando Deus prædicit futura sub conditione explicata, illa prædictio & potest referri ad futura in se ipsis, & sic non habet infallibilitatem propter rationes inductas: quia scilicet res in se nunquam habent infallibilitatem. Præterea potest referri ad res secundum quandam proportionem ad alias, quæ infalliabiliter evenerunt positis eisdem conditionibus & sub eisdem circumstantiis: & sic potest dici quod Deus infallibiter eas cognoscit sub eminentiori illa ratione.* Hæc ille. In quibus talem eminentem cognitionem illorum conditionatorum, non in decreto divinæ voluntatis fundat, sed in illa relata proportione: nec aliam veritatem illis conditionatis futuris tribuit, nisi quam habent in suis causis indifferentibus, secundum quam in seipsis cognoscibilia non sunt. Unde recurrit pro illorum infallibili cognitione non ad divinæ voluntatis decretum, sed ad illam explicatam proportionem; ubi ex consequenti negare videtur divinum decretum respectu ipsorum. Quod tamen si admisisset, nec negaret, quod illa in seipsis supposito divino decreto certò à Deo essent cognoscibilia.

Deinde in secundo Tomo quæst. 23. art. 4. §. 9. propè finem dicit iterum Deum cognoscere illa futura conditionata, non formaliter, sed eminenter, & se refert ad ea quæ primo Tomo dixerat, & magis illam eminentialem cognitionem exponens ait, quod ex cognitione, qua absolutè cognoscit Deus naturas rerum & omnes combinationes possibiles tam per scientiam visionis, quàm per scientiam simplicis intelligentiæ, cognoscit Deus eminenter conditionata illa futura. Ubi etiam non recurrit ad divinum decretum, ut in eo & ex eo certam illorum futurorum cognitionem Deo tribueret, sed ad illas possibiles combinationes. Tandem primo Tomo quæst. 14. post illam inductam septimam conclusionem, universaliter negare videtur hujusmodi decreta in Deo respectu illorum futurorum conditionatorum, quæ nunquam futura sunt, ex eo, ut ait, quod non potest dari volitio libera ad extra in Deo, nisi supponatur vel inferatur mutatio aliqua in creatura volita, quæ tamen in illis futuris conditionatis, quæ nunquam futura sunt, inveniri nequit. Ex istis viri quidam docti inferunt Doctorem prædictum eminentem illam congnitionem seu eminentem mediam scientiam in Deo constituere ante decretum liberum voluntatis divinæ.

Nos autem in hac parte quædam esse certa de mente hujus Authoris putamus, & sunt, quæ sequuntur. Primum, ipsum non admittere in Deo scientiam aliquam mediam etiam eminenter post determinationem humanæ voluntatis, vel qua Deus cognoscat certò & infallibiliter in comprehensione liberi arbitrij creati, quid ipsum si sub talibus conditionibus poneretur acturum sit. Et ex consequenti nullo modo admittit etiam eminenter in Deo illam mediam scientiam, quam aliqui formaliter in Deo admittunt: nec hoc ei potest attribui. Quod ex eo patet, quia ipse expressis verbis hoc affirmat in citato illo versiculo, *supposito ergo*, cujus verba superiùs allata sunt.

Secundum, quia in toto progressu doctrinæ suæ hanc mediam scientiam etiam eminenter post determinationem humanæ voluntatis impugnat:

nec

nec aliquod verbum habet quod illi possit favere. Tertium quia etiam si admittat cognosci futura illa conditionata, quæ in Scriptura traduntur in proportione illa à se explicata, tamen hanc proportionem ipse constituit antecedere humanam determinationem cum in illa proportione dicat cognoscere Deum certò humanæ libertatis determinationem positæ sub illis conditionibus, & circunstantiis.

Præterea certum est ipsum asserere, quod si illa media scientia admittenda est, necessarium esset divinum decretum liberum quo Deus decerneret quid humana voluntas sub illis conditionibus posita, actura sit. Hæc constant ex tertia illa conclusione à principio relata, & ex illo versiculo *suppositio ergo:* nec aliquod verbum reperire est in toto processu litteræ illius quod oppositum suadeat. In quibus duobus dictis verissime loquutus est.

Quartum etiam in ipso manifestum est, cognosci nimirum à Deo illa futura conditionata quæ in Scriptura traduntur Lucæ 10. & 1. Reg. 2. non in se ipsis certò, sed in illa jam à se exposita, & à nobis relata proportione ad alia similia conditionata, quæ sub eisdem conditionibus posita de facto evenerunt. Constat hoc ex 6. conclusione ipsius inducta supra.

Sed iste modus dicendi subsistere minus potest, quia etiam pro certa illorum cognitione quam Deus de illis habet recurrendum omnino erat ad divinum decretum, quo Deus decerneret futurum illud conditionatum si tales conditiones adhiberentur, quæ tamen adhibitæ non fuerunt. Nec Deus in hoc dependens constituitur ab illis conditionibus, quas sicut ipse noluit quod apponerentur, ita quòd posset eas si vellet, apponere. Quæ decreta respectu illorum futurorum conditionatorum in Deo esse admittenda, infra expresè ostendetur, & argumenta omnia solventur. Quod vero ille quartus modus dicendi nunc relatus subsistere non possit, probatur. Quia quatenus futura illa sub conditione ad alia referuntur quæ sub eisdem conditionibus posita evenerunt, nullam ex hoc capite possunt fundare certam, & infallibilem cognitionem: nam ex similitudine unius causæ liberæ ad aliam sub eisdem conditionibus, & circunstantiis positam, licet conjecturalis possit certitudo desumi, infallibilis tamen nullo modo: cum sit de ratione causæ liberæ, quòd sub quibuscumque conditionibus ponatur, sub quibus alia operata est, ipsa possit de facto non operari. Unde continua experientia comprobatur, & quotidiè evenire compertum est, quòd sub illis conditionibus sub quibus unus homo consentit, alius dissentit Imò unus & idem homo aliquando sub his omnino conditionibus modò consentit, quia nempè vult, & à Deo movetur ut vellit, & postea sub eisdem prorsus non consentit, quia nempe non vult, nec à Deo movetur ut velit. Quare ex hac præcisa proportione prætensa, nullo modo potest infallibilis certitudo desumi. Hoc enim genus argumentandi ex proportione prædicta, licet efficax sit in causis quæ ex necessitate, & sine libertate operantur; at in causis liberis nullum est ob rationem inductam. Deinde cum Deus certò per Prophetam prædixit, & Regi proposuit *si percussisses sexies vel septies, percussisses Syriam usque ad consummationem*, in quo alio simili priori exemplo, vel per quam proportionem ad aliud simile sub eisdem conditionibus, illud Deus cognovit? Nunquid præcesserat aliquando quod ante divinum decretum ex eo quod aliquis Rex baculo terram percuteret, sexies vel septies Provinciam contrariam devastaret?

Tandem ex hac eminentiali cognitione fundata in illa proportione antè omne liberum divinæ voluntatis decretum; omnia suprà allata inconvenientia sequuntur. Sequitur enim, quòd videat Deus creatum arbitrium in tali conditione proportionabili constitutum infallibiliter ex sua innata libertate operaturum, non ex Deo ipso illud efficienter movente, ut operetur. Et sic jam cognosceret Deus quod arbitrium creatum ex se facturum est, non quod Deus facturus est, ut ipsum arbitrium faciat. Item sequitur, quod à rebus ipsis, idest ex illa proportione creaturarum summat Deus certitudinem suæ cognitionis de futuris contingentibus, & non ex decrero voluntatis suæ. Et alia supra in hac materia inducta inconvenientia sequerentur, quæ nec veniunt repetenda.

Præterea infallibilis illa Dei cognitio talium conditionatorum minùs potest desumi ex alio capite nempe naturarum cognitarum existentium per scientiam visionis, & naturarum possibilium & omnium earum combinationum cognitarum per scientiam simplicis intelligentiæ. Quia per visionis scientiam quæ rerum naturas intuetur, sicut non cognoscuntur nisi existentia, & non futura sub conditione potissimè quæ nunquam futura sunt, ante decretum quo Deus decernat illa futura fore, si tales conditiones adhiberentur: ita per cognitionem omnium possibilium, & earum combinationem habitam per scientiam simplicis intelligentiæ, possibilia tãtum cognoscuntur, ut etiam nomen ipsum possibilium combinationum ostendit, non autem futura sub conditione, nisi tantum ut possibilia, non ut certò futura.

Superest ergo ut hac proportione, & his possibilibus combinationibus sublatis, ipsemet Author in illo suo primo dicendi modo persistat, quod in tertia conclusione citata, & potissime in versiculo illo, *suppositio ergo*, optimè dixit, quòd posito libero arbitrio sub talibus conditionibus, & circunstantiis contingentibus quibuscumquè, necessarium sit præintelligere efficacem determinationem divinæ voluntatis, qua Deus decerneret, quid liberum arbitrium sic constitutum, facturum est: & antè hoc nulla libertas efficacis determinationis humanæ voluntatis potest certò à Deo cognosci, ut rectè ibi probavit. Quæ doctrina non solum ad formalem cognitionem illorum futurorum, sed ad omnem certam, & infallibilem cognitionem eminentialem omnino debet extendi.

Et per hoc pariter excluditur quidam novus dicendi modus cujusdam moderni S. Thomæ discipuli in commentariis ad primam par. q. 9. disputatione 58. sect. 2. puncto 1. qui constituit efficaciam auxilij gratiæ divinæ in quadam congrua, seu contemperata vocatione non respectu liberi arbitrij hominis ut sic; sed secundum quod majori vel minori tentatione afficitur. At verò illa vocatio quæ contemperata est & efficax homini minori tentatione tentato, contemperata non est nec efficax alteri majori tentatione provocato. Unde concedit Deum cognoscere, verbi gratia, Petrum in tali occasione positum, & tali tentatione tentatum, tanto auxilio interno, & non minori esse præveniendum, ut tentationem vincat. Et sic cognoscit Deus quòd si dederit Petro tali tentatione affecto congruam & contemperatam vocationem illi tentatione ocupato, vincet tentationem, aliàs non. Et hoc est primum quod dicit, & pro fundamento proponit.

Ut autem illam mediam scientiam effugiat quæ in hac congrua vocatione consistit, & per quam Deum illam cognoscere statuitur ab his qui illam intromittunt. Dicit secundò se per hoc scientiam illam mediam non admittere, quia per illam, ut ait, cognoscit Deus quòd illa congrua vocatio, congrua erit & effectũ obtinebit à consensu creatæ volũtatis, ita quod ille consensus antecedit & causat illam congruitatem:

Digitized by Google

at verò ipse totum contrarium affirmat nempe illam congruam vocationem non fieri congruam à consensu voluntatis, sed potiùs omnino antecedere illum illiusque causam efficacem esse. Quarè asserit cognosci Petrum à Deo in casu posito consensurum vocationi, & tentationem superaturum non per mediam scientiam conditionatam, sed per scientiam conditionatam omnino necessariam, & omnino antecedentem consensum nostrum: vel certè, & hoc melius, ut ait, id cognoscit Deus per scientiam omnino naturalem, absolutam: nempè per simplicem intelligentiam.

Circa cujus Authoris doctrinam non omnes ejus assertiones quas adhibet pro illa sua contemperata, & congrua vocatione recensemus: illas enim referemus in nostro quarto libro agentes de efficacia divinæ gratiæ: sed illas modo breviter inducemus, quæ scientiam mediam reipsa approbare videntur; vel aliam similem impossibilem Deo cognitionem tribuere circa conditionata futura, per illam scientiam sive conditionatam sive absolutam omninò, & ex omni parte necessariam in Deo. Undè pariter omittimus repugnantiam, quæ in dictis hujus Authoris habetur. Quale illud est primò admittere ex una parte liberum divinæ voluntatis propositum, primum principium esse omnis futuritionis, non solum absolutè sed etiam conditionatè futurorum illorum contingentium ab humana voluntate pendentium: & ex alia parte, quòd non cognoscantur talia futura per scientiam omnino liberam in Deo, sed omnino necessariam, quæ duo, ut statim ostendemus adinvicem stare non possunt. Similiter nec simul cohærent efficaciam pendere à libero proposito divinæ voluntatis, & simul consistere in illa congrua vocatione: quod tamen utrumque Author affirmat. Parique ratione, nec simul stare possunt talia duo quæ asserit, consistere nempe efficaciam in illa congrua, seu contemperata vocatione: & illam non moraliter tantùm, sed etiam physicè, movere liberum hominis arbitrium. Ac tandem nec alia duo ipsius dicta possunt consistere: ponere videlicet efficaciam in illa congrua vocatione, & dicere consistere efficaciam in actu deliberato à nostra voluntate, secundum quod natura est elicito.

Dicendum est, quoad præsentem spectat quæstionem, quòd quatenus illorum futurorum cognitionem in Deo constituit ante liberum actum divinæ voluntatis, nec cognosci à Deo dicit per scientiam omnino liberam, sed vel per mediam scientiam reipsa, vel per aliam omninò necessariam quæcumque illa sit, quam ipse statuit, impossibilia dicit prout omnia quæ supra inducta sunt in confutationem illius mediæ scientiæ, clariùs ostendunt: omnia enim illa ideò scientiam mediam expugnant; quia ante liberum actum divinæ voluntatis ea cognosci certò à Deo constituit: Unde omnem scientiam necessariam, sive simplicis intelligentiæ, sive quamlibet aliam per quam vel per quas, ante tale liberum divinæ voluntatis decretum cognosci dicantur, pariter expugnant.

Quod insuper hac brevi ratione concluditur. Liberum divinæ voluntatis decretum primum principium est futuritionis omnis, tam absolutæ quam conditionatæ ab humana voluntate pendentis, quod & prædictus Author admittit expresè: & per se est satis notum: aliàs talis libera futuritio ab humana voluntate exercenda, participatio divinæ voluntatis non esset: quod ita repugnat ac dicere quod creata entitas participatio primæ entitatis non sit: sed impossibile est cognosci futuritionem illam per scientiam aliquam quæ antecedat primum illius futuritionis principium: ergo impossibile est cognosci futuritionem illam vel per mediam scientiam vel per aliam omninò necessariam, cum illarum quælibet omninò antecedat illud primum divinæ voluntatis decretum: quod ut diximus est primum principium futuritionis talis.

Imò quod prædictus Author effugere prætendit scientiam illam mediam, in aliud non minùs sed forte majus labitur inconveniens, admittendo vel tertiam scientiam omninò necessariam inter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis quod gravius quid est: quàm admittere mediam illam scientiam; vel admittendo cognosci futura illa conditionata contingentia, & libera per scientiam simplicis intelligentiæ, quæ non cognoscit nisi objecta necessaria, sicut ipsa omnino necessaria est. Quomodo enim ut possibile prætenditur, ut per scientiam omnino necessariam antecedentem omnem primam divinam libertatem, qualis est simplex intelligentia, certò cognoscantur à Deo futura libera & contingentia à libera hominis voluntate ponenda; etenim si per simplicem intelligentiam Deus illa futura certò cognoscit: ergo cognoscit illa esse certo futura antequam determinet illa liberè futura fore: ergo illa in sua libera futuritione cognoscuntur à libera Dei voluntate non dependere; ergo nec ipsa libera per participationem erunt, sed omnino necessaria. Præterea quòd sic illa constituat reipsa relatâ sententiâ ex ratione à se inducta convincitur, ait enim scire Deum per illam simplicem intelligentiam quòd illa congruitas non dependet in sua efficacia à futuro hominis consensu à quo efficax efficiatur: imò è contrà cognoscit, quod illa congruitas efficaciter efficit talem consensum: ergo scit Deus per simplicem intelligentiam naturam propriam illius vocationis ex se ipsa, & independenter à prima divina libertate efficaciter hominis voluntatem movere: ergo cognoscit creaturam ex se ipsa qualis est illa congruitas seu contemperies efficaciam habere ad movendam hominis voluntatem quod est penitùs impossibile: cum hæc efficacia etiam supremis Angelis repugnet: quia solus Deus ob dominium quod habet solus in hominum voluntates, potest ita efficaciter eas movere: ut ubique sanctus Thomas affirmat; & omnes fateri tenentur.

Unde per impossibile admisso quod posset illa congruitas ex seipsa, & non in virtute liberæ divinæ voluntatis efficaciter movere hominis voluntatem, ex necessitate, & sine libertate eam moveret, quia nulla ratione potentiam habet aut efficaciam ex seipsa supra liberas hominum voluntates.

Quod tandem confirmatur: quia illa congruitas seu contemperies vel efficaciam habet ex libero divinæ voluntatis proposito vel ex sua propria natura tantùm. Si primum cum divinum voluntatis propositū efficaciam habeat supra omnem humanam libertatem, quomodo cumque minus vel magis tentata sit etiam media illa vocatione super omnem talem libertatem efficaciam habebit. Et sic ruit totum supradicti Authoris fundamentum. Si secundum concedatur, ergo illa congruitas seu contemperies ex vi propria & sua, & non in virtute divini propositi efficaciter voluntatem movebit; & tunc jam creatura ex vi sua efficaciter hominis liberam voluntatem movebit: quod est impossibile, ut dictum est modo: undè si attendatur constituit illa sententia in libera Dei voluntate positum esse, talem dare, vel non dare congruitatem, seu contemperatam vocationem sed quòd ipsa semel data efficaciter voluntatem hominis moveat ex seipsa, & sua propria natura habere & non in virtute liberi divini propositi quod ut tertiò repetamus impossibile omnino est.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XX.

Quod varia sint futura conditionata & multiplex eorum cognitio, seu scientia.

AUTHORES, cum quibus disputamus, Discipulis Sancti Thomæ quod negent Deum certò futura contingentia cognoscere, conantur adscribere; ex eo quod negant hanc illorum mediam scientiam, ac si nulla alia via esset ad cognoscenda futura sub conditione, nisi per illam impossibilem scientiam mediam, quæ decretum divinæ voluntatis antevertit. Quod si aliquis vel aliqui ex Thomistis aliquando dixerunt talia conditionata futura non certò, sed probabiliter, aut conjecturaliter tantùm à Deo cognosci quia non admittunt decretum aliquod Dei in quo certò sciantur, eis minimè consentimus.

Ut igitur omnibus constet apertiùs eos qui divinam prædicant gratiam, certam cognitionem futurorum sub conditione in Deo fateri, illamque defendere, ac prædicare, semperque defendisse, ac prædicasse, ad hujus pleniorem claritatem, quædam notissima fundamenta præsupponantur. Quorum primum sit ex objecto à priori procedendo; quod videlicet futurum conditionatum illud est, quod significatur per enunciationem conditionatam, in qua sive formaliter, sive virtualiter constituitur ly *si*, vel quid aliud æquivalens. Hoc principium est omnibus manifectum.

Secundum fundamentum est, conditionatam enunciationem dupliciter sumi, vel duplicem esse: aliam in qua dictio, *si* quæ est forma conditionalis propositionis sumitur illativè & in vim consequentiæ, nullo alio extrinseco addito vel præsupposito, Verbi gratia, si Petrus volat habet alas; si Paulus currit movetur; si disputat loquitur; quæ conditionales simul sunt & propositiones, & consequentiæ; & veritas illis inest quatenùs propositiones sunt, & bonitas consequentiæ & illationis quatenus vim consequentiæ sortiuntur, ut communiter à Dialecticis affirmatur. Ex quo & aliud emanavit principium in Dialectica receptissimum, quòd videlicet propositio conditionalis vera, est necessaria; & falsa est impossibilis. Quia enim illatio & consequentia quæ semel est bona, semper est bona ex consequenti veritas illius illationis erit necessaria; & quia consequentia & illatio quæ semel est mala, semper est mala; ex consequenti falsitas, quæ in illatione fundatur, erit impossibilis.

Alia autem est conditionalis, in qua dictio (*si*) non infert ex vi illationis & consequentiæ intrinsecè, & ex ratione terminorum, sed tantum dicit concomitantiam seu illationem fundatam in aliqua promissione seu proposito alterius vel in quacumque aliâ causa superaddita, qua tamen apposita antecedens inferat consequens. Ut si dicas: si oraveris pro me ad Regem, dabo tibi librum, sicut sequitur, si Petrus disputat, loquitur; sed sequitur ex vi promissionis. Undè ad veritatem harum conditionalium nihil aliud requiritur, nisi quod cum homo hæc promittit habeat propositum dandi quod promittit; & per oppositum ad falsitatem earum sufficit, quod sic promittens non habeat propositum dandi quod promisit. Quarè istę conditionales non sunt necessariæ seu impossibiles sicut primæ, sed contingenter variantur, & aliquando veræ, aliquando falsæ redduntur, secundùm quod hominis propositum variatur.

Tertium fundamentum est, quod si veritas conditionalium hujus secundi generis fundatur in proposito, seu promissione Dei, tunc semper erit firma certa, & infallibilis illatio, sicut divinum propositum, divinaque promissio semper certa, firma, & infallibilis perseverat. Undè & talis conditionalis sit necessaria non absolutè, & ex ratione terminorum sicut de illis in primo ordine constitutis dictum est; sed ex suppositione divini propositi, seu promissionis firmæ, & immutabilis Dei. Quare sumpta tali conditionali, sumptoque antecedente illius ut stat sub tali Dei proposito seu promissione dicit infallibilem illationem supra consequens, & sic redditur consequentia, & propositio conditionalis infallibilis sive necessaria ex suppositione; & objecta illarum propositionum, videlicet futura ipsa conditiona habent infallibilem veritatem, & sunt objecta scientificæ cognitionis ob certitudinem, & infallibilitatem, quam participant ex divina promissione certissima in qua fundantur.

Sit aliud fundamentum etiam ex Physica, & Dialectica observandum; quòd videlicet ad veritatem, & necessitatem cujuslibet conditionalis, sive primi sive secundi ordinis non est necessarium quod conditio quæ in ipsa exprimitur sit proprie causa consequentis; sed sufficit si aliquando sit effectus, aliquando conditio, quæ posita aliud quod propriè inferat illud consequens, apponatur. Exemplum in propositionibus primi ordinis: si Petrus est risibilis est rationalis, quæ necessaria absolutè est, & tamen conditio dicit effectum. Item si ignis applicetur passo dispositio comburet, quæ etiam ad primum genus propositionis absolutè necessariæ pertinet, cum tamen conditio præcisam habeat rationem conditionis, & nullo modo causæ propriæ. Exemplum secundi generis habetur Lucæ 10. & Matth. 11. *Si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes &c.* Tyrij & Sidonij converterentur, & crederent, quæ fuit certissima & infallibilis conditionalis verissima, in qua tantùm expressa conditio non denotat aut denotare potest causam propriè causantem illum effectum ut dicetur infra copiosiùs. Exemplum aliud clarius habetur 4. Reg. 3. *Si percussisses quinquies, sexies sive septies, percussisses Syriam, usque ad consummationem,* ubi quis dicat expressam illam conditionem verè & propriè causam esse illius certissimæ devastationis, quæ videbatur futura, si talis adhiberetur conditio.

Sunt etiam alia conditionata futura quæ non important infallibilem connexionem, sed tantum probabilem, seu moralem cum conditionibus suis, ut infrà dicetur. Item sunt alia, quæ ex meritis propriorum objectorum importât disparatam connexionem, sicut est illud, si Petrus vadat in campum Paulus morietur in civitate, & de omnibus istis dicendum est per singula.

Ultimum fundamentum est, quòd ut aliquid sit verè futurum conditionatum impertinens omnino est, quod posteà in re ponatur, & in aliqua differentia temporis verificetur, hoc enim ex accidenti illi advenit, verequè erit conditionatum futurum, si supradicta serventur licet posteà in repònatur; quia in illis attendenda est propositionis conditionatæ forma, non autem quid postea rei producat eventus. Futurum enim conditionatum hoc erit, si veneris ad me te invitabo, licet contingat posteà quod veniat invitatusque sit. Nec enim futurus posteà eventus immutare poterit naturam prioris conditionati prolati. Undè illud, si in Tyro & Sidone, de quo infrà, secundum omnes futurum est conditionatum, & tamen non desunt Doctores graves qui dicunt illud tempore Apostolorum, & per Apostolos fuisse impletum cum videlicet per eos ad fidem conversi sunt. Aliud enim est, quod futurum conditionatum adimpleta conditione quodammodò transeat in absolutum, quod verum est; & aliud quod tale futurum cum conditione expressum, eo ipso quod posteà adimpletur, conditionatum non fuerit, quod verum esse non potest.

Statuendæ sunt jam Regulæ certæ, quibus quilibet facile deprehendere possit quomodo futura conditionata certò cognoscantur à Deo, & per quam scientiam. Verùm priùs sub brevitate tamen magna, de distinctione divinæ cognitionis quædam etiam præmittenda videntur; Potest enim considerari divina cognitio, quatenus Deus per illam se intuendo cognoscit, & etiam quatenus creaturas omnes intelligit, sive possibiles, sive in aliqua temporis differen- existentes; hac enim prima divisione videtur ratione dividenda divina cognitio.

Rursus. Cognitio qua Deus se videt, vel consideratur ut intuetur divinam essentiam sicut primam rationem attributorum omnium; vel consideratur secundùm quod attributa ipsa intuetur secundum quod in divina essentia sicut in prima ratione omnium continentur; & ab illa sicut à prima ratione demonstrantur; imò unum attributum ab alio, sicut æternitas ab immutabilitate. Utroque enim modo Deus se videt, & videndò divinam essentiam ut continet attributa & videndo attributa ut contenta in divina essentia ad modum quo conclusiones videntur in suis principiis. Primo modo divina cognitio non est scientia sed intelligentia, seu primæ rationis omnium intuitiva cognitio: parique seu simili ratione intuetur Deus suam divinam essentiam ut omnium primum principium continens omnes creaturas, qua ratione etiam est intelligentia seu cognitio primi principij: quod certum debet esse, & à S. Thoma traditur prima par. q. 14. art. 1. ubi docet quod Deus secundum quod cognoscit principia dicitur habere intelligentiam; scientiam verò, secundum quod cognoscit conclusiones: & sic intelligit illud Job. 12. *apud ipsum est sapientia & fortitudo, & ipse habet consilium & intelligentiam.* Undè altissima illa una & simplicissima Dei cognitio prout divinam essentiam intuetur, ut primam rationem omnium attributorum primumque omnium creaturarum principium, non scientia sed intelligentia est. Considerata autem secundum quod unum attributum divinum cognoscit ex alio sicut ex ratione formali, & omnia ex divina essentia sicut ex prima omnium ratione sapientia dicenda est: prout verò cognoscit omnes creaturas ex sua divina essentia sicut ex primo earum principiò scientia est. Quod, & S. Thomas docet ad Rom. 8. lectione prima ad illa verba; *Altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.* Ita dicens. *Habet enim sapientiam de divinis Job. 12. apud ipsum est fortitudo, & sapientia; & scientia de rebus creatis Baruch 4. qui scit universa novit ea.* Cognitio itaque quam Deus habet de suis divinis attributis, sapientia est: Primò quia de rebus divinis est, ut docet S. Thomas. Secundò quia illa cognoscit per omnium altissimam rationem, quod etiam sapientiæ est proprium. Tertiò quia de divinis attributis judicat sicut de principiis omnium aliarum rerum atque causarum, quod etiam proprium est sapientiæ, ut S. Thomas docet 1.2.q.57. art.2.

Dicet quis fortè, quòd etiam scientia, quam Deus habet de creaturis, sapientia dici potest: tum quia eas cognoscit per altissimam causam, quæ sua divina essentia est; tum quia non solùm per eam conclusiones cognoscit, sed etiam principia. Ad hoc dicendum, quod licet talis Dei scientia de creaturis habeat aliquid adjunctum de sapientia, ut ratio facta ostendit: qua ratione Scriptura Sancta ait factas fuisse creaturas in sapientia; tamen absolutè & simpliciter scientia dicenda est: prout communiter à SS. Patribus S. Thoma, & Scholasticis Doctoribus scientia appellatur, imo ab eadem Scriptura Sacra, ut patet ex illo Apostoli citato ad Rom. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei?* Sapientia enim absolutè atque simpliciter, ac propriè illa est, quæ est de rebus divinis, tamquam de proprio objecto, ut idem S. Thomas relato loco declarat, & ratio est, quia licet scientia Dei de creaturis habeat adjunctam sapientiam; tamen ex proprio objecto de rebus creatis agit, non de rebus altissimis, & divinis: sicut cognitio, quam Deus habet de suis divinis attributis, quæ propterea primò & per se ex propria ratione & objecto simpliciter, & absolute sapientia dicenda est.

Sed oppones; quod etiam cognitio quam Deus habet de suis divinis attributis, pro ut ea cognoscit ex divina essentia sicut ex prima eorum ratione, scientia dicenda sit. Tum quia illa cognoscit ad modum, quo conclusiones cognoscuntur ex principiis; ad modum, inquam; quia divina essentia non est propriè principium respectu divinorum attributorum; quia principium proprium distinguitur à principiato reipsa, quod divinæ essentiæ repugnat comparatione divinorum attributorum: ad rationem autem propriæ scientiæ sufficit, quod veritates cognoscat, vel ex principiis propriis vel ex ratione formali, ex qua demonstrantur; ut patet in Metaphysica, quæ verè, & propriè scientia est; & tamen passiones entis ex ipso non sicut ex proprio principio demonstrat, sed sicut ex prima earum ratione. Similiter unum attributum verè demonstratur ex alio ut æternitas ex immutabilitate, sicut ex ratione priori illius. Tum secundò, quia sapientia, quædam scientia est, ut tradit S. Thomas citato loco ex 1. 2. q. 57. art. 2. ergo sapientia de divinis attributis, quædam scientia erit in Deo, & sic poterit nominari.

Ad hoc dicendum ex eodem Sancto Thoma citato loco solutione ad primum, quòd licet sapientia sit quædam scientia inquantum habet id, quod est commune omnibus scientiis, ut scilicet ex principiis conclusiones demonstret. Habet tamen aliquid proprium supra alias scientias, inquantum scilicet de omnibus judicat, & non solùm quantùm ad conclusiones, sed etiam quantum ad prima principia. Et ideo habet rationem perfectioris virtutis, scilicet intellectualis, quàm scientia. Si ergo ratio ista à S. Thoma tradita sufficiens est, imò convincit, quod sapientia sit supra scientia, & ab illa merito distinguatur, loquendo de sapientiæ virtute intellectuali reperta in hominibus (de hac enim loquitur. Cum ibi secundum Arist. 1. Metaph. cap. 1. circa finem distinguat tres virtutes intellectuales intellectum, sapientiam, & scientiam) quomodo à fortiori non convincet de sapientia Dei, quia cognoscit ex sua essentia, sicut ex prima ratione divina sua attributa, Cum talis cognitio, ultra sapientiam cognitam ab Arist. & à scientia distinctam sit ex propria ratione & objecto proprio de altissimis & divinis, quæ sunt aliorum principiâ ipsaque cognoscat per altissimam rationem, nempe essentiam divinam, cujus sunt propria; planè convincit, quod talis Dei cognitio scientia dicenda non sit, cum hæc sit respectu creaturarum in Deo ut docet S. Thomas, sed absolutè & simpliciter sapientia, illaque altissima dicenda sit. Utrumque igitur verum est ut concludamus, & quòd Deus cognoscit se per se ipsum, & quod sua attributa per essentiam suam sicut per rationem à priori cognoscit.

Diximus à principio hujus, quod potest divina cognitio considerari respectu creaturarum sive possibilium: sive existentium, & secundùm hanc rationem habet propriè rationem scientiæ ut ex citato testimonio Baruch S. Thomas docuit illamque adæquate dividit Sanctus Doctor in scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, ut patet 1. par. quæst. 14. art. 9. q. 34. art. 3. in primo dist. 38. art. 4. dist. 39. q. 1. art. 2. in 3. dist. 14. art. 2. quæsta 2. in 4. dist. 49. quæst.

Digitized by Google

quæst. 2. art. 5. de verit. quæst. 2. art. 8. & 9. & quæst. 3. art. 3. quæst. 8. art. 4. primo contra gent. cap. 66. & 67. & lib. 2. cap. 26. 3. par. quæst. 10. artic. 2. ad 3. p. 3. in quibus locis cum de Dei scientia loquitur, illam per respectum ad creaturas scientiam appellat.

Dices, etiam Sanctus Thomas per ordinem ad ipsum Deum scientiam in illo ponit speculativam respectu ipsius Dei in seipso, & non solum respectu creaturarum in eadem 1. p. quæst. 14. art. 16. Ita dicens in corpore. *Secundum hoc ergo dicendum est quod Deus de seipso habet scientiam speculativam tantùm*, & solutione ad primum ait, *scientia Dei est causa non sui ipsius.* Ubi admittit respectu Dei in ipso scientiam, quæ tamen sui ipsius causa non est, sed aliorum, ut ibi tradit.

Ad hoc dicendum, quod cum Sanctus Thomas in Deo respectu sui ipsius scientiam admittit, non loquitur de scientia in sua stricta significatione; secundùm nempe, quod est habitus conclusionis, quia ut sic repugnat Deum de seipso scientiam habere, cùm ipse sit omnium primum principium, cui proinde repugnat rationem conclusionis habere. Unde sic strictè de scientia loquendo scientiam in Deo admittit respectu tantùm creaturarum, ut dictum est. Sed loquitur de scientia in ampla & lata significatione pro ut est idem quod divina cognitio: unde eorum verborum sensus est, quod Deus habet de seipso cognitionem speculativam: quod ipse exponere, & explicare videtur in fine illius citati art. 16. cum ita dicit *seipsum autem*, scilicet Deus, *speculativè cognoscit, & sic in speculativa sui ipsius scientia habet cognitionem speculativam, & practicam omnium aliorum.* Ecce pro eodem sumit scientiam Dei speculativam, & cognitionem Dei speculativam; in qua sui ipsius speculativa cognitione cognoscit omnia alia. Quæ Dei speculativa cognitio, qua Deus se cognoscit, ut principium omnium aliorum tam speculativorum, quàm practicorum intelligentia dicenda est, ut superiùs manet declaratum: cognitio autem qua creaturas tam possibiles quam in aliqua differentia temporis existentes cognoscit in seipso, & ex seipso sicut ex primo principio, hæc verè & propriè scientia est; quia est cognitio conclusionum ex primo principio.

Ex quo etiam consequitur, quod sicut adæquatè dividitur Dei scientia à S. Thoma, ut patet ex inductis testimoniis, in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis: ita adæquatè dividitur in scientiam naturalem, & liberam. Imò una & eadem divisio est, sive istis, sive illis nominibus significata, quia scientia approbationis in scientia visionis comprehenditur. Et ratio est, quia scientia simplicis intelligentiæ possibiles creaturas cognoscit, creaturas autem esse possibiles objectum necessarium est. Unde scientia simplicis intelligentiæ naturalis, & necessaria in Deo debet esse. Per oppositum autem cum visionis scientia intueatur creaturas secundùm quod in aliqua temporis differentia existunt, & nulla talis existere sic possit, nisi per actum liberum divinæ voluntatis, hinc est, quod visionis scientia essentialiter actum liberum divinæ voluntatis supponit, & consequenter scientia libera est.

Unde scientia illa quæ fuit & est causa rerum, illasque produxit; cum essentialiter supponat actum liberum divinæ voluntatis, sub scientia visionis debet comprehendi: ita quòd scientia quæ est visionis, prius ratione consideretur ut productiva rerum, & pro ut intuitiva illarum, licet sub priori ratione non sit scientia ut visionis est, quod ad præsens non est longiùs pertractare. Nam dicere quod res producantur per scientiam simplicis intelligentiæ, secundum quod determinatur per divinam voluntatem; ut aliqui volunt, non ita videtur commodè dictum, quia simplex intelligentia, ut dictum est, in suo conceptu scientia est naturalis, & necessaria, & antevertens actum liberum voluntatis Dei: unde vocare illam scientiam simplicis intelligentiæ ex una parte, & ex alia dicere determinatur à divina voluntate, non videntur cohærere; quia si determinatur à divina voluntate, jam non restat scientia simplicis intelligentiæ, vel duplex erit scientia simplicis intelligentiæ, una necessaria, alia libera supponens actum divinæ voluntatis liberum, quod nec est dicendum; cum una scientia simplicis intelligentiæ tradatur ab omnibus, & hæc necessaria & de rebus merè possibilibus, non liberis vel contingentibus. Dicere autem illam scientiam simplicis intelligentiæ quæ antecedit liberum decretum Dei, & quæ necessaria est, esse scientiam incompletam simplicis intelligentiæ; illam autem secundam post liberum decretum esse scientiam simplicis intelligentiæ completam, multò minùs dici potest, cum illa secunda non compleat scientiam simplicis intelligentiæ quæ necessaria est, sed illam extrahat à scientia simplicis intelligentiæ, & scientiam liberam constituat, quæ est quatenus practica productiva rerum, & quatenus speculativa est, denominatur scientia visionis earum.

Unde solum advertimus, quod si formaliter de scientia visionis sermo fiat, cum illa sit respectu creaturarum (ut ex S. Thoma probatum dedimus) non debemus dicere quod Deus per scientiam visionis se intuetur, sed per intelligentiam ut dictum est. Nec etiam distinguenda est duplex scientia visionis, altera respectu creaturarum, altera respectu Dei, ut quidam multiplicantes distinguunt. Tum quia, S. Thomas illud membrum, scientiam visionis, adæquatè distinguit contra scientiam simplicis intelligentiæ, & utrumque respectu creaturarum divisit. Tum quia sine necessitate duplex scientia visionis multiplicatur, quia divina essentia ut omnium principium per visionem, quæ propriè scientia est non videtur; attributa autem videntur per altissimam illam divinam sapientiam, quæ à scientia visionis est diversa, cum ista propriè loquendo de illa secundum quod est membrum positum contra simplicem intelligentiam creaturas tantùm respiciat. Hoc supposito agendum est modò per quam scientiam futura conditionata, de quibus contentio est cognoscantur.

CAPUT XXI.

Quænam futura conditionata per scientiam simplicis intelligentiæ, quæ verò per scientiam visionis cognoscantur, quinque appositis regulis ostenditur.

PRIMA regula est. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ certò cognoscit omnia futura conditionata, quæ accipiuntur ex vi illationis & consequentiæ tenentis ex vi terminorum, quæ proinde possunt vocari futura conditionata simpliciter, & absolutè necessaria. Hujusmodi sunt, si homo volat, habet alas, si Joannes disputat, loquitur, si Petrus currit, movetur, si Deus creaverit alium mundum, ipsum gubernabit, si Deus efficaciter aliquid voluerit, illud erit, si Deus efficaciter moverit voluntatem creatam ad aliquid liberè operandum illa liberè operabitur, si Petrus habuerit donum perseverantiæ, perseverabit, & similia talia, in quibus est intrinseca vel infallibilis connexio etiam ex vi illationis & consequentiæ, nulla facta vel præsupposita determinatione libera divinæ voluntatis. Patet veritas hujus Regulæ. Nam ista conditionalis est vera, & necessaria, si Deus aliquid

Digitized by Google

quid voluerit illud erit. Et similiter hæc est necessaria conditionalis, si Deus aliquid voluerit fieri liberè ab homine, illud fiet liberè: ergo cognoscit Deus has veritates necessarias ante omnem actum liberum suæ voluntatis per scientiam simplicis intelligentiæ. Et ratio hujus regulæ est, quia ut docet Sanctus Thomas quæst. 24. de verit. art. 1. ad 13. & primo contra gent. cap. 67. & 6. Metaphys. lect. 3. conditionalis vera debet esse necessaria. Ad veritatem autem, & necessitem conditionalis solùm requiritur necessaria habitudo antecedentis, & consequentis; ut idem Sanctus Thomas dicit 1. par. quæst. 25. art. 3. ad secundum & in primo dist. 42. quæst. 2. art. 1. ad secundum & in 3. dist. 1. quæst. 2. art. 3. & dist. 12. quæst. 2. art. 1. Ex quo manifestè sequitur quod antecedens potest esse absolutè liberum & consequens etiam absolutè liberum, & tamen conditionalis & illatio necessaria, sicut fit in hac, si Deus dederit alicui auxilium efficax ad sui liberam conversionem, ille liberè convertetur. Imò potest esse antecedens impossibile, & simul consequens, & tamen conditionalis vera & necessaria; sicut si dicas, si homo est equus, habet quatuor pedes; si centum sunt minus quam quinque, sunt minus quam decem, ut apertè docet S. Thomas loc. cit. & primo contra gent. cap. 13. & cap. 20. & quæst. 1. de potentia art. 6. & alibi sæpe. Videatur potissimè S. Thom. opusc. 48. cap. ult. ubi hæc omnia satis manifestè dicit.

Ista itaque horum futurorum sub conditione scientia præcedit omnem actum liberum divinæ voluntatis, & omnem prædestinationem, & ad illam præsupponitur, ut libro 2. copiosiùs explicabimus. Inter quam, & illam mediam scientiam, etiam & Suarez fatetur primo libro de essentia prædestinationis, est notabile discrimen; nam hæc fundat efficaciam auxiliorum ex Deo ipso haberi, non ex libero arbitrio, illa vero eam in creatum arbitrium reducit per illam vocationem congruam, quæ ex arbitrio sumit congruitatem. Est etiam verum, quod per hanc scientiam qua cognoscitur, quod si Deus dederit alicui auxilium ex Deo efficax seu prædeterminans, convertetur, cognoscitur futurus usus arbitrij in sua causa, id est in illa efficacia auxilij quam habet ex divina voluntate, ob quam infallibiliter inducit effectum. Inducitur etiam ipsa infallibilis veritas illius conditionalis quæ in seipsa veritas est necessaria. Unde sicut aliæ veritates necessariæ tam absolutæ quam conditionales in seipsis cognoscuntur etiam veritas ista eadem prorsus ratione cognoscitur in seipsa. Nec oportet quod existat; cum illa sit, ut diximus, veritas necessaria, & ut aliæ necessariæ abstrahat ab existentia. Quod autem authores cum quibus agimus, dicunt, quod per mediam scientiam cognoscitur bonus usus arbitrij sub conditione in seipso, id est, in veritate objectivè cognita, figmentum est, ut infra agentes de cognitione absoluta futurorum copiosè probaturi sumus.

Sed dices. Illa conditionalis est necessaria, si dedero huic auxilium efficax convertetur: ergo Deus non cognovit nisi veritatem necessariam: ergo non cognoscit futuram liberam hominis operationem.

Ad hoc dicendum, quod utrumque certissimè cognoscit Deus & illationem esse necessariam, & consequens esse absolutè liberum, & ex suppositione tantùm necessarium. Qui enim cognoscit habitudinem necessariam inter antecedens liberum, & consequens liberum, necesse est quod cognoscat cum habitudine illa necessaria, consequens esse absolutè liberum & ex suppositione tantùm necessarium; sicut quia Deus cognoscit hanc conditionalem necessariam, si Petrus videt Paulum sedere, Paulus sedet, & cognoscit conditionalem esse necessariam, & cognoscit Paulum liberè sedere, quod est consequens illius; sedere tamen est necessario ex suppositione, id est, supposito, quod videtur sedere. Quod uno verbo declarat Sanctus Thomas 3. contra gent. cap. 94. sic dicens. *Ex quo etiam patet, quod hæc conditionalis est vera, si Deus prævidit hoc futurum, hoc erit, sicut secunda ratio procedebat; sed sic erit, sicut Deus prævidit illud esse futurum, prævidit autem illud esse futurum contingenter, sequitur ergo infallibiliter, quod erit contingenter, non necessariò.* Igitur & cognoscit Deus illam conditionalem esse necessariam, & consequens illius absolutè contingens.

Secunda Regula: omnia conditionata futura quæ habent infallibilem connexionem cum suis conditionibus ex suppositione libera divinæ voluntatis, & ablata tali libera suppositione voluntatis divinæ non habent infallibilem connexionem, certò à Deo cognoscuntur per scientiam liberam Dei quæ supponit liberam determinationem divinæ voluntatis, quæ solet vocari scientia visionis. Hujusmodi sunt, si quis mortuus fuerit in gratia, consequetur gloriam: si quis habuerit contritionem, justificabitur: si quis accesserit ad Sacramentum cum attritione, fiet contritus, & similia. Patet, quia ista sunt certæ veritatis, ex suppositione & ordinatione libera Dei qua voluit quod qui moritur in gratia, consequatur gloriam, & qui accedit cum contritione, justificetur. Secluſa enim divina ordinatione non habet unum cum alio infallibilem connexionem, ut clariùs patet in illo ultimo exemplo adhibito de accedente cum attritione ad Sacramentum: ergo cognoscuntur certissimè à Deo per scientiam liberam supponentem talem liberam ordinationem, nec possunt ante ordinationem illam Dei liberam certò à Deo cognosci per scientiam necessariam, & naturalem Dei, qualis est intelligentia simplex. Verum est ordinasse Deum dare gratiam contritioni, & gloriam gratiæ, quia in ordine gratiæ ita contritio & gratia postulabant; sunt enim ista nedum in genere moris, verum in genere physico dispositiones ad tales formas, de quo aliàs à Theologis disputatur. Cum quo tamen verum est, quod si Deus ita dare non ordinasset, sicut poterat, unum cum alio non diceret infallibilem connexionem, ut uno posito alterum poneretur. Et hoc est quod in Regula dicimus. Qua ratione S. Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 3. ad primum ait, quod si Deus non reciperet actum meritorium per gratiam informatum, esset contra justitiam quam ipse statuit, & quæst. 114. art. 1. in corpore, & potissimè solutione ad tertium docet quod meritum hominis ad Deum non potest esse nisi secundum præsuppositionem divinæ ordinationis. Unde Deus non efficitur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum est ut sua ordinatio impleatur. Absque ergo hac libera Dei ordinatione, nec est hominis meritum, nec infallibile ut gloriam consequatur. Cæterùm quod si homo currit, moveatur (quod in prima regula dictum est) à divina libera voluntate non dependet, sed ita est absolutè necessarium, ut etiam per nullam potentiam fieri possit, quod si currit, non moveatur.

Tertia Regula. Alia futura conditionalia, quæ communiter in Scriptura traduntur, & revelantur futura, si aliquæ apponerentur conditiones cum quibus non habent infallibilem connexionem, cognoscuntur à Deo non per scientiam simplicis intelligentiæ, sed per scientiam liberam. Similia sunt illa ex Scriptura sæpius relata, Luc. 10. & Matth. 11. si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, &c. pœnitentiam egissent. Et 4. Reg. 13. si percussisses sæpties percussisses usque ad consumptionem, & similia multa. Probatur. Ante actum divinæ voluntatis, quia

Deus

Deus decreverat convertere Tyrios, si eis Evangelium Christi prædicaretur, non erat infallibile, nec certum, nec ex suppositione illius conditionis appositæ necessarium, quod Tyrij audientes Christi Evangelium converterentur ad fidem: ergo ante talem actum divinæ voluntatis hoc certò Christus Dominus non cognoscebat: cognovit ergo illarum gentium certissimam conversionem futuram, si eis prædicatum fuisset Evangelium post actum divinæ voluntatis, quæ id ita statuerat facere, si eis Evangelium prædicaretur: ergo hanc certam veritatem cognovit scientiâ liberâ. Patet consequentia, quia ista scientia cognoscit omnia, quæ supponunt actum liberum divinæ voluntatis, & ab illo in sua certitudine, & infallibilitate dependent. Antecedens autem primum probatur, quia futura illarum gentium conversio, non habet infallibilem connexionem cum externa verbi prædicatione, seu miraculorum patratione, quia ista externa non habent efficaciam ad convertendum, hoc enim asserere Pelagianum esset.

Hoc autem ipsum clariùs constat in illa conditionali, si percussisses sexies, percussisses usque ad consumptionem. Manifestum est enim, quòd ante actum divinæ voluntatis id volentis, si talis adhiberetur conditio, nullum ordinem vel connexionem infallibilem dicit talis conditio, cum futura eversione illius Provinciæ, videlicet Syriæ: ergo necesse est recurrere ad actum liberum divinæ voluntatis, quo Deus decreverat ita facere, si Rex ille septies terram materialem percussisset, à quo actu voluntatis Dei certitudinem, & firmitatem habebat illud futurum conditionatum à Propheta ibi declaratum, & expressum.

Quòd si dicatur, quod percussiones illæ terræ erant signum devastationis Syriæ, & in ratione signi hanc infallibilem connexionem habebant cum illius Provinciæ desolatione, nec per hoc efficacia rationis factæ minuitur, quin potiùs confirmatur, quia percussiones illæ materiales terræ, signum erant destructrionis Syriæ, non ex natura rei, ut est manifestum; ex natura enim rei, ut dictum est modò, nullam connexionem cum tali eventu dicere poterant: ergo erant signum adplacitum ita à divina voluntate dispositum, & ordinatum: ergo ex tali divina voluntate sic ordinante connexionem cum tali futuro eventu habebant. In illa ergo divinæ voluntatis determinatione certò cognoscebatur, nec ante illam certò unum ex alio deduci poterat, nisi quis sine fundamento, & quodammodo contra litteram dicat Deum tantùm revelasse Prophetæ, quòd quoties Rex percuteret terram, toties & Syriam vastaret, & postea Prophetam per suum discursum subintulisse, quod si septies percuteret, totaliter Syriam devastasset. Hoc certè impugnari non debet, tum quia videtur contra textum procedere, ut præmisimus, tum quia certitudinem illius conditionati futuri aufert, unde non essemus in casu Regulæ, quæ de certa horum futurorum cognitione procedit. Tum tandem, quia si tales extortæ explicationes admittantur, pari ratione alia futura conditionata, quæ ut certa in Scripturis exprimuntur, si tales adhiberentur conditiones reipsa negarentur, & à certa Dei cognitione exterminarentur, & esset clariùs asserere Deum futura talia conditionata non certò sed conjecturaliter tantùm cognoscere, quod dici nulla ratione potest. Igitur ut omnia ista inconvenientia præcludantur dicendum est ut supra in Regula præhabetur.

Aliud præterea conditionatum futurum Scriptura commemorat Ezech. 3. quod supradictæ tertiæ Regulæ veritatem ostendit, sic enim ibi Dominus Prophetæ dicit: *Non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris ad Domum Israël, nec ad Populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones, & si ad illos mittereris ipsi audirent, &c.* In quo loco, cum non de istis vel istis Populis, ad quos si mitteretur Propheta, audirent, sermo fiat, sed indefinitè dicatur, quòd si ad Populos ignotæ linguæ mitteretur, ipsi audirent, id est obediendo converterentur, restat ut futuram illorum Populorum conversionem, & obedientiam, non in comprehensione arbitrij innominatorum, quos propterea Scriptura innominatos constituit, sed in decreto efficaci divinæ voluntatis, & in potentia, qua decreverat illos convertere, si eis Propheta prædicaret, hoc certo Deus præcognoverit, & certò eventurum in Scriptura tradiderit.

Quod & glosa ordinaria super eundem locum satis clarè proponit, dicens. *Ac si diceret, quid loquar de Populo uno, si ad universas te mitterem nationes, authoritas, & potentia mea omnem vinceret difficultatem, utinamque tempus esset quo ad omnes missurus sum nationes, & linguarum daturus gratias, ut prædicent Apostoli mei, & totum mundum, & diversitatem linguarum una fide meo subdant Imperio.* Ubi quòd homines convertantur, & quòd converterentur si eis prædicatum esset ex divina missione, in authoritatem, & potentiam divinam optimè reducit, & in decretum divinæ voluntatis, quo decreverat tali authoritate, & potentia sua uti ad homines convertendos, si ad eos Propheta missus esset, sicut de facto ex divina virtute, & potentia conversi sunt Apostolorum tempore. Sicut ergo de facto prædicato Populis Evangelio, illi obedientes fuerunt, & illud receperunt, quia Deus potentia, & efficacia sua fecit, ut obedirent, ita & Prophetæ multò ante certò prædixit, quòd si ad illos mitteretur, cum illa potentia qua missi sunt Apostoli, illi crederent, & obedirent. Unde in tali decreto suo id Deus, & certò cognovit, & certò revelavit.

Quòd si objicias. Nulla alia est scientia libera in Deo, nisi scientia visionis, quæ distinguitur contra simplicem intelligentiam, sed per illam scientiam visionis Deus illa futura conditionata non cognoscit, falsa ergo est regula. Patet minor, quia scientia visionis fertur in existentia extrà Deum in aliquà temporis differentia ut docet S. Thomas 1. par. quæst. 14. art. 9. sed illa futura conditionata nunquam sunt fuerunt vel erunt in aliqua temporis differentia: ergo scientia visionis non cognoscuntur. Imò videtur ex S. Thoma ibi quod cognoscantur scientia simplicis intelligentiæ, quia docet in littera, quòd ea, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, non cognoscuntur, scientia visionis, sed scientiâ simplicis intelligentiæ. Idem dicit q. 3. de verit. art. 6.

Ad argumentum sunt ex discipulis S. Thomæ, qui dicant hæc conditionata futura certò à Deo cognosci per scientiam simplicis intelligentiæ, sed diversa via procedunt ad hoc suadendum. Aliqui namque asserunt talia futura à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ certò cognosci ut possibilia, sed ut futura tantùm cognosci probabiliter seu conjecturaliter sicut revera illa sunt ex meritis propriis. Duo enim ex propria natura videntur habere. Primum quod possibilia sunt, & sic certò à Deo ut possibilia cognoscuntur. Secundum quod probabiliter sint futura positis illis conditionibus, quæ in Scriptura assignantur, & sic etiam ut futura probabiliter seu conjecturaliter à Deo cognoscuntur. Primum quod sint possibilia probant, quia conditio quæ non adimpletur manet intra terminos rei possibilis, unde totum illud conditionatum manet possibile, & sic à Deo sicut cætera possibilia cognoscitur scientiâ simplicis intelligentiæ.

Secundum probant, quia futura talia si tales conditione[s]

Digitized by Google

ditiones adimplerentur probabiliter evenirent: ergo sic cognoscuntur à Deo ut futura sub probabilitate, seu sub quadam conjectura. Ita sentit Ledesma disput. 2. de hac scientia 2. p. concluſ 2. & 5. ubi, & certam illorum futurorum cognitionem in Deo negat, & illa cognosci in decreto inficiatur, sic sensérat prius Mag. Zumel 1. p. quæst. 14. art. 13. disp. 8. concluſ. 3. Cabrera 3. p. disput. 1. §. 22. à num. 338. ubi, & certam cognitionem illorum futurorum in Deo negat, & illa certò cognosci in decreto etiam impugnat, & tantùm illorum Deum habere probabilem, seu conjecturalem cognitionem affirmat. Cabezudo autem certam hanc cognitionem negat habitam per scientiam mediam, an verò certò talia futura cognoscantur in divino decreto, nihil clarè dicit, aliquando enim illud decretum videtur supponere, aliquando solam probabilem, & conjecturalem cognitionem talium futurorum, sine tali decreto videtur adstruere. Ripa similiter 1. p. quæst. 14. art. 13. dub. 7. negat Deum certò cognoscere illa futura nec aliquam mentionem facit divinorum decretorum in quo cognoscantur, parique ratione Blasius Verdu negans mediam scientiam, de cognitione illorum futurorum sub conditione in decretis divinis nihil expressè dicit. Qui omnes licet videantur negare in Deo decreta in quibus certò illa futura cognoscantur, & ex consequenti illorum tantùm probabilem, & conjecturalem cognitionem in Deo constituant, omnes tamen conveniunt, quod ante tale decretum illa certò & determinatè cognoscibilia non sunt. Quamvis autem in hoc ultimo verum dicant tamen in aliis modò relatis à veritate deficiunt.

Unde in omnibus his tribus, valdè deficit prædicta sententia. Deficit namque in primo, quòd talia conditionata futura à Deo cognoscantur per scientiam simplicis intelligentiæ. Deficit in secundo, quòd tantùm ut possibilia certò cognoscantur. Deficit in tertiò, quòd solùm probabiliter, seu conjecturaliter sciantur ut futura. Primum & secundum constant, quia scientia simplicis intelligentiæ cognoscit objecta omnino necessaria, cùm ipsa omnino necessaria sit, utpote antevertens omnem primam divinæ voluntatis libertatem, at illa futura quæ à Scriptura proponuntur, objecta omnino necessaria non sunt, quia sunt conditionata futura contingentia: ergo nequeunt cognosci per scientiam simplicis intelligentiæ. Argumentum adeò convincit, ut dicant prædicti authores, sicut in Argumento proposuerunt, cognosci illa futura ut possibilia, qua ratione omnino necessaria sunt, necesse est enim quòd illa sint possibilia. Verùm vel in hoc poterant impossibilitatem suæ sententiæ videre. Etenim conditionata illa futura non proponuntur à Scriptura, ut possibilia, quia nihil penitùs Scriptura, tunc in illis futuris affirmaret dignum, si diceret illa possibilia esse, nec Christus Dominus aliquid concluſisset, si tantum assereret possibile fuisse, quod si Tyriis, & Sidoniis prædicatum esset Evangelium, illi converterentur. Unde solutio ista sustineri nequit.

Et ad argumentum dicendum, quod quamvis ante decretum divinæ voluntatis ordinantis ut aliquid certò eveniat, si talis conditio apponatur, tam conditio ipsa quam futurum ipsum conditionatum maneat solùm in ratione rei possibilis, nec aliter cognosci certò possit, quàm ut possibile, quod & argumentum illorum probat, tamen post decretum divinæ voluntatis (quod ex necessitate esse admittendum infrà dicemus) licet conditio sit tantum possibilis, veritas tamen illorum futurorum conditionatorum non tantum est de possibili, ut dictum est, sed est veritas de futuro quod certò esset, si talis conditio apponeretur. Et ratio est, quia in futuris conditionatis contingentibus, quæ antecedunt decretum liberum divinæ voluntatis, veritas illorum futurorum à sola conditione dependet. Unde cum conditio sit tantum possibilis, illorum veritas etiam tantum possibilis est. At in futuris conditionatis contingentibus supponentibus decretum divinæ voluntatis, licet conditio sit possibilis, veritas tamen illorum ab illa conditione principaliter non dependet, sed à divino decreto ordinante, ut posita illa conditione certò futura sequantur, quare licet conditio maneat tantùm possibilis, veritas tamen illorum non est tantùm de possibili, sed de futuro, quod certò erit, si talis conditio apponeretur. Quod autem tertiò addiderunt cognosci illa futura conditionata ut futura non certò, sed probabiliter, seu conjecturaliter eodem modo impugnatur. Quia Scriptura Sacra, & Christus Dominus cum illa futura conditionata contingentia proponunt, nec tantùm illa dicunt possibilia & necessaria, sed contingentia, ut nomen sonat, ut probatum est, nec solùm illorum tradunt in Deo probabilem, vel conjecturalem tantùm cognitionem, sed certam: ergo fateri tenentur illa certò à Deo cognosci, & non tantùm conjecturaliter, & probabiliter. Antecedens constat primò Scripturam ipsam attendendo. Nam ratio Christi Domini ad confundendos Judæos & eorum obstinationem insufficiens planè esset, si tantùm assereret quòd si in Tyro, & Sidone ipse prædicaret, & virtutes illas faceret, probabile fore, quod illi converterentur. Secundò, quia Sanctus Pater Augustinus tractans contra Pelagianos illud futurum conditionatum, planè dicit certissimè à Deo cognitum fuisse, asserens quòd hoc veritas ipsa testatur, nec nos posse dicere illos non fuisse conversuros. Cujus S. Patris in his rebus authoritas magna est, cui nullus rectè potest contradicere. Tertiò, quoniam & Calvinus, quia non vidit respectu illorum futurorum sub conditione illud firmum Dei decretum quod ponebat rapere voluntatem, ut spontaneè & sine libertate operaretur, in quo solum asserebat cognosci certò futurum aliquod, consequenter dixit illa conditionata futura tantùm à Deo probabiliter, vel conjecturaliter cognosci. In quo etiam defecisse rationes modò factæ ostendunt.

Quare authores alij per oppositum affirmant cognosci illa conditionata futura per scientiam simplicis intelligentiæ certò. Dicunt enim quòd illa futura conditionata supponunt decretum divinæ voluntatis, in quo relatis authoribus contrarij sunt, & ex hoc inferunt illa esse necessaria & posse cognosci per scientiam necessariam, qualis est simplex intelligentia in Deo. Itaque asserunt, quòd sicut hoc futurum conditionatum; *si darem huic homini efficax auxilium converteretur*, cognoscit Deus per simplicem intelligentiam, ut in prima regula dictum est, quia est propositio & veritas necessaria. Ita, si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes pœnitentiam agerent, est ut aiunt, propositio & veritas necessaria, & sic per simplicis intelligentiæ scientiam potest à Deo cognosci.

Sed ad hoc respondendum, quod licet in eo quod constituunt illa futura conditionata supponere decretum divinæ voluntatis sic ordinantis, ut si illa conditio fuisset apposita, illud sequitur, verum dicant, & etiam in hoc quod certò à Deo perinde cognoscantur, deficiunt tamen arbitrantes illa cognosci per scientiam simplicis intelligentiæ quæ omnino necessaria est in Deo, & antevertit omne liberum decretum divinæ voluntatis. Et ratio est jam superiùs inducta; quia illa scientia simpliciter, & absolutè est necessaria in Deo nullamque divinæ voluntatis libertatem præsupponit. Unde objectum quod per eam cognoscitur etiam debet esse simpliciter, & absolutè necessarium non

suppo-

Digitized by Google

ſupponens aliquod decretum liberum divinæ voluntatis : at illa futura contingentia conditionata ſunt verè libera, & contingentia, nec veritatem certam habent, niſi in decreto libero divinæ voluntatis: ergo per ſcientiam omnino neceſſariam, quæ antecedat liberum Dei decretum, cognoſci non poſſunt.

Unde ad argumentum facilis eſt ſolutio. Dicendum eſt enim quòd illud futurum primum eſt ſimpliciter, & abſolutè, & omnibus modis neceſſarium. Unde cognoſci debet per ſcientiam omnino neceſſariam, qualis eſt intelligentia ſimplex, ut in prima regula dictum eſt. Secundum verò futurum eſt tantùm neceſſarium ex ſuppoſitione decreti divinæ voluntatis, nec aliquam veritatem habet in ratione futuri, niſi in virtute talis divini decreti, unde debet cognoſci per ſcientiam, quæ ſupponat decretum tale. Hæc autem non eſt ſimplex intelligentia, ſed ſcientia libera, & tantùm ex ſuppoſitione illius decreti neceſſaria, ita ut iſta tria proportionentur, decretum illud, ſcientia, & futurum conditionatum, quod per illam cognoſcitur, ut ſicut decretum eſt abſolutè liberum, ex ſuppoſitione neceſſarium, ita idem ſit de ſcientia, & conditionato illo futuro, ut tam illa quam illud ſint abſolutè libera, ſed ex ſuppoſitione tantùm neceſſaria.

Videntes autem alij non poſſe ſuſtineri quod futura talia cognoſcantur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſecundùm quod omnino in Deo eſt neceſſaria, ut rationes factæ demonſtrant, ſic philoſophantur, dicentes non cognoſci quidem futura talia per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſecundùm quod antecedit actum omnem liberum divinæ voluntatis. Vident enim hoc nec dici poſſe, ſed cognoſci per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſecundùm quod præſupponit prædictum liberum actum voluntatis Dei. At hoc minus intelligitur, quod videlicet ſic dividant ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ut reſpectu aliquorum objectorum antecedat divinam libertatem, & reſpectu aliorum illam ſubſequatur, quia jam ſcientia ſimplicis intelligentiæ non omnino neceſſaria erit in Deo, & naturalis, ſed ex parte libera, quod ultimum eſt proprium ſcientiæ viſionis, quod adſcribi non debet ſimplici intelligentiæ, niſi ſcientiam ſimplicis intelligentiæ mixtam componamus, & partim liberam, partim neceſſariam dicamus. Quod nulla ratione dicendum videtur.

Quod enim dicunt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ abſtrahere ab objecto neceſſario cognito, ſeu contingenti, illam, ut diximus, mixtam conſtituunt, ut reſpectu aliquorum ſit neceſſaria, reſpectu verò aliorum ſit libera. Quod eſt contra Sanctum Thomam ubique, præſertim 1. p. quæſt. 14. art. 5. in quo diſtinctè dicit quod ſcientia viſionis eſt reſpectu eorum, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt, ſimplex autem intelligentia eſt reſpectu eorum, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt : ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ nec eſt partim libera, nec eſt aliquo modo reſpectu eorum, quæ aliquando futura ſunt. Relata autem futura conditionata, licet aliqua nunquam fuerint futura, ut fuit illud, ſi percuſſiſſes, &c. alia tamen futura fuerunt : nam Tyrij, & Sidonij poſtea audita Apoſtolorum prædicatione ad fidem converſi ſunt, & ſimilia ſunt alia : unde illa per ſimplicem intelligentiam dicere à Deo cognoſci expreſsè contra S. Thomæ inductam doctrinam procedit.

Et per hoc patet falſitas illorum qui dicunt, quod ſcientia ſimplicis intelligentiæ cognoſcit res in cauſa : quapropter quando Deus cognoſcit futura contingentia ſeu libera in cauſa determinata, illa cognoſcit per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Etenim hæc contra expreſſam ſententiam S. Thomæ eſt loco citato : quia futura, quæ ſunt in cauſa determinata, jam certò ſunt : ergo illa non cognoſcit Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ; quæ ſecundum S. Thomam cognoſcit ea quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt : illa ergo quæ ſunt in potentia, vel Dei, vel creaturæ, quæ ſunt tantùm poſſibilia, nec ſunt, fuerunt, vel erunt, cognoſcuntur à Deo per ſimplicem intelligentiam.

Alij ex S. Thomæ etiam diſcipulis concedentes illa futura contingentia per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſci, ut effugiant hoc argumentum, quod ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt neceſſaria omnino in Deo, & antevertit omnem libertatem, & ex conſequenti objectum ejus debet eſſe etiam omnino neceſſarium, & præcedere libertatem divinam, quod illis futuris conditionatis repugnat (quis enim dicat, quod conditionatum illud ſi in Tyro & Sidone, &c. ſit omnino neceſſarium antevertens divinam voluntatem ?) dicunt, quod hoc modo illa futura certò cognoſcuntur à Deo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quia per illam Deus ſuam voluntatem comprehendit, in qua comprehenſione certò cognoſcit in quam partem ſua voluntas eſt inclinatura, ſi talis conditio apponeretur, & ſic certò cognoſcit illa futura, quia cognoſcit, quid volitura tunc eſſet ſua voluntas.

Verum nec hoc dici poteſt à S. Thomæ diſcipulis. Primò quia jam concedunt, ante omnem actum liberum divinæ voluntatis certò poſſe cognoſci futura contingentia & libera, quod nec in veritate, nec in S. Thomæ doctrina conſiſtit. Secundò, quia perpetua Sancti Doctoris ſententia eſt, quod in cauſa indifferenti omnino, & indeterminata non poteſt contingens cognoſci, ſed divina voluntas ante omnem ſuam liberam determinationem eſt omnino indifferens ad talia conditionata, & ad ejus oppoſita (ut eſt ſine dubio certiſſimum) quia per ſuum liberum actum ad hoc potius, quam ad illud determinatur : ergo in illa ſic indifferenti non poteſt certò cognoſci, quid ipſa factura vel volitura eſt ; eſſet enim cognoſcere determinationem divinæ voluntatis ante determinationem illius. Nec comprehenſio, quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ divinam eſſentiam, & divinam voluntatem comprehendit, aliquid eis confert, quia comprehendit divinam voluntatem ſicuti eſt, non aliter quam eſt. Cum ergo ipſa ante omnem ſuum liberum actum ſit omnino indifferens ad futura illa, & ſua oppoſita, hanc indifferentiam in illa comprehendit non autem determinationem, quæ in illa non eſt. Imò non ſine cauſa Molina ipſe concedit, ut ex relatis conſtat, quod ſi divinus intellectus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ certò cognoſceret ante omne actum divinæ voluntatis liberum, quid ipſa volitura eſſet, ab ea libertatem auferret. Et ratio eſt quia illa ſcientia ſimplicis intelligentiæ ante omnem actum liberum divinæ voluntatis eſt omnino neceſſaria in Deo, unde objecta omnino neceſſaria tantùm cognoſcit. Si ergo cognoſcat, quid divina voluntas volitura eſt, divinam voluntatem ſic velle eſſet omnino neceſſarium, & non liberum.

Prætereà Thomiſtæ, qui ita philoſophantur, ideo hoc dicunt quia fortè negant reſpectu illorum futurorum ſub conditione decretum divinæ voluntatis; ſed iſta decreta non eſſe neganda infra probabimus: ergo tum fundamentum doctrinæ, tum ipſa doctrina ſuſtineri nequit.

Tandem nec rectè dicunt per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ Deum ſuam eſſentiam, & ſuam divinâ voluntatem comprehendere, cum ſecundum S. Thom. & veritatem, tam ſcientia ſimplicis intelligentiæ quàm viſionis ſit reſpectu creaturarum, cognitio enim, qua Deus ſe comprehendit, ſcientia non eſt, quia ſcientia eſt habitus concluſionis. Deus autem eſt omnium pri-

Digitized by Google

mum principium, unde per scientiam non cognoscitur, sed per intellectum, ut supra manet ostensum.

Alij præterea ex S. Thomæ discipulis asserunt cognosci hæc talia conditionata futura per scientiam liberam, quam dicunt mediam inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis. Sed quia S. Thomas adæquatè divisit scientiam Dei in simplicis intelligentiæ, & visionis scientiam non videtur ad ejus mentem aliud tertium distinctionis membrum multiplicare.

Unde his omissis, ad argumentum dicendum, quòd cum S. Thomas docet, quod ea, quæ nec sunt, fuerunt, vel erunt, cognoscuntur simplici intelligentia, non loquitur de futuris quæ non sunt absolutè futura, essent tamen futura, si tales adhiberentur conditiones ex libera determinatione voluntatis Dei, ut manifestè ex littera patet, in qua de solùm possibilibus quæ sunt tantùm in potentia Dei vel creaturarum sermonem facit, & illa docet cognosci, utpotè objecta necessaria per scientiam simplicis intelligentiæ, quæ videlicet necessaria in Deo est. Unde nulla ratione loquitur de objectis vel futuris conditionatis liberis seu contingentibus, quæ cognoscantur per aliquam simplicem intelligentiam ut ij authores prætendunt, nec ad hoc litteram Divi Thomæ, vel in illo articulo, vel in pluribus aliis locis, in quibus passim hoc tradit, possunt accommodare.

Hac igitur rejecta solutione ad argumentum dicendum, quod futura talia debent reduci ad scientiam visionis, & per illam debent cognosci, sicut enim per illam cognoscuntur futura in aliqua temporis differentia existentia, etiam per eandem cognoscuntur, quæ essent futura in aliqua temporis differentia ex vi decreti liberi Dei si tales, vel tales conditiones apponerentur Sanctus autem Thomas ubicumque dicit, quod scientia visionis intuetur ea quæ sunt, fuerunt, vel erunt in aliqua differentia temporis, tradit id quod propriè, & per se talis scientia cognoscit. Non autem negat quod etiam ad illam reducantur ea, quæ essent in aliqua temporis differentia ex vi divini decreti, sic ordinantis, si tales conditiones adhiberentur. Ex duplici verò capite reductivè cognoscuntur per scientiam visionis primo, quia cognitio, qua Deus se intuetur, & suum decretum quo voluit illa futura esse si talis conditio apponeretur, cum sit cognitio, seu visio principij illorum futurorum, est intellectus, non scientia; at cognitio, seu visio qua videt futura illa in illo decreto, cum sit visio creaturarum in suo principio, reducitur ad illam scientiam, qua futura videntur in seipsis, quæ est scientia visionis. Sicut ad eandem scientiam pertinet cognoscere conclusiones in seipsis deductas ex principiis, & cognoscere conclusiones, ut contentas in principiis secundo talis cognitio illorum futurorum reduci debet ad scientiam visionis, quia sicut primò & per se videt res existentes in aliqua temporis differentia; ita secundariò videt illa, quæ revera existerent, si talis conditio apponeretur, & ratio est, quia futura talia conditionata supposito decreto divinæ voluntatis, quo Deus voluit, ut essent, si talis conditio apponeretur, jam habent certam, & infallibilem veritatem objectivam quæ repræsentatur divino intellectui, ita certò, ac si revera existerent in aliqua temporis differentia. Unde cum sint futura conditionata contingentia seù libera habent certam, & infallibilem veritatem in ratione futurorum conditionatorum, quæ objectivè divino intellectui repræsentatur, per illam scientiam secundariò, cognoscuntur per quam cognoscuntur futura contingentia, & libera in aliqua differentia temporis existentia. Quæ doctrina mihi apparet deduci ex quadam S. Thomæ doctrinali sententia ait enim q. 2. de verit. art. 8. ad 5. *Quòd illa quæ non fuerunt, nec sunt nec erunt, secundùm hoc habent veritatem, secundùm quod habent esse, prout scilicet in suo principio activo, vel finali sunt, & sic etiam cognoscuntur à Deo.* Hæc igitur S. Thomæ verba pro majori supponamus, & sub sumamus hanc minorem, sed hæc futura de quibus agimus, nec esse habent, nec veritatem, nisi in illo libero decreto divinæ voluntatis, pro ut videlicet in illo sunt: ergo nequeunt cognosci, nisi pro ut in illo continentur decreto, & ex consequenti cognoscentur per scientiam visionis, quæ illa videt in tali decreto. Certè mirum esset, quod illa futura non habent esse nec veritatem, nisi pro ut sunt in decreto illo libero, & tamen quod non cognoscantur per scientiam, qua Deus illa in decreto intuetur. Sicut ergo in illo decreto existunt futura talia, ita in illo per visionis scientiam videntur, & sicut omnia entia rationis, quæ objectivè sunt in intellectu quolibet, videt Deus visionis scientia, non tanquam existentia propriis existentiis in aliqua temporis differentia, sed secundum proprium illorum objectivum modum, quo suo modo existunt; ita ista conditionata futura per visionis scientiam Deus intuetur, sicut suo modo quasi existentia in illo libero divinæ voluntatis decreto. Dicimus autem quod reducuntur ad scientiam visionis, quia revera propriè scientia visionis non est, nisi ad extra videat res in aliqua temporis differentia existentes ut S. Thomas, expresè docet 1. p. q. 14. art. 9. in fine corporis. Itaque scientiæ visionis primò & per se solùm, videt quæ sunt fuerunt vel erunt in aliqua differentia temporis. Secundario verò, sive per aliud videntur à Deo negationes per affirmationes, privationes per habitus oppositos, mala per bona, tenebræ per lucem, & idem Sanctus Doctor habet eadem quæst. art. 10. Et hac ratione intuendo Deus istum mundum videt per eandem visionis scientiam, alium non esse similiter, qui alium videt in speculo, licet primò, & per se, ac propriè non dicatur illum intueri, quia in se ipso illum non videt, secundario tamen, & per aliud dicitur ipsum intueri præsentem, quia est sibi præsens per speculum. Sic ergo illa futura conditionata præsentia sunt Deo per suum decretum, & in illo illa certissimè videt.

Quarta Regula futura omnia conditionata inter quorum antecedens, & consequens, non est aliqua infallibilis illatio, sive connexio, sed possibilis ad utramque partem, non cognoscuntur a Deo in ratione futuri, sed tantum in ratione possibilis. Hæc debet esse manifesta, quia illa nequeunt cognosci nisi secundum quod in se sunt. Cùm ergo nullam certam, & determinatam veritatem habeant ad unam partem etiam conditione illa apposita, fit ut etiam ipsa adhibita, determinatè quo ad unam partem non cognoscantur à Deo, sed tantùm ut possibilia sit exemplum. Si Thomas permanserit in Italia leget, hoc conditionatum ex meritis propriis ipsius objecti, & ante decretum divinæ voluntatis cognoscitur à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ, ut merè possibile, & ad utrumque contingens, simulque per eandem scientiam certò cognoscitur, quod ante decretum divinæ voluntatis non leget, nec illud erit futurum etiam illa conditione posita, quia necesse est hominem non operari sine Deo volente, vel permittente, unde per scientiam necessariam cognoscitur, quod non leget sine decreto Dei volente quod legat.

Similiter si talia conditionata ex meritis propriorum objectorum importent aliquam moralem connexionem, non tamen infallibilem, & certam inter antecedens, & consequens, cognoscuntur à Deo, ut moraliter certa, sicut ipsa sunt ante decretum divinæ voluntatis aliud volentis, vel permittentis. Tale est illud Sap. 14. *Raptus est ne malitia mutaret, &c.* Quod explicatur à Sancto Doctore Augustino fuisse dictum secundùm commu-

Digitized by Google

communia pericula hujus vitæ, quia enim communiter, & regulariter homines peccant in majori ætate propter cõmunia pericula vitæ, & regulariter id ſolet Deus permittere, ideo attendendo ſolùm merita illius objecti dicit S. P. Auguſtinus illud fuiſſe dictum ſecundùm quamdam moralem certitudinem ſe tenentem ex parte objecti. Si autem præſupponatur decretum divinum, quo Deus ſtatuit permittere peccatum hujus hominis, ſi ad longiorem ſervaretur ætatem jam tunc id certiſſimè eventurum à Deo cognoſceretur, ut diximus.

Itaque vel Deus nihil decrevit ſub conditione futurum, ſi ille parvulus diutius vixiſſet (nec enim reſpectu omnium combinationum conditionalium, quas poſſumus imaginari Deus aliquid decernit) & ſic ſolum cognovit, quod ſi diu viveret, ſecũdum communia pericula vitæ in pejus mutaretur. Quod eſt cognoſcere illud objectum ſecundùm ſe, & ex meritis propriis, ſecundùm videlicet moralem quandam certitudinem, & hoc in illo loco ſcripturę tantùm revelavit. Vel ſecundo dicatur, & meliùs quod duplici modo id Deus cognovit primò ex meritis propriis ſecundùm communia pericula vitæ, & certitudinem quamdam moralem. Secundo certiſſimè in decreto quo decreverat permittere illius peccata ſi diutius vixiſſet: ſtante autem hac duplici cognitione in Deo, primum tantùm in illo loco revelavit non ſecundum ſicut in prophetiis comminatoriis ſolet dici.

Certum eſt enim duo cognoviſſe Deum circa mortem Ezechiæ, alterum quod ex diſpoſitione ſecundarum cauſarum ſequuturа erat mors, alterum quod ex decreto ſuo non erat ſequutura. Primum cognovit in cauſis illis, & ex merito illarũ. Secundum certiſſimè in decreto ſuo. Revelavit autẽ Prophetæ cum Regi dixit *morte morieris*, illud primum non autem hoc ſecundũ.

Ad idem poteſt referri, quod Dominus Moyſi dixit Exod. 4. *Si non crediderint*, inquit, *tibi, neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis.* Quod tamen, quia ita non evenit, neque enim ſequenti ſigno crediderunt, nec illud certò Deus præſcivit; ſed ſolùm prædixit ſufficientia eſſe illa ſigna ut illi crederent. Unde hanc moralem connexionem ſignorum cum credulitate eorum ibi Dominus voluit explicare.

Ad hanc etiam regulam debent reduci prophetiæ comminatoriæ, ſive abſolutè ſive ſub conditione in ſcriptura propoſitæ, in quibus tantum prædicitur id quod eſt in diſpoſitione cauſarum ipſarum rerum, & id quod ex virtute earum eſſet futurum, niſi per altiorem cauſam detinerentur. In illis enim prædicit Dominus illam cauſarum ſecundarum connexionem cum effectibus talibus, nec illud aliud explicatur quod ibi latet, nempe diſpoſitio primæ cauſæ, quæ aliud ob ſua ſecreta judicia evenire diſpoſuit.

Nec hujuſmodi cognitio ſic ſecundùm moralem certitudinem tenentem ſe ex parte objecti imperfectionem dicit, aut divinæ repugnat cognitioni; nulla enim imperfectio eſt, ſed perfectio intelligentis, quod res ab ipſo cognoſcantur, ſicut in ſe ſunt: imò imperfectio in Deo collocaretur, ſi res quæ ex ſe & ante divinæ voluntatis decretum certæ non ſunt quoad aliquam partem determinatam, certò quo ad alteram partem à Deo cognoſcerentur.

Quinta & ultima regula, per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit Deus, quod liberum arbitrium ſub quibuſcumq; conditionibus poſitum abſque prævia Dei motione numquam operabitur. Patet, quia de ratione liberi arbitrij creati eſt, quod abſque tali prævia Dei motione, & applicatione non operetur: hoc ergo cognoſcit Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quia hoc objectum eſt neceſſarium, *liberum arbitrium non operabitur ſine Dei prævia motione*, per ſcientiam ergo neceſſariam à Deo cognoſcitur quod nũquã operabitur, ut etiã ſupra reliquimus declaratũ.

Has omnes Regulas brevitatis cauſa ad duas reducimus, dicendo quod Deus ante decretum divinæ voluntatis certò, & infallibiliter cognoſcit aliquam contradictionis partem eſſe veram. Si enim conditionata fuerint certa ex vi illationis & conſequentiæ cognoſcet certò Deus ante decretum divinæ voluntatis illa eſſe futura: ſi autem talia conditionalia ante decretum divinæ voluntatis non habuerint infallibilem connexionem cum conditionibus illis ex vi illationis & conſequentiæ, certò cognoſcit Deus ante decretum divinæ voluntatis, quod illa conditionalia ante decretum voluntatis ſuæ non erunt futura, etiam ſi illæ conditiones eis apponerentur.

Itaque ad cognoſcendum an aliquod conditionatum certò à Deo cognoſcatur hac ultimate regula utendum erit, ut talis conditionalis reducatur ad abſolutam conſequentiam, & ſi illa conſequentia bona fuerit, conditionalis certò à Deo cognoſcetur, ſi autem mala fuerit conſequentia illud conditionatum non cognoſcetur à Deo certò futurum, ſed certò non futurum. Ratio Regulæ eſt, quia conditionalis dicit illationem unius ex altero. Unde ad cognoſcendum ejus veritatem vel falſitatem, reduci debet ad abſolutam illationem & conſequentiam, & per illam debet regulari, verbi gratia, ſi Thomas permanſerit in Italia leget, ſic reducatur, Thomas permanet in Italia: ergo leget: quæ certè conſequentia ex meritis propriis, & ante decretum divinum id ordinans, nulla omnino eſt: ergo non cognoſcit Deus certò ante decretum ſuæ voluntatis, quod ſi Thomas permanſerit in Italia leget: imò quia illa abſoluta illatio nulla eſt, cognoſcit Deus, quod ante decretum ſuum ſi Thomas in Italia permanſerit, non leget. Et idem omnino erit in ſimilibus omnibus exemplis, quæ poſſunt induci in omni alia materia.

Sed oppones ante decretũ voluntatis Dei iſtæ ſunt contradictorię, ſi Petrus ponatur in tali occaſione, peccabit, non ſi Petrus ponatur in tali occaſione peccabit: quia non eſt meliùs contradicere, quam toti propoſitioni negationem pręponere; ſed ante idem divinæ voluntatis decretum negativa eſt vera: ergo illam eſſe veram cognoſcit Deus ante decretum ſuum: ergo cognoſcit ſuam oppoſitam eſſe falſam: jam ergo ante decretum divinæ voluntatis cognoſcit Deus ex illis contradictoriis aliam eſſe determinatè veram, & aliam determinatè falſam, & idem argumentum erit de omnibus ſimilibus. Quod autẽ negativa ſit vera patet, quia illa eſt mala illatio & conſequentia, ſi Petrus ponatur in tali occaſione peccabit: ergo conditionalis illa negativa, quæ dicit quod ſi ſic ponatur, non ſequitur quod peccabit, vera omnino eſt, & ut vera à Deo cognoſcitur: imò illam eſſe veram nos cognoſcimus, quia ſcimus non bene ſequi, quod ſi Petrus in tali occaſione ponatur, peccabit.

Ad hoc reſpondetur ex quinta Regula modo poſita, quod ante decretum ſuum Deus certò cognoſcit, quod Petrus ſub illa quacumque ſit occaſione poſitus nullum habebit actum peccati, vel non peccati, quia certò ſcit arbitrium hominis, ſine Dei præmotione nullum actum eliciturum. Rurſus. Si Petrus ſub qualibet occaſione ponatur cognoſcit Deus antequam aliquid circa ipſum determinet, ejus voluntatem eſſe indifferentem ad peccandum vel non peccandum, unde utrumque æqualiter in illa cognoſcit, nempe quod ex meritis propriis utrumque facere poteſt, & quod ad neutrum eſt determinatus. Et ex hac radice provenit, quòd ſicut cognoſcit Deus, quòd ſi ſic ponatur, non peccabit, quia nempe ad id non eſt determinatus: ita cognoſcit falſam eſſe affirmativam, quæ dicit ipſum eſſe determinatum ad peccandum.

Itaque concedendum eſt, quod ſi illæ duæ propoſitiones

Digitized by Google

sitiones considerentur ex meritis propriorum objectorum, negativa est vera, quia dicit non esse Petrum ex se determinatum ad peccandum, & affirmativa falsa, quæ dicit Petrum ad peccandum esse determinatum. Sed tunc dicendum est illas duas propositiones non esse de futuro contingenti, sed necessario, & sic cognoscuntur per scientiam necessariam Dei. Necessarium est enim, quod sub qualibet occasione Petrus constituatur, quòd ex meritis propriæ voluntatis sit indifferens ad hoc vel illud, videlicet ad peccandum, vel non peccandum. Similiter necessarium est, quòd non sit bona consequentia, quod si sub tali ponatur occasione peccabit, & quod sit mala illatio, quod sic constitutus peccabit.

Dixi esse veritates necessarias ex meritis propriorum objectorum, & quod hoc cognoscit Deus, quia etiam certò tunc cognoscit, quod si illa objecta non relinquantur in suis propriis meritis, & terminis; sed quod Deus aliquid voluerit circa illa decernere, sive permittendo quod peccet, sive illum à peccato præservando, illud infallibiliter erit, & liberè erit, sicut divina volitio, seu divina permissio voluerit. Unde in summa concludimus, quod nullum futurum contingens conditionatum, sive affirmativè sive negativè explicàtum Deus certò cognoscit ante suum liberum decretum, quia inducta, ut diximus, sunt necessaria.

Sed & illud addendum, quòd per hoc argumentum modo factum in nullo fundatur illa media scientia, quia solùm concludit, quòd semper futurum conditionatum negativè explicatum sit verum, & affirmativè expositum sit falsum, & sic numquam hac via certo Deus sciret, quod si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, illæ gentes converterentur. Imò semper sciret, quod non converterentur, quod esset contra illud divinum testimonium, & contra id quod media illa scientia prætendit. Ex quo etiam confirmatur id quod diximus objecta illarum propositionum ex meritis propriis esse necessaria non contingentia, cum semper immutabiliter negativa propositio sit vera, affirmativa falsa, quod est apertum signum non contingentiæ, sed necessitatis.

CAPUT XXII.

Quod in Deo dentur decreta circa aliqua futura conditionata, quæ numquam erunt, ex Scriptura Sacra demonstratur.

QUIA dictum est supra divinam præscientiam, qua futura libera conditionata certò cognoscuntur à Deo supponere liberam divinæ voluntatis determinationem, oportet nunc ostendere quod sint verè in Deo decreta divinæ voluntatis circa aliqua futura conditionata, quæ numquam erunt. Sed ante omnia præsupponatur talia decreta in quadruplici posse esse differentia. Aliud est enim decretum conditionatum ex parte actus, putà si dicat Deus, si ego voluero alium mundum creare, ipsum gubernabo, vel si ego voluero hominem convertere, ipse convertetur. Et hoc quod vocatur decretum, non est, quia nihil Deus decernit per illud, sed tantùm est decretum potentiale, sive possibile, per quod solùm explicatur connexio actus cum actu, & declaratur quod si unus actus poneretur, alius esset; quæ illatio seu conditionalis vera est, & necessaria, & per scientiam simplicis intelligentiæ à Deo cognoscitur, ut dictum est supra. Secundum decretum est perfectum actuale, & omnibus modis absolutum, tum ex parte actus volendi, tum ex parte objecti, verbi gratia, cum Deus decernit istum efficaciter salvare. Tertium decretum est actuale, & absolutum ex parte actus volendi licet sit de objecto conditionato, & hoc bifariam accipi potest. Nam aliud est de objecto conditionato pendente in sui conditione à creata libertate sicut si dicatur volo salvare Petrum dando ei talia, & talia auxilia, si tamen ipse voluerit salvari, & benè uti illis auxiliis. Et hoc decretum, & simile quodcumque, supponimus modò quod in Deo non est, quia divina voluntas in sua efficacia non dependet à voluntate creata, quæ dependentia essentialiter in illo decreto involuitur. Imò in tota hac magna controversia hoc solùm defendere intendimus, quia aliud asserere esset manifestè divinam voluntatem in sua efficacia humanæ voluntati subdere, quod & Pelagianum est, & abhorrent Christianæ aures. Aliud vero est decretum de objecto conditionato independenter tamen in sui conditione à creata voluntate, & tale fuit illud quo Deus decreverat convertere Tyrios, & Sidonios si tamen Christus eis prædicaret, quæ conditio à voluntate illarum gentium non dependebat, & similia plura sunt alia. Et de istis ultimis decretis & absolutis ex parte actus volendi procedit quæstio, an dentur in Deo respectu futurorum conditionatorum, quæ numquam futura sunt. Similiter hæc decreta conditionata vel possint esse de rebus, quas Deus esset facturus, si hæc vel illa conditio apponeretur, vel possunt constitui pro illis rebus, quas homines liberè essent facturi, si tales adhiberentur conditiones. Item illorum quædam continentur sub generali Dei providentia, alia specialem Dei providentiam ostendunt. Et quidem author operis tripartiti 1. lib. prologom. 2. cap 8. admittit divina ista decreta respectu eorum quæ Deus facturus est, quod probat ex aliquibus Scripturæ Sacræ testimoniis, quale est illud si percussisses sexies, vel septies, quod inducemus statim: illa vero decreta negat in Deo respectu eorum, quæ liberè homo facturus est, quasi aliquid homo in bono facturus sit, quod non est facturus Deus ut faciat homo.

Unde generaliter dicendum. Dubitari non potest quod hujusmodi decreta actualia, & absoluta ex parte actus volendi, de objectis tamen conditionatis in Deo sint, quia hoc ex divina Scriptura videtur satis apertè deduci.

Et quidem primò satis manifestè liquet ex illo 4. Reg. 13. supra citato, *si percussisses quinquies vel sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consummationem.* Quod futurum conditionatum, (quod numquam fuit) certò cognovit Deus quod esset, si adhibita fuisset talis conditio, quæ de facto adhibita non fuit: ergo dantur in Deo decreta respectu futurorum conditionatorum, quæ numquam futura sunt. Minor patet, quis enim dicat, quod absque priori decreto divinæ voluntatis sic ordinantis vel disponentis, ut posita materiali terræ percussione, Syria percuteretur, & quod solùm ex mera natura illius conditionis futura erat certo totalis Syriæ destructio? Quam enim causalitatem, quem ordinem, vel quam intrinsecam connexionem habebat materialis terræ percussio cum devastatione Syriæ. Igitur Scriptura Sacra, quæ apertè docuit futuram certò illam percussionem Syriæ, si materialiter terra à Rege fuisset percussa, profecto etiam monstravit ideo certò futuram talem Syriæ percussionem, quia per divinam voluntatem ita erat dispositum, ut si terra percuteretur à Rege, & Syria devastaretur. In quo etiam exemplo non obscurè nos Sacra Scriptura docuit, ut sciamus quærere causas ex quibus pendent certitudines futurorum conditionatorum, quando conditiones ex se & ex meritis propriis nullam certam & infallibilem connexionem cùm futuris illis habent.

Præterea

Prætereà 2. Paralip. 33. dicitur. *Et moveri non faciam pedem Israël de terra quam tradidi Patribus eorum, ita dumtaxat si custodierint facere quæ præcepi eis, cunctamque legem, & ceremonias, atque Iudicia per manus Moysi.* Ubi expressè traditur decretum divinæ voluntatis de aliquo futuro conditionato quod tamen futurum non erat; sicut enim Populus præcepta Domini non servavit, ita nec Deus ut eorum pedes non amoverentur à terra fecit. Simile conditionatum decretum deducitur ex Psalmo 80. in illis verbis, *si Populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem*; Quæ verba S. Basilius, & S. Pater Augustinus exponunt de certa, & infallibili inimicorum humiliatione; nec particula, *forsitan*, ad minuendam hujusmodi certitudinem apponitur. Decreverat ergo Deus certò humiliare inimicos Hebræi Populi, si ipsi Dominum audiissent, nam ex alio capite hæc certitudo haberi non poterat ex istis Scripturæ testimoniis. Hæc decreta deduci Auctor operis tripartiti concedit loco citato, quia ut ait, est eorum quæ Deus facturus esset; non verò talia decreta admittit in illo loco de Tyriis, & Sidoniis statim inducendo; quia ut ait, est eorum, quæ liberi homines facturi sunt: Admisso ergo illo primo quod admittit, quàm falsum sit hoc secundum quod negat, statim ostensuri sumus.

Item Ezech. 3. habetur: *Fili hominis vade ad Domum Israël, & loqueris verba mea ad eos, non enim ad Populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris ad Domum Israël, nec ad Populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones, & si ad ipsos mittereris ipsi audirent te.* Certò ergo cognovit Dominus quòd si Propheta mitteretur ad Populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, illi Prophetam audirent, idest, illi obtemperarent; sed hoc non cognovit Deus certò nisi in decreto quo id ita futurum statuerat, si ad illos Propheta mitteretur: ergo datur in Deo decretorum de futuro conditionato quod tamen nunquam futurum erat. Minor probatur, quia in hoc testimonio non possunt Recentiores recurrere ad objectum illius suæ mediæ scientiæ, ut dicant id cognovisse Deum, vel in comprehensione liberi arbitrij illorum, vel in veritate ipsa determinata objectivè in seipsa. Et ratio est, quia scriptura procedit in prædicto testimonio non de hoc vel illo Populo signato, sicut fecit in alio de Tyriis, & Sidoniis, sed in generali & quodammodò in confuso loquitur de Populis ignotæ linguæ, & profundi sermonis, quicumque illi sint, de quibus non dicent hi Authores quòd omnes sic cognovit dispositos, ut prophetiam audirent. Quamvis enim id de aliquibus signatis, & comprehensis id possint imaginari; at de omnibus sic in confuso propositis id contendere verrissimile non est, quòd omnes illos cognoverit sic aptos, ut ex se, posita prædicatione, & sufficienti tantùm vocatione illam omnes redderent efficacem: ergo necesse erit recurrere ad decretum divinum, quo statuerat Deus quoscumque tales Populos ignotæ linguæ convertere si ad eos Propheta mitteretur. Præterquàm quòd etiam in hoc testimonio sicut in quolibet alio current rationes supra inductæ, quòd si illorum conversionem non cognovit certò Deus in Decreto tali suæ voluntatis sed aliundè, cognoverit Deus futuram illarum gentium conversionem non ex vi, & efficacia divinæ voluntatis, & auxiliorum ab ipsa provenientium sed ex innata hominum libertate reddente illa auxilia sibi efficacia, quod est fundamentum quo semper illam mediam scientiam, & ejus objectum oppugnamus.

Deindè aliud est clarius testimonium ad idem ostendendum primi Reg. cap. 13. ubi Dominus per Samuelem Saüli quia sacrificaverat, ita dixit: *stultè egisti nec custodisti mandata Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non feciisses jam nunc præparasset Dominus Regnum tuum super Israël in sempiternum, sed nequaquam Regnum tuum ultra consurget.* Ex quo loco constat habuisse Deum hoc decretum, si Saül non fecisset illud malum; ego præparassem Regnum ejus super Israël in sempiternum: nec enim aliud dici potest ad salvandum hæc verba Prophetæ. Habuit igitur Deus decretum de objecto & futuro conditionato, quod tamen numquam futurum erat, imò futurum erat oppositum, ut revera Saül peccaret; & Dominus ab eo Regnum auferret. Undè ex hoc loco duo decreta Dei, ratione tamen ut dici solet, distincta nobis innotescunt; alterum de objecto seu futuro conditionato, quod impletum non fuit, quia nec conditio apposita fuit: alterum verò omnibus modis absolutum, & efficax ac impletum quo videlicet decrevit Deus Regnum à Saüle transferre in alium. Nec quempiam in oppositum moveat, quod Sanctus Pater Augustinus lib. 17. de Civit. cap. 6. hæc verba habet: *non sic accipiendum est, ac si ipsum Saülem in æternum præparaverit regnaturum, & hoc postea nolvit servare peccanti, neque enim eum peccaturum esse nesciebat sed præparaverat Regnum ejus, in quo figura esset Regni æterni.* Non, inquam, quemlibet moveat, quia his verbis negat Sanctus Doctor decretum absolutum, & efficax quo Deus disposuisset præparare Regnum Saülis in æternum, & postea ipso peccante, quasi priorem mutasse sententiam; non autem negat decretum conditionatum de illo quod fecisset, si Saül non peccaret. Unde absolutè, & efficaciter decrevit Deus præparare Regnum Saülis ut figuram Regni æterni Christi; præparavit etiam absoluta voluntate quòd illud Saülis Regnum finiretur, seu mutaretur in Regnum Christi æternum, & in illo sicut in suo fine per sui mutationem perficeretur: decrevit etiam absoluta voluntate, ut hæc mutatio fieret permittendo Saül peccare. Omnia ista decreta disposita ab absoluta & efficaci voluntate Dei erant, cum qua absoluta voluntate stat illa conditionalis; si Saül non peccaret nec mutaretur Regnum ejus; quæ tamen conditio stante alia Dei voluntate absoluta fieri non poterat ut implerentur, & sic omnia consonant.

Simile est illud Isaïæ primo. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis; quod si nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis gladius devorabit vos.* Et plures tales similes conditiones in Prophetis passim leguntur in quibus ostendit Dominus se decrevisse hominibus illa bona dare terræ, si ipsi illi obtemperaverint quod tamen multoties sic non evenit nec illi Domino servierunt. Constat ergo ex divinis literis habere Deum decreta circa aliqua futura conditionata quæ futura non sunt.

Ex novo testamento insigne est illud Matth. 11. & Lucæ 10. *Si in Tyro & Sidone &c.* in quo Dominus ostendit se illas gentes decrevisse efficaciter ad se vocare illisque fidem dare si virtutes apud eos factæ fuissent, quæ apud Hebræos factæ sunt. Hoc enim decretum habuisse Deum de illo futuro conditionato ex professo probaturi sumus infra: quod decretum est de illis quæ homines liberè facturi erant, undè ex divina Scriptura deducitur Deum non solum habere talia decreta respectu eorum quæ ipse facturus est, ut supra relatus Author opinatur, sed etiam eorum quæ homines liberè facturi essent, quod ipse negat.

Prætereà id ipsum videtur manifestè colligi ex illo Matth. 26. ubi Christus Dominus dicit: *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi*

Digitized by Google

mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum, quomodo ergo implebuntur scripturæ? In quo testimonio duo Christus nobis manifestat, alterum quod Pater æternus absoluto decreto omnibus modis absoluto decreverat Christum mori pro humani generis reparatione; alterum, quod Pater æternus decreverat dare Christo in illa occasione duodecim legiones Angelorum, si ipse Christus illas postulasset, quod expressit ad declarandam efficaciam orationis Christi. Habuit ergo Deus hujusmodi decretum, dabo filio meo, si petierit, duodecim legiones Angelorum: quod & Christus ipse cognovit, & ex eo certitudinem illius futuri conditionati, quod nunquam futurum erat, nobis declaravit. Quòd verò nullum sit in divina Scriptura testimonium ex quo aliqua ratione deducatur, non esse in Deo hujusmodi decreta de futuro conditionato, infra commodius dabimus manifestum respondendo ad aliqua, quæ Auctor operis tripartiti inducit ad talia neganda divina decreta.

Præterea ex S. P. August. Prospero atque Hilario diximus supra præscientiam horum futurorum sub conditione, sequi ad decretum Dei, & ad divinam electionem à qua certitudinem habent: dantur ergo ista decreta in divina voluntate circa illa conditionalia, quæ nunquam erunt futura, essent tamen si certæ adhiberentur conditiones.

Egregium est illud ex S. P. August. de præd. Sanct. cap. 9. qui docuit nihil esse verius, quam præsciviſse Christum, qui, & quando & quibus in locis in eum fuerant crediturí, si eis Evangelium esset prædicatum, sed hanc certam præscientiam (ut apertis, & multiplicatis verbis ibi declaravit) sequi ad electionem prædestinationem, & decretum firmum divinæ voluntatis quo decreverat illos ad fidem trahere si illis Evangelium esset prædicatum.

CAPUT XXIII.

Quod in Deo dentur & quomodo hujusmodi decreta circa aliqua futura conditionata quæ numquam erunt, rationibus ostenditur.

AMPLIUS: nisi ista decreta in Deo ponantur gravissima, & intolerabilia sequerentur absurda: ergo constituenda sunt in Deo talia decreta, antecedens patet quia sequeretur Deum cognoscere id quod ex se certò cognoscibile non est, ut supra manet declaratum; vel quod Deus illa conditionata futura tantùm probabiliter seu conjecturaliter cognoscat, quorum utrumque in superioribus satis manet impugnatum.

Item quod liberum arbitrium ex se sine divina motione operatur sicut primum se movens, & determinans & cætera multa similia, quæ adversùs mediam scientiam horum divinorum decretorum inimicam, inducta sunt supra: vel sequeretur, quod conjecturalem tantum illorum Deus cognitionem haberet.

Præterea in Deo est ista volitio, volo omnes homines salvos fieri ut Apostolus docet, sed iste actus est de objecto conditionato, hoc videlicet, volo omnes homines salvos fieri, si tamen ipsi voluerint, vel si per ipsos non steterit, ut potissimè S. Ambros. & Doctores alij exponunt: ergo dantur in Deo decreta de hujusmodi objectis conditionatis. De cujus testimonij intelligentia secundo libro copiosè dicturi sumus.

Ad hæc Deus amat amore charitatis reprobum existentem in gratia, quod modo supponimus: ergo vult illi beatitudinem eadem charitate; sed illa volitio est de objecto conditionato, sic enim debet explicari volo ipsi beatitudinem si ipse permanserit in gratia, hanc enim conditionem implicitam habet: ergo datur in Deo decretum de objecto conditionato.

Similiter, quis neget promisisse Deum veræ beatitudinis præmium omnibus hominibus sub ea tamen conditione si legem servent, cum Tridentinum Concilium sess. 6. de justificatione Can. 20. condemnet, qui dixerit Evangelium esse nudam, & absolutam promissionem vitæ æternæ sine conditione observationis mandatorum.

Insuper ad hominem: isti Authores cum quibus disputamus concedunt sæpe Deum habere hunc actum, volo concurrere cum voluntate ad actum, si ipsa tamen voluerit; sed sæpe voluntas creata non vult operari: ergo datur in Deo decretum de futuro aliquo libero conditionato, quod esset si voluntas voluisset, quod tamen futurum conditionatum numquam futurum est reipsa. Imò fatentur expresè quod debet Deus offerre concursum ad actum si voluntas creata ita voluerit operari, licet sciat per illam mediam scientiam voluntatem id non fore operaturam: mirum est ergo quod ut ipsi constituant divinum concursum pendentem à voluntate creata, admittant in Deo hæc decreta, & tamen illa negent cum constituuntur à nobis, ut ab ipsis certitudo sumeretur in humanis operationibus, sicut à prima causa, & radice.

Item quod in Deo sint hujusmodi decreta constat aperte ex sententia horum Authorum: ipsi enim, cum Scoto semper defendunt, quod etiam si Adam non peccasset Christus venisset, in carne tamen impassibili: ergo jam ipsi fatentur habuisse Deum actuale decretum de aliquo futuro conditionato, quod tamen nunquam futurum erat, nec enim ij Authores aliter possunt defendere, quòd si Adam non peccasset Christus venisset, nisi quia ita decreverat Deus, si Adam non peccasset. Quod enim aliquando dicunt id cognoscere Deum in actu absoluto, quo ante prævisum peccatum originale decrevit Deus mittere Filium suum in carne abstrahendo à mortali, & immortali; non advertunt quòd in hoc decreto formali virtualiter continetur illud conditionatum; etiamsi non si peccatum ut mittam Filium meum in carne mortali in remedium ejus, adhuc illum mittam in mundum. Unde nisi seipsos in multis locis suæ doctrinæ oppugnent negare non possunt esse in Deo decreta ista de objectis conditionatis, quæ numquam futura sunt. Quarè non rectè Suarez lib. primo de essentia prædestinationis cap. 7. n. 19. §. *nec obstat* inquit se non ignorare aliquos qui dicunt scientiam illam supponere in Deo aliquod decretum liberum, sed hoc falsum esse ipse supponit quod tamen ut verissimum fuisse ab illo supponendum, quæ dicta sunt in hoc & præcedenti cap. satis ostendunt, & dicenda in sequenti capite magis confirmabunt.

Tandem idem author lib. 2. de scientia conditionata futurorum contingentium cap. 7. num. 8. cum sequentibus, astrictus rationum pondere asserit, posse esse decretum conditionatum ex parte objecti ante mediam scientiam, quo concesso, necesse est fateatur tale decretum antè mediam scientiam non tollere libertatem etiamsi ponat infallibilitatem consequentiæ antecedenter ad omnem usum creati arbitrij sub conditione prævisum; & sic perit eorum potissimum fundamentum quo contendunt, quod si est infallibile hominem operaturum hoc vel illud ex vi decreti divini antecedenter ad omnem usum arbitrij, saltem sub conditione prævisum, tollitur hominum libertas. Ex quo rursus sequitur, quod nec decretum absolutum ante omnem humanum usum prævisum, libertatem impediat. Patet, quia utrobique est

Digitized by Google

est infallibilitas operationis posita à divino immutabili decreto: ergo si in uno non tollitur libertas, nec in alio.

Nec satisfacit si dicatur discrimen esse, quòd decretum conditionatum ante conditionis eventum nihil ponit in esse & sic pro illo signo cognoscit Deus liberam hominum voluntatem, undè subsequuta postea conditione, cum supponat libertatem, illam non lædit; at decretum absolutum est absolutè antecedens ad liberas hominum voluntates, & in ipsis ponit determinationem, & sic tollit eorum libertatem. Respondetur enim quod quamvis conditio ante ejus verificationem nihil ponat in esse, ponit tamen in esse infallibilitatem consequentiæ ex vi decreti conditionati. Unde etiam est efficax suppositio antecedens omnem nostram libertatem, quare si non tollit libertatem, nec suppositio antecedens efficax ex decreto absoluto libertatem impediet.

Sine fundamento etiam quidam commentator S. Thomæ dixit ad 3. par. q. prima art. 3. disput. 1. §. 22. quòd hujusmodi statuere decreta in Deo licet probabile sit, multis tamen patet calumniis; nullas tamen pati posset nisi illas quas communiter veritas patitur, & quas semper expugnat & vincit: unde quod ipse hac rejecta veritate asseruit Deum per scientiam naturalem ante omnem determinationem liberam divinæ voluntatis certò cognoscere quid divina voluntas volitura sit, infra erit ostendendum id impossibiliter affirmari. Similiter quod addidit, Deum per illam naturalem scientiam cognoscere non in comprehensione creati arbitrij utpotè indifferentis illa conditionata futura, sed in divina essentia in qua repræsentantur omnes res possibiles & etiam futura, id non dixisset si attenderet quòd antè determinationem liberam divinæ voluntatis nihil est aut potest esse, aut intelligi futurum, unde nec ut futurum representabitur in divina essentia nisi ipsa quod est impossibile, ponatur repræsentare rem aliter quam est.

Sed dices, hæc decreta debent dici conditionalia vel absoluta? Ad quod dicendum quod respectu futurorum sub conditione, quæ in Scriptura ut certa traduntur dantur in Deo decrera absoluta respectu actus, conditionata verò respectu objecti; ita quod in illis conditio non cadit suprà actum divinæ voluntatis sed suprà objectum illius, verbi gratia, si in Tyro, & Sidone &c. de hoc futuro certo conditionato habuit Deus hunc actum, ego converterem Tyrios, & Sidonios, si eis prædicatum fuisset Evangelium. Ubi constat conditionem supra objectum tantum cadere non tamen supra actum, imò ipse actus volendi in se firmus, & determinatus est, si tamen ex parte objecti talis apponeretur conditio. Similiter habuit Deus decretum hoc; ego destruerem Syriam si Rex toties terram percuteret: ubi conditio tantùm tenet se ex parte objecti non autem cadit supra decretum ipsum. Similiter circa illud aliud, si Adam non peccasset Verbum sumeret naturam humanam, decretum fuit hoc in eorum sententia, ego sumerem humanam naturam impassibilem, si Adam non peccasset, in quo conditio non cadit supra actum sed super objectum; & propterea à tali actus determinatione sumit futurum sub conditione certitudinem, & firmitatem. Et hac ratione communiter vocantur ista decreta conditionalia, quia videlicet sunt de objectis conditionalibus, licet ipsa decreta in se ipsis conditionata non sint; sicut etiam ab his Authoribus scientia illa media, quia est de objecto conditionato scientia conditionata vocatur; cum tamen in se talis scientia secundum eos qui illam admittunt, absoluta sit; quod nec ipsi aut negant, aut negare possunt.

Tandem quòd hæc decreta possint esse in Deo, etiam Franciscus Suarez relatus sub his verbis affirmat: *sed ego non sentio hujusmodi voluntatem simpliciter impossibilem in Deo tam circa volenda ab ipso Deo quam à voluntate creata. Cur enim non potest Deus habere hanc voluntatem, si crearem Angelum, prædestinarem illum; aut si Adam non peccasset Spiritus Sanctus fieret homo, cum neque ex parte objecti sit repugnantia, neque etiam ex parte actus divini?* hæc ille. Licet enim posteà hanc sententiam ipse non teneat, tamen possibilia esse in Deo talia decreta nihilque Deo repugnare fatetur & argumenta contra illam dissoluit; ubi manifestè loquitur de decreto divino antecedente omnem illam vocatam mediam scientiam, siquidem in illo capite & sequenti triplicem modum abinvicem distinctum constituit quo Deus futura contingentia conditionata cognoscit.

Ista autem decreta absoluta ex parte actus volendi & non ex parte objecti, respectu eorum quæ nunquam futura sunt, non sunt sine causa ad libitum in infinitum multiplicanda in Deo respectu omnium combinationum quæ in infinitum procedunt, sed tantum oportet illa recipere, quæ nobis ex divinis litteris, aut Sanctorum Patrum interpretatione traduntur. Et ratio est, quia cum istæ combinationes quæ ex his conditionalibus exprimuntur, sint in infinitum multiplicabiles, ut de se est manifestum, infinitum autem non sit ordinabile in finem: nec ad divinam providentiam quæ omnia in finem ordinat spectat omnes has infinitas objectorum conditionatorum combinationes habere; si enim verbi gratia statuit Deus, ut ego numquam irem ad Indos; ut quid in eo hoc decretum constituimus, si Thomas iret ad Indos per ipsum hoc vel illud efficerem? Et sic de innumeris aliis quæ possunt multiplicari. Quæ autem in Scriptura traduntur, ob altissimam rationem explicanda sunt, vel ad significationem Mysteriorũ explanandam, vel ad multorum duritiem increpandam, vel ad divinam efficaciam ostendendam, vel propter alios altissimos divinæ providentiæ fines, quæ tamen rationes in multiplicatione infinita horum decretorum omnino cessant. Unde multiplicanda in Deo non sunt tot decreta hac multiplici ratione inter se diversa, sive distincta; sed sufficit unum eminentissimum in Deo ponere, quo decrevit vel nihil circa tales infinitas combinationes statuere, vel quo decrevit ea minimè futura esse, etiamsi omnes imaginabiles conditiones circa illa apponerentur; & in virtute hujus decreti certò Deus cognovit illa futura non esse, quibuscumque similibus adhibitis conditionibus; vel quo ita apud se statuit, in omnibus similibus conditionibus esse quod ego determinarem, vel permitterem fieri.

Melius autem dicitur, quòd Deus circa talia decreta cognoscit, ut dictum est. Primò se nihil determinasse circa illa, undè certò scire illa numquam futura esse, sed manere tantum possibilia: sicut etiam de omnibus aliis creaturis possibilibus certò scit Deus se determinasse illa futura non esse, & certò proindè scire illa nunquam futura fore. Itaque ut cum omnibus istis futuris conditionatis concludamus, omnia illa in triplici tantum sunt differentia. Quædam sunt, quæ infallibiliter essent si conditiones apponerentur, quæ tamen appositæ non fuerunt: sicut sunt illa, quæ ex divina Scriptura relata sunt suprà, & ista cognoscuntur in decreto, quo Deus decrevit illa futura si tales apponeretur conditiones, ut manet expositum. Alia sunt, quæ in aliqua temporis differentia futura sunt, sicut, si Thomas veniret Romam, disputaret ista cognoscit Deus in decreto absoluto, & de objecto etiam absoluto quo Deus voluit, & Thomam Romam venire & disputare, in quo etiam cognoscit

quod

Digitized by Google

quod si Romam veniret disputaret. Alia sunt merè possibilia, ut dictum est, & ut talia certò cognoscuntur. Decreta prædicta de objecto conditionato admittunt moderni Authores, Magister Zumel tom. primo disput. 5. sect. 1. in appendice. Magister Luna, Magister Nuño 3. parte q. 62. art. 5. q. 2. post. 5. conclusionem, & in solutione ad 12. Magister Navarrete p. 1. controv. 5. & 6. §. 2. conclus. 6. Doctor Gaspar Ram versatissimus in hac materia in tractatu de divinis præmotionibus relectione 6. fol. 61. & sequentibus, ex Societate Doctor Henriquez lib. ultimo de fine hominis cap. 4. n. 2. in textu sic dicit: *necesse est in signo rationis supponere liberam quandam Dei conditionalem prædefinitionem, qua posita novit quid esset facturus in tali rerum concursu, & occasione.*

Dubitabit fortè aliquis, an illa decreta conditionata, quæ in Deo reperiuntur, formaliter reperiantur in Deo, aut tantummodo eminenter? Ad quod, licet aliqui dicant illa tantum esse in Deo eminenter, dicendum tamen decreta talia conditionata ex parte objecti, quæ ex Scriptura, ut modò diximus, colliguntur, esse in Deo formaliter, formaliter enim habet Deus hanc conditionatam voluntatem: volo omnes homines salvos fieri; & hanc converterem Tyrios si eis prædicatum fuisset Evangelium, & similia, nam hæc decreta pertinent ad voluntatem Dei antecedentem, non consequentem, quia non implentur; sunt ergo in Deo formaliter, & non tantùm eminenter. Consequentia videtur expressa D. Thomæ q. 23. de veritate art. 3. in corpore ubi docet, quod voluntas beneplaciti, quæ dividitur per antecedentem, & consequentem, est voluntas absolutè, & propriissimè in Deo: ergo voluntas antecedens illorum conditionatorum est in Deo formaliter, & non tantùm eminenter, quia id quod tantum est in Deo eminenter non dicitur absolutè, & propriè esse in Deo, ut communis est Theologorum sententia cum S. Thoma, nec enim dicitur absolutè, Deus est propriè Corpus, sed cum illo addito eminenter. Unde doctissimi alij S. Thomæ discipuli illa decreta formaliter in Deo constituunt, sicut revera constituenda sunt: Mag. Nuno ad 3. p. q. 62. post 5. concluf. principalem concl. 2. & 4. expressius solut. 12. argum. Mag. Luna in additionibus ad 3. p. Mag. Zumel. tom. 1. disp. 5. sect. 4. in Appendice.

Nec premit argumentum, quod aliquos convincit, quod videlicet illa decreta sunt imperfecta in genere practico, cum executioni non mandentur, & ex consequenti non sunt in Deo formaliter: Ad hoc enim dicendum, quòd licet ex hoc capite imperfecta videantur, ex aliis titulis perfectionem denotant in Deo, videlicet quod habeat actum, quo omnes homines velit salvos fieri, quo divina bonitas maximè ostenditur, & alias perfectiones important, de quibus non est agendum per singulas, quæ explicant, vel divinam justitiam vel aliquam magnam significationem, vel aliquorum hominum obstinationem.

Præterea Deus amat amore formali amicitiæ supernaturalis reprobum existentem in gratia: ergo voluntate formali vult illi beatitudinem. Etenim amor charitatis divinæ formaliter tendit ad beatitudinem; sed illa volitio beatitudinis, cum non impleatur, non habetur per voluntatem consequentem: ergo habetur solum per voluntatem antecedentem, & conditionatam. Quæ sic explicatur. Volo huic beatitudinem, si ipse permanserit in gratia, ergo hoc decretum conditionatum est in Deo, & est in ipso formaliter, & non tantum eminenter. Dicant hi etiam in hoc decreto imperfectionem includi, & propterea illud negent in Deo.

Diximus quod videntur ista decreta importare imperfectionem, nam revera nullam dicunt. Unde formaliter in Deo sunt, & ratio est quia habere actum non absolutum, & efficacem, sed inefficacem, & conditionatum non ex impotentia, vel defectu volentis sed ex natura objecti, quia videlicet objectum postulat talem inefficacem actum, nullam imperfectionem constituit in volente, ut plenius sequenti capite respondendo argumentis in oppositum, erit explicandum potissimè solutione ad 6. Undè non apparet quomodo Thomistæ aliqui negent similia decreta in Deo esse, cum contrarium efficaciter, vel sola ista ratio suadeat: præterquàm quod qui negant talia decreta in Deo unum ex duplici inconvenienti minus effugere valent, quæ sunt vel reipsa scientiam illam mediam approbare, vel illorum conditionatorum, quæ in Scriptura apponuntur, solùm conjecturalem cognitionem in Deo constituere, quod tamen dici nullo modo potest.

Circa illud autem quod sæpiùs dictum est habere Deum decreta circa futura conditionata, quæ in Scriptura traduntur: considerandum hoc verùm esse de futuris conditionatis supra relatis; nam aliquod in Scriptura exprimitur futurum conditionatum, circa quod Deus non habuit divinum decretum. Undè ut certum, & infallibile non cognoscitur à Deo, quale est illud Sap. *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*, quod explicans S. August. de prædest. Sanct. cap. 14. sic ait. *Hac dicta sunt secundum communia pericula vitæ, non secundùm præscientiam &c.* ubi negat Deum cognovisse certò illud futurum conditionatum, & à fortiori negat decretum habuisse circa illud, sed tantùm id dictum fuisse secundùm communia vitæ pericula id regulariter evenire. Et merito quidem S. August. ita exponit, ne tot decreta circa innumeras conditionatorum combinationes in Deo multiplicentur ut supra dictum est.

Omnia enim illa ad quatuor capita reduci possunt, & debent. Quædam enim important id quod regulariter, & frequenter solet evenire posita illa conditione, sicut est illud modo citatum, *raptus est ne malitia &c.* quod dictum est non secundùm certitudinem, sed secundùm communia vitæ pericula. Alia sunt, quæ important possibilitatem posita tali conditione, sicut si dicatur, si Petrus litteras didicerit fiet Episcopus, quod possibilitatem tantùm denotat, & ut sic cognoscitur à Deo. Alia sunt quæ important impertinentem omnino conditionem, sicut si dicatur; si Petrus dormierit Paulus evigilabit: nullam tamen connexionem habet tale decretum cum futuritione. Deniquè alia sunt, quæ important ex natura rei impossibilitatem, ut si dicatur; si Petrus elevaverit manum, turca occidetur, & sic cognoscitur à Deo ut impossibile ex natura rei absque aliquo suo divino decreto circa tale futurum conditionatum.

CAPUT XXIV.

Satisfit argumentis quibus contrarij ostendere nituntur, quod ista decreta non sint in Deo.

NEc obstant rationes aliquæ, quæ ab his Authoribus, cum quibus disputamus, opponuntur ad persuadendum, non esse in Deo similia decreta conditionalia sed vel impossibilia, vel ad minus superflua esse, & sine fundamento, & causa in Deo poni.

Objciunt igitur primò: illa decreta non sunt in Deo ex necessitate naturæ ut notum est, nec etiam sunt libera in ipso, ergo nullo modo sunt in Deo possibilia. Quod non sint libera patet, quia si sunt libera in Deo: ergo dicunt de novo respectum aliquem rationis

rationis ad creaturas: ergo ſupponunt aliquam mutationem ex parte creaturarum. Cum ergo creaturæ nullo modo ex vi illorum decretorum aliqua ratione mutentur, non poteſt conſurgere in Deo de novo reſpectus rationis; & ex conſequenti nec erunt actus liberi in ipſo. Secundò, nullus apparet finis in quem talia decreta ordinentur. Tertiò, quia ſi ſemel aliqua decreta conditionalia admittantur, pari ratione eſſent in infinitum multiplicanda, quia de quolibet obiecto creato haberet Deus iſta decreta, ſi in tali occaſione ponatur, hoc erit, ſi in tali, illud aliud. Et cum huiuſmodi conditiones circa quodcumque creatum arbitrium ſint in infinitum variabiles, eſſent multiplicanda conditionalia decreta.

Præterea, Multa ex his futuris conditionalibus quæ Deus præſcivit certò eventura, ſi conditiones aliquæ ponerentur, ſunt intrinſecè mala & peccata: ergo reſpectu illorum non dantur decreta conditionalia divinæ voluntatis, quæ ſtatuerit illa cauſare, ſi tales vel tales adhiberentur conditiones, aliàs haberet Deus decretum quo vellet peccare eos qui ità præſcirentur peccaturi adhibitis conditionibus illis, quod tamen aſſerere vir Catholicus nullo modo poteſt.

Præterea, ex ſimilibus decretis conditionalibus & libertas in creaturis auferetur circà futura talia, & ſufficientia gratiæ videtur negari: ergo nullo modo in Deo admitti poſſunt. Patet antecedens, quia decreta talia antecederent hominum libertatem: ergo illam impedirent. Similiter illi, reſpectu quorum talia decreta non haberentur, non haberent ſufficientem gratiam ad operandum.

Præterea arguunt aliqui: Volitiones conditionatæ non admittuntur in Beatis ob ſui imperfectionem, ut docent doctiſſimi & antiquiſſimi Diſcipuli S. Thomæ Capreolus in 1. diſt. 4. q. 1. art. 1. concluſ. 1. & Caietanus 3. p. q. 46. art. 3. & alij: ergo multò minus ob eandem rationem ſunt in Deo admittenda.

Item volitio conditionata quæcumque ſit in Deo debet procedere ex efficaci intentione finis; ſed illæ volitiones conditionatæ non poſſunt procedere ex efficaci intentione finis: ergo in Deo non ſunt conſtituendæ. Probatur minor: quia illæ volitiones non implentur; non ergo procedunt ex efficaci finis intentione, aliàs implerentur.

Poſtremò apparent volitiones iſtæ omnino otioſæ in Deo, ſi enim aliquis Pater abſoluta & efficaci voluntate vellet filium ab hæreditate ſecludere, otioſum videretur, imò fictum, ſi haberet voluntatem conditionatam dandi ei hæreditatem: cum ergo Deus abſoluta & efficaci voluntate decreviſſet non vocare ad Chriſti fidem Tyrios & Sidonios, nec quod apud ipſos Chriſti prædicatio & miracula fierent, ut quid habuit iſtum actum conditionatum de convertendo illos, ſi apud illos fierent miracula talia.

Tandem ſic opponit Franciſcus Suarez lib. 2. de ſcient. futur. cond. Huiuſmodi conditionata decreta nihil conferunt ad rerum gubernationem, nec per ea aliquid Deus diſponit circa res à ſe gerendas: ſunt ergo ſine cauſa conficta. Deinde ſi illa decreta libera ſunt: ergò potuerunt non eſſe in Deo, unde in illo caſu non poteſt Deus habere ſcientiam talium futurorum conditionatorum. Conſequens autem eſt falſum, hæc enim cognitio per ſe pertinet ad perfectionem Dei vel neceſſariò illam concomitatur

Ad iſta argumenta generali ratione dicendum eſt primò militare contra Authores qui illa opponunt, cũ ipſi (ut ſupra viſum fuit) talia decreta circà obiecta conditionalia, quæ nunquam erunt admittant. Secundò reſpondetur ad quodlibet in particulari; & ad primum non requiri ad omnes actus liberos divinæ voluntatis, quòd ex parte creaturarum ſit aliqua realis mutatio, ut videlicet conſurgat in Deo aliquis reſpectus rationis ad illas: ſed ſatis eſt ut ſit talis actus liber in Deo, & ut dicat reſpectum particularem rationis, quòd creatura habeat aliquam rationem volibilis ut terminet illum liberum actum voluntatis divinæ, ſive ipſa creatura de facto aliquando mutetur ſive non: ut patet primò in iſto decreto conditionato quod iſti Authores admittunt in Deo, volo concurrere cum libero arbitrio ſi ipſum voluerit, etiamſi præſciat ipſum non voliturum, nec aliqua reali mutatione mutandum, in qua reſpectus talis rationis illius liberi actus Dei fundetur. Item iſti Authores cum quibus diſputamus alibi fatentur, quòd poteſt Deus velle obligare hominem ad aliquid, ita quod de facto maneat homo obligatus, nihil tamen reale in ipſo conſtituendo per quod realiter immutetur: ſufficit ergo ut illud decretum liberum ſit in Deo, quòd creatura mutaretur ſi conditio illa expreſſa in decreto adimpleretur. Sicut enim decretum abſolutum & liberum in Deo reſpectu creaturarum infert mutationem abſolutam in creatura, ita illud decretum ſub conditione inferret mutationem in creatura, ſi conditio adimpleretur.

Item prædictus Author Suarez lib. 1. de eſſentia prædeſtinationis multa adhibet exempla, ut oſtendat ſufficere ad actum liberum divinæ voluntatis quòd in creatura ſit mutatio objectiva ſeu moralis: hoc enim tale proſequitur per totum cap. 15. illius libri, idque probat in illo actu quo Deus vult omnes homines ſalvos fieri, ex quo in parvulis qui decedunt ſine baptiſmo, ut ibi dicit, in multiſque infidelibus nullam omninò realem ponit mutationem. Item probat, quia hominem obligatum per votum poteſt Deus ab obligatione liberare ſine aliqua mutatione phyſica ex parte hominis. Unde ij Authores qui hanc ſententiam tenent ac fundant, non poſſunt hoc argumentum opponere. Ad ipſum enim ſuus Pater Suarez reſpondet, & nos cum illo. Quam etiam doctrinam, & argumenti ſolutionem adhibet in lib. 2. de ſcientia conditionata futur. conting. cap. 7. num. 10. §. *ſed ego* & 1. p. q. 19. dicit ſe id oſtendiſſe. Hanc eandem doctrinam latè proſequitur idem Suarez, vel quicumque illius operis tripartiti Author ſit, primo libro Prolegom. 2. cap. 8. dicens illa decreta eſſe poſſibilia in Deo, & poſſe illa Deum velle pertinere ad perfectionem libertatis divinæ, nec requiri in creatura realem ſui phyſicam mutationem. Ubi ſimul dicit aliqua talia decreta non poſſe negari in Deo, quod ibi probat. Itaque quia diverſa ſunt illa decreta & reſpectu diverſorum, quædam reputat tantùm poſſibilia; alia indecentia in Deo & inutilia; alia de facto in Deo debere conſtitui; quædam putat hominis libertatem auferre. Sed etiam de hoc ultimo varius videtur, quòd enim tollant aliqua libertatem multoties affirmat, utpote decreta prædeterminantia: aliquando cum libertate eadem ſtare dicit, ut cit. nunc cap. 8. §. *At verò*, ubi ait quod quando effectus eſt contingens & liber ſine culpa non repugnat Deo tale decretum conditionatum, quia licet futurus ſit ab humana voluntate erit principaliter à Deo, ſive per determinationem, ſive per congruas inſpirationes: ergo Dei prædeterminatio, quam diſtinguit contra vocationem congruam, contingentiam & libertatem effectus non tollit, ut in hoc ultimo loco, & libro expreſsè fatetur.

Ad ſecundum dicendum, quod illa decreta de objectis conditionalibus quæ nunquam futura ſunt, habent quidem finem & rationem in Deo, quædam enim habentur propter aliquam particularem ſignificationem ſicut fuit decretum de percuſſione Syriæ, ſi terra quinquies vel ſexies percuteretur; alia ad oſtendendam Dei bonitatem & miſericordiam ordinantur, ſicut eſt illud: *raptus eſt ne malitia mutaret*

Digitized by Google

intellectum ejus, fuit enim maxima miſericordia ſic eum arripere hac intentione è vita; alia ordinantur ad oſtendendam Dei juſtitiam, & tandem propter inſcrutabilia judicia ſuæ æternæ prædeſtinationis, ſicut fuit illud de Tyriis & Sidoniis, quibus noluit ſubvenire cum Chriſti prædicatione & miraculis quæ ſi adhiberentur eos convertere ſtatuerat.

Ad tertium dicendum quod ipſi Authores cum quibus diſputamus reſpondeant cum ſuo Authore Ludovico Molina, qui admittit in concord. diſp. 52. §. *Illud hoc*, verſ. *actus enim ille*, decretum cum infinitis illis combinationibus & hypotheſi poſſibilibus circa quamlibet creaturam liberam à Deo productam. Quæ etiam infinita decreta ab alio recentiore admittuntur in ſuis quodlibet. Nos autem jam ſupradiximus hoc non eſſe neceſſarium.

Ad quartum dicendum comparatione futurorum conditionatorum, quæ ſunt intrinſecè mala & peccata non eſſe in Deo decretum conditionatum, quo illa vellet vel cauſaret, ſi tales adhiberentur conditiones, in quo certiſſimè Deus omnia cognoſcat, ſed decretum, quo illa tunc permitteret.

Ad quintum dictum eſt ſuprà, & dicetur copioſiùs lib. 2. 3. & 4. ubi paſſim demonſtrabitur, quod ex ſimilibus decretis ſive conditionatis, ſive quod majus eſt abſolutis & efficaciſſimis, abſque aliqua dependentia ab humana voluntate, nullo modo lædatur, ſed potiùs roboretur ac firmetur libertas, ubi ſimul oſtendetur illationem iſtam eſſe apertè Pelagianorum & Semipelagianorum, deducere videlicet ablationem libertatis ex divino propoſito & decreto efficaci antecedente, ſive præveniente humanam libertatem; ſed magis à Franciſco Suarez qui totus eſt in inferenda ablatione humanæ libertatis ex hujuſmodi divinis antecedentibus decretis, inquirere oportet cur ipſe hujuſmodi conditionalia decreta dicat eſſe poſſibilia in illo cap. 7. ſæpiùs allato ex lib. 2. de ſcientia cond. futur. conting. Si enim per ipſum ſunt poſſibilia, ſi ponantur in eſſe nullum ex hoc ſequitur inconveniens: ergo non ſequetur ex illis ablatio libertatis, vel ipſe admittit aliquid in Deo poſſibile per quod ab humana voluntate ejus tollatur libertas. Dicet forſan etiam ſi poſſibilia fateatur hujuſmodi decreta, tamen dixiſſe illa ſine cauſa in Deo poni; ſed nihil rationi inductæ hoc præjudicat, quia etiam ſi ſine cauſa admittat in Deo conſtitui, tamen poſſibilia in Deo fatetur. Unde non debebat, nec poterat in Deo admitti ut poſſibile id ex quo humana libertas omnino in hominibus periret. Tandem in opere tripartito, vel ipſe vel quicumque illius Author ſit proleg. 2. de ſcientia cond. cap. 5. §. 3. *poſſumus*, ut veriſſimilia admittit hujuſmod decreta ante mediam ſcientiam ex quodam loco Scripturæ. Itaque ex una parte dicit, quod illa decreta & efficax illorum ſuppoſitio antecedens tollit libertatem, & ex alia illa admittit ut poſſibilia; & alia quædam inſinuari in Scriptura fatetur.

Ad ſextum dicendum primò cum Medina 1. 2. q. 18. art. 3. & aliis quibuſdam D. Thomæ Diſcipulis tales velleitates eſſe in Beatis, nec tamen in illis ponunt imperfectionem vel triſtitiam, Verbi gratia habet Beatus hunc actum etiam formaliter, vellem quod Pater meus in inferno non eſſet, ſine triſtitia tamen habet illum. Secundò dicendum cum antiquioribus Capreolo & Caietano ubi ſuprà quòd illæ velleitates non reperiuntur in Beatis, quia ſunt imperfectæ, utpotè provenientes ex imperfectione voluntatis. Pro quo notandum eſt ex duplici capite poſſe provenire aliquem actum eſſe non abſolutum & efficacem, ſed conditionatum ſive velleitatem; primò ex defectu volentis vel ejus impotentia, quæ non poteſt habere circa illud objectum actum efficacem & abſolutum, unde illum habet tantum conditionatum; ut eſt videre in illo, qui projicit merces in mare, qui nollet projicere; alio modo ſunt iſtæ velleitates, ſive actus conditionati non ex imperfectione aut impotentia volentis, ſed ex parte objecti, quia nempe objectum illud non eſt abſolutè & efficaciter amabile ſed conditionaliter ex eo quod non habet abſolutam bonitatem ſicut eſt ſalus omnium hominum, quæ attentis omnibus circumſtantiis & omni ordine divinæ providentiæ, non eſt abſolutè & efficaciter amabilis ſed conditionaliter tantum. Velleitates primi generis imperfectionem ponunt in volente ut notum eſt, & tales ſunt velleitates, quas haberent Beati, & ob id ab ipſis negantur & removentur; at velleitates ſecundi generis, ut etiam de ſe conſtat, nullam dicunt imperfectionem, nec impotentiam præſupponunt in habente illas. Quare poſſunt eſſe in Deo, & ſic eſt in ipſo voluntas ſive velleitas, qua vult omnes homines ſalvos fieri; ſi enim vellet, poſſet abſolutè & efficaciter illos omnes ſalvare, & fuit in ipſo decretum conditionatum convertendi Tyrios & Sidonios ſi eis Chriſtus prædicaret, ſicut Judæis prædicavit. Poterat enim Deus illos ſalvare & efficaci voluntate ſi voluiſſet illos convertere. Unde ſimiles actus nec imperfectionem dicunt, nec Deo repugnant, imò formaliter in ipſo inveniuntur, ut ex S. Thoma deduximus.

Ad aliud dicendum, quod illa decreta conditionalia ſunt in Deo non ex voluntate efficaci adimplendi illa, ſed ex divina voluntate intendente per illa decreta ſuam bonitatem, juſtitiam, vel ſapientiam manifeſtare, & propter alia occulta ſua judicia, ſed ſine dubio juſtiſſima; quem finem Deus obtinet per illa decreta conditionalia ſine dubio, Verbi gratia ad manifeſtandum, quod perditio hominum non ex Deo, ſed ex ipſo homine provenit, vult Deus voluntate antecedente omnes homines ſalvos fieri; & ſic proportionabiliter de aliis dicendum eſt, ut ſuprà declaravimus.

Ad ultimum dicendum eſt non eſſe otioſas in Deo tales volitiones ob rationes factas. Et ad exemplum dicendum, quod nec etiam in Patre illo fruſtra reperitur talis velleitas quo vellet hæreditatem dare filio impio, ſi tamen impius nollet exiſtere; iſte enim actus ſine dubio oſtenderet paternam benignitatem, & revera multi ex parentibus hunc actum explicare ſolent affectu paterno, licet attentis omnibus circumſtantiis & filij impietate efficaciter, illum ab hæreditate velint excludere.

Similiter nec illa decreta opponuntur ſicut aliqui objiciunt; ſunt enim de diverſo objecto, conditionato videlicet & abſoluto, nec enim opponuntur velle abſolutè & ſimpliciter quod aliquid fiat, & velle quòd diverſum vel contrarium fieret ſi talis adhibeatur conditio; ſicut nec fuit oppoſitio voluntatum in Deo, cum voluit abſolutè filium in carne impaſſibili ſi Adam non peccaret, mittere in opinione ſupra relata. Parique ratione nulla fuit contrarietas voluntatum velle abſolutè & ſimpliciter non convertere Tyrios & Sidonios, & velle quod converterentur ſi eis fuiſſet prædicatum Evangelium. Eodemque modo contrarietas non fuit in Deo velle abſolutè, quod Chriſtus pateretur, nec à manibus inimicorum liberaretur, & velle quod ſi ipſe efficaciter oraret, Deus daret illi Legiones Angelorum, quibus liberaretur ab inimicis ſuis. Et eadem ratione nec in Chriſto Domino fuit voluntatum contrarietas, dum efficaciter & abſolutè voluit mori; & dum voluntate conditionata ſecundùm partem inferiorem mortem refugiebat; quia in omnibus iſtis & ſimilibus actus illi erant reſpectu diverſorum objectorum. Rurſus alij erant efficaces, alij inefficaces; qua ratione, qui ob periculum

vult

Digitized by Google

vult projicere absolutè merces in mare, habet istum actum volendi projicere absque voluntatum contrarietate.

Ad objectionem autem Francisci Suarez, nimirum quod illa decreta sine causa & fundamento in Deo ponantur; dicendum imò talem esse causam urgentem, & tam validum fundamentum, ut sine illis non possit concludi, quod Deus futura contingentia conditionata certò sciat; ut enim manet ostensum, nec in comprehensione humanæ voluntatis, nec in veritate determinata ipsorum futurorum illa cognoscibilia sunt: unde restat ut solùm in decretis illis cognoscantur, quia ista triplici tantùm via cognosci possunt: Ad primum illius argumentum dicendum pertinere illa decreta ad præcipuos divinos fines jam expositos solutione ad secundum & ultimum. Ad secundum dicendum esse sine dubio illa decreta libera in Deo, sicut & decreta absoluta respectu creaturarum, ac proinde potuisse non esse in Deo; sed tunc etiam illa futura conditionata à Deo certò non cognoscerentur, non ex imperfectione cognoscentis, quæ in Deo nulla potest esse; sed ex defectu cognoscibilis: non enim haberent certam & determinatam veritatem ut certò à Deo cognoscerentur.

CAPUT XXV.

Quorumdam Thomistarum rationes negantium in Deo illa decreta circa futura conditionata quæ nunquam futura sunt, adducuntur & solvuntur.

HUJUSMODI decreta circa futura conditionata quæ nunquam futura sunt, à Deo etiam etiam quidam ex Recentioribus Thomistis rejiciunt. Ad hoc tribus potissimè rationibus movetur. Primò, quia S. Thomas q. 3. de verit. art. 6. docet expressè, quod ea quæ sunt, fuerunt, vel erunt, determinantur ex proposito divinæ voluntatis; non autem ea quæ non sunt, fuerunt, vel erunt, non determinantur ex proposito divinæ voluntatis: ergo nec Deus ea decernit.

Secundò, quia idem S. Doctor cit. art. solut. ad 3. explicans illud D. Dionysij cap. de divin. nomin. dicentis quòd exemplaria sunt divinæ & bonæ voluntates, quæ sunt prædeterminativæ & effectivæ rerum, docet quod Dionysius non dixit esse in Deo bonas voluntates prædefinientes, sed prædefinitivas, ad ostendendum quod ea quæ nec sunt, fuerunt, vel erunt, non sunt ex divino decreto prædefinitæ, sed quod prædefiniri possunt, qualia sunt futura conditionata quæ nunquam futura sunt.

Tertiò, Prædefinitio seu decretum sequitur perfectum Dei judicium practicum, hoc autem perfectum Dei judicium practicum est de agendis secundùm S. Thomam 1. 2. q. 74. art. 7. cum ergo conditionata quæ nunquam futura sunt, non sint agenda, nec de illis erit perfectum Dei judicium practicum, nec prædefinitio seu decretum.

Authores hi, illud si in Tyro & Sidone, & alia similia conditionata futura quæ impleta non sunt, dicunt certissimè à Deo cognosci per scientiam simplicis intelligentiæ, sed hoc dici non potest ut patet ex dictis, & magis constabit cap. sequenti. Unde ad primum illorum dicendum S. Thomam in illo art. 6. q. 3. de verit. Loqui de futuris absolutis quæ primò & per se pertinent ad scientiam visionis, & quæ ibi condistinguit contra merè possibilia, & cognoscuntur à Deo per simplicem intelligentiam, & sunt prædeterminabilia; si autem aliquando futura sunt jam sunt determinata à proposito divinæ voluntatis. Non autem ibi loquitur de futuris conditionatis quæ essent si aliqua poneretur conditio; hæc enim si conditio non apponitur, non sunt merè possibilia; sed versantur in illo multiplici genere à nobis explicato. Quædam enim sunt contingentia & libera, ut est illud, si in Tyro & Sidone, veritas enim hujus conditionati non tantum est possibilis, sed est determinatæ veritatis ex decreto Dei volente pœnitentiam dare, si talis conditio apponeretur, quæ propter altiora judicia apposita non fuit. Itaque aliud est de ipsa conditione, hæc enim tantùm possibilis est, similiter illorum conversio tantùm possibilis est; & aliud de veritate conditionali, quæ in illatione consistit: nam illatio inter illa duo possibilia non est possibilis tantùm, nec per scientiam possibilium qualis est simplex intelligentia cognoscitur; sed est contingens & libera fundata in libero decreto Dei ita volente & eodem modo dicendum est ad secundum.

Ad tertium dicendum quòd circa illa futura conditionata quæ nunquam erunt, quæ in Scripturis exponuntur habet Deus perfectū judicium practicum quo illa ordinat in finem aliquem suæ providentiæ, secundùm quod per illam, vel misericordiam, vel justitiam, vel aliquam notabilem significationem nobis prætendit explicare, ut dictum est. Et ad locum S. Thomæ Respondetur quod nomine agendorum de quibus dicit esse perfectum judicium practicum, non solùm intelligit agenda absolutè & cum effectu, sed illa quæ agerentur si aliqua adhiberetur conditio: sicut Paterfamilias tractans suæ domus gubernationem multa similia ex providentia & judicio practico secum disponit circa aliqua agenda, si talis, vel talis occasio esset, quæ sæpe non fiunt.

Sed opponunt, quòd si Deus efficaci voluntate statuit illam conditionem non apponere, tale decretum de objecto conditionato esset commentitium; promissio enim sub conditione impossibili facta, nulla est; ut si quis ita promittat, si digito cœlum tetigero dabo Titio centum nummos; sed hujusmodi esset in Deo decretum promittendi, vel faciendi aliquid sub conditione, quam efficaciter decrevit non adhibere: ergo voluntas talis in Deo indecora esset, ipsoque indigna atque impossibilis. Minorem probant, quia posita voluntate qua Deus efficaciter statuit talem conditionem non apponere, prout sic impossibilis efficitur conditio. An non turpis, inquiunt, imò impossibilis esset in Deo hujusmodi voluntas, si chimeram creavero conservabo eam per decem annos? ita profectò. Sed posita voluntate efficaci in Deo non apponendi prædictam conditionem non minùs impossibilis redditur conditio quam chimeræ productio: ergo non minùs indecorus, atque impossibilis esset in Deo actus iste, quàm ille. Et loquuntur Authores hi expressè de conditione cujus impletio à Deo tantùm fieri potest, cum sic argumentantur: nam de conditione quæ apponenda esset à creatura, prædictum argumentum non procedere arbitrantur, concedentes posse Deum habere decretum de futuro sub conditione, cujus conditio à creatura penderet, & ab ipsa implenda esset.

Ut autem ad præsens hoc illorum ultimum dictum omittamus, nec modò ex professo impugnemus id quod in omnibus his nostris potissimè lib. 3. & 4. semper expugnaturi sumus, & in hoc primo in superioribus reliquimus impugnatum, quod nempe nulla conditio, utpotè quæ bona sit, à voluntate hominis dependet se sola determinante, & se sola applicante ad illam apponendam, ut hi Authores contendunt, sed quod Deus efficaciter movet ut conditionem talem velit adhibere, ac proinde idem omnino judicium est de conditione ab homine apponenda, & de illa quæ à solo Deo fit quantùm ad hoc quòd

Digitized by Google

ōmnem illam vellet Deus efficaciter apponere, vel non apponere, cum hac tamen differentia, quòd aliquam, quæ à se solo fieri potest, efficaciter vult quod non fiat, aliam, quæ etiam fit à creatura, vult efficaciter non movere creaturam ut illam ipsa faciat. Ut, inquam, hoc ad præsens omittamus, dicendum omnino est, argumentum factum generaliter contra omne decretum de futuro conditionato procedere, sive conditio à solo Deo facienda sit, sive etiam à creatura, ratione dicta; affirmandumque nullum prorsùs esse argumentum factum, quod vel ex solo exemplo deducto ex Evangelio planè convincitur. Certum est enim Deum efficaci sua voluntate decrevisse Christum Dominum pro humani generis redemptione passurum; certum deinde est etiam efficaciter decrevisse, quòd si Christus efficaciter postulasset ad sui liberationem duodecim Angelorum legiones, eas ei Pater tribueret, quod & ipse Christus exposuit, cum Petro dixit; *an putas, quia non possum rogare Patrem meum & exhibebit mihi plusquàm duodecim legiones Angelorum?* Ex quo testimonio constat Christum illud sciviſse certò, parique ratione constat id ideo certò sciviſse, quia Pater ita decreverat, si Filius meus efficaciter petierit ad sui liberationem ei dabo duodecim legiones Angelorum: nisi enim ita Pater statuisset, unde id certò scire poterat Christus? Id ergo certò scivit in decreto divino. Ecce decretum efficax in Deo de futuro conditionato, quam tamen conditionem efficaciter voluit Deus quod Christus non apponeret, nec id efficaciter postularet; quid ergo erit tale decretum dandi Christo duodecim legiones Angelorum si illas Christus efficaciter postulasset? indecorum ne in Deo, ipso indignum, atque impossibile? aut dicemus orationem quam dicit Christus, se posse omittere indecoram esse, turpem, atque impossibilem, sicut est voluntas producendi chimeram, aut promissio qua creatura aliquid promittit, si digito cœlum tetigerit? absit. Smile est illud aliud pariter ex Scriptura Marci cap. 14. deductum exemplum, *Abba Pater omnia tibi possibilia sunt, si vis transfer Calicem istum à me.* Numquid, cum sic Christus Dominus orabat, non certò sciebat Patrem efficaci voluntate decrevisse ipsum pro mundo passurum? quid ergo orabat sive petebat, num rem impossibilem, rem chimericam, se indignam, indecoram & turpem? Quamvis ergo Deus efficaciter statuat aliquam conditionem non apponere, nullo modo ex hoc redditur illa conditio impossibilis absolutè & simpliciter, sicut chimeræ productio, vel digito cœlum tangere, sed absolutè & simpliciter est possibilis illa conditio, quod & ipse Christus Dominus exposuit, cum dixit: *Pater omnia tibi possibilia sunt*, licet ex suppositione voluntatis efficacis Dei volentis, quòd non apponatur, reddatur incompossibilis, vel impletio conditionis, vel oratio prædicta Christi cum decreto illo quo Deus firmiter statuit, quòd Christus pateretur: sicut licet Deus decreverit hunc solum creare mundum, absolutè alius mūdus possibilis est, & potest Deus habere decretum hoc, si alium mundum creavero conservabo eum: non etiam est indecorum aut Deo indignum habere decretum illud si Filius meus efficaciter postulaverit dabo ei duodecim legiones Angelorum, nec fuit Christi Domini oratio indecora & turpis, quia tale decretum in Deo significat efficaciam orationis Christi, quòd ei dedisset illas Angelorum legiones, si illas ipse efficaciter postulasset. Et propter similes alias rationes sunt in Deo similia decreta de futuris conditionatis quorum conditiones efficaciter vult Deus, quòd non apponantur, sicut est illud, si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ tamen conditio pro tunc apposita non fuit, quia eis Christus Dominus personaliter non prædicavit.

CAPUT XXVI.

Vera intelligentia locorum Scripturæ, quæ videntur favere illi mediæ scientiæ, & suprà adducta sunt.

PLURIMA adducta sunt suprà Scripturæ testimonia in favorem illius mediæ scientiæ. Ad quæ primò in generali, deinde ad quodlibet in particulari dicamus, oportet. Generali quidem solutione dicendum primò, dupliciter posse & debere intelligi prædicta testimonia.

Primò, ita quòd procedant de certa & infallibili cognitione futuri conditionati, quòd esset si tales apponerentur conditiones; sed tunc est dicendum hanc certam & infallibilem cognitionem in Deo esse ex decreto, & in decreto divinæ voluntatis, vel volentis, vel permittentis, quòd talia fierent futura conditionata, si tales adhiberentur conditiones juxta regulas suprà assignatas.

Secunda intelligentia, quæ multis testimoniis adaptari potest, talis est, quod non revelantur illa futura certò fore futura si tales adhiberentur conditiones, sed quod revelatur id quod erat in dispositione secundarum causarum. Familiare enim est Scripturæ sanctæ, ut Deus per illam revelet id, quod licet certò futurum non sit, & id Deus certissimè sciat; futurum tamen sit ex dispositione suarum proximarum causarum, quod verificatur in Prophetia comminationis Isaiæ 38. *dispone Domui tuæ quia moriens tu, & non vives*; quæ & revera Prophetia fuit comminationis; licet enim non ita evenerit, tamen in dispositione secundarum causarum ita erat quod eveniret, nisi per altiorem causam impediretur. De quo vide S. Thomam 1. p. q. 19. art. 7. ad 2. & 2. 2. q. 171. art. 6. ad 2. Tale etiam fuit Illud conditionatum Exod. 4. quod Dominus Moysi dixit, *si non crediderint*, inquit, *tibi, nec audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis*. Ubi Deus explicavit virtutem signi sequentis sufficientissimam ad inducendum homines ad credendum; non autem, quod ita erat futurum certò, ut si non crederent priori, crederent posterioti signo: cum ex eadem Scriptura constet illud, etiam adimpleta illa conditione, non sic eveniſſe.

Sed tunc advertendum per istum dicendi modum nulla ratione Deo tribui conjecturalem, aut moralem tantum certitudinem; sed certissimam quòd res talis quæ sic pronunciatur futura secundum tantùm dispositionem suarum causarum non eveniet, & cum hac certissima cognitione quam Deus de illo objecto habet & quam non revelat, est alia cognitio qua Deus cognoscit, quod ex dispositione secundarum causarum tale quid futurum est, nisi aliàs per superiorem virtutem impediatur, & hoc tantùm revelat in tali Prophetia comminationis, vel in tali futuro sub conditione existente, quæ inclinat ad talem futuritionem, ut in exemplis modò adhibitis constat.

Quare non placet modus dicendi aliquorum Doctorum, qui cum reipsa veram teneant sententiam in hac parte, non tamen verbis propriis loquuntur dicentes Deum scire ista futura conjecturaliter. Dixi illos veram sententiam tenere; quia revera seipsos explicant & declarant, quod nimirùm ipsi loquantur de conjecturali cognitione ex parte objecti, non ex parte intelligentis. Quod est dicere, aliqua futura ex se fundare optimam conjecturam respectu intellectus capacis conjecturalis cognitionis, quæ imperfecta est; & tunc nihil aliud intendunt, quam Deum de aliquibus futuris conditionatis certò scire, quod fundant conjecturalem cognitionem non respectu sui intellectus, sed aliorum. Quamvis autem, ut dixi, in hoc sensu ab eis intento verum dicant, non tamen propriè loquun-

Digitized by Google

loquuntur, unde ad omnem præcludendam occasionem, quam aliqui impugnandi causa sumunt, nullo modo dicendum est Deum cognoscere aliqua futura conditionata conjecturaliter; sed semper affirmetur cognoscere Deum omnia futura conditionata certissimè, quoad hoc, quod appositis præcisè illis conditionibus sint, vel non sint futura ut modò dixi. Scit enim certò quòd ante decretum voluntatis suæ volentis, vel permittentis, quòd sint illa futura libera, illa non erunt. Hoc enim, ut sæpè diximus in regulis, certissimè Deus scit, cum quo stat, quod hoc non revelet in Scriptura, sed tantùm quòd futura sint secundum dispositionem dumtaxat suarum causarum proximarum.

Jam ergo in particulari ad quemlibet inductum locum descendamus, & ad particularia testimonia veniamus. Primus locus adducebatur ex illo 1. Reg. 23. & continebat consultationem, qua David Dominum consuluit, si traderent eum viri Ceïlæ, & si descenderet Saül? cui Dominus respondit, tradent. Cujus loci sit prima intelligentia, certam ibi futuram traditionem cognovisse Deum, quia ita decreverat permittere ut viri Ceïlæ traderent David Saüli, si ipse Saül descendisset, quod est valde observandum. Unde nec in illa nuda conditione descensus Saülis, nec in comprehensione arbitrij illorum virorum tantùm illam futuram traditionem cognovit Dominus (ut defensores hujus mediæ scientiæ sine fundamento aliquo imaginantur) sed quia ita decreverat Deus permittere si ibi David maneret. Secundò dicitur Dominum non respondisse illud ita infallibilitet futurum, sed respondisse id ita eventurum secundùm exigentiam & dispositiones proximarum causarum, propositi videlicet Saülis, & deliberationis virorum Ceïlæ, sicut Isaïæ 38. prænunciatur Regi Ezechiæ, *morte morieris & non vives*, secundùm prophetiam comminationis, quæ dicit id quod est in dispositione proximarum causarum, ut modo diximus. Unde dicendum Davidem de hoc interrogasse Dominum: An Saül animo pararet descendere, & an viri Ceïlæ haberent propositum illum tradendi; & ad hoc respondisse Dominum, Saülem videlicet decrevisse descendere, & viros Ceïlæ determinasse illum tradere. Unde non jam futurum sed id quod de præsenti erat revelatum fuit.

Verùm contra prædictam solutionem & intelligentiam opponit Author operis tripartiti lib. 1. prolog. 2. cap. 5. §. 2. quod præter ea quæ dici possunt generaliter de vanitate & indecentia decretorum conditionatorum, quæ nec in Scriptura, nec in effectibus divinæ providentiæ fundari possunt, in particulari tale decretum non potest supradicto testimonio Scripturæ accommodari, cùm enim actiones illæ Saülis, & virorũ Ceilæ peccaminosæ essent pro eis constitui in Deo tale decretum non potest. Ad quod tamen dicendum non otiosè, nec indecenter illa decreta constitui in Deo, ut manet ostensum. Quinimo ipsa fundari in Scriptura ita manifestè constat, ut illa negari omnino non possint pro certa tradenda talium futurorum cognitione, nisi ab illis qui contra divinam causalitatem & gratiam illam mediam scientiam de novo introducunt. Quod ex dictis satis relinquitur manifestum, & ampliùs ex dicendis manifestabitur. Nec argumentum oppositum aliquid probat, quia licet illorum virorum actiones essent peccaminosæ, decreverat tamen Deus illas permittere & actiones illas quatenùs actiones sunt, quia ut sic bonæ sunt, efficere atque causare, nullo modo causando malitiam: ut copiosiùs lib. 2. & 3. ostensuri sumus.

Secundus locus inducebatur ex 3. Reg. 11. ubi Dominus futurum pronuntiavit filiis Israël, quòd si ingrederentur ad mulieres alienigenas certissimè sequerentur Deos ipsarum, cujus similiter vera intelligentia est quòd Deus certam & infallibilem cognitionem de illo conditionato futuro habuit illamque pronuntiavit, & ita evenisse alio loco Scriptura demonstrat. Hoc autem certissimè cognovit in divinæ voluntatis permissione, quia permittere decreverat illos à fide deficere si contra divinum præceptum ad alienigenas ingrederentur; & simul in decreto quo decreverat efficere & causare prædictas actiones, non quatenùs peccata, sed quatenùs actiones sunt.

Tertius locus erat ille jam nunc relatus ex 4. Reg. 13. *si percussisses quinquies aut sexies sive septies, percussisses Syriam &c.* quem debere necessario intelligi supposito decreto divinæ voluntatis manifestavimus suprà. Sed video Recentiores asserere quòd quando per conditionem importatur disparata causalitas & illatio, ut in isto loco apparet, tunc illæ conditionales non sunt scibiles; at verò si in illis importetur sola concomitantia vel coexistentia illarum duarum rerum in ordine ad eandem durationem, tunc in eis est determinata veritas & certò potest cognosci; unde dicunt quòd prædictus locus non dicit cognitionem causalem, sed concomitantiam solùm, quæ sic explicatur. Percutiente te terram percuties Syriam. Sed hic Author ut effugiat divinum decretum quo decreverat Deus, quod si Rex percuteret terram, devastaret & Syriam, videns ex alia parte disparatam illationem inter futurum eventum & conditionem, negat illam propositionem in sensu conditionali & illativo contra expressum textum & formam, quam importat. Sed gratis omnino admittendo locum, non causaliter & illativè, sed concomitanter sive coexistenter sumi, dicat nobis unde hoc Deus cognoscit, quòd videlicet percutiente Rege terram coexisteret simul percussio Syriæ? Vel hoc cognovit Deus post decretum suæ voluntatis, quo decreverat simul illa duo existere? Vel cognovit hoc ante suæ voluntatis decretum? Si primum concedatur, habetur intentum. Si secundum verò dicitur, quomodo vult persuadere Deum illud certò cognovisse ante suæ voluntatis decretum, cum illa duo ex meritis propriis coexistentiam simul non habeant: nec enim hic potest patere recursus ad decretum omnino absolutum, quia illa duo expressa in illo loco Scripturæ, nempe & percussio sexies vel septies, & devastatio totius Syriæ non coextiterunt aliquando in tempore, ut per scientiam visionis illorum duorum coexistentia videretur post absolutum divinum decretum, ut est apertissimum. Necesse est ergo fateatur illam illorum duorum coexistentiam certò futuram, si illa prior percussio terræ poneretur certò à Deo cognitam fuisse, quia ita ipse decreverat ut fieret Syriæ devastatio, si Rex sexies vel septies terram percuteret.

Ad illud Genes. 11. Respondeo ibi revelasse Dominum illud quod erat in dispositione proximarum causarum, videlicet deliberationis & pertinaciæ ipsorum, unde in Hebræo habetur, *& nunc non prohibetur ab eis omne quod cogitaverunt*: Et in paraphrasi Caldaïca dicitur quid simile, & apud Septuaginta habetur, *& nunc non deficient ab eis, omnia quæcumque aggressuri sunt, facient*; Nostra autem Vulgata, *nec desistent &c.* quæ omnes lectiones significare videntur, non prædici illud futurum, ut infallibiliter futurum, sed tantùm ut futurum secundùm exigentiam & dispositionem secundarum causarum. Cui expositioni consonat Cyrillus lib. 4. in Genes. & S. Chrysostomus exponens eadem verba. Quod si illud à Deo certò cognosci, & ibi tradi dicatur, tunc dicendũ id certò à Deo cognitum fuisse & certò revelatum, quia ita decreverat Deus tunc permittere; tum etiam ad illas actiones quatenùs actiones sunt non quatenùs peccata concurrere, illas efficiendo atque causando, ut dictum est.

Quartò opponebatur locus ille Sapient. cap. 14. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus.* Quem locum inter explicandam mentem D. Augustini contra mediam scientiam satis credimus explanatum. Si enim intelligatur esse dictum ante divinæ voluntatis

decretum

decretum, fuit dictum secundùm communia pericula vitæ, non secundùm certam præscientiam; si autem intelligatur post decretum divinæ voluntatis quo statuerat permittere infantem illum, si diutius viveret peccare, certissimè dictum fuit secundùm præscientiam præsupponentem decretum tale. Hac etiam ratione explicantur & intelliguntur illa alia sequentia loca quæ adducebantur usque ad illud, si in Tyro, &c.

Alia plurima sunt Scripturæ testimonia quæ futura conditionata prædicunt, sicut est illud Joan. 6. *Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent, ut facerent eum Regem fugit iterum in montem.* Cognovit ergo Christus quod, si mansisset, venturi illi fuissent ut facerent eum Regem: Et illud Matth. 26. *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum?* Cognovit ergo Christus, quod si petivisset illas legiones à Patre, illas sibi Pater concederet, quod profectò si præscivit, in decreto quo id Pater statuerat facere, si Christus postularet, præscivit, ut jam supra tetigimus, nec opus est alia multa conditionata futura, vel formaliter, vel virtualiter in Scriptura posita multiplicare, quia juxta regulas supra assignatas proportionabiliter intelligenda sunt & explicanda, sicut est illud Lucæ 16. *Si Moysen & Prophetas non audierunt, neque si quis ex mortuis resurgeret credent.* In quo conditionato explicatur prædicationis verbi Dei propria natura, quæ talis est, ut non magis efficaciter hominem trahat ad credendum proposita per surgentem à mortuis, quam per Moysen & Prophetas: neutro enim modo ipsa sola magis in uno quàm in altero credulitatem efficeret. Itaque supposito, quòd Deus nollet efficax auxilium dare hominibus ad credendum, neutræ predicationi credent, nec factæ per Moysen & Prophetas, nec per eum qui à mortuis resurgat.

Verùm non omittendum quod Author operis ttipartiti cit. superiùs loco nempe in illo cap. 5. dicit in §. 3. *possumus*, ubi explicans illud Hierem. 38. dictum Sedeciæ. *Si exieris ad Principes Regis Babilonis, vivet anima tua*, sic ait: *In illo facilè dici potest decrevisse Deum lenire & mutare cor Regis Babilonis si Sedecias se illi dedisset, quamvis enim id probari non possit, nec etiam à nobis improbari potest, quia potuit Deus id decernere absolutè, quia sine peccato fieri poterat, & postea posset idem facere sine læsione liberi arbitrij per aliquam motionem & cogitationem congruam.* Hæc ille. Quibus duo dicit notanda quæ contra proprium Authorem militant: Primum facilè decretum posse in illo loco Scripturæ fundari, nec ab eis posse impugnari: non ergo verum est quod ipse in eodem cap. præmisit, nimirum illa decreta esse otiosa & indecentia in Deo: nam quod in Deo otiosè & indecenter ponitur, optimè potest, imò & debet impugnari. Secundum est quod absolutum & efficax decretum ante omnem præscientiam conditionatam non tollit libertatem, quod sicut verissimum est, ita est contra dictum Authorem in opusc. ubi dicit tale absolutum decretum tollere libertatem; sed hanc & similes hujus Authoris contradictiones omitto.

CAPUT XXVII.

Variæ traduntur explicationes illius loci, si in Tyro & Sidone, &c. & ea quæ est Recentiorum confutatur.

PRÆCIPUUS in hac materia locus quem Recentiores inducunt pro sua media scientia est ille notissimus: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaïda, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœnitentiam egissent*: Ex quo pro certo asserunt cognovisse Christum certò & infallibiliter illarum gentium futuram pœnitentiam, si tamen ipsis Christus prædicaret, & virtutes faceret. Cujus testimonii omnes omni tempore datas falsò explicationes breviter enumerabo. Prima refertur à S. P. Augustino lib. de dono perseverantiæ cap. 9. ubi ait, disputatorem quemdam Catholicum ita illum locum intellexisse, quod ideò Deus non decrevit ut Tyriis & Sidoniis Evangelium prædicaretur, etiam post illam præscientiam qua præviderat illos credituros si eis proponeretur, quia simul præviderat Deus illos in fide non permansuros, sed eam turpiùs rejecturos. De qua expositione sic S. Thomas ait super cap: 11. Matth. ad cit. verba. *Tertiam expositionem ponit Augustinus. Quòd præscivit Dominus, quòd si credidissent non perseverassent in tempore passionis, & ideo ad eos non misit.* Quod autem dicit hanc expositionem ponere Augustinum manifestè intelligit illam aliorum nomine retulisse, nam immediatè ad hoc ostendendum apposuit: *Alia est expositio Augustini, &c.* Quæ intelligentia invenitur in Origene lib. 3. Periarchon. cap. 1.

Ista Origenis explicatio eò tendebat ut sustineret id quod Semipelagiani dicebant; nempe quod Evangelium eis prædicatum fuit, qui prævidebantur crediturì, si eis proponeretur. Cui sententiæ cum viderent maximè adversari illud de Tyriis & Sidoniis à Christo Domino pronuntiatum, confugiebant ad hanc modò datam explicationem. In qua ex alia præscientia abnegationis fidei dicebant, non illis fuisse Evangelium prædicatum; ne videlicet duriùs punirentur, si Evangelio prædicato & recepto, illud posteà abnegassent. Verùm expositio ista merè voluntaria est & imaginaria; in quo enim fundari poterant, vel unde deducebant non permansuros illos in fide idque Deum prævidisse, si eis fuisset Evangelium prædicatum, cum potiùs ex citato Scripturæ testimonio, de hoc constet, quod fidem reciperent; de alio autem nihil penitùs insinuetur. Unde illam utpotè fictitiam evasionem S. Augustinus relato loco revincit, ex eo quod si illis Evangelium ideò prædicatum non fuit, ne graviùs postea cadendo delinquerent, constat illam negationem Evangelij favorem potiùs fuisse, quàm pœnam; & sic falsò dicebant Semipelagiani punire Deum peccata sub conditione prævisa. Juxta enim illorum sententiam potiùs esset dicendum ob id illis Evangelium non fuisse prædicatum, quia id merebantur propter illum malum usum prævisum negationis fidei, si eis Evangelium fuisset propositum, illudque recepissent, & tamen revera hæc non pœna sed favor fuisset.

Secundò, si Deus prævidens lapsuros Tyrios post receptam fidem, voluit eorum majorem ruinam evitare, meliùs certè cum eis ageret ad fidem eos trahendo in primis per Evangelij prædicationē & internum auxilium, & statim eos rapiendo, ne malitia mutaret intellectum eorum, fidem abnegando. Certè hoc potiùs meruissent per fidem, quam adhibuissent de facto Evangelio prædicato, quàm potuerint demereri post Evangelij prædicationem per inconstantiam in fide sub conditione tantùm prævisam: potissimè quia juxta Semipelagianorum sententiam eadem fides sub conditione prævisa potest esse ratio obtinendi prædicationem Evangelij, & postea exhibita vel absolutè prævisa poterat esse meritum aliorum subsequentium donorum.

Præterea cum non sit minùs meritoria fides, quàm sit demeritoria inconstantia in fide; quomodo inconstantia, quæ posteriùs futura prævidetur, potest impedire ne fides priùs futura suum præmium consequatur.

Insuper in ista explicatione non minima apparet contradictio præter hanc modò relatam. Quia idem peccatum apostasiæ à fide sub conditione prævisum simul ponitur causa demeritoria prædicationis Evangelij

Digitized by Google

gelij quam futura fides merebatur; & simul dicitur esse causa ob quam Deus non dat hominibus majorem occasionem ruinæ. Cùm autem illud primum pœna sit & punitio; hoc autem secundum favor & donum, fit consequèter ut apostasia à fide prævisa sub conditione utriusque sit causa; quo nihil potest dici absurdius, præter contradictionem quam implicat.

Tandem, qua ratione isti duas illas præscientias sub conditione constituunt; & fidei videlicet, si eis Evangelium proponeretur, & abnegationis à fide, si illam receperint, quare non poterit, quis eadem ratione aliam tertiam præscientiam imaginari, & dicere etiam tertiò præsciviſse Deum illos post abnegatam fidem iterum se conversuros & pœnitentiã acturos, & in ea permansuros? Et sic eadem protsus ratione poterit quis in his præscientiis conditionatis in infinitum ire, si liceat hujusmodi sine fundamento confingere. Nec enim major est, aut esse potest ratio de illa secunda præscientia admissa, quam de aliis in infinitum admittendis. Igitur hæc explicatio ob dicta est penitus absurda; Nec dubito quin contra illud (si in Tyro & Sidone) sit excogitata, tantùm abest, quòd illius sensum exponat.

Secunda expositio fuit Ruperti lib. 9. de gloria & honore filij hominis, dicentis Tyrios & Sidonios non fuisse veram pœnitentiam acturos, sed humanam, ad vitandum temporale supplicium, & ideo Deum illis talem fidem non dediſse, nec Evangelij prædicationem misisse, hæc enim ejus verba sunt: *Quæ omnino daturus fuisset Christus, si illi essent veram pœnitentiam acturi, aliàs non verè diceretur velle eos salvare.* Sed ista expositio conformis textui non est, imò illi videtur contraria; Christus enim apertè dicit, quod in cilicio & cinere pœnitentiam egissent: verè ergo pœniterent ad Christi prædicationem, si eis adhiberetur. Imò nisi id dicamus, nec intentio Christi exprobantis duritiem Judæorum teneret, si Tyrij verè non convertentur. Unde S. P. Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. 9. de illis gentibus dicit fuisse à Deo salvandas si opera nunquam futura & sub conditione prævisa digna remuneratione essent. Et infrà ait: Dubitari non posse eos fuisse crediturос cum Dominus atteſtetur fuisse acturos magnæ humilitatis pœnitentiam. Fallit etiam prædicta expositio inferens Deum daturum illis illa auxilia ex eo quod vult omnes homines salvos fieri, quia illa auxilia efficacia essent sine dubio: quia per illa illi converterentur: at efficacia auxilia non omnibus dat, etiamsi velit omnes salvos fieri, ut notum est. An verò det in virtute illius conditionatæ volitionis & antecedentis voluntatis omnibus auxilia sufficientia suo loco dicemus in quarto nostro libro.

Tertia expositio est Remigij dicentis, quod licet ex Tyro & Sidone plures credidissent in majori multitudine, tamen apud eos etiam aliqui perversi erant, qui nondum erant parati ad credendum, ideo non misit primò ad eos. Sed nec ista videtur satis facere, quamvis à S. Thoma ad illum locum Matth. 11. referatur, nec impugnetur; sed nec approbatur, nec approbanda videtur, quia si pro majori parte illi credidissent, non eis debebant esse impedimentum pauciores alij, qui prædicationi resisterent; aliàs si ista ratio subsisteret, quibus in partibus prædicatum esset Evangelium, cùm semper aliqui contradictores extiterint? imò teſtante Scriptura prædicante Paulo cor Dominus aperuit solius mulieris unius ut attenderet his quæ à Paulo dicebantur contradicentibus aliis.

Post has tres explicationes illud addiderim, Remigium apud S. Thomam in catena ad istum locum Matth. Theophilactum & Liranum in glosa ad eundem locum, asserere hoc quod Christus Dominus in eo teſtimonio docuit, impletum fuisse, cum posteà prædicantibus Apostolis Tyrij & Sidones crediderunt, ut patet Actuum 11. quod tamen sic debet intelligi, quod in regionibus illis postea per Apostolorũ prædicationem, & illarum gentium conversionem fuit impletum quod crediderunt; non autem quod tunc fuit impletum hoc teſtimonium de quo Christus loquebatur, quia in hoc teſtimonio non loquitur Christus de futura postea conversione illarum gentium fienda per Apostolos; sed de illa quæ fieret in prioribus gentibus illarum civitatum si per Christum Dominum eis Evangelium prædicaretur, quibus tamen prædicatum non fuit, ut ex litera apertè patet & Sancti, potissimè Sanctus Augustinus exponit: quando ergo postea prædicantibus Apostolis crediderunt, in hoc teſtificati sunt, quod si Christus eis prædicaret & illius signa viderent, etiam credidissent, & hoc modo rei probavit eventus verùm fuisse quod Christus prædixerat, & sic inducti Doctores intelligunt, & explicari debent.

Quarta explicatio & intelligentia est, illud non fuisse à Christo pronunciatum ut certò futurum, sed secundùm vulgarem modum loquendi, quo dicere solemus ad exprobrandum factum aliquod fideli, Paganus hoc non feciſſet; sic Christus ad exprobrationem Judæorum dixit, quod Tyrij converterentur. Insinuat Jansenius hanc explicationem in concord. cap. 47. illamque ut tollerabilem permittit.

Fuit quinta explicatio Calvini, ut refert Stapletonius ad illum locum Matth. 11. qui asserit locutum quidem fuisse Christum Dominum asserendo & affirmando, sed non ut certò futurum ex certa præscientia cognitum. Hæc tamen, quia à Calvino traditur damnata explicatio non est, vel damnanda, quia priùs illam tradidit Hilarius, & multi viri docti Catholici eandem acceptant ex modernis; inter quos illam constanter defendit contra Stapletonium Magister Curiel.

His ergo omissis explicationibus est sexta Recentiorum dicentium certò cognoviſse Christum illarum gentium futuram conversionem, si tamen Christus ipsis prædicaret.

Ad quod nos respondemus verissimum esse & ex S. P. Augustini expressa sententia cognoviſse Christum certissimè & infallibiliter illarum gentium futuram conversionem & pœnitentiam, si tamen eis ipse prædicaret, & apud illos virtutes tales faceret. Unde quia de hoc summa inter nos & illos convenientia est, in hoc immorari ampliùs non oportet, quare nullam ex quinque prioribus acceptamus.

Aliud etiam secundò pro certo & indubitato supponamus Christum Dominum non habuisse certam cognitionem illius futuri conditionati, nec in exteriori Evangelij prædicatione, nec in virtutibus & miraculis externis, nec in libero arbitrio illarum gentium, quod à Christo certò præsciretur crediturum positis tantùm illis verbis & signis exterioribus. Quod ita est certum, ut etiam Authores cum quibus disputamus, non dubitent contrarium apertè Pelagianum appellare, sicut revera Pelagianum esset asserere solam exteriorem legem atque doctrinam sufficere ad conversionem.

His igitur duobus firmis fundamentis propositis, & quòd Christus certissimè tale conditionatum futurum cognovit, & quòd id non cognovit in illis signis externis dumtaxat, quæ non causæ, sed conditiones tantùm essent conversionis illarum gentium.

Illud primò fit manifestum, Recentiores qui hoc inducunt teſtimonium si præcisè in verbis materialibus illius insistant, & nihil aliud præsupponant interiùs quod causaret illarum gentium conversionem, tunc apertè cum Pelagianis convenire, quod cum ipsi non dicant, necesse est quod præter illas conditiones

Digitized by Google

ditiones expressas aliquid aliud constituant per quod gentes illæ converterentur. Sicut ergo ipsi necessariò auxilium dans tantùm posse interiùs, quo illæ gentes ex sua innata libertate uterentur si eis Christus prædicaret admittunt: ita nos qui putamus per hoc auxilium dans tantùm posse neminem converti, nec id sciri certò à Christo posse, admittimus internum auxilium ex Deo efficax dans ipsam conversionem, quod si Christus illis gentibus prædicaret certò cognovisset se illis daturum ut crederent: & in hoc & per hoc certò cognovit illos homines credituros: itaque tota controversia ad hoc reducitur quod ij authores dicunt certò sciviſſe Christum, quòd si illis gentibus prædicaret, & coram eis illas virtutes faceret quas alibi fecit, Deus illis daret auxilium tribuens posse tantùm, & illi converterentur, vel & in idem redit, dicunt hi authores sciviſſe Christum illarum gentium conversionem in vocatione quam dicunt congruam, cujus congruitatis efficacia ab homine pendeat. Nos autem asserimus id certò Christum Dominum cognoviſſe in decreto quo decreverat illis gentibus efficax ex Deo ipso auxilium tribuere, quo de facto certò converterentur, quod maximè illis gentibus congrueret. Quæ autem sit legitima intelligentia ex his duabus jam de se fit manifestum, quia prima constituit quòd homo si ei Evangelium prædicaretur, ex se uteretur benè auxilio illo, & illud efficax redderet, & sic salvaretur. Secunda autem tenet & docet illarum gentium futuram conversionem in illo casu debere procedere ex efficaci Dei auxilio, quo Deus illos tunc ad se converteret. Sicut ergo asserere quod auxilium ex Deo tantum sit dans posse ad conversionem, & quod ex homine ad id habeat efficaciam in errorem prorumpit Pelagianorum, ut infra erit apertissimè demonstrandum ex professo in quarto hujus operis libro: ita sic explicare prædictum scripturæ testimonium de solo interiori auxilio dante tantùm posse absque dubio in eundem relabi videtur errorem. Parique ratione sicut ex catholica veritate defenditur auxilium quo homines convertuntur, ex Deo ipso ad id efficaciam habere, ita de hoc auxilio efficaci intelligere, & explicare prædictum scripturæ testimonium, erit catholica & legitima illius loci interpretatio.

Sed explicemus ampliùs quomodo prædicti authores inductũ testimonium explicent, & intelligant. Dicunt (si omnia eorum principia diligenter expendas) intelligentiam illius loci esse, quòd Christus præscivit Tyrios, & Sidonios, si coram eis fierent prædicationes, & miracula illa suis mentibus congrua ipsos esse consensuros credulitate naturali, & minimè ad salutem pertinente, vel saltem ex se benè cogitaturos circa illa quæ proponuntur per exteriorem doctrinam credenda & amplectenda: & tunc facientibus totum quod in se est circa illa credenda, Deus certa lege daret excitantem gratiam quam vocant interiorem, ut illa facerent prout ad salutem oportet. Rursus certò præsciviſſe Christum quod data illis tali gratia excitante ad salutem, ipsi ex sua innata libertate certissimè illa benè uterentur, & sic certissimè salvarentur. Hæc est tota & plena intelligentia, quam huic loco adscribunt.

At verò ista explicatio in tribus quæ continet si advertere velint Pelagianorum errorem fundare & sequi videtur. Nam illud primum quod præsupponitur, posse nimirum hominem sola naturæ facultate, posita exteriori tantùm verbi Dei prædicatione, assentiri omnibus revelatis secundũ quod & ut revelata proponuntur, & ea ratione qua a Deo dicuntur revelata, (ut infra apertè monstrabimus) Pelagianorum est error. Secundum verò quod admittitur, videlicet, facienti totum quod in se est ex solis naturæ viribus, per cogitationem vel consensum circa illa quæ supponuntur credenda, certa lege à Deo dari prævenientem gratiam, error est eorundem cõstituentium prima gratiæ dona sub naturæ aliquo merito priori: quod etiam apertè in quarto hujus operis libro erit convincendum. Parique ratione illud tertium & ultimum quod cõcluditur: præsciviſſe nimirum Christum Dominum omnes illos benè usuros ex sua innata libertate illa excitãte interiori gratia, & sic convertendos: non autem præsciiſſe illos convertendos in illo casu ex efficaci auxilio gratiæ, quo Deus illos præveniret, & ad se converteret, error est Pelagianorum vel Semipelagianorum asserentium Deum dare posse sive per legem, sive per doctrinam, sive per interiorem revelationem, ostensionem, & stupentis voluntatis excitationem: velle autem, & operari, & ipsum converti esse ex homine, qui illo posse ex sua innata libertate benè utitur. Igitur prædictã explicatio, & intelligentia in omnibus quibus nititur & fundatur, ab omnibus vitanda est atque fugienda.

CAPUT XXVIII.

Vera illius loci S. Scripturæ Matthæi 11. *& Lucæ* 10. Si in Tyro & Sydone, &c. *traditur explicatio, præsertim ex D. Augustino.*

HAc igitur de medio sublata falsa interpretatione firmiter tenendum est, & nullatenus dubitandum Christum certò præsciviſſe illarum gentium conversionem, & pœnitentiam si coram eis prædicaret & virtutes illas faceret, quas alibi fecit; firmiter inquam non fidei firmitate, ut dictum est supra, quia illa quinta explicatio nihil continet contra fidem, sed firmitate doctrinæ S. P. Augustini, cujus sicut in omnibus magna authoritas est, ita potissimè in his materiis talis ac tanta cognoscitur, ut firmiter & sine aliqua dubitatione illius sententiæ sit adhærendum: firmiter etiam tenendum tunc præsciviſſe Christum Dominum dona sua, & id quod ipse daturus esset, ut illæ gentes crederent: & ex consequenti id certò præsciviſſe Dominum in decreto suæ divinæ voluntatis, quo decreverat illos convertere, & illis efficax auxilium suæ gratiæ impendere si tamen eis prædicaret: licet ob alta suæ prædicationis mysteria nec illos voluerit convertere, nec illis prædicare aut virtutes coram eis facere.

Duo ergo ostendenda sunt. Primum quæ fuerit Domini intentio in citatis locis. Secundũ quomodo ejus verba sint intelligenda. Circa primum, Dominus tria intendit excludere, primum quod peccata & pœnæ illis debitæ æquales sint, quod excludit cum dicit quòd remissius agetur, &c. Secũdum quòd non salvantur, nisi quos præscivit credituros si eis Evangelium prædicaretur, quod excludit per hoc dictum de Tyriis & Sidoniis. Tertium illorum errorem excludit qui dicebant (& isti Semipelagiani fuerunt, ut constat ex Epistola Prosperi & Hilarij ad S. P. Augustinum) quod Dominus tantùm misit Judæis, & non aliis Prædicatores, quia sciebat quod alij non crederent. Quod manifestè excludit per hoc testimonium de Tyriis & Sidoniis, qui prævisi sunt credituri si eis prædicaretur, nec tamen eis tunc prædicatum est. Quo testimonio motus S. P. Augustinus illam suam priorem mutavit sententiam qua in lib. de sex quæst. Paganorum dixerat noluisse Christum prædicare Evangelium suum illis, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præsciebat. Hanc enim mutasse sententiam ipsemet dicit lib. de don. perseverantiæ cap. 9. sub his verbis: *Numquid dicturi sumus, quod libro illo dixi, ubi sex quibusdam quæstionibus Paganorũ, &c. sine præjudicio tamẽ aliarũ causarum, quas prudentes possunt investigare, respondi.*

Digitized by Google

Et post pauca referens verba quæ priùs in illo libro dixerat sic ait. *Item paulò post in eodem libro eadem quæstione: quid mirum, inquam, si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus sæculis noverat ut eis prædicari meritò nollet, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præsciebat; Hæc certè de Tyro, & Sidone non possumus dicere.* Quid clariùs ad ostendendum Sanctum Doctorem illam priorem mutasse sententiam? Unde S. Thomas 3. p. q. 1. art. 5. ad 2. postquam retulisset S. P. Augustinum illam priorem sententiam tenuisse, de eodem S. P. August. hæc verba subdit: *sed hanc responsionem reprobans in libro de perseverantia dicit: Nunquid possumus dicere Tyrios, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent; cùm ipse Deus attestetur eis, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum? Proinde ut ipse solvens subdit, sicut Apostolus ait, non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei, qui hos quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit subvenit; alios autem non subvenit, de quibus in sua prædestinatione, occultè quidem sed aliud, ustè judicavit: ita misericordiam ejus, in his qui liberantur, & veritatem in his qui puniuntur, sine dubitatione credamus:* hæc S. Thomas.

Opponet quis forsan non mutasse S. Augustinum sententiam, sed illam potiùs explicasse, quod ipse testari videtur libro de prædest. Sanct. c. 9. cujus verba inducta sunt supra, cum ex ipso ostendimus impugnatam scientiam hanc mediam. Ad quod dicendum aliud esse quod in illo cap. 9. de prædest. Sanct. verum dixisse confirmat, quodque magis ibi exponit, & aliud quod libro de don. persever. retractat. Illud primum est, nihil esse verius quam præscisse Christum, qui prædicato Evangelio in eum essent crediturí, post decretum scilicet suæ divinæ voluntatis. Secundum est, ideò noluisse Christum prædicari Evangelium, quia homines præscivit non credituros, & hoc est quod cit. loco de dono perseverantiæ mutavit, ut ejus expressa verba testantur, & S. Thomas apertissimè docet. Nec quis miretur priorem illam sententiam tenuisse Augustinum quia hæc est ejus S. Patris & Doctoris eximij laus magna, quòd sententiam quam antè exortam hæresim Pelagij in hac parte tenuit illam posteà efficacissimè impugnavit, sicut egregiè impugnavit quòd initium fidei sit ex nobis, quod tamen antea se sensisse docet expressè lib. de prædestinatione Sanctorum.

Cognita autem intentione Christi in illo loco illud secundum, quomodo videlicet ejus verba sint intelligendâ, jam ostendamus quod illarum gentium futuram pœnitentiam cognovit in efficacia gratiæ, quæ illis tunc data fuisset, quæ est manifesta doctrina S. August. cap. 9. de prædest. Sanct. & 9. de don. pers. Sicut enim in primo loco apertè monstravit præsciviss Christum, qui, & ubi in illum erant crediturí si eis Evangelium prædicaretur, non ante sed post electionem, & decretum divinæ voluntatis id hominibus tribuentis: ita in secundo loco hoc ipsum confirmans docet Tyrios, & Sidonios fuisse certò à Christo præscitos credituros, & pœnitentiam acturos, si eis Christus prædicaret & coram eis virtutes faceret, non antè, sed post decretum, & electionem suæ voluntatis, quo decreverat illos convertere, & suaviter atque efficaciter ad se trahere, si illæ conditiones, quæ adhibitæ non fuerunt, adhiberentur. Unde ipse S. P. August in cap. 14. de dono pers. ita concludit. *Verum quod dixit Dominus de Tyriis & Sidoniis aliquo alio modo potest fortasse intelligi: neminem tamen venire ad Christum, nisi cui fuerit datum, & eis dari, qui in illo electi sunt ante constitutionem mundi, procul dubio confitetur, à quo non surdis auribus cordis eloquium divinum auribus carnis auditur.* Quibus apertissimis verbis concludit, quod quomodocunque intelligatur illud de Tyriis & Sidoniis, hoc apud omnes fideles debet esse certum neminem venire ad Christum nisi cui fuerit datum, & nemini dari qui non sit electus, à Deo ante mundi constitutionem. Ex quo loco de absoluto futuro translata consequentia ad futurum conditionatum fit evidens, quòd si nemo venit ad Christum nisi cui fuerit datum à divina electione, ita nemo veniet ad Christum si ei Evangelium prædicetur, nisi ex divina electione volente trahere, si ei Evangelium prædicetur. Sicut enim absolutè futurum dependet ab absoluto decreto divino id volente, ita sub conditione futurum à divino decreto pendet, quo Deus voluit id esse futurum, si tales conditiones apponerentur.

Nec est diversa ratio utriusque, ut quidam imaginantur: tum quia neutrum sine tali decreto habebit determinatâ veritatem ut certò cognoscatur: Tum quia sicut absolutè futurum est in aliqua differentia temporis quia Deus vult: ita sub conditione esset in aliqua temporis differentia quia Deus id vellet, & non aliàs, & ex consequenti nec esset certò scibile à Christo quòd Tyrij & Sydonij venirent prædicato eis Evangelio, nisi sciret quod Deus illos ad se trahere vellet, si eis Evangelium prædicaretur. Unde iterum in eodem cap. concludit Augustinus: *Audiunt enim hæc, & faciunt quibus datum est, non autem faciunt sive audiant sive non audiant quibus non datum est.* Si non faciunt, qui audiunt Evangelium si eis non datum est; ergo non possunt præsciri quod facient si eis Evangelium prædicetur, nisi præsciatur, quod eis tunc daretur: ergo ante decretum divinæ voluntatis volentis convertere efficaciter Tyrios, si eis Evangelium prædicaretur, impossibile fuit præsciviss Christum illos ex se crediturós & benè usuros excitante gratia, ut converterentur. Nihil certè in S. P. August. est magis tritum, quàm etiam præscientiam sequi ad divinæ voluntatis decretum, nec ante illud posse sciri bonum usum arbitrij utentis ex sua libertate donis gratiæ illis indifferentibus, & non efficacibus. Præterea in verbis S. P. Augustini modò relatis à S. Thoma id fit apertissimum: quæ non repetenda, sed attendenda sunt.

Idem Sanctus Thomas docet, & similimodo prædictum testimonium intelligit in 3. dist. prima quæst. 1. art. 4. solutione ad quartum. Sic enim quarto loco opposuerat. *Item 1. Timoth. 2. dicitur quod vult Deus omnes homines salvos fieri; sed si Christus ante incarnatus fuisset multis ad salutem magis via patuisset, ut dicitur Matth. 11. Si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, olim pœnitentiam egissent: ergo videtur quod Deus ante incarnari debuerat.* Et huic argumento ita respondet. *Ad quartum dicendum quod nulli eorum qui præordinati erant ab æterno etiam ante Christi incarnationem perierunt, nec etiam aliquis non prædestinatus quandocumque incarnatio fuisset, salvus esset, si tamen aliquod remedium præberetur non prædestinato, quod prædestinato datur, scilicet finalis gratia, ille etiam salvaretur, sed tamen hoc antecedens est incompossibile ei quod est eum non esse prædestinatum. Unde sic est vera ista, si Christus prædicasset alicui præscito, ille pœnitentiam egisset, sicut ista, si gratia sibi daretur, pœnitentiam ageret: sed utriusque antecedens est incompossibile præscientiæ condemnationis; & ideo quærere quare Christus illi non prædicavit, vel quare gratiam illi non apposuit, est idem quod quærere prædestinationis causam quæ nulla est nisi voluntas Dei.* Hæc sanctus Thomas. Quibus satis clarè ostendit, quòd illud, *si in Tyro, & Sidone &c.* in argumento oppositum, dictum de illis reprobis, dicitur à Christo quod pœnitentiam egissent, si eis

Digitized by Google

Evangelium prædicaretur, id est, si eis gratia daretur. Et explicans quænam gratia illa esse deberet, asserit quod deberet esse talis, ut illos converteret, quæ sine dubio efficax ex Deo est. Et ad hoc præmiserat, quod si reprobis daretur illa gratia quæ datur electis, scilicet finalis gratia, reprobi salvarentur, sed quod est incompossibile hoc cum eorum reprobatione. Certum est ergo S. Thomam per illam conditionem (Si eis Evangelium hoc prædicaretur, id est Tyriis, & Sidoniis) intellexisse etiam si eis efficax gratia daretur, in quo Christus illorum certam futuram pœnitentiam cognovit: parique ratione in 3. p. cit. superiùs loco, in quo verba inducit S. P. Augustini ipsum de certa & infallibili præscientia futuræ conversionis illarum gentium, si ipsis fuisset Evangelium prædicatum, intelligit & interpretatur. Unde quod Author operis tripartiti citatis locis negat in hoc testimonio Christi Domini esse divinum decretum de convertendis illis gentibus contra Sanctum Augustinum & Th. id dicit. Nec enim ut arbitratur, negandum est divinum decretum de objecto conditionato illius quod homines liberè facturi sunt, imò est sine dubio astruendum & ponendum, quia per illud facturus esset Deus, ut homines liberè facerent ut superiùs dictum est.

CAPUT XXIX.

Solvuntur argumenta contra prædictam explicationem.

TRIA sunt potissima argumenta quibus hi Authores suam priorem interpretationem defendunt, & huic modò fundatæ contrariantur. Alterum est, quia ut dicunt, ista interpretatio modò tradita S. August. contrariatur cap. 14. de don. persever. ubi loquens de Tyriis, & Sidoniis ita dicit. *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ quo inducantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant;* ergo Tyrij, & Sidonij si eis miracula Christi cum ejus prædicatione fuissent proposita ex illo naturali munere intelligentiæ moverentur ad fidem, propterea quod essent congrua suis mentibus miracula talia. Moverentur ergo ad fidem, & hoc Christus præscivit ex illo naturali munere intelligentiæ absque alio efficaci interiori dono gratiæ quo prævenirentur. In quo potissimo testimono suam fundant congruam vocationem, factam congruam media illa scientia, per quam Deus videat illam congruitatem.

Ad hoc dicendum primò, quòd si aliquid probat, etiam contra hos Authores procedit, illudque & ipsi solvere tenentur, nisi velint asserere sufficere ad conversionem ad fidem solùm naturale lumen intelligentiæ cum propositione dumtaxat exteriori verborum, & signorum quæ mentibus illorum congrua sint: quod esse apertè Pelagianum (ut præcedenti cap. notavimus) & ipsi apertè fatentur: quomodo ergo sensum hunc Pelagianum S. P. Augustino nituntur adscribere, vel ad quid hoc argumentum introducunt propter locum quem nolunt intelligere. Etenim verba testimonij hujus nullius interioris gratiæ mentionem faciunt, sed verborũ ac signorum tantùm. Dicent fortè ibi intellexisse implicitè S. August. auxilium internum gratiæ excitantis, quod illorum mentibus congrueret. Si hoc dicant, ut dicunt & dicere tenentur, eodem modo nos dicimus, implicitè ibi intellexisse S. P. Augustinum auxilium ex Deo ipso efficax, quo Deus illos traheret efficaciter ad fidem postquam eis essent exterius proposita verba vel signa suis mentibus congrua, quibus moraliter tantum & objectivè, non verò efficaciter & effectivè moverentur ad fidem ut clariùs statim dicemus.

Igitur ad argumentum dicendum duplicem esse, illamque verissimam illius loci intelligentiam. Prima est, quòd per naturale lumen intelligentiæ S. August. non intelligat quid naturale, sed intelligat munus naturaliter divinum, id est naturâ suâ divinum & supernaturale ad intelligendum, hoc enim modo explicat ipse S. Augustinus relatus à S. Thoma illud Apostoli *gentes naturaliter quæ legis sunt faciunt*, dicens: *non moveat, quod naturaliter dixit eos quæ legis sunt facere hoc enim agit Spiritus gratiæ ut imaginem Dei in qua naturaliter facti sumus instauret in nobis.* Sic ergo nos ex S. August. dicimus, non moveat quod dixit naturaliter munus intelligentiæ, quia Spiritus gratiæ in aliquibus illud naturale munus intelligentiæ instaurat in nobis, elevando per lumen divinum quo moueantur ad fidem.

Secunda intelligentia est, quæ & nobis textualis apparet: S. Augustinum ibi loqui de motione ad fidem tantùm objectiva, ita quod quidam habent naturale munus intelligentiæ tale, quod eadem miracula & exterior eadem prædicatio Evangelij sunt magis congrua naturali eorum ingenio quàm ingenio aliorum ad movendos ipsos solum exterius & objectivè; quia illos alliciunt, & exteriùs invitant objectivè magis quàm alios; non tamen quòd illa sola signorum visio exterior de facto illos ad fidem trahat, ita ut de facto per illam solam credant; nec etiam quòd illa sola exterior congruentia sufficiat absque alia motione interiori. Itaque solum docet, quod in quibusdam est naturale munus intelligentiæ tale, quòd sibi sunt magis congrua miracula quam aliis ut objectivè & purè exterius moveantur, id est invitentur aliquo modo ad fidem; ut tamen de facto ad fidem veniant, requiritur alia interior invitatio & excitatio & efficacia auxilij facientis credere; & hanc esse mentem S. Augustini constat ex verbis subjunctis, statim enim subdit. *Et tamen si Dei altiori judicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur, vel dicta divina vel facta per quæ possent credere si audirent ubique talia, vel viderent.* Ecce declarat quomodo per illa signa congrua moventur ad fidem, dicens quòd per illa possunt credere, non ait, quòd per illam credunt quia illa tribuunt quoddam posse credere extrinsecum tantum, qua ratione dicere solemus, quòd qui audiunt Evangelium, habent unde possunt credere, non autem habent undè possunt credere illi quibus Evangeliũ non prædicatur.

Hoc autem ex prædicto loco de dono perseverantiæ fit manifestum si illius verba expendantur, imò solum recitentur, quæ sic habent. *Ubi Tyrij relicti sunt & Sidonij* (scilicet in massa perditionis) *qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam undè crederent est negatum, ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem si congrua suis mentibus vel audiant verba vel signa conspiciant.* Quibus apertè distinguit contra id quod est datum ut crederent homines, id quo credere possunt, sive id undè possunt credere dicens, quòd quia Tyriis & Sidoniis non erat datum ut crederent, etiam est eis ablatum ne eis Evangelium prædicaretur, ex quo & miraculis credere possent, id est, possent objectivè ad fidem moveri. Unde immediatè post relata verba subjungit hæc alia: *Et tamen si Dei altiori judicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta per quæ possent credere, si audirent utique talia vel viderent.* Ecce solùm dicit, & multoties repetit quod per illa dicta signa vel facta suis mentibus congrua, in hoc solùm congrua erant quòd per illa

non

Digitized by Google

non crederent de facto, quia ut crederent non erat eis datum; sed quòd per illa sic congrua haberent undè possent objectivè tantum ad fidem moveri non effectivè. Verum est enim, quod Tyriis, & Sidoniis congrua essent signa, & verba Christi Domini, non autem Judæis, quia non ita ex malitia excœcati erant illi sicut isti, unde illi præ istis si illa viderent, & audirent eisdem allicerentur, & invitarentur ad fidem, & per hunc modum verba, & facta Christi Domini erant congrua mentibus illorum: rursùs illis visis, & auditis efficax auxilium illis daret Deus ex misericordia sua quo de facto crederent, sed quia prædestinati non erant ut crederent, etiam illa signa, & verba unde possent credere, & quibus objectivè possent ad fidem invitari, eis denegata sunt.

Unde laborare in hoc testimonio ad fundandam illam suam congruam vocationem, qua de facto homines convertantur sine auxilio efficaci gratiæ ex Deo ipso, & non ex homine, efficaciam habente, contra litteram S. P. Augustini in hoc eodem loco manifestè procedit, ut alia innumera omittam, quibus illam talem istorum congruam vocationem penitus expugnat, quæ in quarto hujus nostri operis libro commodiùs recensebuntur.

Secundum argumentum, quod & fortissimum reputant, tale est: Si Tyrij, & Sidonij converterentur ex interiori efficaci dono gratiæ quod Deus illis daret, si eis prædicaret, non apparet cur Dominus Judæos justè increpaverit comparatione illarum gentium: cum Judæi illud auxilium efficax non recepissent, poterant enim se excusantes Christo respondere dicentes: da nobis donum hoc quod dares gentibus illis, si eis prædicares, & pariter nos convertemur; cur ergo nos illorum comparatione damnas, qui non accepimus, quod illi accepissent? Addemus sicut novissimè addidit Auctor operis tripartiti lib. 1. cit. à nobis non semel prolegom. 2. cap. 5. in principio quòd illud decretum gratis confingitur quo Deus daret auxilium efficax illis gentibus, item tale decretum absolutè, & efficax repugnaret certæ præscientiæ futuri conditionati liberi, quia non staret cum illa cognita conversione libera illarum gentium, imò dicere possent Judæi, frustra, & fictè tantam vim in illis signis, & virtutibus fuisse constitutam, etiamsi conjunctas haberent inspirationes illis extemis signis proportionatas, si alia Dei voluntas absoluta non accedat, per quam voluntas audientis determinetur, quia sine hac parùm illa valent, & hæc sine tot signis, & virtutibus sufficeret.

Hoc argumentum pro magno opponunt Recentiores, ut negent locum intelligendum esse de auxilio efficaci, & de voluntate dandi illud, in qua Christus certò cognoverit illarum gentium conversionem. Sed ad hoc dicendum nihil omnino concludere, quamvis enim illi tunc converterentur, justissimè tamen comparatione eorum vituperantur, qui habentes sufficiens ad conversionem, ex sua malitia, obduratione, & prava voluntate illi restiterunt. Sicut enim qui credunt, licet ut credant sit eis datum, de hoc meritò laudantur, ita qui Evangelio prædicto non credunt, quia ex se resistunt & non credunt, justissimè vituperantur.

Et ratio est, quia ut S. Thomas docet defectus gratiæ prima causa est ex nobis, sed collationis gratiæ prima causa est ex Deo. Unde quod illi homines Tyrij converterentur prima causa esset ex Deo, quòd autem Judæi non fuerint conversi prima causa fuit ex se ipsis, & ex eorum pertinaci obstinatione: undè si prima causa quòd non sint conversi ex ipsis fuit, justissimè de hoc reprehenduntur à Christo. Qualiter autem defectus gratiæ, & conversionis prima causa ex homine existat ob quam justè reprehenditur, profundiorem petit disputationem quam cum auxilio divinæ gratiæ in suo proprio loco, libro videlicet 4. copiosiùs perlustrabimus. Ad præsens autem id ex inducta doctrina S. Thomæ modò supponatur, qua evidentissimè prædictum argumentum solvitur, & confunditur. Superaddentes hoc ipsum argumentum modò à recentioribus oppositum, non latuisse S. Augustinum, sed à S. Doctore inveniri solutum lib. de don. persever. cap. 9. sub his verbis. *Facile quippe est ut infidelitatem accusemus Judæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus credere noluerunt.* Quibus verbis apertissimè docet, quòd ut illi justè reprehendantur sat est quòd ex culpa sua, & ex sua libera voluntate credere noluerunt; imò ait facile esse argumentum prædictum soluere, & Iudæis, quòd non crediderint, imputare ratione eadem, quia videlicet ille defectus, & resistentia illa ex ipsis processit, sicut ex prima causa: quam rationem uterque S. Doctor, & Augustinus, & Thomas assignant. Cum ergo hoc facile sit, non est cur illud argumentum ita forte, & difficile ab aliquibus judicetur.

Explicatur, & confirmatur magis prædicta solutio, nam Judæi propter majorem obdurationem, malitiam, & ingratitudinem seipsos reddiderunt magis indignos ut converterentur quàm Gentiles illi, qui nec ita ingrati, nec excœcati ex invidia & odio erant, unde propter majorem indurationem eorum, & propter majus ex ipsis appositum impedimentum Deus illos non convertebat; quod quia non ita appositum fuisset à Tyriis, comparatione illorum justè Judæi damnantur. Licet enim Tyrij etiam indigni essent, & ex pura misericordia auxilium efficax recepissent, tamen constat non ità esse indignos sicut Judæi extiterunt. Quis ergo dubitat, quòd de hac majori indignitate comparatione illarum gentium possint damnari justèque reprehendi? Undè & S. P. Augustinus comparando utrosque adinvicem, & Judæos, & gentes illas, ita dicit in cap. 14. de dono persever. *Non erant sic excœcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum, & Sidoniorum*: Igitur de hac majori excœcatione, & obduratione justè damnantur Judæi.

Sed qui solidæ veritati non acquiescunt etiam ex hoc occasionem sumunt disputandi, dicentes: quòd Judæi essent magis obdurati ex eo fuit, quia sibi non fuit datum auxilium, quod Tyriis datum fuisset: ergo nec sibi videtur imputari illa major obduratio. Ad quòd tamen facilis est responsio; quòd videlicet illa major induratio ex negatione auxilij non provenit, sed per se ex mala ipsorum voluntate, ut communis, & certa & indubitata debet esse apud omnes solutio. Verum est quòd si Deus sua magna misericordia illos præveniret dando eis efficax suum auxilium, quòd omnem illam maximam obdurationem emolliret. Sed quia auxilium illud debitum non erat imò ad illud recipiendum se indignissimos fecerant, ideo totum illud obdurationis malum sicut ex prima causa eis fuit justissimè imputatum: de quo videatur S. Th. 1. 2. q. 79. art. 3.

Sed adhuc contendunt non sufficere si dicatur Judæos justè fuisse reprehensos, quia majora impedimenta gratiæ posuerunt, & magis indignos se reddiderunt: quia ibi non comparat impedimenta à Judæis apposita cum impedimentis, quæ Tyrij & Sidonij præstiterunt, sed comparat pœnitentiam sub conditione futuram Tyriorum, & Sidoniorum cum exclusione libera pœnitentiæ Judæorum eosque arguit, non ex eo quòd peiores sint quam fuerint Tyrij, & Sidonij; sed quia magis obfirmati sunt in criminibus quam Tyrij, & Sidonij futuri fuissent si apud eos factæ fuissent illæ virtutes.

Ad quod tamen dicendum quod Christus quidem comparat pœnitentiam sub conditione illarum gentium cum impœnitentia, & obduratione Judæorum, sed ideo hos justè præ illis reprehendit quia majora impedimenta gratiæ, & suæ conversioni posuerunt

Digitized by Google

fuerunt magisque se indignos ad illam recipiendam reddiderunt, ut dictum est : quod vel ij Authores cum quibus agimus in objectione modò oppositа quæ de verbo ad verbum ex illorum ultimo libro non semel citato inducta est si advertunt, & ipsi adhibent dum dicunt quod ideo eos arguit, quia magis obstirmati sunt in criminibus, quàm Tyrij, & Sidonij futuri fuissent, si eis Christus prædicaret : si enim magis isti obstirmati sunt in criminibus, quam illi essent, magis se indignos exhibuerunt quàm illi exhiberent, & majora impedimenta gratiæ præstiterunt, quàm illi præstarent. Undè autem hoc proveniat, certum est quòd ex illorum prava voluntate magis obstirmati erant in criminibus, quòd autem alij minus obstirmati in illis essent ex dono Dei deberet provenire, ut sic prima causa mali ex nobis, prima autem causa boni non nisi ex Deo esse fateantur, sicut revera ab omnibus asserendum est.

Verùm adhuc instat Author operis tripartiti non fuisse nimirum reprehensos Judæos comparatione Tyriorum, & Sidoniorum, quia per priora peccata se indignos reddiderant; sed quia præsentem habebant incredulitatem, & obdurationem quam illæ gentes non haberent si eis fuisset Evangelium prædicatum. Ad quod dicendum de utroque fuisse reprehensos, & quia per priora peccata se indignos reddiderant magis quàm gentes illæ, quæ non tam gravia commiserant; & quia de præsenti incredulitatem, & obdurationem magnam habebant, quam nec haberent gentes illæ.

Opponit deindè quod nostra explicatio non potest accomodari textui, quia auxilium efficax sicut non datur propter dignitatem hominis, ita nec negatur propter indignitatem. Ad hoc autem respondetur falsissimum esse non negari auxilium efficax propter hominis indignitatem; imò planè propter hominis demerita ipsi denegatur, ut est perpetua sententia S.P. August. & D. Thomæ, quam in nostro quarto libro notam dabimus. Itaque quibus datur divinæ gratiæ auxilium efficax misericorditer datur, quibus autem negatur justo judicio non datur propter peccatum aliquod saltem originale, ut S. P. Augustinus docet de correptione, & gratia. Videns autem supradictus Author stare non posse assertum quod præmiserat, videlicet non negari auxilium efficax propter hominis indignitatem, protinus subjungit; & quamvis aliquod auxilium ex se efficax negaretur propter præcedens peccatum, hoc ipsi m revocandum erit juxta illam sententiam in præviam voluntatem, & determinationem Dei quam pro solo suo arbitrio facit. Diximus Authorem istum vidisse, non posse stare illud assertum quòd non negetur auxilium aliquod efficax propter hominis indignitatem, quia licet ipse nullum verum gratiæ auxilium efficax ex Deo ipso admittat, imò hoc semper cum suis neget : vidit tamen, quòd illud quod ipsi vocant auxilium efficax, factum nempè efficax per illam congruam vocationem ab homine in sua efficacia pendentem, etiam in sua sententia aliquibus denegatur, propter illorum indignitatem. Undè adversus ipsum ejus retorquendo argumentum dicimus, quòd sicut Deus præscivit multos si congruè vocarentur consensuros, & credituros; non tamen eis omnibus talem congruam vocationem tribuit (ut patet in illorum sententia de Tyriis, & Sidoniis) tum quia ipsis debita, non erat; tum propter alia in ipsis punienda peccata & justè: ita auxilium verè efficax utpotè ex Deo ipso, & ut venit ex vi divinæ motionis efficax, independenter omnino in sua efficacia ut ab homine efficax reddatur, aliquibus denegatur; tum quia ipsis debitum non est, tum propter illorum punienda peccata alia: quòd autem hoc sit tandem reducendum in præviam Dei voluntatem, & determinationem, tantùm ab est, quòd pro inconvenienti ab hoc Authore opponatur, quòd id etiam in sua vocatione congrua admittere debeat, omnesque cum S. P. August. fateri : *quare hunc trahat alium non trahat, noli velle judicare si non vis errare*: & cum eodem Doctore Sancto dicere quòd in illa clara visione cernitur quod nunc omnibus latet, quare hic prædestinatur, & non ille, imo cum Apostolo omnes clamare, *O Altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.*

Ad alia quæ etiam opposuit: Dicendum, & quidem ad illud, quòd illud divinum decretum in quo Deus cognovit certam Tyriorum, & Sidoniorum futuram conversionem si eis Evangelium fuisset prædicatum, non sine causa constituatur in Deo, dictum & probatum fuit sæpe, tum ex locis Scripturæ ex quibus similia decreta colliguntur, tum ex sententia Sanctorum Patrum, potissimè Augustini, Prosperi, Hilarij, Fulgentij & S. Thomæ: tum denique quia aliàs vel Deus illorum futurorum sub conditione certam cognitionem non haberet, vel si illam certam præscientiam habere dicatur, per illam Deus certò præsciret in negocio justificationis, & gratiæ quod liberum hominis arbitrium ex se facturum esset, non quod Deus facturus esset ut homo faceret, ut multipliciter manet ostensum contra illam istorum mediam scientiam, qua Deus certò ponitur ante omne liberum suum decretum certò præscire, quid liberum arbitrium hominis acturum sit, si in tali vel tali ordine rerum collocetur.

Ad aliud objectum nempe quod per tale decretum tolleretur hominis libertas abundè satis dictum est, non modo non auferri, sed perfici libertatem. Ad ultimum dicendum non fictè sed verè tradi in Scriptura vim illorum signorum, atque virtutum, non tamen tradi, quòd per illa adjunctis tantum inspirationibus moraliter suadentibus, de facto illæ gentes converterentur, sed virtutem & vim illorum signorum in eo esse quod moraliter, & objectivè illos moverent, & sic benè moraliter suasis, Deus insuper vellet eis efficax auxilium dare, quo de facto converterentur, utrumque enim ad conversionem est necessarium & excitans & adjuvans auxilium, ut ex Conc. Trid. manet declaratum. Vis ergo & virtus excitantis gratiæ ibi declarata est, sed non negata illa major vis, & virtus gratiæ prævenientis adjuvantis.

Tertium opponunt argumentum, & etiam Achille ut putant, Deus absoluto decreto non voluit prædicare Tyriis, & Sidoniis, & absoluto decreto voluit non convertere illos : ergo non habuit decretum quo illos voluit convertere si eis Christus prædicaret. Patet conseq. quia videntur ista decreta contraria; nam illud decretum de objecto conditionato esset de objecto impossibili, supposito quòd jam Deus decreverat illos non convertere, nec eis prædicare: Ad hoc dicendum illa duo decreta contraria non esse quæ non sunt de eodem objecto cum illud sit de objecto absoluto, aliud de objecto conditionato ut supra jam diximus. Nam absque contrarietate voluntatum Christus Dominus absolutè voluit mori, secundùm quod mors illa præcepta erat à Patre in humani generis reparationem : & volebat non mori ex naturali inclinatione secundùm partem inferiorem, secundùm videlicet quod mors erat nociva corpori. Similiter absque contradictione voluntatis, qui absolutè & efficaciter vult projicere merces in mare, nollet projicere si in tali occasione non esset, qui actus non modò repugnant, sed sunt simul in homine illo. Sexcenta exempla similia adduci poterant, sed hæc sufficiant ad respondendum facillimo argumento, secundùm quod in loco omniù gravissimo ex istis exemplis, & multis aliis aliquando responsum est.

Parique

Parique ratione dictum illud decretum de objecto conditionato, non esse de objecto absolutè, & simpliciter impossibili, ut est manifestum, sed esse de objecto absolutè possibili, licet sit ex suppositione impossibile: de objecto autem absolutè possibili optimè datur in Deo decretum, non efficax & omnibus modis absolutum, sed sub conditione, seu de objecto conditionato, Quod ita verum est ut ex illo Matth. 26. constet apertè: *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum, &c.* Ex quo loco constat voluntatem Patris efficacem, & absolutam fuisse, quòd Christus moreretur, & quod illas Angelorum legiones efficaciter non postularet; cum quo absoluto decreto simul fuit in Deo voluntas dandi Christo illas Angelorum legiones, si illas ipse efficaciter petivisset. Nec hoc secundum decretum fuit de objecto impossibili, sed absolutè passibili. Item ipsi Recentiores fatentur quòd Pater æternus voluit efficaciter mittere filium suum in carne passibili, quo supposito decreto absoluto & efficaci, etiam admittunt in ipso hoc conditionatum decretum, si Adam non peccasset, filium meum mitterem in carne impassibili: dicant ergo, & contra seipsos opponant illud secundum decretum in Deo non esse, quia est de objecto impossibili, supposito quod Deus absolutè voluit mittere filium suum in carne passibili; simili ergo omnino ratione dicimus, quod licet Deus absolutè voluerit Tyrios nec cõvertere nec illis prædicare, voluit tamen illos convertere, si eis Evangelium prædicaret. Quæ decreta, ut fuit ostensum, nec contraria sunt, nec aliquod eorum est de objecto impossibili, sed absolutè possibili.

CAPUT XXX.

Respondetur argumentis deductis ex Sanctis Patribus.

RETULIMUS supra ex Recentioribus quinque modos loquendi Sanctorum Patrum, ex quibus hanc mediam scientiam colligere laborabant; ad quæ omnia priusquàm in particulari pateat responsio, illud sine dubio consideratione dignissimum est, quod nullum Sanctorum adducant pro se, qui expressè hanc mediam scientiam, sive præscientiam docuerit: aliquis aut dixerit Deum præsciviisse, quid liberum arbitrium ante decretum divinæ voluntatis ex se acturum sit, si fuerit in tali vel tali occasione, & ordine rerum: aut tandem id unquam, vel explicitè, vel implicitè in medium protulerit. Unde videntes hi authores, cum quibus disputamus, nullum se posse ostendere Sanctorum, qui hoc affirmet, conantur ex generalibus eorum verbis (quibus de præscientia Dei loquuntur) per non legitimas quasdam illationes, seu potiùs æquivocationes illud deducere; cum nihil magis alienum sit à mente ipsorum, ut ex dictis supra constat. Sed jam nunc videamus quomodo id ex Sanctis Patribus inferant.

Quia Sanctus Hieronymus, & Tertullianus contra Marcionem, Gregorius Nyssenus, Justinus, Damascenus, Theodoretus, Isidorus, Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, Cyrillus, & S. Thomas citati supra dicunt præsciviisse Deum hominem peccaturum antequam ipsum creasset, & nihilominus ipsum hominem creasse, absque eo quod ipsum in peccatum induceret, vel ab eo libertatem auferret. Quia, inquam, Sancti hæc dicunt, colligunt Recentiores, Sanctos nomine præscientiæ tradidisse ibi scientiam hanc suam mediam antecedentem actum divinæ voluntatis. Siquidem loquuntur Sancti, ut aiunt, de præscientia, quæ antecedit decretum creationis. Unde non possunt loqui de præscientia absoluta, quæ supponit decretum creationis, sed de hac conditionata quæ illud antecedit. Hæc est in summa tota argumenti vis, & illationis efficacia.

Ad quod tamen facilis est responsio, & vera Sanctorum intelligentia. Primò enim Sancti Doctores prædictis locis loquuntur de præscientia absoluta, sive de præscientia visionis, quæ subsequitur determinationem liberam divinæ voluntatis volentis hominem creare, & quæ antecedit ipsius creationem in tempore. Itaque docent voluisse Deum hominem creare, & in Paradiso constituere, & voluisse permittere ipsum in peccatum labi atque absoluta præscientia visionis vidisse ipsum peccaturum, qua præscientia non obstante hominem illum de facto produxit in tempore, quia per talem præscientiam, nec hominem ad peccatum compellebat, nec per præscientiam illam absolutam ab homine auferebat libertatem. Et quod Sancti Doctores de hac præscientia visionis absoluta loquantur, constat ex ipsorum contextu. Videantur S. Hieronymus & Sanctus Pater Augustinus, ac Sanctus Thomas citatis locis, & apparebit eos loqui de præscientia peccati absoluta antecedente non decretum creandi, sed ipsam creationem in tempore factam.

Secundò respondetur, quod gratis admittendo quòd loquantur Sancti de cognitione futuri conditionati, ita quod cognosceret Deus, quod si Adam crearetur, & in Paradiso constitueretur, peccaret, hoc tamen futurum non cognovit per scientiam illam mediam, sed per scientiam simplicis intelligentiæ, per quam cognovit hanc conditionalem necessariam: si ego creavero hominem, & in Paradiso constituam, & peccare permittam, infallibiliter ille peccabit, quæ conditionalis necessaria est, & per scientiam necessariam, qualis est simplex intelligentia, cognoscitur, ut si pra in Regulis manifestum reliquimus.

Ex secundo modo loquendi Sanctorum defensores scientiæ mediæ ipsam inferunt hac ratione: sæpissimè Sancti, utpotè Sanctus Pater Augustinus, Cyrillus & Nyssenus locis supra citatis fatentur Deum præsciviisse infantem, si viveret, in peccatum lapsurum, quem tamen præmaturè à vita eripuit, sed ista præscientia non potest esse absoluta & visionis, ut patet: ergo fuit conditionata; ergo fuit hoc cognitum hac media scientia.

Ad quod tamen argumentum ex modò dictis satis patet, quam sit insufficiens, licet enim illud futurum conditionatum cognoscatur à Deo, non tamen cognoscitur per scientiam illam conditionatam, procedit enim argumentum à superiori ad suum inferius affirmativè, ac si dicatur, cognoscitur illud futurum conditionatum à Deo: ergo per istam scientiam conditionatam, videlicet mediam. Sed hæc illatio nulla est, est enim alia conditionalium scientia per quam cognoscitur, ut diximus. Cognovit ergo Deus certò quod si ille infans diutiùs viveret peccaret, quia ita ipse permiserat, quod si diutiùs viveret peccaret, unde illud certò cognovit per scientiam liberam, quæ præsupponit decretum divinæ voluntatis permittentis, ut suprà diximus in Regula. Vel cum Sancto Augustino respondeatur quod non secundum præscientiam id dictum est in Scriptura, sed secundum communia pericula præsentis vitæ.

Sanctus etiam Gregorius Nyssenus, qui adducitur in dicto illo tractatu de infantibus qui præmaturè arripiuntur (qui brevissimus est) nihil prorsus tale dicit, nec verbum habet, quo directè vel indirectè, formaliter aut virtualiter, seu implicitè illam mediam scientiam approbet vel defendat. Hujus enim Sancti antiqui Doctoris verba, è quibus suam scientiam

colligunt

Digitized by Google

colligunt Recentiores, hæc sunt: *Verissimè est enim eum, qui id quod futurum est, æquè atque præteritum cognovit, progressum vitæ infantis ad perfectionem prohibere, ne quod vi præscientiæ malum animadversum, in eo qui ita victurus fuisset, perficiatur, atque ei qui ea voluntate arbitrioque victurus fuisset, vitij nequitiæque materia vita fieret.* Intelligamus clariùs ista verba, & videamus ubinam hanc mediam scientiam defendat. Tria dicit Sanctus Doctor. Primum quod Deus ita futurum sicut præteritum cognoscit. Secundum quod Deus præscivit, quod si ille infans diutiùs viveret, peccaret propria arbirij libertate. Tertium quod Deus, ne peccaret, ipsum è vita præmaturè arripuit. Sed nec ex omnibus tribus simul collectis, nec ex ipsorum aliquo hæc media scientia colligitur. Ex eo enim quod dicat Deum cognovisse illud futurũ conditionatum futurum fore si infans viveret, scientia media non colligitur, nec enim sequitur, Deus præscivit infantem peccaturum si viveret: ergo illud cognovit ante decretum suæ voluntatis volentis permittere illud peccatum, si infans diutius viveret. Imò si id certò cognovit, in decreto hoc cognovit, quod licet à Sancto Doctore non exprimatur, non dubium tamen, quod illud præsupponat.

Sed dicunt, aut dicere possunt Recentiores Sanctum affirmare Deum prævidisse illud peccatum futurum fore, si infans viveret, ex propria arbitrij libertate: ergo prævidit Deus, quid liberum arbitrium ex se acturum erat, si in tali rerum ordine, videlicet vitæ longioris, constitueretur: ergo ibi docet scientiam mediam, constituendo vel exprimendo illius objectum. Ad hoc consequentia negatur, non enim objectum scientiæ mediæ est, quid liberum arbitrium facturum est sua libertate, si in tali rerum ordine collocetur, sed est hoc quod liberum arbitrium acturum est sua libertate, si in tali rerum ordine collocetur, ante decretum omne divinæ voluntatis volentis vel permittentis aliquid fore futurum, si talis apponatur conditio. Ex eo ergo quod verissimè dicit Sanctus Nyssenus præsciviſse Deum illud futurum peccatum, futurum fore ex propria arbitrij libertate, si infans ille diutiùs viveret, nullo modo objectum hujus mediæ scientiæ assignatur, & ex consequenti nec scientiam istam ex eo licet aliqua via deducere.

Parique ratione sine fundamento aliquo adscribitur Sancto Cyrillo, cujus licet verba ipsi non referant sed in confuso adducant, placet tamen illa hic adducere, ut omnibus constet, utrum ne Sanctus Cyrillus huic sententiæ patrocinetur. Ipse itaque S. Doctor libro contra Julianum Apostatam columna 63. convincens illum blasphemum Julianum dicentem ex invido animo ejecisse Deum primum hominem è Paradiso, ne fortè extenderet manum, & acciperet de ligno vitæ, & comederet, & viveret in æternum, inter alia multa quibus probat illud opus fuisse providentiæ divinæ, sic dicit: *Confirmat autem hoc, & socius doctrinarum ejus Porphyrius, sic enim dicit in primo ad Nemesium libro: Deus autem sciens futurum, sæpenumero prævenit, hos quidem propter pietatem adhuc adolescentes è vita eripiens, alios propter futuras in posterum eorum pœnas, alios autem miseros, quos liberet ab immedicabilibus calamitatibus.* Hæc sunt Cyrilli verba, nec alia dicit in loco ab his authoribus allegato, quibus scientiam mediam affirmet. In his ergo attentiùs consideremus, si hanc mediam scientiam commendet. In istis verbis solum docet Deum præsciviſse futurum, quod ne eveniat, sæpe numero prævenit, in quo & approbat Porphyrij Juliani socij dictum qui similiter affirmat præsciviſse Deum futurum aliquod fore, si Deus non præveniret, quod est cognoscere futurum conditionatum, sed nec in hoc scientiam mediam est vel imaginatus, quia in toto contextu, quem lectoribus attentiùs considerandum remittimus, docet Deum cognoviſse illud futurum post actum suæ divinæ voluntatis seu providentiæ, in qua divina voluntate plane affirmat omnia scita esse. In hac ergo voluntate divina, vel volente, vel permittente aliquod futurum fore, si aliqua apponeretur conditio, docet Sanctus Cyrillus Deum illa futura, quæ aliquando prævenit, ne fiant, cognoviſse. Unde potiùs ex verbis, & contextu hujus Sancti Doctoris totum contrarium deducitur, & scientia media efficaciùs impugnatur. Legantur Sancti Doctores attentè, instanter obsecramus, inspiciatur eorum intentio, consideretur finis, notetur contextus, & ipsa eorum verba perpendantur, & quàm longissimè ipsos ab hac scientia recedere clariùs apparebit. Inter enim plurima alia bona quæ Deus, qui potens est, ex his controversiis eduxit, hoc unum minimum fortè non est, quod Sanctorum Patrum doctrina potissimè antiquorum, quæ forsitan dormitabat, & minus ab hujus temporis Scriptoribus, & Doctoribus, vel audiebatur vel legebatur jam Dei munere clariùs omnibus innotescat.

CAPUT XXXI.

Aliis locis ex Sanctis Patribus satisfit.

PROBANT tertiò Recentiores hanc mediam scientiam, quia Sancti Doctores dicunt illam esse necessariam ad divinam providentiam, asserentes id affirmare S. Patrem Augustinum, Gregorium Nyssenum, Anastasium, Gregorium Magnum, Irinæum, Origenem, & S. Prosperum. Ad quod dicendum nullum ex adductis Sanctis aliqua ratione explicitè, vel implicitè id affirmare, nec ex dictis ab ipsis id aliqua ratione posse colligi. Quod fit manifestum intuendo Sanctorum dicta, qui allegantur. Adducitur enim primò Sanctus Augustinus in libro contra Adimantem, ubi agens de Saule, & Davide sic ait. *Noverat utique*, videlicet Deus, *voluntatem servi sui, sed ut cæteris etiam hominibus ad imitandum innotesceret ea, quæ in corde David jam Deo nota erant, inimici dilectio, dedit in potestatem inimicum, quem nondum volebat occidi, propter certam rerum dispositionem, quam per illum impleri oportebat.* Ex isto loco quanam ratione scientia media deducitur, vel quomodo dicit Sanctus Doctor in illo esse necessariam mediam scientiam ad divinam providentiam? An quia dicit Deum noviſse voluntatem servi sui? Tam certum est autem Deum voluntatem illius noviſse, quàm falsum est asserere noviſse per illam mediam scientiam, quia litteræ planus sensus est quem ipsa manifestat, scilicet noviſse Deum voluntatem David circa dilectionem Saulis, quæ ipsi Deo nota erat, quia illam bonam voluntatem ad diligendum inimicum ipse dederat. Sed tamen ut manifestaretur hominibus ad exemplum, voluit in ejus potestate ponere inimicum, & quod illum non occideret propter certam rerum dispositionem implendam per Saulem. Itaque præscientia absoluta visionis viderat Deus in Davide bonam voluntatem circa inimicum, quam ipse Deus illi dederat, & ut manifestaretur hominibus, tradidit in sua potestate inimicum. Quæ necessitas est hic recurrendi ad scientiam mediam? Dato autem omnino gratis, quod possit illa litera extendi ad scientiam conditionatam dicendo, quod noverat Deus, quod si Saul traditus esset in potestate Davidis, David illum non occideret, numquid noverat Deus Davidem ex se, & sine Deo dante illam bonam voluntatem erga inimicum, si suæ potestati

ſtati traderetur, habiturum? Abſit. Sed noverat Deus illud quidem, quia diſpoſuerat illam bonam voluntatem dare ipſi Davidi circa inimicum, ſi inimicus ſuæ traderetur poteſtati, quod ſicut diſpoſuerat Deus ſe factarum, & implevit, illam bonam volntatem dando Davidi in occaſione illa.

Eodem prorſus modo loquuntur Origenes, Irenæus, Gregorius Nyſſenus, nec enim verbum loquuntur de præſcientia conditionata, ſed de abſoluta ſequente abſolutum decretum divinæ voluntatis, ut dictum eſt, vel de præſcientia futuri conditionati poſt decretum tamen voluntatis Dei.

Similiter nec ex Gregorio Magno aliquo modo id colligitur in citato loco: nam verba illius ſunt, explicantis illud Prophetæ qui comprehendit ſapientes in aſtutia ſua. *Sæpe enim nonnulli humana ſapientia inflati, dum deſideriis ſuis divina judicia contraria conſpiciunt, aſtutiis eis reluctari machinationibus conantur, & quoad votum ſuum vim ſuperna diſpoſitionis intorqueant, callidis cogitationibus inſiſtunt, ſubtiliora conſilia exquirunt, ſed inde voluntatem Dei peragunt: unde hanc immutare contendunt, atque omnipotentis Dei conſilio dum reſiſtere nituntur, obſequuntur.* Quod probat Sanctus Doctor impletum in hiſtoria Joſeph, & aliis inductis exemplis. Ex iſto loco obſecro, etiamſi fingendi detur licentia, quis illam mediam ſcientiam valeat deducere, & Sancto Gregorio adſcribere? Imò planè deducitur contrarium, dum ait conſilium & voluntatem Dei immutari non poſſe.

Fortè Sanctus Proſper ultimo loco adductus hanc mediam ſcientiam commendat, ſed nihil minus Sanctus Doctor inſinuat, quia hanc mediam ſcientiam accuratiùs impugnavit, ut ex dictis relinquitur manifeſtum. Verba enim in contrarium adducta ſunt. *Vtique præſciebat Deus ad quem finem inſanientis eſſet progreſſura conceptio, nec ex hoc quod falli ſcientia divina non poterat, neceſſitate peccandi urgebatur facinus voluntatis, à cujus utique intentione atque affectu potuit incolumitas Abel illæſa defendi, niſi placuiſſet Deo cum magna laude patientiæ ſuæ, ut temporalis furor impij, fieret perpetuus honor juſti.* Iſtum locum maximè exaggerant defenſores ſcientiæ mediæ pro ipſa, ſed nihil illi favet, quia primò optimè de ſcientia abſoluta viſionis procedit qua Deus abſolutè vidit voluntatem Caïn progreſſuram ad fratris interfectionem, à qua tamen ſi vellet, poterat innocentem Abel liberare. Secundò gratis admiſſo illum procedere de præſcientia futuri conditionati, qua Deus vidit quid actura eſſet Caïn voluntas contra fratrem ſi in tali occaſione poneretur, & à Deo permitteretur fratrem interficere, tamen noluit hoc impedire, ſed illum in tali ordine conſtituit, ut fieret honor Abel juſti.

CAPUT XXXII.

Explicatur locus Sancti Auguſtini ex libro primo ad Simpl. quæſt. 2. de vocatione congrua.

SED alia via hanc ſcientiam laborant introducere, & ex Sanctis Patribus colligere in quarto argumento facto ſupra. Dicunt enim illam aſſerere Sanctos, cum dicunt Deum vocare homines quomodo illis aptum eſt, ut moveantur, & quomodo ſcit congruere ut ſequantur. Pro quo potiſſimè adducitur S. Auguſtinus lib. 1. ad Simpl. quæſt. 2. (nam in aliis quatuor locis ex ipſo inductis nihil tale dicit) in illo autem loco ita ait: *An fortè illi, qui hoc modo vocati non conſentiunt, poſſent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut & illud verum ſit; multi vocati, pauci verò electi, ut quamvis multi uno modo vocati ſint, tamen quia non omnes uno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei. Et illud non minus verum ſit. Igitur non volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem. Ad alios autem vocatio quidem pervenit, ſed quia talis fuit, qua moveri non poſſent, ut eam capere apti eſſent, vocati quidem dici potuerunt, ſed non electi; & non jam ſimiliter verùm eſt, igitur non miſerentis eſt Dei, ſed volentis ac currentis eſt hominis, quoniam non poteſt effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, ut fruſtra ille miſereatur, ſi homo nolit, quia ſi vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare quomodo illis aptum eſſet ut & moverentur, & intelligerent, & ſequerentur.* Quibus verbis non obſcurè docet, quod vocatio quidem uno modo fit multis, ſed quod illi ei conſentiunt qui ſunt benè affecti, idonei, & apti, ut illam recipiant. Alij autem qui non ſic idonei, & benè affecti ſunt, eam rejiciunt. Similiter docet quod illi, qui non ſunt idonei, & benè affecti ut vocationem ſequantur, poſſunt alio modo vocari, quomodo Deus ſcit illis congruere, ut ſequantur; ac per conſequens docere videtur quod bona affectio voluntatis poteſt vocationem de ſe omnibus communem & uno modo factam, ſibi efficacem reddere. Unde & concludit. *Verum eſt ergo multi vocati, pauci vero electi, illi enim electi qui congruenter vocati, illi verò qui non congruebant neque contemperabantur vocationi non electi, quia non ſecuti, quamvis vocati. Item verum eſt non volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia etiamſi multos vocet eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt ut ſequantur.*

Circa iſtum locum eſt prima intelligentia Recentiorum aſſerentium tradi in illo ſcientiam mediam qua Deus ſcit hominem ex ſeipſo conſenſurum, ſi tali vocatione congrua vocaretur. Sed iſta intelligentia planè falſiſſima eſt, & tantò à mente S. Auguſtini aliena, quantò Semipelagianorum erroris propria, quam efficaciſſimè impugnavit & expugnavit S. P. Auguſtinus ubique.

Nec eſt mirum quod modò ex libro hoc ex S. P. Auguſtino contra eundem Sanctum Auguſtinum opponatur, ſicut ex illis tribus libris de libero arbitrio contra Manichæos ab ipſo Doctore Sancto editis ante hæreſim Pelagianam, Pelagiani ipſi argumenta opponebant contra veritatem quam ipſe contra illos defendebat. Quibus proinde Sanctus ipſe Pater & doctè luculenter & efficaciter reſpondet lib. 1. retract. cap. 9. de prædeſt. Sanctorum etiam cap. 9. de don. perſev. cap. 12. in quo ultimo loco ita reſpondit. *Fruſtrà itaque mihi de illius libri mei vetuſtate præſcribitur, ne agam cauſam, ſicut debeo agere parvulorum.* Sicut ergo ita tunc reſpondit ſic opponentibus pro ſua congrua vocatione ab homine in ſua cõgruitate pendente, reſponderet & nunc fruſtra mihi de illius libri mei vetuſtate ad Simplicianum ſcripti ante exortam hæreſim Pelagianam præſcribitur, ne agam ſicut agere debeo cauſam efficaciæ divinæ vocationis & gratiæ: & ſicut tunc nihil ſe dixiſſe contra originale peccatum exponit, licet non ita tunc illud fundaverit ſicut poſtea contra Pelagianos ſcribens; ita nec ad Simplicianum ſcribens ſi aliquid dixiſſet pro illa prætenſa congrua vocatione contra divinæ vocationis efficaciam ſine dubio explicaret. Imò illud conſiderandum Semipelagianos qui ex libris ipſius de libero arbitrio & ex aliis oppoſitiones contra ipſum pro ſua ſententia formabant, nullam prorſus ex q. iſta 2. ad Simpl. pro ſua congrua vocatione ab homine in ſua efficacia pendente unquam formaſſe aut oppoſuiſſe, quod nec omitterent, ſi viderent eam

in

Digitized by Google

in illa ſecunda ad Simpl. quæſt. poſſe fundari.

Quod ſi dicant ſe de novo in illa quæſt. 2. inveniſſe, quod priores relati non invenerunt: eos ex ſua familia Cardin. Bellarm. ab hac nova oppoſitione retrahit dicens lib. 2. de gratia, & libero arbitrio cap. 15. S. Auguſtinum in quæſt. 2. ad Simpl. non rectè explicaſſe locum Apoſt. ad Rom. 9. ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, ſicut rectè poſteà contra Pelagianos agens explicavit, aſſerens quæſtiones iſtas ad Simplicianum ſcripſiſſe Auguſtinum juvenem, libros autem contra Pelagianos ſenem. Unde ita ibi concludit. *Vide quod aliter ſapiat Auguſtinus ſenex, quam Auguſtinus juvenis.*

Imò & Sanctus Thomas opuſculo primo contra errores Græcorum in proœmio: [errores inquit circa fidem exorti occaſionem dederunt Sanctis Eccleſiæ Doctoribus, ut ea quæ ſunt fidei majori circumſpectione traderent ad eliminandos errores exortos; ſicut patet, quod Sancti Doctores qui fuerunt ante errorem Arrij non ita expreſsè locuti ſunt de vnitate divinæ eſſentiæ, ſicut Doctores ſequentes: & ſimiliter de aliis contigit erroribus, quòd non ſolùm in diverſis Doctoribus, ſed in uno egregio Doctore Auguſtino expreſsè apparet. Nam in ſuis libris, quos poſt exortam Pelagianorum hæreſim edidit, cautiùs locutus eſt de poteſtate liberi arbitrij; quàm in libris quos edidit ante prædictæ hæreſis exortum, in quibus libertatem arbitrij contra Manichæos defendit, aliqua protulit, quæ in ſui defenſionem erroris aſſumpſerunt Pelagiani divinæ gratiæ adverſantes: ſed occaſionem ſumpſerunt cum tamen nihil in illis contra Dei gratiam dixiſſet, ut ipſe poſtea ſe explicando aſſeruit, in quæſtionibus ad Simplicianum non ita expreſsè.] Quam etiam occaſionem nec ſumere debuiſſent, qui ex hoc loco ad Simplicianum, utpote opere ante exortam hæreſim Pelagianorum compoſito, ſupradicta objiciunt cùm non ita expreſsè de efficacia divinæ vocationis locutus ſit, ſicut poſtea exorta jam Pelagianorum hæreſi.

Imò non ſolùm Cardin. Bellarm. nec Sanctus Thomas eos ab hac prætenſa oppoſitione retrahunt inductis verbis, ſed quod magis eſt ipſe Sanctus Doctor Auguſtinus ad aliud ſimile ſibi oppoſitum reſpondens lib. de prædeſtin. Sanct. cap. 14. ſic dicit. [Quid igitur opus eſt, ut illorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſoluendum quæſtione verſari? Quod proculdubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur. Unde factum eſt ut de gratia Dei quid ſentirent, breviter quibuſdam ſcriptorum ſuorum locis, & tranſeunter attingerent.]

Quod ſicut de aliorum opuſculis, ita & de ſuis ante exortam Pelagianorum hæreſim compoſitis intelligere voluit, ut eodem lib. de prædeſt. ſanctor. cap. 9. expreſſiùs fatetur de don. perſev. cap. 12. Ab hac ergo oppoſitione jam ceſſent quia in illa quæſt. ad Simplicianum breviter de vocatione congrua dictum eſt, nec ita explicuit tunc à quo congruitatem talem habeat vocatio, an à Deo, vel ab homine; quod tamen pleniùs poſtea contra Pelagianos declaravit atque fundavit. Non ita plenè explicaſſe diximus, quia, ut aperiemus, ſatis ibi dixit illam congruitatem ſeu efficaciam à Deo & non ab homine provenire.

Nec mirum quod modò iſti authores ſancto Patri Auguſtino attribuant congruam illam ſuam vocationem, quæ moraliter tantum moveat, ſeu excitet, & ab homine ipſo reddatur efficax, ut opinantur, ex eo quod ſanctus Doctor citata quæſt. ad Simplicianum dicat, ſic Deus vocare, ſicut novit congruere, in quo etiam illam ſuam mediam ſcientiam illi adſcribunt, ex prædicto libro qui à ſancto Doctore compoſitus eſt ante exortam hæreſim Pelagianam. Non, inquam, hoc mirum eſt, cum antiquitus Maſſilienſes illi relati à Proſpero & Hilario, eidem ſancto Patri Auguſtino præſcientiam illam ſuam, quam ante decretum divinæ voluntatis conſtituebant, tribuere conati ſint, ex eo quod etiam in alio libro ab ipſo Doctore ſancto compoſito ante hæreſim Pelagianam dixerit noviſſe Chriſtum qui in eum erant credituri; quorum objectioni ſanctus ipſe Doctor Auguſt. reſpondens lib. de prædeſt. ſanctorum, cap. 9. ſic dicit ſicque reſpondet. [Quid enim eſt verius quam præſciviſſe Chriſtum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? ſed utrum prædicato ſibi Chriſto à ſeipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi, id eſt utrum tantummodo eos præſcierit, an etiam prædeſtinaverit Deus, quærere ac diſſerere tunc neceſſum non putavi, proinde quod dixi tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat, qui in eum fuerant credituri, poſſet etiam ſic dici, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui electi fuerant in ipſo ante mundi conſtitutionem, ſed quoniam ſi ita diceretur lectorem faceret intentum ad ea requirenda, quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris neceſſe eſt copioſiùs & laborioſiùs diſputari viſum mihi eſt quod tunc ſatis erat, breviter eſſe dicendum, excepta ut dixi altitudine ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & ſine præjudicio aliarum cauſarum de quibus non tunc, ſed aliàs opportuniùs diſputandum putaui.] Per quæ eadem omnino verba, & nunc ſanctus Doctor reſponderet præſenti objectioni de congrua vocatione, nimirùm nihil verius eſſe, quàm aliquos uocare Deum ſicut ſcit illis congruere. An verò illos Deus vocet vocatione tantùm moraliter excitante, & quæ ab hominbus efficax reddatur, an verò vocatione congrua quæ verè effectivè & efficaciter homines convertat, qua nulla magis congrua eſſe poteſt, id tunc non expreſſit, ne lectorem intentum redderet, ad ea inquirenda, quæ ex admonitione Pelagiani erroris erant copioſiùs & laborioſiùs diſputanda: ſicut revera in libris contra Pelagianos clariùs & copioſiùs illam docuit ex Deo ipſo verè efficacem ad hominem convertendum. Imò in citata quæſt. ad Simplicianum non obſcurè reipſa illam poſuit ex Deo eſſe efficacem, & valde homini congruere, prout ſtatim ex illius verbis clariùs exponemus atque probabimus.

Sed inſtant illius libri ad Simplicianum magnam authoritatem eſſe, cum idem ſanctus Pater Auguſtin. tum in libris retract. tum in illis contra Pelagianos confectis, ſe referat ad id quod in illa 2. q. ad Simpl. dixerat, illudque ibi probet, atque confirmet.

Ad quod dicendum eſt primò tria in illa q. 2. ad Simpl. dixiſſe S. P. Auguſtinum, quæ diſtinguenda omnino ſunt, & nullatenus adinvicem confundenda. Primum eſt, initium fidei ex Dei gratia eſſe. Secundum eſt illa explcatio quam ibi adhibuit ad illum locum Apoſtoli: *Ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret* Tertium eſt, quod tetigit de vocatione, qua Deus in nobis operatur & velle: de quo tertio puncto oppoſitio facta procedit. Ad quæ duo priora breviter dicemus primò, poſtea ad hoc ultimum, quod principaliter intendimus.

Dicendum ergo ſecundò. Cum S. P. Auguſt. tam in libris retract. quàm in duobus ſupra citatis de prædeſt. ſanctor. & de dono perſev. refert ſe ad illud quod in q. 2. ad Simplicianum prius dictaverat, illudque probat atque confirmat, ſolum loquitur de initio fidei, docens atque confirmans ſe in illa quæſt. ad Simplicianum rectè tradidiſſe initium fidei in hominibus non ex ſola illorum libertate, ſed ex divina gratia provenire

Digitized by Google

venire illud causante in his qui credere incipiunt : ita quod tale fidei initium dónum Dei sit , nullo autem modo se refert aut approbat illa alia duo , quæ relata sunt supra. Unde quantùm ad id, quod ibi dixit de initio fidei non dubium quin magnæ authoritatis sit liber ille ad Simplicianum. Hoc dictum non aliter venit probandum , quàm lectorem remittendo ad ipsam litteram , tum in lib. Retract. tum in aliis duobus de prædest. sanct. atque de dono perseverantiæ in quibus id, quod diximus, apertissimè traditur.

Dicendum tertiò illud aliud secundum quod in illa quæst. 2. ad Simpl. tractat , nimirum Apostoli explicationem ad illa verba, *ut secundum electionem propositum Dei maneret*, reipsa retractatum apparet in posterioribus libris contra Pelagianos, potissimè in utraque Epist. 105. & 106. ut supra relatus Card. Bellarm. affirmat , nec quantum ad id magnæ authoritatis est quod scripsit in illa q. 2. ad Simplicianum.

Retractatum diximus reipsa , quia expressè retractatum non invenitur, sed reipsa dum contrariam explicationem ad illud Apostoli testimonium adhibet in libris quos postea contra Pelagianos scripsit.

Quod ut clariùs innotescat considerandum, septem sed brevissimè, sanctum Doctorem Augustinum dixisse circa explicationem prædictam. Primum, ac cæterorum fundamentum, quod qui à Deo elegitur, jam præsupponitur distans seu dignus præ alio qui relinquitur. Secundum in illis verbis, *ut secundùm electionem propositum Dei maneret*, velle dicere Apostolum, Jacob & Esaü nihil boni , vel mali egisse , ut inde secundùm electionem propositum Dei maneret. Tertium quod propositum non sequitur electionem , sed potius electio ipsum propositum. Quartum quòd hoc propositum , ad quod electio sequitur est propositum justificandi. Quintum electionem secutam ad hoc propositum esse electionem ad gloriam dandam in ratione præmij atque mercedis propter merita ex justificatione præcedentia. Sextum illud aliud Apostoli testimonium , *elegit nos in ipso ante mund constitutionem* , dictum esse secundùm præscientiam illam , qua Deus præscivit aliquos eligendos ad gloriam in ratione præmij dandam , propter supradicta merita ex justificatione provenientia. Septimum & ultimum in fine illius quæstionis apposuit sic dicens: *Quod si electio hìc fuit aliqua ut sic intelligamus quod dictum est, reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt , non ut justificatorum electio fiat ad vitam æternam, sed ut eligantur, qui justificentur ; certè ita occulta est hæc electio , ut in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit.* Quod ultimum quasi sub dubio videtur relinquere, vel si id assertivè dixit, quid tamen in Jacob eligeret, nec tunc exposuit, sicut postea in libris contra Pelagianos clariùs explicuit.

Esse autem doctrinam hanc , quantum ad illa sex priora reipsa retractatã in libris contra Pelagianos , ex hoc constat, quod illud primum fundamentum, à quo cætera consequuntur, in lib. de prædest. sanct. cap. 17. & 18. & in utraque citata Epist. 105. & 106. expressè judicatur dum contrarium omnino profertur : cum expressè docet non requiri ut quis à Deo per electionem gratiæ eligatur, quod præsupponatur distans, vel dignus ab eo qui relinquitur, sed quòd Deus eligendo facit dignum, & electione sua distantem facit ab alio, qui relinquitur. Ubi nomine electionis comprehendit etiam divinam dilectionem , ita quod Deus diligendo quos vult eosdem electione suæ gratiæ eligit , & tali dilectione & electione dignos facit, & distantes ab eis quos relinquit. Nam si electio ratione distinguitur à priori dilectione , jam eligitur à Deo distans ab alio per dilectionem, & jam sic à Deo dilectus dignus est tali dilectione, ut præ alio, qui sic dilectus non est, eligatur. In eisdem præterea locis Apostolum in illis verbis , *ut secundum electionem propositum Dei maneret*, probat non de electione ad gloriam in ratione mercedis post prævisa merita ex justificatione præcedentia fuisse locutum , sed de electione ad gratiam ante merita aliqua, seu omnino merè gratuita, & hanc esse Apostoli mentem ibi probat, & copiosè satis ostendit, & fundat.

Sed jam ad illud tertium , quod nostræ intentionis est præcipuum, de vocatione illa congrua veniamus, & quod per illam nullo modo intelligat illam , quæ ab homine congrua fit & efficax, clariùs ostendamus.

Dicendum igitur quartò nec in omnibus verbis simul, nec in aliquibus eorum, quæ ibi sanctus Doctor de illa vocatione habuit, aliquid reperitur quod illi vocatæ congruæ vocationi pendenti in sua congruitate seu efficacia ab homine faveat & contra vocationem secundum efficax Dei propositum, quam ubique contra Pelagianos docuit aliqua ratione subsistat. Unde nec hoc est à sancto Patre retractatum reipsa, sed in posterioribus libris contra Pelagianos clariùs, expressiùs , & efficaciùs propositum , ac explicatum. Hoc ultimum quòd clariùs & efficaciùs id exposuerit in libris adversus Pelagianos apertissimum est, nec ampliùs probandum , quàm ex sancti Thomæ verbis superiùs inductis, & ex his quæ ibi allata sunt ex sancto Patre Augustino lib. de prædest. sanct. cap. 14. simul cum illo , quod ipse Doctor sanctus dicit lib. de don. persev. se nimirum non à perfectione cœpisse, in libris videlicet prioribus ante exortam hæresim Pelagianam , quorum unus est ille ad Simplicianum. Illud vero secundum quod hoc non sit aliquo modo ab ipso retractatum , manifestum erit , si semel fuerit ostensum nihil contrarium illius dixisse in posterioribus libris adversus Pelagianos.

Nec necessarium putamus cum aliquibus viris satis doctis asserere Doctorem sanctum in illis verbis, quæ habet de vocatione congrua inquirendo , & dubitando non asserendo processisse , sed in fine illius quæstionis tandem assertivè sententiam firmasse. Nec ad id cogit ille dicendi modus, *An fortè*, & similes, cum insolitum non sit similibus locutionis formulis sensum exprimi assertivum , quod & exempla manifesta probarent , nisi putaremus illa omnibus satis pervia, pro quibus illud unum sufficiat à Christo Domino assertivè prolatum : *An non licet mihi quod volo facere ? an oculus tuus nequam est , quia ego bonus sum ?* Quod autem dicunt in fine assertivè suam sententiam firmasse, certissimum est, ut statim probabimus, sed & illud, quod inquirendo & dubitando procedat, aliquale fundamentum habet in littera ut probabiliter dicatur. Juxta quem dicendi modum , quomodo argumentum sumitur ex eo quod inquirendo, & dubitando proponitur, omisso eo quod assertivè affirmatur ? per quod tota illorum prætensio penitus enervatur. Verum nec necessarium est ut diximus sic eis respondere, quia habemus firmiorem, & solidiorem doctrinam S. Doctoris in hac eadem quæst. 2. ad Simpl. in qua illorum congruæ vocationi contradicit.

Dicendum ergo quintò Doctorem sanctũ assertivè in tota illa quæst. 2. procedere , & nihil pro illa relata vocatione , quæ his temporibus congrua dicitur , tradidisse , sed de illa quæ ex Deo ipso congrua & efficax est independenter ab humana volnntate, quæ illam reddat congruam , & efficacem breviter sermonem fecisse. Horum primum sic ostenditur, quia antequam de illa congrua vocatione agere cœpisset illud ex Apostolo fundavit , *non est volentis, nec currentis , sed Dei miserentis* : duas falsas explicationes præcludés, secundùm quas vel illarum quamlibet posset etiam dici non miserétis est Dei, sed volentis etiam & currentis est hominis , quod nec posse dici assertivè affirmat , & assertivè utramque sinistram,

Digitized by Google

explicationem rejicit: primam quidem his verbis, *non hoc Apostolus propterea tantùm dixisse videbatur, quod adjutorio Dei ad id quod volumus perveniamus: sed etiam ex illa intentione, qua & alio loco dixit, Deus est, qui operatur in nobis, & velle & operari pro bona voluntate:* secundam falsam explicationem reprobat, dicens, *igitur ideo dictum est putandum, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei; quia nisi ejus adjutorio non possumus adipisci quod volumus sed ideo potiùs, quia nisi ejus vocatione non volumus.* Duplici explosa falsa explicatione, & firmata veritate quod Deus non solum adjuvat, ut velle possimus, nec solum ut postquam ex nobis tanquam ex nobis volumus id perficiamus (aliàs dici posset: non miserentis est Dei, sed etiam volentis, & currentis est hominis: quod absque dubio contra Apostolum diceretur) sed quod adjuvat, ut velimus in nobis operando ipsum velle, statim contra hanc firmitatem veritatem opponit: si vocatio ista ita est effectrix bonæ voluntatis, ut eam omnis vocatus sequatur, ut saluet quod dictum est quod Deus in nobis causat ipsum velle, quomodo illud aliud verum erit, *Multi sunt vocati, pauci verò electi?* Ad hoc ut respondeat, illam in primis congruam vocationem, quam homo ex sua innata libertate sibi reddit efficacem, & congruam apertissimè, quod omnes considerare deberent, his verbis excludit, *Quod si verum est, scilicet, multi sunt vocati, pauci vero electi, & non consequenter vocatus obtemperat, atque ut obtemperet in ejus est positum voluntate rectè etiam dici posset, igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis, quia misericordia Dei vocantis non sufficit, nisi vocati obedientia consequatur.* Ac si clariùs dicat: cum dici non possit non miserentis est Dei, sed volentis, & currentis est hominis, (hoc enim dici non posse præmiserat ante) etiam dici non potest, quod vocatus obtemperet, non sufficit Dei vocatio, sed id habet qui vocatur in sua positum voluntate, ita quod obtemperet ex sua innata libertate faciente sibi efficacem & congruam Dei vocationem. Quod etiam negavit post pauca dicens, *quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate,* sicut illa prætensa aliquorum congrua vocatio constituit, per quod satis clarè, si advertere velint, illam ab eis assertam, & prætensam congruam vocationem, qua homo ex libertate sua illam sibi reddit efficacem, & congruam excludit, & negat ibi S. P. Augustinus. Qua proinde negata ad argumentum quod opposuerat, Respondet utrumque illud testimonium nempe, *non volentis, nec currentis, sed Dei miserentis,* & illud aliud, *multi sunt vocati, pauci verò electi,* nullo modo adinvicem adversari. Quia hoc ultimum de communi, & generali vocatione procedere reipsa docet, licet id expressis verbis non distinguat, sed intentio, littera, & contextus satis indicant; illud verò aliud: *Non volentis, &c.* de vocatione speciali, qua Deus congruenter vocat exponit. Quod verò dicit sic eos vocare, quomodo novit eis congruere, ut sequantur, congruitatem exprimere voluit, quam Deus per suæ vocationis efficaciam in vocatis operatur. Novit enim Deus vim, & efficaciam vocationis suæ, quæ est secundùm Dei propositum optimè libertati humanæ congruere, nec aliquid congruentius ei posse aptari: quam sic efficaciter à Deo vocari ut obediant, & sequantur. Ut enim idem docet sanctus Doctor Augustinus Epist. 106. Quid debet esse jucundius, vel infirmis gratiâ, qua sanantur, vel pigris gratiâ qua excitantur vel nolentibus gratiâ qua juvantur. Ita nec aliquid eis cohgruentius, quàm efficaciâ gratiæ qua trahuntur. Similiter quod subdit: *quòd quamvis multi sunt vocati, tamen quia non omnes eodem modo affecti sunt, illi solum sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei;* illorum prætensæ congruæ vocationi (quam, ut ostensum est, satis clarè refutavit) *nullo modo favet.* Sed sensus est, quòd multi eodem modo vocantur quantùm ad solam interiorem gratiam excitantem, in qua incipit divina vocatio, sed illi tantum recipiunt, & sequuntur, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, vel idonei fiunt per ulteriorem gratiam adjuvantem, qua à Deo præ aliis, qui non sic adjuvantur, efficaciùs idonei redduntur, ut vocationi obediant ipsamque sequantur. Quam esse ipsius S. Doctoris mentem satis ostendit, quod clariùs negavit in affectu vel idoneitate, sive potestate hominis esse quod vocationem sequatur: sed id in Dei misericordia situm esse. Manifestum est ergo quod loquatur de idoneitate ex gratia proveniente, qua reddantur idonei, qui vocationem sequuntur. Quam hic quidem tetigit, sed lib. de prædest. sanct. cap. 10. expressius explicuit sic dicens. *Quod dixi salutem Religionis hujus nulli unquam defuisse, qui dignus fuit, & dignum non fuisse cui defuit, si discutiatur, & quæratur unde quisque sit dignus, non desunt, qui dicunt voluntate humana, nos autem dicimus gratia, vel prædestinatione divina* Si inquam discutiatur, & quæratur (quod in illa quæst. 2. ad Simpl. non ita clarè discussum est, sed tactum solum, ut diximus) unde quis sit ita affectus, & idoneus ut vocationem sequatur, sunt isti authores cum quibus agimus, qui dicunt id fieri voluntate humana faciente sibi congruam, & efficacem divinam vocationem: Nos autem cum S. P. Augustino dicemus gratiâ, & prædestinatione divina, quæ talem facit idoneitatem.

Quæ dicta sunt confirmantur, & multò clariora redduntur ex verbis aliis, quæ propè finem illius q. 2. adhibet S. Doctor, quæ sic habent: *Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? Aut quis, habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet, cum occurrerit?* Ac si dicat nullus penitùs, cum ergo subdit: *Nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum: inspiratur hoc, & præbetur gratiâ Dei, non nutu nostro, & industria, aut operum meritis comparatur, quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studij, ut sint opera charitate ferventia ille tribuit, ille largitur.* Si nullus habet in potestate sua, ut occurrat, quod eum delectare possit, non habebit in sua potestate, ut congruè vocetur; Hoc nobiscum isti authores fatentur; sed pergant ulteriùs. Si nullus habet in potestate sua, ut eum delectet cum occurrerit: ergo nec habet homo in potestate sua, ut illi sit congrua vocatio, ut eum magis hac temporis circunstantia delectet quam in alia. Cum verò docet S. Doctor, quod non habet homo in sua potestate, quod talis vocatio delectet, non negat quin delectare in nostra sit positum voluntate, sicut in potestate causæ secundæ, sed tantùm negat, quod omnium primò non est in hominis potestate quod delectet, & efficacem reddat vocationem, sed id primò à Deo ei provenit, ut eum faciat delectare in tali vocatione, quia à Deo sicut à causa prima est talis efficacia: non ergo in sua habet potestate homo, ut ex seipso vocationi consentiat, nec ut illam sibi congruam reddat & efficacem, ut defensores illius congruæ vocationis prætendunt. Non ergo est congrua, quia novit Deus arbitrium ei pro sua libertate consensurum, vel quia novit in tali occasione arbitrio placiturum, non vero in occasione alia, aliàs in potestate hominis esset ut id quod sibi occurrit, eum delectet. Quod cùm planè S. P. Augustinus neget, apertissimè per verba omnino æquivalentia, illorum congruam vocationem damnat. Quod & magis exprimit, atque confirmat, cum ait, *ut sit nutus voluntatis, ut sit industria, ille tribuit ille largitur.* Dicût defensores illius sæpe repetitæ vocationis congruæ, ut sit nutus voluntatis, ut sit cõsensus, ut sit delectatio, cum sic cõgruè vocãtur ex se habet homo, & ex sua innata libertate

bertate cõsentit enim, aiunt, quia vult verum Magnus defensor gratiæ Augustinus ait, ut sit nutus volũtatis, ut sit cõsensus, ut sit delectatio Deus tribuit, Deus largitur qui suâ gratiâ & illius efficaciâ tribuit, ut sit nutus voluntatis, vt sit consensus, ut sit delectatio. Quia, ut ait, cum nos ea delectant quibus proficiamus ad Deum inspiratur hoc & præbetur gratiâ Dei non nutu nostro. Non ergo nutu nostro illa nos delectant ut ad Deum veniamus, sed gratiâ Dei, sed virtute ipsius.

Tandem in fine illius quæstionis secundæ ita concludit, declarans atque manifestans per quid reddatur congrua & effectrix bonæ voluntatis prædicta vocatio. *Igitur non volentis nec currentis, sed miserentis est Dei, quandoque nec currere nisi eo movente & excitante poterimus.* Non ergo secundùm Doctorem sanctum in hac quæst. 2. ad Simpl. fit congrua vocatio per excitationem tantùm illam moraliter invitantem, & suadentem, sed per Dei veram motionem supra excitationem, cum ait, quod nisi Deo movente, & excitante fieri non potest ut velimus atque curramus. Causat ergo Deus in nobis, & velle, & operari, non solùm per moralem excitationem, sed etiam per veram motionem, qua verè & activè nos movet, ut de facto velimus, & operemur. Imò consultò prius posuit verbum movente quam excitante: ne si posterius poneretur, occasionem sumerent ij authores cum quibus agimus, ut dicerent esse simultaneam, seu consequentem illam motionem suadentem prævenientem: ut ergo declararet non solùm excitationem, sed supra illam veram & effectivam motionem esse verè prævenientem; ideo prius dixit movente quam excitante; licet naturæ ordine prius sit moralis excitatio, quàm Dei vera & efficax motio, qua verè & activè propriè facit excitationi consentire. De quo tamen copiosius in nostro 4. lib. acturi sumus.

Sed quid laborant sancto Augustino tribuere congruam istam suam vocationem: cum Cardinalis Toletus ex ipsis assumptus super cap. S. Lucæ annot. 54. in fine ita concludat, sanctus Augustinus totus est in contraria sententia, & quod falsò hanc de vocatione congrua sua illi conantur adscribere, propter ejus verba in cortice litteræ considerata: quæ & priùs explicata, & intellecta fuere à S. Augustino lib. de don. persev.

Concludamus ergo sanctum Doctorem Augustinum in hac eadem quæst. 2. ad Simplicianum, non solùm semel, sed iterùm ac tertiò illam prætensam congruam vocationem moraliter tantùm suadentem, & non verè efficientem ut faciamus, qualem illius defensores statuunt, satis clarè reprobasse, & reprobandam esse docuisse, ut ex dictis fit manifestum. Similiter ibi reipsa reprobavit aliam congruam vocationem ex seipsa efficacem consistentem in inspirationibus objectivè moventibus à Deo cognitam per simplicem intelligentiam, quæ à quodam Discipulo sancti Thomæ jam supra relato constituitur: quæ ut manet ostensum, cum impossibiliter ponatur, tantò à S. P. Augustino est aliena, quantò à veritate penitùs recedit: de qua etiam nostro 4. lib. dicemus.

CAPUT XXXIII.

Aliis testimoniis pro vocatione congrua adductis ex eodem D. Augustino & D. Chrysostomo sit satis.

INDUCUNT præterea pro sua congrua vocatione sanctum Doctorem Augustinum lib. de don. persev. cap. 14. Sed nihil prorsus eis favere ostensum fuit in superioribus.

Tertiò opponunt ex eodem Doctore sancto lib. de gratia Christi cap. 10. ubi docet quod à Deo non solum homini suadetur, sed persuadetur omne bonum. Ubi per, verbum persuadere, prætendunt importari tantùm excitationem moraliter suadentem; At sine fundamento aliquo, cum per persuadere distinctum à suadere intelligat planè S. Doctor (ut in toto illo libro de gratia Christi clariùs explicuit, atque fundavit) vere efficientem & efficacem Dei motionem, qua Deus ita homini persuadet, ut eum ad se fortiter & suaviter trahat.

Distinguit enim ibi persuadere supra suadere in hoc, quod qui tantum suadet effectum quem intendit, non inducit: at qui persuadet, effectum quem vult efficit. Cùm ergo Deus secundùm Doctorem sanctum non solùm suadeat, sed etiam persuadeat: semper efficit ut persuasus convertatur. Unde Deum persuadere in S. P. Augustino idem omnino est, quod verè efficere, & efficaciter hominem ad consensum movere. Ideo autem efficacem & verè efficientem Dei motionem persuasionem vocat, ut ostendat non eo modo efficacem motionem esse, quo cætera naturalia efficaciter ad suas naturales operationes moventur: sed esse efficacem motionem libero hominis arbitrio convenientem, qua fortiter & suaviter persuadendo movet, & movendo persuadet, ut arbitrium creatum sua magna libertate præbeat consensum. Non enim aliis animalibus ratione, & libertate carentibus Deus, vel suadet, vel persuadet, sed intellectuali, & rationali creaturæ solum, ac ejus libero arbitrio suadet, & persuadet, suadet quidem per interiores suasiones moraliter suadentes, & invitantes: persuadet verò per efficacem, & veram efficientem motionem qua suasioni facit arbitrium consentire.

Quod verò ista sit sancti Patris mens & intentio ex eo constat, quia postquam illa verba proposuit: *Nos eam gratiam volumus iste aliquando fateatur, qua nec suadetur solum omne quod bonum est, sed persuadetur.* Ad ostendendum, quod de persuasione verè efficiente, & verè ex ipso Deo efficaci loquebatur, protinus hæc alia verba subjungit: *Non enim omnibus persuadetur, quibuscumque suadetur, ut veniant ad eum qui dicit: venite ad me omnes qui laboratis. Quorum autem sit fides, & quibus persuadetur, ut ad Deum veniant, satis ipse demonstravit, ubi ait, nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Quibus apertè docet idem esse Patrem persuadere, quod Patrem trahere homines ad Christum. Verbum autem trahere, non dubium quòd non solùm moralem suasionem significat, sed motionem insuper verè efficientem, atque homines trahentem, statim etiam subdit. *Dixi,* inquit, *vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Quibus ipse sanctus Doctor per seipsum exponit, quid intelligat per verbum persuadere dicens idem omnino esse persuadere, quod Patrem trahere homines ad Christum: & idem esse quod illis dari à Patre ut credant Christum. Ex quo efficax, imò convincens sumitur argumentum contra hos authores, qui suam sententiam fundare laborant contra prævenientis gratiæ divinam efficaciam in hoc verbo, persuadere, inducto à S. P. Augustino: si enim illo verbo non uteretur, sed illis aliis, traxerit, eis esse datum à Patre, nunquam ex illis occasionem sumerent, nec sumere possent pro sua tantùm vocatione moraliter suadente. Sicut nunquam ex similibus vocibus id attentarunt, cum videant luce clariùs importari per illam efficientiam veramque divinæ gratiæ efficaciam. Cum ergo sanctus Doctor Augustinus expressè dicat idem esse persuadere, & trahere & dari à Patre: nec aliqua ratione possunt ex verbo, persuadere, sic explicato, aliquid colligere pro morali illa sua suasione.

Ad aliud testimonium quartum, quod solet opponi ex lib. de Spiritu, & littera, copiosiùs in nostro 4. li-

Digitized by Google

bro tractabimus, nec enim omnia hic inducenda videntur: cum ex professo de impugnatione illius mediæ scientiæ agamus.

Sed adhuc objiciunt, ut visum fuit supra in illo quarto suo argumento pro illa sua vocatione congrua fundata in scientia media, S. Chrysostomum homilia 31. in Matthæum ubi de Paulo, & Magdalena loquens ait eos tunc fuisse vocatos quando, & quomodo scivit Deus eos non reluctaturos, sed obtemperaturos. Cujus testimonij, & cujuscumque similis, quod in sanctis Doctoribus inveniatur, vera intelligẽgentia est, tunc Deum illos vocasse, quando sciebat obtemperaturos, sed non ex seipsis congruam & efficacem sibi reddentibus vocationem suam, ut isti authores prætendunt, sed quando ipse sciebat obtemperaturos ipsos ex efficacia vocationis suæ. Vim enim & efficaciam suæ vocationis non ignorans Deus illos tunc vocavit, quando scivit ex sua efficaci vocatione consensuros, & ante eos non vocavit, quia sciebat non tunc determinasse illos efficaciter vocare ut venirent, unde & præsciebat quòd si tunc vocaret nec venirent. Dixerat aliquando Augustinus sanctus præsciviſſe Christum, qui in eum essent credituri, & illi ex istis verbis opposuerunt Semipelagiani, quod illorum præscientiam contra efficaciam divinæ electionis & gratiæ traderet. Quibus ipse respondet: nihil esse verius quàm præsciviſſe Christum qui in eum erant credituri, sed nihil falsius quàm præsciviſſe eos ex se & non ex Deo verè donante fidem & efficaciter eos ad se convertente atque trahente fore credituros; quia si Deus id præscivit, profectò dona sua, quibus illos ad fidem conversurus erat, præscivit. Sic & nos respondemus intellexisse Chrysostomum tunc illos vocasse, quando sciebat eos credituros, & obtemperaturos, ex vi & efficacia ac dono suo, & non ex seipsis efficacem reddentibus vocationem suam, ut isti authores prætendunt.

Eodem prorsus modo intelligit etiam sanctus Doctor Augustin. cum lib. de natura & gratia c. 26. dicit Deum permittere, ut prædestinatus cadat in mortale, quia novit illum cautiorem futurum. Novit, inquam, quia ita in sua æterna prædestinatione disposuit, & efficaciter eventurum prædefinivit. Et sanctus Gregorius cùm docet, quod aliquando Deus flagellis premit electos, quia sua omnipotentia prævidit, quod si in tranquillitate persisterent, laberentur; hoc, inquam, in sua æterna permissione prævidit, qua decreverat sic permittere: similiter sanctus Thomas cum affirmat quod omnes exteriores motus à divina providentia ordinantur, & moderantur, secundùm quod ipse judicat aliquem esse excitandum ad bonum: non enim intendit per hanc exteriorem, sive congruam excitationem ad bonum converti tantùm hominem, (quod sicut Pelagianum multoties in sua doctrina damnavit,) sed affirmat, illa adhibita interiùs Deum operari vt homines velint, quod affirmavit frequentiùs.

Quintum & ultimum argumentum, quo nitebantur deducere hanc mediam scientiam, illud erat, quod sancti Patres & potissimè Augustinus sæpe docent tunc voluisse Christum venire, quando sciebat, & ubi sciebat, qui in eum fuerant credituri: ex his enim & similibus verbis, quæ in Doctoribus sunt frequentissima, colligunt isti authores mediam illam scientiam antecedentem divinæ voluntatis decretum omne, & videntem quid liberum arbitrium ex se sine Deo dante efficaciter operaturum erat.

Sed ad hoc necesse non habemus aliquid aliud apponere vel explicare præter id quod abundè satis ut credimus ex sancto Patre Augustino explicavimus, vel ut formaliùs & veriùs loquamur, ipse sanctus Doctor manifestissimè explicavit in illo cap. 9. de prædest. sanct. supra relato; ibi enim sanctus Pater & Doctor expressiùs affirmat, nihil esse verius quàm Christum id præsciviſſe, sed nihil esse veriùs quàm in sua æterna electione id præsciviſſe, unde potiùs ex hoc loco totum contrarium colligitur, ut manifestum est supra. Concludendum est ergo perperam sanctos Patres pro hac scientia media induci, cum illam nullatione vel formaliter, vel implicitè nominent, sed per fallaces consequentias, & illationes pessimas ex eis non rectè colligatur.

Insigne tandem est illud testimonium, quod ex Enchirid. cap. 95. à nobis supra adductum est, ubi sic habet: *Tunc in clarissima luce sapientiæ videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur, quàm certa, & immutabilis, & efficacissima sit voluntas Dei, quæ multa possit, & non velit, nihil autem velit, quod non possit.* Ecce piorum fides habet, efficacissimam esse voluntatem Dei ad faciendum quod voluerit. Et paulò infrà hanc efficacissimam Dei voluntatem magis exponens continuò subjungit: *Quis porrò tam impiè desipiat ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quomodo voluerit, ubi voluerit in bonum non posse convertere?* Non ergo Deus tempus habet expectare nec inspicere, quòd sub his congruis conditionibus arbitrium constituatur, quas sibi efficaces reddat humana voluntas: sed Deus efficacissima sua voluntate, atque potenti virtute, quas voluerit hominum voluntates, & ubi voluerit, & quomodo voluerit potest in bonum convertere: quod omnes fateri tenentur, nisi velint de ipsis verificari, quod sanctus Pater Augustinus relatis verbis dicit, & cum admiratione proponit: *Quis porrò tam impiè desipiat, &c.* Et hæc est illa vocatio secundum propositum quam alibi statuit: secundum propositum, inquam, efficacissimum Dei, & qua factum est, ut Paulus de cœlo vocaretur, & tam efficacissima conversione converteretur.

CAPUT XXXIV.

Respondetur locis adductis ex scholasticis pro scientia media.

PRÆTEREA supra Scholasticos retulimus, quibus hanc mediam scientiam attribuunt Recẽtiores, ad quos antequam in particulari descendamus, illud observandum omnino videtur, nullum Scholasticorum antiquorum expressè hujus mediæ scientiæ mentionem fecisse nec sub hoc nomine, nec sub alio, ejus expressam rationem, ac definitionẽ tradidisse, quod etiam authores cum quibus disputamus fatentur, quia dicunt illam comprehendisse Scholasticos implicitè in scientia visionis ex eo quod idem judicaverunt de scientia visionis absoluta sive absolutorũ futurorum, & de scientia conditionalium. Sed certè mirum est, quod Scholastici, qui usque in hæc tempora scripserunt hanc mediam scientiam ita necessariam, sicut recentiores affirmant, non expressè tradiderint. Quomodo enim scientiam istam ita necessariam ad conciliandam arbitrij libertatem cum divina gratia & prædestinatione, & sine qua concordia ista, ut aiunt, non salvatur, omisissent? hoc quis potest capere capiat. Et hoc sit primum argumentum, quod apud antiquos scholasticos incognita penitus fuerit scientia talis, nisi fortè ut reprehenderetur, quam reprehendisse S. Thomam, & Scotum diximus supra.

Sed authores cum quibus agimus dicunt se primos, qui his temporibus hanc mediam scientiam introduxerint, & antiquis penitus fuisse incognitam, sic enim dicit Fonseca quæst. 6. metaphys. sect. 6. & Gabriel Vasquez 1. par. quæst. 14. disput. 67. in fin. ait quod Scholastici antiqui de hac scientia sub conditione nihil disputarunt, aut ullatenus ejus meminerunt. Et

Molina

Digitized by Google

Molina ipſe in Concord. q. 23. art. 4. diſp. 2. §. *Nos pro noſtra* (cujus verba ſupra nec ſemel retulimus) expreſsè ſe Authorem Concordiæ liberi arbitrij, & gratiæ per illam mediam ſcientiam fuiſſe fatetur, & ſubdit ſe non dubitare, quin ſi S. Auguſtino, & aliis Patribus talis concordia propoſita fuiſſet, vel ab eis cognita, illam approbaſſent. Quibus hanc mediam ſcientiam incognitam S. Auguſtino & S. Patribus, confitetur.

Præterea ex eo quod Scholaſtici hanc ſcientiam implicitè tradiderint ſub ſcientia viſionis ita philoſophãtes de cognitione futurorum ſub conditione, ſicut de cognitione futurorum abſolutorum [ſicut Recentiores ipſi fatentur] planè ſequitur, quòd ſicut Scholaſtici ſemper docuerunt nullum futurum contingens abſolutum à Deo prævideri ante actum abſolutum liberum divinæ voluntatis, ita etiam ibi implicitè docuiſſe nullum futurum conditionatum præſciri à Deo ſine actu divinæ voluntatis, ut ſuprà explicatum eſt.

Sed jam in particulari Scholaſticos, quos adducunt & qualiter adducunt conſideremus. Alenſis inprimis, & Sanctus Bonavent. referuntur qui ad cognitionem certam in Deo de futuris contingentibus nihil aliud dicunt requiri niſi ſolùm divinas Ideas. Cum ergo Ideæ antecedant actum liberum divinæ voluntatis, ipſis attribuunt quod in hoc ſcientiam mediam commendent. Ad quod tamen facillima reſponſio eſt quod nec Alenſis nec S. Bonaventura aliquo modo dixerunt, quòd Ideæ divinæ repræſentent futura contingentia, & libera ante decretum liberum voluntatis divinæ id determinantis, ſed poſt illud. Unde ex hoc capite nulla ratione eis attribui poteſt hæc media ſcientia: oportebat enim priùs probare eos ſenſiſſe ante omne decretum liberum divinæ voluntatis divinas Ideas futura libera repræſentare, cujus totum contrarium ipſi perpetuò docuerunt.

Durandum in hac parte inducere non debebant ij Authores, ne vel expreſsè faterentur ſe eum ſequi circa divinam cauſalitatem, in quo intolerabiliter in fide erravit Durandus, ut ab omnibus de errore taxatur.

Similiter quod hanc ſcientiam colligunt ex Gregorio, Gabriele, Marſilio, quia dixerunt Deum efficacitate ſui intellectus cognoſcere futura, nihil eos juvat, quia fortè nec dixerunt hæc cognoſci ante actum divinæ voluntatis. Quòd ſi prædicti Authores cum Ocham, & aliis Nominalibus tenent ante divinam voluntatem, quæ prima radix eſt contingentium, eſſe aliquod futurum contingens determinatè verum, cum illis ſentiant, qui eos in hac parte in ſuum vocant patrocinium. Nec id eos aſſeruiſſe ex ipſorum dictis oſtenderemus, ſed quia tantæ authoritatis non ſunt, nec neceſſarium putamus ipſorum in particulari dicta allegare.

Quomodo autem Scoto hanc mediam imputent ſcientiam planè intelligere non valemus; nam ipſi Recentiores fatentur id quod in Scoto eſt apertiſſimum, videlicet ſubtilem illum Doctorem conſtituiſſe determinationem divinæ voluntatis, ſive prædefinitionem antecedentem omnem humani arbitrij determinationem præviſam, de quo & affirmant quòd per prædefinitionem illam ſic antecedentem libertatem abſtulerit, quod cum ita ſit, quomodo poſtea Molina in conc. diſp. 10. §. adducit in favorem illius mediæ ſcientiæ ſalvatricis libertatis Scotum, qui libertatem ſecundùm ipſos negavit? Si enim illa prædefinitio Scoti ſecundum ipſos tollit libertatem, antecedit ergo ſecundùm eoſdem mediam illam præſcientiam, ſi autem illa Scoti prædefinitio ſupponit mediam ſcientiam, ut in ſecundo loco dicunt, ergo nullo modo ſecundùm ipſos lædit aut impedit libertatem: quomodo ergo adducunt Scotum tollentem ſecundum ipſos libertatem per ſuas prædefinitiones in favorem illius mediæ ſcientiæ, quæ hac ratione ſalvat ſecundum ipſos libertatem, quia tales aufert prædefinitiones? Loca autem quamplurima, quibus doctiſſimè Scotus ſtatuit prædefinitionem omninò antecedentem ante prævilum humanæ voluntatis uſum infra adducentur; nunc ſolùm oſtendamus Scotum expreſſiſſimè hanc ſibi falsò attributam ſententiam negare: in primo enim ſent. diſput. 40. q. unic §. *Iſte igitur*, refert ſententiam Henrici dicentis Deum prædeſtinare ex præviſo uſu liberi arbitrij, & contra ipſum arguens ſic dicit in §. *Sed contra, Deus non prævidit iſtum bene uſurum libero arbitrio niſi quia vult, vel præordinat iſtum bene uſurum eo; quia ſicut dictum eſt prævi ſio futurorum contingentium eſt ex determinatione divinæ voluntatis.* Hæc Scotus. Quid ergo clariùs ab eo dici potuit contra iſtam ſcientiam mediam cognoſcentem quid liberum arbitrium facturum eſt (ut aiunt) ante divinæ voluntatis determinationem? Et in 2. ſent. diſt. 37. jam alibi citata expræſcientia futuri contingentis, quæ antecedit divinæ voluntatis determinationem, docet manifeſtè, & divinam cauſalitatem negari, & certam Dei cognitionem de illis futuris à Deo auferri. Verba illius ſunt in q. 2. §. contra iſtam opinionem; *Nec habet ſcientiam* (ſcilicet Deus) *de futuris contingentibus, niſi quia certitudinaliter novit determinationem voluntatis ſuæ reſpectu eorum*: Quod confirmat in §. ſequenti incipiente, *propter igitur*.

Idem dixerat in primo ſent. diſt. 39. q. 3. §. *viſo*, & §. *vel aliter*, aſſerens quòd antè determinationem divinæ voluntatis contingentia nec ſunt vera nec habent determinatam veritatem, quibus verbis totaliter illam mediam proſternit ſcientiam, quia ejus fautores dicunt habere futura contingentia determinatam veritatem conditione appoſita ante determinationem voluntatis divinæ.

Tandem in quodlibet 14. §. *completo igitur*: In quibus, ait, niſi ipſa voluntas (divina ſcilicet) determinetur in ſe ad volendum alteram partem, nunquam dabitur aliquid ad extra; primò igitur determinat ſe ad volendum hoc fore determinatè. Secundò ex hoc intellectus videns iſtam determinationem voluntatis infallibilem, novit hoc eſſe futurum: igitur antequam voluntas ſe determinet ad aliquam partem volendo hoc determinatè eſſe futurum, quæcumque apponatur conditio, nunquam divinus intellectus cognoſcit hoc determinatè futurum tali conditione appoſita, ſecundum expreſſam, & apertam Scoti ſententiam. Quibus quatuor teſtimoniis, ut alia omittamus, cum iſta planè ſufficiant, apertè conſtat ſemper Scotum in ſua doctrina hanc reprobaſſe ſcientiam mediam, qua dicitur ante determinationem divinæ voluntatis cognoſcere Deum quid liberum hominis arbitrium facturum eſt, ſi talis vel talis apponatur conditio.

Alberto Magno, Egidio, Thomæ de Argentina, Driedoni, Ricardo, Vualdenſi hanc etiam tribuunt ſcientiam mediam, ſed nec in particulari exponunt qualiter ex eis illam deducant. Ex eo autem quod dicant Deum præſciviſſe futura conditionata, ſi conditiones adhiberentur, non eſt ſcientiam mediam vel à longe inſinuare, quia ut diximus ſæpe, ita Scholaſtici, ſicut & Sancti Patres illam certam futurorum conditionatorum cognitionem admittunt in Deo ſuppoſito divino decreto volente vel permittente, quòd tale fiat futurum ſi talis apponatur conditio, quæ cognitio ſcientiæ mediæ penitus contradicit.

De Stapletonio autem aliter dicendum, refert enim Molinam & illius ſcientiam mediam commendat, placuit enim illi hæc nova ſcientia quæ introducebatur,

Digitized by Google

batur, nec consideravit gravissima inconvenientia quæ ex illa inferuntur, unde à Stapletonio in hac parte recendum esse omnino putamus. Illud etiam de Stapletonio addendum, ipsum in aliis opusculis suis rectè de divina causalitate, & efficaci vocatione fuisse loquutum, per quod scientiam illam mediam penitus evertit, quod ex nostro 4. libro dabimus manifestum. Unde vel primam mutavit sententiam, vel sibi ipsi contradixit.

Quod adducunt ex Soto dicente propositionem conditionalem habere distinctam veritatem à veritate illationis ad summulistas remittimus, sunt enim conditionales aliquæ (ut supra dictum est) quæ non tenent in vi illationis præcisè sumptæ, & ex rei natura; sed ut veræ sint oportet quod aliquid aliud præsupponatur, ex quo tum illatio, tum propositionis veritas resultet; & vi ipsius potest dici quod veritas propositionis distinguitur ab illatione; nam illatio præcisè sumpta nec haberet veritatem nisi aliud præsupponeretur. Exempla hujus sunt plurima supra adhibita in assignandis regulis pro conditionalibus istis. Sed quidquid sit de hoc, an conditionales habeant veritatem distinctam ab illatione ipsa vel non (quod ut constat summulistarum negotium est) nihil ex hoc infertur, quod scientiam mediam commendet Etenim veritas conditionalis, sive ab illatione distinguatur, sive non (de quo modo non curamus) hoc est certissimum, quòd veritas talis in conditionali de futuro contingenti non cognoscitur à Deo certò, nisi præsuppositò ipsius divino decreto quo statuit id eventurum, si talis apponeretur conditio. Nec M. Soto aliquando dixit oppositum.

Itaque non sunt sibi invicem contrarij, qui dicunt has conditionales solùm tenere in vi illationis & consequentiæ, ac proindè vel esse necessarias, vel impossibiles; & qui dicunt cum Soto habere aliam veritatem distinctam ab illatione; quia qui illud primum affirmant loquuntur de illis conditionalibus ex vi ipsarum, & attentis earum naturis; & sic verum est illas in sola illatione, & consequentia consistere, ac proindè vel necessarias esse vel impossibiles; qui vero asserunt in illas aliam veritatem cadere præter illationem, non loquuntur de ipsis ex vi ipsarum sed ex aliis principiis illam veritatem deducunt, nec necessariam nec impossibilem, sed tantùm probabilem vel conjecturalem; verbi gratia si Thomas iret in Hispaniam, legeret; si Amicus meus ad me veniret, invitarem eum & similes ex vi præcisè illationis falsæ sunt & per consequens impossibiles, quia illa consequentia non est bona, unde redditur impossibilis, ut patet si reducatur ad consequentiam formalem dicendo, Thomas pergit in Hispaniam; ergo legit: quæ profectò consequentia ex meritis propriis nulla est, si autem ab extrinseco vel ex aliis principiis, puta attenta natura Thomæ, qua inclinatur ad legendum, vel considerata conditione, & dispositione hujus Amici, quæ inclinat ad invitandum Amicum suum si ad ipsum veniret, tunc solam conjecturabilem, & fallibilem important veritatem, variabilem pro varietate humanæ voluntatis, à qua veritas talis dependet. Si vero illas velimus dicere infallibiliter veritatem habere, oportet recurrere ad infallibile aliquod principium à quo illam sumant infallibilem veritatem, videlicet ad divinum decretum firmum & stabile quo Deus decrevit Thomam lecturum si in Hispaniam proficiscatur.

Tripliciter ergo possunt, & debent considerari propositiones tales. Primò & præcisè, ex meritis propriis & sic sunt disparatæ vel impossibiles. Secundo ex voluntate, seu ex inclinatione humana, seu quolibet alio fallibili principio, & variabili, & sic conjecturalem habent veritatem, quam solus supra citatus asseruit. Tertiò ex decreto divino infallibili à quo infallibilem illationem, & connexionem sortiuntur, qua stabilita distincta veritate, dicendum est quod Soto cum illas asseruit habere distinctam veritatem ab illatione loquitur de illa conjecturali & probabili secundo modo exposita, nec docet Deum ante suum decretum à quo sumunt infallibilitatem aliter posse cognoscere, quàm cum probabili connexione quam habent; unde ex Magistro Soto non potest inferri, vel apparenter deduci, quòd illa futura conditionata, non ex vi illationis, sed secundùm aliam distinctam veritatem certò à Deo cognoscantur ante decretum suæ divinæ voluntatis, quod debebat advertere Diotalevius. opusc. de scien. cond. cap. 5. nec tantùm de Magistro Soto gloriari quòd illorum mediam scientiam reipsa tradiderit, quod penitus ab illius mente est alienum, prædictus enim modernus Author ex eo quod Magister Soto lib. 1. *cap. 16. lect. 3.* dicat multas esse conditionales propositiones promissivas; de quarum veritate nobis non potest constare, sed Deus solus scit veræ ne sint aut falsæ, & quia divini decreti non meminit, infert ipsum scientiam mediam admisisse; cui ipse responderet & nos pro ipso, sicut olim Augustinus simile argumentum ipsi opponentibus, ut supra de mente Augustini retulimus. Quid enim verius quam cognovisse Deum an veræ, vel falsæ sint illæ conditionales, an vero id cognoscat præsuppositò suæ divinæ voluntatis decreto, id tunc non expressit, quia non Theologum, sed summulistam agebat, explicaret tamen disertissimè si ei tale argumentum opponeretur.

CAPUT XXXV.

Vera intelligentia aliorum Scholasticorum quos falsò allegantur pro scientia media.

AD illud autem de Magistro Zumel dicendum quòd in loco objecto nullo modo favet scientiæ mediæ imò illam impugnat, hac enim ratione in secunda impressione suæ primæ partis Anno 1597. addidit Appendicem, & quæstionem formalem adversus hanc mediam scientiam, ut manifestaret se illam nunquam approbasse, nec approbare intendisse. Videns enim ipse quosdam gloriari quod mediæ scientiæ faveret, negando Deum cognoscere futura contingentia in actuali & formali determinatione suæ voluntatis, dicit expressè se sensisse illa futura cognosci à Deo in virtuali determinatione voluntatis suæ, non ante illam, ubi & multa dicit contra illam mediam scientiam in illa quæstione appendice superaddita in secunda impressione. Primò enim illam vocat novam excogitatam à Recentioribus ad conciliandam quandam, quam ipse nescit libertatem cum gratia, & illam vocat figmentum ipsorum, dicens quòd nullus ex Catholicis Theologis illam constituit. Affirmat præterea Chimeram esse dicere aliquid esse futurum ante determinationem liberam Dei. Addit per illam mediam scientiam quam isti (ut ait) fingunt tolli providentiam Dei perfectam, nec esse tutum in fide dicere libertatem arbitrij nostri non posse conciliari cum divina providentia, nisi per hanc mediam scientiam, & plura similia contra illam expressis verbis affirmat, ut videant ejus defensores qua ratione istum Authorem S. Thomæ discipulum, in favorem scientiæ mediæ inducere possint cum tam constanter illam ipse condemnet. Quòd autem dicit certò Deum cognoscere futura conditionata ante formalem determinationem suæ voluntatis nihil eis favet, quia dicit necessariam virtualem determinationem divinæ voluntatis, antecedenter volentis & determinantis quid

quid liberum arbitrium acturum sit, si in tali vel tali ordine collocetur, quæ virtualis determinatio (licet nobis non probetur) tamen satis declarat istum Authorem impugnasse omninò scientiam mediam. Videatur p. 1. q. 14. art. 3. d. 8. in fin. ubi sic ait: *Tandem hæc omnia argumenta tam longè distant à constitutione hujus scientiæ mediæ, & à probatione ejus quantum distat à veritate scientiæ mediæ, quam isti fingunt.*

Imò, ut infra clariùs ostendemus, ipsemet Author sententiam in melius mutavit in ultimo suo opere variarum disputationum, tom. 1. dub. 5. conclusione 2. pag. 116. in impressione Lugduni: admittit enim in Deo decreta libera etiam circa futura conditionata, quæ ordine naturæ præcedunt scientiam futurorum illorum. Et conclusione 5. pag. 123. etiam iterum confirmat, & pro confirmatione hujus sententiæ adducit Scotum in p. d. 39. Alens. p. 1. q. 24. membr. 7. Riccard. in p. d. 38. art. p. q. 1. & omnia argumenta contraria pro scientia media dissoluit. Idem facit primo tom. disp. 1. conclusione 1. pag. 10. ubi dicit quod assertio quòd Deus cognoscit futura in decreto suæ voluntatis sibi apparet certissima, quam & ibi probat ex S. Hilario lib. 9. de Trinit. & alibi non semel potissimè pag. 139. columna 2. §. respon. ubique diffusissimè hanc illorum mediam scientiam impugnavit, & quòd reipsa à Deo tollat certam futurorum cognitionem astruxit, & pleraque alia inconvenientia ex illa deduxit in toto quodam dub. 5. in quo ex professo contra illam sermonem instituit. Quod si aliquando dicat illam non esse omninò improbabilem, non multùm consequenter loquitur ad sua dicta.

Similiter quod adducunt de Magistro Curiel. quod nimirum in lib. suarum controv. illam mediam scientiam dicit probabilem esse, seu probabiliorem apud omnes Salamanticæ Professores, notissimum est illum posteà mutasse sententiam, & in suis prælectionibus publicis illam omninò impugnasse. Quod verò Author operis tripartiti, supra relatus dicit quod hactenus examinare non licuit hanc Curiel mutasse sententiam; si ipse ad id noluit attendere alij plures examinarunt, & sententiam mutasse posteà apertè tradiderunt.

Quod verò inducunt de Magistro Lorca in illa 3. sua disp. dicendum ibi solum dicere quod Deus cognoscit quid facturum est liberum arbitrium, si sic vel sic vocaretur, non in determinatione ipsius humanæ voluntatis antecedente illius operationem, quod durum est, quia talis determinatio cum sit realiter ipsa operatio illam non antecedit, sed dicit cognoscere illa futura sub conditione, ut sunt Deo sub conditione præsentia. Ubi loquitur de futuris conditionatis, quæ revera essent futura posita conditione, sed intelligit illa sic esse certò futura posita conditione quia ità Deus decrevit, hoc enim divinum decretum non negat sed in multis locis suæ doctinæ fundat, & probat.

Quod præterea affirmant omnes Scriptores in 1. partem hanc scientiam defensare, nisi de Scriptoribus suis intelligant hi Authores, vel de aliquibus, qui ipsorum sequuntur doctrinam novam, constat quòd id dici non potest, quos tamen in meliùs mutaturos sententiam, & nobiscum pariter cum nostra ista logerint hanc mediam scientiam impugnaturos non dubitamus; placent enim pleraque nova à principio quæ posteà re attentiùs considerata, & examinata valde displicent, & multo majori conatu refutantur quam à principio fuerant acceptata.

Similiter quod inducunt de *Thesibus*, indignum est ut in favorem huius scientiæ ad supremũ Eccleſiæ Tribunal adducatur; in re enim adeo gravi Theses juvenum in medium afferre, qui multoties contra proprios Præsidentes ostentationis ingenij gratiâ plura non vera defendunt, nihil juvare potest, potissimè cum illorum plurimi ad hoc attracti, & invitati esse noscantur, ut hæc doctrina quasi communis censeretur: præsertim quia nec per multos annos, quibus Romæ hæc causa agitata est, potuerunt ex universis Provinciis vel triginta Theses pro sua sententia præsentare, sed dato centum inducerent, quid essent comparatione aliarum omnium, quæ defensatæ fuere, & oppositum defendebant, quas proinde illi missas fecerunt.

Circa Dominum Cardinalem Bellarminum cujus auctoritate hanc mediam scientiam fulciri procurant nihil aliud dicendum quàm ipsum cum illis in hanc mediam scientiam consentire, cujus doctrina sicut nec ipsorum in hac parte probanda aliquo modo est. Et sic respondeo ad alios ex Societate supra inductos.

Asserere autem (ut Recentiores contendunt) omnes Theologos Christianitatis hanc mediam scientiam adstruere nec ipsam posse negare absque magno fidei detrimento, quod & publicant ut ineruditos quosque terreant, & incautos ac simplices in suam sententiam trahant, qua veritate vel intentione dicatur jam omnes manifestissimè deprehendunt. Veriùs enim diceretur præter aliquos, qui istorum Recentiorum tuentur sententiam, Doctores graviores, quorum in hac parte sequendum judicium est, hanc mediam scientiam, sicut multarum falsitatum originem gravius damnare & expugnare. Damnant enim illam Academiæ florentissimæ, quæ ex professo causam istam examinaverunt. Lovanienſis enim gravissima, & fundatissima in Sanctis Patribus Schola scientiam istam sicut Semipelagianorum fundamentum damnat in quadam doctissima censura satis omnibus nota, & in alia quam prioris justificationem prænotavit, in quibus totam horum sententiam cum hac media scientia totius illius fundamento pariter damnat. Contra quam proinde sub anno 1613. tale decretum Typis mandatum authenticè publicavit.

Decretvm Universitatis Lovaniensis.

Cum ad aures facultatis sacræ Theologiæ Universitatis Lovanienſis pervenerit sparsum esse in Hispania, Italia, & aliis partibus Eam in materia de Auxiliis & gratia Christi mutasse sententiam, & ab antiqua quam in sua censura summo Pontifici Romam transmissa quondam tenuit, retrocessisse: Volens huic sparso rumori obviare, & veritatem omni volenti scire manifestare: sub juramento congregata in Capitulo parvo sancti Petri die trigesima mensis Iulij post vesperas Anni 1613. nullo Magistrorum ipsius contradicente tota facultas uniformiter declaravit, & testata est se semper tenuisse, & nunc de præsenti tenere: semper perstitisse, & nunc de præsenti persistere in sua antiqua sententia quam in dicta censura tenuit, & ibi declaravit: nec unquam ab illa sententia discessisse, nec in posterum Deo favente discessuram: donec per summum Pontificem aliud definiatur aut à S. Romana Ecclesia, cujus censuræ, & correctioni omnia in prædicta censura contenta, & quælibet alia à se dicta, & inposterum dicenda humiliter subjicit, aliud tenere ei præcipiatur. Permisitque prædicta facultas & voluit copiam hujus acti omni volenti habere, illam dari, & ad quascumque partes transmitti. Quod attestatur Gerardus Rivius dictæ facultatis Bedellus, & Notarius juratus.

Aliud

Digitized by Google

Aliud eiusdem Universitatis Decretum.

Cùm ad Aures facultatis Sacræ Theologiæ Universitatis Lovanienſis pervenerit ſparſum eſſe in Hiſpania, Italia, & aliis partibus eam in materia de Auxiliis, & gratia Chriſti mutaſſe ſententiam: & ab antiqua quam in ſua cenſura ſummo Pontifici Romam tranſmiſſa, quondam tenuit retroceſſiſſe: idque ob energiam argumentorum, quæ Pater Leſſius, tum vivæ vocis dictamine, tum edito libro in medium attulit, volens huic ſparſo rumori obviare, & veritatem omni volenti ſcire, manifeſtare: ſub juramento congregata in capitulo parvo S. Petri, die trigeſima menſis Iulij poſt veſperas Anni 1613. nullo Magiſtrorum ipſius contradicente tota facultas uniformiter declaravit, & teſtata eſt, ſe ſemper tenuiſſe, & nunc de præſenti tenere, ſemper perſtitiſſe, & nunc de præſenti perſiſtere in ſua antiqua ſententia, quam in dicta cenſura tenuit, & ibi declaravit: nec unquam ab illa ſententia diſceſſiſſe, nec impoſterum Deo favente diſceſſuram donec per ſummum Pontificem aliud definiatur aut à Sancta Romana Eccleſia, cujus cenſuræ, & correctioni omnia in prædicta cenſura contenta, & quælibet alia à ſe dicta, & in poſterum dicenda humiliter ſubjicit, aliud tenere ei præcipiatur. Declaravit inſuper tantum abeſſe ut argumentis P. Leſſij antedicti à ſua ſententia receſſerit, ut ex adverſo, quemadmodum olim ipſius dicta improbavit, ita nunc improbat ipſius edita ſcripta in hac determinata materia. Permiſitque prædicta facultas, & voluit copiam hujus acti omni volenti habere, illam dari, & ad quaſcumque partes tranſmitti. Quod atteſtatur Gerardus Rivius dictæ facultatis Bedellus, & Notarius juratus.

Utrumque hoc decretum prælo mandatum, & manu propria ejuſdem Gerardi Bedelli, & Notarij ſubſcriptum apud nos habemus: & utriuſque hanc copiam hic inſerendam decrevimus. Utraque autem ſupra relata cenſura, (*cujus & decreta iſta mentionem faciunt*): nempe prior, & poſterior juſtificatio nuncupatæ, quia longiores ſunt: hic apponere nec putavimus neceſſarium.

Undè Driedo & Ruardus Tapert qui hujus Scholæ fuerunt Doctores inſignes: vel ex hoc conſtare poterit ſemper illi mediæ ſcientiæ ſe oppoſuiſſe, quod ex ipſis probabimus cum in 3. lib. de motione Dei efficaci tractabimus. Pariſienſis etiam illa antiquiſſima hanc ſcientiam novam cum ſuis defenſoribus improbat ſemperque improbavit exceptis quibuſdam paucis illius univerſitatis Magiſtris.

Duacenſis etiam altera egregia ipſam perpetuò exprobravit, ut ex cenſura illius conſtat. Salmantina quoque inſignis hanc mediam ſcientiam, & doctrinam in ipſa deſuper fundatam non admiſit, ſed penitus reprobavit, & reprobandam ab omnibus judicavit quorum doctiſſimas cenſuras ſuper hac re accuratiùs elaboratas nos vidimus, multique doctiſſimi viderunt, & conſiderarunt dum Romæ ad pedes S. D. N. Clementis Octavi reſipſa graviſſima tractaretur.

Patavina etiam Academia cum Bononienſi (*ut fertur*) nam illarum cenſuram non vidimus hanc mediam ſcientiam reprehendunt, & ſicut fictitiam rejiciunt. Et quidem de Schola Lovanienſi nullus, quod ita ſenſerit negabit cum illius extent cenſuræ duæ, alia brevior, quæ triginta propoſitiones condemnat, quæ in materia prædeſtinationis, & gratiæ Lovanij fuerunt publicatæ. Alia longior, quæ juſtificatio prioris nuncupatur. Similiter nec de Schola Duacenſi cum illius etiam alia extet adversùs prædictam ſententiam cenſura, & noviſſimè anno 1609. Franciſcus Silvius Theologus Duacenſis in tractatu de præmotione primæ cauſæ, illorum ſententiam efficaciter refutet. Parique ratione nec de Salmantina, quæ cenſuram aliam adverſus illam ſententiam protulit in qua novem egregij Doctores Theologi ſubſcribunt, quam non ſolùm nos vidimus, & legimus, ſed multi legerunt, & conſiderarunt.

De antiquiſſima Pariſienſi Schola, quia quidem dubitarunt propter paucos quoſdam qui (*ut diximus*) ſententiæ illi videbantur favere, neceſſarium duximus, quid florentiſſima illa Schola antea dixerit adhibere, ſub anno 1270. tanquam erroneum hunc articulum ipſa damnavit. In cauſis efficientibus cauſa ſecunda habet actionem, quam non accepit à prima cauſa. Ut refert prædictus Franciſcus Silvius in ſupradicto tractatu art. 19. ratione 17. pagina 53. Ubi etiam refert eodem anno, & hunc alium articulum ab eadem Schola damnatum: Id quod de ſui natura non eſt determinatum ad eſſe vel non eſſe, non determinatur, niſi ad aliquid, quod eſt neceſſarium reſpectu ſui. Quibus duobus decretis iſtorum Authorum ſententiam in aliis antiquioribus, antequam ab ipſis renovaretur, expugnarunt docentes ſecundam cauſam à prima recipere actionem ſuam, à primaque determinari, ut liberè ſuas liberas actiones efficiat.

Aliud etiam tertium extat ejuſdem Academiæ decretum eodem anno ſancitum ſub his verbis: Error eſt dicere, quod falſum eſt omnia eſſe prædeſtinata à prima cauſa, quia tunc evenirent ex neceſſitate. Refert Capreol. in 1. ſent. d. 38. q. 1. art. 1. verſ. Ad idem argumentum, & idem Franc. Silv. ubi ſupra p. 2. art. 9. pag. 38.

Extat etiam aliud quartum Scholæ Duacenſis decretum tres propoſitiones damnans ſub hac forma, primam: Quod propter opera alicujus futura bona, Deus præordinavit ab æterno aliquem. Secundam: Quod aliquis prædeſtinatus eſt ab æterno propter bonum uſum liberi arbitrij quem Deus præſcivit eum habiturum. Tertiam: Quod non ſic gratis, & miſericorditer Deus prædeſtinavit illum quem prædeſtinavit quin & pro omnibus bonis ipſius futuris prædeſtinaverit. Quibus quartuor ſtatutis quid illa Scholæ de ſententia, quam refutamus ſenſerint, etiam antequam ipſa ſic tenaciter defenderetur manifeſtiſſimè conſtat.

Sed placet alia verba Scholæ Duacenſis referre, quæ in concluſionibus ab illa Schola defenſatis contra negantes præmotionem primæ cauſæ menſe Iunij ſub anno 1609. habentur. Quæ talia ſunt in prima Theſi phyſica tertij actus. *Nec efficaciùs aſſeritur libertas voluntatis creatæ, quam per phyſicum influxum cauſam ipſam priùs natura attingentem. Nec ſanè video quomodo aliter liberum voluntatis dominium deſtrui poſſit, quàm non agnoſcendo prædeterminationem quam facilè intelliget, qui illinc abſolutam primitatem, hinc ſubordinationem & dependentiam volet ſeriò ruminare.* Hæc inſignis illa Schola.

Accedat, & alia inſignis Academia Salmanticenſis quæ in ſua doctiſſima cenſura data juſſu, & de mandato ſupremi ſenatus ſanctæ ac Generalis inquiſitionis in Hiſpaniæ Regnis 22. die menſis Iulij anni 1595. in qua & ſeptem doctiſſimi Theologi ſubſcribunt, per novem Catholicas propoſitiones, [quas egregiis probationibus confirmarunt] aperte oſtendunt, quid de materia divinorum auxiliorum tenendum ſit contra ſententiam Ludovici Molinæ, & Patrum Societatis. Sed & priùsquàm concordia Molinæ prælo eſſet mandata, Patres Societatis quaſi ad ipſam diſponentes eamdem de concordia doctrinam in Salmanticenſi Academia publicare cæperunt: quam illius inſignis univerſitatis Profeſſores non ſolùm ex Dominicana familia; ſed alij Magiſtri doctiſſimi

Digitized by Google

simi illam novam doctrinam tanquam erroneam, & de Pelagianorum reliquiis derivatam ad sacros fidei Censores deferendam esse judicarunt. Undè & S. Inquisitionis Vallisoleti judex insignis Joannes Aretius vir ingenio, litteris, & prudentia clarus Salmanticam hujus rei inquirendæ, & examinandæ causa missus fuit, qui diligenti examinatione de assertionibus, & assertoribus facta omnes Sacræ Theologiæ illius universitatis Magistros in unum congregatos consuluit. Qui temeritatis & erroris nota prædictam sententiam dignam, subscriptis propriis nominibus judicarunt.

Aliæ autem Academiæ ex Flandria quas pro se adducunt Recentiores isti, quid dixerint, non curamus. Notum est enim eas istos Recentiores gubernare. Unde earum testimonia cum ex ipsis cognoscantur provenire minus sufficientia sunt: hac enim ratione poterant Collegia sua, propriosque Societatis Authores, quod & aliquando fecerunt, in suum patrocinium convocare.

Sed in particulari de illis dicamus. Inducunt prose Scholam Trevirensem, Saguntinam, Moguntinam, Complutensem; Sed re benè inspecta, præter Complutensem minus illis aliæ favent. Nam quòd attinet ad Trevirensem, illa remisit causæ cognitionem, & determinationem ad summum Catholicæ Ecclesiæ Pastorem, quod & Authores cum quibus agimus facere deberent, si volunt stare judicio hujus universitatis.

Universitatem Moguntinam minus pro se allegare possunt cum illa timeat, ne ex hoc dissidio via aperiatur ad aliquod Scisma, nisi citiùs per Apostolicam Sedem determinaretur, quid tenendum sit atque docendum. Undè etiam in hoc eos reprobat, qui contendunt non esse hanc controversiam per Sanctam Sedem terminandam.

Quòd sitam Moguntina quam Trevirensis aliquo modo probabilem putant doctrinam Patrum Societatis, una tantùm parte informante sic senserunt: quod si utramque audirent, nec facerent: sicut ad plenum auditis omnibus, doctissimi Consultores à Sancta Sede nominati, semel, iterum, & tertiò, causam examinantes doctrinam Patrum Societatis in hac parte semper damnarunt.

In universitate verò Saguntina non possunt se fundare tum quia illa minus formata est, qua ratione duo tantum Doctores subscripserunt, tum quia licet propositiones Molinæ excusare nitantur, illas tamen non approbant. Undè restat, quòd solum prose habeant Complutensem, quas nos omnes attentiùs consideravimus, & in hac ultima exiguum ponderis in suis rationibus inspeximus. Scimus etiam doctiores aliquos ex illa Schola illi doctrinæ non adhærere. Non ergò tantùm de Universitatibus clamitent, dicendo plures pro se habere, cum illa una contenti esse debeant nec alias nominare. Imò ut nobis relatum est plures ex illa Doctores in melius ut verè docti mutarunt sententiam. Sed in particulari explicare quid prædictæ Scholæ dixerint ad quartum nostrum librum spectat, in quo omnia adamussim expendentur.

Prætereà Consulti Episcopi Hispaniæ, qui (ut notum est) & doctrina, & religione sunt præstantissimi & qui Molinæ novam concordiam hac media scientia fundatam attentiùs considerarunt pariter damnavere, & damnandam judicarunt.

Insuper supremum in Hispaniis Inquisitionis Tribunal visa & examinata accuratissimè causa, & nova Molinæ concordia (sicut & semper facere consuevit) quid de Molinæ concordia cum media scientia unico illius fundamento faceret, ipsimet Authores sciunt, nisi causa ista ad hanc Almam Urbem à Sanctissimo examinanda devoluta fuisset, ubi per aliquot annos semel, iterum, atque tertio diligentissimè examinata à doctissimis Episcopis, & Doctoribus ad id à Sanctissimo consignatis, semper damnata fuit sicut Pelagianorum fulcimentum, & tandem post longissimas gravissimas & assiduas disputationes in præsentia suæ Sanctitatis habitas, ubi & Patres Societatis usque ad summum exauditi sunt, & omnibus quæ in favorem hujus mediæ scientiæ oppositerunt, nos adjutorio divinæ gratiæ respondentes pro efficacia divinæ gratiæ (ut fertur) pleniùs satisfecimus. Post, inquam, omnes has assiduas, & elaboratas utrinque disputationes, & post assiduam assistentium consultationem, aliaqui è innumera, quæ Sanctissimus inspici, & considerari præcepit, adhibens in hoc negocio, non solum ordinariam, sed extraordinariissimam diligentiam, (de qua alibi ex professo dicetur copiosiùs) & Pontifici ipsi summo Clementi VIII. & omnibus Assistentibus, uno solo dempto, summopere displicuit, ita ut hanc scientiam appellaret Clemens Octavus, cum in hac causa esset doctissimus factus, humanum inventum ad accomodandum in apparentia omnia.

De Vualdensi verò dicendum, quod in citatis locis nullam penitus admittit scientiam mediam: disputans enim contra Vuicleph tantùm dicit quòd Dei præscientia non tollit liberum arbitrium nostrum: nec etiam efficax Dei decretum: per quod, utpotè scientiæ mediæ contrarium, illam penitus negavit. Quòd verò dicit non omnia venire ex necessitate antecedenti sumit antecedentem necessitatem pro necessitate absoluta sicut sumebat Vuicleph, & sicut sumpsisse Anselmum dictum fuit supra. Videatur Vualdens. lib. de Sacramentalibus cap. 7. 8. & 9. ubi non semel inducit illud Sancti Patris Augustini lib. de correptione & gratia in principio illis verbis; *non se itaque fallat*, usque ad illa inclusivè: *Agitur enim ut agat, non ut ipse nihil agat*, Quibus efficax prævenientis gratiæ adjutorium ex Deo ipso & ex se efficaci, totaliter mediæ scientiæ contrarium ipse fundat.

Similiter Thomas de Argentina. in oppositio loco nihil favet scientiæ mediæ, sed solùm dicit in illo art. 3. agens de prædestinatione, Deum certò cognoscere futura omnia contingentia, quamvis simpliciter contingentiâ sint, & licet sibi non explicet in quo illa cognoscat, in aliis tamen locis efficax decretum divinæ volnntatis statuit, ex quo provenire dicit, quod certò cognoscantur. Videatur in 1. sentent. d. 45. articul. 2. conclusione 2. & dist. 38. & 39. quæst. 1. & in secundo sentent. d. 25. quæst. 1. art. 4. Ubi ad efficaciam divinæ voluntatis reducit planè verbis non obscuris infallibilitatem, & certitudinem futurorum contingentium à Deo cognitorum: per quod totam scientiam mediam cum ipsius fundamento evertit atque confundit.

Digitized by Google

CAPUT XXXVI.

Rationibus pro scientia media satisfit.

UNUM solùm quod reliquum est, perficiamus oportet, & rationes quibus suadebatur scientia ista, quàm sint inefficaces monstremus.

Prima hoc intendebat, quòd videlicet si datur futurum conditionatum medium inter absolutè possibile & futurum absolutè, etiam pro illo cognoscendo illa media scientia debet assignari. Ad quod tamen negatur antecedens, quod nempe futurum sub conditione in ratione scibilis, sit medium aliquod inter absolutè possibile & absolutè futurum; unde nec requirit scientiam mediam ut cognoscatur: etenim reducitur in ratione scibilis, vel ad scientiam simplicis intelligentiæ qua possibilia cognoscuntur, vel ad scientiam visionis qua cognoscuntur absolutè futura. Licet enim dentur plurima talia conditionata futura, non tamen sunt media in ratione scibilis inter possibilia & futura absoluta, sed quædàm sunt necessaria absolutè. Unde & cognoscuntur per scientiam necessariam quæ in Deo est intelligentia simplex. Alia verò sunt quæ supponunt decretum liberum divinæ voluntatis illa vel volentis, vel permittentis, & ista cognoscuntur per scientiam omnino liberam, quæ & visionis scientia solet nuncupari, juxta superiùs satis declarata. Quæ omnia uno verbo recapitulantes dicimus quòd in his conditionatis futuris ad duo debemus attendere, & ad conditionem & ad illationem: & circa conditionem advertere quòd si ipsa aliquando futura fuerit tunc ipsa cognoscetur scientia visionis, si autem nunquam futura fuerit, sed fuerit tantum possibilis solùm scientia simplicis intelligentiæ cognoscetur.

Circa illationem verò, in qua consistit formale horum futurorum, advertendum quòd si illatio illa fuerit absolutè necessaria sine dependentia ab aliquo actu libero divinæ voluntatis, sed ante talem omnem liberum actum dixerit infallibilem connexionem cum tali conditione, tunc tale futurum cognoscetur certò per scientiam simplicis intelligentiæ. Si autem illatio illa sequatur infallibiliter, suppositâ tamen aliqua divina lege vel actu aliquo divinæ liberæ voluntatis, tunc cognoscetur illatio illa, & ex consequenti illud conditionatum futurum per scientiam liberam & visionis, ut exemplis ex Scriptura satis abundè monstravimus supra.

Ad secundam rationem quæ intendebat, quod sicut inter absolutè futurum & non absolutè futurum nullum est medium, sed quod una pars est determinatè vera, & altera determinatè falsa, & ex consequenti certò à Deo cognoscibilis: sic etiam inter futurum conditionatum, & non futurum conditionatum nullum datur medium, sed quod altera pars sit determinatè vera, & ex consequenti à Deo certò cognoscibilis per mediam scientiam inter simplicem intelligentiam & scientiam visionis: Dicendum est hoc ipsorum argumentum potius retorqueri contra ipsos, qui illo utuntur, & totum contrarium suæ intentionis probare. Sicut enim nullum est medium inter absolutè futurum, & non futurum absolutè, sed una pars est absolutè vera ex absoluto actu divinæ voluntatis id volentis vel permittentis, & ante ipsum nullam certam obtinet veritatem: ita proportionabiliter ex duobus futuris conditionatis oppositis altera pars erit determinatè vera, & altera determinatè falsa, nec in hoc dabitur medium: sed hoc provenit vel ex natura illationis absolutè & simpliciter necessariæ, sicut cum dicitur, si Petrus currit movetur, si disputat loquitur; vel provenit ex decreto libero divinæ voluntatis id determinatis de tali futuro eventu, si talis apponeretur conditio, & ante hujusmodi decretum nullam certam possunt obtinere veritatem respectu unius contradictionis partis ut plenius dictum est suprà: verbi gratia; ex his duobus conditionatis oppositis; si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes converterentur, non si in eis factæ fuissent virtutes converterentur. Affirmativa, utpotè à Christo Domino pronunciata determinatè est vera, ex præsuppositione tamen divinæ voluntatis quæ id statuerat implendum, si apud gentes illas fierent virtutes illæ, undè scientia omninò libera cognoscebatur à Deo, & ab anima Christi Deo unita in verbo intuebatur. Negativa autem determinatè est falsa, & ut talis per eandem scientiam qua sua contradictoria cognoscebatur vera, cognoscebatur & falsa. Unde nulla alia media scientia ad istorum futurorum sub conditione cognitionem requiritur, præter intelligentiam simplicem, & scientiam visionis.

Sed insistunt quod etiam ante decretum actuale divinæ voluntatis ex duabus contradictoriis, sive de futuro conditionato, sive de futuro absoluto aliqua est determinatè vera: verbi gratia ante omne decretum divinæ voluntatis hæc propositio Thomas leget, est propositio: ergo est vera vel falsa: ergo quod per ipsam significatur, vel est verum determinatè, vel est determinatè falsum, non enim habet indeterminatam significationem.

Ad hoc viri quidam docti negant in illo priori signo rationis ante decretum divinæ voluntatis propositionem illam, vel quamlibet aliam de futuro singulari contingenti esse formaliter & significativè propositionem, sed materialiter & in apparentia tantùm, quia tunc termini illi non significant mediis conceptibus, cum in illo priori intellectus divinus conceptum nullum formaverit vel extremorum vel conjunctæ propositionis.

Alij etiam viri docti tenent non esse de ratione propositionis, quod in signo rationis sit vera vel falsa, sed in instanti durationis: unde in illo priori rationis signo ante decretum divinæ voluntatis, nec est illa propsitio determinatè vera, nec determinatè falsa, sat est quod in instanti durationis, id est post decretum hanc habeat determinatam veritatem vel falsitatem, & exemplis aliquibus hoc conantur ostendere in aliquibus propositionibus etiam de præsenti. Et ratio est quia significare verum vel falsum passio est propositionis: ergo priùs ratione intelligitur essentia ante hanc passionem: ergo in illo priori nec intelligitur vera vel falsa, sicut numerus priùs ratione intelligitur in sua essentia, quam quod sit par vel impar, quod est ejus passio. Unum tamen circa hanc solutionem adverto, quòd illa non procedit tantum de propositionibus de futuro de quibus tamen proponitur difficultas, sed in omnibus tam de futuro quam de præsenti & de præterito.

Cæterum quidquid sit de his solutionibus, quæ probabilitatem habent, & probabiliter, si non jam efficaciter, argumentum solvunt, non apparet quæ eos necessitas impulerit ad imaginandum solutiones tales, cum prædicto argumento ipsemet Philosophus in primo de interpretatione in termins respondeat, & hanc materiam expresse, & ex professo tradat, & ibi expositores omnes, & præcipuè S. Thomas lect. 13. & duabus sequentibus, ubi Philosophus postquam præmiserat quòd enuntiatio debet esse vera vel falsa, manifestè & patenter docuit hoc habere verum in propositionibus quæ sunt de præterito, & in his quæ

Digitized by Google

In his ergo, & quæ sunt, & quæ facta sunt, necesse est affirmationem veram, vel falsam esse &c. In singularibus vero & futuris non similiter. Quæ verba sic Sanctus Thomas exponit citato loco. *In his quæ sunt, id est in propositionibus de præsenti, & in his quæ facta sunt, id est, in propositionibus de præterito necesse est quod affirmatio vel negatio determinatè sit vera, vel falsa.* Et post pauca. *Sed in singularibus futuris est quædam dissimilitudo, nam in præteritis, & præsentibus necesse est quòd altera oppositarum determinatè sit vera, & altera falsa in quacumquè materia: sed in singularibus quæ sunt de futuro hoc non est necesse quòd una determinate sit vera, & altera falsa.* Hæc S. Thomas.

Ratio autem fundamentalis ob quam negat Philosophus, & Sanctus Thomas cum illo ac expositores omnes propositionem de futuro singulari contingenti esse determinatè veram aut determinatè falsam, illa est quam & ibi fundat omnesque illam sciunt: quia alias si esset aut determinatè vera, aut determinatè falsa illa propositio non esset de re contingenti, sed de re necessaria, & sic propositio esset necessaria. Quia cum veritas significata per illam propositionem esset ex sua natura determinata, vel quoad falsitatem vel quoad veritatem esset veritas necessaria, sivè quoad unam, sive quoad aliam partem; & sic non esset contingens & indifferens ad utrumlibet, quia necessarium idem est quod ex natura sua ad unum determinatum. Unde jam omnia ex necessitate evenirent, & nihil esset in rebus contingens, & ad utrumlibet possibile sive contingens, quo nihil potest dici impossibilius. Hoc autem sic probat, *si semper fuit verum dicere, quomam est, vel erit: aut potest hoc esse, vel non futurum esse, quod autem non potest non fieri impossibile est non fieri, & quod impossibile est non fieri, necesse est fieri. Omnia ergo quæ futura sunt necesse est fieri, nihil igitur utrumlibet, nec casu erit, nam si casu, non ex necessitate.* Ob quam rationem ita librum illum primum de interprætatione ipse Aristot. concludit. *Quare manifestum est, quoniam non est necesse omnis affirmationis & negationis oppositarum hanc quidem veram, illam vero falsam esse.* Ubi Sanctus Thomas ita habet. *Concludit principale intentum & dicit manifestum esse ex prædictis, quòd non est necesse in omni genere affirmationis, & negationis oppositarum, alteram determinatè esse veram, & alteram esse falsam, quia non eodem modo se habet veritas, & falsitas in his quæ sunt jam de præsenti & in his quæ non sunt: sed hoc modo se habet in utrisque sicut dictum est quia scilicet in his quæ sunt necesse determinatè alterum est verum, & alterum falsum, quod non contingit in futuris, quæ possunt esse vel non esse.*

Manifestum est ergo ex hac aperta & ostensiva Philosophi doctrina, quod si ista propositio, Thomas leget, in illo priori signo rationis antè decretum divinæ voluntatis determinatè vera ponatur, vel determinatè falsa, quòd veritas illa, seu falsitas erit absolutè, & simpliciter necessaria, nullo modo contingens. Undè Recentiores qui intendunt illam pro illo priori esse determinatam sive quoad veritatem, sive quoad falsitatem: re ipsa & in veritate illam veritatem, aut falsitatem constituunt necessariam, & nullo modo contingentem, & sic implicatoria simul dicunt, vocando illam de futuro contingenti, & simul determinatam ad unam vel aliam contradictionis partem, quod adeo verum est & perspicuum, ut id expresse fuerit Molina confessus in concordia quæst. 14. art. 13. disput. 52. §. *quidam contendentes*, & §. *verumtamen* immediatè sequenti, ut ex ipso supra retulimus.

Manifestum est etiam, quòd si sic esset necessaria, Deus postea per suam voluntatem liberam non posset aliud efficere: ita quod si est determinatè falsa nec posset Deus efficere quod Thomas leget, & è converso, quo nihil posset stultius dici.

Manifestum est præterea, nullam imò frivolam illationem esse qua dicunt illam esse propositionem in primo rationis signo significativam: Ergo significat vel determinatè verum, vel determinate falsum? quin potius natura ipsius futuri contingentis teste Aristotele totum oppositum probat, quòd videlicet, nec sit determinatè vera, nec determinatè falsa. Unde sicut irrideret Philosophus hanc consequentiam utpote contra propriam naturam talis propositionis manifestè procedentem: ita & nunc sicut frivola, atque impertinens à Philosophis universis ac etiam Theologis rejicienda est Mirandum enim est, quod in tam vili principio totam suam de scientia media machinam fundent.

Itaque cum negatur has propositiones esse determinatè veras vel falsas, particula, *determinatè*, secundum Arist. mentem, & explicationem S. Thomæ, Amonij Magentini, & aliorum idem sonat, quòd, *necessariò*, unde sensus est, quod neutra est ex sua natura, seu necessariò determinatè vera, vel determinatè falsa. Id enim quod ex natura sua determinatum est ad aliquid, necessarium est: sed alteram earum disjunctim, sive utramque sub disjunctione esse determinatè, & necessario veram, vel falsam. Et hanc esse Aristotelis mentem verba nunc inducta, & contextus litteræ, cum ratione qua id probat, satis apertè declarant. Unde quod Gregorius in primo dist. 38. quæst. 1. & Aureolus ibidem art. 3. §. *Restat ergo*, contendunt sumi illam particulam, *determinatè*, in hoc sensu quòd neutra determinatè, id est semper per se, & in particulari sit vera vel falsa, sed quòd altera earum sub disjunctione est sic vera vel falsa, ad mentem Aristotelis non dicitur. Quia ratio fundamentalis ob quam Aristoteles negat illas esse determinatè veras vel falsas est, quia alias esset veritas necessaria, & non de futuro contingenti. Si autem quælibet illarum sumpta per se, & in particulari posset esse determinatè vera vel falsa absque eo quod sequeretur esse necessariò veram vel falsam nec Arist. negaret quamlibet per se sumptam esse determinatè veram, vel falsam.

Aliud est de toto ipso disjuncto simul sumpto, illud enim veritatem continet determinatam ex illa composita disjunctione resultantem, ut in superioribus manet expositum.

Igitur concludendo concedimus illas propositiones etiam pro illo priori ante decretum divinæ voluntatis esse veras propositiones formaliter significantes; negamus tamen illas esse determinatè veras, vel falsas: quia aliàs essent de futuro omnino necessario, non contingenti. Et ad probationem, quòd non habent significationem indeterminatam distinguimus: non habent significationem indeterminatam, id est infinitum significantem, videlicet tam id quod est, quam id quod non est, sicut de terminis infinitatis dici solet concedimus: non habet significationem indeterminatam, id est habet significationem omnino determinatam quoad unam contradictionis partem, negamus: quia ante decretum voluntatis Dei: hæc Anti-Christus erit, significat quod Antichristus erit, vel non erit, secundum quod Deus disposuerit: sunt enim tales propositiones quasi pugnantes, utrumque illud disjunctum ex natura sua claudentes, unum quidem explicitè & aliud implicitè, explicitè quidem quod Antichristus erit, implicitè autem vel non erit, secundum quod prima causa determinaverit. Unde hæc est ejus totalis significatio, & si determinatè aliquid significat hoc totum significat.

Digitized by Google

Quid autem dicendum ſit ad has, quas ſimili genere argumentandi contradictorias vocant, videlicet, Antichriſtus erit, Antichriſtus non erit. Prætendentes unam illarum debere pro quolibet etiam rationis inſtanti & priori ſigno ante decretum divinæ voluntatis eſſe veram determinatè, & alteram falſam, infra copioſiùs ſuo loco dicetur.

Ad rationem tertiam quæ ex eo quòd Deus comprehendit liberum hominis vel altetius cujuſcumque arbitrium, inferebat cognoſcere quid ipſum acturum eſſet, ſi in talibus conditionibus conſtitueretur, non eſt neceſſe de novo reſpondere: jam enim ex ſupradictis conſtat ſatis hujus rationis inſufficientia, & qualiter potiùs contrarium omninò convincat. Cum enim S. Thomæ, & omnium Philoſophorum ſit indubitata doctrina, & aliqui ex Recentioribus contra alios eam admittant (ut viſum fuit ſupra) quod videlicet in cauſa indeterminata nullo modo poſſit actus determinatus cognoſci, & liberum arbitrium ſub illis omnibus & quibuſcumque aliis imaginabilibus conſtituatur conditionibus, ſecundùm Recentiores iſtos indeterminatum maneat reſpectu hujus, ſicut alterius actus (licet forſitan ad unam partem magis moraliter inclinetur) in ipſo, certus & determinatus actus cognoſci non poteſt, niſi falsò, & contra propriam naturam cognoſcatur, quod multo magis Deo repugnat.

CAPUT XXXVII.

Aliis rationibus reſpondetur.

QUARTUM argumentum illud petit; quomodo videlicet abſque media ſcientia poſſint Theologi diſputare quæſtionem illam celebrem. An ſi Adam non peccaſſet Chriſtus veniſſet. Ad quod dicendum nullam eſſe neceſſariam præſcientiam illam, qui enim cum Scoto dicunt, quod etiam ſi non peccaſſet Adam, Chriſtus veniſſet, id aſſerunt quia tenent Deum etiam ſi Adam non peccaſſet, decreviſſe Chriſti Domini futuram Incarnationem, unde in tali divinæ voluntatis decreto cognoſcetur futurum tale conditionatum. Qui autem cum S. Auguſtino .& S. Thoma defendunt, quod ſi Adam non peccaſſet, non veniſſet Chriſtus, id dicunt provenire ex eo quod non decrevit Deus Chriſti Incarnationem, niſi adhiberetur illa conditio; quod videlicet Adam peccaret. Undè in omni ſententia illud futurum conditionatum cognoſcebatur in decreto divinæ voluntatis, non ante illud ut dictum eſt ſæpe.

Quintum Argumentum, in quo & nimis inſiſtunt ij Authores ſic procedit quòd videlicet unanimis & naturalis ſit omnium hominum conceptio, qua quærentibus quidnam erit ſi Thomas revertatur in Hiſpaniam, vel quodcumque aliud ſimile, incunctanter reſpondent, Deus ſcit: quam reſponſionem ſimilibus omnibus interrogationibus de iſtis futuris adhibent, & ex conſequenti per hoc fatentur Deum habere hanc mediam ſcientiam. Quod pro magno nobis objiciunt, quaſi aliquis noſtrum aliquando negaverit bonam eſſe reſponſionem illam quaſi lumine naturali inditam. Non enim negant gratiæ Prædicatores ita eſſe reſpondendum, ſed planè fatentur optimè hoc modo ab omnibus reſponderi, quod videlicet quid tunc eſſet, Deus ſcit; utrum verò id ſciat per illam præſcientiam ante decretum voluntatis ſuæ, an verò per illud vel in illo, in hoc tota quæſtio eſt. Quam etiam ſolvit alia non minus communis animi conceptio naturali lumine indita, qua homines univerſi ad ſimiles interrogationes reſpondent, id quod recte lingua Hiſpanica dicunt (*Dios dijo lo que ſera*) ideſt Deus ordinavit, ſtatuit, & decrevit, quid erit: una ergo communis animi conceptio reſpondet alteri. Prima dicit. Si iſte homo pervenerit in Hiſpaniam, Deus ſcit quid continget illi, & alia dicit ſi iſte homo pervenerit in Hiſpaniam (*Dios dijo lo que ſera*) ideſt, Deus ſtatuit quid erit ſi in Hiſpaniam perveniat. Nec tamen conſtituimus pro iſtis conditionatis ſimilibus quæ in infinitum poſſunt multiplicari expreſſum decretum, ſufficit virtuale omnia illa continens, ut ſupradictum eſt: quod etiam aſſerit Author operis tripartiti lib. primo prologom. 2. cap. 8. Sed hoc ſolùm ſtatuimus pro omnibus illis, eſſet tunc quod divina in ea voluntas decerneret: nec enim neceſſe eſt quod circa omnia illa Deus in particulari decreverit quid acturum ſit, ſicut manet declartum.

Sextum argumentum in fauorem huius præſcientiæ ſumebatur ex divinæ providentiæ perfectione in hunc modū. Quod ad prudentem proviſorem ſpectat ſcire quo tempore quo loco quibus circunſtantiis & mediis debeat alterum allicere & ſuadere ut faciat quod ipſe intendit, alias quaſi cœcus eſſet in providentia ſua. Cum ergo omne iſtud hæc media ſcientia Deo ſubminiſtret, & ipſe ſit perfectiſſimus in providendo, iſtam mediam ſcientiam ſic adjuvantem ejus ſummam providentiam habere debet. Ad quod tamen dicendum quod ratio iſta optimè quidem procedit de creaturarum providentia, quia enim incertæ ſunt providentiæ noſtræ, ex impotentia videlicet & imperfectione providentis, ideo oportet omnia iſta ſcire, & omnia iſta obſervare, & occaſiones iſtas expectare, & commoditates quærere, ut providentia ſuum obtineat effectum & finem. Omnia enim iſta manifeſtant talem providentiam pendere à tempore & occaſionibus nec ſibi ſubdere omnia.

At verò Deus qui ſcit quod providentia ſua in ſui diſpoſitione non fallitur, & cognoſcit quod illi ſubeſt cum voluerit, poſſe & optimè novit quòd ſua efficax voluntas impletur ſemper, & quod omnia quæcumque voluit fecit in cœlo & in terra, & quod voluntati ſuæ nullus reſiſtit, iſtis obſervationibus per ſcientiam mediam habitis à libero arbitrio dependentibus nullo modo indiget: imò ſicut ſuæ omnipotentiæ repugnant ita ejus ſummæ providentiæ contradicunt, illam enim conſtituunt à creatura pendentem, & quid factura ſit obſervantem, & expectantem. Indignum valde eſt quòd hoc tribuant iſti Authores ſupremo Domino providenti, quod Dominis temporalibus non auderent aſcribere reſpectu negotiorum per ſervos ſuos adimplendorum. Dominus enim temporalis dicit ſervo ſuo fac hoc, & facit abſque iſtis prævisis vel expectatis obſervationibus à ſervi voluntate pendentibus: & Dominus majeſtatis cujus potentiæ non eſt numerus, ut aliquid per hominem faciat, ejus obſervabit vel expectabit voluntatem quærendo tempus occaſiones, & opportunitates, & expectando priùs quid liberum arbitrium ex ſe facturum eſt? Indigna ſunt iſta ut à Catholicis auribus audiantur. Contra hunc providendi modum attendentem tempus & occaſiones expreſsè ſic dicit Sanctus Proſper contra Semipelagianos, Proſa de ingratis.

At vero omnipotens hominem cum gratia ſalvat.
Ipſa ſuum conſummat opus, cui tempus agendi
Semper adeſt, quæ geſta velit, non moribus illis
Fit mora, non cauſis anceps ſuſpenditur ullis,
Nec quod ſola poteſt cura officioque Miniſtri
Exequitur, famuliſve curam comittit agendi.

Quid apertius S. Doct. contra iſtum modū providendi à Recentioribus definitū potuit affirmare, quàm aſſerere quòd temp° agendi ſemper adeſt Deo, nec oportet prævidere in quo tempore liberū arbitriū conſentiet vel non conſentiet, qui habet ſemper tempus paratum.

Item

Digitized by Google

Item dicit non moribus illi fit mora, contra eos qui dicunt Deum debere expectare quando liberum arbitrium in illa occasione, vel alia voliturum est, jam enim Deo esset mora sic expectando. Item dicit, non causis anceps suspenditur ullis, & tamen dicunt recentiores quod si absque illis observationibus Deus provideret, committeret se periculo ut non fieret id quod efficaciter vellet, & sic esset anceps & dubius.

Ex quo sequitur quàm absurdè dicatur à P. Suarez lib. 1. de scientia media qui hoc principale argumentum formavit, quòd si Deus haberet firmum propositum eligendi aliquem ad gloriam ante prævisionem illam conditionatam exponeret se periculo, vel inferendi necessitatem libero arbitrio ut suum efficax propositum adimpleretur, vel periculo ut non fieret id quod efficaciter decrevit ex libertate humana fiendum, quæ aliquando contrarium faceret. Hoc enim dictum, & quoad utramque partem falsissimum & valde injuriosum est divinæ omnipotentiæ, quam sic deprimit, ut absque dependentia à libero creato arbitrio non possit facere ut homo liberè & infallibiliter operetur, ut sic sua divina voluntas efficaciter impleatur. Itaque si placet, vel id audire licet, nihil de humanis actibus poterit omnipotens disponere efficaciter implendum, nisi dependeat ab homine & ejus expectet voluntatem, contra expressas Conciliorum definitiones, de quibus latiùs infra quarto hujus operis libro.

Sunt qui explicantes prædestinationem sive ad gloriam, sive ad gratiam factam ex hac media scientia, contra illam inferant & id quidem rectè, & idem est omnino de divina providentia, quòd videlicet, qui sic philosophãtur indignè de Deo sentiãt, & illum cõstituant in suis æternis dispositionibus sicut hominem qui consurgit valde diluculo, & aperit fenestram, & observat tempus ut se determinet ire in villam, vel domi remanere. Si enim viderit serenum & opportunum tempus, pergit in illam, quod si minus Domi retinetur, & aliud magis opportunum altera die expectat: vel sicut medicum qui accedens ad curandum infirmum, priùs tacto pulsu & sumpta indicatione, visaque urina prænoscit, quod si medicina talis, tali tempore detur sanabitur, si autem alia alio diverso tempore tribuatur minimè, & omnibus istis observationibus prævisis & consideratis se determinat in infirmi curatione, dicens talis potio detur mane hora matutina, & non alia hora. Sic dicunt Deum in nostræ infirmitatis curatione procedere. Attendit priùs per mediam scientiam infirmitatem, tangit pulsum, & quid liberum arbitrium facturum est, si ista vel ista congrua vocatione hoc vel isto tempore vocetur: & omnibus attentiùs consideratis, se determinat vocare, istâ & non alia horâ, quia alia hora non proficiet ejus vocatio.

Arguunt præterea, & ut sibi videtur efficaciter, quia ex hac determinatione divinæ voluntatis solum Deus potest cognoscere bona quæ ipse decrevit in tempore facere, non autem peccata, quia hæc nunquam facere decrevit nec prædefinivit, sicut nec ea in tempore facit: ergo ratio illa, ex qua desumitur certitudo divinæ scientiæ non est universalis, nec adæquata in omnibus.

Ad hoc argumentum quidam ex doctissimis S. Thomæ discipulis in libro suarum variarum disputationum dubio primo, plures adhibet solutiones, ut enim ab ultima illorum relata incipiam, dicit quod postrema solutio est, Deum omnia futura contingentia libera cognoscere per simplicem intuitum, quia objectivè illi semper repræsentantur, ex eo quod res ipsa ex parte objecti verè futura est, & determinatæ veritatis, & à Deo cognoscitur. Et procedit hæc solutio ante decretum volentis, vel efficaciter permitentis, quod tale futurum sit. Sed ista non debuit ab aliquo Thomista solutio nuncupari, cum falsa sit & impossibilis, ut probatum dedimus.

Deinde aliam tertiam solutionem huic simillimam, imò non multùm ab ea distinctam adhibet dicens. Tertia solutio seu responsio difficultatis esse potest illa de contradictoriis propositionibus, quarum una est vera, & altera falsa, & ambæ non sunt veræ, nec ambæ falsæ, & cum Deus cernat totam durationem & futuritionem, & esse objectivum earum, cognoscit etiam quæ illarum vera sit, & quæ sit falsa, &c. At eodem modo ista ac præcedens non debuit solutio appellari, cum procedat de illis contradictoriis ante decretum Dei determinans quæ illarum vera sit, ante quod decretum, ut diximus, nulla illarum est determinatè vera.

Aliam, quam ibi nominat quartam solutionem adhibet dicens. Quarta solutio est quæ traditur ab authoribus oppositæ sententiæ, quatenus affirmant scientiam mediam, qua præsupposita & adjuncta voluntati permittendi peccatum, dicunt evidenter inferri, & cognosci peccatum esse futurum: sed ut quid solutionem nominat argumenti, quæ in illa impossibili media scientia fundatur, quàm efficaciter expugnavimus.

Est alia solutio, quæ ab illo relato authore refertur & approbatur, quam dicit esse aliquorum scholasticorum, nimirum ex præsentialitate rerum omnium in æternitate sed si ista solutio procedat, ut procedere videtur, quod ex sola illa præsentialitate sit talis certitudo peccati & nullo modo ex aliquo Dei decreto permittendi tale peccatum, etiam impossibilis est, nec hoc modo ab aliquo scholasticorum fuit excogitata; quia nec res aliqua sive bona, sive mala potest Deo in æternitate coëxistere, nisi Deus eam vel velit, vel permittat. Unde prima ratio certitudinis in decretum aliquod Dei necessariò est reducenda.

Unde omnibus istis de medio sublatis, unica sola est & debet esse hujus argumenti solutio, quod videlicet cognoscit Deus certò futurum esse peccatum in decreto, quo illud permittere vult ex divina sua providentia, ut inde eliciat bonum aliquod. Cum enim Deus sit summè bonus, ut inquit sanctus Augustinus, non permitteret mala, nisi adeo esset omnipotens, ut inde eliceret bona. Et in hoc permissionis decreto, quo videlicet Deus vult permittere peccatum, illud certò futurum esse cognoscit. Hoc autem decretum, seu volitio permittendi tria includit. Primum est propositum non impediendi peccatum. Alterum est propositum non dandi auxilium efficax ad evitandum peccatum. Tertium & ultimum est propositum concurrendi ad actum realem positivum voluntatis quatenùs actio & entitas est, quia ut sic bona est, & ad eam Deus ut prima causa omnis actionis & entitatis concurrit. Cum enim voluntas concurrendi ad actum bonum, & ad substantiam actionis realem & entitativam in universum necessaria sit ad omnem actum quatenus actus est, quia nullus esse potest sine Dei influxu, & Deus non tribuat suum influxum, nisi volendo, nec incipiat hoc velle, sed ex æternitate; necesse est ut prius ratione hoc velit quàm sit futurum peccatum, & ex consequenti, quàm illud futurum esse certò sciat.

Itaque licet peccata cognoscantur certò futura in decreto divinæ voluntatis, est tamen hoc decretum valdè diversum ab eo quo boni actus cognoscuntur. Sicut enim valdè sunt diversa, bona & mala; ita pro illis diversa sunt in Deo constituenda decreta. Quia enim Deus est summa & infinita bonitas ipsi repugnat velle peccatum, aut decernere, quod peccatum sit, aut velle in tempore ad peccatum concurrere, & ex hac eadem radice, & causa quod Deus est summa bonitas,

Digitized by Google

bonitas quæ multò magis resplendet in hoc quod ex peccato bonum eliciat, Deus vult peccata permittere, ut ex illis bona deducat. Unde decretum volendi bona includit voluntatem concurrendi ad illum actum secundum omnem rationem, & formalitatem quam habet. Cœterùm decretum permittendi peccata includit voluntatem concurrendi ad illum actum non secundùm omnem rationem, seu formalitatem quam habet, sed quatenus præcisè actio & entitas est, secundùm quam rationem ille actus bonus est.

Ultimum argumentum ita magnificat scientiam mediam, & ita illam necessariam judicat, ut dicat sine illa periculosè nimis procedere Doctores in concilianda humana libertate cum divina prædestinatione & gratia.

Ad quod tamen dicendum sanctos Patres & Ecclesiæ Doctores optimè conciliasse humanam libertatem cum Dei præscientia, providentia, & prædestinatione, sine ista fictitia scientia media, quam semper impugnarunt. Asserere autem sine hac præscientia periculosam esse concordiam: quid est aliud quam doctrinam sanctorum Patrum qui in concilianda humana libertate cum prædestinatione & gratia hujus scientiæ mentionem non fecerunt, damnare, & periculosam nominare? Quod & P. Molina in concordia Antuerp. pag. 369. §. *de secunda* sub formalibus verbis sic dicit. *De secunda autem quæstione parum aut nihilum, tam Patres, quàm Doctores scholastici loquuti sunt; cum tamen à præscientia illa media (quam nullo refragante comparatione determinationis arbitrij creaturarum in unam aut alteram partem in Deo ante omnem actum liberum suæ voluntatis constituimus,) dependeat legitima conciliatio scripturarum, &c.* Hæc ergo duo ejus dicta simul conjunge, & constabit quò ipse pergat. Primò dicit Doctores & Patres parùm, aut nihil de concordia per istam mediam scientiam fuisse loquutos. Et secundò asserit sine hac media scientia periculosam esse concordiam: ergo docet Doctores Scholasticos, & Patres periculosam tradidisse concordiam liberi arbitrij cum divina prædestinatione & gratia. Nunquid usque ad Molinæ tempora Doctores Ecclesiæ, sanctique Patres periculosam doctrinam in materia prædstinationis & gratiæ tradiderunt? Mirum est profecto, & mirandum valdè, quod concordia in qua similia verba in sanctos Patres & Doctores Ecclesiæ habentur, ab aliquo fuerit recepta. Quod si catholicæ aures hoc refugiunt audire, alia ejus graviora verba proponam. Sic enim dicit in concord. quæst. 23. disput. 1. art. 4. & 5. membr. ult. §. licet semper. *At quamvis ij hæretici qui vel divinæ gratiæ, vel libertati arbitrij præjudicium afferre moliti sunt, ex Scripturis Sanctis, principiisque fidei efficaciter sint expugnati: haud tamen scio, an explicata penitus, & abunde reddita ratio integra conciliandi arbitrij libertatem cum illis tribus: & hæreticis aditus, quo faciliùs ad pacem, unitatemque Ecclesiæ redirent, sit patefactus: & concertationes quæ ante mille annos inter viros catholicos obortæ sunt, quantùm par est, sint compositæ.* Quis non videat, quam temerè & injuriosè contra sanctos Patres, imò contra Concilia Sacra, & universalem Ecclesiam ista dicantur? Vel quis ferat Ecclesiam, & Concilia nunquam plenè & abundè reddidisse rationem pro concilianda hac libertate humana cum divina prædestinatione, & gratia: & hanc plenitudinem, & abundantiam tradidisse Molinam? Prosequitur insuper prædictus author in præallegato loco, & ait de his quæ, mediâ hac scientia dixerat pro concilianda libertate cum gratia. *Quæ si data explanataque semper fuissent, fortè nec Pelagiana hæresis fuisset exorta, nec Lutherani tam impudenter arbitrij nostri libertatem fuissent ausi negare obtendentes cum divina gratia, præscientia, & prædestinatione cohærere non posse: nec ex sancti Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati ad Pelagianosque defecissent, &c.* Semper qui doctrinam secuti sunt Pelagianam, S. P. Augustinum Hæreticorum malleum rabido ore discerpunt, quia magnum post Paulum gratiæ defensorem sustinere non valent. Unde non verentur arbitrij præcipitatores proferre ex sancti Patris opinione contra Pelagianos turbatos fuisse fideles. Sententiam S. P. Augustini contra Pelagianos in materia de prædestinatione & gratia, ut supra dictum fuit, sæpius fuit per Ecclesiam & Pontifices summos approbata, laudata, & commendata: & tamen proh dolor, audimus ex ejus opinione turbatos fuisse fideles? Non sunt turbati fideles, sed infirmi confirmati: illi autem qui apparebant fideles, illi fuere qui ad Pelagianos accesserunt, quasi enim exsuflati per veram S. Augustini doctrinam ab area Dominica ad Pelagianos accesserunt. Talis enim est doctrina S. Augustini in hac parte, quod ipso facto qui illam relinquunt cum Pelagio necesse sit convenire, quod sicut de aliis Molina testatur, de seipso eadem prorsus ratione potuit multò verius affirmare. Dicit, quod si ea quæ ipse mediâ scientiâ concordando apponit data explanataque semper fuissent fortè nec Pelagiana hæresis fuisset exorta. Imò exorta fundata & radicata semper extitisset: nullus enim ita sententiam illam fundavit: nullus principia talia ac tanta constituit: nullus tot authoritates ex sanctis Patribus pravè intellectas & ex Scholasticis siniſtrè adductas adhibuit sicut novus iste concordator arbitrij. Taceat Faustus, fileat Cassianus, quæ enim illi breviter & minùs fundatè protulerunt, Molina diffusè & efficaciùs proponit. Dicit quod nec Lutherani tam impudenter arbitrij nostri libertatem fuissent ausi negare. Imò si ista quæ Molina asserit mediâ hac scientiâ vera essent, consequentia & illatio Lutheranorum & Calvinistarum approbaretur, & multum supra omnem modum errori ipsorum suffragaretur. Unde de Molina & sequacium concordia per hanc mediam scientiam, talem brevem, sed doctissimam protulit censuram insignis Lovanienſium schola quam contra has prophanas novitates sic concludens dictavit. *Sententia hæc divinam bonitatem obscurat justitiam enervat scripturas eludit, Patrum testimonia in sensus alienos detorquet: humanæ rationis corruptioni applaudit, humilitatis fundamenta evertit, prædicandi necessitatem non magnam relinquit, propriarum virium fiduciam ingenerat, in salutis negotio quod præcipuum est homini tribuit quod minus Deo & gratiam Dei libero subdit arbitrio ac ejus pedissequam facit, in summa à Pelagio non satis procul abscedit: Lutheri vero & Calvini & reliquorum nostræ tempestatis hæreticorum sententiam dum ab ea videri vult quam longissime recedere potentiusque debellare, magis imprudens stabilit atque confirmat.* Sed de his satis.

TRACTA

Digitized by Google

TRACTATVS VLTIMVS

DE VERO MODO QVO DEVS FVTVRA CONTINGENTIA COGNOSCIT.

CAPVT I.

Quod Deus certò cognoscat futura contingentia & libera absoluta antequam sint.

POst illam mediam scientiam supra impugnatam consequenter loquendo recentiores, aliam absolutam præscientiam, qua Deus certò cognoscat futura absoluta constituunt in hunc modum, non quia prævidit Deus arbitrium cooperaturum est, sed quia cooperaturum est ideo vidit Deus cooperaturum. Quæ fuit nona assertio in ordine supra à nobis relata ut ibi diximus, quod & modò confirmamus, hæc absoluta illorum præscientia essentialiter ex illa media dimanat; imò & media illa ad istam absolutam sicut ad finem ordinatur.

Quamvis autem illa de medio sublata media scientia, & ista præscientia absoluta quam constituunt totaliter ruat nec aliud fortè contra illam dicere oporteret; ad doctrinæ tamen complementum libet illam in specie impugnare, potissimè ut veram intelligentiam Sanctorum quibus falsò tribuitur aperiamus.

Duo ergo continet assertio ista. Alterum quod præsupponit Deum futura libera antequam fiant ex sua æternitate certò cognoscere. Alterum vero exprimit quod illa cognoscat, quia liberum arbitrium ita est cooperaturum. Et quidem primum, licet extra controversiam sit, antequam secundum quod in quæstionem vertitur aggrediamur, sub brevitate venit explicandum, ut doctrinæ ordo servetur, & postea commodiùs hanc illorum assertionem examinemus.

Dicendum est ergo rationis lumine demonstrari Deum ex æternitate sua certissimè omnia futura contingentia & libera antequam in tempore fiant, perfectissimèque cognoscere.

Veritatem hanc esse receptissimam apud universas ferè nationes docet veneratio illa, qua omnes gentes à Deo quem colebant, futurorum contingentium vaticinia postulabant. Unde Tertullianus lib. 2. contra Marcionem dixit præsciétiam Dei tot habere testes quot Prophetæ fuerunt. A pauciſſimis negata fuit hæc veritas, à Cicerone relato à sancto Augustino lib. 5. de civit. cap. 9. à Commentatore relato à S. Thoma quæst. 2. de verit. art. 12. Omnes autem alij Philosophi illam tenuerunt, Seneca libro de providentia, Plutarchus lib. de sapientia Ægyptiorum, Aristoteles etiam contrarium non sensit, ut dicemus statim.

Sed omissis Philosophorum placitis, & Philosophicis rationibus (à quibus modò abstinemus) fundamentalem hanc veritatem solidiori & efficaciori comprobamus argumento ex Scripturis desumpto, dicitur enim Sap. 8. *Scit præterita, & de futuris æstimat: signa & monstra scit antequam fiant.* Et Eccles. 23. *Domino Deo antequam crearentur omnia sunt agnita.* Et iterum cap. 42. *Cognoscit Dominus omnem scientiam; annuncians quæ præterierunt & quæ superventura sunt.* Præterea Isaias cap. 41. *Annunciate,* inquit, *quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos.* Et iterum cap. 42. de Domino Deo ait: *Nova quoque ego annuncio antequam oriantur.* Et iterum idem Isaias cap. 48. *Prædixi tibi ex tunc, antequam venirent indicavi tibi.* Hieremiæ etiam cap. 1. eadem veritas stabilitur: *Priusquam* (inquit Dominus) *te formarem in utero, novi te.* Et Apostolus Rom. 4. & ad Hebr. etiam quarto manifestè hanc docet veritatem. Etenim in primo loco de Deo ait: *Et vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.* Et in secundo loco affirmat, *Et non est ulla creatura invisibilis*

bilis in conſpectu ejus; omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus. Item primæ ad Timoth. 4. ait: *Spiritus manifeſtè dicit, quoniam in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypochriſi loquentium mendacium, &c.* Novit ergo Spiritus Sanctus futura illa libera quæ prædicebat, & certiſſimè futura libera eventura prænuntiabat. Tandem Eccleſ. 39. *Non eſt quidquam*, inquit, *abſconditum ab oculis ejus, à ſæculo & uſque in ſæculum reſpicit.* Quem locum inter alia adducit S. Thomas 1. contr. gent. cap. 67. ad probandum cognoſcere Deum futura contingentia antequam fiant, quod dixerim ne aliquis putet locum iſtum aliter fore intelligendum, non autem de cognitione futurorum contingentium.

Sancti etiam Patres & Eccleſiæ Doctores hanc veritatem perpetuò docuerunt & defenſarunt contra illos qui eandem negabant, ipſorum verſutias in ſuis argumentationibus detegendo. Videatur potiſſimè S. Hieronymus in libris contra Pelagianos & S. Auguſtinus paſſim in omnibus libris quibus Pelagianos & Semipelagianos debellavit, cujus ſancti Doctoris innumera ſunt penè loca quæ poterant adduci, ſed in re manifeſta omittuntur. Videatur præcipuè ſanctus Eccleſiæ Doctor de civit. Dei lib. 5. cap. 8. & 9. & lib. 15. cap. 7. & 13. & libro de geneſi ad literam cap. 15. & lib. de fide ad Petrum cap. 18. & libro contra Maximum cap. 10. & potiſſimè eſt videndus lib. 2. de lib. arbit. cap. 13. & 34. & lib. 3. paulo poſt principium ubi refert ſententiam aliquorum qui omnia non divinæ præſcientiæ ſed caſibus committebant & ſic dicit: *ſed adverſus hanc opinionem plenam ſtultiſſimi ac dementiſſimi erroris ſatis ut arbitror ſecunda noſtra ſermocinatione diſſertum eſt.*

Sanctus etiam Hieronymus videndus eſt ſuper cap. 16. & 26. Iſa. & Ezech. 2. & S. Dionyſius cap. de divin. nom. Cyrillus in Joan. lib. 9. cap. 10. Baſil. Eſa. 30. S. Thom. 1. p. quæſt. 14. art. 13. de verit. quæſt. 2. 1. contr. gent. cap. 66. & 67. & 1. ſentent. diſt. 38.

Velim tamen advertant quod licet huic tam perſpicuæ veritati, quæ non ſolum ex fide ſed naturali ratione conſtat, Deum videlicet certiſſimè futurorum eſſe præſcium; aliqui non quidem verbis (id enim proferre quis audeat) ſed reipſa contradicunt. Cum enim Molina in concord. quæſt. 14. art. 3. diſput. 51. §. *ſciendum eſt*, dicat expreſsè quod Deus id quod in ſe certum non eſt, altitudine ſuæ ſcientiæ certò cognoſcit, quod alibi ſæpè in eadem concordia contendit, nullam prorſus determinatam veritatem in futuro libero conſtituens, & tamen dicens quod illud Deus altitudine ſuæ ſcientiæ cognoſcit ut patet ex eadem diſput. §. *quidam contendentes* & §. *verumtamen*, & manifeſtum ſit quod id quod in ſe certum non eſt nec determinatam veritatem habet nec à Deo certò & determinatè cognoſci poteſt, quia contingens ut contingens (ut ſemper S. Thomas docet) cum ad utrumque ſit, determinatè quoad vnam partem nec à Deo cognoſcibile eſt, aliàs aliter rem eſſe intelligeret Deus quam revera eſſet, quod ſine falſitate vix intelligitur: concluditur quod reipſa Deum certò præſcium futurorum contingentium non conſtituat. Unde (quod aliquando à fide dignis audivi) aliqui Molina ipſo antiquiores in ſuis ſcriptis (quæ modo apud aliquos extare dubium non eſt) prius docuerant Deum certò præſcium futurorum non eſſe. Et ipſorum fortè ſententia, ſic quoad vocem temperata, in citatis nunc locis à Molina reipſa ſtatuitur, nam an id ex intentione fuerit nec auderem judicare. Quāvis autem præter ejus intentionem id factum fuerit, tamen non obſcurè convincitur ex ejus doctrina reipſa deduci, Deum certò præſcium futurorum non eſſe, dum dicitur ipſum id quod in ſe certæ & determinatæ veritatis non eſt, ut certum quoad unam determinatam partem cognoſcere: quod cum re vera ſit dictu incompoſſibile, cum hac doctrina ſtare minimè poteſt quod Deus verè futurorum contingentium præſcius ſit, ſed de hac materia copioſius dictum eſt alibi.

Diximus Ariſtotelem id Deo non negare, licet aliquibus gravibus Doctoribus id videatur. Gregorius Nyſſenus, S. Ambroſius, Theodoretus affirmant Ariſtotelem putaſſe Deum non cognoſcere futura contingentia & libera antequam fiant, quos multi recentiores ſequuntur. Quod probant, quia Ariſt. 1. de interpret. cap. 8. docuit futura ſingularia contingentia non eſſe determinatè quo ad alteram partem vera, aut determinatè falſa, ſed ſe habere ad utrumlibet: ex quo colligunt illum ſenſiſſe, illa non eſſe cognoſcibilia nec à Deo ipſo. Et certè ſi Ariſt. negaſſet talia futura omnibus modis antequam fiant eſſe ſic indeterminata ad utramque contradictionis partem, optimè inferretur illum ſenſiſſe nec Deum illa cognoſcere quoad alterum partem determinatè, quia quod non eſt, nec ſcitur. At vero Ariſt. mens & ſententia in illo loco optimè poteſt ſano modo intelligi, & poſſumus optimè illum à tali errore liberare ſicut ipſum antea liberavit S. Thomas q. 6. de verit. art. 3. ad 6. dicens Philoſophum illo loco tantum ſenſiſſe ſingularia futura contingentia ratione futuritionis, & prout in ſuis proximis cauſis indeterminatis continentur, determinata non eſſe quoad unam partem nec determinatè ut ſic poſſe cognoſci: an vero alia via antequam fiant & ſint determinatè poſſint cognoſci Ariſt. non negavit. Quæ Philoſophi ſententia ſic explicata vera eſt, imò eſt expreſſa S. Thomæ 1. p. q. 14. art. 13. & plurimis aliis locis ſuæ doctrinæ ſæpe affirmātis quod cōtingens ut contingens eſt incognoſcibile, id eſt ut futurum & ut præexiſtit in cauſis proximis indeterminatis: ſimiliter ratio quam Ariſt. ibi adhibet demonſtrativa eſt, quòd videlicet ſi eſſet tale futurum ſingulare contingens ex ſua natura ad unam partem determinatum, jam non contingens ſed neceſſarium eſſet, cujus jam rationem ſupra tetigimus, quia illud eſt abſolutè neceſſarium & non contingens quod determinatum eſt ad unum ex natura ſua, nec oportet plures rationes ad id multiplicare. Cum S. Thoma ergo dicimus Philoſophum in illo loco non negare Deum certò futura talia cognoſcere. Et ad ſanctos qui contrarium ex Ariſt. deducebant dicendum, ſufficiens indicium ad id Philoſopho tribuendum habuiſſe, ſed quia non ita inſudarunt in aperienda Ariſt. mente ſicut S. Thom. (qui propterea anima Ariſt. vocatur) non mirum ſi Philoſophum non ita excuſent ab errore illo, ſicut S. Thomas excuſat veriſſimam intelligentiam illi tribuendo. Et certè ſi in hoc liceret immorari efficacius comprobarem Ariſt. nihil aliud ſenſiſſe, quàm quod S. Thomas affirmat, ſed quia nec res eſt adeo neceſſaria, omittimur & ſola authoritate & explicatione S. Thomæ contenti ſumus.

CAPUT II.

Varia referuntur ſententia circa modum quo Deus futura contingentia & libera cognoſcit.

MODUM aperire perfectè, quo Deus certò futura libera cognoſcit, non facilè eſt, ſed difficile ſatis. Qua ratione fatentur communiter Theologi potiùs nos cognoſcere de Deo quid non ſit: ob cujus difficultatem multi idcircò ad explicandum modum quo Deus futura libera cognoſcat, diverſis viis proceſſerunt, quas vel ad longum referre, vel efficaciùs impugnare

gnare non intendimus, præsertim quia ab aliis referũtur, & impugnãtur: sub brevitate tamen pauca dicem⁹.

Fuerunt ergo aliqui ut Ocham. Gabr. Gregor. Marsil. in 1. dist. 38. & 40. qui dixerunt Deum certò futura omnia libera & contingentia cognoscere ob infinitatẽ suam; modum vero hujus certę cognitionis minus à nobis aut intelligi, aut explicari posse ob nostri intellectus imbecillitatẽ. Istorũ sententia non minimam modestiã declarat, dum eligit potiùs suã fateri ignorãtiã, quàm temerè aliquid de divina cognitione sentire.

Non multum ab hoc discrepat quod acutissimus Cajetanus 1. p. q. 12. art. 4. agens de certa providentia & cognitione Dei respectu nostrarum liberarum operationum dixit, quod quiescit intellectus in his materiis non evidentia veritatis inspectæ, sed altitudine inaccessibili veritatis occultæ. Contra cujus modestiam, qui ausus fuit dicere, hoc esse recurrere ad anchoram ignorantiæ quia ipse hanc firmam humilitatis anchoram non tenuit, miserè naufragium fecit.

Quamvis ergo placeat istorum authorum modestia & quamvis ita sit nos pro hoc statu non posse undique perfectum modum explicare quo Deus futura ista libera certissimè cognoscat, tamen rationem aliquam hujus absconditæ veritatis possumus & debemus humiliter indagare, ut possibilitatem & concordiã divinæ cognitionis certæ cũ liberis operationibus ostẽdamus.

Aliorum sententia est cognoscere Deum futura efficacitate suæ scientiæ, id est in scientia divina etiam ut antecedit liberam determinationem ipsius divinæ voluntatis. Ita Palacio in 1. dist. 38. q. 2.

Fundamentum hujus authoris pro hac scientia nullum videtur aliud nisi quia ipse putat errare graviter qui affirmant divinam scientiam ex se esse indeterminatam, & determinari ad hoc vel aliud per divinam voluntatem. Unde & reprehendit Scotum quia dixit divinam scientiam per divinam voluntatem determinari ad reducendum determinatè hoc futurum fore.

Cæterum modus iste loquendi sustineri non potest. Primò, nam divina scientia ante actum omnem liberũ divinæ voluntatis scientia necessaria absolutè. est; quia omnem libertatem antevertit: ergo est de objecto necessario absolvtè: ergo si determinatè efficit, v. g. quod Antichristus sit, & illud determinatè cognoscit, evitari nullo modo potest quin sit necessarium absolutè Antichristum fore: ergo illud non erit futurum contingens, sed futurum omnino necessarium.

Præterea divina scientia antecedens omnem actum divinæ voluntatis fertur in res possibiles non in res existentes secundum aliquam temporis differentiam, ut communis est Theologorum sententia: ergo per illam ut sic non cognoscuntur contingentia esse futura, potissimè quia divina scientia non est causa eorum nisi adjuncta divina voluntate ut est sententia S. Tho. 1. p. q. 14. art. 8. & art. 9. ad 3. ergo sicut ante actum divinæ voluntatis scientia Dei non est revera causa, ita nec res causatas certò poterit cognoscere.

Præterea, sequeretur divinam voluntatem aliud non posse efficere quam per talem scientiam sit determinatum, & effectum. Unde non omnia disponenda circa creaturas subderẽtur divinæ voluntati nec ab ipsa pẽderent nec ipsa illarum esset causa, quod dici nullo modo potest. Sequela ex eo patet, quod jam divina scientia ante divinam voluntatem illud futurum certò determinavit: ergo nisi efficacitas illius divinæ sciẽtiæ varietur, & nisi infallibilitas ejusdem falsificetur (quod omnino est impossibile) non posset volũtas divina aliud circa illud determinatũ vel mutare, vel velle innovare.

Cujus rei ratio efficax est: quia si nullo præintellecto decreto volũtatis Dei, futura cõtingentia sunt determinatæ veritatis, & hoc in essentia Dei repræsentatur, sequitur quod nõ fuit in potestate Dei quominus illa futura in sua essentia non repræsentarentur; hoc autem dici nequit, quia si Deus voluisset, nihil produceret nihilque verè futurum esset.

Itẽ, si res nõ essent futuræ à Deo & à suo decreto, tũc à casu, vel aliũde dicerẽtur futurę (dixi à casu vel aliũde, quia vel essẽnt à casu si cõtingẽtia & libera essẽnt, vel saltẽ aliunde, id est ex absoluta necessitate in divina essentia repræsentarentur, & sic jam non cõtingentia essent sed omnino necessaria & ita necessaria ut nec De⁹ aliud, vel efficere vel cognoscere posset, ut dictum est.

Unde ad illius authoris fundamentũ dicendũ quod quamvis in scientia divina nulla inveniatur indifferẽtia, quæ sit potẽtia passiva, quia ista Deo repugnat, vel quæ potentialitatem habeat admixtam, quia est purus actus, & licet divina scientia à creato quolibet objecto non possit determinari, tamen certissimè tenendũ est, divinam scientiam ex se ante actum divinæ voluntatis non magis unum futurum quàm alterum, vel causare, vel cognoscere, ut dictum est: nec ista indifferentia aliquam imperfectionem in divina scientia constituit, nec de hoc debuit aut potuit reprehendi Scotus.

Tertia sententia fuit Durandi in 1. dist. 38. q. 3. arbitrantis Deum cognoscere hæc cõtingentia futura libera in suis causis proximis, id est in voluntate creata non nudè sumpta, sed explicata hîc & nunc cum omnibus suis circumstantiis antecedentibus, videlicet, hoc judicio, hoc objecto, hac inclinatione & similibus. A qua sententia differre non videtur illa P. Molina supra jam relata & impugnata, putantis in comprehensione liberi arbitrij creati positi sub talib⁹ cõditionibus certò cognoscere Deum futurũ ejus actum, pariq; ratione cognoscere per illã mediã scientiã, quod si arbitriũ sub talib⁹ poneretur cõ litionib⁹ sic vel sic operaretur: quia absoluta præsciẽtia futurorũ à Durando tradita & ista sub cõditione quã Molina postea exponit cõcomitãter se habẽt, & altera ad alterã sequitur. Benè enim deducitur, quod si Deus certò scit arbitriũ taliter operaturũ, si in talibus circũstantiis, & cõditionibus cõstituatur, quod jã arbitriũ sub illis cõstitutũ absolutè à Deo præscitur sic operaturũ, ut sæpiùs dictũ fuit. Et propterea diximus illã præscientiã absolutã futurorũ à Durãdo traditã & hãc futurorũ sub cõditione à Molina postea expositã habere se cõsequenter, & alterã ex altera inferri. Hæc sententia cum illa Molinæ manet cõfutata, eisdẽ enim rationib⁹ revincitur utraq; & impugnatur.

Quarta sentẽtia est Gregorij de Valentia 1. p. q. 14. disp. 1. punct. 5. § *tertia assertio*, cum quinque immediatè sequentibus, cujus & supra mentionem fecimus, & in hunc locum remisimus declarandam. Dicit ergo ibi ex hoc præcisè quod Deus cognoscit certò causã contingentem proximè jam determinari ad effectum aliquem efficiendum & à nulla prorsus alia causa impediri certò cognoscere effectum contingentem futurum. Quod non solum de causa cõtingenti naturali intelligit (de qua sine dubio veritatẽ habet ista doctrina ut expressè S. Thom. docet 3. cont. gent. cap. 73. quod ibi optimè Ferrara advertit & Capreol. in 1. dist. 38. q. unic. art. 2.) Verùm illam ex professo extendit ad causas contingentes liberas, ut ibi ostendit obscurioribus verbis sic dicens: *Causa vero contingens libera tunc* (proximè scilicet determinatur mutationi) *ad agẽdum cum per suam perfectionem æquivalentem alicui, qua accedente intelligere possimus ipsam necessariò agere, & nõ accedẽte necessariò non agere, eligit potiùs actionem circa unum oppositorum, quàm circa alterum, cum alioquin ipsa suapte natura & perfectione indifferens sit, & indeterminata ad utrumlibet, etiam positis omnibus requisitis ad agendum.* Hæc autem obscura verba explicans infra atque declarans quid intelligat per illam perfectionem æquivalentem mutationi alicui, qua accedente intelligere possemus ipsam necessariò agere ita subdit in §. *sed objcit Capreolus, Verum hæc objectio parum valet, nam loquimur jam de causa cõtingente libera, non solùm ut non impeditur, sed etiã ut à seipsa vel naturaliter vel per auxilium divinæ gratiæ liberè ad unum potiùs determinatur, hoc ipso quòd per suam perfectionem, vel naturalem, vel adjutam gratia, æquivalentem alicui extrinsecæ*

Digitized by Google

extrinſecæ mutationi per quam (ut ſupra diximus) intelligi poſſet determinari, elicit actu actionem circa unum oppoſitorum potiùs quam circa alterum. Ex cauſa verò contingente libera, hunc in modum determinata, perſpicuum eſt certò & neceſſariò, ex hypotheſi conſequi effectum contingentem liberum; ſiquidem jam ſic conſideratur cum habitudine quadam ad illum in actu ſecundo. Et hoc eſt ſecundum dictũ illius prioris declarativum. Itaque ut utrumque uno verbo comprehendamus, per cauſam liberam proximè determinatam ad agendum per ſuam perfectionem, æquivalentem extrinſecæ mutationi, intelligit cauſam liberã ut jam in actu à ſeipſa determinata eſt ad agendum hoc potius quam illud. In hoc autem iſta ſententia à priori Durandi & Molinæ recedit, quod iſti, ut viſum eſt ſupra, loquuntur de omnibus circumſtantiis & conditionibus antecedentibus ipſam liberam voluntatis determinationem, in quibus dicũt cognoſci certò ipſam futuram determinationem voluntatis; at iſta in actuali libera determinatione ipſius voluntatis aſſerit Deum certò futurum illius actum comprehendere.

Iſta ſententia, ſi attendatur manifeſtè principium petit; de hoc enim quæſtio eſt, & hoc inquirimus, per quid certò cognoſcat Deus quod talis voluntas ſic eſt proximè determinata per actualem determinationem ſuam in actu ſecundo, cum ante illam poſitis omnibus conditionibus antecedentibus ſit indifferens & indeterminata ad habendam illam determinationem, vel oppoſitam. Unde ex cauſa ſic indifferenti, & indeterminata non magis poteſt oriri hæc actualis determinatio quam alia. Quare in cauſa ſic indifferenti & indeterminata in illo priori ante actualem illius determinationẽ non poteſt magis cognoſci hæc illius determinatio in hanc partem quàm in aliam, ut S. Thomas cum Ariſt. perpetuò docet. Imò ipſe Suarez de ſcientia futur. cõdit. conting. ex S. Thoma demõſtrat ibi, pariter & Molinæ & iſtam Valentiæ ſentẽtiam penitus ſicut impoſſibilem refutans, qui propterea ibi videndus eſt. Quare nec in hujus expugnatione alia adducenda ſunt, quàm quæ copioſè ſupra contra illam mediam ſcientiam inducta fuere, omnia enim illa, pariter hunc dicendi modum ſatis ſuperque rejiciunt, & confutant. Idem enim judicium eſt omnino de cognitione futuri contingentis liberi, & de cognitione actualis determinationis voluntatis in hanc, vel illam partem: neutrum enim certò poteſt cognoſci in voluntate indifferenti & indeterminata, nec actualis determinatio, nec futurus actus contingens & liber.

Imò utrumque eſt ſola ratione à ſeipſo diverſum, ut omnes Philoſophi & Theologi norunt. Nihil ergo penitus iſte author dicit niſi quod priores affirmarunt hoc de ſuo apponẽs quod magis obſcurè loquitur. Nec dubitãdum, quod ſemel admiſſo quod ſi voluntas libera eſt jam actu determinata à ſeipſa ad hoc agendũ, quod in tali determinatione certiſſimè cognoſceret Deus futurum liberum illius actum, vel potius jam præſentem illius actum intueretur; at explicare debebat per quid hanc ejus actualem determinationẽ certò habeat voluntas ut eam cognoſcat Deus, cum proximè ante illã indifferens ſit, & indeterminata ad eam, & ad oppoſitam, quòd quia non expoſuit, reſtat ut probãdum proponat, dum ſupponit voluntatem liberè ſe in actu ſecundo ad hoc determinare; cum ſit manifeſtum non magis ſe determinaturam ad hanc partem quàm ad aliam. Quare in petitione principij inutiliter verſatur.

Aliud denique prædictus author affirmat citato loco. §. *ſit jam quarta*, quod minus ſuſtineri poteſt. Dicit namque, quod magis neceſſarium eſt futura libera non poſſe aliter evenire ſuppoſito quod hoc vel illo modo eveniãt, quã ut ſuppoſita cauſa neceſſaria effectus non ſequatur neceſſarius. Hoc enim conſtat eſſe falſiſſimũ. Quod enim effectus ſequatur ex cauſa neceſſaria non impedita videlicet (de hac enim loquitur) eſt neceſſariũ abſoluta neceſſitate; at quod ſuppoſitò quod futura libera eveniãt, non poſſint aliter evenire, nõ eſt abſolutè neceſſarium, ut catholica veritas habet, ſed tantùm neceſſarium neceſſitate cõditionata, quæ libertatẽ non impedit, quam & Philoſophus explicavit cum dixit quod res dum eſt, neceſſe eſt eſſe, ita quòd impoſſibile ſit illã ſimul eſſe, & non eſſe, quæ eſt neceſſitas in ſenſu compoſito. Cum ergo iſta futura ſint neceſſaria tãtum neceſſitate conditionata; futurus autem actus ex cauſa omnino neceſſaria non impedita ſit neceſſarius neceſſitate abſoluta, dici non poteſt quod magis neceſſariũ ſit non poſſe aliter evenire iſta libera futura, quã actũ neceſſarium ex cauſa neceſſaria. Si autẽ intelligat magis neceſſarium eſſe quod dum actus liber eſt, ſit; quã quod actus neceſſarius producatur, à cauſa neceſſaria, verum erit, quia magis implicat ponere actum liberum ſimul eſſe & non eſſe, quàm actum neceſſarium à cauſa neceſſaria non produci.

Quinta ſententia eſt Gabr. Vaſq. quæ in quatuor dictis conſiſtit. Dicit primò Deum ex decreto ſuæ voluntatis cognoſcere futura, non tanquã ex cauſa proxima, ſed tanquã ex cauſa remota. Aſſerit ſecundo quod quãvis Deus non cognoſcat futura in decreto libero ſuæ voluntatis, illa tamen habẽt illo decreto, quod ſint certò cognoſcibilia. Affirmat tertiò propriam & proximã rationem certitudinis ſcientiæ divinæ ſumendam eſſe ex infinitate divini intellectus, & veritate futurorum. Et tandem quartò & ultimò infert quod ſi Deus non eſſet cauſa futurorum & eſſet virtutis infinitæ divinus intellectus certò cognoſceret futura omnia. Hæc enim ſumma illius ſententia eſt.

Primum illius dictum ita ab eo proponitur & intelligitur, quod in ſolo decreto divinæ voluntatis futura non cognoſcãtur, ſicut effectus à ſola cauſa remota nõ fiunt. Propter hanc enim rationem appellat decretum divinæ voluntatis cauſam remotam cognitionis futurorum. Rurſus illud vocat cauſam remotam determinandam per proximas cauſas. In utroque autẽ à veritate exorbitat. Quia ſi propriè ſermo ſit de cauſa remota, Deus ſuo divino decreto nullo modo cauſa remota eſt; quia cauſa remota, ut nomen ſonat, remotè ſe habet ad effectum, nec eſt illi proxima: At divina volũtas ita eſt prima & univerſaliſſima cauſa quod magis proxima magiſque immediata eſt cuicumque effectũi ſecundarũ cauſarum quàm ipſemet cauſæ ſecundæ ut ex libro de cauſis notum eſt, quod & modo ſupponimus, evidẽtius demonſtrandum infra. Quod autem determinetur à ſecundis cauſis falſum eſt, & ſupra impugnatum infraque confutandum lib. 3.

Secundum illius dictum (quod etiam alij diſcipuli S. Tho. docte obſervarunt) repugnantia (ut alia inconvenientia omittamus) involvere videtur: ſi enim futura habent à decreto divinæ voluntatis quod ſint certò cognoſcibilia planè in comprehenſione talis decreti certò cognoſcentur futura; illud enim quod dat futuris certam cognoſcibilitatem, objectum divino intellectui & eſſe inſpectum ab illo, dabit & illorum certam cognitionem, ut apertiſſimum eſt.

Huic concordat aliorum modernorum ſententia dicentium primò nullam dari ſcientiam mediam, per quã illa futura cognoſcantur; ſed ſecundò Deum per ſuum decretũ ante omnem præſcientiã determinaſſe, quod futura ſint. Tertiò non cognoſcere futura talia in illo ſuo decreto. Quartò illa cognoſcere in veritate ipſorũ futurorum, quam habent ex tali divino decreto.

Hæc ſententia quoad primum dictum negans mediã ſcientiã eſt veriſſima. Secũdum etiam illius dictum veriſſimum eſt, & utrumque ex dictis ſupra conſtat. Quoad tertiũ verò dictum, eſt omnino falſa. Quomodo enim, ſi Deus decrenit illa certo futura eſſe, illa certò futura in tali decreto non cognoſcit. An qui cauſam cognoſcit, ex qua certiſſimè procedit effectus, in tali cauſa certò effectum non cognoſcit? Præterea, ſi Deus

Digitized by Google

in suo decreto illa non cognoscit, sed solum in veritate ipsorum futurorum: ergo illa futura nullo modo cognoscit in seipso, sed solũ in ipsis futuris quod dici non potest ut probat S. Tho. 1.p.q.14.a.6. ex cujus doctrina (quæ non hic apponenda sed ibi videnda) confutanda venit hæc sententia modo relata. Sed ad alia dicta Gabrielis Vasquez revertamur.

Tertium dictum illius, ut jacet, verum est, sed falsissimum supponit. Verum est quidem propriam & proximam rationem certitudinis divinæ scientiæ respectu futurorum in ratione futuritionis eorum esse infinitatem divini intellectus; quia sua infinitate omnes veritates cognoscens, etiam illam veritatem illorum futurorum cognoscit sine dubio, quia infinitas divini intellectus ratio est propria & proxima propter quam Deus cognoscit omnia cognoscibilia, & omnes gradus cognoscibilitatis eorum, si ergo semel ponatur certa veritas ipsorum futurorum, proximè ob infinitatem divini intellectus cognoscitur.

Consultò diximus illam esse causam proximam futurorum in ratione futuritionis, quia ea cognoscere ut sibi realiter præsentia, requirit quod æternitati sint coëxistentia, ut infra clariùs ostendemus.

Falsissimum tamen & absurdum, imò omnino impossibile presupponit, posse videlicet dari vel assignari certam veritatem futurorum sine decreto libero divinæ voluntatis determinante, vel permittente ipsa, ut sint: vel posse talem divinam voluntatem determinari à causis proximis quoad hoc, quod ipsa futura sint, quia nihil potest esse futurum, nullaque veritas futurorum potest esse independenter à prima causa, quæ divina voluntas est, & absque eo quod ipsa divina voluntas efficaciter determinet, seu permittat quod illum futurum sit: quia aliàs negatur prima divina causalitas, ut abundãtiùs in impugnatione illius mediæ scientiæ dedimus manifestum. Cum ergo hoc impossibile ille author supponat, impossibilis ejus sententia est, & divinã primam causalilatem cum aliis sociis suis negat.

Quartum illius assertum (quod ex præcedentibus infert) quandam continet conditionalem cujus virtuali antecedenti per impossibile admisso, illa vera esset. Dato enim per impossibile quod Deus non esset causa futurorum essent tamen ipsa vera & certò futura à causis aliis: essetque Deus ita infinitæ virtutis in intelligendo sicut revera est, planè sequeretur quod illa ipsa intelligeret propter rationẽ factã, quia infinitas divini intellectus cognoscere habet omnẽ certã & infallibilẽ veritatẽ quomodolibet ipsa certa veritas statuatur.

Quod clariùs patet reducendo illam conditionalem ad suam consequentiam absolutam dicendo, ista sunt certò futura à quocumque per impossibile ponantur certò futura: ergo illa certò cognoscit divinus intellectus qui est virtutis infinitæ in cognoscendo. Cæterum ut præmisimus, quod aliqua sint certò futura sine divina voluntate determinante quod sint, vel illa permittente omnino impossibile est. Quod tamen impossibile iste author cum sociis suis non advertens, supponit illud esse factibile. Imò de facto fieri, quod videlicet ante divini volũtatis determinationem quod futurum aliquid sit, vel ante illius efficacem permissionem, illa fiant aut possint fieri. Fatendum est tamen ipsum cum aliis sociis consequenter ad sua principia loqui, dicendo quod posita aliunde veritate futurorum etiam si illorum divina volũtas causa non ponatur (sicut illorum ab eis causam non poni multoties demonstravimus) divinus intellectus propter sui infinitatem in intelligendo ea certò cognosceret.

Argumenta autem authoris hujus, quibus probat prædicta sua dicta nec referimus aut impugnamus: tum quia facillima sunt & nullius difficultatis: tum potissimè quia ab aliis S. Thomæ discipulis manifestè soluta sunt, præsertim à Doctore Ram, & Mag. Navarrete

CAPUT III.

Quod nulla sit objectiva veritas in futuris contingentibus & liberis ante decretum voluntatis ut certò à Deo cognoscantur.

RECENTIORES Theologi, sed potissimè Franc. Suarez sæpius in hac parte citatus lib. 1. de scien. futur. conting. cap. 6. & 8. admittit (si omnia quæ diffusè dicit, recolantur) esse necessariam certam cognoscibilitatem in futuris ut certò a Deo cognoscantur, reprehenditque contrarium opinantes. In quo planè verum dicit, quia intelligi nequit ut divinus intellectus qui certissimè rem cognoscit sicut est, certò cognoscat futura quæ certò futura non sunt. Et hoc est primum illius dictum. Asserit secundò quod antecedenter & independenter à decreto libero divinæ voluntatis habẽt futura certam cognoscibilitatem. In hoc planè cum omnibus aliis suis quorum ista est perpetua sententia falsum dicit, ut statim ostendemus.

Asserit tertiò quod antequam sit causa prima vel intelligatur in aliquo priori naturæ & causalitatis determinata ad talem futurum contingens, ipsum objectivè in seipso habet determinatum esse, & determinatam veritatem, secundum quam est certò cognoscibile à divino intellectu simplici intuitu.

Dicit quartò quod prima ratio certitudinis ob quã futurum illud sit certò à Deo cognoscibile, non est decretum divinæ voluntatis, sed illa determinata veritas quam habet futurum in seipso.

Dicit quintò quod illa determinata veritas nihil est aliud quam aptitudo quædam, seu non repugnantia ut intellectus habens virtutem intelligendi sufficienter possit de tali objecto verè enuntiare, seu judicare. Quæ aptitudo secũdùm ipsum non est aliud quã ipsum esse, quod res illa tali tempore est habitura. Ut autem pleniùs intelligatur, sic iste author procedit, ut ad primam ipsius radicem ascendamus, quòd videlicet omnium primò Deus illa scientia conditionata (quam isti authores in Deo constituunt) cognoscit illud futurum fore tali tempore, si voluntas creata illo eodem tempore sub talibus conditionibus constitueretur. Deinde in secundo rationis instanti jam ipsa voluntas si sic constitueretur haberet aliquem actum non confusum, vel indeterminatum, sed determinatũ, & illum actum jam in seipso objectivè cognosceret Deus, sed in tertiò signo rationis vult divina voluntas creatam voluntatem in tali tempore & sub talibus conditionibus collocare: postea in quarto signo simplici intuitu videt divinus intellectus illud futurum contingens absolutè fore futurum, non quidem intuendo ex æternitate propriam existentiam illius coëxistentem æternitati, quia hanc semper negat, sed intuendo illam objectivam & determinatam veritatem ejus. In quo discursu satis apertè explicat qualiter divinus intellectus cognoscit futurum contingens absolutè futurum antequam aliqua causa prima (quæ divina voluntas est) intelligatur determinata in aliquo priori naturę & causalitatis ad futurum illud producendum. Nam divina voluntas volens constituere creatam voluntatem in tali tempore & sub talibus conditionibus, certum est quod non determinat quod illud futurum sit, quia solùm vult creatam voluntatem constituere in tempore & occasione, qua prævidetur quid ipsa sit factura absque alia determinatione ex parte divinæ voluntatis: similiter ipsa creata voluntas sic constituta à Deo sub tali tempore & sub illis prævisis conditionibns non intelligitur priùs naturâ & causalitate determinata ad futurum illud.

Nec oppositum postea dixit lib. 1. de essentia præ-

Digitized by Google

destinationis cum ait, quod scientia intuitiva rei in se (vocat autem scientiam intuitivam rei in se illam quæ cognoscit objectiuam illam præsentiam) supponit decretum, quia supponit determinationem omnium causarum, quibus res illa habet quod sit futura, inter quas, prima est divina voluntas & decretum illius quæ sunt illius verba citato loco cap. 1. §. *tertio dicendum*, & sequentibus. Quia per decretum divinæ voluntatis, & per determinationem causarum non intelligit quod prima causa revera sit priùs ratione determinans secundam ad agendum quam reipsa secunda causa agat (cum acriter prædeterminationem primæ causæ impugnet) sed intelligit illud decretum quo Deus vult constituere hominem in tali rerum ordine, in quo prævidebatur, si poneretur, operaturus. Quod decretum non est determinatio divinæ voluntaris ut homo operetur, ut sæpè expositum est: unde concluditur quod illa objectiva præsentia ex seipsa habeat illam determinatam veritatem, ut alibi isti authores exposuerunt.

Siquis autem dicat ipsum admittere nomine determinationis omnium causarum non prædeterminationem primæ causæ veram ac propriam, quam semper negavit, sed determinationem ipsius creatæ voluntatis, restat, ut (sicut de rejecta sententia Valentiæ diximus) ostendat per quid talis voluntas intelligitur certò determinata ad illum elicendum actum & non alium: quod cum ostendi non possit, supereſt ut determinatam veritatem illius futuri contingentis ponat sine determinatione vera causarum illius, per quod multò magis lædit ejus libertatem & contingentiam, & absolutam ejus constituit necessitatem, ut explicatum fuit supra.

Cæterum, rejecta modò illa scientia media satis supra impugnata, contra istum dicendi modum de objectiva præsentia: firmiter tenendum nullum futurum contingens ante decretum divinæ voluntatis ex meritis proprils habere hanc objectivam veritatem, qua certò possit terminare divinam cognitionem. Patet primò. Certa cognoscibilitas futurorum præsupponit certam illorum futuritionem, sed certa illorum futuritio ab intrinseco dependet à libero decreto divinæ voluntatis & in illo fundatur: ergo ante decretum tale non sunt à Deo certo cognoscibilia futura. Minor est nota & major constat etiam ex sententia authoris hujus, quia quod certò futurum non est nec est certò cognoscibile. Hanc enim rationem ipse constituit, quod sicut divina potentia non potest facere id quod de se non est factibile: ita divina scientia non potest scire illud quod ex se non est scibile. Quæ propositio illius procedit de scientia Dei secundùm propria scientiæ, quæ est cognoscere, non efficere; secundùm quam rationem verum est quod divina scientia non potest cognoscere certò futura, si ipsa non sunt certò cognoscibilia. Posita autem indeterminatione ex parte illorum & contingentia, ipsa ab intrinseco incognoscibilia sunt, & absolutè repugnat illa ut sic cognosci, non minus quàm repugnat divinam potentiam efficere quod absolutè & simpliciter infactibile est. Et ista est hujus authoris sententia in ista ratione & comparatione. Quod dixerim propter aliquos Thomistas qui aliter hanc illius rationem, comparationem interpretantur.

Patet deinde ex Philosophi & S. Thomæ sententia supra relata qui demonstrant illam veritatem objectivam necessariam esse absolutè, & non liberam, aut contingentem; quia videlicet ex natura propria est determinata ad unam partem, quæ est propria ratio rei absolutè necessariæ. Unde (ut supra diximus agentes de scientia media) etiam ipse Molina rectè docuit per talem dicendi modum tolli rerum contingentiam, & libertatem.

Unde Cajetanus optimè dicit jentaculo 11. q. 3: *quod creatura quæ sunt, fuerunt, & erunt in hoc mundo per voluntatem Dei habent hunc essendi modum, quoniam ex libera Dei voluntate quasi translatæ sunt de ordine possibilium absolutè ad ordinem producendorum quandocumque.* Et ita explicat illud Apocal. 4. *Omnia per tuam voluntatem erant & creata sunt.* Nota illa verba. *Per Dei voluntatem quasi translatæ sunt de ordine possibilium ad ordinem producendorum quandocumque*: ergo ante talem liberam Dei voluntatem remanerent tantum in ordine possibilium & sic tantùm ut possibilia possunt à Deo cognosci. Quod si ante divinæ voluntatis decretum res contingentes non sunt in statu solùm rerum possibilium, sed jam determinatam habent veritatem, vel ut sint, vel ut non sint (ut authores hujus objectivæ & determinatæ veritatis imaginantur) ergo semper fuit verum dicere quod determinatè erunt, vel quod determinatè non erunt. Si autem semper verum fuit dicere quod tales res determinatè erunt, & quod tales determinatè non erunt, non potest hoc non esse, vel non futurum esse. Quod autem non potest non esse & non fieri, & quod impossibile est non esse & non fieri, necesse est esse & fieri, & sic necesse est esse & fieri omnia quæ futura sunt. Unde nihil esset ad utrumlibet contingens, sed omnia ex necessitate evenient, quæ est in terminis Arist. demonstratio lib. 1. periherm ubi ex professo hanc determinatam & objectivam veritatem confundit, convincens authorem illius omnem contingentiam & libertatem negare, & omnia constituere ex necessitate evenire. Et sic qui tantùm de defensione libertatis gloriantur per Philosophum & S. Thomam, per Molinam ipsum convincuntur, quod illam penitus auferant, auferendo pariter consilia omnia, consultationes, & exhortationes & omnia Philosophiæ Moralis principia. Quod enim concedunt se ponere illud futurum post divinæ voluntatis decretum, jam dictum est, illud decretum non velle quod tale futurum sit ad hoc causam illius determinando, sed tantùm velle quod secunda causa illud velit sicut prævidebatur volitura. Unde cum illud Dei decretum ponatur dependens ab eo quod causa secunda volitura est, fit manifestum non esse decretum efficaciter volens rem possibilem transferre ad realem existentiam, & sic revera ponitur illud futurum absque divino decreto, quod revera sit causa quod tale futurum sit, ut sæpe manet expositum.

Imò & illud manifestè concluditur quod omnem divinam providentiam circa futura talia negent. Si enim ante decretum divinæ voluntatis fuit determinata objectiva ista veritas; Petrus erit prædestinatus, sive quoad veritatem, sive quoad falsitatem: necessarium fuit absolutè, vel quod Petrus esset prædestinatus, vel quod non esset prædestinatus: & sic sive ad illi prædestinandum, sive ad non prædestinandum liberè nihil divina voluntas operata est, quod est omnino divinam prædestinationem negare. Explicatur clarius. Nam ista propositio, Petrus erit prædestinatus, secundùm hos authores, ante decretum divinæ voluntatis est vel determinatè vera, vel determinatè falsa; si est determinatè vera: ergo non poterit Deus illum non prædestinare, sed vel unum, vel alterum ex necessitate efficit, & sic divina providentia & prædestinatio negatur. Parique ratione, si ista objectiva veritas est determinata quoad veritatem, vel falsitatem, ut ratio Philosophi concludit, necesse est quod ita sit sicut illa determinata veritas ex sua natura postulat, & sic idem quod prius. Proculdubio sententia ista quæ tenet propositiones de futuro contingenti singulari esse determinatè veras vel determinatè falsas per illam objectivam veritatem, quam statuunt authores isti, est pravum principium, ex quo innumera absurda, & falsitates oriuntur.

Unde

Undè recte quidem ipse Molina de tali suorum sententia dixit in concord. disp. 52. §. Quidam: *Quidam contendentes in futuris contingentibus semper alteram partem antequam eveniat esse ex aeternitate veram determinatè, & alteram determinatè falsam, eaque ratione ex natura rei unam esse cognoscibilem futuram determinatè, & alteram non futuram determinatè, ex eo capite quòd quidquid est ex rei natura cognoscibile Deus ante omnem actum suæ voluntatis naturaliter cognoscat, arbitrantur Deum ante omnem actum liberum suæ voluntatis scire, non solùm quid per arbitrium creatum sit ex quacunque hypothesi futurum, sed etiam quid ipsemet Deus posterius naturâ seu nostro intelligendi more cum fundamento in re sit liberè volsturus eo quod id similiter antequam à Deo statuatur sit determinatè verum.*

Verumtamen contingentia futura ex natura rei esse determinatè vera, & cum Arist. doctrina, communique doctorum sententia, & cum natura ipsa contingentium pugnat, quippe quæ eo ipso ex ipsamet eorum natura indifferentia sunt, ut eorum unumquidque sit vel non sit, ut ad caput ultimum primi de interpretatione ostendimus. Hæc Molina. Sub his verbis Francisci Suarez & suorum doctrinam contendentium propositiones de futuro contingenti ante decretum liberum divinæ voluntatis per illam objectivam veritatem esse determinatè veras, vel determinatè falsas, qualificat cum Arist. & communi Doctorum sententia sicut cùm natura ipsa contingentium pugnantem; ut vel omnes sciant quam parum veritati consona sit ista, quam modò in Francisco Suarez oppugnamus, sententia, quippe quæ rerum contingentiam & libertatem auferat. Quod tamen inconveniens nullo modo sequitur ex hoc quòd illud futurum à prima causa libera constituatur determinatum, quia prima causa determinat quòd illud fiat, & liberè fiat juxta causarum secundarum, quæ liberæ sunt, naturam propriam, ut alibi sæpe docuimus.

Secundò effectus determinatus non procedit, nec procedere potest nisi à causa determinata: ergo impossibile est omnino esse, vel intelligere effectum determinatum in se ipso, nisi sit vel intelligatur productus à causa determinata ad illum: ergo si omnis causa tam prima quam secunda nullam determinationem intelligantur habere respectu effectus talis, implicatio erit aperta dari vel intelligere effectum illum certum & determinatum in se ipso. Itaque sicut impossibile est omnino quòd sit effectus vel intelligatur esse in se ipso, nisi intelligatur produci à causa priùs natura illum producente, ut omnis Philosopia demonstrat, imò experientia ipsa; ita est impossibile dari, vel intelligere effectum determinatum in se ipso nisi intelligatur produci à causa sive causis priùs natura, & causalitate ad illum determinatis.

Tota hujus rationis seu demonstrationis efficacia pendet à primo antecedente quod tamen est in Philosophia principium probatione forte carens, sed non explicatione. Etenim in primis à posteriori procedendo, si effectus habet in se ipso determinationem, dicat nobis author iste à quo illam debet habere? certum est quod ab aliqua sua causa illam debet habere: quòd si esse determinatum habet à sua causa: ergo determinatio illa in sua causa præfuit virtualiter saltem: ergo priùs illa causa præhabuit illam determinationem, quam effectui contulit: erat ergo causa priùs natura saltem ad illum effectum determinata.

Præterea, à priori id explicatur: quia si causa alicujus effectus non est determinata ad producendum hunc effectum, sed est indifferens & indeterminata tam respectu hujus, quam alterius, quomodo potest intelligi quòd istum determinate producat magis quàm alterum. Etenim ab aliquo debet provenire quod iste effectus hìc & nunc producatur ab hac causa, & non alius: ergo debet ipsa causa magis determinati ad istum quam ad alium: nam ex nullo alio potest oriri quòd de facto iste effectus hìc producatur & non alius, nisi ab ipsa causa, quæ magis respiciet hunc quàm alium & magis determinatur ad hunc quàm ad alium. Unde est axioma Philosophorum quod à causa indifferenti & indeterminata, effectus determinatus non procedit sicut nec effectus (ait Philosophicum principium) procedit à causa secundùm quod in potentia, sed secundùm quod in actu: quia omne agens agit inquantùm est actu, quod est aliud principium in Philosophia notissimum. Imò ut formalius loquamur, per ista tria, unum & idem evidentissimum principium Philosophiæ explicatur. Idem enim est causam non esse in potentia, sed esse in actu respectu alicujus, quòd esse inclinatam & determinatam ad illud producendum. Nam si est in potentia, est indeterminata, & si est in actu jam determinata erit respectu illius ad quod in actu est. Imò experentia id demonstrat in causis naturalibus & necessariis: si enim ignis per calorem non esset determinatus ad calefaciendum, quomodo calefaceret. Et sic de singulis. Similiter in causis contingentibus & liberis, si vel ab alio, vel à seipsis non intelliguntur inclinatæ & determinatæ ad hunc effectum, & non ad alium, qua ratione percipi potest quòd hunc determinatum producant.

Hujus etiam ratio altera est, quæ præcedenti capite formata fuit: Si enim nullo præintellecto decreto voluntatis Dei, futura contingentia determinatam habent veritatem, necesse est quod non ex voluntate Dei sint futura, sed aliundè, ex voluntate nempe humana. Unde à casu censerentur respectu voluntatis Dei; Deus enim non ordinaret quòd ita fierent, sed solùm quòd fierent, si homo vellet, constituendo hominem in tali rerum ordine. Unde dato quod non essent præter scientiam Dei, essent tamen præter ejus intentionem. Sed de hoc alibi.

Præterea: futura illa non possunt cognosci nisi vel in suis causis determinatis, vel in se ipsis, ut plana est sententia S. Thomæ prima par. quæst. 14. art. 13. quæst. 57. art. 3. fere per totam; sed ille simplex intuitus nec fertur in causas determinatas futurorum, nec in futura ipsa: ergo &c. Quòd non feratur in causas determinatis iste author admittit; quòd non feratur in futura ipsa patet, quia non existunt: ergo non possunt cognosci in se ipsis.

Sed dicit ille author, quod futura illa existunt in se ipsis, non reali, sed objectiva præsentia divino intellectui proposita: sed planè hoc est solùm voce velle obscurare doctrinam nihil in re intelligibile proponendo. Primò quia rationes omnes supra inductæ non minus expugnant objectivam illam præsentiam quàm realem, omnes etenim in hoc vim faciunt quòd ante decretũ liberũ divinę voluntatis sit aliqua veritas de futuro determinatè vera, sive per realem, sive per objectivam præsentiam: quia quomodolibet ponatur æqualiter concluditur quòd illa sit ex natura sua veritas ad unam partem determinata, & sic quòd nulla ratione contingens & libera maneat. Unde ista objectiva & certa præsentia de qua habetur certa scientia nihil est aliud nisi objectiva representatio divino intellectui. Dicat ergo nobis in quo esse fundatur illa objectiva repræsentatio: vel debet fundari in causa certa & determinata ad futurum tale, vel in existentia ipsius futuri in seipsa: & sic idem quod prius.

Præterea: quia illa objectiva determinata veritas nihil est aliud nisi quòd aliquando certò, & determinatè erit futurum tale. Si aliquando certò erit futurum tale, ante mille annos erit verum dicere, fore

Digitized by Google

fore illud futurum. Unde non poterit non esse certò futurum tale & sic est necessarium ut Philosophus apertè probavit, ut diximus. Nihil enim ibi expugnavit nisi hanc objectivam determinatam veritatem. Similiter falsum est & impossibile quòd illud futurum sit aliquando certò futurum cùm illud sit contingens æqualiter ad utrumlibet; ergo falsa est illa objectiva veritas determinata quæ in illo fundatur.

Præterea inquiro, quid significatur per illud esse objectivè cognitum & divino intellectui repræsentatum? Vel significatur aliquod esse essentiale & potentiale tantùm, vel aliquod esse actuale & existens in seipso? Non hoc secundum, ut iste author fatetur: ergo erit illud primum. Si autem potentiale est & in causa indeterminata, non erit certò futurum: ergo nec certò cognoscibile. Dicet forte quòd est esse actuale, sed non existentiæ actualis. Sed hoc minus potest intelligi quòd sit esse actuale, & non per actualem existentiam: quia semper illud principium evidens est quòd esse effectus vel debet esse in seipso, vel in causa determinata, & inclinata ad illud, aliàs nec illud esse actuale est virtualiter in causa, si causa est indeterminata; sed tantùm in illa habet esse potentiale sicut & quilibet alius effectus, qui ex illa potest exire.

Ex dictis sequitur idem omnino esse asserere aliquem effectum, sive actum esse determinatum & non à causa priùs determinata, quòd assere illum actum esse productum à causa & non esse à causa productum; nam à causa indeterminata non producitur. Similiter idem reipsa esse dicere aliquod futurum contingens esse absolutè futurum, & ut tale cognosci à Deo absque actu divinæ voluntatis priùs natura & causalitate illud determinatè volente, seu permittente; & dicere aliquod futurum contingens esse absolutè futurum, & ut tale cognosci à Deo absque actu divinæ voluntatis illud causante, quia si determinate non causat illud, nullo modo causat. Videat ergo iste author qualiter reipsa concedat aliquod futurum contingens absolutè futurum fore absque actu divinæ voluntatis illud causante, sive permittente: quod nullo modo vel dici, vel admitti potest.

Præterea: res secundum hoc habent veritatem secundum quod habent esse ut S. Thomas docet quæst. 2. de verit. art. 2. ad secundum quod ex ipso est satis manifestum; sed objectiva illa veritas ex æternitate à Deo (ut aiunt) cognita, non habet secundùm ipsos esse reale existens in æternitate: ergo nec habet veritatem in seipsa, ut in seipsa cognosci possit. Rursus non habet esse determinatum in prima vel secunda causa determinata ad illud: ergo nec in suis causis habet determinatam veritatem, ut cognoscatur. Unde nullo modo est certò cognoscibilis illa objectiva veritas; quia illa determinata veritas objectiva in aliquo esse determinato debet necessariò fundari.

Nec argumenti vis eluditur per illum dicendi, seu explicandi modum illius authoris duorum opusculorum contendentis quòd licet arbitrium constitutum sub tali ordine rerum, pro primo instanti quo sic constituitur, indifferens sit ad unum & alterum actum; & ex consequenti in illo ut sic non potest certò unus actus determinatus cognosci, tamen pro secundo instanti jam operatur arbitrium aliquid in particulari quod jam seipso potest certò cognoscere Deus. Jam enim supra ex triplici impossibili quod consequitur, modum istum reiecimus. Primum est quia jam sine motione Dei voluntas actum haberet, & non mota à prima causa, secundâ operaretur. Secundum quia jam sine Deo inchoaret actionem suam se determinando, & Deus illam consequenter adjuvaret, & sic inchoatio esset ex nobis, consûmatio ex Deo.

Tertium quia à creato illo objecto sumeret Deus, sicut à prima radice suam certam cognitionem, & perfectionem: quibus & quartum addendum putamus, quia jam à causa indeterminata prout indeterminata actus fieret determinatus. Nam arbitrium ut collocatum sub illis conditionibus indeterminatum manet, (ut hic author fatetur) ad operandum vel non operandum: ergo si prius non determinetur ad hunc potiùs quam illum actum nec potest elicere determinatum. Dices quod determinari sufficit per consilium, Sed hoc consilium ei debet esse à Deo, quia primum Consilium ex Deo nobis est, ut post Arist. S. Thomas semper docuit de quo infra libro secundo copiosè agemus.

Unde non solùm inaudita nobis videtur hujus authoris doctrina in hac parte, quantùm ad hoc particulare quod dicit, posse esse sive intelligi effectum determinatum absque causa prima vel secunda priùs natura intellecta ut determinata, sed etiam aliis ex Societate sua authoribus apparet contradictionibus plena. Nam P. Vasquez in comment. Ad primam par. quæst. 14. art. 13. disp. 65. cap. 12. dicit implicare contradictionem, quòd Deus cognoscat futurum ab aliqua causa, & quòd determinationem ipsius causæ simul non cognoscat; & intelligit planè simul ex parte intelligentis, licet ex parte objecti priùs determinationem causæ intelligat quàm effectum determinatum: quia videlicet intelligit illud esse causam hujus, sicut cognoscit Deus simul rationale & risibile ex parte intelligentis, sed ex parte objecti unum priùs altero intelligit quia intelligit unum esse causam alterius.

Nec potest dici (ut iste author prætendit) liberum arbitrium priùs ratione se liberè determinare quam intelligatur determinata illa objectiva præsentia, quia jam supra agentes de scientia media monstravimus liberum arbitrium ante omnem suum actum nihil habere per quod se liberè determinet ad volendum.

Diximus fictitiam, & impossibilem esse illam objectivam veritatem: quia non negamus cognosci à Deo futura contingentia per objectivam etiam veritatem præsupponentem divinæ voluntatis decretum, à quo habent illam certam objectivam veritatem: verum enim est dicere quòd futura erunt, vel clariùs quòd debet præsupponi talia futura esse certò futura, & non solùm possibilia. Cùm autem nihil sit verè futurum nisi supponat decretum Dei tanquam causam, vel decretum quo permittitur futurum; consequens est quòd futurum ut futurum, quod verè est objectum scientiæ infallibilis Dei, tale divinæ voluntatis decretum præsupponat.

Itaque licet futurum quodcunque ab æterno sit futurum, ordine tamen rationis priùs res est possibilis quàm futura. Duo namque instantia rationis distinguenda sunt. Primum antequam voluntas Dei aliquid futurum decernat, & in illo instanti consideratur res ut possibilis. In secundo autem instanti, cum videlicet divina voluntas decrevit futura esse, vel illa permittere: tunc considerantur ut certò futura.

Hoc ergo asserimus quòd in illo secundo rationis instanti post decretum videlicet divinæ voluntatis volentis, vel permittentis futura esse, etiam si per impossibile illa non essent realiter æternitati coexistentia (de quo infra agendum erit, nam cum sic coexistunt præsentialiter atque realiter jam intuetur ut præsentia non ut futura, ut est aperta sententia S. Thomæ) verè cognoscuntur à Deo ut futura; quia jam sub actione considerantur ut certò futura, & ut determinatam habentia veritatem objectivam;

per

per quam possint certò terminare divinam cognitionem. Probatur hoc ultimum quia illa veritas objectiva illorum futurorum ab æterno est certa: ergo cognoscitur certò à divino intellectu. Patet consequentia; quia nulla certa veritas est, aut esse potest, quæ à divino intellectu habente infinitam virtutem ad intelligendum non certissimè cognoscatur; aliàs defectus esset in divino intellectu, qui veritatem certam attingere non posset per certam cognitionem. Nec hanc veritatem necesse est aliis plurimis rationibus confirmare.

Dices: ergo jam secundùm rationem istam aliquid erit Deo futurum quod tamen Sancti Patres inferiùs inducendi non admittunt. Dicendum id quidem non sequi, sed tantum quod id quod Deo futurum non est, possit secundùm aliquam rationem, & prioritatem à Deo etiam cognosci ut habens rationem futuri in decreto quo Deus vult illud esse futurum. Aliud est enim quòd aliquid sit futurum respectu Dei, quod non admittimus; & aliud quòd quamvis sit sibi præsens, possit in priori rationis non intuendo ipsum ut præsens, sed ut determinatè futurum in decreto Dei, in eodem cognoscit ut futurum, quod admittimus.

CAPUT IV.

Solvuntur argumenta quæ videntur impugnare prædictam resolutionem.

NEc obstat predictæ veritati, si aliquis objiciat primò ex Aristotele quòd verum & falsum accipiuntur sicut ens & non ens, & ex consequenti quòd sicut nullum datur medium inter ens & non ens; etiam in illo priori rationis ante decretum liberum divinæ voluntatis, nulla detur propositio etiam pro illo priori demonstrata, quæ non sit vel determinate vera, vel falsa.

Similiter secundò potest aliquis opponere ex eodem Philosopho, qui in sua doctrina comparat verum & falsum sicut sanum & ægrum in animalibus, quare sicut de quolibet animali pro quolibet instanti est verum affirmare quòd determinatè sit sanum, vel ægrum. (cum ista sint immediatè opposita) ita signata qualibet propositione, erit verum dicere, illam vel determinatè veram esse, vel falsam.

Parique ratione opponit potest tertiò quod verum, vel falsum est passio propositionis, sicut par vel impar est passio numeri: ergo semper verum vel falsum determinatè convenit cuicunque signatæ propositioni, quia cuilibet signato numero in particulari convenit in quocunque priori rationis signetur, quod determinatè sit par vel determinatè impar.

Præterea ista propositio. Antichristus erit, vel non erit, & quælibet alia constituens simile disjunctum, est necessariò vera; ut Philosophus etiam docet: ergo etiam in illo priori rationis signo, ante decretum videlicet divinæ voluntatis, erit illa propositio necessaria, & ex consequenti determinatè vera: ergo erit vera determinatè ratione alicujus partis, quod sufficit ad veritatem disjunctivè ad quam illa propositio reduci debet.

Præterea: ante decretum divinæ voluntatis hæc propositio Thomas leget est propositio: ergo est vera vel falsa: ergo significatum per illam, vel est verum, vel falsum; & sic habet ante decretum divinæ voluntatis determinatam veritatem, vel determinatam falsitatem.

Confirmatur. Ista propositio, Thomas leget, sumpta ante divinæ voluntatis decretum conformatur effectui subsequuto, quia ita est quod leget, vel non conformatur, quia non leget: ergo in se ipsa erat determinatè falsa, vel vera alias non poterat conformari effectui alicui determinato.

Insuper hæc propositio, Thomas disputabit, est huic contradictoriæ opposita, Thomas non disputabit: ergo altera illarum est determinatè vera, vel determinatè falsa, etiam pro quolibet priori rationis considerentur. Patet quia lex contradictoriarum hæc est quòd altera sit determinatè vera altera verò determinatè falsa, licet à nobis non cognoscatur, quæ sit in particulari vera determinatè, vel falsa: quia id non comprehendimus; at verò divinus intellectus, quia omnia comprehendit, perfectissimè id cognoscit.

Ad ista argumenta dicendum. Et ad primum, quod sicut loquendo de præsenti, etiam ante decretum divinæ voluntatis, pro illo priori rationis de quolibet est verum dicere quod est vel non est, vel ut formaliùs loquamur de quolibet intelligitur, quod sit vel quod non sit determinatè; ita pari modo propositiones de præsenti vel sunt determinatè veræ vel determinatæ falsæ etiam pro illo priori; ut si dicatur Antichristus est, Antichristus non est, constat enim negativam, etiam pro illo priori rationis, esse determinatè veram, & affirmativam determinatè falsam.

Similiter id etiam verificatur in propositionibus de præterito, quod una est, vel determinatè vera, vel determinatè falsa; sicut Antichristus fuit vel Antichristus non fuit (ut Arist. docet primo) Periher. in fine.

Cæterum, sicut loquendo de futuro pro illo priori rationis ante divinæ voluntatis decretum, nullum futurum creatum est determinate hoc vel illud ens; quia utrumque à divina voluntate liberè potest fieri; ita eodem modo & propositiones de futuro in hac suspensione manent, nec determinatè sint veræ, aut determinatè falsæ ut jam supra ex Philosopho manet demonstratum, qui apertam hanc differentiam ibi constituit inter propositiones de præsenti, & de præterito, & illas quæ sunt de futuro.

Et per hoc patet ad secundum, dicendum enim quòd contraria immediatè solùm postulant quod nullum detur instans temporis, vel durationis in quo sit subjectum, & nullum illorum immediatè oppositorum insit illi; in prioritatibus autem rationis hoc non postulant, ut patet in gratia & peccato quæ etiam immediatè opponuntur in statu naturæ lapsæ, & comparantur ad animam sicut vera ægritudo & vera sanitas illius, ac proinde nullum instans durationis sui datur, in quo anima non sit vel cum gratia vel sub peccato: at verò in rationis prioritate, quando anima intelligitur habere contritionem ut disponentem ad gratiam, intelligitur tunc non esse sub peccato, hoc enim per talem contritionem excluditur, & similiter adhuc non intelligitur habere justificantem gratiam, sed intelligitur in via ad ipsam, & incipere habere illam. Sic ergo, licet nullum detur temporis instans sive durationis in quo verum & falsum, utpote immediatè opposita, non inveniantur determinatè in propositionibus, etiam de futuro contingenti; tamen in prioritate rationis, & in signo rationis in æternitate ante actum liberum divinæ voluntatis volentis, sive permittentis ut futurum sit, vel non sit, nullum determinatè verum, sive falsum determinatè in talibus propositionibus invenitur, ut dictum est supra.

Secundò respondetur, & magis ad Aristotelis mentem quòd verum & falsum quod ipse comparat sano & ægro, est verum vel falsum in propositionibus contrariis universalibus, videlicet, omnis homo est albus, nullus homo est albus: cæterum in propositio-

nibus

nibus de futuro contingenti singulari totum docet contrarium in citato capito ultimo primi de interpret. ubi manifestè probat quòd talis propositio nec est determinatè vera, nec determinatè falsa & ex consequenti non comparatur ægro vel sano, quorum alter semper determinatè in animali invenitur.

Ad tertium dicendum, quòd propositio de futuro contingenti in illo priori rationis considerata, non debet aut potest comparari alicui speciei determinatæ numerorum, ut argumentum prætendit; sed comparatur ad numerum in genere. Unde sicut ille est in potentia ad par vel impar; ita & illa propositio indifferens est ad determinatè verum vel falsum significandum. Et ratio hujus differentiæ est hæc; quia esse numerum binarium determinatè parem, & ternarium determinatè imparem, abstrahit ab existentia: nullo enim numero existente est verum, binarium parem & ternarium imparem esse: At verò Antichristus in re futurus vel non futurus, cum respiciat existentiam, pendens est necessariò à divina voluntate producente. Unde ante illam nulla pars habet determinatam veritatem, aut falsitatem, sed potentiam ad utrumque, sicut numerus in genere potentiam habet, ut sit par vel impar.

Quod si dicas. Omne determinatum contentum sub aliquo diviso necesse est ut sub altero ipsum dividentium determinatè contineatur, sicut quia homo cõtinetur sub animali oportet quod determinatè sit vel rationalis vel irrationalis sed apud dialecticos omnis propositio aut erit vera determinatè aut falsa: ergo ista propositio Antichristus erit, vel erit in illo priori determinatè vera vel determinatè falsa.

At hoc respondetur juxta prædictas tres solutiones supra relatas: Et quidem juxta primam quæ dicit illas in aparentia & materialiter tantùm esse propositiones, non formaliter seu significativè, argumentum nullum est quia nec continentur similes propositiones sub propositione ut sic quæ dividitur per veram & falsam. Conformiter autem ad secundum modum.

Respondetur, quòd propositio quæ dividitur per veram vel falsam sic debet intelligi quòd in nullo instanti sit aliqua propositio quæ non sit vera vel falsa: at in signo priori rationis hoc non est necesse; imò est necesse contrarium. Cum enim verum, vel falsum sit passio propositionis necesse est priùs ratione intelligere in quacumque propositione essentiam quam passionem. Unde in illo priori cognitionis essentiæ propositionis non intelligitur nec vera nec falsa. Unde nec ante decretum divinæ voluntatis in illo priori rationis intelligitur ob rationem hanc illa propositio aut determinatè vera aut determinatè falsa.

At secundùm tertium modum explicandi (quem ex mente Aristotelis & S. Thomæ magis eligimus) dicendum quòd illæ propositiones de futuro contingenti pro illo primo rationis instanti ante divinæ voluntatis decretum, continentur quidem sub propositione divisa per verum & falsum: unde nec habent tam amplam significationem ac divisum sub quo continentur ut est manifestum. (Et hoc tantùm argumentum probat) sed significant quoddam particulare verum, vel falsum, videlicet illud sub disjunctione sæpius expositum, non tamen quælibet significat determinatè verum vel falsum quia hæc est illarum propositionum propria natura ut Aristoteles ostendit.

Ad quartum dicendum, illud disjunctum verum esse, & necessàrium; non quia aliqua illius pars sit determinatè vera in illo priori antecedenti liberum decretum divinæ voluntatis; sed quia constat ex oppositis & partibus impossibilibus, ita quod illa propositio est vera in sensu disjuncto & in confuso; non autem in disjunctiuo sive determinato. Unde nec est reducibilis ad disjunctivam nec probari potest sicut disjunctiva, quare nec oportet habeat aliquam partem quæ sit determinatè vera vel determinata falsa & si reducatur ad disjunctivam fiet argumentum à confusa ad determinatam ut summuliſtæ dicunt non minus quam si sic argumentarentur: Ad equitandum requiritur equus: ergo requiritur iste vel iste: quæ illatio nulla est, & similiter ista: Antichristus erit, vel non erit: ergo Antichristus erit vel Antichristus non erit, nulla pars determinate infertur ratione dicta.

Confirmari hoc potest quia illud disjunctum est necessarium etiam pro illo priori rationis; ergo non verificatur ratione alicujus partis determinatæ; quia cum quælibet determinata pars sit contingens, quomodo ratione illius contingentis partis potest reddi tota propositio, vel totum disjunctum necessarium? Solutio ista est expressa Philosophi in citato cap. ultimo lib. Periherm. ubi sic habet: *Et in contradictione eadem ratio est, esse quidem vel non esse omne necesse est, non tamen contingit dividentim alterum esse necessarium. Dico autem ut necesse est quidem esse futurum bellum navale cras, vel non futurum, sed non futurum esse cras bellum navale necesse est, vel non futurum esse; futurum autem esse vel non esse necesse est.* Ubi docet illud disjunctum sub conditione quidem, quia componitur ex terminis contradictoriis, necessarium esse; si autem dividatur ad unam, vel alteram partem non esse necessarium. Imò docet Aristoteles citato loco, quod sicut res, quæ absolutè non est necessaria, fit necessaria ex suppositione: qua necessitate res dum est, necesse est esse; quia impossibile est rem simul esse & non esse; ita res quæ absolutè non est necessaria fit necessaria per disjunctionem oppositi: quia verum est de unoquoque quod sit vel non sit, quia est necessitas ex suppositione illius disjunctæ, licet absolutè & divisim res necessaria non sit dequo videatur ibi S. Thomas in explicatione illius dicti.

Quòd si opponas, quòd hæc confusio provenit ex parte nostræ cognitionis quia determinatè nescimus, in quo membro verificetur disjunctum; cæterum in re non potest esse in aliqua parte indeterminatum. Quod probatur quia quando evenit una pars illius disjuncti; ostendit propositionem antea prolatam de tali futuro fuisse determinatè veram; quia re vera ita fuit futurum sicut per illam significabatur. Unde illa fuit conformis suo objecto, & sic determinatè vera. Illa enim propositio determinatè vera est, quæ determinatè objecto significato per eam conformatur. Itaque hæc propositio Antichristus erit, quia ita eveniet, & ita objecto illi conformabitur, non potest non esse semper vera, & ab æterno vera. Hoc argumentum desumitur ex Arist. 2. de gen. text. 64.

Ad hoc respondetur ab æterno similem propositionem & quamlibet similem esse determinate veram, sed post decretum divinæ voluntatis, quod prioritate rationis in æternitate antecedit determinatam veritatem propositionis talis. At in prioritate antecedente decretum illud, illa non est determinatæ veritatis, nec pro illo priori magis conformatur uni objecto quam alteri oppositi; nec quod Antichristus ita eveniet provenit ex meritis ejus consideratæ ante talem divinum decretum; sed totum hoc provenit ex decreto divino statuente quod fiat, ex quo incipit esse determinatæ veritatis, & incipit conformari objecto tali. Non ergo confusio illius disjuncti provenit ex defectu nostræ cognitionis, sed ex meritis illius considerati secundùm quod antecedit in priori rationis divinæ voluntatis decretum. Solutionem hanc tradit Card. Toletus in fine cap. 8. primi Periherm.

Ulteriùs solet opponi argumentum quod efficacius reputatur.

Digitized by Google

reputatur : Istæ sunt contradictoriæ : omnis homo curret cras; aliquis homo non curret cras, & secundùm Aristotelis sententiam illa universalis affirmativa est determinatè falsa : ergo opposita negativa est determinatè vera ; ac proinde veritas ejus manifestanda est per aliquam singulasem quæ sit determinatè vera, vel per disjunctivam, & non solùm in confuso vel per disjunctum. Quia sub hac, aliquis homo non curret cras, disjunctivè, determinatè, & sine confusione possumus ascendere, & descendere ut Dialectica docet.

Ad hoc respondetur. Primò quod ante decretum divinæ voluntatis nec universalis affirmativa, est determinatè falsa, nec alia particularis determinatè vera. Sed æqualiter utraque se habet ad quodlibet ut dictum est. Quod autem attinet ad sententiam Aristotelis, propositionem de futuro contingenti singulari ex meritis propriis, & secundùm physicas causas non esse determinatæ veritatis, nec illa infringitur argumento proposito. Dato enim in illius sententia quòd illa universalis affirmativa sit determinate falsa & negativa determinate vera ; tamen illa negativa non est de futuro contingenti singulari nec determinatè aliqua de futuro contingenti singulari potest ex ea inferri ; quia aliàs argueretur à confusa quodammodo ad determinatam. Dixi, quodammodo quia in illa propositione, aliquis homo non curret, subjectum non propriè supponit confusè ; aliàs nec liceret ad disjunctivam eam reducere. Verum respectu alicujus singularis determinati confusa est ; cum nullam singularem determinationem liceat ostendere, sed unam vel aliam, quod sufficit ut nulla singularis sit determinatè vera, ut Aristoteles dixit. Non licet ergo inferre aliquam propositiouem de futuro singulari esse determinatè veram, ex eo quod ipse Aristoteles dixerit, universalem affirmativam esse determinate falsam.

Ad quintum copiosè satis diximus supra, nullam videlicet esse illationem, qua ex eo quod illa propositio, Thomas disputabit, quæ est de futuro singulari contingenti, in illo priori rationis signo ante decretum divinæ voluntatis infertur illam esse aut determinatè veram, vel determinate falsam. Ut enim ibi probavimus Aristoteles demonstrat propositionem talem de futuro contingenti nec esse determinatè veram, nec determinate falsam ; sed ab instrinseca sua natura habere significationem, quæ & vera & falsa reddi potest, cum essentialiter sit illa propositio de veritate contingenti, quæ est æqualiter se habens ad utrumlibet. Adhibitæ etiam ibi sunt duæ aliæ solutiones, quarum quælibet satis probabiliter argumentum diluit.

Ad ultimum de contradictoriis illis (quæ sine causa aliquorum ingenia vexarunt, in hoc tempore) respondetur clarè atque distincte illas pro illo signo rationis ante decretum liberum divinæ voluntatis, cum sint de futuro contingenti, contradictorias revera non esse, sed tantùm materialiter & in apparentia. Itaque istæ Antichristus erit, Antichristus non erit, & similes omnes pro illo signo rationis ante decretum divinæ voluntatis contradictoriæ non sunt re ipsa sed in apparentia: & hoc est ab omnibus firmiter observandum juxta quamlibet ex tribus solutionibus quas supra adhibuimus illi argumento quod intendebat quod ista propositio, Thomas leget, pro illo signo rationis est determinatè vera aut determinatè falsa. Quod sic aperitur. Nam juxta primam solutionem, quæ dicit illas propositiones de futuro contingenti pro illo signo rationis ante decretum Dei liberum non esse formaliter & significativè propositiones, quia nullo modo conceptus tunc significant, sed tantùm esse materialiter propositiones non significativas, manifestum est contradictorias propositiones nec esse postquam nec propositiones sunt.

Parique ratione juxta secundam solutionem, quæ defendit propositiones omnes, sive de futuro, sive de præterito, sive de præsenti non esse veras, seu falsas, pro signo rationis, sed pro instanti temporis, quia priùs ratione considerantur essentiæ propositionum quam propria earum passio, qualis est esse determinatè veras, vel determinatè falsas, etiam patet quòd pro illo primo rationis signo ante decretum divinæ voluntatis non sunt contradictoriæ, cum pro illo signo rationis adhuc earum propria passio non intelligatur quæ est verum vel falsum. Si autem verum vel falsum pro tunc non intelligitur, quomodo possunt intelligi opponi in veritate, & falsitate & contradictorias esse ? Igitur liquet quod secundùm hunc modum dicendi nequeunt esse contradictoriæ.

Juxta tertiam & ultimam solutionem, quam & multò magis probavimus, quia & Philosophi & S. Thomæ, aperta solutio est : est enim apertissimum tales oppositiones non esse contradictorias pro illo signo rationis ante decretum voluntatis Dei. Et ratio est manifesta quia secundùm hanc Philosophi & S. Thomæ doctrinam propositiones de futuro contingenti singulari non possunt esse determinatè falsæ ut est probatum : ergo non possunt esse re ipsa contradictoriæ. Patet evidenter consequentia quia sine determinata veritate & falsitate propositionum, impossibile est in eis intelligere contradictionem, quæ tota fundatur in determinata veritate & falsitate significata per propositiones oppositas. Manifestum est ergo nulla via, nullaque ratione istas propositiones, Antichristus erit, Antichristus non erit, esse contradictorias pro illo signo rationis ante decretum liberum divinæ voluntatis,

Explicatur magis hoc : nam pro illo signo rationis ut præmisimus illæ propositiones sunt quasi virtualiter pugnantes, ita quod unum expresè significant & aliud implicitè continent : unde affirmativa expresè significat quod Thomas disputabit, virtualiter autem continet vel non disputabit, prout prima causa disposuerit ; similiter & negativa : unde constat nullo modo contradictorias esse.

Præterea : illa affirmativa, Antichristus erit sic verificari debet : in aliquo tempore erit verum dicere, Antichristus est ; & negativa Antichristus non erit, sic verificatur, numquam erit verum dicere Antichristus est ; sed pro illo signo priori rationis ante decretum divinæ voluntatis utraque apertè est falsa : ergo illæ duæ pro illo signo non opponuntur in falsitate : ergo nec pro illo signo sunt contradictoriæ. Utraque consequentia manifesta est, & primum antecedens probatur : nam divina voluntas libera manet in posteriori instanti rationis ad creandum, vel non creandum Antichristum : ergo potuit liberè creare, vel non creare illum : si liberè se determinet ad creandum, negativa est falsa, & si liberè creare noluerit, affirmativa est etiam falsa : ergo pro illo priori rationis de neutra verificatur quod aliquando erit verum dicere, Antichristus est, vel quod nunquam erit verum dicere Antichristus est, cum tam unum quam aliud maneat in suspenso, & dependenter ab eo quod divina libertas efficere voluerit.

Deinde affirmativa facit hunc sensum, Antichristus certò & determinatè erit ; & negativa similiter, Antichristus non erit determinatè & certò ; sed utraque pro illo priori est falsa ; quia si ponatur quòd divina voluntas velit Antichristum creare, sicut in secundo rationis instanti liberè potest,

Digitized by Google

negativa est falsa ; si autem ponatur quòd divina voluntas nolit ipsum creare , sicut eadem libertate potuit ; affirmativa est falsa : ergo pro illo priori utraque potest falsa reddi , & sic pro illo priori in falsitate non opponuntur; & per consequens contradictoriæ non sunt. Vel clarius dici potest quòd Antichristus erit pro illo signo , facit hunc sensum Antichristus possibiliter erit; & negativa hunc, Antichristus possibiliter non erit, quæ nullo modo sunt contradictoriæ.

Unde planè sæpe miratus sum quomodo argumentum petitum ab his contradictoriis in Scholis adeo urgens videretur , & qualiter tamquam Achille frequenter proponeretur ad fundandam , vel illam mediam scientiam , vel esse aliquam propositionem determinatè veram , vel falsam ante decretum divinæ voluntatis : cum id quod prætenditur per illud adeo sit impossibile , ut omnia ex absoluta necessitate provenire ponat, & absque omni contingentia & libertate (ut dictum est supra) quam oppositores hujus argumenti tam planè destruunt , dum illam statuere laborant. Et præterea argumentum ipsum ex contradictoriis emendicatum , sicut contradictoria involuit modò explicata , nullam certè vel in Aristotele vel S. Thoma vel Doctoribus aliis habet apparentiam ; nec etiam in Scoto , qui primo sent. dist. 45. versu *aliter* dicit , quòd antecedenter ad omnipotentiam Dei , non est objectum intelligibile , nisi tantum in esse possibili : Deus autem per suam potentiam determinat objectum ad unam contradictionis partem. Idem dicit in 2. dist. 37. quæst. unica versu , *contra istam opinionem* , ubi ait Deum non cognoscere certitudinaliter futurum contingens , nisi quia cognoscit certò determinationem suæ voluntatis immutabilis : ergo ante hanc divinæ voluntatis determinationem nulla illarum propositionum est determinata ad aliquam contradictionis partem , nec aliquam sic determinatam esse , Deus cognoscit , ut rectè etiam Scotus affirmat.

Unum tandem ad copiosiorem doctrinam addiderim , quòd dato per impossibile , illas contradictorias esse , non sequitur debere esse pro illo instanti alteram determinatè veram & alteram determinatè falsam ; non enim lex seu conditio contradictoriarum est quod una determinatè sit vera , & altera determinatè falsa; sed lex est sub conditione proposita & explicata, quod videlicet si una determinatè sit falsa, alia sit determinatè vera , assignent ergo qui hoc argumentum proponunt pro illo signo rationis aliquam ex illis propositionibus determinatè veram , & statim nos signabimus aliam determinatè falsam. Sicut autem nec ipsi alteram pro tunc signare possunt veram , ita nec nos aliam dabimus falsam. Hoc ultimum damus ex suppositione hujus quod putamus impossibile , quòd videlicet sint pro illo signo rationis illæ duæ propositiones de futuro contingenti verè ac propriè contradictoriæ : unde standum est in priori solutione, quia uno impossibili admisso , nec est inconveniens quòd sequatur quodlibet.

Quod si dicas : quandocumque aliqua duo removentur determinatè ab aliquo tertio illa etiam ab eodem disjunctim removentur ; unde homo , quia non est lapis , nec determinatè lignum , ideo falsum est dicere quod sit lapis vel lignum sub hoc disjuncto; si ergo non est determinatè verum quòd Antichristus erit in illo priori rationis , nec etiam est determinatè verum quod Antichristus non erit : ergo nec erit verum dicere tunc Antichristus erit aut non erit : consequens est falsum quia illud disjunctum est necessarium, ut diximus : ergo &c. Ad hoc dicendum illam propositionem , quandocumque duo removentur determinatè ab aliquo tertio, &c. esse veram , sed cum hac limitatione , nisi talis propositio constet ex terminis contradictoriis & incompatibilibus ; tunc enim, licet quælibet pars determinate negetur ab aliquo tertio ; totum tamen disjunctum negari non poterit, ut Aristoteles planè monstravit citato loco ex primo Periherm. & ibi S. Thomas apertiùs demonstrat.

CAPUT V.

Quod ut Deus certò cognoscat contingentia futura, illa debent esse determinatæ veritatis.

OSTENSO jam Deum certissimè futura contingentia cognoscere ; demonstrato etiam illa determinatam veritatem non habere etiam objectivam ante decretum voluntatis Dei, aperire oportet an possit Deus certissimè talia futura cognoscere , etiam si ipsa determinatam veritatem non habeant. Fuit enim aliquorum sententia asserentium , futura contingentia , sive propositiones de futuris contingentibus singularibus nullam unquam habere determinatam veritatem; dicebant tamen Deum illa certò cognoscere etiam si ipsa certam & determinatam veritatem non habeant. Ita ante annos centum & quadraginta affirmabat Petrus quidam de Rivo Lovaniensis Doctor (cujus supra mentionem fecimus) cujus revera sententiam tenuit Durandus citatus supra. Imò illam magis amplificavit Molina in sua concordia , ij enim authores ex una parte non audebant negare Deum certam futurorum contingentium habere cognitionem ; ex alia autem dicebant talia futura nullam habere determinatam veritatem ; quia judicabant quòd à quocunque haberent talem veritatem determinatam, eorum periret contingentia.

Contra quorum sententiam talis fundanda , & defendenda veritas est: licet talia futura pro illo rationis instanti ante decretum divinæ voluntatis nullam determinatam habeant veritatem , nec ex consequenti pro illo instanti rationis à Deo possint certò cognosci ut probatum est ; modò tamen nullum instans durationis datur , sive temporis sive æternitatis , in quo futura talia non habeant determinatam veritatem, ut certò à Deo cognoscantur. Itaque sicut certissimum est illa Deum certissimè cognoscere ; ita certissimum est illa habere certam & determinatam veritatem.

Veritas proposita est inter Theologos communiter recepta, utpote quæ fundamentalis est ad certam cognitionem divinam de futuris contingentibus astruendam, ut docet S. Thomas prima par. q. 14. art. 13. & q. 5. & 6. de verit. & primo contra gent. cap. 67. & ratio hoc convincit , Deus enim certò cognoscit contingentia futura , ut fides docet: ergo illa habent certam & determinatam veritatem : quod enim certum non est , nec certò cognosci potest ; certitudo enim scientiæ certitudinem præsupponit sui objecti, & quando alia ratio pro conclusione non esset hæc sola illam demonstrat.

Nec enim admitti potest quod illi authores dicunt , in cognitione nimirum divina, & illius objecto non esse quærendam commensurationem sive proportionem inter scientiam & objectum; ita ut , sicut illa absque alia controversia certissima est , ita præsupponat certitudinem in objecto : quia (ut aiunt) divina cognitio non accipit certitudinem ex objecto certo creato , sed solùm ex eminentia & perspicacitate divini intellectus , qui potens est certiùs cognoscere hæc objecta, quàm ipsa sint cognoscibilia. Non inquam, hoc admitti debet, vel potest; imò involvere videtur contradictionem apertam.

Quamvis

Digitized by Google

Quamvis enim objectum creatum non sit principium divinæ cognitionis, nec ipsi certitudinem tribuat, (ut est certissimum;) habet tamen rationem termini saltem secundarij, quod modò supponitur ex his quæ communiter à Discipulis S. Thomæ dicuntur 1. p. q. 14. art. 6. Terminus autem cognitionis nisi certus sit, certam cognitionem terminare non potest; nec à Deo ut certum cognosci potest, quod in se certum non est; aliàs aliter res à divina cognitione perciperetur, quàm ipsa in se esset; quod absque falsitate dici non potest. Imò quantò divina scientia perfectior est, tantò minus potest cognoscere quod certò cognoscibile non est; aliàs deformis esset illa cognitio objecti; imò ut diximus falsa redderetur. Quare S. Thomas hoc sicut certissimum præsupponens in omnibus suæ doctrinæ locis, quibus de certitudine divinæ scientiæ agit, certitudinem in illius objecto etiam secundario requirit ut patet in primo sent. d. 38. ar. 5. in corpore; ibi enim hoc statuit fundamentum loquens de divina scientia, quòd oportet invenire adhoc quod sit certa, aliquam certitudinem in scito: & hanc certitudinem in futuris contingentibus investigat, ut possint certò à divina scientia cognosci. Idem docet prima par. q. 14. art. 13. & primo cont. gent. cap. 67. ratione prima & q. 2. de verit. art. 12.

Et ratio id demonstrat. Quia de ratione scientiæ ut sic est certitudo quæ haberi non potest de re incerta: qua ratione à Philosophis & logicis objectum scientiæ constituitur certum, & immutabile, & aliqua necessitate necessarium Rectè ergo prima ratio concludit propositiones de futuris contingentibus esse determinatè veras, vel falsas, ex eo quod Deus ipsas certò, & determinatè cognoscit.

Præterea, veritati nostræ fidei aliquod falsum subesse non potest, ut est manifestum; quia innititur primæ veritati revelanti, quæ nec falli, nec fallere potest. Unde omnia quæ in divinis litteris traduntur certissima, ac determinatè verissima sunt; sed in divinis litteris multæ continentur propositiones de futuris contingentibus, sicut Deum judicaturum esse mundum; mortuos surrecturos; Antichristum futurum: ergo omnia ista, sicut & cætera omnia in divinis litteris tradita, determinatè vera sunt.

Præterea Aristoteles 4. Metaph. hoc sicut certum, & notissimum constituit principium; quòd videlicet de quolibet affirmatio, vel negatio verificatur, & de nullo ambo simul; ex quo derivata est illa famosa dialecticorum regula, quòd contradictoria non possunt esse simul vera: ergo propositis his duobus Antichristus erit, Antichristus non erit, oportet aliquod determinatè evenire, nec aliquod signabitur temporis, seu durationis instans, in quo alterum illorum determinatè verum non sit respectu primæ causæ id determinantis.

Tandem argumenta in præcedenti capite soluta, licet non concludant pro rationis signo priori ante divinæ voluntatis liberum decretum, ut fuit ostensum; tamen pro durationis quolibet instanti verè concludunt, quòd propositiones illæ debeant determinatam veritatem, seu falsitatem habere.

Præterea, omne illud quod significatur per propositiones de futuro contingenti, vel est determinatum à Deo ut fiat, vel ab ipso permissum, vel non? nec enim inter ista duo est medium invenire. Si à Deo est determinatum, ita eveniet; & ex consequenti propositio id significans determinatè erit vera; si autem non est determinatum à Deo ut fiat, nec eveniet; & sic propositio illud affirmans erit determinatè falsa.

Errant ergo graviter, qui putant futura contingentia nullam certam & determinatam veritatem habere, & ex alia parte dicunt Deum illa certò cognoscere. Imò virtualiter contradictoria dicunt, & repugnantia; vel re ipsa velint nolint convincuntur cum Cicerone convenire, negando semper certam Dei cognitionem & providentiam de singularibus contingentibus: quia evidens est, quod si determinatam veritatem non habent, nec certò à Deo cognoscuntur.

Argumentum autem quo fundantur ad negandum hanc determinatam veritatem futuris illis nullum est: quia determinatio proveniens à prima causa libera determinante quòd illa contingentia sint, & sint contingentia & libera, tantùm abest quod illorum tollat contingentiam & libertatem; quin potiùs illam causat & tribuit, ut monstratum fuit supra & copiosiùs dicetur inferiùs.

Igitur in summa duo oppositi errores etiam in Philosophia ipsa sunt omnino vitandi. Alter eorum qui dicunt ante divinæ voluntatis determinationem pro illo priori rationis signo futura singularia contingentia esse determinatè vera quoad unam partem, determinatione illa objectiva supra relata & impugnata. Alter verò illorum qui dicunt futura talia in nullo durationis instanti habere determinatam veritatem. Sicut enim illi primi contra Aristotelem relatum supra procedunt: ita secundi in illo non fundantur, quia nec ipse in hoc sensu loquitur ut dictum fuit. Item sicut illi primi futura illa constituerunt non contingentia & libera, sed absolutè necessaria ut monstravimus; ita isti secundi certam illorum cognitionem à Deo auferunt. Inter quos extremos errores media via procedit veritas, quæ docet illa futura contingentia retenta contingentia & libertate ex illa prima radice contingentiæ proveniente, quæ determinatio divinæ voluntatis est, certò à Deo cognosci; quia certam & determinatam veritatem habent cum perfecta ipsorum libertate & contingentia ut aperietur statim.

CAPUT VI.

Quod futura libera non cognoscantur à Deo ante formalem actum divinæ voluntatis.

MAGISTER Zumel vir aliàs doctissimus & doctrinæ S. Thomæ sine dubio defensor egregius tenet quòd ante formalem determinationem divinæ voluntatis cognoscit Deus futura contingentia per quandam virtualem determinationem, quam & ipse sic explicat; quòd videlicet ex comprehensione divinæ essentiæ cognoscit certò intellectus divinus in quam partem sua libera voluntas sit inclinanda, libera sua volitione, & respectu cujus objecti. Unde & in tali futura seu virtuali determinatione cognita per intellectum divinum, ut ait, certò Deus cognoscit quæ futura sint contingentia & quæ non.

Sed tamen, salva hujus Magistri venia & authoritate, dicendum omnino est non cognoscere Deum futura aliqua contingentia ante formalem determinationem suæ voluntatis per illam virtualem determinationem nunc explicatam.

Antequam prædicta veritas comprobetur, advertendum attentius prædictum authorem in illo suo dicendi modo nulla ratione favere illi mediæ scientiæ horum Recentiorum; sed potiùs illam manifestè impugnare, ut agentes de hac illorum media scientia monstravimus supra, & nunc breviter id ostenditur. Quia iste author nullo modo admittit Deum certò cognoscere quid liberum hominis arbitrium facturum est ex sua

Digitized by Google

innata libertate si in tali rerum, & circunstantiarum genere collocetur, ante aliquem actum divinæ voluntatis, sive virtualem, sive formalem, quo divina voluntas arbitrium determinet ad operandum. Itaque sententia hujus authoris in tribus consistit. Primò dicit ante formalem, vel virtualem actum divinæ voluntatis nullo modo cognoscere Deum futura contingentia ipsius arbitrij, in quo apertè scientiam mediam condemnat. Secundò dicit non requiri actum formalem, & actualem ad certam cognitionem illorum futurorum. Tertiò dicit sufficere illum virtualem modò relatum. In quantum autem dicit non requiri ad certam futurorum contingentium cognitionem, formalem & actualem determinationem divinæ voluntatis, sed sufficere illam virtualem, ejus doctrina non placet. Imò nec ipsimet relato authori postea rem attentius consideranti placuit, sed in melius sententiam mutavit in ultimo opere quod variarum disputationum prænotavit. In ipso namque à principio agens de cognitione futurorum contingentium, tàm absolutorum, quàm conditionatorum multoties negat posse divinum intellectum certò cognoscere in quam partem sit inclinanda divina voluntas ante ejusdem divinæ voluntatis decretum. Unde negat illam priorem virtualem determinationem; signanter id habet dubio 5. Qua scientia Deus cognoscat futura conditionata pag. 139. col. 2. §. *Respondetur*, ubi apertè dicit, quòd si divinus intellectus ante determinationem divinæ voluntatis certò & determinatè cognosceret quid divina voluntas volitura est, per hoc ab ipsa tolleretur ejus divina libertas; nec hunc virtualem sive eminentialem actum divinæ voluntatis debuerunt admittere alij duo S. Thomæ discipuli, Mag. Navarrete, & Cabrera superius inducti. Quod sic probamus.

Primò ante determinationem liberam divinæ voluntatis non habent futura contingentia, & libera determinatum esse, nec determinatam veritatem in divina voluntate: ergo certò in illa cognosci à divino intellectu non possunt: consequentia ex supradictis manifestissimè constat: & antecedens patet, quia divina voluntas ante suam liberam & formalem determinationem in illo priori rationis signo, quo ante suum formalem actum intelligitur, est omnino æqualiter indifferens, & libera respectu utriusque partis: ergo non habent aliqua contingentia futura magis quàm alia in illa determinatum aliquod esse vel determinatam aliquam veritatem, qua divinus intellectus comprehendens eandem voluntatem divinam, hanc indifferentiam illius comprehendendo cognoscat: ergo cognoscit divinam voluntatem non magis inclinatam vel inclinandam in unam partem, quam in aliam. Neque enim potest divinus intellectus cognoscere in divina voluntate id quod in ipsa nec formaliter nec virtualiter, nec eminenter est: quia in divina voluntate sic considerata non virtualiter seu eminenter præhabetur magis futurum hoc, quàm illud. Etenim illa eminentialis divinæ voluntatis indifferentia æqualiter se habet ad utrumque, nec imaginari potest ante formalem determinationis actū, actus aliquis sive virtualis sive eminentialis in quo certò præhabeatur magis hoc futurum contingens quàm aliud. Quomodo ergo divinus intellectus, vel in quo, vel per quid cognovit certò in quam partem sit divina inclinanda voluntas.

Confirmatur & explicatur hoc magis. In illo priori rationis signo, ante formalem videlicet determinationem divinæ voluntatis, non potest Deus certò cognoscere in quam partem inclinabitur divina voluntas: ergo fundamentalis ratio hujus positionis ruit. Probatur antecedens: in illo priori Deus non cognoscit actum liberum suæ voluntatis in se ipso, nam etiam respectu divinæ voluntatis intelligitur tunc ut futurus & non ut præsens, ut positio constituit & verba ipsa sonant; nec etiam cognoscitur in sua causa; videlicet in divina voluntate determinata ad illum: ergo nullo modo à Deo cognoscitur. Patet consequentia, quia nihil certò potest cognosci, nisi vel in se, vel in sua causa determinata ad illud, ut manifestissimum est & Sanctus Thomas sæpiùs docuit. Antecedens quoad secundam partem probatur, quia ante actum liberum divinæ voluntatis nihil potest imaginari quod ipsam determinet ad illum actum respectu talis, vel talis objecti habendum.

Præterea, iste Magister admittit, & quidem optimè, quòd Deus non cognoscit certò futura libera creaturarum ex comprehensione voluntatis creatæ; & rationem reddit quia voluntas creata etiam post comprehensionem Dei adhuc manet indifferens ad producendum, vel non producendum actum istum vel illum; sed similiter postquam Deus comprehendit divinam suam voluntatem in illo priori rationis signo adhuc divina voluntas manet indifferens ad futura producenda vel non producenda; & ad producendum hæc vel illa: ergo in tali comprehensione non cognoscuntur certò futura, nec cognoscitur determinatio futura divinæ voluntatis.

Præterea, omnis repræsentatio in Deo, vel divinæ essentiæ unita per modum speciei intelligibilis, vel verbi divini, vel idearum ante formalem determinationem voluntatis divinæ, est simpliciter & absolutè necessaria, utpote antevertens omnimodam libertatem: ergo nequit rem futuram liberam repræsentare, nec divinus intellectus ex consequenti illam cognoscere ante eandem formalem divinæ voluntatis determinationem. Imò, tùm repræsentatio in Deo ante voluntatis divinæ liberam volitionem, tum divina scientia sive cognitio, utpote necessaria, necessarium præsupponit objectum ipsumque cognoscit, videlicet omnia possibilia. Non ergo, vel repræsentat, vel cognoscit quid divina voluntas actura est, nisi sit necessarium voluntatem divinam illud voluturam esse, quod est omnino impossibile, & contra id quod supponitur: quia quidquid ad extra vult divina voluntas, liberè vult.

Præterea, hoc ipsum unico verbo docuit S. Thomas: loquens enim de divina scientia ante actum divinæ voluntatis in ordine ad futura cognoscenda sic dicit. *Non est in scientia Dei ut illa sint, sed ut esse possint.* Itaque solùm possibilitatem illi scientiæ tribuit, non autem futurum aliquod determinatè vel producendum, vel cognoscendum.

Itaque Cajetanus supra relatus in jentaculo 11. quæst. 3. illa clarissima verba habet. Quòd creaturæ quæ sunt, fuerunt, & erunt, quæ proinde producenda erant per divinam voluntatem, per eandem Dei voluntatem, qua se libere determinavit ad producendas eas, habent hunc essendi modum; quoniam, ut ait, ex libera Dei voluntate quasi translatæ sunt de ordine possibilium absolutè ad ordinem possibilium quandocunque: ergo ante istam liberam Dei voluntatem sic tranferentem manent creaturæ in Deo tantùm ut possibilia, & ex consequenti tantum ut possibilia cognosci possunt; non autem ut futura, aut producenda.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VII.

Quod futura libera cognoſcantur à Deo in determinatione ſuæ divinæ voluntatis. Ex D. Thoma oſtenditur.

EX dictis fit manifeſtum futura iſta libera certiſſimè à Deo cognoſci in ſuæ divinæ voluntatis determinatione ſeu prædeterminatione, ſicut in omnium prima radice talis certæ cognitionis; in determinatione, inquam, qua voluit futura illa fieri, ſi bona ſunt; vel quia permiſit illa fore ſi ſunt mala.

Itaque à divinæ voluntatis determinatione, determinatam habent veritatem, & in tali determinatione certiſſimè cognoſcuntur: veritas iſta primò patet ex dictis ſupra de divinis prædefinitionibus: omnia enim allata Scripturæ teſtimonia hanc veritatem oſtendunt, ex omnibus ſufficiat unum repetere Actor. 2. Ubi Petrus dicit loquens de Chriſto Domino: *hunc definito Conſilio & præſcientia Dei traditum &c.* Ubi manifeſtè præſcientiam de morte Chriſti, & de traditione qua illum Pater tradidit, & ipſe Chriſtus pro nobis ſe tradidit morti, conſtituit poſt determinationem divini Conſilij quod ita decreverat. Igitur ideo Deus id præſcivit certò, quia ita ſuo divino Conſilio ſtatuerat. Item patet veritas ex modò dictis; ſi enim non habent determinatam veritatem ante determinationem divinæ voluntatis, nec ante talem divinæ voluntatis determinationem cognoſcuntur certò futura, oportet quòd à divinæ voluntatis determinatione habeant determinatam veritatem ut cognoſcantur. Probatur primò ex S.Th. 1. cont. gent. cap. 66. ratione 5. ſic enim ait: *adhuc effectus aliquis in ſua cauſa præcognoſci poteſt etiam antequam ſit, ſicut cognoſcit Aſtrologus Eclipſim futuram ex conſideratione ordinis cœleſtium motuum; ſed cognitio Dei eſt de rebus omnibus per cauſam; ſe enim cognoſcendo qui eſt omnium cauſa, aliqua quaſi ſuos effectus cognoſcit ut ſupra oſtenſum eſt: nihil igitur prohibet quin etiam quæ nondum ſunt cognoſcat.* Hæc S. Thomas. In qua ratione manifeſtè loquitur de certa futurorum contingentium cognitione, quæ ab ipſo non entia vocantur, ut ex toto capite conſtat. Rurſus apertè docet ea cognoſcere Deum in ſe ipſo ſicut in cauſa determinata ad illorum productionem; determinatur autem per ſuam divinam voluntatem: ergo in determinatione divinæ voluntatis docet cognoſcere Deum talia futura. Quòd autem loquatur de certa & infallibili futurorum cognitione ex eo amplius patet quod præmiſerat in cap. 63. hæc verba: *ſupponere autem oportet omnem cognitionem Dei eſſe certiſſimam & infallibilem;* Unde quod Ferrara. dicit in comment. ad illam quintam rationem S. Thomam in illa ratione quinta & præcedentibus tradere certam Dei cognitionem ſive in cauſis, ſive in ſe ipſis; in ratione autem 6. tradere cognitionem futurorum etiam in ſe ipſis. In primis jam admittit Deum, per S.Thomam, cognoſcere futura non ſolum in ſe ipſis ſed in ſe ipſo ſicut in cauſa: ſecũdò nõ ſatis bene dicit non procedere illas rationes ante ſextam de cognitione futurorum in cauſis; cum ſi legantur & potiſſimè ſecunda manifeſtè in particulari procedat de cognitione futurorum, non in ſe ipſis, ſed in ſe ipſo ſicut in prima cauſa: quod exemplo reſpectu artificiati nondum producti apertè declarat.

Præterea in primo diſt. 38. q. 1. à 5. ſic dicit: *Dico ergo quòd intellectus divinus intueretur ab æterno unum quodque contingentium, non ſolùm pro ut eſt in cauſis ſuis; ſed pro ut eſt in eſſe ſuo determinato.* Et ſtatim ſubdit: *patet quòd Deus ab æterno non ſolùm vidit ordinem ſui ad rem, ex cujus poteſtate res erat futura, ſed ipſum eſſe rei intuetur.* Ubi de omni effectu contingenti ſeu libero loquitur, & non obſcurè docet quòd effectus omnis contingens & cognoſcitur à Deo in ſe ipſo, & etiam in determinatione voluntatis ſuæ; hanc enim ſuæ voluntatis determinationem declaravit apertiùs per illa verba (*videt Deus ab æterno ordinem ſui ad rem*) id eſt, ordinem ſuæ voluntatis ad rem, ex cujus poteſtate res eſt futura. Ubi etiam duplicem cognitionem contingentium futurorum Deo adſcribit, videlicet cognitionem eorum in ſua prima cauſa determinata ad illa, qualis eſt determinatio voluntatis divinæ; & etiam cognitionem futurorum in ſe ipſis, ſicut ſibi in ſua æternitatæ præſentibus. Notentur verba illius articuli; & conſtabit tria in illis S. Thomam aſſerere: Primum, in cauſis indeterminatis & ad utrũlibet indifferentibus non poſſe certò à Deo cognoſci futura contingentia determinatè: cum enim in ſuis cauſis determinatè non ſint quomodo poterunt in illis determinatè cognoſci: Secundum futura contingentia certò & determinatè cognoſci à Deo in potentia ſua, ex qua ſunt certò futura; in poteſtate, inquam, ſua jam per divinam voluntatem determinata ut talia futura ſint; ut ſic enim ſunt futura ex poteſtate divina. Et ratio eſt, quia jam potentia divina eſt determinata ut ſint illa futura, ac per illam jam futura illa, certò futura ſunt, & in ſua illa prima cauſa certitudinem habent; Unde in illa cauſa certò poſſunt cognoſci. Tertium eſt quòd cognoſcuntur in ſe ipſis coæternitati præſentia quod autem opponitur ex ſolutione ad 8. & 4. & 6. illius art. infra in vera intelligentia explicatur.

Idem loc. cit. ex 1. cont. gent. cap. 66. ratione ſeptima ſic dicit: *ea verò quæ ſunt præterita, præſentia vel futura nobis, cognoſcit Deus ſecundùm quod ſunt in potentia ſua, & in propriis cauſis, & in ſe ipſis; & horum cognitio dicitur notitia viſionis: non enim Deus rerũ, quæ apud nos nondum ſunt, videt ſolùm eſſe quod habent in ſuis cauſis, ſed etiam illud quod habent in ſe ipſis, inquantum ejus æternitas eſt præſens ſua indiviſibilitate omni tempori.* Quibus verbis declarat ſatis apertè Deum non ſolùm cognoſcere certò futura contingentia in ſua potentia, determinata videlicet ad illa producenda per ſuam voluntatem, quod ſufficeret ad certam futurorum cognitionem habendam; nec ſolùm illa cognoſcere in ſecundis ac proximis eorum cauſis ut videlicet ſubordinatis determinationi divinæ voluntatis: verùmetiam addit, quòd illa cognoſcit per intuitionem ipſorum futurorum in ſe ipſis, & in ſuis exiſtentiis æternitati præſentibus. Et ratione hujus tertij modi cognoſcendi aſſerit S. Doctor cognitionem talium futurorum vocari viſionis ſcientiam. Nam primus & ſecundus modus licet ſit certiſſimæ cognitionis; quia tamen non eſt rei in ſeipſa, ſed in ſuis cauſis, vel primis, vel ſecundis, non dicitur ſcientia viſionis talium futurorum, quamvis poſſit dici ſcientia viſionis talium cauſarum, quod in terminis docet S.Thomas quæſt. 16. de malo art. 7. ita in fine corporis concludens: *Conſiderandum tamen quod cognoſcere futurum in cauſa ſua, nihil eſt aliud quam cognoſcere præſentem inclinationem cauſæ ad effectum. Unde hoc non propriè eſt cognoſcere futurum, ſed præſens.* Quia videlicet cognoſcit præſentem inclinationem cauſæ ad effectum futurum. Et præmiſerat quòd tripliciter ſunt futura in cauſis ſuis. Primò indeterminatè, & ad utrumlibet; & ſic determinatè non poſſunt cognoſci. Secundò ut provenientes ex cauſis ex neceſſitate, quæ impediri non poſſunt & ſic certò in cauſis cognoſcuntur; in quibus omnem neceſſitatem includit & abſolutam, & etiam ex ſuppoſitione determinationis divinæ voluntatis; ut ſic enim futura certiſſimè, & determinatè

ſunt

sunt eventura ex causis, nec aliqnando impedientur & sic sunt certò & determinatè cognoscibilia cognoscendo inclinationem causæ ad illam, de tertio modo nihil retulerit.

Notanda sunt verba S. Thomæ quibus dicit, id non esse propriè cognoscere futurum, cum propriè sit præsentem inclinationem causæ ad effectum futurum cognoscere, non tamen negat quin aliqua ratione tunc futurum cognoscatur, etiam ut futurum, seu secundum objectivam futuritionem, ad quam terminatur inclinatio causæ. Cum enim causa, quæ præsens videtur, inclinationem habeat in illud futurum producendum, qui cognoscit intuitivè talem causæ inclinationem necesse est quod cognoscat futuritionem illam, in quam inclinatio causæ tendit; quod est aliquo modo rationem futuritionis cognoscere.

Itaque sicut illud futurum in causa continetur, ita cognoscitur à cognoscente causam ipsam: cum autem futurum non contineatur in causa, quæ illud productura est, actualiter & præsentialiter, sed ut futurum, Deus cognoscens talem causam intuitivè, ut sibi nempe præsentem, etiam cognoscit in ea rem illam certò futuram: unde jam superiùs diximus Deum post decretum suæ voluntatis de futuro, in ipso decreto cognoscere objectivam illam futuritionem, non quidem primò & per se seu propriè; quia primò & propriè, ut S. Doctor affirmat, potiùs cognoscit præsentem inclinationem causæ ad illud, sed quasi secundariò & per aliud; videlicet per ipsam causæ inclinationem, cognoscendo nempe terminum inclinationis talis, quæ est res ipsa futura.

Quod verò loquatur S. Thomas in illa ratione septima cap. 66. ex primo contr. gent. de certa futurorum cognitione, quæ aliquando futura sunt, secundùm quod illa sunt in potentia sua per divinam voluntatem determinata ad illarum productionem; & similiter quod sermo fiat de illorum cognitione in causis suis jam determinationi divinæ voluntatis sub ordinatis, ex ipsa litera fit manifestum: quia contraponit cognitionem futurorum supra explicatam; videlicet de futuris quæ aliquando futura sunt, contra cognitionem eorum quæ neque sunt futura, sed tantùm in potentia Dei continentur vt possibilia: certum est autem, quod possibilia omnia contineantur in divina omnipotentia ante omnem determinationem divinæ voluntatis de illorum productione; parique ratione certissimum est quod esse futura aliquando, & ut sic cognosci ut certò futura secundùm quod sunt in potentia Dei, non potest esse ante determinationem divinæ voluntatis, sed post illam qua decrevit Deus illa fore in aliqua temporis differentia certò futura. Procul dubio satis clara est litera, si attendatur, docens Deum certò futura certissimè cognoscere, non solum in seipsis, sed in potentia sua determinata per suam divinam voluntatem ad illorum productionem.

Item S. Thomas 1. contr. gent. cap. 68. ratione quarta ait: *Adhuc Deus non solùm cognoscit res secundùm quod in seipsis sunt, sed etiam secundùm quod sunt in causis suis, ut ex supradictis patet, cognoscit enim ordinem causæ ad suum effectum; sed artificialia sunt in artificibus per intellectum & voluntatem artificum, sicut res naturales sunt in causis suis per virtutes causarum; sicut enim res naturales assimilant sibi suos effectus per suas virtutes activas; ita artifex per intellectum inducit formam artificiati per quam assimilatur suæ arti, & similis ratio est de omnibus quæ à proposito aguntur: scit igitur Deus & cogitationes, & voluntates.* Hæc S. Thomas. In qua ratione docet apertè, quod Deus cognoscit cogitationes, & operationes voluntatis humanæ in sua divina voluntate, sicut in causa earum. Unde ita in prædicto capite concludit *Dominium autem quod habet voluntas supra suos actus per quod in ejus est potestate velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exterioris agentis, non autem excludit influentiam superioris causæ, à qua est ei esse, & operari, & sic remanet causalitas in causa prima, quæ Deus est, respectu motuum voluntatis, ut sic, Deum seipsum cognoscendo hujusmodi cognoscere possit.* Notanda sunt verba: *Sic Deum seipsum cognoscendo hujusmodi cognoscere possit:* quibus apertè declarat, quod ideo se cognoscendo, futura illa libera cognoscit, quia per suam voluntatem est causa, quod illa à voluntate creata fiant. Et iterum ibi ait, quod cum Deus sit cognitor totius esse, cujus est principium, cognoscit unumquemque effectum, non solùm in se, sed etiam in ordine ad quaslibet suas causas proximas. Videatur ibi ratione prima, secunda & tertia, ubi idem docet.

Hoc ipsum dicit quæst. 3. de verit. art. 7. ubi in corp. sic dicit contra Platonem: *Sed quia nos ponimus Deum immediatam causam uniuscujusque rei, secundùm quod in omnibus causis secundis operatur, & quod omnes effectus secundi, ex ejus prædefinitione proveniant, ideo non solùm primorum entium, sed etiam secundorum ideas ponimus.* Et iterum art. 8. ait in fine: *Nos autem ponimus Deum esse causam singularis, & quantum ad formam, & quantum ad materiam, ponimus etiam quod per divinam providentiam definiantur omnia singularia, & ideo oportet nos singularium ponere Ideas.* Ubi S. Thomas ex eo colligit Idæas futurorum, & accidentium, & singularium contingentium esse in Deo, ita quòd per illas illa repræsententur, & à Deo intelligantur, quia divina providentia & divina voluntas eadem prædefinivit, & prædeterminavit: prima ergo radix atque ratio, & repræsentationis, & cognitionis horum futurorum divina definitio, seu prædeterminatio est. Et eadem quæst. 3. de verit. art. 6. præmiserat: *Idea potest esse ejus quod nec est, nec erit, nec fuit, non tamen eo modo, sicut est eorum quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt producenda, quia ad ea quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt producenda determinatur ex proposito divinæ voluntatis, non autem ad ea quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, & sic hujusmodi habent quodammodo ideas indeterminatas.* Hæc S. Thomas quibus docet Deum per idæas determinatas per propositum suæ divinæ voluntatis certò cognoscere futura omnia in aliqua differentia temporis extitura, & suæ æternitati præsentia, sicut in objecto primario suæ certæ cognitionis; nam futura ipsa sibi in sua æternitate præsentia objectum secundarium sunt cognitionis divinæ.

Deinde 1. p. quæst. 14. art. 5. ait quod Deus alia à se cognoscit non in seipsis, sed in seipso in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso & ita intelligit ad primum S. Augustinum lib. 83. quæstionum, cum dicit, quod Deus nihil extra seipsum intuetur, interpretatur in hoc sensu; videlicet *quod id, quod est extra seipsum, non intuetur nisi in seipso.* Apertè ergo docet cognoscere Deum futura in seipso, sicut in prima causa effectiva eorum, ut in corpore præmiserat. Est autem causa efficiens eorum per suam divinam voluntatem, ut semper docuit: ergo in sua divina voluntate, sicut in prima causa, omnia futura contingentia cognoscit. Et conformiter ad hanc doctrinam docuit eadem 1. p. quæst. 14. art. 13. Deum futura contingentia cognoscere non solùm per rationes rerum quas apud se habet, sed etiam illa intuendo ad extra in seipsis, & in suis propriis existentiis. In quo art. tria apertissimè proponit. Primum, quod contingens ut contingens, & ut ad utrumlibet, & non determinatum, prout nempe est in suis causis contingentibus non determinatis

natis ad illius productionem, non subditur per certitudinem alicui cognitioni quod dicit in 1. p. corp. art. in secunda autem parte sic ait. *Unde omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia; non solùm ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidam dicunt; sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia prout sunt in sua præsentialitate. Unde manifestum est*, inquit, *quod contingentia etiam infallibiliter à Deo cognoscantur.* Quibus verbis duo clarè docet primum est, Deum non solùm infallibiliter cognoscere futura contingentia, secundùm rationes quas apud se præsentes habet (ut quidam asserebant, solùm hoc modo cognoscere certò Deum futura) sed etiam cognoscere ut suæ æternitati præsentia: ergo docet manifestè utroque modo Deum illa certò cognoscere & prout sunt in suis rationibus, & prout sunt ex seipsis illa futura æternitati præsentia. Unde in summa tria docet: Primum, contingens ut indeterminatum in sua causa, & ad utrumlibet æqualiter se habens non potest certò, & determinatè cognosci in similibus suis causis indeterminatis ad illorum magis quam aliorum productionem; Secundum futura contingentia, ut jam certò futura, cognosci à Deo certò in suis rationibus, quas sibi præsentes habet; prout nempe supponunt determinationem divinæ voluntatis, qui solus modus ponendi futura ab aliquibus ponebatur. Tertium quod etiam cognoscit illa in seipsis æternitati præsentia, &c. Id ipsum ampliùs probatur: quia 1. part. quæst. 14. art. 13. docet quod Deus cognoscit futura contingentia, ex eo quod ipse comprehendit omnia quæ sunt in sua omnipotentia, & in potentia creaturæ cum enim futura contingentia omnia sint in sua & creaturæ potentia, omnia illa certissimè Deus hoc modo cognoscit. Unde præter modum illum, quo ejus intuitus fertur in omnia futura sibi in sua æternitate præsentia, alium apertè statuit, quo Deus in seipso talia futura cognoscat.

Tandem hanc esse omnem S. Thomæ doctrinam rationes ex ejus sententia deductæ hoc confirmant; quod videlicet non ex eo capite, quod res existant extra suas causas in æternitate præsentes, certò futura cognoscit; sed etiam ex decreto divino futuritionis ipsorum, & ex rationibus idealibus post tale decretum illa ut futura certissimè repræsentantibus; quam cognitionem Deus minimè accipit à rebus (quod S. Thomas sæpissimè dixit) sed ex seipso omnia cognoscit in seipso: ergo Deus cognoscit quidquid est cognoscibile antecedenter, secundum modum nostrum intelligendi, ad illam realem rerum existentiam in æternitate præsentem; non ergo ex illa reali rerum coëxistentia ad æternitatem sumitur primò & originaliter certitudo cognitionis Dei, sed aliunde; ex aliquo videlicet quod in Deo sit, nimirum ex ejus decreto, & suæ voluntatis determinatione.

Præterea, si ex solo capite coëxistentiæ futurorum ad æternitatem certò Deus futura contingentia cognosceret, futura illa conditionata quæ in Scripturis à Deo cognosci pronuntiantur, quæ tamen nunquam futura erunt, (ut patet de illis plurimis, quæ supra relata sunt) à Deo cognosci non possent; cum nullo modo æternitati realiter coëxistant; hoc autem falsissimum est ut supra abundè est declaratum; ergo non à solo illo capite realis coëxistentiæ in æternitate certa sumitur divina cognitio.

Insuper quomodo potest S. Thomæ attribui, quod futura contingentia cognosci asserat ex eo quòd solùm sunt realiter æternitati præsentia, & non ex determinatione divinæ voluntatis; cum ut certò sint æternitati præsentia & nobis prærequiratur determinatio voluntatis Dei volentis, vel permittentis illa esse nobis verè futura, & suæ æternitati præsentia: ergo hanc determinationem numquam S. Thomas excluserit, sed clariùs, non solum incluserit, sed expressit.

Dices: si potest recurri ad determinationem voluntatis divinæ: ergo non requiritur aliud medium in Deo in quo futura contingentia cognoscantur; subinde nec cognoscentur illa futura in idealibus rationibus, quod est contra expressam sententiam sancti Thomæ 1. p. quæst. 14. art. 13. nam determinatio divinæ voluntatis non cognoscitur in ideis sed in seipsa.

Respondetur quod per ea quæ diximus, non recurritur ad determinationem divinæ voluntatis, ut illa habeat rationem repræsentandi, sed ut res habeat rationem futuritionis, quæ certò possit per divinas ideas repræsentari. Itaque, quod res futuræ sint extra Deum in aliqua temporis differentia, ex determinatione libera divinæ voluntatis dependet; hac autem præsupposita res futuræ & illarum futuritio in ideis repræsentantur: quia ante talem determinationem voluntatis Dei res non erant futuræ sed tantùm possibiles; nec ideæ repræsentabant eas, nisi ut possibiles. Post determinationem autem illam liberæ voluntatis divinæ, & post veram rerum futuritionem idea repræsentat ea ut futura; nec ideis accrescit per hoc nisi respectus rationis; sicut de scientia visionis communiter dicitur, quæ supra simplicem intelligentium solùm respectum rationis addit.

Hoc ergo nostro modo intelligendi totum negotium fit. Omnium primò divina voluntas decernit, vel permittit rem futuram. Deinde divina essentia in ratione speciei intelligibilis repræsentat divino intellectui talem divinæ voluntatis determinationem, & rerum illarum futuritionem. At tandem Deus intuetur eandem suæ voluntatis determinationem, & rerum illarum futuritionem, ac denique Deus intuetur eandem suæ voluntatis determinationem ut efficientem causam futuritionis, & cognoscit essentiam suam ut exemplat imitabile ab illis rebus futuris, quod est cognoscere futura in idealibus rationibus, quas Deus apud se habet: ut docuit S. Thom. prædicto loco 1. p. q. 14. art. 13.

Infra autem clariùs ostendemus, & commodiùs S. Thomam in hoc loco 1. p. quæst. 14. art. 13. duplicem modum cognoscendi futura ut certò futura Deo tribuisse, per rationes quas apud se habet post determinationem suæ voluntatis quod illa futura sint; & per intuitum qui feratur in ea ut sibi in sua æternitate præsentia.

Præterea idem S. Thomas 1. p. quæst. 19. art. 8. expressè docet divinæ voluntatis efficaciam, qua vult contingens fore esse primam causam contingentiæ: ergo secundùm eundem S. Thomam in divina voluntate determinatè, sicut in prima radice certitudinis, cognoscit Deus futura contingentia.

Unde Capreolus contrarium hujus non dicit, si attentè legatur in 1. distinct. 38. quæst. 1. art. 1. circa quintam conclusionem, cum ait futura contingentia & libera non cognosci certò in suis causis, sed in seipsis prout sunt æternitati coëxistentia; loquitur enim de causis liberis secundùm se, & prout indifferentes sunt, (ut diximus supra) in talibus enim sic indifferentibus non cognoscitur certò futurum contingens.

Non autem loquitur de prima causa determinante secundam ad futura contingentia & libera; nec de ipsis secundis causis ut subsunt determinationi primæ causæ, dicit quod in illis non cognoscantur certò futura talia. Quo etiam modo procedit Ferrariensis, cum negat futura certò cognosci in causis suis; intelligit enim

Digitized by Google

enim omnino indeterminatis, quæ est sententia vera & sine dubio S. Thomæ ut statim clariùs dicetur.

CAPUT VIII.

S. Thomam minimè docuisse, futura hujusmodi cognosci à Deo in determinatione suæ voluntatis, opponunt Recentiores, sed refelluntur, & S. Thomæ mens amplius elucidatur.

SED dicunt Recentiores, non esse quam definivimus S. Thomæ sententiam. Primò (ut aiunt) S. Thomas vbique requirit præsentiam futurorum in æternitate ad certam futurorum illorum cognitionem, & ex negatione illius collegit negationem cognitionis horum futurorum, quod tamen dicere non posset, si intelligeret illa futura certè cognosci in determinatione divinæ voluntatis, sicut in prima omnium radice certæ cognitionis. Quod autem requirat Sanctus Thomas ad certam cognitionem futurorum præsentiam in æternitate patet ex 1.p.quæst. 14. art. 13. & 4. & 2.2.quæst. 171. art. 6. ad 5. quæst. 2. de verit. art. 12. & in 1. distinct. 38. quæst. 1. art. 5. ad 3. videatur Ferrariensis primo contra gent. cap. 66. & 67. ubi & hoc videtur affirmare: unde illum locum 1.p.quæst. 14. art. 13. in quo dicit S. Thomas, quod non solùm Deus cognoscit hæc futura per rationes rerum quas apud se habet, sed propter præsentiam rerum in æternitate, sic suo modo intelligunt; quod videlicet solæ illæ rationes rerum ad hoc non sufficiant, nisi etiam ponatur præsentia in æternitate, quasi determinante ex parte objecti illas rationes rerum ad certam repræsentationem & cognitionem illorum futurorum. Quod non video quo fine alio dicatur, nisi ut præsentia rerum in æternitate sit causa, vel ratio determinans ideas ad illa futura cognoscenda, sicut nos dicimus determinationem divinæ voluntatis esse rationem determinantem ideas ad illa futura, tum cognoscenda, tum practicè efficienda. Quod si hoc fine dicatur, intolerabilem continet falsitatem, quia jam à rebus ipsis Deus certam cognitionem acciperet, quod constat esse falsissimum: à rebus enim perfectionem sumeret divinus intellectus, quia illa certa futurorum cognitio Dei perfectio est. Præterea quomodo futura coëxistentia in æternitate ante decretum divinæ voluntatis sic coëxisterent? quomodo ideas determinarent? quia ideæ non solùm sunt speculativè cognoscitivæ, sed etiam practicè rerum productivæ; non possunt autem esse rerum productivæ, si jam res præintelliguntur coëxistere in æternitate, ut est manifestum. Item quomodo res ut coëxistens æternitati potest determinare ideas ut sint productivæ illius? Aliàs creatura esset causa ut Deus eam causet.

Unde author illius operis tripartiti asserit prolog. 2. de Scientia conditionat. cap. 6. omnes antiquos Thomistas semper sensisse S. Thom. nullum alium certum modum tradidisse quo cognoscat Deus futura contingentia, quam in coëxistentia suæ æternitatis; adducitque Aquarium in additionibus Capreol. in con. 6. dicentem S. Thom. negasse omnes alios modos cognoscendi futura, præter illum de illorum coëxistentia in æternitate; imò omnes Scholasticos, qui doctrinam S. Thomæ impugnarunt, intellexisse S. Thom. illum solùm modum de coëxistentia in æternitate elegisse, & omnem alium negasse, & in hoc sensu illum impugnarunt, ut patet de Scoto, Durando, Aureolo, & aliis in 1. distinct. 38. & 32.

Secundò objiciunt quod S. Thomas duplicem statum futuri contingentis distinguit; alterum ut est jam in actu extra causas suas; alterum ut est adhuc in sua causa: priorique modo dicit quod subdi potest certæ cognitioni: posteriori verò non item, & quæstione 2. de verit. artic. 12. in corpore & ad 6. clarè videtur asserere, nec comparatione divinæ cognitionis posse rem contingentem ita spectatam cadere sub cognitione. Qua ratione hoc loco subdit: *Unde quicumque cognoscit effectum contingentem in sua tantùm causa, non habet de eo certam, sed conjecturalem cognitionem.*

Præterea, quia si S. Thomas crederet rationes solas idearum sufficere ut Deus futura certò cognosceret, antequam coëxistentia essent æternitati, id ampliùs explicasset, descendisset que ad explanandum modum, quo illa cognosceret salva arbitrij libertate. Ita Molina opponit in concord. q. 14. disp. 49. §. *nihilominus.*

Præterea opponunt, quod quando S. Thomas affirmat res futuras esse Deo præsentes, quia intuitus ejus fertur in illas; si de illa reali præsentia loqueretur, dicere è converso debuisset idcirco intuitum Dei ferri in ipsas, quia sunt ei præsentes.

Sed ista minus obstant. Unde ad illum locum ex 1.p. quæst. 14. art. 13. ex cujus sinistra intelligentia procedunt Recentiores, dicendum S. Thomam in illis verbis intendere id quod D. Cajetanus explicat, videlicet Deum non solùm cognoscere futura contingentia per rationes rerum, quas apud se habet, id est per ideas ut determinatas per divinam voluntatem ad futura talia; quamvis iste modus cognoscendi ad certitudinem divinæ cognitionis sufficeret: sed etiam futura cognoscere, ut sibi in sua æternitate præsentia propter maximam, & infinitam perfectionem divinæ cognitionis, quæ æternitate sua mensuratur. Ita quod S. Thomas duos modos cognoscendi futura ibi insinuavit. Et ista est S. Thomæ mens & sententia, quam alia ex ipso inducta testimonia satis manifestant, & quam communiter ejus discipuli sequuntur & tenent, ut clariùs exponemus inferiùs.

Sed & hìc advertendum falsò citari Cajetanum ab authore operis tripartiti loco citato quod dicat Sanctum Thomam nullũ alium modum cognoscendi certò futura tradidisse, nisi illum de coëxistentia futurorum in æternitate. Falsò enim imò falsissimè hoc Cajetano tribuitur in illo loco 1.p. quæst. 14. art. 13. cum apertissimis, & multiplicatis verbis totum oppositum dicat, ut facillimè patebit legenti Cajetanum in illis commentariis. Ubi clarissimè cum ipsa litera S. Thomæ tria distinguit, fundat, probat, & de mente & litera S. Thomæ defendit. Primum Deum non cognoscere futura in illorum causis indeterminatis. Secundum Deum certò futura cognoscere in coëxistentia eorum ad æternitatem. Tertium eadem futura certò Deum cognoscere in rationibus idealibus & per hoc.

Respondetur ad argumenta Scoti, Durandi, Aureoli, & aliorum quæ contra cognitionem futurorum in æternitate proponebant, & ad alia quæ objiciebant contra certam cognitionem, quam docet Sanctus Thomas Deum habere in suis idealibus rationibus, ut appareat quam falsò etiam citatus author operis tripartiti dicat eos qui sententiam S. Thomæ impugnarunt, utpote, Scotum, Durandum, Aureolum & alios, solùm intellexisse, quod tantùm illum modum cognoscendi tradidisset, qui est per coëxistentiam futurorum in æternitate: cum constet apertissimè ex Cajetano in citato articulo ab eodem authore operis tripartiti, totum contrarium apertissimè, ac clarissimis verbis. Quod igitur adducit de Aquario

sic

Digitized by Google

ſic debet intelligi, quod ſanctus Thomas præter illum modum quo cognoſcit Deus futura in coëxiſtentia in æternitate nullum alium admiſit quo in cauſis futurorum, creatis nempe & indeterminatis, illa certò cognoſcat. Quod ſi aliud aſſerit, contra expreſſam ſancti Thomæ ſententiam in illo art. 1. part. procedit.

Nec contra hanc doctrinam aliquid probant ea quæ Recentiores primo loco opponunt. Licet enim ſanctus Thomas in omnibus locis ſuæ doctrinæ dicat Deum cognoſcere futura ut exiſtentia præſentia in ſua æternitate, id ideo dicit, ut perfectiſſimum cognoſcendi modum Deo aſſignaret; non autem intendit, quod ſi ille deeſſet, non cognoſceret Deus certò futura in rationibus idealibus à divina voluntate determinatis. Secundò id dicit ſanctus Thomas ut doceret Deum non ſolùm cognoſcere futura in cauſis ſecundis determinatis videlicet; ſed etiam cognoſcere ipſa futura in ſeipſis intuitivè illa videndo. Tertiò id docet ſanctus Thomas, ut aſſignaret Deo univerſalem modum cognoſcendi reſpectu bonorum & malorum, videlicet per intuitionem eorum exiſtentium in æternitate; quia mala optimè ſic præſciuntur, non autem cognoſcuntur in determinatione divinæ voluntatis, niſi addatur, permiſſiva, ut eſt manifeſtum.

Quartò: id ſanctus Doctor effecit, ut ex propria ratione ſcientiæ ſine adjuncto divinæ voluntatis actu ei certitudinem tribueret, ut ſic ex propriis ſcientiæ procederet. Sine adjuncto, inquam, expreſsè, licet illum ſemper præſupponat, ſicut radicem totius futuritionis, & contingentiæ, ac exiſtentiæ futurorum in ſeipſis, ut ſemper docuit.

Quintò: id docet ſanctus Thomas, ut non ſolùm tribueret Deo certam cognitionem futurorum ut futura ſunt, & prout continentur in infallibili cauſalitate divina, ſed etiam ut illorum certam cognitionem Deo adſcriberet; quatenus ipſa jam extra ſuas cauſas exiſtunt in ſeipſis.

Ac denique id docuit ſanctus Doctor quia illa ratio cognoſcendi certò futura in ſeipſis, ut coëxiſtentia ſibi in æternitate, maximè deſerviebat fini à ſe intento, qui erat aperire quomodo futurorum contingentium contingentia & indeterminatio non obſtaret certitudini divinæ ſcientiæ de illis. Ponendo autem illa jam in ſeipſis coëxiſtere Deo præſentia in æternitate, tollebatur indeterminatio & contingentiæ ſtatus, qui impedit certam futurorum cognitionem; & ſtatuebatur ſtatus certus eorum in ſeipſis ſecundùm ſuas actuales exiſtentias, qui certiſſimè poterat à Deo ſcientia viſionis videri. De quibus rationibus infra iterum ſermo redibit.

Quæ verò opponunt ex primo ſent. diſt. 38. artic. 5. & ex quæſt. 2. de verit. artic. 12. ac ex quæſt. 16. de malo art. 1. in quibus locis videtur omnem alium modum cognoſcendi futura in Deo negare præter illum de coëxiſtentia rei in æternitate, infra in vera intelligentia exponentur. Nunc breviter dicimus, quod in illis negat alium modum cognoſcendi futura ut contingentia ſunt ad utrumlibet in cauſis indeterminatis, ante determinationem videlicet divinæ voluntatis: verba autem illa, quæ habet in primo ſent. diſtinct. 38. artic. 5. ad tertium ad quartum & ad ſextum, in quibus docet quod futurum contingens non refertur ad Dei cognitionem niſi ſecundum quod eſt in eſſe actuali præſentialiter Deo; in quibus omnem alium modum cognoſcendi futura Deo negare videtur, abſolutè non negant omnem alium modum, ſed ex ſuppoſitione. Reſpondebat tunc argumentis quæ inſtabant contra illud eſſe actuale & præſens futurorum, & ad illa reſpondens, ſupponendo illa Deo eſſe actualiter præſentia, dicit quod per illum modum non refertur ad Dei cognitionem niſi in ſuò eſſe actuali, quod veriſſimum eſt. Attendatur & hic apparebit ſenſus. Quod ſi quis voluerit S. Thom. mutaſſe ſententiam 1. p. loc. cit. nec ei contradicendum aliqua ratione putamus.

Similiter, quod in Angelis negat futurorum cognitionem certam ex negatione præſcientiæ futurorum in ipſis; quia videlicet æternitate non menſurantur, optimè id quidem infert, quia ſimul præſupponit id quod manifeſtum erat, videlicet Angelos ipſos non habere ideales rationes à ſua voluntate determinatas certò ut futura illa eſſent, quia hoc eſt proprium divinitatis. Unde præſupponendo ſanctus Thomas hunc primum cognoſcendi modum omnibus modis Angelis impoſſibilem, & negando expreſsè futura ſecundùm ſuas exiſtentias eſſe Angelis præſentia, ex eo quod ipſi Angeli non menſurantur æternitate, efficaciſſimè concludit quod nullo modo Angeli cognoſcere certò poſſunt contingentia futura. Et per oppoſitum videns ſanctus Thomas quod ideales rationes in Deo ut determinatæ à divina voluntate de productione ipſorum futurorum certiſſimam reddebant divinam mentem de futuris ipſis, & ex alia parte divina cognitio ob ſui infinitatem æternitate menſurabatur, cui æternitate dixerat ipſe ſanctus Doctor futura realiter eſſe præſentia, intulit duplicem modum cognitionis certæ futurorum; videndo nimirum illa in ſeipſis, & etiam in ſuis idealibus rationibus. Unde ſanctus Thomas & cognitionem futurorum in rationibus idealibus ſicut in prima cauſa determinata ſignavit, & etiam cognitionem earum in ſeipſis tradidit: ideo autem utrumque modum cognoſcendi futura, videlicet & in ſuis cauſis determinatis, & etiam in ſeipſis, Deo attribuit, ut nulla cognitionis perfectio illi deeſſet.

Unde falſum omnino eſt quod à Recentioribus profertur; videlicet nec S. Thomam, nec Thomiſtas ante exortam hanc controverſiam tradidiſſe Deum certò cognoſcere contingentia futura in determinatione ſuæ voluntatis: quia aiunt, hoc Scotum dixiſſe, non ſanctum Thomam; at poſt exortam hanc controverſiam hanc ſententiam Scoti amplexatos Thomiſtas fuiſſe ad Phyſicam prædeterminationem adſtruendam. Hoc enim falsò omnino divulgari, vel dici, ex apertis ac multiplicatis S. Thomæ teſtimoniis ſupra relatis fit manifeſtum: ſemper enim hoc docuit S. Thomas, ſemper etiam Thomiſtæ hoc ipſum ex ſancto Thoma docuerunt. Nec enim in conſtituenda certa divina cognitione in determinatione divinæ voluntatis opponuntur S. Thomas & Scotus; ſed uterque idem affirmat, ſed in hoc opponuntur, quod illa fundata, non vult Scotus quod inſuper talia futura ut coëxiſtentia æternitati à Deo cognoſcantur, quod tamen S. Thomas & ejus omnes diſcipuli ſemper affirmant ob rationem prædictam. Imò quando S. Thomas ſolùm aſſereret futura talia à Deo cognoſci ut ſibi in ſua æternitate præſentia, ibi reipſa adſtrueret priorem determinationem voluntatis, ex cujus determinatione habent omnia futura quod ita ſint ſibi præſentia in æternitate ſua. Quomodo enim futura illa poſſent præſentia eſſe æternitati & illi coëxiſtere ut à Deo cognoſcantur, niſi priùs divina voluntas determinaſſet quod illa eſſent futura?

Quod vero in illo loco 1. part. in quo dixit, cognoſcere Deum futura, non ſolùm per rationes quas apud ſe habet, ſed etiam quia ejus intuitus fertur in illa quæ ſunt ipſi in ſua æternitate præſentia, duplicem modum cognoſcendi futura tradiderit, & in determinatione ſuæ voluntatis, & etiam ipſa in ſeipſis ut ſibi in æternitate realiter præſentia, magnæ au-

Digitized by Google

thoritatis doctores antequam ista controversia oriretur manifestè docuerunt, & sic sanctum Thomam interpretati sunt. Unde non, ut ij authores objiciunt, Thomistæ post hanc ortam controversiam sic exposuerunt ad defendendas divinas prædefinitiones, cum antea oppositum dicerent. Ita enim sentit Hervæus, & sic sanctum Thomam interpretatus est in 1. distinct. 38. similiter & Sylvester sic & sanctum Thomam exposuit in suo defensorio, pariter & Ægidius cum Hispalensi in 1. distinct. 38. quæst. 1. artic. 2. Gaspar Torres. Quorum aliqui in eo quod sanctum Thomam interpretantur loqui solùm de illa objectiva præsentia, non reali coëxistentia in æternitate, minus sustineri debent, cum sancti Thomæ littera in plurimis locis, ut infra patebit, non solùm illam objectivam præsentiam in decreto, & determinatione voluntatis Dei, & in rationibus post tale decretum illa repræsentantibus; sed etiam veram realemque coëxistentiam in æternitate manifestet. Pro ea igitur parte, qua intelligunt S. Thomam loqui de illa præsentia objectiva illos sustinemus & verum dixisse ex mente sancti Thomæ affirmamus, non pro alia qua dicunt sanctum Thomam excludere aliam existentiam realem. Unde Magister Zumel utramque sanctum Thomam docuisse rectè exposuit primo tomo variarum resolut. quæst. 1. §. *quid senserit D. Thomas circa futura contingentia:* & §. *Ludovicus Molina* etiam §. *sed prefectò* ac §. *argumentas*; sed præ omnibus ut ostensum manet ad illum art. 13. q. 14. ex 1. p. apertissimè id docet & ex mente S. Thomæ defendit.

Imò mirum est planè quod ista modò Recentiores opponant & contra suum proprium authorem Molinam, quem tantùm defendunt ac venerantur, objiciant. Ipse enim in concord. quæst. 14. artic. 13. disput. 45. §. *in his duobus*; & §. *Cajetanus*, & præcipuè in §. *verum*, sancti Thomæ agnoscit sententiam quod Deus etiam in determinatione idearum futura contingentia certò cognoscat, cujus & verba inter alia multa sunt in illo §. *verum ut circa hanc rem totum dicam quid sentio, inprimis, rationibus paulò ante inductis nihil obstantibus affirmare non ausim D. Thomam, quem in omnibus patronum potius quam adversarium habere cupio, credidisse ex solo capite prescientiæ rerum secundum esse existentiæ Deum cognoscere certò futura contingentia; quin potius, ut credo, si ea de re consuleretur, contrariam sententiam affirmaret.* Hæc ille. Quibus sententiam sancti Thomæ eam esse, quam ex ejus mente docuimus, satis fatetur, non obstantibus rationibus quas ipse cum suis in oppositum adduxerat, quarum prima & fundamentalis modo soluta est. Mirum est autem, quod tantam instantiam faciant ij authores quod sanctus Thomas nullum alium modum cognoscendi certò futura contingentia in Deo cognoverit, nisi illum de coëxistentia in æternitate, & ex alia parte contendant sanctum doctorem tradidisse scientiam illam suam mediam, cum sequendo August. docuerit præciviisse Christum Tyrios & Sydonios acturos pœnitentiam si eis Christus prædicaret, & coram eis miracula faceret: hæc enim duo, quæ ex sancto Thoma affirmant, quomodo ipsi non vident adinvicem sibi repugnare, & repugnantia, quod absit à sancto Thoma, tribuere. Si enim, ut aiunt, præter coëxistentiam futurorum in æternitate nullum alium modum sanctus Thomas admisit ad cognoscendum futura: ergo non admisit in Deo certam præscientiam illorum futurorum sub conditione quæ explicata manet, cum illa nullo modo fuerint æternitati coëxistentia, ut est apertissimum. Quòd si de hoc mirari quis debeat, quod ista illi proponant, mirandum magis, quod, ut negent Deum illa futura sub conditione certò cognoscere post propositum suæ divinæ voluntatis, inducant sanctum Thomam illum modum cognoscendi in Deo non constituere, ex eo quod solùm illum de coëxistentia in æternitate, ut aiunt, constituerit, & hoc non obstante eundem sanctum Thomam citent quod constituat Deum cognoscere futura sub conditione ante propositum voluntatis divinæ: quod quomodo sibi cohæreat, vel ipsi viderint.

Ad secundum autem dicendum sanctum Thomam in illo loco ex quæst. 2. de verit. artic. 12. citato, & jam in vera intelligentia explicato, satis expressè pro intelligentibus asserere quod in rationibus idealibus determinatis à divina voluntate Deus certò futura contingentia cognoscat, quod in aliis inductis à nobis locis magis ac magis declaravit, ad quæ ista opponentes minus attendunt: quàm autem inefficacia sint ista argumenta, qui ea confecit fatetur, dum illis minus obstantibus aliam esse sancti Thomæ mentem non obscurè dicit. Advertendum tamen quod scientia, per quam Deus cognoscit futura in decreto suæ voluntatis, libera est in Deo, sicut & decretum, ad quod consequitur: quod indubiè contra Franciscum Suarez tenendum est, qui primo libro de essentia prædestinationis cap. primo §. *ultra hoc*, asserit quod illa scientia quæ in decreto libero divinæ voluntatis futura cognoscit merè naturalis est & necessaria supposito tali decreto, sicut & naturalia sunt priora liberis; quæ sunt ibi expressa illius verba. Sed planè & falsam continent doctrinam & non minimam involvunt contradictionem: falsa quidem sunt quia scientia merè naturalis & necessaria sola est simplex intelligentia, quæ omne liberum decretum voluntatis Dei antecedit, ut omnes norunt; contradictio autem involuitur, quia minus ista cohærent. Hæc scientia est merè naturalis & necessaria: & est ex suppositione prioris liberi decreti; Primum enim posterius oppugnat: si enim illa est scientia ex suppositione prioris liberi Dei decreti, est tantùm secundùm quid necessaria, & absolutè libera: illa autem quæ est merè naturalis est purè naturalis & necessaria; & sic absolutè necessaria & non tantùm secundùm quid. Item nullo modo est libera, tantùm abest quòd sit absolutè & simpliciter libera. Ista ergo opponuntur. Hæc scientia est merè naturalis & necessaria; & est ex suppositione prioris actus liberi, necessaria. Quamvis ergo præsupposito decreto libero futurorum divina scientia in ipso futura ex necessitate cognoscat, nec sit compossibile illa non cognoscere; nihilominus tota ista necessitas ex illo priori actu libero originem trahit. Unde est necessitas ex suppositione, non merè naturalis & absoluta.

Ad ultimum respondetur sanctum Thomam hanc causalem non asserere; ideo sunt futura præsentia, quia intuitus Dei fertur in illa, ut malè argumentum opponit; sed asserere Deum certò cognoscere futura quatenus intuitus fertur in illa coëxistentia sibi in sua æternitate præsentia. Itaque docet sanctus Thomas futura realiter æternitati coëxistere, & intuitum Dei, qui æternitate mensuratur, in illa sibi præsentia ferri; & sic illa certissimè in seipsis intuendo cognoscere. Quòd si dixisset causalem prædictam, quam argumentum prætendit, illam sumeret ut verbum *quia* non diceret rationem à priori, sed ab effectu & posteriori secundùm quod idem sanctissimus præceptor alios doctores explicat

&

Digitized by Google

& intelligendos esse exponit 1. part. quæst. 14. art. 8. cum dicunt Deum futura præscire quia ipsa futura sunt.

CAPUT IX.

Explicatur magis mens & sententia Sancti Thomæ circa cognitionem futurorum contingentium, respondendo his quæ ex ipso in oppositum objiciuntur.

NON acquieverunt ij authores cum quibus agimus nec tot inductis ex S. Thoma testimoniis, nec gravissimis authoribus qui ante exortam hanc controversiam sic illum intellexerunt, nec suo doctori Molinæ, qui nec aliud in S. Thoma potuit intelligere, sed ut contrarium suadeant inducunt S. Thomam 1. sent. dist. 38. art. 1. quæst. 1. quæst. 2. de verit. art. 12. quæst. 16. de malo art. 7. primo contra gent. cap. 67. & 68. 1. p. quæst. 14. art. 13. ubi pro eodem sumit futurum contingens subdi certæ cognitioni, & esse præsens æternitati, clarè pronuntians quod prout in causis suis, certæ cognitioni non subditur. Verba illius loci primæ partis quæ pro omnibus sufficiant, sunt. *Et similiter si dicam, si Deus scit aliquid, illud erit, consequens intelligendum est prout subest divinæ scientiæ, scilicet prout est in sua præsentialitate & sic necessarium est, sicut & antecedens quia omne quod est dum est necesse est esse, ut dicitur in primo periherm.* Et ibi etiam expresè dicit, quòd contingens ut est in sua causa, consideratur ut futurum & ut contingens, nondum determinatum ad unum, quia causa contingens se habet ad opposita, & sic non subditur per certitudinem alicui cognitioni.

Secundo in primo periherm cap. ultimo lect. 13. propè finem tradens, ac expresè distinguens omnem modum, quo futurum est cognoscibile, hæc verba habet: *Cum autem aliquid est in præsenti, habet esse in seipso, & ideo verè potest dici de eo quod est, sed quandiu aliquid est futurum nondum est in seipso; est autem aliqualiter in sua causa. Quod quidem contingit tripliciter, uno modo, ut sic sit in sua causa, ut ex necessitate ex ea proveniat, & tunc determinatè habet esse in sua causa, unde determinatè potest dici de eo quod erit. Alio modo aliquid est in sua causa, ut quæ habet inclinationem ad suum effectum, quæ tamen impediri potest, unde hoc determinatum est in sua causa, sed mutabiliter, & de hoc verè dici potest, hoc erit, sed non per omnimodam certitudinem. Tertiò aliquid est in sua causa purè in potentia, quæ etiam non magis est determinata ad unum quàm ad aliud. Unde relinquitur quod nullo modo potest de aliquo eorum determinatè dici quod sit futurum.* Eadem ferè verba habet in 1. distinct. 38. quæst. 1. art. 5. & quæst. 16. de malo art. 7. Ex quibus constat quod præter illum primum cognoscendi modum, quo cognoscitur res ut præsens, sub qua ratione non est futura, solùm asserit cognosci certò ut futurum, quando ex necessitate provenire debet ex ea; sicut cognoscitur ut certò futura eclypsis Lunæ: ergo nullo alio modo potest futurum cognosci certò nisi ex necessitate in sua causa contineatur, quod repugnat contingentibus futuris, cum sic necessariò contineri in causa sit proprium futurorum necessariorum, ut in exemplo de eclypsi Lunæ constat.

Tertiò id confirmant: quia cum sanctus Thomas tradit in Deo illum modum cognoscendi futura contingentia ut actu sunt extra suas causas sibi in sua æternitate præsentia, excludit per particulam *tantùm* quemcunque alium modum certò cognoscendi illa; sic enim habet in primo sentent. distinct. 38. citata artic. 5. responsione ad tertium. *Ideo dicitur, quod in se consideratur est contingens, sed relatum ad Dei cognitionem est necessarium, quia ad ipsam non refertur nisi secundùm quod est in esse actuali, & ideo simile est, sicut si ego videam sortem præsentialiter currere.* Et responsione ad quartum ait: *quia ista res non ponitur subjacere divinæ scientiæ, nisi dum est in actu, secundùm quod determinationem & certitudinem habet: ipsam enim necesse est esse dum est.* Et responsione ad sextum. *Ad sextum*, inquit, *dicendum quod quamvis iste respectus ad rem sit inseparabilis secundum quod attingit eam non tamen attingit eam nisi prout est in actuali suo esse præsentialiter considerata.* In quibus per illam particulam, *nisi*, omnem alium excludit modum cognoscendi, præter illum qui est rem esse æternitati præsentialiter per suum esse præsentem.

Quamvis ad ista ex dictis facilis pateat responsio, respondetur tamen ad singula. Et quidem ad primum dicendum, prout supra, quod quoties sanctus Thomas docet contingens secundùm quod est in sua causa, qua ratione est futurum, non subdi certæ cognitioni, manifestè loquitur de causa secunda quæ est proxima causa illius. Similiter loquitur de illa secundùm se & ex meritis propriis; qua ratione non magis certò in unum quàm in aliud inclinatur ut verba monstrant in illo primo argumento inducta ex 1. par. quæst. 14. artic. 13. quæ nullo modo possunt verificari de prima causa volente efficaciter illud futurum fieri, aut de causa secunda ut subditur tali determinationi primæ causæ; de neutra enim possunt illa verba verificari, quod videlicet ita sit causa contingens, quod non sit determinata seu efficaciter inclinata in unam partem. Meritò autem loquitur de causa contingenti ex meritis propriis, & secundùm se; quia sic communiter Philosophi loquuntur. Sicut enim Aristoteles, cum docet non esse propositionem de futuro singulari contingenti determinatam, loquitur de illo contingenti futuro secundùm se, & ex meritis propriis, ut diximus; quia ut sic non est determinatum sed ad utrumlibet; ita loquitur sanctus Thomas de eodem contingenti futuro secundùm se, & ex meritis propriæ causæ contingentis, in qua ut sic determinationem non habet, sed ad utrumlibet indifferentiam; in aliis autem plurimis à nobis inductis testimoniis loquitur de futuro contingenti prout est in potentia Dei determinata per suam voluntatem ad illud certò efficiendum, & sic ei dat certam cognitionem, & certitudinem.

Ad illa alia verba opposita ex eadem quæst. 14. artic. 13. dicendum ibi sanctum Thomam affirmare, consequens illius illationis subdi certæ cognitioni prout est præsentialiter Deo præsens, qua ratione est ex suppositione necessarium, quod verissimum est; non tamen alium modum certæ cognitionis negat quem aliis in locis exposuit; sufficiens enim fuit ostendere per illum modum, quomodo consequens est necessarium, sicut antecedens; in quo argumentum vim faciebat. Poterat autem etiam asserere, quod cum Deus certò cognoscit in decreto suæ voluntatis rem futuram etiam est hoc consequens necessarium ex suppositione; Deus hoc decrevit: ergo hoc erit futurum; vel Deus hoc cognovit in suo decreto ut futurum: ergo futurum erit: sed ut diximus sufficiens fuit uno modo argumentum solvere,

Digitized by Google

Ad secundum dicendum S. Thomam in illo primo modo ex tribus quibus dicit posse cognosci futurum ut futurum, nempe secundum quod ex necessitate sequi debet ex causa in qua determinatè continetur, intellexisse omnem modum certum & determinatum, quo futurum est ex necessitate absoluta in causa absolutè sua. Hìc autem modus est duplex; alter, quo futurum est ex necessitate absoluta in causa absolutè necessaria, alter verò quo est ex necessitate conditionata in causa determinata ex suppositione ad illud efficiendum: sicut enim futurum in causa absolutè necessaria est certum & determinatum, ita in hac secunda causa necessaria ex suppositione etiam est certum & determinatum. Unde etiam ut sic subditur per certitudinem certæ cognitioni. Unde in illis locis duplicem modum cognoscendi futura abstrahendo à necessariis & contingentibus assignat S. Thomas; alterum pro causis omnino necessariis, necessitate videlicet absoluta; alterum pro causis necessariis ex suppositione.

Ad tertium dicendum S. Thomam in illis inductis testimoniis per illam particulam *(nisi)* excludere omnem alium modum cognoscendi futura in seipsis; hoc enim modo solum cognoscuntur ut suæ æternitati coëxistentia & præsentia secundùm quod ejus intuitus fertur in res sibi præsentes; non autem excludit alium modum cognoscendi futura in suæ voluntatis determinatione, & in causis suis, prout illi determinationi subduntur, secundum quam rationem futura contingentia cognoscit Deus non in seipsis, nec ut sibi præsentia, sed ut certò futura in determinatione voluntatis suæ, ut plurimis aliis allatis locis explicuit.

Quod si dicas, in illis testimoniis D. Thom. ait quod illa futura non subduntur certæ cognitioni nisi secundùm quod sunt coëxistentia & præsentia æternitati in suo esse: ergo nullo modo, nullaque ratione aliàs cognoscuntur. Dicendùm idem, quod nullo modo nullaque ratione in seipsis aliter cognoscuntur ut ex aliis locis probavimus.

Quod & ratio ipsa manifestat. Quia certissimum est illud esse absolutè futurum certò, quod Deus absolutè & liberè decrevit ut esset: ergo eo ipso quod Deus cognoscit hoc suum decretum circa aliquod contingens, certò scit illud esse absolutè futurum abstrahendo ab actuali illius existentia: ergo nec censendus est S. Thomas hoc negasse.

Sed dicunt aliqui S. Thom. 1. p. quæst. 25. art. 1. ad 4. probabilius judicasse non distingui potentiam executivam, etiam ratione à scientia & voluntate. Unde idem esse, futura contingentia esse in voluntatis divinæ determinatione, & esse in potentia executiva: potentia autem executiva videri non potest nisi ejus terminus videatur, qui est rem existere ut æternitati præsentem; & sic solum illum modum cognoscendi tradidisse S. Thom..

At in primis S. Thomas non dicit esse probabilius hoc, quod sibi imponitur, imò potius oppositum magis fundare videtur; quia citato loco postquam statuit primam solutionem, quod scilicet ratione potentia distinguitur in Deo à scientia & voluntate, illam secundam solutionem subjicit inquiens, *vel dicendum, &c.* Non tamen dicit id esse probabilius.

Præterea eo gratis admisso, negatur quod non sit distinctus modus cognoscendi futura ille quo cognoscuntur in potentia productiva, ab illo quo cognoscuntur, ut jam producta, & in se existentia. Illo enim primo modo cognoscuntur res non in se, sed in sua causa. Item cognoscuntur ut futura, non ut præsentia, & licet cognoscatur simul terminus illius potentiæ productivæ; cognoscitur tamen ut producibilis, non ut jam productus, ut est manifestum. Unde semper illud argumentum in suo robore manet.

Multò minus placet quod dicunt, videlicet non cognosci futura in decreto divino: si enim, ut aiunt, hoc esset, vel cognoscuntur quatenus illud decretum importat solam entitatem divinam, vel solùm respectum rationis ad creaturas. (Hæc enim duo solùm importantur in divino decreto) non primum, quia entitas divina per se accepta necessaria est & eodem modo respicit creaturas omnes unde non potiùs hæc quàm illa futura respicit. Non secundum, quia respectus rationis non consurgit nisi facta mutatione in creatura per transitum ab esse possibili ad esse actuale; & ideo nisi præsupponatur creatura jam transacta de esse possibili ad esse actuale, quod fit per hoc quod jam existat extra suas causas, non potest cognosci talis res in decreto divino. Ad hoc sic respondet author ille duorum opusculorum opusc. 2. cap. 6. pag. 217. & 218. respectum rationis quem dicit divinum decretum ad creaturam esse posterius ratione seu præsupponere creaturam jam productam extra suas causas, ac proinde non advenire Deo nisi facta mutatione in creatura.

Verùm hic modus dicendi sustineri nullo modo potest. Quamvis enim futura contingentia certò cognoscantur in divino decreto, ut includente respectum rationis ad creaturas; quis tamen dicat quod ille respectus non consurgit nisi præsupposito jam transitu creaturæ de statu possibili ad esse existentiæ extra suas causas; cum potiùs tale decretum dicat respectum rationis ad creaturam producendam, & educandum extra suas creaturas ad esse existentiæ? Proculdubio Deus per tale decretum voluntatis suæ est causa efficiens & producens rem extra causas suas in suo esse existentiæ, & sic illam respicit ut effectum à se producendum: ergo priùs ratione est illud decretum dicens ordinem causæ ad illam creaturam, sicut ad effectum certò producendum, quàm quod illa sit extra suas causas.

Sic autem Deum ut causam respicere creaturam sicut suum effectum, nihil reale ponit in Deo sed respectum rationis, in creatura autem ponit mutabilitatem, id est, quod de facto mutari debeat de statu possibili ad statum rerum existentium: & hæc mutabilitas in creatura sufficit ut terminare possit illum respectum rationis respiciens creaturam ut mutandam suo tempore, & ut educendam de statu possibili ad statum existentium. Contrarium autem opinari, & asserere illum respectum rationis, quem dicit divinum decretum ad creaturam esse posterius ratione seu præsupponere creaturam jam productam extra causas suas, nihil est aliud quam asserere Deum per tale decretum non esse causam quod illa creatura educatur de statu possibili ad statum existentium; sed quod aliunde creatura illa sic educatur, & post ejus existentiam consurgat in Deo ille respectus cognitionis ejus, non autem productionis illius, quod dici nullo modo potest.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT X.

Oſtenditur quod ſenſerit ſubtilis Doctor Scotus Deum certò futura contingentia cognoſcere poſt determinationem ſeu prædefinitionem ſuæ voluntatis.

NON ſolùm autem Thomiſtarum Schola ſed Scotus cum ſua defendit ac tenet Deum contingentia omnia futura & libera certò cognoſcere non ante, ſed poſt determinationem ſeu prædefinitionem ſuæ divinæ voluntatis, illamque eſſe primam hujus certæ cognitionis radicem. Hoc docet Scotus in primo diſt. 38. §. ad primum iſtorum & diſt. 39. §. viſo & diſt. 41. §. ſed contra & quodlibet. 14. litera S. & T. Et quidem quod Scotus ita ſentiat fatentur in primis authores plures ex eis cum quibus agimus, Joannes Azor. lib. primo inſtit. Franciſcus Suarez in metaph. diſp. 22. ſect. 4. cenſet Scotum videri ſentire, quod cauſa prima determinet ſecundam quoad exercitium actus, etiam ſi illa libera ſit, & quòd Deus definiat ſuum concurſum ad unam tantùm rem. Molina etiam in concord. diſput. 50. §. *etiam ſi Scotus* manifeſtè dicit Deum in ſola determinatione ſuæ divinæ voluntatis cognoſcere contingentia futura. Unde & illam ſententiam Scoti, procul dubio certiſſimam, vocat ipſe in fide periculoſam, & libertatis arbitrij deſtructivam.

Pretærea hoc ipſum de mente Scoti eſſe, publicarunt Duaci Societatis Patres in libello de hac re edito. In illo enim Thomiſtis objecerunt quod in hac prædeterminatione Sanctum Thomam non ſequerentur. Sed Scoto potius adhærerent, cui prædeterminationes ex intrinſeca Dei voluntate à nonnullis ejus diſcipulis, & aliis tribuuntur.

Probatur id ipſum ex Scoti ſententia: nam citato loco primo ſent. diſt. 39. §. *viſo*, inquit. *Voluntas* (ſcilicet divina) *facit rem determinatè eſſe veram.* Et poſtea. *Patet quòd eſt determinatio intellectus divini ad illud exiſtens ad quod determinatur voluntas divina, & certitudo infallibilitatis.* Et diſt. 41. §. ſed contra iſtud arguitur. *Deus*, inquit, *non prævidet iſtum bene uſurum libero arbitrio; niſi quia vult, vel prævidinat iſtum bene uſurum eo, ut dictum eſt diſt. 39. certa præviſio futurorum contingentium eſt ex determinatione voluntatis divinæ.* Alia ſunt ipſius teſtimonia pro influxu Dei in cauſas ipſas præmovente, & applicante, ſeu prædeterminante ad agendum, qui ex divinæ voluntatis predeterminatione conſequitur, quæ propterea ſuo proprio loco nempe tertio noſtro libro referenda ſunt, & expendenda.

Sic Scotum intelligunt, & bene ſequuntur ejus diſcipuli antiqui & moderni, Baſolis, Major, locis citatis. Unde ſiniſtrè Scotum interpretatur P. Suarez, lib. 1. opuſc. cap. 5. cùm ait poſſe Scotum interpretari de divinæ voluntatis, non antecedente, ſed concomitante, determinatione. In quo nec ſibi conſtat, ut patet citato loco ex metaphyſica, ubi de prædefinitione, & predeterminatione Scotum intelligit, ſicut revera litera habet; quare hæc nova intelligentia expreſsè Scoto contradicit. Cùm enim Scotus manifeſtè divinam prædefinitionem (quam & ipſe vocat prædeterminationem) dicat eſſe primum determinans divinam ſcientiam ad futurorum cognitionem, quomodo intelligit de determinatione tantum concomitante? Hæc enim non eſt primum determinans divinam cognitionem de futuris, quod & Recentiores iſti concedunt, & Scotus ignorare non potuit.

Preterea Scotus docet apertè Deum cognoſcere contingentia futura in determinatione divinæ voluntatis antecedente omnem præſcientiam futurorum, etiam conditionatam (ut oſtenſum fuit ſupra): ergo nomine determinationis divinæ intelligit apertè divinæ voluntatis determinationem non comitantem, ſed antecedentem. Conſequentia ita eſt evidens, ut etiam ij authores illam expreſsè concedant. Unde tandem iſta videris citatus author fatetur difficile poſſe intelligi hanc Scoti doctrinam de determinatione concomitante. Veriùs autem dixiſſet impoſſibile eſſe illum niſi de antecedente prædeterminatione interpretari.

Sed videamus jam nunc cujus occaſione hanc concomitantem determinationem Scoto poſſit tribuere. Dicit quod Scotus aliquando vocat illam efficacem Dei voluntatis determinationem, non prædeterminationem. Sed ex hac parte qua vel minima apparentia id ſequatur planè non video. An quia nos in iſto capite, & ſæpiùs in iſta materia determinationem divinæ voluntatis appellavimus, potuit aliquis aſſerere intelligere nos non determinationem præcedentem ſed concomitantem? An quia S. Thomas in aliquibus ſuæ doctrinæ locis illum primum actum efficacem voluntatis divinæ, quem & primam nominavit radicem contingentiæ, vocat determinationem divinæ voluntatis, poterit aliquis colligere ipſum ſentire eſſe illam determinationem non antecedentem ſed concomitantem, contra apertam S. Doctoris mentem & doctrinam? Nunquid ubicunque legunt determinationem divinæ voluntatis, ſtatim debent aut poſſunt colligere illam ſuam determinationem concomitantem, quam omnes Sancti Doctores & Scholaſtici graves condemnant, ut dicemus infra? Certè Sancti Doctores, & Scholaſtici nomine determinationis divinæ voluntatis, prædeterminationem antecedentem planè & rectè intelligunt. Supponunt enim id quod per ſe evidentiſſimum eſt, videlicet determinationem voluntatis divinæ antecedentem eſſe ad humanæ voluntatis determinationem. Unde dicendo determinationem voluntatis divinæ, reipſa patentiſſimè dicunt eſſe divinæ voluntatis antecedentem prædeterminationem. Quare illam eandem quam aliquando appellant determinationem voluntatis divinæ, alibi clarius ſe explicantes vocant prædeterminationem ejuſdem voluntatis Dei, ut ſupra agentes de divinis prædefinitionibus abunde monſtravimus. Sed quoad præſens attinet de Scoto id ſit manifeſtum in primo diſt. 38. §. *ad primam iſtorum*, ita enim ait. *Et ideo neceſſe eſt ponere primam determinationem in voluntate* (& loquitur de divina) *reſpectu factibilium, non ſic autem eſſet ſi intellectus practicus prædeterminaret; imo nec propriè libertas poſſet ſalvari in voluntate reſpectu factibilium, ſed nec contingentia aliqua, quia intellectus neceſſariò prædeterminaret eam mera neceſſitate naturali.* Quibus verbis apertè conſtituit in divina voluntate prædeterminationem factibilium, non autem in divino intellectu; quia primum ſalvat factibilium libertatem; ſecundum autem neceſſariò, & ſine libertate divinam voluntatem prædeterminaret; unde abea libertatem auferret, & ex conſequenti ab omnibus aliis ſecundis cauſis reſpectu ſuorum factibilium. Hoc Scoti teſtimonium præter ſuperius allata conſiderandum eſt.

Præterea in 4. ſent. diſt. 49. quæſt. 6. apertè dicit: quod non eſt contra naturam voluntatis, quod determinetur à cauſa ſuperiori &c. Sed eſſet contra naturam ejus determinari ab habitu ſive à natura inferiori. Et ad argumentum propoſitum reſpondet contra naturam ejus eſt, determinari in ſuo ordine, & nihil aliud primò repugnat ſibi, ſed ex conſequenti eſt contra naturam ejus determinari à cauſa inferiori, quia tunc ipſa non eſſet ſuperior; non eſt autem

contra

Digitized by Google

contra naturam ejus determinari à causa superiori.

Sed dicit secundò prædictus author ex alio colligi, Scotum posse intelligere nomine determinationis, seu prædeterminationis illam concomitantem; quia videlicet in 2. dist. 27. *ad solutionem istorum &c.* Negat causam primam priùs naturâ in effectum influere, quàm secundam, nisi in eo sensu quòd id quod est perfectius dicitur naturâ prius influere.

Sed ex hoc loco (ni fallor) minori cum apparentia id quidem colligitur. Sicut enim est certum divinam voluntatem esse prædefinientem, & prædeterminantem antecedenter ad humani arbitrij cooperationem ipsas humanas actiones; & sicut priùs ratione in causam secundam influit, non quidem qualitatem imprimendo; ita certissimum est non priùs natura attingere effectum secundæ causæ quam ipsamet secunda causa, ita ut in aliquo priori effectus intelligitur à prima causa productus quàm à secunda, ut apertè in tertio hujus operis libro erit demonstrandũ.

Accedit tertium & ultimum fundamentum prædicti Recentioris in quo comitem & non præviam determinationem divinæ voluntatis Scoto attribuit; quia videlicet ipse Scotus loco nunc citato dicit causam secundam habere in potestate sua concausare causæ primæ, & si non concausat ut tenetur, inde fieri ut non sit rectitudo in effectu communi amborum. Ex hoc deducit illum sentire, Deum non determinare humanam voluntatem nisi concomitanter concurrendo cum illa; non autem antecedenter prædefiniendo sive prædeterminando, quia aliàs secunda causa, libera non manebit.

At verò ex ista sententia Scoti modò relata id nulla ratione colligitur, quia Scotus hæc duo, ut debet tenere quilibet Philosophus & Theologus, simul tenet & docet; & quòd voluntas creata libera est, & liberè suas humanas producit operationes concausando cum causa prima; & quòd Deus efficaci determinatione, seu prædeterminatione suæ voluntatis eas liberè prædeterminat quoad omne quod habent, si bonæ sint actiones; aut quoad solam substantiam earum si malæ; ut infra lib. tertio ex professo ex ipso etiam Scoto probaturi sumus.

Nec est hîc ad longum disputandum per quid Deus post determinationem voluntatis suæ cognoscat futura talia, supponendum est enim illa repræsentari per suam essentiam unitam in ratione intelligibilis; quia omnia quæ à Deo cognoscuntur, per divinam essentiam sic unitam in ratione speciei intelligibilis repræsentantur, ut communis est sententia, tum S. Thomæ, tum Scoti qui id affirmat locis citatis; S. Thomas autem sæpe, potissimè primo contra gent. cap. 49. & 63. qui etiam docet futura talia à Deo cognosci per divinas ideas; post determinationem enim divinæ voluntatis divinæ ideæ sunt exemplaria, & similitudines cujuscumque futuri liberi. Quod licet negetur à Scoto, ubi supra; sententia tamen est expressa S. Thomæ in primo dist. 38. & 1. p. quæst. 14. art. 13. & quæst. 15. art. 2. De verit. quæst. 2. art. 6. ad septimum & quæst. 3. art. 7. & 8. & primo contra gent. cap. 66. quod & modò supponimus nec probare intendimus. Unde futura talia in ratione principij intellectionis per essentiam divinam unitam in ratione speciei intelligibilis repræsentantur, sicut in ratione termini cognitionis per divinas Ideas cognoscuntur.

Placet autem pro hac Scoti de prædeterminatione divinæ voluntatis vera necessariaque sententia ejus discipulum Basolis inducere: is enim lib. primo sent. dist. 38. ita habet. *Si accipiantur* (scilicet futura contingentia) *ut cadunt sub determinatione divinæ voluntatis, jam sunt determinata ad alteram partem & possunt determinatè cognosci.* Et infra: *oportet* (inquit) *dicere necessariò quod sunt determinata omnia in divina notitia, & non propter hoc non oportet consiliari; quia etiam & modus deveniendi ad illa per consilium apud illos, quibus non sunt determinata, nec in se, nec in notitia, antequam fiant, determinatus est apud Deum,* & in 2. dist. 37. dicit *esse impossibile quod Deus aliter sciat hoc determinatè, nisi ex determinatione suæ voluntatis qua determinat hoc efficaciter fore.* Undubitatum est igitur in Scoto, & ejus Schola cognoscere Deum futura contingentia in prædeterminatione suæ divinæ voluntatis.

Idem posset probari ex S. Bonaventura. Alexandro Alensi, & aliis, sed eorum testimonia commodiùs expendemus libro nostro tertio cum de præmotione sermo fiet.

CAPUT XI.

Contendunt Recentiores, quod liberum arbitrium non ideo cooperaturum est, quia Deus præscivit, sed è contra.

EX dictis fit manifestum, quòd si sermo fiat de scientia Dei quatenus est causa rerum, nullo modo potest concedi, quod ideo Deus præscivit liberum arbitrium cooperaturum, quia ipsum cooperaturum est; sed è contra ideo arbitrium cooperaturum, quia Deus præscivit. Quod est firmiter tenendum contra illam nonam assertionem Recentiorum relatam supra: loquuntur enim ipsi de præscientia, etiam secundùm quod est rerum causa, cum dicunt ideo Deum præscire liberum arbitrium hoc vel illud cooperaturum, quia est cooperaturum, & non ideo cooperaturum quia præscivit Deus ut ex locis ibi citatis fit apertissimum. Quibus in summa tria dicunt. Primum est, illam suam scientiam mediam à qua incipit illorum discursus pendere ab eo quod liberum arbitrium facturum est. Secundum præscientiam absolutam pendere à libera determinatione divinæ voluntatis, non qua determinatè vult, quòd liberum arbitrium hoc, vel illud faciat; sed quia vult constituere arbitrium in tali rerum ordine, in quo prævidetur hoc, vel illud operaturum. Ex quo deducunt tertiò quòd non ideo res futura est quia Deus præscivit, vel quia Deus determinavit illam fieri; sed potiùs ideo Deus præscivit illud absolutè fore futurum, quia ita illud ex hominis libertate futurum est. Unde in hac nona sua fundamentali assertione apertè loquuntur de præscientia absoluta futurorum.

Hanc autem assertionem si quis attendat, inveniet priùs à Fausto illo Reghiensi Episcopo Pelagianæ hæresis defensore traditam 2. libro de gratia & humanæ mentis arbitrio. Ibi enim in cap. 2. ex professo intendit quòd ideo Deus futura contingentia præscivit, quia voluntas hominis erat cooperatura; non tamen ideo erat illa cooperatura, quia Deus eam cooperaturam præscivit, quæ est in terminis istorum authorum assertio.

Hanc assertionem probant potissimè ex multis Sanctorum Patrum testimoniis quos putant hanc suam assertionem planè concedere. Adducunt primò Sanctum Hieronymum super Hierem. cap. 26. & Dialogo adversus Pelagianos cap. 30. Sanctum Damascenum dialogo adversus Manichæos. S. Chrisost. hom. 60. in Matth. S. P. August. 5. de civit. cap. 10. Justinum Martyrem lib. 146. quæstionum q. 58. Euseb. Cesari. de præparat. Evang. lib. 6. cap. 9. S. Cyrillum Alexandrin. lib. 9. in Joan. cap. 10. S. Athanas. sermone de passione & cruce Domini non longè à principio. Bedam lib. var. quæst. q. 13. Hugo à S. Vict. de sacram. lib. primo par. 2. cap. ultimo Concil. Valen. can. 2. & 3. Adducunt etiam Origenem lib. 7. in Epist. ad Rom. ad illa verba, *quæ præscivit.*

Ex

Ex Scholasticis etiam Doctoribus pro se adducunt Mag. sent. in primo dist. 38. Greg. Arimi: ibi quæst. 2. art. 3. Richardum ibi quæst. 6. Antisiodo: primo sent. lib. 7. q. 5. cap. 5. S. Bonavent. in primo d. 40. art. 2. q. 1. Alens. 1. p. q. 24. membro 5. similiter hanc suam assertionem affirmant tenere scriptores qui contra hæreticos hujus temporis scripserunt Vualdens. libro 1. doctr. fid. art. primo cap. 26. & 29. Ubi & hanc dicit esse concordem sententiam Patrum; & allegat pro hoc suo dicto RR. Patrem Franciscum Romæum Magistrum Generalem Ord. Prædic. de libertate, & necessitate operum pag. 49. Ubi sic dicit: *si ad antiquos Doctores te convertas, reperies fere omnes in hanc unam convenisse sententiam, videlicet non ex eo quod Deus scit, aliquid futurum est, sed quia futurum est Deus novit, sic enim loquuntur Hieronymus. S. Augustinus, Origenes, Chrysostomus, sic plerique Orthodoxi proceres.* Hæc Romæus. Idem dicit Delphinus libro de rerum eventu pag. 18. & libro 2. de prædest. ad tertium dubium. Joan. à Bononia de prædest. pag. 44. & 45. Ubi docet omnibus hunc esse communem assensum. Stapletonius etiam super cap. 9. Epist. ad Rom. pag. 653. Joannes Maria Capel. Opusc. de concord. perfectæ libertatis humanæ cum immutabilitate divinæ cognitionis cap. 5. 6. & 7. 23. Angest. de libero arb. fol. 19. Joan. Maria Venet. in disput. contra Lutheranos disp. de prædest. conclus. prima. Petrus Aureolus in recenti Lutheran. impugnatione digress. 3. fol. 83. Qui omnes Doctores pro comperto habent non ideo res futuras esse, quia Deus prescivit, sed quod ideo res præscivit, quia ipsæ futuræ erant.

Ratio fundamentalis sententiæ hujus quam pro se adducunt Recentiores, quam & sæpius repetunt in hac materia: quia videlicet aliàs si res futuræ sunt quia Deus prescivit, ita quòd illa certa præscientia futuri eventus antecedat omnem liberam hominis determinationem, tunc cum infallibile sit hominem sic operari, ex antecedenti illa præscientia quæ non est in hominis potestate, sequitur, ut putant, hominem necessitari ad sic operandum, nec operari liberè unde dicunt, nisi dicatur ideo Deum prescire quia liberum arbitrium cooperaturum est, non posse concillari liberum arbitrium cum scientia Dei, nec defendi quomodo peccatum sit verè peccatum & justè puniatur à Deo, nec salvari posse bona opera nostra meritoria. Et Doctores Hispaniæ (ait ille author concordiæ) contrarium asserentes liberum arbitrium tollunt, illudque faciunt sicut Lutherus, esse rem de solo nomine. Hæc est illorum sententia & illum potissimum fundamentum.

Sed ut clariùs, & absque æquivocatione aliqua, quæ semper, sed in his materiis precipuè cavenda est, deinceps procedamus, fundamenta aliqua oportet præsupponere, ex quibus clara hujus resolutio dependet. Primum est scientiam Dei esse rerum causam ut docet S. Th. 1. p. q. 14. art. 8. in primo d. 38. & 39. & communis Theologorum sententia. De fundamento hoc, nulla est, aut esse potest controversia.

Secundum fundamentum est, hanc divinam scientiã non esse causam ut antecedit omnem actum liberum divinæ voluntatis, sed ut illum conjunctum habet, ut docet idem S. Doct. & communis etiam Theologorum sententia locis citatis, & alibi sæpe. Licet enim scientia Dei, ut antecedit actum divinæ voluntatis (qua ratione à Theologis vocatur simplex intelligentia) sit eminenter sive virtualiter practica, potens res producere, & illas continens de facto; tamen in exercitio non est actu practica & actu producens nisi secundùm quod habet actum divinæ voluntatis annexum.

Tertium fundamentum est contra aliquos ex Recentioribus: quòd scientia Dei quæ habet actum divinæ voluntatis annexum, ac proinde quæ est rerum causa, non est scientia simplicis intelligentiæ; quia scientia simplicis intelligentiæ antecedit actum divinæ voluntatis liberum, ac proinde scientia necessaria est. Unde nec est causa rerum. In quantum vero talis scientia Dei jam habet actum annexum divinæ voluntatis liberum, est libera causa rerum, secundùm quam rationem non est, nec appellatur scientia simplicis, intelligẽtiæ sed tranfertur jam in scientiã liberã, seu visionis.

Sed dices. Per scientiam visionis, ut visionis est, res non producuntur, quia visionis scientia intuetur ipsas res jam productas: ergo illas jam productas præsupponit: non ergo illas producit: ergo per scientiam simplicis intelligentiæ producuntur, quia nulla alia scientia est, nisi simplicis intelligentiæ, & visionis. Ad quod tamen facilè respondetur, scientiam liberam in Deo, & res producere & illas productas à se intueri; ita quòd eadem scientia libera secundum unam rationem præsupponitur ad se ipsam, ut habet rationem aliam. Primò enim habet res producere, & secundùm hanc rationem vocatur & est causa rerum. Habet secundò illas res productas intueri, & secundùm hanc præcisam rationem, rerũ productionem præsupponit, & solùm habet illas intueri; & vocatur scientia visionis. Unde formaliter loquendo & propriè de scientia visionis, ut videlicet visionis est, secundùm hanc præcisam rationem concedi debet illam non esse rerum causam, sed res causatas intueri, bene autem scientia visionis secundùm aliam priorem rationem, quam habet, rerum causa est. Unde ipsa scientia libera est factiva illius objecti quod videt, & intuetur: factiva (inquam) totius entitatis, & bonitatis, quam intuetur in rebus; permissiva autem tantùm respectu malitiæ quam etiam intuetur in malis. Sed de hoc aliàs.

Quartum fundamentum sit, scientiam liberam in Deo quæ videlicet habet annexum divinæ voluntatis actum liberum, secundùm illam rationem qua est rerum causa in actu illas producens, esse scientiam practicam in actu, & in exercitio. At verò secundùm illam posteriorem rationem, ut videlicet visionis est, esse speculativam, nec esse rerum causam, ut diximus, sed se ipsam in quantum rerum causa est presupponere. Ut autem breviter hæc omnia comprehendamus. Dicendum est primò scientiam Dei esse causam efficientem rerum, & ita absolutè esse dicendum. Dicendum secundò scientiam simplicis intelligentiæ quæ nempe antecedit omne liberum divinæ voluntatis decretum esse causam rerum per modum dirigentis. De quo videatur S. Thomas 1. p. q. 19. art. 4. ad 4. Dicendum tertiò eãdem scientiã simplicis intelligentiæ, quæ antecedit omne liberum decretum divinæ voluntatis, esse causam omnium rerum in actu primo seu in virtute, non verò in actu secundo sive in exercitio. Hæc tradit S. Th. 1. p. q. 14. art. 16. in corpore ubi verba attẽdãtur.

Dicendum quartò eadem scientia simplicis intelligentiæ est causa exemplaris omnium aliarum scientiarum. Quintò dicendum scientia visionis, inquantùm est scientia practica, est causa rerum in actu secundo sive in exercitio. Dicendum est sextò & ultimò: eadem scientia visionis quatenus præcisè visionis est, & intuitiva ut sic, speculativa est, nec ut sic est rerum causa; sed sub hac ratione præsupponit seipsam secundùm quod practica est, & rerum causa; intuetur enim eas ut scientia visionis à se ipsa productas, quatenus practica est in actu secundo.

Nec hîc placet quod à quibusdam S. Thomæ discipulis dicitur, non esse videlicet de ratione notitiæ intuitivæ quod prioritate aliqua rationis præsupponat objectum existens, sed satis esse quod simul natura & ratione sit illi existens, & præsens objectum: quod probant quia si visio mea produceret aliquod exi-

stens

Digitized by Google

ſtens eſſet illius intuitiva viſio, licet ut exiſtens non præſupponeretur ad talem viſionem per quam producitur. Imò altius adhibent exemplum de cognitione comprehenſiva Patris, ex qua ſicut ex notitia intuitiva filij ipſe filius generatur; non tamen aliqua ratione filius ad illam cognitionem præſupponi poteſt. Non, inquam, placet iſte dicendi modus, ſed verum eſſe arbitramur, de ratione notitiæ intuitivæ, quatenus intuitiva eſt, eſſe ut ſaltem prioritate rationis præſupponat exiſtens quod intuetur. Et ratio eſt quia intuitiva notitia, ſeu viſio ſpecificatur & denominatur intuitiva ab objecto quod intuetur: ſpecificat ergo objectum præſens ſeu exiſtens notitiam, quatenus intuitiva eſt: ergo priùs ratione eſt illa. Patet conſequentia quia omne ſpecificans, & denominans priùs aliqua ratione eſt quàm ſpecificatum & denominatum, ſumptum formaliter quatenus ſpecificatum & denominatum eſt. Unde ad primum objectum, dicendum quòd in tali caſu viſio mea & debet priùs ratione conſiderari ut productiva illius rei exiſtentis; & poſteriùs ratione ut intuitiva illius, ſicut de ſcientia Dei viſionis explicatum eſt. Ad ſecundã objectionem dicendum quod cum S. Th. diſcipuli in materia de Trinitate dicunt Verbum æternum generari ex notitia intuitiva ipſius filij, propoſitio ſumitur quaſi materialiter; in hoc videlicet ſenſu, quòd verbum generatur ex Patris cognitione quæ intuitiva eſt ipſius verbi; non autem quòd ex notitia intuitiva filius ipſe generetur: quia ſi hoc eſſet verum, nec ſolùm eſſet ſimul ratione, aut origine notitia intuitiva verbi, & verbum ipſum generatum: ſed quod magis eſt prius origine eſſet notitia verbi intuitiva quàm intelligatur ipſum verbum generatum; quia prior origine eſt illa cognitio patris, quam verbum eſſe generatum: ergo ſi ex illa ſicut ex notitia verbi intuitiva formaliter loquendo ipſum verbum generatur, utique illa ut intuitiva præcedet origine verbum eſſe generatum.

Tandem quod objectum, & notitia, vel ſcientia ſint ſimul natura Ariſt. & S. Thomas nunquam dixerunt, ſed ſemper docuerunt, ob rationem à principio factam, formaliter loquendo de objecto, illud priùs ratione eſſe quàm ſcientiam, vel notitiam.

CAPUT XII.

Oſtenditur ideo liberum arbitrium cooperaturum eſſe, quia Deus præſcivit cooperaturum.

His ſuppoſitis fundamentis non erit difficile diſtinctè in hac parte loqui, & abſque omni æquivocatione veritatem indagare; veramque Sanctorum Patrum doctrinam aperire. Dicendum ergo eſt Primò, quòd ſi ſermo ſit de divina ſcientia ſive præſcientia quatenus merè ſpeculativè res intuetur, ſumendo etiam verbum (*quia*) ut dicit cauſalitatem in eſſendo, hæc negativa concedi poteſt, & debet: non propterea aliquid erit quia Deus illud futurum ſcivit; & ſimiliter non liberum arbitrium cooperaturum eſt, quia Deus illud cooperaturum præſcivit. Hæc eſt expreſſa S. Thomæ ſententia 1. p. q. 14. art. 8. ad primum. Ibi enim, cum ſibi oppoſuiſſet argumentum ex Origene, non propterea aliquid erit quia id ſcivit Deus futurum, ſed quia futurum eſt, ideo ſcitur à Deo antequam fiat: ſic reſpondet. *Ad primũ ergo dicendum quod Origenes loquutus eſt attendens rationem ſcientiæ cui non competit ratio cauſalitatis, niſi adjuncta voluntate ut dictum eſt.* Sentit ergo S. Thomas apertè, quod loquendo de divina præſcientia in quantum merè ſpeculativè res intuetur, & ſumendo verbum (quia) ut dicit cauſalitatem, non ideo res ſunt futuræ, quia Deus illas præſcivit.

Idem dicit Magiſter ſent. in 1. diſt. 38. litera. C. *Ita etiam*, inquit, *dicimus ſcientiam, vel præſcientiam Dei non eſſe cauſam eorum quæ fiunt, niſi talem ſine qua non fiunt: ſi tamen ſcientiam ad notitiam tantum referamus; ſi verò nomine ſcientiæ includitur etiam beneplacitum, ſeu diſpoſitio, tunc rectè poteſt dici cauſa eorum quæ Deus facit.* Hæc Magiſter. Ubi explicat Origenem cum dicit, ideo res præſcivit quia ipſæ futuræ ſunt quod verbum (*quia*) non dicat cauſam ſed conditionem ſine qua non, ad iſtum videlicet ſenſum, quod futurum eſt ſcitur à Deo antequam fiat, nec ſciretur niſi futurum eſſet, ut non notetur ibi cauſa niſi ſine qua non fuerit. In quibus docet, quòd loquendo de ſcientia Dei ut merè ſpeculativa, cum dicitur ab Origene Deum præſcire futura quia futura ſunt. Verbum, *quia*, dicit conditionem ſine qua non, non veram cauſalitatem, reſpectu nempe certæ Dei cognitionis: nam quatenus illa intuitiva eſt, dicetur modò, & Ratione id breviſſimè demonſtratur. Nam præſcientia Dei ſecundum hanc rationem puræ ſpeculationis, & intuitionis intuetur arbitrium operaturum: ergo ſupponit arbitrium operaturum quod intuetur: ergo non poteſt concedi loquendo de ſcientia Dei ſub hac ratione, ideo liberum arbitrium cooperaturum quia Deus præſcivit. Dixi, ſumendo verbum (quia) ut dicat cauſalitatem in eſſendo; nam ſi ſumatur ut dicit tantùm cauſam conſequentiæ & illationem poteſt optimè concedi, quòd ideo res futura eſt quia Deus illam præſcit & intuetur; quia tunc nihil aliud ſignificat verbum (*quia*) niſi quòd bene ſequitur ſaltem à poſteriori, Deus intuetur futurum: ergo illud erit futurũ. Et in hoc ſenſu videtur ſumere S. P. Aug. verbum (quia) lib. 3. delib arb. cum dicit, voluntas erit ſic operatura quia Deus illius eſt præſcius. Loquitur enim de Dei præſcientia ſecundùm quod certiſſimè res intuetur, & ſumit verbum (*quia*) illativè ſolùm; & docet bene ſequi, Deus præſcit voluntatem humanam ſic operaturam: ergo illa ſic operabitur.

Unde dicendum eſt ſecundò loquendo de divina præſcientia ſub hac conſideratione puræ ſpeculationis quatenus videlicet denominatur notitia intuitiva, & viſionis; quæ denominatio in Deo aliquid rationis eſt, nullum videtur inconveniens concedere, quod ideo divina præſcientia eſt notitia intuitiva, ſeu viſionis quia res intuetur præſentes, & quia res ſibi præſentes ſunt. Patet ex præcitato S. Th. teſtimonio. Diximus, loquendo de ſcientia ſpeculativa quatenus intuitiva eſt, quæ eſt determinatio rations, quòd verbum [*quia*] poteſt concedi, ut nempe ideo Deus res intueatur, quia ipſe ſibi præſentes ſint, ut ibi verbum (*quia*) dicat rationem à priori. Nam ſi ſermo fiat de ſcientia ſpeculativa Dei quatenus certa eſt & in ſe infallibilis, cum iſta ſit perfectio ſcientiæ Dei, nec divinæ perfectionis cauſa, ſeu prima ratio ſit creatura, non poteſt verbum (*quia*) dicere cauſam vel primam rationem, ſed tantùm conditionem ſine qua non certò cognoſcet Deus futura; ſi enim non eſſent futura Deus illa certò ut futura non cognoſceret: quamvis prima cauſa & ratio illius certitudinis ſit divina voluntatis determinatio, quę illa futura eſſe voluit. Igitur loquendo de ſcientia ſpeculativa Dei quatenus intuitiva eſt, dicendum: quia res futuræ ſunt ideo illas Deus intuetur, ita ut hujus denominationis ratio prima ſit res eſſe præſentes divinæ cognitioni. Probatur: nec enim ideo res præſentes ſunt, quia Deus illas videt præſentes, ſed potius eas intuetur & videt quia ipſæ ſibi præſentes ſunt. Illa enim ſcientia denominatur viſionis & intuitiva ex objecti præſentia, quod commune eſt omni intuitivæ notitiæ Unde à priori procedendo præſciit Deus intuendo, ſed ideo notitia ejus eſt intuitiva quia nobis futurum, ſibi præſens eſt. Vel ut formalior ſit ſermo. Ideo notitia Dei eſt intuitiva quia rem præſentem videt.

Sed dices, loquendo de Dei præſcientia ſecundùm quod practica eſt, poteſt ne concedi, quòd ideo Deus præſcivit futurum, quia futurum eſt? Ad

Digitized by Google

Ad hoc dicendum tertiò, quòd si verbum (*quia*) non dicat causam essendi sed causam illationis & consequentiæ, tunc concedi potest talis propositio: significat enim quod bene sequatur, quòd si aliqua sunt futura quòd Deus illa sciat. Quæ est expressa Sancti Thomæ sententia prima parte quæstione 14. artic. 8. ad primum in secunda parte solutionis: Ubi sic dicit *sed quod dicit ideo prescire Deum aliqua quia sunt futura, intelligendum est secundum causam consequentiæ. Sequitur enim si aliqua sunt futura quòd Deus prescivit, non tamen res futuræ sunt causa, quòd Deus sciat.* Hæc S. Thomas. Nec enim est novum sumi verbum (*quia*) non solùm in Doctoribus, sed in scriptura ipsa, ut dicat causam consequentiæ dumtaxat, Juxta illud Joannis 12. referentis testimonium Isaïæ, *Non poterant credere quia Isaias dixit &c.* Ubi verbum (*quia*) certum est quòd tantum dicit causam consequentiæ; ac si clariùs dicatur, bene sequitur Isaïas dixit illos non credituros: Ergo non credent. Non autem dicit causam in essendo, quia Prophetia Isaïæ non fuit causa, quòd illi non crederent. Similiter Joan. 16. *Pater amat vos, quia vos me amastis.* Verbum (quia) non dicit amorem discipulorum causam fuisse, ut illi à Patre amarentur, quia hoc esset contra illud Ioan. 14. *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prius dilexit nos.* Sumitur ergo ibi verbum (*quia*) quasi denotet signum, in hoc videlicet, ait Christus, potestis cognoscere quòd patet vos amat, quia vos me amastis. Simile est illud Joan. 8. dictum Christi Domini de Diabolo: *In veritate non stetit, quia non est veritas in eo.* Quod ad hoc propositum explicat S. P. Aug. lib. 11. de Civit. Dei cap. 14. ubi ait: [Subjecit autem indicium, quasi quæsissemus, unde ostendatur quòd in veritate non steterit, atque ait: quia non est veritas in eo; esset autem in eo, si in illa stetisset. Locutione autem dictum est minus usitata; sic enim videtur sonare. In veritate non stetit quia non est veritas in eo, tamquam ea sit causa, ut in veritate non steterit, quòd in eo veritas non sit; cum potiùs ea sit causa, ut in eo veritas non sit, quod in veritate non stetit. Sed ista locutio est in psalmo, ubi ait. Ego clamavi quoniam exaudisti me Deus: cum dicendum fuisse videatur, exaudisti me Deus quoniam clamavi. Sed cum dixisset, Ego clamavi, tanquam ab eo quæreretur, unde se clamasse monstraret, ab effectu exauditionis Dei, clamoris sui ostendit affectum; tanquam diceret, hinc ostendo clamasse me quoniam exaudisti me.] In utroque ergo testimonio citato docet manifestè S. Augustinus verbum (*quia*) non dicere causam, sed effectum & signum.

Dicendum quartò quòd si sermo fiat de scientia Dei secundùm quod habet adjunctum actum liberum divinæ voluntatis, (qua ratione practica est & est rerum causa) & verbum (*quia*) dicat causam essendi, nullo modo concedi potest quòd ideo præscivit futura, quia ipsa futura sunt; sed è contrario ideo futura sunt, quia præscivit Deus. In hac conclusione & veritate sicut in fundamento sistendum est contra supra relatos Recentiores, & potissimè contra illum authorem concordiæ, qui loco citato expressè loquendo de scientia Dei, ut practica est, & rerum causa, affirmat ideo Deum prescire futura, quia ipsa futura sunt; & ideo Deum præscire liberum arbitrium cooperaturum, quia ipsum cooperaturum est. Quam sententiam didicit in Fausto Episcopo Reghiensi: Is enim in libro secundo de gratia & humanæ mentis arbitrio sic dicit in cap. 2. *Præscientiam, & prædestinationem Dei male intelligunt struentes quòd inde humanarum actuum causa nascatur. Primum quid ex quo pendeat, vel procedat perspicere debemus. Non propterea quodcumque homo facturus est, quia eum coactura sit præscientis authoritas, sed magis Deo præsciendi ingerit qualitatem libertas præsciti hominis, ac voluntas.* Et iterum ibi: *Generalis itaque præscientia, quæ de statu mundi totius apud Deum manet, de potentia nascitur, sed circa statum hominis qualitates, & species prænoscendi de humani actus inspectione mutuatur.* Quibus verbis apertè dicit præscientiam, sive prædestinationem non esse causam humanorum actuum; putat enim quod si causa esset, ita quod liberum arbitrium ideo esset cooperaturum, quia Deus præscivit, vel prædestinavit, tunc libertas omnino periret; quod ut vitet inconveniens, affirmat circa humanos actus ideo Deum hoc, vel illud præsciviſse, quia ita liberum arbitrium cooperaturum est, Hæc est Fausti sententia; Quis autem Faustus iste fuerit, & quomodo ejus sententia in illis duobus suis libris damnata sit per Ecclesiam sicut Pelagiana, abundè diximus supra.

Probatur veritas nostræ conclusionis. Primò ex expressa Sancti Thomæ sententia nunc citata ex illo celebri loco 1. p. cū asserit Origenem asserentem, ideo Deum prescire futura, quia ipsa futura sunt, esse intelligendum de scientia Dei, non quatenus habet adjunctum actum divinæ volvntatis secundum quam rationem est causa rerum. Docet ergo apertè quòd loquendo de præscientia Dei quatenus causa rerum est nullo modo potest concedi, ideo Deum præsciviſse aliquid futurum, quia ipsum futurum est; sed è contra ideo futurum esse, quia Deus præscivi. Et clariùs opusc. de præscientia & prædestinatione docet. Quod quamvis res non præscirentur à Deo nisi essent futuræ, non tamen præscirentur quia futuræ sunt; si enim hoc esset, temporalia essent causa æterni, & creatum increati, & Deus acciperet cognitionem à rebus sicut nos accipimus. Item idem S. Thomas 1. p. q. 19. art. 8. plane docet, quòd scientia Dei adjuncta ejus voluntate est prima causa omnis contingentiæ & libertatis; ita quòd ipsa præparat causas liberas, & contigentes ad operandum liberè, & contingenter; ergo liberum arbitrium ideo cooperaturum est, quia Deus præsciendo præparavit ipsum taliter operaturum, & non è contra. Præterea id clarè S. Thom. docet 1. cont. gent. cap. 67. ratione 7. sub his verbis, *Res autem à Deo scitæ non sunt priores ejus scientia, sicut apud nos est, sed sunt eo posteriores;* Ergo cum posteriores sint Dei scientia non potest à priori procedendo concludi, quòd ideo Deus præscivit quia res futuræ sunt, sed potius à priori debet dici, quod quia Deus res præscivit, ipsæ futuræ sunt. Idem dicit aperte quæstione unica de scientia Dei in disputatis art. 5. & 12. Idem docet Boëticus lib. 5. de consolatione. Anselmus lib. de Concord. præscien. & prædest. cap. 1. S. P. Augustinus lib. 5. de civit. Dei cap. 9. & lib. 11. cap, 10. S. Bonaventura lib. 1. sent. dist. 39. q. 2. Alex. Alens. 1. p. quæst. 24. memb. 3. & q. 26. memb. 4. art. 4. Scotus in 1. dist. 41. q. 1. sed & verba Boëtij notanda sunt sic enim habet: *Non placet ratio, qua se quidam credunt quæstionis de præscientia Dei nodum posse dissoluere; aiunt enim non ideo quid esse eventurum, quoniam id providentia futurum esse prospexerit; sed è contrario potiùs, quoniam quid futurum est, id divinam providentiam latere non posse*: Et statim, *Quam præposterum est, ut æterna præscientiæ temporalium rerum eventus causa dicatur. Quid est aliud arbitrari, ideo Deum futura quoniam sunt eventura præuidere, quàm putare quæ olim acciderunt causam summæ illius esse providentiæ.* Idem tenet magister sent. in 1. dist. 38. littera C. dicens *Neque etiam res futuræ, causæ sunt Dei præscientiæ. Licet enim non essent futuræ nisi præscirentur à Deo, non tamen ideo præsciuntur quia futuræ sunt. Si enim hoc esset, tunc ejus quod æternum est,*

Digitized by Google

aliquid existeret causa, ab eo alienum, ab eo diversum, & ex creaturis penderet scientia creatoris, & creatum causa esset increati. Et post pauca. *Diximus res futuras nullatenus causam esse præscientiæ, vel scientiæ Dei nec ideo præsciri, vel sciri quia futuræ, vel factæ sunt.*

Ratio ergo illius id apertè confirmat, quia divina præscientia in hac consideratione est causa rerum: ergo res futuræ sunt quia Deus præscivit, & non è converso. Quis enim dicat causam operari, vel producere, vel producturam esse quia effectus est, vel futurus est? Quod si hoc per se notissimum est in qualibet creata causa quantò magis in omnium prima quæ magis causa est. Ex quo sic formatur vlteriùs ratio. Divina scientia ut habens actum divinæ voluntatis annexum est omnium prima causa: ergo in sua efficaci causalitate prior est quàm causa secunda: ergo quia ipsa vult omnes aliæ secundæ causæ operantur, & non è contrario: ergo liberum arbitrium ideo cooperaturum est, quia Deus illâ practicâ scientiâ præscivit & præsciendo causavit. Antecedens est manifestum & consequētia patet. Quia sicut prima causa est prior quàm secunda, ita in sua causalitate prior existit. Qui enim admittit Deum primam omnium causam, & negant priorem esse quàm secundam causam in sua causalitate, præterquam quod contra rationem causæ loquitur, quæ in post prædicamento *priùs* collocatur: & præterquam quod contra omnem Philosophiam affirmat primam causam non esse primam in causando, & præterquam quod loquitur contra S. Thom. qui 1. p. q. 14. art. 8. & aliàs sæpe docet, quod cognitio Dei se habet ad res alias sicut se habet scientia artificis ad artificiata, quæ artificiata, nisi stultè id dicatur, non possunt esse causa scientiæ. Præter, inquam, omnia ista à vero aberrant, dum asserunt, ideo Deum præscire liberum arbitrium cooperaturum, quia ipsum est cooperaturum, loquendo de præscientia quæ est rerum causa; quia ex hac propositione omnes Pelagianorum & Semipelagianorum deducuntur errores in illaque fundantur, & ex hac propositione omnia illa magna inconvenientia quæ SS. Prosper atque Hilarius inferunt, consequuntur; & omnia alia quæ S. P. Augustinus in libro de prædest. sanct. de dono perseverantiæ & de corr. & gra. & similibus convincit contra Pelagianos & Semipelagianos. Unde ab ista recentiorum propositione tantò longiùs fugiēdum, quantò proximiùs ex illa omnes aliæ ipsorum propositiones, à principio hujus libri constitutæ seu potiùs relatæ, oriuntur. In virtute enim & implicitè omnium ipsorum dicta circa providentiam, prædestinationem, & divinationem causalitatem, continet propositio ista, affirmans Deum præscire illud quod homo ex se facturus est, non autem id quod Deus vult & præordinat ut faciat homo.

Præterea: qui contendunt ideo præscire Deum futurum, quia ipsum futurum est. Quid quæso respondere poterunt quærenti ulteriùs quare illud erit futurum? An dicent ideo erit futurum, quia erit futurum, quæ erit manifestè petitio principio? An dicent ideo futurum, quia ex se & ex natura sua est determinatum ut sit? Tunc enim, ut abundè reliquimus comprobatum, simpliciter & absolutè ponitur quodlibet futurum necessarium & determinatum ex sua natura ad unum. Restat ergo ut respondere cum veritate teneantur, ideo rem futuram quia Deus ita disposuit vel permisit, ut ad primam causam in qua sistendum est, ascendamus.

Ad hæc, nunquid veritas non docet, res ideo esse futuras quia Deus vult esse futuras, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ, vel quia illas permittit, si malæ sunt? Priùs ergo ratione est Deum velle res esse futuras, quàm quod futuræ sint, sicut causa prior est effectu.

Dicent fortè res ab æterno esse futuras, & ideo illas Deum ab æterno præscire. Sed hæc hoc vim rationis factæ aliqua ratione subterfugit. Primò, quia divina scientia nullam potest habere causam. Tum etiam quia ut ostensum est, res non sunt ab æterno futuræ in hoc tempore nisi quia Deus qui prima causa est, ab æterno voluit eas in hoc tempore esse futuras, volens producere causas per quas tales effectus fieri præordinavit, ipse est enim qui effectibus causas aptat, quibusdam quidem necessarias, aliis autem contingentes, ut ita quidam effectus eveniant necessariò, quidam contingenter, ut S. Thomas manifestè docuit 1. p. q. 19. art. 8. & q. 22. art. 4. & alibi sæpe. Hæc enim ejus perpetua doctrina est.

Ex dictis in toto hoc capite planè deducitur, absolutè & simpliciter nullo modo concedendū esse Deū præscire futura quia ipsa futura sunt; sed absolutè & simpliciter dicendum est quia Deus præscivit futura esse, ideo ipsa futura fore. Hoc patet ex dictis: quia ista propositio, quia futurum est Deus præscivit, solùm admittitur de scientia Dei quatenus denominatur scientia visionis sive intuitiva ut dictum est; vel loquendo de practica, si verbum, *quia*, sumatur ut dicat causam consequentiæ; aliis autem modis negatur: ergo absolutè semper neganda est, nisi apponatur ista limitatio, dicendo sermonem fieri de scientia Dei inquantum est scientia visionis purè speculativa, sive intuitiva; vel dicendum quod verbum, *quia*, dicat causam consequentiæ. Sicut absolutè negari debet quod ideo homo est rationalis quia est visibilis, nisi enim exprimatur quod verbum, *quia*, non causam à priori denotat, sed à posteriori, non debet admitti talis assertio.

CAPUT XIII.

Aperitur vera intelligentia Sanctorum cum dicunt ideo Deum præscire futura, quia ipsa erunt.

POTISSIMUM fundamentum recentiorum illud est, quod sancti Patres illam propositionem sæpè asserant, ut ex locis inductis supra sit manifestum. Unde jam vera Sanctorum intelligētia adhibenda est.

Sit ergo prima & potissima Sanctorum mens & intelligentia quam S. Thomas (qui perfectè ut S. Doctor Sanctos alios Doctores intellexit) eis adhibet; quod videlicet, cum dicunt, quod quia res futuræ sunt, ideo Deus præscivit, sumunt verbum, *quia*, ut dicat causam consequentiæ non causam essendi. Ita sanctus Thomas 1. p. quæst. 14. art. 8. & quæstione de scientia Dei art. 14. Sic etiam antiquitùs Sanctos explicuit Magister sent. Unde non nova, sed antiquissima Sanctorum solutione hoc argumentum diluitur, nec aliud pro perfecta argumenti confutatione esset addendum. Et sic sensus est benè sequi, quod res Deus præscivit, quia ipsæ futuræ sunt; sicut est illud Domini, *pater amat vos qui vos me amastis*; ubi etiam, ly *quia*, non dicit causam à priori seu in essendo, sed causam consequentiæ solùm.

Secunda intelligentia Sanctorum Patrum illaque legitima est & ab ipsis intenta, quod nimirum loquuntur de scientia visionis, quatenus præcisè visionis est, & speculativè res intuetur: non verò quatenus actu practica est causa rerum est; sic enim verissimum est quod ideo res præscierit Deus illa speculativè intuendo, quia ipsæ futuræ sunt in aliqua temporis differentia æternitati præsentia; & sic loquitur S. Hieronymus in 2. cap. Ezech. cum explicans illud, *si forte vel ipsi audiant*, inquit, *loquitur hic Deus ambigentis affectu, ut liberum hominis monstret arbitrium; ne præscientia futurorum mali, vel boni immutabile faciat quod Deus futurum noverit; non enim quia ille ventura cognoscit, necesse est nos facere quod ille præscivit, sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum quasi Deus.* Vbi de præ

Digitized by Google

præscientia purè speculativa loquitur, quæ ideo speculativè intuetur quod nos facturi sumus, quia facturi sumus. De qua etiam scientia purè speculativa verum est, quod addit, quod nimirum, si illa præscientia (præcluſa videlicet divina voluntate) certò præsciret rem futuram, ita quod res esset futura, quia ille præscivit futurum tale esset necessarium. Si enim secluderemus divinam voluntatem, & scientia Dei speculativa prior esset quàm nostri actus arbitrij, nec arbitrium servaretur quia illa scientia tunc esset necessaria absolutè, unde ejus scitum per illam esset absolutè necessarium. Ex meritis enim propriis hoc habet scientia quòd est necessaria, & de objecto necessario, nisi supponat libertatem in re scita, vel in se ipsa, vel in sua causa libera, sive prima sive secunda. Ad quod attendens S. Hieronymus dixit, quòd si illa præscientia antecederet nostram libertatem illam tolleret.

Quòd autem Sancti Doctores procedant in sensu hoc, ex duobus fit manifestum. Primò, quia cum loquuntur de actu divinæ voluntatis in nullo sanctorum invenitur, quòd ideo voluit Deus hoc esse, quia ipsum futurum est. Nec invenitur quòd Deus voluit liberum arbitrium hominis hoc vel illud operari, quia ipsum id cooperaturum est; imò planè in Doctoribus omnibus omnino contrarium invenitur: loquntur ergo, cum concedunt, ideo Deum præscire quia res futura est, de præscientia secundùm quod speculativa est, non secundùm quod causa est rerum, habens annexum actum voluntatis divinæ.

Secundò id fit manifestiùs, quia sancti Doctores citati, qui affirmant hanc, Deus præscivit futura, quia ipsa futura sunt, multoties in sua doctrina concedunt & istam, ideo res futuræ sunt quia Deus præscivit. Cum ergo in uno, & eodem sensu & secundùm unam, & eandem rationem utramque propositionem sine contradictione (quæ longe abest à Doctoribus sanctis) concedere minimè possint; necesse est quòd aliter, & aliter in his propositionibus loquantur; ut videlicet, cum dicunt Deum præscire res, quia ipsæ futuræ sunt, loquantur de scientia Dei non practica sed speculativa, & intentiva; ita quòd sit sensus, quòd ideo eas intuetur, quia ipsæ sunt; cum autem affirmant ideo res futuras esse quia Deus præscivit, loquantur de scientia Dei practica causante cohabente actum voluntatis divinæ annexum, & tunc verbum (*quia*) veram dicat causalitatem in essendo, & à priori, ut optimè S. Thomas explicando concordat.

Quod verò Doctores Sancti etiam admittant, ideo res futuras esse quia Deus præscivit, patet ex S. P. Augustino lib. 5. de Civit. Dei cap. 9. ubi sic dicit: *sed omnia maximè Dei voluntati subdita sunt, cui etiam voluntates omnes subjiciuntur, quia non habent potestatem nisi quam ille concedit.* Et post pauca: *Qua propter & voluntates nostra tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque prescivit.* Ubi præscientiam post decretum liberum divinæ voluntatis posuit. Quid verò in fine illius capitis dicit Deum præscire hominem peccaturum, quia ipse peccaturus est, ideo dixit quia cum peccati causa Deus non sit, illud dicitur præscire tantùm, non causare. lib. etiam 15. de Civit. cap. 25. ait *Quod Dei de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quam certa prescientia.* Vbi præscientiam ponit post sententiam. Et alibi sic dicit *Vniversas creaturas suas & spirituales, & corporales non quia sunt ideo novit, sed ideo sunt quia novit.* Idem dicit Sanctus Gregorius libro 20. moral. cap. 23. cujus verba sunt. *Nam & quæ sunt, non ab æternitate ejus ideo videntur quia sunt, sed ideo sunt quia videntur.* Idem dicit 12. libro moral. cap. 2. *Nam etsi annos quindecim Ezechiæ Regi ad vitam addidit omniporens Deus; cum eum mori permisit, tunc eum præscivit moriturum.* Ecce tunc præscivit, cum permisit. Vbi præscientia post actum voluntatis constituit manifestè. Et præmiserat. *Nullæ quæ in hoc mundo hominibus fiunt, absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt. Nam cunctu Deus secretiora præsciens, ante sæcula decrevit qualiter per sæcula disponantur.* Quæ ultima verba non sic sunt intelligenda, quasi Deus priùs ratione cuncta præsciens posteriùs ratione decreverit qualiter per sæcula disponantur; quis enim sibi persuadeat hoc quod absque dubio falsum est & impossibile docuisse Doctorem sanctum, cum hoc potissimè aliis suis dictis, tam apertè contrarietur? Sensus est ergo, quòd Deus, ex cujus consilio omnia hominibus veniunt, ante sæcula decrevit qualiter per sæcula disponantur; certò præsciens cuncta sic sequuntura sicut ipse decrevit. Et Sanctus Thomas sæpe prima part. quæst. 14. artic. 8. & artic. 13. ad primum de verit. quæst. 2. artic. 14. Idem docet Sanctus Anselmus libro de concordia præsci. & prædestin. pag. 5. col. 2. Vbi apertè docet illam præscientiam (de qua toties sermonem fecerat) esse causam, & ex consequenti esse priorem rebus ipsis scitis, nec sumi à rebus ipsis, nec res esse priores præscientia tali. Apertè ergo docet, ideo res futuras esse, quia Deus præscivit, & non è converso. Idem docet Sanctus Hylarius in Epistolâ ad Augustinum ubi refert sententiam esse Semipelagianorum asserere præscientiam Dei esse propter illud quod futurum est quòd est clariùs dicere, ideo Deum præscire, quia res futura est. Verba Sancti Hylarij sic habent: *Vnde illam præscientiam sic accipiunt, ut propter fidem futuram intelligendi sint præsciti.* Consentit, & idem firmat Boëtius lib. 5. de consolatione supra citatus. Videatur attentius ibi.

Sed dicunt Recentiores, quòd cum sancti admittunt quod ideo res futuræ sunt, quia Deus præscivit, intendunt Deum non accipere cognitionem suam à rebus sed ex seipso habere perfectam scientiam earum rerum quæ in tempore futuræ sunt.

Sed sic explicantes suo se proprio gladio jugulant. Vt enim supra dictum fuit, S. Thomas in illo opusculo de præscientia citato, apertè convincit, quòd si ideo Deus presciv it futurum quia ipsum futurum est, Dei scientia atque cognitio à rebus sumeretur, quod quia est manifestè falsum, nec in illo ut probetur est ampliùs immorandum. Quod & recte dixit Boëtius ubi supra.

Similiter rejicitur alia explicatio ipsorum authorum loco citato; ajunt enim quòd, cum sancti dicunt res futuras esse, quia Deus præscivit, intendunt asserere Deum in seipso scientiam habere, & à seipso eorum quæ facturus est, & modo quæ fieri debent. Nam licet verum sit Deum scire modum, quo res fieri debent; tamen per hoc solùm res futuræ non erunt, quia Deus modum quod debeant fieri præcognoscat. Per scientiam enim simplicis intelligentiæ hoc cognoscit, & tamen, si non addatur actus divinæ voluntatis, non ex illo solùm res futuræ erunt ut notum est.

Præterea, licet ista explicatio gratis admitatur, & possit alicui loco sanctorum coaptari, illam tamen velle applicare omnibus sactorum testimoniis, quibus dicunt ideo res futuras esse quia Deus præscivit, omnino erit impossibile. v. g., licet adaptetur hæc explicatio illi loco S. Augustini citato. *Quia scivit creavit, non quia creavit scivit:* licet inquam, sic predictum locum quis explicare possit quia in illo loquitur Sanctus Doctor de scientia simplicis intelligentiæ, creavit enim, quia per simplicem intelligentiam scivit modum quo res creandæ erant;

Digitized by Google

Præmiserat autem, ut visum est supra *universas creaturas, non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt, quia novit.* Ubi loquitur de scientia Dei libera, actu & in exercitio practica, quæ est efficiens causa rerum; & sic qui illas res causavit, ideo scivit, non è converso. Vnde intelligitur, quod ideo Deus creavit, quia scivit, idest quia approbavit; ut sit sensus de scientia approbationis habente proinde annexum actum divinæ voluntatis, de qua oportet alia multa Sanctorum testimonia intelligere; & præcipuè illud citatum ex S. Augustino, *Vniversas creaturas tam spirituales quam corporales non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt quia novit.* Absque dubio enim ibi intendit S. P. Augustinus, quòd res sunt quia Deus novit scientiâ practicâ & operativâ; & sic illum intelligit S. Thomas 1. p. q. 14. art. 8. in argumento sed contra. Nec enim verum esset, quòd res ideo sunt quia Deus novit modum tantùm quo essent, nisi accederet simul scientia libera supponens liberum actum divinæ voluntatis quæ esset efficiens causa rerum. Vnde, ut ostensum est, S. Pater Augustinus utrumque simul conjungit; in prioribus quidem verbis scientiam approbationis quæ immediate est rerum causa; in posteriòribus ascendit ad primam ridicem, quæ est scientia simplicis intelligentiæ, quæ scit modum quo res creandæ sunt, & quæ proinde est prior quàm res futuræ sint; imò prior quàm scientia practica & libera, qua de facto creantur.

Sed opponit Leonardus Lesius in suo citato libro cap. 3. in fine, Sanctos Patres, cum dicunt ideo Deum præscire futura quia ipsa futura sunt, loqui de scientia quæ negat divinam priorem prædefinitionem, quæ sit causa quare futura sint: & ex consequenti non loqui de præscientia purè speculativa, quæ intueatur futurum existens ex priori prædefinitione divina; nec etiam loqui, sumedo verbum (*quia*) ut dicat causam consequentiæ, sed ut dicat causam essendi; ita quòd intelligant quòd res futura, sit causa cur Deus prescivit, ut ex Eusebio Cæsarienſi sequente Origenem probat. Quod sic suadet, quia aliàs frivola fuisset Sanctorum Patrum ratio dicentium, ideo Deum præscire futura, quia ipsa futura sunt: facilè enim ethnici instare potuissent, & si non ideo res futuræ sint quia præscita, tamen futuræ sunt quia efficater præordinatæ à divina voluntate: ergo necessariò eveniunt, cum divina voluntas à nobis impediri nequeat. Sic enim Calvinus (ait) eludit hanc Patrum sententiam lib. 3. instit. cap. 23. *Si hominum* (inquit) *eventa Deus prævideret duntaxat, non etiam suo arbitrio disponeret ac ordinaret; non abs re ageretur quæstio, an quid ad eorum necessitatem valeat providentia. Sed cum non alia ratione provideat quæ futura sunt, nisi quia id fieri decrevit, frustra de præscientia lis movetur, ubi constat ordinatione nunc omnia evenire.* Hæc ille.

Deinde opponit, quòd ratio illorum esset falsa, si enim omnia sunt decreta in particulari ante præscientiam, non ideo scit Deus illa futura, quia sunt futura, sed quia sunt decreta: ineptè enim dixeris Deum ab æterno prescivisse futuros Angelos, quia futuri erant, cum causam quare futuri essent ipse apud se haberet suum decretum. Rursus, si omnia sunt decreta, falsum est ea non ideo esse futura quia præscita nam præscientia erit practica respectu ipsorum.

Ad hæc sit prima responsio non debuisse Lessium tam apertè Eusebium, sequentem in hac parte Origenem sequi in eo quòd dicit futurum esse causam cur Deus præsciat, cum Origenes in hac causa futuro Pelagio occasionem erroris præbuerit, nec magis in hac parte Pelag. quàm Origenes fugiendus sit, cum utriusque sit eadem prava sententia. Eusebium ergo sequentem Origenem ita vitare debebat author iste, sicut Faustum sequentem Pelagium qui, ut dictum est, futurum dixit causam esse divinæ præscientiæ.

Accedet quod ab ipso relatus Eusebius vidit quidem doctrinam suam peregrinam in hoc quòd futurum sit causa præscientiæ Dei, & adeo peregrinam, ut multis absurda appareret. Hanc ergo illis temporibus Eusebij, & iitis reputatam à multis absurditatem, nec iste author sequi debuerat; & Eusebium, & Origenem, sicut Pelagium, & Faustum de hac absurditate notare: Quæ enim major potest esse absurditas, quàm asserere, quòd à creatura, seu objecto creato certitudinem sumat cognitio divina? quod tamen apertissimè ex hac sententia sequitur, ut probavimus si pra agentes contra illam mediam præscientiam. Imò hoc iste author apertè concedit, cum dicit futurum esse causam cur Deus præsciat? Item quid magis absurdum, & præposterum potest opponi quam dictare temporale esse causam eterni? ut relatus Boëtius manifestè notavit, & Sanctus Thomas opusc. de præscientia ipsum secutus asseruit? Nec hoc absurdum vitatur, si dicatur (ut dicit hic author) non esse temporale causam æterni quoad entitatem, & substantiam æterni, sed quantùm ad terminationem hujus, vel illius objecti; quasi Boëtius & S. Thomas aliquando putaverint, vel quoslibet etiam stultissimos putasse, senserint quòd temporale, poterat esse causa æterni quoad suam entitatem. Hoc enim nullus, etiam insipientissimus dixit, sed illud Boëtius & S. Thomas oppugnant & pro absurdo & impossibili judicant, quod ab Origene, Pelagio & illis adhærentibus ponebatur temporale esse causam æterni, quòd magis hoc quàm illud sciret, & à temporali æternus sumeret certitudinem, vel præscientiæ, vel providentia suæ. Hoc inquam quod cum Eusebio, & Origene iste author sentit, & cum aliis nominatis, expugnant sicut absurdum & impossibile Boëtius & S. Thomas; & ista, ut diximus, sit prima responsio. Ex quo etiam patet quàm siniſtrè Leonardus Lessius dicat in sua disputatione sect. 6. num. 76. quod licet temporale non possit esse causa efficiens seu physica æterni, potest tamen illius esse causa objectiva & moralis. Dicendum est enim, de causa physica id ita esse evidentissimum, ut stultum sit aliud opinari; nec de sola hac causalitate negant Boëtius & S. Thomas citati quòd temporale possit esse causa æterni; sed etiam quòd ita possit esse illius causa, ut à temporali certitudo æterni desumatur tanquam ab objecto, à quo primò certitudinem habet; hoc enim ibi signanter excludere prætendebant, similiter negantes temporale posse esse objectivam & moralem causam prædestinationis Dei æternæ, cujus oppositum prædictus Leonardus Lessius affirmat. Sed de hoc in secundo nostro libro copiosius tractabimus.

Secundò respondetur ex S. Th. 1. p. q. 14. art. 8. ad primum, quòd cũ Origen. vel quicunque alius author dicit quòd ideo prescit Deus aliqua futura, quia futura sunt, intelligendũ est secundùm causam consequentiæ, non secundùm causam essendi; sequitur enim si aliqua sunt futura quòd Deus ea præscivit, non tamen quod res futuræ sunt causa quòd Deus sciat. Hæc S. Thomas modò videat prudens lector, an S. Thomæ sic expressè docenti, an authori huic Leonardo sequenti Eusebium & Origenem, credendum sit magis.

Tertiò respondetur, non frivolam fuisse rationem SS. Patrum, cum tractantes quæstionem, an præscientia divina futuris rebus imponeret necessitatem, id negarunt, respondentes, ideo eas præscisse quia futuræ sunt. Cum enim quæstio de præscientia procederet quæ speculationem sonat, non rerum causam, rectè responderunt, quod non ideo res sunt futuræ quia Deus eas præscit futuras, sed potius eas præscire & intueri futuras quia ipsæ futuræ sunt.

Et

Et sic argumento posito ab Ethnicis de præscientia nihil aliud respondebant, nisi quod ex meritis præscientiæ respondendum erat, in qua præscientia Ethnici insistebant. Imò optimus respondendi modus ille censetur, qui nihil aliud argumento dicit, quàm quod opponit. Cum ergo argumentum de præscientia tantùm procederet, ex meritis ejus Doctores responsa dederunt.

Quod si rursus. Ethnici ascendentes ad primam certitudinis futurorum radicem, & causam idem argumentum constituerent de voluntate divina, & de prædefinitione ipsius, seu scientia Dei practica, quæ est causa rerum non minus quam ars artificiatorum, ut est manifestum, aliter tunc sancti illis respondererent, sicut Apostolus Petrus Simoni Mago respondit, ut visum est supra. Cum enim Magus ille de providentia opponeret, quod tolleret contingentiam & libertatem in rebus prævisis, non respondit Petrus quod ideo earum contingentiam & libertatem non aufert, quia res prævisæ non ideo sunt, quia Deus prævidit; sed ideo illas prævidisse quia ipsæ futuræ sunt, non inquam, sic respondit, sed totum oppositum dicens quòd quædam vult Deus quòd contingenter & liberè fiant, & sic fiunt sicut divina voluntas & providentia disposuit. Et sic omnes sancti Patres agentes de providentia & divina prædefinitione docuerunt esse dicendum, ut supra satis ostendimus.

Ad illud quod ex Calvino opponit, dicendũ primò Calvinũ nõ errasse in hoc quod dixit in hac materia de impositione necessitatis, non ingerere tantam difficultatem præscientiam solam, posset enim quis dicere, quod si sola esset præscientia manifestè responderetur, quòd cum illa supponat futuram productionem, quam intuetur, illorum libertatem non aufert; sed difficultatem facere, divinæ voluntatis firmum stabileque decretum; in hoc certè non erravit, nisi velit citatus author Calvinum in omnibus quæ locutus fuit errasse etiam in hoc apertissimo. In illo ergo erravit Calvinus quod difficultate oppressus, quæ proveniebat ex Dei voluntate prædefiniente, quæ est certa futurorum causa, asseruit per talem Dei formam & stabilem voluntatem, prædestinationem prædefinientem, providentiam futurorum omnium, auferri contingentiam & libertatem.

Dicendum secundò (ut supra tetigimus) errasse etiam Calvinum, quia dixit ex sola Dei præscientia nullam oriri difficultatem contra rerum contingentiam & libertatem; oritur enim etiam ex illa non parva; quia si illa in Deo ponitur ante omnem actum liberum primæ & divinæ libertatis, illius objectum erit necessarium non contingens; cum certum sit, & determinatum ad unam partem; Unde Arist. dixit quod contingens determinatum ad unum non est contingens; nec enim in libera voluntate indeterminata ad utrumlibet potest certò cognosci illùd contingens. Cum ergo contingens tale nec à prima libertate habeat determinationem seu necessitatem ex suppositione, nec à libertate secunda erit ex natura sua determinatum, & per consequens non contingens, ut supra diximus.

Ad aliud respondetur utrumque verum esse, & Deum scire futura quia sunt futura, & quia sunt decreta, loquendo de futuris bonis, & de malis quantùm ad eorum solùm entitatem & actionem ut actio est, sicut supra diximus.

Nec falsa ratio est illa, quia sancti Patres unum dicebant de quo quæstiõ erat, & aliùd non negabant, si enim de alio interrogantur, manifestè dicerent, quòd tota prima ratio certitudinis, est quia sunt decreta.

Ad confirmationem dicendum, quod non ineptè quis diceret Deum præscire Angelos futuros, quia ipsi futuri sunt; imò sæpissimè S. Thomas, etiam istis authoribus id attestantibus, certitudinem futurorum sumit ex præscientia ipsorum ad æternitatem. Quid ergo? Cum ita dicant S. Thomam respondere, volunt ineptam esse responsionem?

Sanctus ergo Thomas, ut supra visum est, & respondet certò Deum scire res futuras; in quibus futuros Angelos sine dubio comprehendit, quia sunt æternitati præsentes, & etiam quia Deus decrevit eos creare. Nec ex eo quòd adhibeatur prima responsio non negata secunda inepta responsio est. Unde ex integro sancti Thomæ doctrina est, ideo Deus præscivit scientiâ puræ visionis, & intuitiva futura, quia ipsa æternitati præsentia sunt, ideo autem sunt æternitati præsentia, si primam causam hujus attendamus, quia Deus decrevit illa futura fore. Unde de primo ad ultimum ideo illa præscivit, quia illa decrevit esse futura; & quia ut futura essent ipse voluit. Ablata ergo hac prima causa & prima radice futurorum quæ est divina voluntas volens illa creare, aufertur scientia approbationis, & quæ est actu practica, & rerum efficiens. Et hac de medio sublata aufertur ex consequenti quod, futura certò futura sint; & per consequens quod à Deo certò cognosci non possunt ut futura; sicut sæpe dictum est & probatum.

Ad ultimum quod opponit, respondetur non falsam esse responsionem, sed verissimam. Quamvis enim futura omnia sint decreta, benè respondetur non ideo futura esse quia sunt præscita; quia tunc sumebatur præscientia à sanctis Patribus ita respondentibus pro præscientia quæ non erat rerum causa, nec habebat annexum illud decretum divinum ut sanctus Thomas expressè docuit 1. part. quæst. 14. artic. 8.

CAPUT XIV.

Continuatur prædicta Sanctorum Patrum vera intelligentia.

Tertia intelligentia & explicatio Sanctorum est, quod quando Sancti Doctores asserunt non ideo res futuras esse quia Deus præscivit, negant tantum scientiam vel causam cogentem; quasi velint dicere, quod Deus non ita præscivit futurum per suam scientiam, quod mediâ illâ cogeret vel necessitaret voluntatem ad futura talia ab ipso præscita. Ita se explicant S. Hieronymus super Ezech. 2. & S. Thomas eandem tradit explicationem de verit. quæst. 2. artic. 14. 1. par. ad primum. Et hoc quantùm ad negativam hanc propositionem. Quantùm autem ad affirmativam, quam superaddunt, quod videlicet, ideo Deus præscivit, quia illæ res futuræ sunt, semper denotant per verbum, quia, causam consequentiæ & illationis, non autem causam essendi, ut dictum est: & juxta hanc intelligentiam loquitur Damascenus supra inductus, quod & materia quam tractabat satis ostendit. Agebat enim ibi contra Manichæos qui libertatem arbitrij negabant, & omnia ex fatali necessitate provenire dicebant, ut refert S. Hieronymus in prolog. dialogi adversus Pelagianos, & S. P. Augustinus lib. 2. contra duas Epist. Pelagian. cap. 2. & 7. Unde solùm intendit Damascenus Manichæos docere, Deum nec per suam voluntatem, nec per suam scientiam causam esse nostrarum operationum sine libera cooperatione humanæ voluntatis & sic tantùm negat scientiam Dei, seu ejus præscientiam, causam cogentem esse, vel absolutè & simpliciter humanas voluntates necessitatem.

Quarta intelligentia & explicatio sanctorum sit, quod

Digitized by Google

Quòd cum sancti affirmant non ideo res futuras esse, quia Deus præscivit, loquantur non de præscientia omnium operum sed de præscientia tantùm omnium peccatorum; ideo dicunt non ideo esse futurum peccatum, quia Deus illud futurum præscivit; sed è converso ideo illud præsciviſse, quia ipsum futurum erat: ita quod verbum, quia, (ut sæpius est dictum) denotet solum causam consequentiæ, & illationis. Et in hoc sensu videtur potissimè loqui S. Hieronymus in dialog. adversus Pelagianos in contrarium citatus; potissimè in lib. 3. sic enim dicit: *Non ideo peccavit Adam, quia Deus illum peccaturum vidit.* Similiter in hoc sensu expresse procedit Concilium Valentinum tempore Lotharij Imperatoris sub Benedicto tertio dicens. *Non prorsus ulli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem ut aliud esse non possit, sed quod ille facturus erat ex propria voluntate, ille* scilicet Deus, *qui novit omnia antequam fiant, præscit ex sua omnipotentia & immutabili Majestate.* Ubi docet, quòd ideo Deus peccata præscit quia illa futura sunt. Et in hoc quarto sensu, seu quarta intelligentia loquuntur Hieronymus dialogo 3. contra Pelagianos, Leo serm. 16. de Passione Domini. Cyrillus, & Eusebius locis inductis, loquuntur enim de præscientia peccatorum quæ non causantur à scientia Dei libera, sed tantum ab ista præsciuntur, & sic non ideo peccata sunt, quia Deus præscivit, vel causavit, sed potiùs ea præscivit quia à mala libera hominis voluntate futura sunt.

Has sanctorum explicationes ex ipsis sanctis manifestè deductas observare necesse est, & secundùm eas omnia Sanctorum Patrum testimonia pro parte contraria illata, & Scholasticorum sententias intelligere, & explicare.

Quibusdam enim testimoniis ipsorum ultima ista congruit, ut modo dictum est, quia ex consensu Doctorum id fit manifestum. Aliis autem convenit tertia, quia si inspiciatur intentio sanctorum in illis locis, solum causam cogentem, & necessitantem intendebant negare, omnibus autem in universum sanctorum testimoniis convenit explicatio prima quæ & universalior est & magis à S. Thoma acceptatur. Et has veras Sanctorum Patrum intelligentias recipere deberent prædicti Recentiores & non adducere sanctos in hac parte in sensu & intelligentia, tantò magis ab eis aliena, quantò magis Pelagianorum & Semipelagianorum fundat errorem. Illa etiam secunda de scientia mere speculativa, & intuitiva à gravissimis scholasticis traditur, signanter ab Alensi 1. p. quæst. 24. memb. 3.

Aliam quintam explicationem vidi cujusdam doctissimi S. Thomæ discipuli, dicentis Sanctos Doctores, cum dicunt, non quia Deus præscivit futura fore, sed quia futura sunt Deum præsciisse, loqui de scientia ut antecedit omnem actum divinæ voluntatis; illa enim, cum non sit rerum causa non infert quod res futuræ sint.

Sed tamen salua hujus Doctoris reverentia, hæc intelligentia non ita probatur. Primò quia sancti planè loquuntur de præscientia; at verò scientia intelligentiæ simplicis præscientia vocari non solet. Tum secundò, quia loquuntur sancti de scientia futurorum, quæ aliquando futura sunt, at vero scientia antecedens omnem actum voluntatis divinæ, quæ est simplex intelligentia non est respectu futurorum, sed possibilium ut est certissimum. Tertiò quia si Doctores sancti loquuntur de scientia omnino antecedente omnem actum divinæ voluntatis, nec unam nec alteram causalitatem possunt verificare, nec enim, quia Deus sic scivit, futura sunt, nec quia futura sunt, Deus sic scivit scientia simplicis intelligentiæ, ut etiam constat: cum scientia simplicis intelligentiæ possibilium sit, non futurorum. Nullo ergo modo ad præsens videtur attinere scientia simplicis intelligentiæ.

Ad fundamentum horum recentiorum ab ipsis objectum, quod videlicet si ideo res futuræ sunt quia Deus præscivit, tollitur arbitrij libertas, ex professo infra lib. 2. 3. & 4. dicemus hoc fuisse potissimum Pelagianorum & Semipelagianorum argumentum contra doctrinam S. Augustini, Prosperi & Hilarij unde ad præsens breviter dicendum totum omnino contrarium sequi; divina etiam scientia vera non esset atque perfecta, si non hoc modo res eveniunt sicut Deus eas evenire cognoscit, Deus autem cum sit cognitor totius esse, cujus est principium, cognoscit unumquemque effectum, non solum in se, sed etiam in ordine ad quaslibet suas causas proximas, ordo autem contingentium ad suas causas est, ut contingenter ex eis proveniant; cognoscit igitur Deus aliqua evenire & contingenter evenire. Sic igitur divinæ scientiæ certitudo, & veritas rerum contingentiam non tollit, ut sub his modò relatis verbis S. Thomas respondet 1. cont. gent. cap. 67. ratione septima cujus doctrina & potest intelligi de scientia Dei, ut habens adjunctam divinam voluntatem, qua ratione practica est; & etiam de scientia visionis, qua ratione purè intuitivè & speculativè videt contingentem effectum à sua contingenti causa productum, & potest aliquo modo accommodari scientiæ simplicis intelligentiæ, quæ antecedit divinæ volūtatis liberū actū; sed tamē unicuique debet applicari ratione diversa; si enim intelligatur de scientia simplicis intelligentiæ, verum erit per illam cognoscere Deum ordinem quorumlibet effectuum ad causas quaslibet, non quidem existentes sed possibiles, cognoscendo in eis ordinem effectuum contingentium ad contingentes causas. Verùm, ut arbitror, de scientia simplicis intelligentiæ in hac parte non videtur S. Thom. loqui; quod illa inducta ejus verba insinuant, *Est cognitor totius entis, cujus est principium,* quæ denotant ipsum facere sermonem de scientia, quæ est verum principium, per adjunctum nempe divinæ voluntatis actum. Unde sermo fit de scientia practica reproducente, & simul cognoscente ordinem effectuum contingentium ad contingentes causas. Unde qua parte illa cognoscitiva est, cognoscit ordinem contingentium, tantùm abest quod rerum contingentiam sua cognitione impediat. Qua ratione autem habet adjunctum divinæ voluntatis actum, minus contingentiam impedit; quia Deus vult & actum illum fieri, & contingenter seu liberè fieri, & ita utrumque oportet sic evenire, sicut à Deo volitum. Illud insuper addendo, quod si sensus fiat de scientia visionis, quatenus præcisè visionis est; & speculativè videt illum actum productum, minus contingentiā valet impedire, quia illam præsupponit. Intuetur enim actum à causa libera seu contingenti, liberè seu contingenter productum. Itaque Dei scientia, & Dei voluntas est causa rerum ob sui efficaciam, & quantùm ad substantiam, & quantùm ad modum, ut supradictum est abundantiùs.

Sed adhuc unicum supereſt argumentum. Ideo SS. Patres loquentes de præscientia divina negant hanc causalem: Ideo res sunt futuræ, quia Deus præscivit, ne libertas impediretur à rebus, si illa vera esset, ita quod divina præscientia antecederet omnino futurum eventum: supponere ergo videntur, quod si antecederet illa præscientia tolleretur libertas.

Ad hoc dicendum SS. Patres contra eos qui affirmabant ex Dei præscientia lædi libertatem ex propriis ipsius præscientiæ demonstrāsse libertatem non lædi; quia præscientia intuebatur futurum sicut ipsum futurum est, ex quo nulla apparens ratio colligitur quod libertas impediatur, cum futurum cōtingens intueatur contingens, & futurum liberum præsciat futurum liberum. Ex hoc autem nullo modo intendunt, quòd si

Digitized by Google

talis præsentia sumeretur ut causa rerum, non antecederet futurum eventum. Imò loquentes de Dei voluntate quæ causa rerum est, id expressè docuerunt, ut diximus, asserentes quod nec etiam ex illa antecedenti scientia quæ rerum causa est, libertas impediatur; quia causa illa ob sui efficaciam, & substantiam effectus producit & modum, & ad utrumque secundam causam contingentem seu liberam applicat, ut videlicet infallibiliter effectum producat, & contingenter seu liberè producat, ut dictum est.

Triplex hîc quæstio Scholastica se offerebat tractanda. Prima an in ista consequentia, Deus scivit hoc futurum: ergo illud erit: antecedens sit absolutè necessarium & quid intelligitur cum id à Doctoribus affirmatur. Secunda an tale antecedens sit verè propositio de præterito, non solùm in apparentia, sed verè atque reipsa. Tertia dato quod verè sit de præterito, an consequens illius absolutè maneat contingens. Quas omnes quæstiones libentiùs expenderem modò, nisi consulendum brevitati videretur, ne in immensum opus protrahatur. Unde summa brevitate illas resoluendo proponam quid veritas habeat.

Ad primam quæstionem dicendum quod dupliciter aliqua propositio dicitur necessaria absolutè. Vno modo, ita quod sit simpliciter necessaria ex rationibus terminorum. Altero modo vocatur propositio absolutè necessaria, quæ habet veritatem non pendentem ex alia priori propositione ex qua inferatur; ita quod absolutè necessarium in hac significatione secunda, tantùm opponitur necessitati illativæ. Sic ergo dicendum quod in consequentia hac (Deus scivit hoc futurum; ergo hoc erit) Antecedens à S. Thoma aliquando vocatur absolutè necessarium, id est non illativè deductum ex alio priori, ad differentiam consequentis quod est necessarium ex illatione prioris; & in hoc sensu potest dici illud antecedens absolutè necessarium, nullo autem modo est absolutè necessarium in sensu priori. Quare tale antecedens quod aliquando (ut diximus) vocatur à S. Thoma necessarium absolutè, ab eodem S. Thoma vocatur necessarium ex suppositione immutabilitatis divinæ voluntatis, & quia loca sunt frequentissima omitto. Videatur Ferrara 1. contr. gent. cap. 64.

Ad secundam quæstionem dicendum, illud antecedens reipsa & secundum veritatem esse de præsenti, licet appareat de præterito. Hæc videtur expressa sententia S. Thomæ in Ndistinct. 38. quæst. 2. art. 1. in corpore & ad primum, quam etiam ibi tenet Mag. sent. Idem docet S. Thomas primo contra gent. cap. 67. in fine. Nec contrarium hujus fortè dicit Cajet. 1. par. quæst. 14. artic. 13. quia potest intelligi & explicari, cum dicit illam esse de præterito, quod loquatur de præterito in apparentia, & quoad modum significandi; non autem reipsa. Quia æternitas, qua mensuratur cognitio Dei talia præscientis, non transit nec transire potest reipsa in præteritam. Igitur illud antecedens non esse de præterito reipsa, videtur omnino dicendum contra modernos hos authores qui contrarium profitentur.

Ad quæstionem tertiam dicendum, quod gratis admisso, quod illud antecedens esset verè de præterito, adhuc consequens esset absolutè contingens (quod dixerim contra aliquos, qui putant semel admisso quod antecedens tale sit verè de præterito, non posse rectè saluari quod consequens sit absolutè contingens, & tamen ex suppositione necessarium. In quo tamen nullam difficultatem invenio. Quia in ista consequentia: Christus dicit Petro, ter me negabis: ergo Petrus ter negaturus erat. Antecedens postquam à Christo fuit dictum, statim ante Petri negationem verè transiit in præteritum, & vera fuit propositio de præterito; & tamen in facta consequentia, est necesse dicere, consequens remansisse absolutè contingens & liberum, & tantùm ex suppositione necessarium. Et ratio à priori hujus est; sive illa propositio sit de præsenti sive de præterito, tantùm est necessaria ex suppositione immutabilitatis divinæ voluntatis: ergo consequens est tantùm ex suppositione necessariũ & absolutè liberum fuit. Sed, ut dixi, ab his metaphysicis quæstionibus modò abstinemus ob brevitatem, lectorem remittentes ad Doctores, qui ex professo de hoc disputare solent.

Alterum tamen argumentum, quod propriùs nostrum tangit institutum, proponere ut diluatur, est visum. Dei scientia certa est & infallibilis; sed si aliter de facto res eveniret, quàm Deus per eam intelligit, ipsa de facto falsificaretur: ergo si potest illa præsuppositа aliter evenire, illa potest falsificari, procedendo à pari ratione de actu ad actum, & de potentia ad potentiam.

Ad hoc primò respondetur negando consequentiam; quia ultima pars consequentis revera facit sensum compositum, illumque semper includit. Unde est sensus, quod potest esse & quod scientia aliquod futurum intelligat, & quod id ita non eveniat, sed quod illa falsificetur. Et ratio est quia verbum *falsificari* hoc in suo conceptu involuit; quod videlicet scientia sit simul posita, & falsa reddatur.

Unde posse falsificari Dei scientiam id dicit, quod videlicet sit compossibile, & illam poni & simul falsificari, quod tamen est omnino impossibile. Fit ergo in consequenti transitus à sensu diviso ad compositum. Hæc enim propositio, posita Dei scientia potest res aliter evenire, sensum facit divisum; at verò hæc alia, potest falsificari Dei scientia sensum involuit compositum explicatum; quia duos actus simul in compossibiles conjungit ad invicem. Unde est defectus, seu transitus à sensu diviso ad compositum, ut dictum est. In consequentia autem posita in antecedenti, quia semper fit compositio actus cum actu nec digressio fit à sensu diviso ad compositum, optima est consequentia, procedendo de actu ad actum. Hæc solutio optima est & argumentum perfectè soluit, si tamen alicui fortè minus placuerit (quia talia sunt humana ingenia) atque contendat istam propositionem, scientia Dei potest falsificari & componere modo dicto, & divisim accipi posse, quod videlicet sit potentia ad falsificandum, licet nunquam sint ista duo compossibilia, quod videlicet illa sit & falsificetur: in hoc dicendi modo omnino etiam consequentiam negare debemus, & fateri nec compositè nec divisè esse, nedum in creaturis mobilibus & contingentibus, sed nec in Deo ipso potentiam ad falsificandam divinam scientiam. Quia nulla talis potentia activa est in aliquo, sicut nulla talis potentia passiva in divina scientia, ut falsificari possit. Et sic ad argumentum respondeat negando consequentiam atque dicendo solùm inferri quod sicut res contingens potest aliter evenire quàm divina scientia præscivit, ita potuit divina scientia aliud præscire. Ex illa enim potentia optimè ista infertur atque concluditur: non autem sequitur quod divina scientia possit falsificari. Et ratio est, quia divina scientia præsciens aliquod futurum contingens duo scit, atque prænoscit primum quod ita infallibiliter illud futurum contingẽs erit: secundum quod aliter evenire potest. Unde per hoc quod aliter possit evenire contingens, non potest inferri quod potest falsificari divina scientia, quæ hoc ita posse evenire prænoscit; imò potius infertur atque concluditur quod illa planè verificetur quoad utrumque, videlicet quod ipsa sua infallibili scientia prænovit. Quis enim inferat quod possit falsificari scientia ex eo quod ponatur id quod ipsa præscivit, profectò potius totum oppositum planè deducitur.

CAPUT

CAPUT XV.

Quomodo in Deo concedi debeat futurorum præscientia.

EX dictis aliud se offert declarandum an nempe concedendum sit in Deo esse scientiam præsentium; an verò præscientiam, quæ semper futurorum est. Hinc enim & inde Doctores inveniuntur, qui modò in unam, modò in alteram partem videntur inclinare. Præscientiam enim admittit S.P.Augustinus, S. Hieronymus, Cyrillus. Præscientiam in Deo admittunt Mag. & Scholastici in 1. distinct. 38. & S.Thomas ibi de verit. quæst. 2. art. 12. 3.par.quæst. 24. art. 1. docet prædestinationem dicere anteccssionem quandam futurorum, & ferè omnes Sancti explicantes illud Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit.* Imò scriptura ipsa in isto citato loco, & in aliis præscientiam expresè, & formaliter Deo attribuit ut patet ex illo Sap. 19. *Præsciebat enim & futura* ad Rom. 11. *Non repulit Deus plebem suam quam præscivit.* Et similia alia multa sunt divinæ Scripturæ testimonia hoc ipsum expresè testantia.

Ex alia autem parte, quod videlicet propriè in Deo præscientia non sit, secundū illius propriam rationem quæ futurorum scientiam sonat, docet expresè S.Thomas in loco citato de verit. quæst. 2. art. 12. & S. P. Augustinus lib. 2. ad Simplic. quæst. 2. Anselm. de cas. Diaboli cap. 21. Boëtius 5. de consolat. prosa ultima: & alij Doctores plures omnino negant esse in Deo præscientiam, affirmantes esse in illo scientiam præsentium; quia videlicet cognitioni illius nihil est futurum.

Quia autem nullus suspicari debet, aut potest, Doctores sanctos sibi ipsis in hac parte esse contrarios, neque enim quod S. P. Augustinus in altero loco pro una parte citatus docuit, in aliis pro altera parte relatus, negat, nec adinvicem Sancti Doctores pugnant, ideo inquirenda est ipsorum vera concordia, & perfecta intelligentia. Hanc autem clarissimè sanctus Thomas tradit quæst. prædicta de verit. Dicit enim, quòd propriè magis dicendum est quòd Deus scit hoc esse futurum, adducens ad hoc Boëtij testimonium ex 5. de consol. prosa ultima cit. ubi Boëtius dicit quòd divina cognitio magis dicenda est præsentium scientia, quàm præscientia, quia omnia sunt sibi præsentia, & nihil futurum.

Idipsum docet Gregorius Magnus lib. 20. moral. cap. 23. dicit enim; Præscientia non potest dici de Deo, quia nihil est ei futurum, sed omnia præsentia. Et quidem intelligit, quòd propriè non potest intelligi de Deo, secundùm quod S.Thomas intellexit & explicuit. In quo loco ita habet: *Quomodo est præscius dum nulla nisi quæ futura sunt præsciantur. Et scimus quia Deo futurum nihil est ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt. Quippe quia omne quod nobis fuit, & erit, in ejus prospectu præsto est, & omne quod præsens est, scire potest potiùs quam præscire.* Et statim respondet huic rationi. *Et quia ea quæ nobis futura sunt videt, quæ tamen ipsi semper præsto sunt, præscius dicitur quamvis nequaquam futurum prævideat quod præsens videt.*

Quod ut melius percipiatur, observandum divinam cognitionem & dicere respectum ad suam propriam mensuram, quæ æternitas est, & ad scita & cognita in eadem mensura, & etiam dicere respectum ad creaturas in suis propriis differentiis temporis existentes. Considerata ergo divina cognitione per ordine ad suam propriam mensuram quæ est æternitas, & ad illa quæ æternitati coëxistunt, ut sic divina scientia vocatur, & est scientia præsentium; quia omnia videt, ut sibi realiter præsentia, ut dictum est. Si autem consideretur divina cognitio per ordinem ad creaturas secundùm quod ad suas proprias temporis differentias comparantur, quibus nobis præsentes, præteritæ, vel futuræ existunt, sic dicitur præscientia futurorum; quia videlicet cognoscit ea, quæ nobis futura sunt. Cum ergo SS. Doctores, imò divinæ Scripturæ testimonia affirmant, in Deo esse præscientiam de divina cognitione loquuntur in hac acceptione secunda nunc explicata; in quantùm scilicet præsciit Deus, id quod futurum est. Cum autem Sancti alij Doctores dicunt eandem divinam cognitionem verè, & propriè debere dici scientiam præsentium, de divina cognitione loquuntur per ordinem ad scita in sua propria æternitatis mensura.

Sed dices. Quid absolutè & simpliciter dicendum erit de divina cognitione quod sit scientia præsentium, an verò quod sit futurorum præscientia? Ad hoc ex modo dictis jam patet, quod simpliciter & absolutè dicenda est scientia præsentium; quia hoc est quod Sancti Doctores expresè dicunt, cum affirmant divinam cognitionem magis dicendam scientiam præsentium, quam præscientiam futurorum. Quod etiam ex dictis modò concluditur. Etenim illud est magis proprium alicui, & absoluiè magis & simpliciter illi convenit quod convenit illi ratione suæ propriæ mensuræ, quàm ratione mensuræ extraneæ, sive extrinsecæ: cùm ergo mensura cognitionis divinæ sit æternitas, in qua scita à divina cognitione, realiter præsentia coëxistunt & cognoscuntur simpliciter & absolutè dicenda erit cognitio, scientia præsentium, non autem sic propriè præscientia, cum hoc divina scientia conveniat comparatione extraneæ mensuræ sive extrinsecæ. Quod autem Scriptura sacra eam passim appellat præscientiam, nihil præfinitæ obstat veritati: quia divina Scriptura se accommodat nobis, & nostro modo loquendi, & intelligendi; & verba sua nobis aptat: & quia Deus scivit ea quæ nobis futura sunt antequam fiant, & hanc nos vocamus præscientiam sive scientiam futurorum; ideo & Scriptura sacra divinam cognitionem circa futura talia vocavit præscientiam sive futurorum scientiam; ob quam etiam rationem vocatur providentia & prædestinatio, quæ anteccssionem dicunt respectu rei quæ in tempore est producenda.

Nec sunt audiendi recentiores isti Theologi sæpius nominati, quia videntes hanc Sanctorum apertam doctrinam sententiæ suæ esse vehementer contrariam, qua dicunt futura nobis, non esse Deo ex sua æternitate præsentia secundùm eorum proprias existentias, conantur hæc sanctorum dicta interpretari & ad suam sententiam retorquere. Unde quidam illorum recurrentes ad illam suam mediam scientiam asserunt, quod, quando Deus per illam scit aliqua quæ in nulla temporis differentia sunt, tunc scientia illorum vocatur scientia, & non præscientia; quia (ut aiunt) præscientia dicit habitudinem ad id quod aliquando habiturum est esse: quando verò id quod per hanc scientiam cognoscitur, est habiturum esse, tunc cognitio ejus vocatur rectè præscientia.

Sed quis non videat quàm apertè isti authores loquantur contra manifestam Sanctorum Patrum doctrinam relatam modò. Etenim in primis sancti Doctores nunquam recordati sunt illius scientiæ mediæ nisi ad impugnandam eam ut monstravimus supra.

Deinde Sancti Doctores respectu futurorum contingentium, quæ nobis aliquando futura sunt, asserunt divinam cognitionem & vocari præscientiam; quia videlicet videt nobis futura: & appellari magis propriè scientiam præsentium, quia videt per eam illa,

Digitized by Google

illa, quæ jam sunt sibi in sua æternitate præsentia; ita quod respectu ejusdem omnino objecti, videlicet futuri contingentis, utramque sumit divina cognitio denominationem; & scientiæ præsentium, & præscientiæ futurorum, comparatione diversæ mensuræ, quod ex verbis formalibus Sanctorum Doctorum Gregorij, Thomæ, Anselmi, & Boetij fit apertissimum. Verba Sancti Gregorij, quia patentissima, inducam ex lib. 20. moral. cap. 23. ubi ait: *scimus quia Deo futurum nihil est, ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt, quia omne quod nobis fuit, & erit, in ejus prospectu præsto est, & omne quod presens est, scire potest.* De reali ergo præsentia futurorum omnium ad æternitatem loquitur. Quod magis manifestat. *Quamvis nequaquam futurum videat, quod præsens videt.* Rursus adhuc clariùs. *In illo enim nec præterita nec futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant & quæ in se ipsis simul existere non possunt illi simul omnia assistunt; nihilque in illo præterit quod transit, quia in æternitate ejus modo quodam incomprehensibili cuncta volumia seculorum transeuntia manent, currentia stant.* Quid clariùs quam Sanctum Doctorem loqui de reali coexistentia rerum ad æternitatem.

Minus etiam juvat aliorum Recentiorum explicatio dicentium, divinam cognitionem appellari à Sanctis scientiam visionis sive scientiam præsentium, non quia futura in æternitate præsentia secundùm propias intueatur existentias, sed quia ita considerantur futura illa à Deo in illa supra relata & impugnata objectiva cognitione, & ita clarè ac distincte cognoscuntur, ac si revera præsentia essent realiter coexistentia. At verò ista explicatio quid aliud intendit, nisi quòd illa scientia, sive cognitio non est scientia præsentium sed illa cognoscere ac si essent præsentia, in quo apertè verbis expressis Sanctorum contradicit? Sancti enim non dicunt scientiam eorum esse ac si essent præsentia, sed affirmant verè esse scientiam præsentium.

Precipuè, quia exemplum quo Sancti Doctores utuntur ad hoc manifestandum, ipsorum mentem satis superque explicat; dicunt enim quòd sicut ille qui vadit per viam, non videt illos qui post eum veniunt, sed ille qui ab aliqua altitudine totam viam intuetur, simul videt omnes transeuntes per viam: Quo exemplo S. Th. utitur 1. p. q. 14. ar. 13. ad probãdum, quòd nos qui modò in Mundo secundùm reales nostras coexistentias præsentes sumus, licet futuros, qui post nos veniunt non videamus, Deus tamen qui ex altitudine suæ æternitatis omne tempus videt præsens & futurum, simul videt utrosque. Manifestum est autem quòd hoc exemplum de vidente ex turri transeuntes per viam, probat quod venientes videt præsentialiter & realiter, & secundùm eorum existentias. Imò adhoc singulariter probandum inducitur. Ergo similiter Deus ex sua alta æternitate omnes venientes per tempus simul intuetur secundùm eorum proprias ac reales existentias. Qui ergo contendunt tam manifesta Sanctorum verba retorquere non ad realem, sed ad objectivam illam præsentiam, voce quidem Sanctos interprætantur, quia nec audent eos palam impugnare, sed reipsa eos impugnant & illorum sententiam reijciunt.

Tria enim Sancti dicunt quæ illam objectivam & fallacem istorum intuitionem excludunt, & manifestissimè realem coexistentiam futurorum ad æternitatem constituunt. Primò dicunt nihil Deo esse futurum, & tamen in istorum sententia revera quæ sunt nobis futura secundùm existentias suas etiam Deo secundum existentias suas futura sunt. Imò absolutè & simpliciter ei futura sunt, quia futuritio solùm existentias futuras in futuro tempore respicit. Secundò, quia dicunt omnia Deo esse in sua æternitate præsentia, quod apertissimè realem præsentiam sonat non objectivam. Unde dicunt quòd simplici intuitu Deus omnia ut sibi præsentia intuetur, ubi constituunt in Deo notitiam intuitivam quæ est rei præsentis secundùm quod realiter præsens est. Tertiò, quia pro ratione reddunt quod æternitas omnia simul sibi præsentia continet, quæ in tempore futura sunt. Igitur quæ in tempore futura sunt secundùm suas reales existentias jam Deo præsentia sunt secundùm easdem existentias; futurum enim & præsens manifestè sumunt Doctores Sancti per ordinem ad existentias vel præsentes vel futuras, quod negari non potest.

Verùmtamen pro se adducere possunt ex Sancto Thoma Opusc. 4. cap. 10. ubi inquit, quòd Deus ex æternitate videt quasi præsentia omnia quæ per totum temporis decursum aguntur. In illo verbo (*quasi*) possunt fundare quòd non sint verè realiter præsentia. Ad quod tamen dicendum, quòd exemplo ibi inducto de vidente ex alta turri totam viam, apertissimè constat non negasse per verbum (*quasi*) veram realem præsentiam in æternitate, sed tantùm docuisse quòd se habet Deus ad modum quo ille de altitudine turris totam viam inspicit & in isto sensu dicit, (*quasi*) non in alio; sicut alibi dixit quòd Deus *quasi* applicat secundas causas ad operandum, per quod tamen non negavit eas applicare ut in secundo libro probavimus. Et quidem Joannes dixit, *quasi unigeniti*, cum tamen verum unigenitum Patris prædicaret; & Paulus, *quasi per ignem* nec tamen verum esse ignem Purgatorij negavit.

Igitur ex dictis supra constat hanc propositionem, non ideo liberum arbitrium cooperaturum est quia Deus præscivit, sed ideo prescivit quia cooperaturum est ab Origene priùs traditam fuisse, ut S. Th. refert 1. p. q. 19. art. 8.; ab eoque illam in falso sensu istos authores desumpsisse, relicto illo vero, quem S. Thomas illi ascribit. Nec mirum, quod ab Origene hanc didicerint, quia ferè omnia quæ dicunt ab Origene desumpserunt, à quo suum errorem sumpsisse Pelagium testis est S. Hieronymus Epist. ad Ctesiphont. Constat etiam hanc assertionem ex Fausto Reghiensi fuisse desumptam; sicut enim Faustus ille ex Pelagio, & Origene eam accepit, ita illos in hac defendenda sententia hi authores sequntur.

Ut autem clariùs constet primum hujus sententiæ authorem Origenem fuisse, legatur ipse libro 3. Periarchon cap. 1. versus finem ubi sic habet: *Post hæc*, inquit, *insequebatur illa quæstio, quoniam velle & perficere esset ex Deo, & aiunt, si ex Deo velle est, & ex Deo est perficere, sive boni sive mali agamus, vel volumus, est Deo est, quòd si est, liberi arbitrij non sumus.* Et iterum illa verba exponens Ezechielis, *Auferam à vobis cor lapideum & dabo vobis cor carneum*, ait, *Et si antequam auferatur cor lapideum, deponere illud à nobis non possumus, consequens est, ut in nostra potestate non sit abjicere malitiam, sed in Deo.* Et iterum: *si non in nostro actu est ut fiat in nobis cor carneum, sed solius Dei opus est: non erit nostrum opus secundum virtutem vivere, sed in omnibus gratiæ opus videbitur.* Unde hoc argumento convictus Origenes hanc tenuit sententiam, quam in cap. 2. his verbis exposuit: *dubium enim non est, quod in omni tentatione adest nobis tollendi virtus, si tamen nos competenter utamur virtute concessa. Non enim idem est habere vincendi virtutem & vincere &c. Multi enim sustinent, sed in tentatione vincuntur. A Deo autem datur non ut sustineamus, alioquin nullum jam videretur esse certamen, sed ut sustinere possimus. Ea autem*

Digitized by Google

virtute, quæ nobis data est ut vincere possimus secundum liberi arbitrij facultatem, aut industriè utimur, & vincimus: aut segniter, & superamur. Postquam autem negavit efficaciam divinæ virtutis dantem ipsum velle & operari, & vere efficientem quòd velimus, & operemur, & tantùm admittit Deum nobis dare ut possimus operari si volumus; & hoc, ut nostri arbitrij salvaret libertatem quam putabat auferri, si Deus verè efficaciter nobis daret ut vellemus & operemur. Consequenter constituit quòd non ideo nos operamur, vel operaturi sumus quia Deus præscivit (scilicet præscientia practica) sed quòd ideo potiùs id Deus præscivit, quia nos ex nobis id sumus operaturi. En totam substantiam doctrinæ quæ his temporibus tanta contentione defenditur in terminis ab Origene priùs traditam; sed qui illum pro se inducunt & illius doctrinam se sequi gloriantur, tria advertere debuerant antequam præcipitarent sententiam. Primum, quod relatum ex S. Hieronymo est modò, ex Origene videlicet sumpsisse Pelagium dogma suum. Unde qui expressè fatentur se sequi in hac causa Origenem, nescio an re ipsa fateri videantur, se sequi Pelagium. Secundum quod S. Thom. 3. cont. gent. cap. 89. postquam ex apertissimis scripturæ testimoniis probat Deum in nobis efficere velle, & perficere pro bona voluntate, statim subdit. *Quidam verò non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque prejudicio voluntatis, conati sunt has authoritates malè exponere, ut scilicet dicerent quòd Deus causat in nobis velle, & perficere inquantum dat nobis virtutem volendi; non autem sic quod faciat nos velle hoc, vel illud, sicut Origenes exponit in tertiò periarchon, liberum arbitrium defendens contra authoritates predictas.* Tertium quod advertere debebant, qui publicant se sequi Origenem, est, ipsum ut hæreticum à Conciliis fuisse damnatum, non solùm in aliis materiis, sed & in hac, non in persona sua, sed in persona Pelagij, ejus in hac doctrina discipuli, ut dictum, est.

CAPUT XVI.

Adducuntur qui dixerunt futura, præsentia Deo in æternitate non esse secundum suas naturales existentias, cum fundamentis eorum.

QUAMVIS, si quæ ex Sanctis Patribus dicta sunt supra considerentur, facilè constare possit omnia præterita, præsentia, & futura Deo in sua æternitate realiter secundùm suas proprias existentias esse præsentia; ita quod nihil Dei futurum sit. Quia tamen Recentiores in hoc insistunt, quòd tollatur arbitrij libertas si dicantur futura secundùm suas proprias existentias Deo in sua æternitate esse præsentia, vel illi coexistere; & aliàs hæc materia satis gravis sit, & necessaria pro his his quæ tractanda suscepimus; oportet eam accuratiùs examinare. Igitur inter alios authores supra inductos Ludovicus Molina in concordia Olisiponæ impressa disp. 47. Antverpiæ autem 49. ait: *Quod autem liberi arbitrij nostri rerumque contingentia omnino tollatur, si quis asserat ex eo quòd æternitas sit tota simul, priùs res in ea, quàm in tempore existere; itaut omnia, quæ in tempore sunt futura, jam in hoc temporis puncto in eo in æternitate sint extra suas causas secundùm veras existentias in æternitate, idque tanta firmitate, ut ex ea radice Deus certò cognoscat ea quæ in tempore sunt contingenter futura facile ostendi potest.* Quod asserit etiam Franciscus Suarez supra citatus, negans futurorum in æternitate coexistentiam, Sanctum Thomam in multis locis id asserentem interpretatus de præsentia objectiva, non reali & per realem existentiam, cum Vasquez, Valentia, Leonardo Lessio, eodem modo S. Thomam interpretantibus.

Præter hos autem authores antiquiùs eandem futurorum realem presentiam in æternitate secundùm existentias suas negarunt Scholastici aliqui, Scotus in primo dist. 38. S. Bonavent. dist. 36. art. 2. q. 3. Durandus ibidem q. 3 num. 12. Gabr. d. 38. q. 1. art. 2. Greg. q. 2. memb. 2. Marsil. in suo Castigatorio, in expositione 13. ex prima parte S. Thomæ q. 14. ubi affirmat oppositam sententiam à multis doctoribus notatam fuisse Parisiis, quam falsò asscribebant S. Thomæ, Alensis prima p. q. 23. memb. 4. art. 3. Ex antiquioribus etiam discipulis S. Thomæ idem sensit Ægidius in opusc. art. 4. Silvester in suo defensorio Herveus, & Hispalensis in 1. dist. 38. Hi enim omnes S. Thomæ antiquiores discipuli, non valentes intelligere illam realem futurorum præsentiam secundùm suas reales existentias in æternitate; & ex alia parte attendentes plurima esse S. Thomæ testimonia quæ illam apertiùs tradere videntur, conati sunt doctorem Sanctum interpretari, non de reali coexistentia, sed de objectiva tantùm presentia in æternitate. Quamvis Egidius in eodem primo dist. 38. q. 1. veram videtur defendere futurorum realem præsentiam secundùm suas existentias in æternitate. Itaque in triplici classe reponendi authores sunt, qui hanc realem presentiam futurorum secundùm veras existentias in æternitate inficiantur. Quidam eum sunt extra Scholam S. Thomæ, ut sunt Scotus, Bonaventura, Durandus, Gabriel. Marsilius, & Alensis; Alij sunt antiquiores aliqui S. Thomæ discipuli, ut Ægidius (si tamen ut diximus ipse non mutavit sententiam) Silvester. Herveus, & Hispallensis; Alij sunt Recentiores Theologi Vasquez, Suarez, Valentia, Leonardus Lessius. Nam Ludovicus Molina non negat coexistentiam futurorum in æternitate, sed tantùm quod non priùs in æternitate existant anticipativè, quàm sint in sua propria mensura, ut statim aperiemus, licet malè inferat nihil conducere ad certitudinem divinæ cognitionis quòd sint futura coexistentia in æternitate, ex eo quod æternitas ambit omne tempus, sed necessariam esse ad hanc certitudinem cognitionis divinæ, quod futura per anticipationem quandam priùs sint realiter in æternitate quàm in tempore suo.

Verùm advertendum, relatos authores, quamvis conveniat in neganda futurorum reali præsentia in æternitate & astruenda illa tantum præsentia objectivâ; non tamen propter eandem rationem, seu propter idem motivum, seu fundamentum eam inficiari; sed ob diversam rationem motivumque diversum: similiter licet objectivam præsentiam teneant, non tamen eodem modo eam defendunt, nec eandem objectivam præsentiam asserunt, sed valde diversam. Nam Scotus, & illi alij Doctores in prima classe inducti (ut ab antiquioribus exordiamur) non ideo negant futurorum realem præsentiam secundùm suas existentias in æternitate, quia ex illa arbitrentur tolli aut impediri rerum contingentiam, & humanarum operationum libertatem (neque enim tale fundamentum inter ipsorum argumenta invenitur) sed id negarunt propter rationes alias ut est in ipsis clariùs videre. Similiter citati illi S. Thomæ discipuli nec propter hoc fundamentum ablationis libertatis, futurorum præsentiam negant secundùm eorum realis existentias, sed rationibus aliis; quia cum in seipsis non existant futura, nec percipere valebant, quomodo aliis possunt coexistere.

Ar

Digitized by Google

At verò Recentiores Theologi id de novo ſolent opponere quòd ex tali reali præſentia ſecundùm exiſtentias ſuas in æternitate tollatur, vel impediatur libertas.

Parique ratione licet citati omnes illi authores, qui in illa triplici claſſe repoſiti ſunt, objectivam præſentiam defendant, non tamen eodem modo, nec revera eandem ſed diverſam tuentur. Etenim tùm Scotus, cum illis aliis authoribus nominatis, tùm diſcipuli S. Thomæ inducti objectivam illam præſentiam ſuſtinent; ſed poſt divinæ voluntatis decretum & determinationem qua efficaciter decrevit talia fore; & nullo modo eam objectivam preſentiam certam futurorum ante tale divinæ voluntatis decretum, & determinationem agnoſcunt, niſi ut impugnent. At verò ultimi authores relati, qui his temporibus eam intromittunt, contendunt illam eſſe certam ante omne decretũ, omnemque divinæ voluntatis determinationem de hoc quod futura ſint; ſed dicunt Deum illa futura in ſeipſis certò intueri, ut objectivè ſibi in ſua æternitate præſentia, ſicut in ſuperioribus manet expoſitum & impugnatum. Valde autem diverſa eſt una objectiva preſentia ab alia; quia illa prima poſſibilis eſt, & de facto datur in Deo, ut viſum & probatum eſt ſupra; hæc autem ſecunda omnino impoſſibilis eſt & Deo in ſua æternitate repugnans, pro ut manet explicatum.

Quibus ſuppoſitis oportet primò fundamenta illorum referre, qui negant talem præſentiam futurorum in æternitate ſecundùm exiſtentias ſuas, & hanc quæſtionem priùs perpendere, & poſtea examinabimus, an ex tali reali futurorum præſentia in æternitate, aliquo modo illorum contingentia, & libertas impediatur.

Igitur Scotus primò ſic opponit: ſicut ſe habet immenſitas ad loca, ita æternitas ad tempora; ſed immenſitati non coexiſtunt loca futura, nec enim immenſitas Dei ab æterno fuit replens futura loca: ergo nec æternitati coexiſtunt tempora futura. Secundò ſi res futuræ ab æterno præſentes ſunt realiter æternitati ſecundùm ſuas exiſtentias, aut quod idem eſt ei coexiſtunt: ergo, cum poſtea in tempore producuntur, bis eædem res producentur, in æternitate nempe ſemel, & iterum ſecundò in tempore ſuo, quod omnino impoſſibile eſt.

Tertiò quoties aliqua plura ſimul coexiſtunt uni tertio, ſimul inter ſe coexiſtunt, ſecundum illud axioma, quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe; ſed omnia futura non ſimul ſibi coexiſtunt ut eſt manifeſtum; ergo nec ſimul coexiſtunt alicui tertio. Ergo nec ſimul coexiſtunt in æternitate, quæ eſt illud tertium, cui omnia futura coexiſtere dicuntur.

Confirmat ſtrictiùs Durandus; quia quod in ſe adhuc nihil eſt, & nihil habet ſui eſſe, nec aliquam ſuam durationem, non poteſt alteri durationi alienæ coexiſtere; nam coexiſtere alteri præſupponit propriam exiſtentiam, qua alteri coexiſtat, ut primum & neceſſarium fundamentum coexiſtentiæ ad alterum: futura autem non exiſtunt in ſe: ergo nequeunt æternitati coexiſtere. Huic rationi ita quidam ex Authoribus adhæret, ut evidentem dicat, cui proinde à Thomiſtis nihil poſſit reſponderi.

Poteſt & hoc magis ſtrictiùs confirmari: æternitas non eſt propria & intrinſeca menſura futurorum, ut certiſſimum eſt; ſed tantùm eſt illorum extrinſeca quædam duratio cui illa futura dicuntur coexiſtere, ergo non poſſunt futura quæ nondum eſſe habent aut propriam durationem in ſe ipſis, æternitati quæ illis eſt duratio extrinſeca coexiſtere; ſicut non poteſt contineri à loco communi, quod in proprio loco non continetur, nec aliquid poteſt tantùm extrinſeca duratione ſine ſua propria duratione durare.

Quartò ſic arguit Franciſcus Suarez quaſi pro magno opponendus, cum hoc reputet inſolubile. Tertiò, inquit, principaliùs ſequitur ex dictis res temporales & creatas non poſſe verè ac propriè dici coexiſtere Deo ab æterno, etiam in æternitate; quod ſic oſtendo: nam in primis res quæ in ſe non exiſtunt, & quando in ſe non exiſtunt, non poſſunt dici exiſtere in æternitate; ſed res creatæ ab æterno non extiterunt in ſe ipſis, & in propria exiſtentia, & duratione: ergo nec ab æterno extiterunt in æternitate: ergo nec ab æterno coexiſtunt, vel coextiterunt realiter æternitati. Major probatur, quia exiſtere in æternitate ſupponit exiſtere in ſe: tum quia hæc illatio; exiſtit in æternitate: ergo exiſtit; non eſt, ut aiunt, à ſecundùm quid ad ſimpliciter, ſed ab inferiori ad ſuperius affirmativè; quia exiſtere in æternitate non eſt conditio diminuens ipſum exiſtere in ſe, ſed addit ſupra illud denominationem, vel relationem ad aliud ſimul exiſtens: tum etiam quia eſſe in extrinſeca duratione & quaſi communi ſeu ſuperiori, ac excedente ſupponit eſſe in propria; ſicut eſſe in loco communi ſupponit eſſe in proprio qui ſub communi continetur; ſed res creatæ non dicuntur eſſe in æternitate tanquam in propria duratione; ſed tanquam in communi, extrinſeca, ac ſuperiori: ergo ut ſint in æternitate neceſſariò debent ſupponi eſſe in aliqua propria, & intrinſeca duratione. Et hoc eſt in ſe ipſis exiſtere. Sicut enim ſine fundamento non poteſt intelligi relatio, ita nec exiſtentia in alio, ſeu cum alio, ſine exiſtentia in ſe.

Opponitur denique, quòd ſi ideo Deus certò cognoſcit futura, quia illa ſunt Deo in ſua æternitate, quæ eſt tota ſimul, præſentia; etiam Angelus illa futura certò intueretur; quia ipſe menſuratur ævo, quod eſt totum ſimul. Quòd ſi dicatur ævum menſurare ſubſtantiam Angeli non autem ejus cognitionem; quia cognitio ipſius menſuratur diſcreto tempore, unde inconveniens oppoſitum non ſequitur. Contra hoc eſt, quod aliqua eſt cognitio Angeli quæ æuo menſuratur, illa nempe qua ſe ipſum intelligit: ergo ſaltem ſecundùm hanc poterit futura cognoſcere: & præterea quia quælibet cognitio Angeli poteſt tota ſimul durare per aliquod tempus noſtrum, ſicut Angelus voluerit: ergo per illam poterit ſaltem certò cognoſcere futura illa quæ erant tempore illo. Hæc ſunt argumenta ob quæ negant authores ſuperiùs allati futura Deo preſentia eſſe in æternitate ſecundum ſuas exiſtentias; vel Deo ſecundùm illas in æternitate coexiſtere.

Ut hanc difficultatem clariùs reſolvamus aliqua diximus obſervanda. Primum, æternitatem quandam durationem eſſe ſimpliciter infinitam indiviſibilem, & totam ſimul; quod ultimum ex illius diffinitione habetur. Qua autem ratione duratio infinita ſimpliciter eſt, ex neceſſitate omnes alias finitas durationes, ævi, temporis diſcreti Angelorum, & temporis noſtri, quoad omnes differentias illarum debet actu comprehendere, & ſub ſe continere. Secundùm autem quod indiviſibilis eſt & tota ſimul, ſimul & non ſucceſſivè continet actu omnes tales differentias temporis noſtri, præſentis videlicet, præteriti, & futuri.

Obſervandum ſecundò diverſis propoſitionibus poſſe nos loqui in hac materia, & illam explicare, quæ licet idem ſignificare videantur, non tamen eædem ſunt, ſed diverſæ ſaltem quoad diverſum modum in illis importatum. v. g. ſi dicamus. Et ſit prima propoſitio; omnia præſentia, præteriti

Digitized by Google

præterita, & futura sunt secundum suas reales existentias in æternitate; vel habent existentias suas in ordine ad æternitatem: utramque enim hanc idem omnino significare putamus. Secunda propositio: æternitas actu continet omnia præsentia, præterita, & futura, secundùm actuales existentias illorum; & ista idem quod prima significat reipsa; sed formaliùs, & propriùs idem importat, quamvis illa prima propria etiam sit & qua passim doctores utuntur in hac materia. Tertia omnia præterita, præsentia, & futura sunt realiter præsentia secundùm suas actuales existentias æternitati. Quarta, præsentia, præterita, & futura sunt realiter præsentia secundùm suas existentias in æternitate. Hæc enim quarta differt à tertia, quia propria est; illa autem tertia minus propria. Nam aliquid esse alteri realiter præsens secundùm proprium conceptum refertur ad cognoscentem. Unde cum æternitas, formaliter de illa loquendo, cognoscens non sit, non ita propriè dicuntur res ei esse presentes realiter secundùm suas existentias, sicut hoc modo propriè dicuntur esse realiter Deo in sua æternitate præsentes. Quinta propositio est: omnia preterita, præsentia, & futura coexistunt æternitati vel coexistunt Deo in æternitate. Ista enim ex significatione sua non importat ordinem ad cognoscentem, sed solum coexistentiam dorum simul, quamvis unum alterum non cognoscat. Unde & duo lapides sunt simul coexistentes inter se, quia sunt in eodem tempore; & sic propriè dicuntur non solùm Deo in æternitate, sed ipsi æternitati coexistere.

Observandum tertiò quòd licet prima facie impropriæ appareant duæ istæ propositiones: res omnes coexistunt æternitati, vel coexistunt Deo in æternitate, ex eo quod propriè illa dicuntur coexistere quæ simul existunt in aliqua adæquata & communi illis mensura; sicut duo homines hac ratione vel duo lapides simul existentes in tempore propriè dicuntur coexistere; quod tamen non invenitur in proposito; cum res quæ sunt in tempore, atque ipsa æternitas non habeant communem mensuram, nec Deus & res quæ sunt in tempore adæquatam habeant mensuram; tamen hoc non obstante utraque illa prædicta propositio propria est, quia ut rectè advertit Ferrar. 1. Con. gent. cap. 66. circa 6. rationem S. Thomæ juxta philosophi doctrinam; aliter duæ res quæ habent rationem mensurati dicuntur simul coexistere; & aliter duæ durationes: duo enim mensurata coexistere dicuntur, quia eorum existentiæ in eadem mensura durationis continentur, & sic coexistere dicuntur duo homines si eorum existentiæ eodem tempore mensurentur. At verò duæ mensuræ coexistere etiam propriè dicuntur, si una contineantur in altera; quia nullo alio modo coexistere possunt. Et iste est proprius modus coexistentiæ ipsarum: hora coexistit diei, quia continetur in die, & mensura parva contenta & clausa sub majori, illi coexistit; quia existentiam habet simul cum existentia alterius. Unde cum dicuntur res creatæ coexistere æternitati, nihil aliud importatur, quàm illas esse in sua propria temporis duratione, quæ verè, & propriè continetur in æternitate. Qua ratione S. Thomas asserit res non solum realiter esse in æternitate, sed etiam æternitati coexistere, ut patet primo cont. gent. cap. 66. & 67.

Observandum tamen ex propositionibus signatis in tertio & quarto notabili (quibus uti solent doctores in hac materia & quæ ut dicemus veræ sunt, licet aliæ aliis magis propriæ sint, ut præmissimus) nullo modo sequi res esse ab æterno, vel esse æternas, vel mensurari æternitate adæquatè, & tanquam propria mensura, vel esse æternitati præsentes realiter pro quolibet nunc temporis sub æternitate comprehenso. Ista enim quatuor falsissima sunt, & impossibilia, nec ex aliis supradictis veris propositionibus aliqua ratione deduci possunt: & ratio est quia quatuor ista inducta modò, significant quòd res ita sint ab æterno sicut Deus ipse, quod contra fidem procedit. Unde ad verificandum quòd futura secundùm suas existentias sint in æternitate, vel æternitati coexistant, satis est quod pro illo instanti seu tempore quo erunt, coexistant æternitati, ex eo quod æternitas, ut dictum est, ambit omne tempus actu etiam futurum, & omnia quæ in illo continentur ob infinitam suam durationem, quam habet totam simul & indivisibiliter. Similiter ex ista propositione, quæ vera est, inter æternitatem & res futuras non est ordo durationis secundùm rationem coexistendi, non sequitur ista, quæ planè est falsa: inter æternitatem & res futuras non est ordo durationis secundùm rationem existendi. Itaque verum est quod æternitas duratione infinita præcedit existentiam ipsorum futurorum; si enim æternitas non præcederet duratione ipsas futurorum existentias, ubique illorum existentiæ essent æternæ, & ab æterno futura existerent, quod non solùm est contra fidem; verùm involuit contradictionem dicere illa ab æterno existere, & futura esse. Igitur inter æternitatem, & futurorum existentias necessariò debet esse ordo durationis, atque durationis prioritas. Cum hac igitur veritate, quòd est ordo & prioritas durationis inter æternitatem & futurorum existentias, optimè stat, quod non sit ordo nec prioritas rationis inter æternitatem, & coexistentiam futurorum; sed quòd semper futura æternitati coexistunt, nec possumus imaginari priùs esse æternitatem, quàm quod illi futura coexistant, ut clariùs probaturi sumus.

Dices, nunquid concedi potest res futuras esse jam in æternitate productas? Ad hoc quidam negant, alij affirmant ex his authoribus qui veram coexistentiam rerum defendunt in æternitate. Qui negant, ad id moventur, ne inferatur vel insinuetur quasi duplex productio rerum, alia in æternitate, alia in tempore: & quia videtur in illa propositione significari, quòd adæquatè sicut in propria mensura sint in æternitate productæ; cum tamen esse res productas non æternitatem respiciat, sed propriam temporis mensuram. Nos arbitramur ad omnium auferendam duritiem, & æquivocationem propositionis, esse sic dicendum; res futuræ jam sunt productæ (in suo tempore scilicet) in ordine ad æternitatem; ita ut productio rerum, quæ in tempore nobis futura est, jam æternitati coexistat. Sed jam nunc veram coexistentiam omnium rerum in æternitate, quæ verissima doctrina est, explicemus & defendamus.

CAPUT XVII.

Futura non esse priùs per quandam anticipationem coexistentiæ, quàm existant in tempore suo.

PRIUSQUAM veram futurorum coexistentiam ad æternitatem ex Sanctis Patribus statuamus, quemdam modum impossibilem coexistendi futura in æternitate reijciendum suscipiamus, illum videlicet quo ponuntur futura priùs coexistere in æternitate per quãdam anticipationem, quàm sint habitura existentias suas in tempore; ita ut priùs intelligantur futura habere esse extra suas causas in æternitate, quàm in tempore habituræ sint suum esse, & ita ut verè dicantur ideo futura habitura esse suum in tempore suo, quia priùs esse habuerunt in æternitate. Hic enim modus constituendi futura in æternitate planè impossibilis est: quia illud esse futurorum bis produceretur; priùs in æternitate, deinde in tempore; ac subinde duplex

Digitized by Google

duplex illius esset productio, quo nihil absurdiùs, & magis impossibile. Et forsan cum Scotus oppositum contra existentiam rerum in æternitate hoc impossibile, quòd bis res producerentur, hoc modo intellexit poni à S. Thoma & Doctoribus aliis, futura coexistere æternitati; sed sicut ex tali intelligentia recte id intulit; falsò tamen talem intelligentiam Sanctis Doctoribus ascripsit, quam nunquam ipsi vel à longè insinuarunt.

Nullo ergo modo sic per hanc anticipationem futura priùs coexistunt æternitati, quàm sint in tempore suo, nec ideo habitura sunt esse in tempore, quia sic illud priùs habuerunt in æternitate; sed potiùs è contra dicendum est, quòd quia futura habitura sunt esse in tempore; ideo illud habent coexistens æternitati. Probatur hoc etiam brevissima quadam ratione: æternitas, ut diximus, ideo continet futura sibi coexistentia, quia ambit omne tempus futurum, & ea quæ in ipso sunt: ergo quia futura habitura sunt esse in tempore futuro, quod continetur ab æternitate, ideo ipsa futura æternitati coexistunt: ergo nisi priùs intelligantur futura habitura esse in tempore futuro contento sub æternitate, non possunt intelligi futura coexistere æternitati. Quod vel hoc simili aperitur; sicut enim corpus non priùs est in loco communi, quàm in loco proprio; neque enim ideo est in proprio loco, quia est in loco communi, sed è contra ideo est in loco communi, quia est in loco proprio; ita futura non sunt in tempore suo proprio, quia priùs sunt in æternitate quæ est duratio communis, sed potiùs ideo sunt in æternitate, quia sunt in tempore suo. Aliud inconveniens infert Molina ex tali impossibili modo coexistendi futura in æternitate; quòd videlicet tolleretur eorum libertas, ut à principio præcedentis capitis relatum est, de qua illatione non multùm cum illo laborandum est. Cum enim ex impossibili sequatur quodlibet, ut dici solet, quid mirum si ex illa impossibili coexistentia futurorum in æternitate, sicut sequitur quòd bis res essent extra suas causas productæ, ita sequatur tolli futurorum contingentiam atque libertatem.

Præterea: si sic essent futura in æternitate per anticipationem, ipsa futura mensurarentur æternitate sicut adæquata mensura: hoc autem manifestam implicat contradictionem: ergo id dici non potest. Sequela probatur, quia tunc considerarentur æternitas, & tempus tanquam duæ mensuræ disparatæ in ratione mensurandi futura; ita quod unaquæque per seipsam seorsum esset mensura durationis ipsius futuri. Si autem æternitas sic mensuraret futura, esset illorum adæquata mensura.

Consultò diximus, non sic per anticipationem esse priùs res in æternitate; quia in alio sensu necessariò concedendum est (ut ostendemus inferius) futura priùs esse in æternitate quàm in tempore; in hoc videlicet, quod priùs sunt in æternitate præsentia, quam sint in tempore nostro nobis præsentia; ita quod optimè stat aliquid existere in æternitate, quod non existit in toto tempore, sed in ejus parte. Qua ratione æternitas & tempus se habent ut duæ subordinatæ mensuræ, de quo inferius commodiùs agemus.

Dicendum secundò. Nullo modo est necessaria hæc impossibilis coexistentia rerum per anticipationem, modò explicata atque rejecta, ut Deus certò cognoscat futura ut sibi in sua æternitate præsentia realiter. Hæc est contra Ludovicum Molinam qui in concord. disp. 59. §. *Moveor.* ubi expressè dicit quod ut ex rerum coexistentia in æternitate eas Deus certò cognosceret, oporteret quòd illæ per anticipationem priùs essent in æternitate coexistentes quàm in tempore suo. Et §. antecedenti premiserat, quod illa propositio, ex æternitate omnia coexistunt Deo in sensu à se præcedenti disputatione explicato (qui est verus sensus coexistendi futura in æternitate, sine hac priori anticipatione explicata & impugnata) nihil, ut credit, conducit, vel ad ostendendam certitudinem præscientiæ divinæ de futuris contingentibus, vel ad conciliandam contingentiam rerum cum divina præscientia. Probatur ergo adversus illum veritas prædicta: Sancti Patres, & S. Thomas (ut convincemus inferiùs) ex coexistentia rerum in æternitate docent & inferunt Deum certissimè cognoscere futura contingentia, ut sibi actualiter presentia; rectèque etiam in hoc capite concordant atque conciliant contingentiam & libertatem futurorum cum divina præscientia; sed absurdum est & stultum asserere Sanctos Patres, illam coexistentiam rerum ad æternitatem per illam anticipationem impossibilem constituisse ad certitudinem divinæ præscientiæ, & contingentiam rerum servandam: ergo illa impossibilis coexistentia per anticipationem prædictam ad certitudinem divinæ scientiæ, & contingentiam rerum servandam necessaria non est, nec ex illa impossibili positione veritas Catholica, quæ salvat rerum contingentiam & libertatem cum certitudine divinæ præscientiæ, oritur aut oriri potest. Minor est nota; & major copiosè & efficaciter à nobis infra sequenti capite ex doctrina Sanctorum Patrum probanda est. Unde existimare, vel S. Thomam, vel Boetium, vel alios Sanctos Patres infra inducendos illam anticipationem rerum ad æternitatem statuisse, ut certitudinem divinæ præscientiæ cum rerum contingentia assererent, vel est non minimam injuriam eis irrogare. Quare intollerabilia illa verba Molinæ sunt, ubi suprà, quibus ait. *Quod si Boetius, & D. Thomas cæterique, qui ex illo capite (existentia rerum videlicet in æternitate) affirmant Deum certò cognoscere futura contingentia hoc voluerunt, ingenuè*, inquit, *fateor me id non intelligere neque ulla ratione verum esse posse arbitror.* Hæc ille. Itaque si audire licet, unum è duobus, S. Thomæ, Boetio, & aliis S. Doctoribus ipse attribuit, vel illos posuisse ut necessariam illam rerum præsentiam per anticipationem in æternitate: vel si aliam rerum coexistentiam ipsi statuerunt, nulla ratione potuisse eos ex illo capite deducere certitudinem divinæ præscientiæ cum futurorum libertate & contingentia. Quorum vel unum vel alterum Sanctis Doctoribus ascribere magna irreverentia est.

Sed aperiamus modò, qua ratione prædictus author movetur ad asserendum ex vera rerum coexistentia ad æternitatem, sine illa impossibili anticipatione, non sequi certitudinem divinæ præscientiæ futurorum contingentium: maximè enim conducit penetrare ex quo fundamento ipse moveatur. Fundamentum itaque illius est, quod ipse in concordia multoties repetit, quòd videlicet Deus ab æterno non prædefinivit seu prædeterminavit immutabili suo decreto futura contingentia. Unde absque hac certa Dei determinatione, inquit, causæ liberæ & contingentes semper se habent ad utrumlibet æqualiter; ita quòd non sunt certò operaturæ, nec certum est illas, hoc vel illud effecturas; & sic infert, quòd quia certò illa futura non sunt, nec certò ab æternitate continentur: & ex consequenti quòd nec certò à Deo sciri possunt ex hoc capite coexistentiæ in æternitate.

Verùm in hac illatione, atque ratione duplici via valde deficit prædictus author. Primò, quia licet ipse malè neget divinæ voluntatis prædefinitiones circa futura contingentia; ponatque proinde incerta esse futura talia, & inferat ex isto capite incertitudinem præscientiæ divinæ, advertere tamen debebat totum oppositum firmissimè atque constantissimè Sanctum Thomam, Boetium, & Doctores alios

alios docere, qui (ut late in superioribus manet probatum) semper tradiderunt divinæ voluntatis prædefinitionem ab æterno omnia futura contingentia & libera verè prædeterminantem; ex quo certo principio, & apud illos tritissimo, certò futura contingentia & libera ponuntur; certòque coexistentia æternitati. Unde ex isto capite certa, imò certissima ponitur ab eis divina præscientia intuens ea, ut sibi in sua æternitate præsentia. Et sic apparet sine ratione, & fundamento inferre illum authorem, ex isto capite coexistentiæ rerum in æternitate non inferri certitudinem præscientiæ divinæ à Sanctis Doctoribus. Si ipse diceret, quòd ex isto capite secundùm quod à se malè constituitur, id sequatur, forsan aliquam aparentiam haberet illius assertum; cæterum id inferre ex vera coexistentia rerum in æternitate, secundùm quod à Sancto Thoma, Boetio & doctoribus aliis rectè constituitur, frivola omnino illatio est.

Fallitur secundò etiam in sua propria sententia, juxta quam minus consequenter loquitur. Cum enim ipse teneat quòd absque divinæ voluntatis efficaci prædeterminatione futura libera & contingentia, quamvis non certò, tamen ipsa futura sunt, sive ista sive illa ponantur futura; manifestè sequitur quòd illa, postquam extra suas causas producta ponuntur, quomodolibet à suis causis certò, vel incertò producantur, quòd jam per suas existentias in tempore certò erunt, certò in se ipsis jam producta existent, licet incertitudinem in suis causis haberent; ac proinde æternitas quæ ambit futurum tempus, & quæ in ipso erunt existentia, ea certò comprehendet, & ex consequenti divina cognitio ea certò cognoscet ut sibi coexistentia in sua æternitate presentia. Itaque aliud judicium in hujus authoris sententia formandum est de causis contingentibus & liberis, & de futuris prout in illis continentur; ac de futuris jam extra causas suas productis. Licet enim & causæ tales, & effectus earum æternitati coexistant; diverso modo tamen coexistunt quoad certitudinem ipsorum futurorum contingentium. Quia causæ indifferentes cum indifferentia ad utrumlibet coexistunt æternitati, ac proinde in causis sic indifferentibus & indeterminatis coexistentibus æternitati, non poterit divina cognitio illas causas intuens habere in illis certitudinem de futuris contingentibus (ut sæpius dictum est.) Verum, quia etiam æternitas comprehendit non solùm causas illas, sed etiam earum effectus pro ut sunt extra illas, & effectus in se ipsis determinati sunt: cognitio illos sic in se ipsis determinatos intuetur ut præsentes sibi in æternitate; & sic certissimam habet de illis intuitivam scientiam. Quare etiam secundum hujus authoris doctrinam ex hoc capite coexistentiæ rerum in æternitate sequitur certitudo divinæ cognitionis de futuris contingentibus, & liberis; quòd cum ipse negat minus consequenter ad sua fundamenta procedit.

Diximus (secundum hujus authoris sententiam qui admittit sine divina prædefinitione aliqua posse esse futura.) Quia secundum rei veritatem, quam in superioribus disputantes contra mediam scientiam, ut credimus, satis notam dedimus; efficaciter probavimus quòd sine divina voluntate prædeficiente, sive prædeterminante quòd aliqua futura sint, vel permittente quod fiant si mala sunt, nulla possunt esse futura (quia nec causæ secundæ aliquid efficere possunt, sine Dei voluntate volente vel permittante quod sit) unde verum est, convinci prædictum authorem, quòd nullum admittat verè futurũ; & ex consequenti quod futura sicut in se numquam existunt, secundum illius principia; ita numquam æternitati coexistent. Tria ergo in summa colligamus. Primum illam coexistentiam per priorem anticipationem in æternitate à principio hujus capitis declaratam impossibilem esse, ac proinde ex illa non posse oriri certitudinem divinæ præscientiæ circa contingentia futura. Secundum ex vera coexistentia futurorum ad æternitatem (quam S. Thomas & Sancti Patres docent, quam & infra explicaturi sumus) verè certitudinem divinæ scientiæ oriri, vereque Deum illa intuitivè videre, ut sibi existenter presentia. Tertium est ex alia coexistentia futurorum ad æternitatem, quam Ludovicus Molina constituit, quæ & manet explicata, nec oriri certitudinem divinæ scientiæ circa ipsa contingentia futura: nec revera illa poni verè futura, seu verè in tempore futura existentia, ac per consequens nec coexistentia æternitati.

Dicendum est tertiò coexistentia futurorum ad æternitatem non est desumenda formaliter loquendo ex ratione entis per essentiam, nec ex eminentiali continentia qua omne ens per participationem continetur in ente per essentiam; licet id asserat quidam S. Thomæ discipulus aliàs doctus. Probatur, quia S. Thomas infra citandus, & alij Sancti Patres qui coexistentiam futurorum ad æternitatem nobis tradiderunt, numquam ex hac eminentiali continentia entis per essentiam eam explicarunt, sed ex propria potiùs ratione æternitatis, quæ est infinita quædam duratio tota simul, ambiens omne tempus præteritum præsens, & futurum: ergo ex hac propria æternitatis ratione desumenda est, & non ex rationibus aliis nostro intelligendi modo antecedentibus & fundantibus ipsam æternitatem. Dixi, fundantibus, quia revera primum fundamentum æternitatis est esse ens per essentiam, quod æternitate sicut propria & adæquata duratione durare debet; sed tantum est primum fundamentum, & nostro modo intelligendi remotum, quia proximum est immutabilitas, ad quam nostro intelligendi modo proximè æternitas sequitur. Non solum ergo ens per essentiam, vel eminentialis ejus continentia, est propria ratio ob quam futura æternitati coexistunt; verùm nec immutabilitas propria ratio est coexistentiæ illorum, sed sola propria ratio æternitatis ab utroque ratione distincta. Unde si per impossibile daretur infinita quædam duratio tota simul & induisibilis, sine eo quod esset ens per essentiam imò sine eo quod esset immutabilis, talis esset æternitas, & verè ambiret omne tempus etiam futurum, eique proinde ea, quæ in tempore futuro haberent esse, coexisterent.

Præterea illa ratio continentiæ eminentialis, etiam possibilia continet, quæ tamen æternitati non coexistunt: non ergo ex illa eminentiali continentia sumetur coexistentia rerum ad æternitatem. Quod si dicatur esse eminentialem continentiam, liberam videlicet respectu productorum vel producendorum; nec satisfacit. Primò quia hæc libera continentia eminentialis, est continentia causans, vel conservans res, vel utrumque simul; ab ente enim per essentiam pendet omne ens per participationem, sicut à primo causante seu producente, & à conservante. Ad istam autem salvandam continentiam, sufficit quod res contineantur, cum actu producuntur, & conservantur; non antequam efficiantur. Unde ex isto capite futura non coexisterent illi enti per se sic eminenter res continenti quod velim omnes advertant. Et præterea, quia hæc libera continentia eminentialis præsupponit nostro modo intelligendi illarum rerum liberam productionem: quia enim res à Deo est producta, ideo ab ipso eminentiali continentia libera continetur: futura autem coexistunt æternitati antequam intelligantur fieri seu produci, ex hoc solùm quod sunt in tempore futuro producenda.

Tandem

Digitized by Google

Tandem æternitati pariter & eodem modo coëxistunt futura bona, ac peccata; at illi eminentiali continentiæ non sic, quia ab illa peccata nec fiunt, nec conservantur: ergo non ex isto capite cõtinentiæ eminentialis, sed ex vera ratione æternitatis omnia futura sive bona, sive mala ei æqualiter coëxistunt. Et ratio est: quia æternitatis non habet rationem causæ producentis, seu efficientis illa: sed tantum continentis ea sicut infinita & suprema duratio comprehendens omne tempus, & omnia quæ in ipso facienda sunt.

Dicendum quartò futura non coëxistunt æternitati secundum aliquod esse cognitum, vel secundùm aliquam objectivam præsentiam; sed secundùm suas proprias & reales existentias quas habitura sunt in futuro tempore; ex eo quod æternitas secundùm suam propriam rationem est infinita quædam duratio indivisibilis, ac tota simul; simul propterea, & in actu comprehendens omnes alias inferiores quascunque mensuras, æviternas, & temporaneas, & omnes differentias temporis, præsentis, præteriti, atque futuri.

CAPUT XVIII.

Ex Sanctis Patribus ostenditur omnia, præsentia, præterita, & futura secundum suas reales existentias æternitati coëxistere.

NULLUS qui in Sanctorum Patrum lectione fuerit versatus dubitare poterit illorum esse firmam, perpetuamque doctrinam omnia, præterita, præsentia & futura secundùm suas reales existentias (quas in tempore habuerunt, habent, aut habebunt) simul æternitati coëxistere sicut supremæ & infinitæ durationi omnia illa actualiter comprehendenti, & continenti. Itaque Sanctorum Patrum constans doctrina est, quod omnia quæ in tempore successivè fiunt, in æternitate sunt simul secundum illud idem esse, quo in tempore præterito fuerunt, in præsenti sunt, & in futuro erunt. Cum enim æternitas sit secundum se indivisibilis, & tota simul unitè habens latitudinem durativam infinitam, per eam coëxistit & correspondet tota toti tempori nostro, præterito, præsenti, & futuro, & tota singulis partibus, diferentiis, & punctis illius: non secus ac humanus animus totus est in toto corpore humano, & totus in qualibet parte illius; & sicut divina essentia tota est in universo orbe, & tota in qualibet illius parte: ac sicut Sacratissimum Christi corpus totum est in tota hostia consecrata, & totum in qualibet ejus parte minima.

Hanc sententiam docet Sanctus Hieronymus, in prioribus commentariis in Epist. ad Ephes. ad illud: *Sicut elegit nos in ipso.* Sanctus Ambrosius, lib. de fide cap. 7. & super primam ad Corinth. ad cap. 15. S. Hilarius de Trinitate, S. P. Augustinus lib. 1. confes. cap. 18. & lib. 10. de Trinit. cap. 12. & lib. 11. c. 21. & lib. de prædest. Sanct. cap. 5. lib. 2. ad Simplic. quæst. 2. Serm. 11. de verbis Apostoli. Super Psalm. 40. ad illum versum. *Et pulchritudo agri mecum est.* Et super illud ad Ephes. cap. 2. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Sanctus Gregorius lib. 20. moral. cap. 23. & libro 12. cap. 1. ad illa verba, *numerus mensium ejus apud te est.* Item libro 2. cap. 2. & libro 4. cap. 32. & 38. & lib. 9. cap. 25. S. Anselmus opusc. de Concordia libtri arbitrij & prædest. cap. 7. de casu diaboli cap. ultimo. lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 18. S. Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 34. Fulgent. de fide ad Petrum cap. 33. Sanctus Bernardus serm. 80. in Cantica, Cyrillus lib. 5. Thesauri cap. ultimo Theodoretus ad Psalm. 138. in illa verba. *Intellexisti cogitationes meas de longè.* S. Isidorus Hispalensis lib. 1. de summo bono cap. 16. & de universitatis dispositione cap. 1. Hugo de Sancto Victore in summa tract. 1. cap. 12. Abulensis & glosa super 3. cap. Isaïæ. Ex Scholasticis antiquioribus Magister sent. in 1. dist. 38. Richardus dist. 38. Capreolus ibi. Cajet. prima par. quæst. 14. art. 13. Ferrar. primo contra gent. cap. 66. Conrad. 1. 2. & omnes alij antiquiores Sancti Thomæ discipuli (illis paucis supra relatis exceptis) cum ipso Doctore Sancto in primo dist. 38. quæst. unica art. 3. de verit. quæst. 2. art. 12. primo contra gent. cap. 66. 1. p. quæst. 14. art. 13. & quæst. 57. art. 2. & 3. 2. 2. quæst. 71. art. 6. & alibi sæpe. Imò Seneca lib. naturalium quæstionum cap. 36. omnia Deo esse præsentia in æternitate sua tradidit satis clarè; sic enim dicit. *Sapientes quoque viri negatis sententiam posse mutari, quanto magis Dei. Cum sapiens quid sit opportunum in præsentia sciat, illius divinitati omne præsens sit.* Ubi de reali coëxistentia & non tantùm objectiva sermo videtur: quia sapiens id quod sibi est realiter præsens scit an opportunum sit nec ne: nam scire non potest id quod realiter est futurum.

Quorum omnium Sanctorum Patrum & Doctorum pari consensu una sententia est, quod Deo nihil est futurum, ex eo quod ejus æternitas ambit omne tempus præsens, præteritum, & futurum; & omnia quæ in quolibet tempore fiunt. Et ex hoc inferunt quod Deus certò omnia futura etiam contingentia cognoscit, quia illa sunt sibi in sua æternitate præsentia.

Hæc autem Sanctorum dicta velle de objectiva præsentia non de reali secundum proprias existentias explicare, nihil est aliud quàm vel ad illorum verba non attendere, vel prætextu explicationis eis contradicere. Cum enim certam cognitionem futurorum Deo ex eo tribuant, quòd intuetur ea sibi in sua æternitate præsentia, clariùs docent illa futura in æternitate secundùm seipsa esse, & propterea sic à Deo ut sibi præsentia videri. Ad quid enim ad hoc introducerent futura esse præsentia Deo in æternitate, si non loquerentur de reali præsentia futurorum secundùm suas existentias? An æternitas continet futura secundùm objectivam præsentiam, & non secundum realem earum existentiam?

Præterea: si Sancti Patres, cum dicunt ideo Deum certò futura cognoscere, quia illa sunt sibi in sua æternitate præsentia, loquerentur de objectiva præsentia, idem per idem inutiliter repeterent; dicerent enim ideo res à Deo certò cognosci, quia à Deo cognoscuntur. Cum enim esse aliquid objectivè præsens idem sit quod cognosci, fit, ut si ideo Deus futura cognoscit, quia illa sunt sibi objectivè præsentia, ideo Deus ea cognoscat, quia illa à Deo cognoscuntur. Imò si de hac objectiva præsentia loquerentur, nec possent rectè dicere ideo Deum certò futura cognoscere quia illa sunt sibi præsentia: non enim aliquid ideo scitur quia est objectivè præsens; quin potius è contra ideo est objectivè præsens, quia scitur. Cum cognitio rem faciat esse sibi in esse cognito objectivè præsentem. Similiter etiam si sermo esset de objectiva præsentia in actu primo, seu in ratione speciei impressæ, quæ est ante cognitionem, non possent loqui Sancti Patres de illa; quia hæc cum deberet esse certa, ut per illam Deus certam cognitionem haberet futurorum, non posset illa objectiva, quæ certa dicitur in seipsa ante decretum divinæ voluntatis: quia hæc ut probatum fuit supra, penitus impossibilis est. Unde vel deberet esse certa ex reali præsentia rerum in æternitate, & sic habetur intentum; vel ex sola determinatione divinæ voluntatis, & tunc non esset

Digitized by Google

recurrendum ad æternitatem, ſicut Sancti recurrunt: quia ex ſola certitudine illius abſque præſentia in æternitate certò futura cognoſcerentur. Cum ergo non fruſtra recurrant Sancti Doctores ad æternitatem, dicendum eſt eos apertè docere futura in æternitate eſſe ſecundùm reales ſuas exiſtentias, quas propterea Deus in ſua æternitate ut ſibi præſentia intuetur.

Et præterea, quia ſi Sancti Patres loquerentur de objectiva præſentia quæ habetur in determinatione divinæ voluntatis, cum in illa futura non ut præſentia, ſed ut futura habeantur, utpote exiſtentia in cauſa ſua, non dicerent quod Deus illa ut præſentia intuetur. Igitur manifeſtum eſt prædictam Sanctorum doctrinam non poſſe niſi de reali coëxiſtentia futurorum ad æternitatem intelligi.

Inſuper Sancti palam dicunt nihil eſſe Deo futurum; hoc autem verum nullo modo eſſet, ſi futura non eſſent Deo præſentia ſecundùm exiſtentias ſuas; ſed ſolùm ſecundum objectivam præſentiam: quia aliquid eſſe vel non eſſe futurum, non objectivam ſed realem rerum exiſtentiam reſpicere notum eſt. Unde ſi ſecundùm reales exiſtentias futura eſſent Deo futura, verè & abſolutè atque ſimpliciter Deo eſſent futura, & ſic falſum eſſet quod Sancti dicunt, nihil Deo eſſe futurum.

Deinde Sancti Patres ideo docent Deo omnia in ſua æternitate eſſe præſentia, quia æternitas ambit ſimul omne tempus, præteritum, præſens, ac futurum. Hæc autem ratio clariſſimè de præſentia reali ſecundùm rerum exiſtentias procedit: quia tempus præſens, præteritum, & futurum, quod æternitas ambit, verum & reale tempus eſt non objectivè cognitum. Et ſimiliter res quæ ſucceſſivè in qualibet differentia temporis producuntur, non ſecundùm objectivam præſentiam, ſed ſecundùm illorum veras exiſtentias producuntur.

In ſumma æternitas in qua Sancti docent futura Deo præſentia eſſe, non cognoſcitiva eſt (ut à principio hujus dicebamus) ſed infinita quædam indiviſibilis duratio tota ſimul realiter continens omnes alias reales durationes, & omnia quæ in illis fiunt: ergo Sancti ſic de æternitate loquuntur, cum dicunt omnia in æternitate Deo eſſe præſentia. Unde adæquata & completa ratio Sanctorum Patrum in hac parte eſt: quod omnia etiam futura, Deo ſunt in ſua æternitate præſentia: quia æternitati nihil eſt futurum: ex eo autem æternitati nihil eſt futurum, quia æternitas ambit omne tempus, quæ ratio, ut ex dictis patet, nullo modo poteſt retorqueri ad illam objectivam præſentiam, niſi literæ Sanctorum violentia aperta inferatur.

Ut autem iſta clarius appareant; quædam ex Sanctis Patribus ſuperiùs inductis, teſtimonia ſunt referenda, ut vel ipſa prima inſpectione appareat, verum eſſe quod dicimus. Et in primis Sanctiſſimus Pater & Magnus Doctor Auguſtinus libro 11. de Civitate Dei cap. 21. loquens de Deo ſic dicit: *Ille quippe non ex hoc in illud cogitatione mutata, ſed omnino incommutabiliter videt, ita ut illa quidem quæ temporaliter fiunt, & futura nondum ſint: & præſentia jam ſint: & præterita jam non ſint: ipſe verò hæc omnia ſtabili ac ſempiterna præſentia comprehendit.* Ubi eſt certum Sanctum Doctorem loqui de præſentia reali quam habet æternitas ad totum tempus ſecundùm veras exiſtentias, præſentium, præteritorum ac futurorum. Non enim aliter ſunt res præteritæ, præſentes atque futuræ & lib. 2. ad Simplic. quæſt. 2. inquit. *Quid eſt præſcientia niſi ſcientia futurorum. Quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempore? Si enim in ſcientia res ipſas habet, non ſunt futuræ, ſed præſentes; ac per hoc non jam præſcientia, ſed tantùm ſcientia dici poteſt; ſi autem ſicut in ordine temporalium, ita & apud Deum nondum ſunt, quæ futura ſunt, ſed ea prævenit ſciendo: bis ergo ea ſentit, uno quidem modo ſecundùm futurorum præſcientiam; altero modo ſecundùm præſentium ſcientiam: aliquid ergo accedit ſcientiæ Dei, quod abſurdiſſimum, & falſiſſimum eſt.* Quæ verba nec violenter trahi poſſunt ut de objectiva præſentia & non reali intelligantur. Primò, quia expreſsè dicit quod Deo nihil eſt futurum, qui ſupergreditur omne tempus, ubi futuritionem rerum quæ ſolùm eſt ſecundùm earum exiſtentias Deo negat. Secundò quia apertè docet, quod non ſic Deo futura ſunt, ſicut in ordine temporalium. Conſtat autem quod in ordine temporalium futura ſunt ſecundum reales exiſtentias. Tertiò quia docet quod ſi Deus cognoſceret illa ut futura cum non ſunt, & poſteà cum jam in tempore ſunt illa cognoſceret ut præſentia, jam per hoc quod res fierent in tempore præſenti aliquid accreſceret divinæ cognitioni quod eſt abſurdiſſimum. Nam primò illa cognoſceret ut futura, & poſtea cum jam exiſterent in tempore præſenti, ut præſentia. v. g. modo cognoſceret Deus Antichriſtum ut futurum realiter, & poſtea cum Antichriſtus produceetur ut præſens realiter; quod tamen falſiſſimum & abſurdiſſimum eſſe Sanctiſſimus Doctor affirmat.

Hoc teſtimonium quia ſibi videt valde contrarium cum tam manifeſtè rerum coëxiſtentias ad æternitatem ſtatuat; variè conatur Vaſquez ad ſuam objectivam præſentiam retorquere frivolis quibuſdam rationibus, quas propterea omittendas duximus, cum præcipuè efficaciter illas redarguat doctiſſimus Caſpar Ram profeſſor digniſſimus, & veræ & antiquæ doctrinæ defenſor zelantiſſimus, in ſuo perutili tractatu de divinis prædefinitionibus, in prima ſua relectione.

Videatur S. P. & Doctor Auguſtinus citato alio loco nimirum Serm. 2. de verbis Apoſtoli in explicatione illius Epheſ. 2. *elegit nos.* Ubi ita habet. *Non vanè elegit nos quos ab æterno habuit in ſua præſcientia, & in ſua præſentia.* Si dixiſſet ſolùm quos habuit in ſua præſcientia, poſſent utcumque illum interpretari de objectiva præſentia, quæ pertinet ad præſcientia. Cum autem ſuper addat non ſolùm Deum eos habere in ſuæ præſcientia, ſed etiam in præſentia ſua, quid aliud potuit per præſentiam additam ſupra præſcientiam ſignificare, niſi realem præſentiam per realem coëxiſtentiam.

Nec in re nota quantùm ad mentem S. P. Auguſtini oportet ampliùs immorari, vel in ipſo Doctore Sancto plura loca perpendere; ſed tantum ad unum quod ex ipſo opponi ſolet teſtimonium reſpondere. Opponitur namque quod 12. de Civit. Dei cap. 25. de Deo hæc verba ſtatuat; *Etſi potentiam ſuam fabricatoriam (ut ita dicam) rebus ſubtrahat, ita non erunt, ſicut antequam fierent, non fuerunt: ſed ante dico æternitate, non tempore.* Ergo cum res fuerunt in tempore, non fuerunt in æternitate ſecundum Sanctum Doctorem Auguſtinum.

Ad hoc dicendum primò S. P. Auguſtinum in relatis verbis tantùm docere, res antequam fierent non eſſe ab æterno, vel non eſſe æternas, vel non eſſe in æternitate, ſicut in propria & adæquata menſura. Quod ex fide ab omni catholico dicendum eſt. Ad probandum enim illas non eſſe æternas inducit, quòd ſi Deus illas non conſervaret, non eſſent; ſicut nec ab æterno fuerunt antequam fierent. Vel dicatur ſecundò & fortè magis ad mentem Doctoris Sancti, quod ſi Deus res non conſervaret in nihilum rediret, & ſic non erunt; ſicut antequam Deus determinaret illas fieri, nullo modo præſentes erant æternitati. Ita quod contraponit annihilationem (quam res haberent quod ſuum proprium eſt, nimirum eſſe nihil)

Digitized by Google

nihil) illi ſtatui, quem habebant antequam Deus decerneret illas fieri : in quo etiam nil erant, nec vel in tempore, vel in æternitate coëxiſtebant. Unde illud verbum (antequam fierent) non ſonat negationem executionis determinationis divinæ, quæ executio in initio temporis facta eſt ; ſed ſignificat negationem determinationis divinæ, de ipſis faciendis, & ſic veriſſima doctrina eſt, quæ in tali teſtimonio habetur, ſi tamen intelligatur.

Accedit ſecundò loco poſt Magiſtrum ſuum Sanctus Proſper doctrinæ illius egregius defenſor atque commentator, qui quam ex Magiſtro hauſerat doctrinam his verbis expoſuit libro 2. de vocat. gent. cap. 34. poſtquam enim ibi retulerat Semipelagianorum errorem contendentium fruſtra eſſe Sanctis hominibus laborandum nec orationibus inſiſtendum, ſi ex incommutabili propoſito Dei ante mundi conſtitutionem, ponantur electi. Statim ſub his verbis eis reſpondet. *Sed qui ſe ingeniosè hoc arbitrantur opponere, non intelligunt ſcientiam Dei, quæ & præterita, & futura amplectitur, tempore non teneri & tam in conſpectu ejus aſtare ea quæ gerenda ſunt quàm illa, quæ aut geruntur, aut geſta ſunt. Quod cum veriſſimum ſit, non indiget mora cernendi, aut diſcernendi illa virtus, quæ perpetuo vtroque intuitu, creata & creanda, orta & oritura, acta & agenda ſimul aſpicit ; & quidquid in univerſitate rerum per ſæcula præfinita evolvitur, ac multimodis varietatibus explicatur: id totum in eo jam ordine comprehendit, quem ex ipſius ſummo illo perfectoque judicio mundi hujus finis accipiet.* Mirum profectò eſſet ſi etiam hæc verba contenderet quis ad objectivam tantum præſcientiam trahi, & non de reali rerum coëxiſtentia Deo in æternitate intelligere, cum totum oppoſitum ipſa multipliciter oſtendant. Aſtare enim dicit divino conſpectui omnia præterita, præſentia, atque futura quæ tempore vario ſuccedunt. Quid eſt autem ea aſtare divino conſpectui, niſi ſtando ei coëxiſtere per ſuam realem præſentiam, qua Deo aſtare dicuntur ? Quod magis declarans præmiſerat cap. 33. *Nec cogitatio ejus (Dei ſcilicet) rerum mutabilium inæqualitate variatur ; ſed cuncta pariter tempora & temporalia ſempiterno ac ſtabili comprehendit intuitu, omnibus omnia retribuit, qui quæ ſunt futura jam fecit.* His verbis ceſſat penitus illa explicatio de objectiva præſentia, ſi enim Deus jam fecit quæ futura ſunt, fecit jam ſine dubio eorum exiſtentias, cum facere ad exiſtentias terminetur : nec enim magnis funibus poſſet ad objectivam præſentiam trahi.

Sed & illud attentiùs conſiderandum in Sancto Proſpero, quod Semipelagianis, quibus reſpondebat, attribuit quod ipſi non intelligerent, nec admitterent quod omnia præterita, & præſentia, atque futura Deo præſentia eſſentialiter in æternitate eſſent. Imò ex hujus ignorantia docet eos negare omnia electorum merita eſſe à Deo ante mundi conſtitutionem præfinita. Ad quod ſi multi his temporibus attendere voluiſſent, forſan non aſſererent ſe illud minus intelligere, ac proinde illud negare. Quam autem conſequutionem habeant cum divinis prædefinitionibus rerum exiſtentiæ in æternitate (quam Sanctus Proſper affirmat) non erit difficile penetrare ; ſi conſideremus, quod ſi Deus ab æterno certò ponatur res prædefinire, jam illæ certo futuræ ſunt ; & ex conſequenti æternitas quæ ambit omne tempus, etiam futurum, etiam ea quæ in ipſo futura ſunt comprehendere debet, ut ſibi coëxiſtentia : ſi autem Deus ſic certò res ab æterno non præfinit, nec illa certò futura ſunt ; unde nec certò coëxiſtent æternitati ; & per conſequens poſitio unius infert poſitionem alterius, & negatio unius negationem alterius. Et propterea Sanctus Proſper dicit, quod ex eo quod ignorant ſeu negant hanc futurorum coëxiſtentiam in æternitate, negant & eorum ab æterno prædefinitionem ; vel ex eo quod prædefinitiones inficiantur, conſequenter procedunt negantes rerum futurarum coëxiſtentias in æternitate. Hanc conſequutionem doctrinæ ex S. Proſpero iterum dicimus advertendam.

Eandem doctrinam aſſeruit diſcipulus alius S. P. Auguſtini D. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 33. dicens : *firmiſſimè tene, & nullatenus dubites Deo immutabili non ſolùm præterita & præſentia, ſed etiam futura omnia incommutabiliter eſſe notiſſima.* Quomodo autem futura incommutabiliter Deo notiſſima dicat alibi expoſuit lib. 1. c. 12. de præd. ad Monimũ, dicens : *Vera igitur immutabilitas dignè vera vocatur æternitas ; in qua æternitate incommutabilis voluntatis ſuæ creator ille jam feciſſe dicitur, quod in creatura mutabili prout opportunè faciendum diſpoſuit, ſic rectè diſpoſitum facit.* Igitur quod in tempore Deus rectè facit jam fuiſſe dicitur in æternitate. Quod ut ex Sancto Proſpero dictum eſt modo ad objectivam præſcientiam trahi non poteſt.

Idem docuit alius diſcipulus Sancti Doctoris Auguſtini, D. Anſelmus citato opuſc. de concordia liberi arbitrij, & prædeſtin. cap. 1. ubi hæc habet : *Siquidem quemadmodum præſens tempus continet omnem locum, & quæ in omni loco ſunt ; ita æterno præſenti ſimul clauditur omne tempus, & quæ ſunt in quolibet tempore.* Omnia hic, tam in exemplo, quàm in eo quod per exemplum intenditur, realia proponuntur & ſecundùm reales exiſtentias apertiſſimè explicantur : præſens enim tempus reale quid eſt, locus qui ab eo continetur realis eſt, omnia quæ in loco ſunt ſecundùm reales exiſtentias in loco ſunt : parique ratione æternum præſens reale, omne tempus quod ab eo clauditur reale eſt, & quæ in tempore ſunt ſecundùm ſuas reales exiſtentias, & in tempore ſunt, & ab æterno continentur. Impoſſibile eſt enim hîc intromittere objectivam illam præſentiam, cum nec verbum aliquod reperiatur, quod vel à longe eam inſinuare valeat.

Similiter S. Ambroſius primo de fide cap. 7. inquit : *Deo enim, quæ ſunt futura, præſentia ſunt ; & ei cui præcognita ſunt omnia ventura, præſentia ſunt, ſicut ſcriptum eſt, qui fecit quæ ventura ſunt. Iſai. 45.* Nec obſtat quod præmiſit ibi, illa futura eſſe *quaſi* præſentia ; nam tunc loquebatur de Scriptura quæ ſolet vocare futura nobis, quaſi præſentia & præterita nobis, propter maximam illorum futurorum certitudinem quod ibi ex Scriptura probat. Cæterùm paulò poſt, inductis modo verbis loquens de Deo, non adhibuit illud verbum *quaſi* nec dixit futura illi eſſe *quaſi* præſentia, ſed abſolutè dixit ea eſſe præſentia, & jam ab eo facta. Id ipſum clariùs habet ſuper primam Epiſtolam ad Corinth. cap. 15. ad illa verba. *Tradidi enim vobis in primis*, ubi ſic dicit : *Apud Deum, qui omnium præſcius eſt, nihil futurum eſt : ideo ſic dicit, quod futurum eſt nobis, quaſi factum ſit.* Per quæ verba apparet genuinam eſſe explicationem ſupra à nobis inductam circa illud verbum *quaſi*. Et continuò addit : *Quia enim aliter non fiet quam ſcit Deus factum dicitur, nobis enim fit, non Deo, quia apud Deum nihil eſt quod futurum dicatur.*

Magnum etiam Gregorium eandem rerum coëxiſtentiam ad æternitatem apertiùs docuiſſe, manifeſtum ex illius propriis verbis dedimus ſupra, illam tractantes quæſtionem, an in Deo affirmanda præſcientia ſit, quæ in ſuo conceptu futura ſecundum eorum reales exiſtentias reſpiciat, an verò ſcientia dicenda ſit præſentium, ſecundum nempe eaſdem præſentes reales exiſtentias ; dum enim ibi oſtendimus ipſum negare in Deo præſcientiam futurorum, & aſtruere

Digitized by Google

scientiam præsentium clariùs apparet ipsum rerum omnium veras reales existentias ad æternitatem statuisse.

Sanctus Bernardus etiam serm. 80. in Cantica loquens de natura increata sic dicit : *Tempora sub ea transeunt non ei ; futura non expectat ; præterita non recogitat, præsentia non experitur.* Et tamen secundùm illam objectivam præscientiam profecto futura expectaret, ut est manifestum.

Aliorum autem Sanctorum Patrum, & Doctorum qui inducti sunt minus necesse est singula verba transcribere, cum potissimè eadem in substantia dicant cum modò relatis; sed locum quendam tantum S. Hieronymi, qui siniſtre de objectiva præsentia ab aliquibus exponitur, oportet in vera intelligentia explanare. Habetur hoc testimonium ex illo ad Ephes. 2. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, sub his verbis : *quod electos nos ante fabricam mundi testatus est, ad præscientiam Dei pertinet, cui omnia futura jam facta sunt, & antequam fiant, universa sunt nota.* Et in posterioribus commentariis ad eundem locum iterum ait ; *Quia nihil novum est ei, apud quem omnia erant antequam fierent.* Si S. Hieronymus tantùm dixisset, quod universa sunt nota Deo antequam fierent, possent ei tribuere illam objectivam præsentiam, qui eam in his materiis introducunt; at postquam S. Doctor ait semel & iterum quod Deo omnino futura antequam fiant, jam facta sunt, contra propriam literam de objectiva illa præsentia ipsum interpretantur; quia esse facta jam Deo futura, veram efficientiam eorum secundùm suas actuales existentias importat, ut sæpius inductum est.

Nec tamen ex hoc testimonio ad aliud extremum est inclinandum, asserendo priusquam futura sint in sua propria mensura temporis, quasi per anticipationem in æternitate esse facta. Hoc enim ita absurdum & falsum esset, & contra Sancti Hieronymi intentionem, & mentem; ac illâ objectivam præsentiam ei adscribere. Utrumque enim extremum vitandum est, & medium verum eligendum, dicendo futura in hoc sensu facta esse jam Deo, antequam nobis præsentia sint, quia Deo secundum seipsa, & suas existentias sunt præsentia, ex eo quod æternitas (ut dictum est) continet sibi tempus futurum nobis, jam præsens sibi cum omnibus rebus quæ in illo realiter sunt. Nec erat adeo difficilè sic verè Sanctum Hieronymum intelligere & exponere, & non prætextu evitandi illam anticipationem rerum in æternitate ad objectivam præsentiam confugere in illius loci explicatione, sicut fecit Ludovicus Molina in Concord. disput. 49. §. *Illud insuper*, Quasi præter utrumque illum modum impossibilem & extremum, non esset alius verus modus quem Sanctus Hieronymus cum aliis Sanctis Patribus intenderet, atque doceret.

CAPUT XIX.

S. Thomæ testimoniis, ac veris rationibus probatur vera coëxistentia rerum etiam futurarum ad æternitatem.

Quod si in Sanctis Patribus supradicta veritas est manifesta, multò clariùs & apertiùs eam tradit & explicat S. Thomas in plurimis suæ doctrinæ locis. In primo distinct. 38. quæst. unica artic. 5. quæst. 16. de malo artic. 7. de verit. quæst. 2. artic. 12. primo contra gent. cap. 66. 1. par. quæst. 14. artic. 13. & quæst. 57. artic. 2. & 3. 2. 2. quæst. 171. artic. 6. & alibi frequentissimè, quibus in locis adeò manifestè docet & explicat rerum omnium præteritarum, præsentium, & futurarum coëxistentiam tecum ad æternitatem (ex eo quod æternitas ob sui infinitam durationem quam habet totam simul, realiter continet tempus omne præsens, præteritum, & futurum) ut post relatos authores qui id negant, Diotallevius opusc. 2. cap. 6. qui illorum doctrinæ mordicus adhæret in aliis quæ his temporibus controverturtur, in hac tamen parte planè ab eis recedit; videns namque luce clariorem esse doctrinam Sancti Doctoris ita dicit in §. *dico primo. Dico primo Thomistæ omnes fateri omnino debent futura contingentia absoluta, non aliter à Deo certò cognosci, nisi quatenus ipse ab æterno illa intuetur, ut actu in seipsis existentia in certa differentia temporis, & quatenus æternitati præsentia sunt. Patet*, inquit, *ex testimoniis Sancti Thomæ, Thomistarum omnium antiquiorum, atque aliorum etiam authorum, quæ attulimus initio cap. 2. illa enim hoc evidentissimè probare videntur.* Hæc ille. Et in §. *secundo dico*, iterum sic habet : *Dico secundo Theologi omnes opinionem Sancti Thomæ, vt ego quidam arbitror, verissimam in proposito amplecti necessario debent, sin minus quatenus excludit alios modos, quibus Deus certò præsciat futura contingentia absoluta, saltem quatenus includit modum illum à Sancto Thoma approbatum; hoc est quatenus Deo tribuit ab æterno clarissimum & certissimum intuitum illius esse actualis, quod res in tempore acquirit dum producitur extra causas ; ita ut Deus rem ut existentem ac præsentem videat, non solùm cum de facto existit, sed etiam tota æternitate antea, quia intuitus divinus, qui in temporalem rei existentiam fertur, ab æterno existit.* Dodè proculdubio dicit quod Theologi omnes hanc S. Tho. opinionem verissimam vt credit necessario amplecti debent ; quia opposita contra veram rationem æternitatis procedit: nec veram illius rationem apprehendit.

Ut autem notissimum reddatur hanc esse patentissimam Sancti Thomæ veramque doctrinam in illius testimoniis inductis, aliqua expendere necessarium putamus, & primo illud quod in primo sent. habetur distinct. 38. artic. 5. ad 3. *Ideo dicitur*, inquit, *quod in se consideratum*, (nempe futurum) *est contingens; sed relatum ad Dei cognitionem est necessarium, quia ad ipsam non refertur nisi secundùm quod est in esse actuali, & ideo simile est sicut si ego videam sortem præsentialiter currere, quod quidem in se est contingens, sed relatum ad visum meum est necessarium.* Ubi hic objectiva illa præsentialitas, quæ tantùm in esse cognito intromittitur ? An potuit etiam si ex professo illam vellet rejicere, clarioribus verbis eam excludere, quàm dicendo quod futurum relatum ad Dei cognitionem refertur secundum quod est in esse actuali, & propterea non habere respectu Dei contingentiam, sed præsentialitatem ? Absque dubio contingentiam haberet respectu Dei cognitionis, si secundum esse actuale existentiæ ei futurum esset, quantumvis ei objectivè præsens esset; imò addit ita Deum illud videre præsens sicut ego præsentialiter video Sortem currere. Quid clariùs, vel quid apertius potuit proponere pro coëxistentia rerum in æternitate? Et solutione ad quartum idem confirmans ait : *quod res non subjacet divinæ cognitioni nisi dum est, quia dum est, necesse est esse*, Quod magis exponens magisque declarans solut. ad 6. inquit quod res non attingitur à divina cognitione, *nisi prout in esse actuali suo præsentialiter considerata*, Ecce actuale esse, non quomodolibet, non objectivum, non cognitum, sed proprium esse suum, in suo quippe actuali esse est præsens Deo. Esse autem actuale suum nequit aliud intelligi nisi esse suæ existentiæ vt est apertissimum.

Dices in hoc testimonio manifestè S. Thomas ne-

gat

Digitized by Google

git respectu divinæ cognitionis omnem alium modum cognoscendi futura præter illum de coëxistentia in æternitate: quod tamen est contra id quod supra diximus. Idem potest objici ex q. 2. de verit. art. 12. quæst. 16. de malo art. 7. in quibus omnem alium modum cognoscendi præter prædictum negare videtur in Deo.

Ad quod tamen respondetur, & quidem ad illud ex 1. sent. mutasse S. Thomam sententiam 1. p. q. 14. art. 13. (ut ex ipsa littera monstratum est supra.) Ad alia autem duo testimonia ex quæstionibus disputatis allata dicendum in eis negare S. Thomam, Deum cognoscere futura contingentia secundùm quod futura sunt ad utrumlibet, certò in causis suis indeterminatis; non verò negare illa futura contingentia cognosci certò à Deo ut certò futura in causis jam determinatis ad illa futura certò producenda quoad alteram partem determinatè, potissimè in sua divina voluntate volente determinatè tale futurum producere quoad unam partem determinatam. Et quod ista sit mens & sententia S. Thomæ in illis locis constat satis ex illo art. 7. ex q. 16. de malo in contrarium oppositio in quo hanc doctrinam non obscurè tradit.

Secundò loco expendantur alia Sanctus Doctoris verba, quæ habentur q. 16. de malo artic. cit. *Unde impossibile est*, inquit, *quod aliqua futura cognoscat in seipsis, sed hoc est proprium solius Dei, cujus cognitio est elevata supra totum ordinem temporis; ita quod nulla pars temporis comparatur ad operationem divinam sub ratione præteriti, vel futuri, sed totus decursus temporis, & ea quæ per totum tempus aguntur, præsentialiter & conformiter ejus aspectui subduntur. Et ejus simplex intuitus super omnia simul fertur, prout unumquodque est in suo tempore.* Ex hoc planè testimonio multipliciter realis coëxistentia futurorum adstruitur, & illa prætensa objectiva præsentialitas refellitur. Primò, quia dicitur Deum cognoscere futura in seipsis, & ea cognoscere in suis propriis existentiis. Secundò quia dicitur, quod nulla pars temporis comparatur ad operationem divinam sub ratione præteriti, vel futuri; verè autem compararetur ad ipsam sub ratione futuri, si secundum realem existentiam ei futura esset, quia futurum realem existentiam respicit. Tertiò, quia dicitur quod ea quæ per totum tempus aguntur, præsentialiter ejus aspectui subduntur; aguntur autem per tempus secundum suas reales existentias: ergo secundùm has præsentialiter subduntur divino conspectui. Quartò & ultimò, quia dicitur quod simplex divinus intuitus fertur in omnia prout unumquodque est in suo tempore, in quo est secundùm existentiam suam unumquodlibet; illa enim specificatio, seu reduplicatio (*prout unumquodque est in suo tempore*) penitus explicationi illorum contradicit, qui de objectiva tantùm præsentialitate hæc testimonia S. Thomæ explicare laborant.

Tertiò loco expendenda sunt verba alia ejusdem Doctoris Sancti ex q. 2. de verit. art. 12. quæ hujusmodi sunt. *Aliquid cognoscitur ut futurum quando inter cognitionem cognoscentis & rei eventum invenitur ordo præteriti ad futurum. Hic autem ordo non potest inveniri inter cognitionem divinam, & quamcumque rem contingentem, sed semper ordo divinæ cognitionis ad rem quamcumque est sicut ordo præsentis ad præsens.* Ubi unum apertè negat, & aliud expresè concedit. Negant quidem inter divinam cognitionem & rem cognitam esse ordinem præteriti ad futurum; concedit autem semper esse ordinem præsentis ad præsens. Utrumque autem falsum esset si tantùm res existeret objectivè præsens, & secundum suam realem existentiam esset absens vel futura, quia tunc jam verè & propriè esset ordo præteriti ad rem verè futuram cum ratio propria rei futuræ attendatur secundùm futuram existentiam, parique ratione nec esset ordo præsentis ad præsens, sed potius ad futurum ratione facta. Præterea clariora illa verba sunt, *quod tunc cognoscitur aliquid ut futurum, quando inter cognitionem cognoscentis & rei eventum est ordo præteriti ad futurum*; rei autem eventus intelligi non potest nisi secundùm realem existentiam rei, secundùm quam solùm res evenire potest, & hunc rei ad futurum eventum, cognoscendi modum patentissime Deo negat, asserendo quod rei eventus semper est Deo præsens: Item nullo modo potest procedere prædicta S. Thomæ ratio de objectiva præsentia, & non de reali coëxistentia; quia tunc major propositio quæ est fundamentum præfatæ rationis manifestè esset falsa, quia rem esse objectivè præsentem in esse cognito, nunquam potest dicere ordinem futuri ad præteritum; quia semper ab intrinseco dicit ordinem præsentis objectivè cogniti, ad præsentem cognoscentem. Insuper ibi solutione ad secundum. *Magis*, inquit, *est dicendum si Deus scit aliquid illud est, quàm hoc erit. Unde idem est judicium de ista, si Deus scit aliquid, hoc est; & de hac si ego video Socratem currere, Socrates currit, quorum utrumque est necessarium.* Si idem judicium est de utraque consequentia, & in hac ultima quæ procedit de visione Socratis currentis, nullus poterit eam exponere nisi de visione terminata immediatè ad propriam Socratis existentiam; manifestum est etiam quod nec aliam primam explicare poterit nisi de Dei uisione terminata immediatè ad realem existentiam rei sibi præsentis.

Idem asserit 1. contra gent. cap. 66. rat. 6. ubi probans quod etiam ea quæ non sunt, cognoscit Deus tanquam præsentia, ait: *quia quidquid in quacumque parte temporis est, coëxistit æterno quasi præsens eidem; etsi alterius partis temporis sit præteritum, vel futurum.* Hìc omnino omnis explicatio de præsentialitate objectiva præcluditur, dum coëxistētia præsens nominatur.

Tandem (ut plura alia ob brevitatem omittantur) 1. p. q. 14. art. 9. clariùs ait. *Quædam enim licet non sint nunc actu, tamen vel fuerunt, vel erunt, & omnia ista dicitur Deus scire scientia visionis; quia cum intelligere Dei, quod est suum esse, æternitate mensuretur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit; præsens intuitus Dei fertur in totum tēpus, & in omnia quæ sunt in quocumque tempore sicut in subjecta sibi præsentialiter.* Ea quæ nobis futura sunt, dicit Deo in sua æternitate præsentia, & ut talia ab ipso scientia visionis cognosci. Certum est autem ad scientiam visionis non sufficere cognitorum præsentiam in esse tantum objectivo, sed necessariam esse coëxistentiam in esse reali: igitur de hac reali coëxistentia S. Thom. loquitur tum in hoc loco, tum in aliis jam inductis, conformiter ad Sanctorum Patrum sententiam superiùs allatam, quam & apertiùs tradit efficaciusque confirmat.

Unde cavendus Marsilius est, qui ut à principio disputationis hujus retulimus, asserit sentētiam defendentem res omnes Deo in sua æternitate secundùm suas reales existentias esse præsentes, à multis doctoribus notatam fuisse Parisiis, quam falsò ascribebant S. Tho. Ex dictis enim constat non falsò S. Tho. ascribi, sed ipsissimam esse S. Tho. verissimamque sententiam; nec Parisiis vel alibi nisi ab ignorantibus propriam rationem æternitatis, & doctrinam SS. Patrum notari potuit: cum potius oppositia meritò notari posset, sicut veram æternitatis rationem de medio tollens.

Nec etiam audiendus P. Suarez lib. 1. cap. 7. de absol. scient. futur. condit. qui affirmare audet adeo sententiam affirmantem rerum coëxistentias in æterni sibi videri difficilem, ut suppositis principiis certis in doctrina fidei, vix ipse intelligat quid dicere possit ab ea non diversum. Etenim potiùs è contra, retenta vera doctrina ex principiis fidei derivata, de vera ratione æternitatis quæ infinita quædam duratio est

Digitized by Google

tota simul ambiens omne tempus etiam futurum, vix intelligi potest quod opposita sententia securè procedat. Quod si prædictus author eam intelligere non valet., cum aliàs ita sit intelligibilis ut oppositam veri Theologi percipere non possint, hunc tamen honorem nedum Sancto Thomæ, sed aliis plurimis Sanctis Patribus inductis deferre debuerat, ut si jam ab illis dissentiret, modestè tamen id faceret, & nonminus securam doctrinam Sanctorum Patrum insinuaret.

Omittendi præterea sunt Ægydius, Silvester, Hispalensis, Hervæus, dum de objectiva præsentia supradicta S. Thomæ testimonia interpretantur, cum tam manifestè omnia & singula de coëxistentia reali futurorum ad æternitatem procedant.

Sed jam post Sanctorum testimonia, quæ futurorum realem coëxistentiam ad æternitatem prædicant, veris Theologicis rationibus illam esse verissimam sententiam ab omni Theologo tenendam & defendendam ostendamus. Et prima sit quæ à priori procedit & pro fundamento haberi debet & quæ sola planè ad id omnibus suadendum deberet sufficere.

Æternitas est infinita quædam duratio tota simul: ergo simul continet omnem inferiorem durationem: ergo simul continet omne tempus præteritum, præsens & futurum : ergo simul continet omnia quæ erunt in tempore futuro. Primum antecedens manifestum est cum sit ipsa vera ratio æternitatis : certum est enim æternitatem esse actualem infinitam durationem, certum est etiam esse totam simul, ut illius definitio exponit. Prima autem consequentia nota est ; quia de ratione infinitæ durationis quæ est tota simul est continere actu simul omnem aliam inferiorem durationem, aliàs infinita duratio simpliciter non esset, vel non esset tota simul. Qua parte enim infinita duratio est comprehendere debet sub se omnem aliam durationem ; & qua parte est tota simul infinita duratio, non successivè, sed simul debet omnem inferiorem durationem simul continere. Secunda autem consequentia constat, quia tempus futurum aliqua duratio est : ergo actualiter continetur sub æternitate. Aliæ autem duæ ultimæ consequentiæ per se notæ sunt, prioribus concessis & admissis.

Confirmatur : si æternitas esset successiva duratio infinita simpliciter, non est dubium quin futurum tempus, & ea quæ in ipso existerent comprehenderet, quia infinita illius successio necessariò futurum tempus finitum successivum contineret : ergo cum sit infinita duratio indivisibilis ac tota simul, debet simul futurum tempus, & ea quæ in ipso fiunt continere. Probatur consequentia : quia sicut de ratione infinitæ durationis successivæ est continere successivè omnem aliam durationem finitam ; ita de ratione infinitæ durationis quæ est tota simul, est continere simul omnem aliam finitam durationem. Itaq; sicut de ratione infinitę durationis simpliciter est continere omnem aliam finitam durationem & sicut de ratione infinitæ durationis successivæ est aliam finitam durationem successivè comprehendere : ita de ratione infinitæ durationis indivisibilis & quæ est tota simul, etiam est quod semel omnem durationem finitam quæcumque illa sit contineat : & sic de ratione æternitatis ob infinitam suam durationem actualem indivisibilem & totam simul, ex necessitate debet esse quod omnem finitam durationem temporis futuri, simul & actualiter comprehendat.

Explicatur & confirmatur magis : si futura realiter non coëxistunt æternitati : ergo aliqua ei sunt futura : ergo aliqua sunt futura toti æternitati : ergo futura sunt extra totam æternitatem. Prima consequentia manifesta est, & à sentientibus oppositum palam conceditur. Secunda verò quod nimirum sint futura toti æternitati constat, quia cum æternitas sit indivisibilis ac tota simul, quæ sunt futura æternitati, futura sunt toti æternitati : Ultima consequentia eodem modo etiam est nota, quia quæ sunt futura toti æternitati extra totam æternitatem debent esse ; si autem futura sunt extra totam æternitatem, nullo modo etiam inadæquatè sub æternitate continentur, nec ab illa aliqua ratione possunt mensurari ; sicut quod est futurum ad totum istum diem, & est extra totum hunc diem, nulla ratione ab isto die continetur, vel ab eo mensuratur. Quod si hoc concedatur, manifestè ponitur quod æternitas duratio sit finita simpliciter & absolutè, postquam ponitur duratio aliqua quæ extra totam illam sit nullaque ratione ab ipsa contineatur : vel saltem convincitur, quod si infinitam admittunt æternitatem, nulla tamen ratione eam constituant indivisibilem. Unum enim ex his duobus manifestè concludit ratio facta. Et ex hac ratione apparet quare Sancti Patres superiùs inducti constanter negant Deo aliquid esse futurum : quia revera, si æterno aliquid futurum admittitur : vel illud æternum infinitum simpliciter non est, vel saltem non est infinitum indivisibile & totum simul.

Præterea : divina quæcumque cognitio mensuratur æternitate : ergo quæcumque divina cognitio, quæ aliquando exiitit, illa eadem semper & ab æterno fuit ; sed cum res de facto existit præsens, divinus intuitus illam ut præsentem videt, cum etiam homo illam ut præsentem intueatur : ergo idem divinus intuitus cognoscens illam rem præsentem ab æterno fuit : ergo per eum cognovit Deus ab æterno rem ut sibi realiter præsentem.

Quod si dicatur ab æterno quidem fuisse illam Dei cognitionem, sed non sub formali ratione cognoscendi rem ut præsentem. Contra hoc est.

Primo : quia jam idem divinis intuitus ab æterno non esset, sed cognitio alia : unde intuitus ille seu notitia intuitiva non fuisset ab æterno, sed incepisset in tempore ; ac per consequens non omnis diuina cognitio æternitate mensuraretur, sed quædam mensuraretur tempore, & per consequens per temporalem rerum mutationem aliquid accresceret divinæ cognitioni ; ut nempe rem præsentem videret, quam ab æterno non videt. Quamvis esse notitiam intuitivam sit relatio & denominatio rationis ; quia tamen est relatio consequens operationem divini intellectus, quæ manet in operante, ab æterno debet esse ipsa relatio seu denominatio notitiæ intuitivæ, sicut ab æterno est divina ipsa intellectio quæ secundum nullam rationem potest tempore mensurari. Aliud est de aliis relationibus rationis quæ sequuntur ad Dei operationem procedentem secundum modum intelligendi ad exteriores effectus : istę enim dicuntur de Deo ex tempore, sicut sunt, quod Deus dicatur Creator, Dominus, & Salvator, ut docet S. Thomas 1. par. quæst. 13. art. 7. ad tertium. Confirmatur quia cum res est præsens, ab hominibus ut præsens cognoscitur : ergo multo magis à Deo cognoscitur ut præsens, quem nulla ratio cognoscibilis latere potest : ergo vel ab æterno cognoscitur ut sic præsens antequam res existat, & sic habetur intentum : vel non cognoscitur sic præsens ab æterno, & sic in tempore incepit in Deo talis cognitio quod Deo & ejus æternę cognitioni repugnat.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XX.

Quare Sanctus Thomas tractans quæstionem de cognitione divina respectu futurorum contingentium recurrit semper ad coexistentiam eorum in æternitate.

FIRMATÂ ex doctrina Sanctorum Patrum, ac ratione propria æternitatis, verâ futurorum omnium coexistentiâ ad ipsam, quatenus illa est infinita quædam duratio indivisibilis, facilè deducitur Deum omnia futura nobis, intuitivè videre ut sibi in sua æternitate præsentia. Ex illa enim coexistentia reali ad æternitatem manifestè consequitur certa illorum visio atque cognitio, non minus quam ex reali sessione Petri posita in conspectu videntis, consequitur visio sessionis illius. Unde Sanctus Thomas citatis locis ad tradendam hanc præsentiam in esse objectivo & cognoscitivo, qua Deus futura nobis, videt ut sibi præsentia, priùs illorum realem coexistentiam ad æternitatem sicut ad infinitam durationem, fundavit: quia ex hac reali præsentia, objectiva illa præsentia consequitur. Utrumque autem docet Sanctus Doctor, ut ostendat qualiter minus obstante contingentia futurorum contingentium, (quæ ob indeterminationem suam repugnare videtur certæ cognitioni illorum) certissimè tamen à Deo talia contingentia futura cognoscantur: hoc enim S. Thomas principaliter declarare prætendit in omnibus inductis testimoniis. Nec enim in illis generalem illam quæstionem tractat, à quo videlicet proveniat quod Deus omnia cognoscibilia attingat, sed hanc præsupponens (& rationem ejus esse infinitatem Dei in cognoscendo a qua oritur quod nullum sit cognoscibile, quod ipsum latere possit) specialem hanc discutit; à quo videlicet proveniat, quòd cùm futurorum contingentia & indeterminatio opponi videatur certæ illorum cognitioni, illa tamen minus obstante certissimè Deus omnia futura contingentia cognoscat.

Quamvis autem ex duplici capite duplex ratio habeatur, quarum quælibet per se sufficiat ad ostendendum quod indeterminatio causarum futurorum contingentium non potest impedire certam de illis divinam cognitionem; quarum prima est efficax decretum divinæ voluntatis determinans quod ipsa futura sint, vel illa permittens; secunda est coexistentia eorum ad æternitatem & utramque semper S. Thomas tradiderit; (pro ut plenius supra explicatum manet.) Tamen potior & principalior ista secunda est, quæ ex coexistentia futurorum ad æternitatem desumitur, quàm illa prima; & hac ratione semper Sanctus Thomas illam magis fundat & explicat, ut ex apertis testimoniis illius jam relatis constat.

Non est autem judicandum, quòd istæ duæ rationes non habeant adinvicem ordinem: quia revera una ex alia consequitur, & una alterius fundamentum est. Etenim efficax determinatio divinæ voluntatis volens, vel permittens quòd talia futura sint; primum fundamentum est illius realis coexistentiæ eorum ad æternitatem; neque enim futura verè essent æternitati præsentia, si illud efficax divinum decretum non determinaret, vel permitteret futura fore. Posita autem tali divinæ voluntatis determinatione statim fit certum illa esse futura tempore suo. Similiter est certum quòd æternitas ambiens omne tempus, & ea quæ in omni tempore fiunt, ea contineat ipsaque futura illi verè coexistant. Unde utraque prædicta ratio consequenter se habet adinvicem modo prædicto.

Insuper duplex illa ratio (quia revera diversa est) diversam fundat certam divinam cognitionem de futuris. Prima namque ac fundamentalis quæ est efficax determinatio voluntatis divinæ certam reddit divinam cognitionem de futuris, quatenus ipsa certò futura sunt. Quia illa futura tunc in se ipsis non cognoscuntur, sed in prima sua causa determinata ad illorum certam productionem. Unde cum cognoscantur certò in causa sua in qua certò præhabentur, cognoscuntur ut certò futura; & essentia divina sive in ratione speciei intelligibilis, sive in ratione ideæ, secundùm quod presupponit illam efficacem determinationem divinæ voluntatis de futuris illis, repræsentat ea ut verè & certò futura. Et hic est primus modus quo Deus certò futura omnia cognoscit. Secunda autem ratio cognoscendi illa, quæ sumitur ex coexistentia omnium rerum ad æternitatem, fundat certam divinam cognitionem eorum, non quatenus ipsa futura sunt; sed quatenus ipsa sunt in se ipsis jam extra causas suas, & quatenus habent actuale suum esse, seu quatenus præsentialiter in suis propriis existentiis videntur à Deo. Unde & cognosci dicuntur intuitivè sive scientiâ visionis. Nam illa prior cognitio non est scientia visionis futurorum in se ipsis, ut dictum est.

Ex his facilè intelligitur, quare Deus cum utraque ratione dicta, certò cognoscat futura omnia etiam contingentia; & utraque à Sancto Thoma assignetur magis tamen insistat Sanctus Doctor in hac secundâ exponendâ & defendendâ quæ de coexistentia æternitatis procedit, quàm in illa prima, quoties de cognitione futurorum contingentium sermonem instituit, & quasi illius prioris oblitus ad hanc posteriorem semper recurrat. Hujus enim multiplex potest assignari ratio supra jam tacta, & insinuata.

Prima: ideo id fecit Sanctissimus Doctor, ut perfectissimum modum cognoscendi futura Deo tribueret, qui est non solùm futura in causa sua ad illa determinata cognoscere; sed etiam ea attingere & in se ipsis secundum eorum actuale esse extra suas causas videre. Manifestum est enim perfectiorem esse istum secundum modum cognoscendi quàm illum primum. Cum enim Deus omnia per essentiam suam cognoscat sicut per speciem intelligibilem, & sicut in objecto terminativo primario: tamen non solùm cognoscere futura pro ut sunt in tali primario objecto essentiæ suæ; sed etiam extendi divinam cognitionem ad attingendum secundum objectum, scilicet futura in se ipsis, & in suis propriis existentiis ea videre pro ut sunt extra suas causas, majorem perfectionem arguit in cognoscente; quam omni ex parte perfectam cognitionem ut Deo tribueret, ad coexistentiam futurorum in æternitate recurrit S. Thomas.

Secundò. Ideo in hac præsentia & coexistentia rerum ad æternitatem potissimè insistit Sanctus Doctor, ut quæstionem de scientia Dei & illius cognitione ex propriis tractet. Quia scientia Dei ex propriis & sub præcisa ratione scientiæ, & cognitionis, nec efficaciam causandi habet, nec est futurorum causa; sed hoc habet aliunde, scilicet ex actu divinæ voluntatis annexo, ut notum est. Imò scientia Dei ex sua propria ratione, non habet ex se ista causare, quin potiùs causata præsupponit, ut ipsa cognoscat. Unde si per impossibile contingentia essent futura independenter à divina voluntate atque à scientia divina quæ actum divinæ voluntatis haberet annexum; adhuc ex propria ratione scientiæ & cognitionis divinæ quæ mensuratur æternitate, posset certitudo divinæ scientiæ & cognitionis ostendi ex coexistentia futurorum ad æternitatem; obhanc igitur

Digitized by Google

igitur rationem tractans S. Thomas quæstionem de certitudine divinæ cognitionis respectu futurorum contingentium precipuè illam rationem fundat de coexistentia eorum in æternitate, ut ex propriis scientiæ divinæ, illius certitudinem ostenderet circa contingentia futura.

Præterea alia ratione ad id fuit motus Sanctus Thomas quæ & talis est: scientia Dei à seipsa & ex sibi propriis habet mensurari æternitate tanquam propria mensura, atque habere coexistentiam ad omnia quæ habuerunt, vel habitura sunt esse in aliqua temporis differentia. Non tamen habet à se ipsa scientia divina causam esse determinantem futura, sed id habet à voluntate: ut ergo ex propriis principiis scientiæ procederet, cùm agit de cognitione divinæ scientiæ circa futura contingentia, illam rationem adhibuit, quæ est de coexistentia futurorum in æternitate, quæ ex propriis divinæ cognitionis oritur; sicut cum agit de ipsa scientia quatenus est causa rerum, illam apposuit quæ sumitur ab efficacia divinæ voluntatis, ut patet q. 19. 1. p.

Potissima autem ratio, ob quam agens de cognitione divina circa contingentia futura semper ad coexistentiam futurorum in æternitate recurrit S. Thomas, non ita faciens expressam mentionem alterius, quæ procedit de efficaci determinatione divinæ voluntatis, illa fuit: quia illa ratio de coexistentia rerum in æternitate potissimè serviebat fini quem intendebat Sanctus Doctor; finis enim erat (ut dictum est supra) ostendere quòd non obstante contingentia, & indeterminatione futurorum contingentium illa certissimè à Deo cognoscuntur. Hunc autem finem ratio sumpta ex coexistentia futurorum in æternitate mirificè exponit: reddit enim rationem quare nihil impediat indeterminatio & contingentia futurorum certitudinem divinæ cognitionis; cum ponat ipsa videri à Deo, non solùm in causis suis secundùm quem modum habent indeterminationem & contingentiam, quæ posset obstare certitudini cognitionis divinæ; sed videri intuitivè in seipsis secundùm eorum esse actuale, quod habent extra causas suas, secundùm quam rationem, jam non habent indeterminationem contingentem, sed habent necessitatem ex suppositione, & determinatum esse actuale quo in seipsis existunt; & ut sic offeruntur divinæ visioni, qua Deus ea in se ipsis determinatè ut existentia intuetur. Itaque quia indeterminatio illorum obstabat divinæ certæ cognitioni, ea constituit Sanctus Thomas in seipsis determinata per suas actuales existentias respectu æternitatis, ut sic præsentia in se ipsis & in suo determinato esse divino conspectui qui æternitate mensuratur, præsententur; ut ea non jam ut indifferentia, sed ut jam habentia esse in se ipsis determinatum à Deo certissimè cognoscantur; non minus, sed multò magis quàm ego video sedere Socratem. Quamvis enim quòd Socrates sedeat, antequam actu sedeat, indifferens sit & contingens, tamen postquam actu sedet, jam habet esse determinatum quod subest certæ visioni.

Diximus, quod hic finis non ita expresè obtinetur per rationem aliam procedentem ex efficaci determinatione voluntatis divinæ; quia non est dubium quin implicitè etiam ex ratione illa habeatur. Quia ex eo quod statuatur efficax determinatio voluntatis divinæ de futuris contingentibus, manifestè deducitur quod certò illa futura sint, salva illorum contingentia; quia utrumque divina voluntas determinat. Unde & divina scientia sequuta ad talem Dei determinationem utrumque certissimè de futuris contingentibus cognoscit, & quod ex se contingentia sunt, & ad utrumlibet; & quod ex determinatione divinæ voluntatis certissimè sunt, futura prout copiosiùs in toto hoc primo libro sæpe manet expositum.

Diximus preterea, quòd ob rationes modò inductas Sanctus Thomas non ita facit expressam mentionem de ratione procedente ex efficaci determinatione divinæ voluntatis, cum tractat quæstionem de cognitione divina futurorum contingentium: quia multis revera in locis in superioribus inductis pro determinatione divinæ voluntatis illam rationem expressit, sed potissimè prima par. q. 14. art. 13. illius non obscurè mentionem facit in illis videlicet verbis. *Unde omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia; non solum ea ratione qua habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidam dicunt, sed quia ejus intuitus fertur in omnia prout sunt in sua præsentialitate.* In quibus duplicem rationem cognoscendi ea quæ sunt in tempore Deo tribuit; alteram qua cognoscit omnia quæ sunt in tempore ea ratione qua habet rationes rerum apud se; sed non solum hac ratione ea cognoscere docet, sed etiam quia intuitus ejus fertur in omnia illa sicut sibi presentia.

Nec annuo aliquibus discipulis S. Thomæ, aliàs doctissimis ex Recentioribus, qui asserunt duo docere Sanctum Thomam in hoc articulo. Primò Deum habere rationes futurorum apud se præsentes, quod Sanctus Thomas docet in illo art. Aliud verò Deum certò non cognoscere futura quoniam habet rationes apud se præsentes, quod S. Thomas non docet. Hoc enim fundamentum (quod pace ipsorum dixerim) licet eis manifestum videatur, tamen minùs efficax est, ut ostendemus.

Unde cum antiquioribus S. Thomæ discipulis, Capreolo, Cajetano, Ferrariensi, Conardo, & aliis aliter dicendum est: quia apud Sanctum Thomam certum videtur quòd omne id quod Deo præsens est eo modo quo ei est præsens ab ipso cognoscitur: quia & ratio hoc convincit, cum enim divinus intellectus semper sit actu cognoscens, necesse est quòd actu cognoscat quod sibi præsens offertur, eo modo nempe quo sibi præsens est. Cum ergo apertè doceat, quod omnia quæ sunt in tempore comprehendendo futura ipsa sicut Deo præsentia, ea ratione qua habet rationes eorum sibi præsentes, necesse est dicere ipsum sensisse, ea ratione omnia quæ sunt in tempore cognoscere per rationes eorum quas sibi habet præsentes.

Præterea, habere Deum rationes omnium quæ fiunt in tempore apud se præsentes, condistinguitur à S. Thoma contra divinum intuitum quo fertur in ea ut sibi præsentia realiter, ut litera clarissimè proponit: ergo habere sic præsentes rationes eorum, est eas habere præsentes in esse objectivo distincto ab esse reali existentiæ eorum: ergo est præsentia in esse cognito: ergo idem est dicere rationes rerum esse præsentes Deo, & esse cognitas à Deo res in rationibus illis. Patet consequentia etiam ex authoribus contrarium opinantibus, qui pro certo habent & quidem rectè, idem esse dicere futura objectivè præsentia esse Deo, & à Deo cognosci.

Confirmatur, quia per rationes rerum quæ fiunt in tempore & quas Deus apud se præsentes habet, ex necessitate intelliguntur, vel ideæ, vel essentia divina in ratione speciei intelligibilis, vel ut certiùs putamus utraque simul. Si per rationes rerum quæ in tempore fiunt intelligantur ideæ: ergo rationes sunt præsentes in esse cognito, quia ideæ cognitæ sunt, & cognitionis divinæ sunt termini. Si autem per rationes solum intelligatur divina essentia, ut habet vicem specierum intelligibilium, cum intellectus divinus semper sit actu cognoscens quod divina essentia ei proponit ut species intelligibilis, idem habetur intentum; quod videlicet S. Thomas per illas rationes rerum omnium quæ fiunt in tempore, quas apud se præsentes habet, intelligat revera

divinum

Digitized by Google

divinam cognitionem qua Deus omnia quæ fiunt in tempore in rationibus illis cognoscat.

Deinde certum est, quòd illis verbis S. Thomas refert opinionem aliquorum, qui tribuebant Deo certam cognitionem futurorum sine coexistentia eorum ad æternitatem, quod declarat illis verbis (*ut quidam posuerùnt*) quæ fuit opinio aliquorum antiquorum, quos postea secutus fuit Scotus, qui asserebant Deum certò cognoscere futura in rationibus idealibus, determinatis tamẽ per divinam voluntatem. Istorum autem opinio fuit, ut ibi verbis æquivalentibus dicit S. Thomas, quod Deus certò cognoscebat futura, quia de hoc nullus Catholicus dubitabat: asserebant tamen quod illa sine coexistentia ad æternitatem certò cognoscebat in rationibus eorum quas apud se habebat: ergo hanc illorum sententiam ibi approbat quantum ad hoc quod Deus illa futura certò cognoscat per rationes illorum quas apud se habet præsentes; illam verò rejicit, quatenus dicit quod solum hoc modo certò futura cognoscit.

Tandem: si S. Thomas non intelligit Deum cognoscere certò futura ea ratione qua illorum habet apud se rationes præsentes, ad quid hoc introducit, cum tractat de Dei cognitione respectu futurorum? plane non nisi ex superfluo id adhiberet.

Imò illud addendum, quod ex opposita sententia sequitur, Deum non cognoscere futura, ut futura nobis sunt, idest non cognoscere rationem futuritionis eorum; hoc autem dici nullo modo potest: quia illorum futuritio est aliqua ratio cognoscibilitatis, ut est manifestum: ergo à Deo ut sic cognoscitur, qui sine dubio omnem rationem attingit cognoscibilitatis ob suam infinitatem in cognoscendo. Sequela patet, quia solùm cognoscit illa ut sibi realiter præsentia secundum eorum actuales existentias: ergo solùm cognoscit ea ut in actu existentia & non ut futura. Patet quia illa respectu æternitatis cui coexistunt non sunt futura, sed actualiter præsentia: ergo illa Deus intuetur sicuti sunt, nimirum non ut futura, sed ut actualiter præsentia: ergo per illum modum cognoscendi, si alium non habeat, solùm illa cognoscit ut actualiter existentia, & non ut futura. Sicut enim me nunc Deus cognoscit ut præsentem, non ut futurum; ita & rem mihi futuram intuetur in æternitate ut præsentem sibi, quia eodem modo ego nunc & res futura actualiter Deo præsentes sumus in æternitate, nec respectu æternitatis magis illa, quàm ego habet rationem futuritionis, quæ possit divino intellectui repræsentari. Necesse est ergo, præter istum modum cognoscendi rem ut præsentem in æternitate, alium Deo adscribere ex mente S. Thomæ in illo art. & in omni doctrina sua, quo Deus per rationes quas apud se habet ut determinatas per decretum divinæ voluntatis quo decernit illa futura esse, illa ut futura cognoscat.

Nec sequitur, ut aliqui arbitrantur, quod si Deus dicatur cognoscere futura per rationes quas apud se habet, sequatur illa cognoscere ut futura sibi: quia rationes quæ apud Deum sunt repræsentantes decretum divinæ voluntatis, in quo futura continentur, illa representant secundum quod in illo decreto præhabentur: habentur autem in decreto tali ut futura nobis, non ut verè Deo futura: ergo ut sic illa cognoscit. Imò addendum, quod licet illa verè Deo futura non sint, sicut nobis futura sunt; tamen secundùm nostrum modum intelligendi priùs ratione intelliguntur secundùm ordinem emanationis futuræ à tali decreto divinæ voluntatis, quàm intelligantur ut coexistentia sibi in æternitate: ergo priùs ratione cognoscuntur à Deo secundum illum ordinem emanationis futuræ à sua divina voluntate, quam intelligantur ut Deo in æternitate coexistentia, quod totum fatentur expressè oppositum opinantes: ergo priùs ratione secundum nostrum modum intelligendi representantur secundùm illum ordinem futuræ emanationis, quàm quod sint coexistentia. Ista consequentia apertissima est ex præmissis: ergo priùs ratione quam coexistant in æternitate ut præsentia, debent repræsentari per rationes in Deo existentes illa futura secundùm prædictum illum ordinem futuræ emanationis. Manifesta etiam videtur consequentia ista. Igitur antequam intelligantur cognosci ut æternitati coexistentia, necesse est quod præintelligantur cognosci secundùm illum alium prædictum modum. Unde S. Thomæ discipuli, qui futura talia dicunt cognosci in illo decreto divinæ voluntatis; antequam intelligantur cognosci ut coexistentia in æternitate, non apparet nobis quomodo consequenter postea loquantur negantes illa cognosci etiam per rationes quæ in Deo sunt, nisi velint dicere cognosci in Decreto, & non per rationes repræsentantes divino intellectui tale decretum, quod minus potest intelligi.

Ex dictis constat non esse aliud apud S. Thomam futura esse Deo presentia secundum rationes eorum quas apud se Deus habet, & esse talia futura à Deo cognita, sed idem esse omnino, ut dictum est. Et fortè qui aliter Philosophantur, non negant cognitionem Dei de futuris contingentibus per rationes illorum quæ sunt præsentes Deo, sed tantùm certam & infallibilem eorum cognitionem: quia putant quod ante existentiam eorum, ipsa prout sunt in causis suis habent indeterminationem; & rationes eorum apud Deum illa ut sic repræsentant ut contingenter futura. Unde nec illorum potuit esse certa Dei cognitio. Possuntque se fundare in antecedentibus verbis illius art. ? quibus hoc S. Thomas docet. Sed ad hoc dicendum quod rationes rerum ante determinationem divinæ voluntatis repræsentant quidem illam indeterminationem futurorum contingentium; & ut sic per eas Deus non certò futura contingentia cognosceret, prout videlicet futura sunt in suis causis indeterminatis & indifferentibus, quod eis concedimus: & hoc modo loquitur S. Thomas in priori parte illius articuli. Cæterum post determinationem voluntatis divinæ rationes futurorum quas apud se Deus habet, certò illa repræsentant ut futura: & hoc asserebant illi quos S. Thomas refert in posteriori parte articuli. Et quod ita sit, patet: quia asserit S. Thomas, quòd ea omnia quæ in tempore sunt, sunt præsentia Deo per rationes eorum quas Deus apud se habet: nihil autem fit in tempore nisi post decretum & determinationem divinæ voluntatis, ut sæpius S. Thomas exposuit: ergo loquitur ibi de rationibus rerum supponentibus determinationem divinæ voluntatis, & certò repræsentantibus divino intellectui futura.

Illud etiam addendum, ut omnis æquivocatio præscindatur, istam propositionem. Idem est cognoscere Deum futura in causa infallibili qualis est divina essentia secundùm quod est idea, & cognoscere eadem futura in se ipsis (quæ ab aliquibus S. Thomæ discipulis conceditur) posse facere triplicem sensum. Primus est, si materialiter sermo procedat, & sic vera est propositio; siquidem essentia divina quæ est causa infallibilis futurorum & representatio ideæ divinæ reipsa æternitate mensuratur; & non secus se habent futura per suas reales coexistentias ad divinam essentiam pro ut est causa infallibilis eorum, & ad divinam ideam repræsentantem, quàm se habeant ad divinum intellectum cognoscentem.

Secundus sensus est, si sumatur cognosci futura in se ipsis, pro eo quod est cognosci per speciem repræsentantem futura pro ut sunt in se & secundum propriam rationem ipsorum, etiam si nulla esset coexi-

stentia

Digitized by Google

ſtentia eorum ad æternitatem ; & in hoc ſenſu etiam propoſitio vera eſt ; quia Deus per ſuam eſſentiam ſicut per ſpeciem repræſentatem eam ut cauſam infallibilem eorum, & per ſuas ideas cognoſcit futura pro ut ſunt in ſeipſis, ideſt, ſecundum propriam naturam ipſorum futurorum. Et hoc modo ſolet Sanctus Thomas docere, quòd Deus cognoſcit res non ſolùm prout ſunt in divina eſſentia, ſed etiam prout ſunt in ſeipſis, ideſt, pro ut ſunt in propriis naturis, ſiue ipſorum naturæ ſint exiſtentes actu, ſive ſint certò futuræ ; natura enim futurorum ut ſic eſt, quod non exiſtant actu, ſed quod futura ſint.

Tertius ſenſus eſt multò magis formalis, quo accipitur cognoſcere futura in ſe ipſis, pro eo quod eſt cognoſcere ea intuitivè in ſuis propriis exiſtentiis. Et hoc modo non eſt idem Deum cognoſcere futura in cauſa infallibili, cujuſmodi eſt divina eſſentia ſecundùm quod eſt idea, & cognoſcere eadem in ſe ipſis, ideſt in ſuis propriis exiſtentiis. Cujus ratio eſt, quia cognitio futurorum, ut fundatur in divina eſſentia pro ut eſt infallibilis cauſa ipſorum & in idea repræſentante talem infallibilem cauſalitatem, alia eſt à cognitione quæ fundatur in coexiſtentia ipſorum ad æternitatem quod manifeſtum eſt. Etenim cognitio quæ fundatur in cauſalitate abſtrahi poteſt, & præſcindi à ratione coexiſtentiæ ſicut Scotus & alij relati abſtrahunt, & præſcindunt, admittentes cognitionem futurorum, pro ut ſunt in cauſa infallibili, nempe divina eſſentia & in ideis repræſentantibus illa ut ſic, negant tamen cognitionem quæ fundatur in coexiſtentia ipſorum ad æternitatem. Imo etiam in ſententia S. Thomæ, jam explicata, diverſa cognitio eſt una ab alia : quia per illam quæ fundatur in divina cauſalitate, ſeu in divina eſſentia continente ea, cognoſcuntur ipſa ut certò futura, at per cognitionem fundatam in coexiſtentia rerum ad æternitatem, cognoſcuntur non ut futura, ſed ut realiter præſentia, ſicut explicatum eſt.

Ubi obiter advertendum, quod licet eſſentia divina non contineat futura, quia ipſa futura ſunt, ſed è contra, ideo futura ſint, quia in divina eſſentia ſicut in cauſa infallibili continentur, tamen ipſa divina eſſentia ut ſpecies, & divinæ ideæ ideo repræſentant futura, quia ipſa continentur ut futura in divina eſſentia, & ex conſequenti aliquo modo repræſentant ea, quia futura ſunt, ſaltem terminativè. Quia qui repræſentat cauſam continentem futura, neceſſe eſt quod futura ipſa repreſentet ut terminum illius cauſalitatis & continentiæ ; & qui ideo repræſentat futura, quia ipſa in divina cauſalitate ut futura continentur, neneceſſe eſt quod prædicto modo ideo repræſentet futura quia ipſa futura ſunt : non ergo ſunt futura propter repræſentationem idearum, nec ideo futura ſunt quia per ideas repræſentantur ; ſed potius è converſo, ideo per ideas reptæſentantur, quia ut futura in divina cauſalitate continentur.

Itaque hoc ordine quatuor iſta procedunt, & noſtro intelligendi modo cum fundamento in re adinvicem conſequuntur. Omnium primò res futuræ ſunt, quia Deus determinavit, vel permiſit ut eſſent Secundò ideo futura ſunt, quia poſt illam divinam determinationem continentur in divina eſſentia ut in cauſa infallibili eorum. Tertiò ideo eſſentia divina ut ſpecies ea repræſentat divino intellectui ut futura, quia in ipſa divina eſſentia ut in cauſa infallibili continentur ut certò futura. Quartò ideo ideæ ipſæ repræſentant, ut futura, quia per ſpeciem repræſentantur ut futura contenta in divina eſſentia ſicut infallibili cauſa rerum. Non ergo repræſentatio idearum cauſat futuritionem eorum ; ſed eam præſupponit ut efficiendam per divinam cauſalitatem.

CAPUT XXI.

Oſtenditur breviter quomodo cognoſcat Deus futura contingentia per coexiſtentiam eorum ad æternitatem.

SUPPOSITIO quòd Deus certò cognoſcit contingentia futura ut ſibi in ſua æternitate realiter præſentia (ut manet oſtenſum) poſito etiam quare Sanctus Thomas pro certa divina cognitione eorum ſemper ad coexiſtentiam ipſorum in æternitate recurrit ; ſupereſt ultimò modum explicare quo iſta cognitio, & quo prædicta futura æternitati coexiſtentia ſe habeant ad divinam cognitionem & ad certitudinem illius, an videlicet illam cauſent.

Ad cujus evidentiam dicendum eſt primò. Præſentia rerum in æternitate per realem coexiſtentiam earum, ex parte ipſarum rerum eſt ratio objectiva ut illa ſcientia quam Deus habet de illis ſit intuitiva & dicatur ſcientia viſionis ; ita quod, ſi illæ res ex parte ſua non ſic eſſent realiter præſentes ſcientia Dei non eſſet intuitiva illarum nec diceretur ſcientia viſionis. Probatur, quia ſcientia intuitiva requirit preſentiam rerum, ut ex definitione notitiæ intuitivæ conſtat : ergo talis præſentia rerum eſt ratio quare illa eſt intuitiva ſeu ſcientia viſionis. Nec enim eſt inconveniens quod ille reſpectus viſionis quo divina ſcientia denominatur viſionis, ſeu intuitiva, ab ipſis rebus proveniat ſicut ab objecto. Similiter nec eſt neceſſe ad notitiam intuitivam, quod ipſam præcedat duratione aliqua objectum præſens, ut patet de cognitione comprehenſiva Patris qua generat Verbum, quæ eſt intuitiva ipſius Verbi. Unde ſat eſt. Quòd ſimul ſint naturâ, intuitiva & objectum preſens. Sic ergo ſcientia viſionis eſt ſimul cum objecto præſenti quod cauſat. Verum eſt tamen quod prius natura conſideratur ut productiva objecti præſentis, quam denominetur intuitiva illius. Habetur hæc veritas ex S. Thoma prima par. quæſt. 14. art. 8. ad primum, in quo concedit, quod ſi attendatur præciſa ratio ſcientiæ ſine cauſalitate quæ ei competit ex adjuncta voluntate divina, poteſt concedi, quod ideo Deus ſcit futura, quia ipſa futura ſunt nobis. Cum enim ibi ſubjungat quod nec ſic futura ſunt cauſa certitudinis divinæ ſcientiæ, reſtat ut ſaltem ſint cauſa, vel ratio quare denominetur divina ſcientia, ſcientia viſionis.

Dicendum ſecundò præſentia rerum in æternitate quatenus ſe tenet ex parte ipſarum rerum, non eſt ratio nec conditio à priori, ob quam Deus certò cognoſcat futura contingentia ut ſibi realiter preſentia. Itaque certitudo quam Deus habet de futuris in ſuis propriis exiſtentiis ſibi in ſua æternitate præſentibus, nec provenit, nec provenire poteſt à præſentia ipſorum futurorum in æternitate coexiſtentium. Veritas iſta indubiè tenenda eſt, quia eſt expreſſa Sancti Thomæ citata quæſt. 14. art. 8. ſolutione ad primum, ubi docet quod *cum dicitur ideo Deum præſcire aliqua, quia ſunt futura ; intelligendum eſt ſecundum cauſam conſequentiæ non ſecundum cauſam eſſendi, ſequitur enim quod ſi aliqua ſunt futura quod ea Deus præſcierit : non tamen res futura ſunt cauſa quod res ſciat.* Igitur res futuræ nobis, & Deo in ſua æternitate preſentes non ſunt cauſa quare Deus ea certò ſciat, nec ſunt cauſa, ratio, vel conditio certitudinis ſcientiæ divinæ. Repugnat enim quod aliquod creatum objectum cauſa, vel ratio ſit, ſive conditio divinæ certitudinis ; aliàs divina perfectio quæ eſt certitudo cognitionis illius à creatura ſumeretur, quod eſt impoſſibile.

Dicendum

Digitized by Google

Dicendum tertiò à posteriori bene potest ostendi certitudo divinæ scientiæ respectu futurorum in se ipsis ex eo quod futura nobis, sunt coexistentia æternitati, & presentia divino conspectui. Etiam veritas ista videtur tradi à S. Thoma citata solutione ad primũ cum dicit quòd quando dicimus quòd Deus novit futurum, quia futurum est: verbum, quia, sumendum est secundum causam consequentiæ, id est, quod bene sequatur, quod si futura sunt, illa Deus cognoscit: ergo à posteriori optimè ostenditur certitudo cognitionis divinæ de futuris ipsis ex ipsismet futuris; ex eo videlicet quod ipsa sunt Deo in sua æternitate præsentia secundùm suas existentias.

Dicendum quartò. Præsentia rerum in æternitate ex parte ipsius æternitatis continentis ipsa futura ut sibi coexistentia, est ratio à priori ob quam Deus ea certò intuetur in se ipsis. Itaque hæc causalis est vera, quia æternitas continet futura ut sibi coexistentia Deus ea certò intuetur in se ipsis, & in suis propriis existentis. Unde cum S. Thomas in omnibus locis, quibus agit de divina cognitione futurorum contingentium, recurrit ad coexistentiam eorum in æternitate sicut ad aliquid necessarium, ut Deus certò ea intueatur, loquitur de ipsa æternitate continente res sibi coexistentes. Et sic ratio obquam illa certò cognoscit in seipsis, est quia æternitas illa continet. Unde objectum primarium illius certitudinis futurorum in suis propriis existentiis non est aliquid creatum nec sunt res ipsæ quæ ab æternitate continentur, sed est aliquid increatum, scilicet ipsa æternitas futura continens. Aliud est enim res quæ continetur ab æternitate & aliud æternitas continens rem; sicut aliud est cognoscere conclusiones in principiis, quod pertinet ad scientiam; & aliud cognoscere principium continens conclusiones, quod pertinet ad habitum primorum principiorum. Sic autem explicata conclusio facilè probatur, quia certitudo divinæ cognitionis de futuris in suis propriis existentiis debet provenire ex objecto primario talis cognitionis, sed primarium objectum cognitionis futurorum in suis propriis existentiis non est divina voluntas volens illa producere futura, nec est divina essentia ut continens illa sicut infallibilis causa eorum; quia in divina essentia & voluntate ut sic tantum videntur ut certò futura, non ut realiter præsentia in suis propriis existentiis, unde nec æternitas ambiens omne tempus ad id est necessaria: ergo objectum primarium illius certè visionis est æternitas continens ipsa secundum suas actuales existentias.

CAPUT XXII.

Solvuntur contraria argumenta supra adducta.

Sed jam ad argumenta respondeamus quæ in contrarium fuerunt objecta. Et ad primum, quod erat Scoti, negandum est primum antecedens; quòd videlicet ita se habeat immensitas ad locum, sicut æternitas ad tempus: quia immensitas solùm respicit locum præsentem non futurum; æternitas autem æqualiter continet tempus præsens, atque futurum. Et ratio hujus est: quia Deus secundum immensitatem dicitur replere loca omnia quæ sunt in se ipsis extra Deum; è converso autem Deus secundum æternitatem non dicitur esse in tempore quod sit in se ipso extra Deum, sed potius tempus dicitur esse in Dei æternitate. Unde immensitas Dei præsupponit loci productionem ut ipsum impleat; æternitas autem non præsupponit temporis productionem, ut ipsum contineat. Et hujus iterum ratio est, quod Deus secundum immensitatem, & infinitam essentiam, atque potentiam habet rationem causæ; unde antequam causet effectum, vel locum non dicitur esse ineffectu, vel replere locum. Cæterum æternitas non habet rationem causæ, nec supponit effectum causatum in quo sit, sed tamen est infinita quædam duratio infinitaque mensura, quæ ex necessitate debet continere omnem aliam durationem inferiorem (ut sæpe dictum est.)

Respondetur secundò & forte clariùs quod præteritum & futurum sunt per se differentiæ durationis; unde necessariò continentur sub infinita duratione; potissimè si sit tota simul, sicut est æternitas. At preteritum & futurum nullo modo sunt differentiæ loci. Unde nullo modo pertinent ad locum, & sic immensitas quæ replet locum nullo modo respicit loca futura vel illa replet, sed tantum habet replere locum præsentem secundùm omnem differentiam loci; videlicet secundùm sursum, & deorsum; dextrum & sinistrum, & alias loci positiones & differentias. Et in ista secunda solutione, quæ formalior apparet distinguendum illud primum antecedens est; ita se habet immensitas ad locum sicut æternitas ad tempus, distinguendum est, inquam: ita se habet proportionaliter immensitas ad locum, & ad omnes differentias loci, sicut se habet æternitas ad tempus, & ad omnes differentias temporis, concedo: sed differentiæ loci sunt sursum & deorsum &c unde se habet proportionaliter immensitas ad illas, sicut tempus ad suas proprias diffentias præsentis, præteriti & futuri. Ita se habet immensitas ad locum sicut æternitas ad tempus æqualiter, & in omnibus, ideſt, quod sicut æternitas respicit futura tempora, illaque continet; ita immensitas respiciat futura loca illaque impleat, negandum est.

Ad secundum dicendum: nullo modo sequi ex eo quod futura æternitati coexistant quòd res bis producantur, semel in æternitate, & semel in se ipsis; sicut enim res sunt in æternitate secundum illud tempus quo habituræ sunt esse; ita producuntur in æternitate secundum illud tempus quo producuntur in esse. Unde sicut non est duplex esse rerum in tempore & in æternitate, sed unum, & idem, ita nec duplex potest esse productio. Cum enim futura coexistant æternitati per illud idem esse quod habitura sunt in tempore, ex eo quod æternitas ambit tempus futurum, undenam sequitur duplex productio illius? imò planè totum oppositum infertur; postquam, ut dictum est, ideo res sunt in æternitate, quia sunt in tempore suo, per quod esse, quod habent in tempore suo, coexistunt æternitati. Fortè illa duplex productio sequeretur. Si res prius essent in æternitate quam in tempore suo; ita ut ideo in tempore suo essent, quia per anticipationem præextiterunt in æternitate; & in tali falsa & impossibili positione coexistentiæ rerum ad æternitatem illa objectio procedit contra quam potest argumentum instare: nullo modo autem contra veram futurorum coexistentiam ad æternitatem, ut visum est.

Ad tertium distinguenda est major illa propositio; si illa duo coexistunt uni tertio sicut propriè & ædequatæ mensuræ utrique communi, verum est quod quæ sic coexistunt uni tertio coexistunt inter se: & hoc modo duo homines dicuntur coexistere inter se quia coexistunt uni tertio, scilicet huic præsenti tempori, à quo adæquatè ut à propria mensura mensurantur. Similiter vera est illa major, si illa duo coexistant alicui tertio, quod respectu unius est adæquata & propria mensura, & respectu alterius in adæquatâ, continens tamen illius mensuram propriam sub se; & hoc modo absolutè concedendum est Deum & creaturam simul coexistere. Quia cum Deus &

Digitized by Google

creatura comparantur sub ratione existentium, per se constat comparari tempus creaturæ ad ipsam æternitatem. Si verò major illa propositio intelligatur de coexistentibus uni tertio quod respectu utriusque est in adæquata & superexcedens mensura continens proprias mensuras temporis, sed diversas illorum coexistentium, tunc falsa est & impossibilis illa propositio; nec enim tunc illa possunt coexistere inter se, & hoc modo coexistunt æternitati futura, quæ sunt in diversis temporibus futuris. Unde non possunt coexistere inter se. Et ratio est sæpius explicata; quia æternitas quæ ambit simul omnes diversas partes temporis futuri, facit quod in ordine ad se nimirum æternitatem, futura diuersorum temporum coexistunt, licet simul in ordine ad se ipsas coexistere nequeant, ex eo quòd in ordine ad se ipsas diversas habent temporis mensuras, quæ simul esse non possunt.

Ex hoc patet vera intelligentia illius dicti, quod duo contradictoria secundum idem nunc temporis, vel secundum idem tempus futurum sunt vera comparatione nunc æternitatis: v. g. Antichristus est, Antichristus non est; pluvia erit, pluvia non erit, sensus enim est aliqua esse contradictoria in ordine ad tempus, quæ non sunt contradictoria in ordine ad æternitatem. Utraque enim signata contradictoria secundùm idem tempus contradictoria sunt; at in ordine ad æternitatem simul comprehendentem diversa tempora, non sunt contradictoria; sed utraque vera est respectu æternitatis, in qua verum est quod Antichristus est, & quod Antichristus non est, & quod pluvia erit, & pluvia non erit; secundum nempe diversa tempora secundum quæ verificantur, quæ actualiter sub nunc æternitatis comprehenduntur,

Advertendum tamen, quòd tripliciter possunt hæc contradictoria formari. Primò absolutè; dicendo videlicet, Antichristus est: Antichristus non est. Secundò respectu æternitatis, dicendo Antichristus in æternitate est: Antichristus in æternitate non est. Tertiò comparatione æternitatis, sed per veras propositiones contradictorias; puta dicendo, Antichristus est in æternitate, Antichristus non est in æternitate. In primò sensu, ut dictum est, quia respectu æternitatis contradictoria non sunt, sed solum respectu præsentis temporis, ideo verificantur in æternitate. In secundò sensu etiam verificantur in æternitate, quia respectu illius contradictoria non sunt, cum maneat æternitas in utraque affirmata. Unde sensus est; Antichristus pro aliquo tempore coexistente æternitati, est; Antichristus pro aliquo tempore coexistente æternitati, non est. Unde manet eadem particularitas in utraque, non minus quàm ista; in Sequana sunt pisces; in Sequana non sunt pisces: Thomas est in hac Civitate; Thomas in hac Civitate non est. In tertiò verò sensu etiam respectu æternitatis sunt contradictoria, nec respectu illius verificari possunt: quia negativa negat totam æternitatem & ponit totum oppositum affirmativè; quare sensus illius negativæ primarius est; Antichristus nullo modo nullaque ratione est in æternitate, quæ semper falsa est, sicut affirmativa est vera, quæ dicit quod aliqua ratione Antichristus est in æternitate.

CAPUT XXIII.

Diluuntur argumenta Durandi, & P. Suarez.

POTISSIMA instantia ea est quam ex Durando supra adduximus sub his verbis. Coexistere alteri præsupponit existere in se: ergo quod non existit in se, quale est futurum, non potest coexistere alteri. Quidquid dicat P. Vasquez asserens sibi non occurrere quid huic rationi à Thomistis responderi possit: facilè tamen respondetur quod quando unum ex coexistentibus dicitur coexistere alteri propter illud aliud, similiter debet habere existentiam propter illud, & quia coexistentia futurorum ad æternitatem est propter ipsam æternitatem ambientem tempus futurum, etiam pari modo existentia futurorum debet esse in æternitate, vel propter illam, ambientem existentiam illorum in tempore futuro. Hæc est communis solutio, & vera. Vt autem magis eluceſcat robur illius, ac veritas.

Observandum est, quod tripliciter possumus formare propositiones de existentia futurorum ad æternitatem. Primo modo dicendo futura coexistunt æternitati. Secundo modo futura in nunc temporis coexistunt æternitati. Tertio futura pro nunc temporis coexistunt æternitati. Prima propositio est qua & communiter utuntur Doctores dicentes, futura in æternitate existunt, vel æternitati coexistunt; & hæc absolutè & simpliciter vera est, & concedenda. Quamvis enim verbum illud presentis temporis simpliciter & absolutè prolatum importet quòd præsens temporis, in quo profertur enuntiatio, mensurat significatum propositionis, & ex consequenti ad sui veritatem requirat quod in tempore præsenti in quo profertur enuntiatio, sit significatum illius; tamen si opponatur aliquod adjunctum in propositionibus quod faciet eam abstrahere à tempore præsenti; tunc non importat quod tempore illo presenti quo profertur, verificetur significatum illius. Est exemplum in hac propositione. Homo est rationalis & in omnibus aliis perpetuæ veritatis, in quibus verbum præsens abstrahit à præsentialitate præsenti & ab existentia, cum sit vera ab æterno. Sic ergo dicimus in propositio, quòd ista propositio; *Antichristus existit*, absolutè & simpliciter importat quod existit in tempore presenti quo propositio profertur, unde absolutè est falsa; si tamen apponamus hoc additum dicentes, Antichristus existit in æternitate, vel coexistit æternitati; illud additum (*in æternitate*) facit quod illa propositio abstrahat à præsenti tempore consignificato, & quòd non importet significatum illius, nempe Antichristi existentiam esse verificandam secundum illud tempus præsens quo propositio profertur, sed secundùm illud additum in illa expressum, nimirum quod existat in nunc æternitatis: & iste est sensus illius propositionis. Quia verò æternitatis ambit tempus futurum, est sensus, futura pro suo futuro tempore existunt in æternitate.

Secunda propositio etiam vera est. Probatur, quia æternitas in hoc nunc temporis est continens futurum tempus, & coexistentia sibi futura: ergo ipsa futura in hoc nunc temporis continentur ab æternitate ut illi coexistentia: ergo futura in hoc nunc temporis coexistunt æternitati. Si enim in hoc nunc temporis continentur ab æternitate ut illi coexistentia: ergo ipsa in hoc nunc temporis contenta ab æternitate illi coexistunt. Tertia autem propositio manifestè est falsa, & impossibilis: quod videlicet

pro

pro nunc temporis æternitati coexistant. Itaque in nunc temporis propter æternitatem quæ in illo est ipsi æternitati futura coexistunt, non autem pro illo nunc temporis, sed pro tempore futuro.

Hoc suppositio clarè argumento respondemus: Coexistentia præsupponit ex necessitate existentiam, & id quod coexistit alteri supponit quod existat in se, concedimus; & ad minorem, sed futura non existunt in se, distinguimus; non existunt in se in ordine ad tempus præsens, concedimus: non existunt in se, in ordine ad æternitatem negamus: ergo non coexistunt æternitati, etiam negamus. Itaque sicut in se existunt, ita æternitati coexistunt; existunt autem in se respectu æternitatis, quia verum habent esse coexistentiæ pro tempore futuro, quod ambit æternitas, & per illud esse suum coexistunt Deo in æternitate. Tota igitur vis hujus argumentis quod difficile ab aliquibus reputatur in æquivocatione laborat, quia ex eo quod de præsenti vel secundum tempus præsens non existunt modo futura, infert quod non existant in æternitate pro futuro tempore, & quod pro illo non possunt Deo in æternitate coexistere. Cui iterum dicimus quod sicut pro hoc nunc non existunt futura in æternitate, ita pro hoc nunc non coexistunt Deo in æternitate. Sicut autem existunt in æternitate pro tempore futuro quod jam nunc ambit æternitas, ita coexistunt Deo in æternitate pro tempore futuro, quod jam nunc æternitas continet.

Sed opponunt quidam. Futura coexistunt æternitati, quia erunt in futuro tempore: ergo ratione temporis futuri coexistunt, sed tempus ipsum futurum non potest per aliud coexistere æternitati: ergo nec poterit simpliciter illi coexistere.

Ad quod tamen facillima responsio est, quod quia æternitas ambit omne tempus, ambit & futurum, & ratione illius omnia quæ in illo continentur: unde sicut futura, medio tempore suo futuro coexistunt æternitati; ita tempus ipsum futurum se ipso coexistit æternitati, & non medio alio: sicut substantia corporalis per quantitatem est extensa: quantitas autem ipsa per se ipsam, & non per aliud extensa est; & albedo se ipsa alba est, & unitas per se ipsam est una: quia in his materiis & formis ex necessitate deveniendum est ad unam primam quæ se ipsa, & non per aliam talis sit.

Ad primum quod ut Achille à Francisco Suarez opponebatur, cum tamen idem omnino sit ac illud Durandi, licet per alia verba idem proponat. Neganda est illa prima illius propositio quod videlicet res temporales, & creatæ non possint dici verè Deo coexistere in æternitate. Quia, ut ostensum est, propria ratio æternitatis totum oppositum ostendit. Et ad probationem illam; videlicet quòd res quando in se non existunt, non possunt dici coexistere in æternitate; dicendum sub distinctione est: quòd quando in se non existunt non possunt dici pro illo tempore quo in se non existunt, coexistere æternitati; bene autem possunt, imò debent dici æternitati coexistere pro tempore alio futuro, quod jam est præsens in nunc æternitatis. Ad aliam probationem dicendum, quod licet res creatæ ab æterno non extiterint in se ipsis (hoc enim non potest concedi, quia si concederetur, significaret talis propositio, quod adæquate mensurarentur res creatæ æternitate) concedi tamen debet quòd in æternitate Deo coextiterunt res creatæ pro tempore quo postea futura erant, ut explicatum est. Et rursus ad aliam probationem; quòd videlicet coexistere æternitati supponit existere in se (quòd est hujus rationis fundamentum à Durando priùs objectum) dicendum pro ut supra quod supponit existere in se secundum illud tempus quo erunt, per quod esse jam sunt præsentia æternitati.

Et ad hujus probationem qua dicitur quod ista illatio: coexistit in æternitate: ergo existit, tenet ab inferiori ad suum superius affirmativè, & per consequens bona est consequentia in qua cum consequens sit falsum, necesse est quod antecedens sit falsum. Sunt viri docti qui dicãt illam illationem tenere ab inferiori ad suum superius affirmativè; sed, ly existit, in antecedenti dicit nunc præsens quoniam est intrinsecum æternitati esse præsentem, in consequenti autem ly existit, abstrahit à presenti, præterito & futuro: unde esse in æternitate quid inferius est ad esse, quatenus esse abstrahit â præsenti, præterito & futuro. Verum hoc difficultatem habet; quia hæc propositio hoc existit, absolutè prolata, ut dictum est, in proprio modo significandi importat tempus presens, & secundum illud presentem existentiam; nec ponitur in tali propositione aliquid, per quod abstrahat à tempore præsenti: unde communiter & verè dicitur has esse contradictorias, Antechristus existit, Antichristus non existit, & quòd affirmativa est falsa & impossibilis; esset tamen vera, si abstraheret à tempore præsenti, preterito, & futuro: non ergo tenet illa illatio ab inferiori ad superius affirmativè ut putatur.

Igitur ad illam illationem duplici via possumus respondere. Primò dicendo illationem quidem esse bonam & consequens esse verum, pro ut subsistat antecedenti, non autem simpliciter & absolutè, & ita sensus est, quòd existit in futuro tempore, quia ut sic subsistat antecedenti. Illud enim antecedens futurum existit in æternitate, facit hunc sensum, quod existit in æternitate pro tempore futuro, non pro præsenti, & sic consequens etiam ut subest illi antecedenti est verum; quòd videlicet futurum existit in se secundum tamen quod subest prædicto antecedenti, & secundum modum illius, sicut solet dici in ista. Deus scivit Petrum peccaturum: ergo Petrus peccabit: quod hoc consequens ut subest antecedenti est necessarium, licet absolutè sit contingens.

Secundò respondetur & melius illationem esse malam, & revera procedere à superiori ad suum inferius affirmativè. Nam esse in æternitate, licet dicat rem esse præsentem sibi, tamen abstrahit à præsenti tempore nostro, præterito, & futuro, ut omnes precipuè discipuli S. Thomæ dicere tenentur. Quia æternitas facit rem sibi esse præsentem, quæ nobis est presens, preterita, vel futura: imò ipsa æqualiter illa tria facit sibi coexistere præsentialiter, & sic illud antecedens abstrahit ab existentia præsenti tempore nostro, præterito, & futuro: cum autem infertur in consequenti: ergo futurum existit, ex vi significationis dicit quod hoc tempore existat ob rationes factas. Unde manifestum est quod latiùs patet, & superius quid est rem existere in æternitate) quod in antecedenti importatur (ad id quòd in consequenti infertur, dum dicitur quod res existit. Quod vel ex eo cognosci potest: quòd æternitas est superexcedens & communis mensura ad durationem præsentem, præteritam, vel futuram: ergo cum fit argumentum ab illa ad aliquam mensuram temporaneam, procedit argumentum à superiori & communi mensura ad particularem. Sicut ergo si sic fieret argumentum. Hoc locatum est in loco communi: ergo est in isto particulari, nulla esset consequentia, quia procederet à superiori ad inferius affirmativè; ita in illa alia, *futurum existit in æternitate: ergo existit*, à superiori mensura ad inferiorem fit argumentum, & proinde non tenet.

Ad ultimum; quòd nimirum sequeretur Angelum

Digitized by Google

per ævum posse cognoscere futura contingentia id quidem negatur. Primò quia ævum mensurat substantiam, non ejus cognitionem, qua creaturas cognoscit; unde per illud futura non cognoscuntur, imò nec actualiter existentia. Quod si mensurat ævum solam illam cognitionem qua Angelus se ipsum cognoscit, cum non mensuret cognitiones alias quibus cognoscit creaturas; multo minus potest mensurare cognitionem futurorum. Igitur cognitiones quas de creaturis Angelus habet mensurantur tempore discreto quod successionem habet, cui propterea ea quæ fiunt successivè in tempore nostro, non sunt præsentia, nec ea ut præsentia potest intueri. Solutio est S. Thomæ prima par. q. 57. art. 3. ad 2. Ubi sic dicit. *Ad secundum dicendum quod licet intellectus Angeli sit supra tempus, quo mensurantur corporales motus, est tamen in intellectu Angeli tempus secundum successionem intelligibilium conceptionum, secundum quod dicit Augustinus 8. super gen. ad litt. quòd Deus movet spiritualem creaturam per tempus, & ita cum sit successio in intellectu Angeli, non omnia quæ aguntur per totum tempus sunt ei præsentia.* Solutione autem ad tertium negat quòd futura repræsententur per species Angeli, quia ea quæ futura sunt nondum habent naturam, quam speciebus Angelicis assimilent. Ex quolibet ergo capite, & potissimè ex utroque simul, Angelus non potest cognoscere futura contingentia, & quia illa non repræsentantur per speciem, & quia futura in se ipsis Angelo præsentia non sunt.

CAPUT XXIV.

Quod ex coexistentia futurorum in æternitate non tollitur eorum libertas.

HUc usque explicavimus modum, quo Deus certam cognitionem habet de futuris liberis contingentibus, non solum in causis suis, sed etiam in se ipsis. Nunc quomodo cum ista infallibili Dei cognitione eorundem futurorum perfecta libertas coachærear, aperiamus oportet. Hic enim precipuus finis est ad quem tota nostra ordinatur intento & ad quem omnia supradicta quasi præambula præmittuntur.

Tantùm ex duplici capite apparet non rectè salvari futurorum contingentiam, & indeterminationem cum doctrina prædicta. Primò ex determinatione efficaci divinæ voluntatis circa illa. Secundò ex certa Dei cognitione de ipsis futuris. Utrique enim ob suam determinatam & certam rationem, obstare videtur futurorum indeterminatio & contingentia. Unde S. Thomas ubique hanc tractans materiam signanter prima p. q. 14. art. 13. & q. 19. art. 8. ex hoc duplici capite argumenta opponit contra futurorum contingentiam & indeterminationem. Opponit in primo argumento dictæ quæst. 19. art. 13. quòd ex eo quod scientia Dei est causa rerum, per adjunctam scilicet determinationem divinæ voluntatis, futura quæ à tali scientia Dei certa necessaria & immutabili producuntur; necessaria & immutabilia sint, & non contingentia. In aliis autem duobus argumentis ex certitudine divinæ scientiæ obiicit certa etiam debere esse futura contingentia, non autem ad utrumlibet & indeterminata. Imò ita efficacia opponit argumenta, ut nulla ratione quæ modo multiplicantur, vel alia reipsa sint, vel strictiùs sint formata. Quæ propterea dum clare solvit omnia arma conterit. Notentur à Theologis, vel sola illa tria argumenta præfati art. 13. & cognoscent verissimum esse quod asserimus.

Igitur summatim doctrinam Sanctissimi Doctoris colligendo, respondemus quod apparens incompossibilitas futurorum contingentium quæ oriri videtur ex efficaci determinatione divinæ voluntatis, conciliatur, rectèque deducitur ex eminentia seu infinitate illius efficacis voluntatis Dei, quæ ita est causa futurorum ut certò sint, quod est etiam causa contingentiæ illorum & omnis modi ipsorum. Vult enim infinita efficacia divinæ voluntatis, ut infallibiliter futura sint, & simul quòd contingentia sint, & utrumque causat, & ad utrumque secundas causas contingentes movet. Ut in terminis idem S. Thomas docuit prima par. q. 19. art. 8. quòd & nos plenius jam supra reliquimus probatum, & explicatum non semel.

Respondemus secundò quòd apparens incompossibilitas contingentium futurorum orta ex capite alio, nempe ex certitudine divinæ cognitionis, optimè conciliatur cum eadem certa Dei cognitione ex rationibus quas Deus apud se habet ut determinatas per efficaciam divinæ voluntatis prædictam (si tamen illa Dei certa cognitio fuerit futurorum ut futura sunt) quia sicut efficacia Dei voluntatis determinat quod sint certò futura & contingentia simul, (ut dictum est) rationes quas apud se Deus habet, illa repræsentant certò futura, & ut certò contingentia: representant enim quod causæ contingentes, (licet cõtingentiam habeant respectu illorum & non necessitatem) infabiliter tamen talia futura, salva sua contingentia, producturæ sunt, ut sæpius manet expositum.

Respondemus tertiò quod apparens incompossibilitas futurorum contingentium orta ex certitudine divinæ scientiæ intuitivæ, seu visionis eorundem futurorum contingentium, optimè conciliatur cum illa certitudine ex coexistentia rerum in æternitate, nec aliquo meliori modo potest conciliari aut ostendi. Itaque ex eo quod illa certa Dei cognitio est intuitiva & visionis, ex hoc, inquam, eodem capite, ex quo videtur tolli futurorum contingentia, ponitur & ostenditur eadem contingentia.

Ut igitur clariùs loquamur, ex utroque illo capite ex quo apparet tolli rerum contingentia, nempe ex efficacia voluntatis divinæ, & certitudine divinæ scientiæ; ex utroque, inquam, reipsa hæc verè statuitur, firmatur, & deducitur eorundem futurorum contingentia. Et quidem quòd ex efficaci determinatione oriatur & dimanet rerum contingentia, multiplicitèr ostendimus supra; nunc quod ex certa Dei scientia visionis oriatur & probetur rerum contingentia aperiamus, si tamen priùs argumenta adversariorum proposuerimus.

Sic ergo arguunt recentiores: si futura coexistunt æternitati præsentia secundum suas reales existentias: ergo jam respectu æternitatis censentur producta extra suas causas: ergo illæ causæ non poterunt non producere; ergo nec habent libertatem ad non producendum & sic perit omnium rerum libertas. Si enim Antichristus secundùm suam realem existentiam coexistit jam æternitati, ut extra suas causas productus: non poterunt ergo causæ ejus illum non producere. Quomodo ergo habebunt libertatem ad illum producendum? Hoc est potissimum fundamentum.

Sed quam parùm solida sit istorum doctrina suma brevitate ostendam. Primò secundùm Sanctorum Patrum doctrinam futura omnia, sive necessaria, sive contingentia, & libera sunt Deo in sua æternitate coexistentia & præsentia secundùm suas

proprias

Digitized by Google

proprias ac reales existentias; sed impium est asserere Sanctos Patres & Ecclesiæ Doctores, vel libertatem rerum negare, vel aliud docuisse ex quo talis contingentia & libertas à rebus auferatur; ergo ex reali coexistentia futurorum in æternitate nullo modo futurorum libertas aufertur. Major abundè satis manet probata ex dictis Sanctorum Ecclesiæ Doctorum. Minorem autem probare non oportet. Quis enim dicat Sanctos Ecclesiæ Doctores, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, Thomam, & reliquos aliquid docuisse ex quo libertas tollatur? Unde recentiores cum ex reali coexistentia rerum in æternitate ablationem nobis ominantur libertatis, quo modo non vident quos & quantos fidei Catholicæ defensores tam execrabili criminatione appetant.

Præterea, ex vera ratione æternitatis non sequitur destructio libertatis; quis enim hoc dicat? Sed de ratione æternitatis est quod ea quæ sunt futura in tempore jam sint sibi ab æterno præsentia ut dictum est: ergo ex ista coexistentia futurorum in æternitate nullo modo sequitur destructio libertatis. Certè qui ablationem libertatis ex coexistentia reali rerum in æternitate deducunt, nihil aliud reipsa constituunt nisi Dei æternitatem oppositam esse humanæ libertati; & ex æternitatis definitione sequi id quod tam aperte contra fidem procedit, videlicet destrui humanorum actuum libertatem.

Ampliùs: æternitas secundùm suam propriam rationem considerata, videlicet ut est interminabilis vitæ tota simul ac perfecta possessio, nullo modo dicit aliquam causalitatem circa res ipsas, quæ illi coexistunt: ergo nec aliquam dicit causalitatem circa illa futura quæ illi coexistere declaravimus supra; sed solùm ipsa futura sibi præsentialiter continet: ergo omnia talia futura continet sicut illa in se ipsis sunt, sed multa illorum sunt vetè libera & contingentia: ergo continet & libera & contingentia, & ipsa futura sic in se ipsis libera & contingentia ipsi æternitati coexistunt cum eadem libertate & contingentia sibi innata & propria. Major certa est, nec in dubium verti potest, quia æternitas secundùm suam rationem propriam res non producit vel causat, sed illa à divina scientia habente divinam voluntatem annexam producta & causata realiter continet ut actu sibi presentia.

Simili omnino ratione, si sermo fiat de visionis scientia qua Deus intuetur illa quæ nobis futura sunt ut sibi in sua æternitate presentia, constat manifestè ex tali Dei visione nullo modo futurorum tolli aut lædi libertatem, quod præterquam quod rationibus modo factis probatur, id libet in particulari amplius sic probare. Dei visio, seu intuitio secundùm hanc rationem est putè speculativa intuitio illius actus liberi, sive illorum contingentium: ergo ut sic non est causa eorum nec aliqua prioritate illa futura antecedit, nec aliqua ratione præcedit causalitatem arbitrij super futura talia: ergo nullo modo impedit libertatem, sed actum liberum à sua libera causa productum, sicut in se est, intuetur. Imò planè sequitur, quòd si ex tali Dei visione impediretur futurorum libertas, ipsa Dei præscientia falsificaretur: quia videlicet ipsa videt futurum liberum sicut in se liberum est: ergo si intueretur illud esse necessarium, & necessariò evenire, planè divina scientia falsa redderetur. Quod & docuit S. P. Augustinus 5. de Civit. cap. 4. & 10. & lib. 3. de libero arbitrio cap. 34. Sic enim dicit. Scientia Dei se ipsam destruere non potest, vel falsam reddere. Si autem ipsa tolleret contingentiam rerum, se ipsam & suam veritatem destrueret: ergo contingentiam, & libertatem rerum non tollit. Minor sic ab ipso Sancto Doctore probatur. Quia divina scientia non solum scit futura, sed etiam scit plurima illorum libera esse, & contingenter evenire: ergo se destrueret, si contingentiam & libertatem auferet.

Ampliùs: S. P. Augustinus, ubi supra, id ipsum sic confirmat: Divina præscientia respectu eorum quæ nobis futura sunt, non tollit libertatem & contingentiã in quantum præscientia est, sive secundùm communem rationem præscientiæ respectu eorũ quæ nobis futura sunt; nec etiam quatenus talis præscientia est; videlicet quatenus est præscientia Dei: ergo nullo modo libertatem sive contingentiã tollit: consequentia est manifesta; quia si illa præscientia libertatem sive contingentiam tollit vel id provenire debet ex communi & generali ratione præscientiæ, vel ex particulari sua quasi specifica. Antecedens verò quo ad primam partem patet: nam si præscientia tolleret libertatem & contingentiam à rebus futuris quatenus est præscientia ut sic, sequeretur quod omnis præscientia sive à Deo, sive ab homine haberetur, libertatem tolleret, & ex consequenti, si ego viderem Petrum post unum horam lecturum, jam mea præscientia illum necessitaret ad talem lectionem & ab ipso circa illum actum libertatem auferret, quo nihil impossibilius dici potest. Igitur ex ratione communi præscientiæ impossibile est quòd futurorum tollatur contingentia seu libertas. Quod autem nec ex præscientia Dei, in quantum est Dei præscientia, hoc pròveniat. Id sic manifestatur quia illa non potest tollere contingentiam & libertatem futurorum nisi ratione suæ certitudinis, si autem ratione certitudinis aufert libertatem futurorum, quælibet humana præscientia certa talem auferret libertatem quod modo manet impugnatum.

Nec enim satisfacit, si quis dicat divinam præscientiam quia antecedit futurorum productionem ex sua æternitate tollere ipsorum libertatem & contingentiam. Nam quod attinet ad rationem futuri, idem omnino est quod prævideatur certò post unam horam futurum, & quod certò prævideatur ab æterno: nihil enim horum magis vel minus tollit de illius libertate, quòd quia certum est non opportet id ampliùs explicare.

Præterea S. Thomas opusc. de præscientia & prædestinatione sic dicit. *Si præscientia Dei accipiatur pro simplici notitia futurorum certum est quòd ipsa non est causa rerum præscitarum, & ideo licet præsciat futura non tamen eis necessitatem imponit.* Ecce uterque Doctor Sanctus pro comperto habet quòd præscientia Dei seu divina intuitio, ut merè speculativa est, quia non est rerum causa, nullo modo libertatem earum auferre, nec rebus præscitis aliquam imponere necessitatem potest.

Præterea hoc idem sic declaratur: præscientia Dei æterna intuens futura sibi realiter coexistentia videt ipsa futura in se ipsis ut producta jam à suis causis liberis: ergo illa præscientia sicut præsupponit ipsum futurum quod intuetur, ita presupponit illius liberam naturam, & præsupponit libertatem in causis producentibus: ergo talis præscientia nullo modo lædit libertatem illorum futurorum, imò illam præsupponit & illam intuetur, & ista est expressa ratio adhibita à S. Augustino lib. 5. de Civit. Dei cap. 9. ubi dicit: *Non est autem consequens, ut si Deo certus est omnium ordo causarum ideo nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio; & ipsæ quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo eusque præscientia continetur, quoniam & humanæ voluntates, humanorum operum causæ sunt; atque qui ita omnes rerum causas præscivit, profecto in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præscivit.*

Digitized by Google

præscivit. Quibus verbis apertè dicit divinam præscientiam libertatem nostræ voluntatis, quæ liberè operatur, objective intueri, tantum abest quod illam destruat.

CAPUT XXV.

Solvitur potissimum adversariorum fundamentum,

EX dictis manifestè patet quid dicendum sit ad recentiorum fundamentum modo relatum, quo ex coexistentia rerum in æternitate inferunt amitti earum libertatem, quia videlicet jam causæ secundæ aliter non poterunt operari. Ad hoc enim dicendum non solum istud inconveniens ex prædicta coexistentia non deduci, imò planè totum contrarium sequi; quòd videlicet causæ liberæ in tempore futura talia libera producent, & quòd eadem poterunt non producere, quòd sic manifestatur. Quia illa futura sic præhabentur coexistenter in æternitate, sicut in tempore nostro futura sunt liberè, & liberè à causis suis producentur: ergo sic præhabentur in æternitate.

Duo ergo habent futura libera, cum in tempore producuntur: alterum quod antequam existant in se ipsis in prioritate saltem naturæ potuerunt non produci à suis liberis causis; alterum verò quòd postquam existunt, & dum existunt, hac suppositione facta, ex necessitate existunt; sicut res dum sunt necesse est esse & ista duo eodem modo prorsus æternitati coëxistunt præsentia reali. Primò enim illi coëxistunt causæ liberæ potentes producere & non producere futura illa. Secundò coëxistunt æternitati ista futura ut jam in se existentia extra suas causas. Et sicut futura in illo priori antequam in se existant intelliguntur præhaberi in suis causis potentibus producere, & non producere, ita postquam in seipsis sunt, jam determinationem & necessitatem ex suppositione habent ut sint, & priorem libertatem suarum causarum præsupponunt, & totum hoc æternitas continet: unde præsupponit æternitas naturam propriam illorum futurorum, & præsupponit illa futura liberè esse, & liberè à suis causis produci: cum ergo æternitas continens præsupponat illorum futurorum libertatem, & illam contineat, quomodo libertatem impedit, aut impedire potest? Itaque ista causalis est vera: quia res illæ futuræ sunt in aliqua differentia temporis, ideo realiter coëxistunt. Similiter quia ista libera futura in aliqua temporis differentia producuntur, ideo æternitas illa futura libera continet: præsupponit ergo æternitas propriam illorum futurorum libertatem. Quomodo ergo illorum futurorum quorum præsupponit libertatem, tollit libertatem.

Imò qui ad hoc non attendentes contendunt tolli libertatem ex tali coëxistentia rerum in æternitate, contra se ipsos pugnant & ipsi hoc quod reputant inconveniens, solvere tenentur: ipsi enim pro comperto habent quòd suppositio sive necessitas consequens libertatem ipsam non lædit; sed æternitas continens futura, & præscientia Dei illa intuens est suppositio sive necessitas consequens libertatem: ergo nullo modo libertatem ledit. Patet minor. Æternitas continens & Dei præscientia videns supponit objectum quod videt, & continet: ergo supponit illius naturam: ergo supponit ejus libertatem: ergo est consequens libertatem.

Item recentiores dicunt illa futura certissimè esse præsentia Deo in illa sua objectiva præsentia, ita quod antiquam in tempore fiant certissimè à Deo cognoscuntur: ergo ne divina cognitio fallatur necesse est quod à causis producantur in tempore: ergo non poterunt causæ non producere & sic perit ipsorum libertas. Certè quantùm ad hoc, idem argumentum fit de illa certa objectiva præsentia, & de reali coexistentia in æternitate. Cum ergo nihil obstante illâ certâ objectivâ præsentiâ, futura libera sint, & liberè in tempore à suis causis producantur, nec libertatem eorum tollat, (quæ est necessitas seu suppositio consequens humanam libertatem) ita & æternitas continens, & Dei visio intuens non tollit illorum libertatem, quia est necessitas, seu suppositio consequens eorum libertatem.

Sed dicunt disparem esse rationem de illa objectiva præsentia, quam statuunt, & de reali coëxistentia futurorum in æternitate; & similiter esse diversam rationem de visione absoluta rei futuræ quæ sequitur ad illam præscientiam conditionatam, & de intuitione quam nos constituimus respectu illorum futurorum. Quia (ut ajunt) illa objectiva præsentia non præsupponit aliam priorem causam antecedentem efficaciâ suâ liberam hominis voluntatem: & similiter visio quæ sequitur ad scientiam illam mediam, & ad voluntatem Dei qua voluit constituere liberum hominis arbitrium in illo ordine rerum ubi sic eum prævidebat operaturum, non præsupponit aliud antecedens humanam cooperationem, ex quo infallibiliter consequatur hominem operari. At vero in intuitione, quam statuimus ante omnem scientiam mediam, præsupponitur efficax Dei voluntas, quæ sit illorum futurorum prima causa; atque ideo in isto casu tollitur libertas, non verò in priori.

Hæc tamen responsio nulla omnino est: quia (ut supra diximus) hic agimus de visione Dei in quantum pure speculativa est, & hanc dicimus supponere hominis libertatem. Similiter agimus de coëxistentia rerum in æternitate, quam etiam affirmamus supponere ipsorum futurorum libertatem, & libertatem suarum causarum; nec ad præsens illa tractatur quæstio; quomodo videlicet divina voluntas efficaciâ suâ sit prima omnium rerum causa. Modò ergo non confundantur disputationes, sed attendant qui asserunt tolli libertatem per præsentiam rerum in æternitate, qualiter eos oportet sibi ipsis respondere: nam illa coëxistentia rerum supponit libertatem ipsarum: ergo est suppositio consequens, & sic secundum illos libertatem tollere non potest.

Et ut clariùs hoc appareat, supponamus per impossibile, ut dici solet, nullam dari voluntatem Dei antecedentem cum efficacia sua liberam hominis cooperationem; sed quòd Deus mediâ illâ scientiâ præscivit quid liberum arbitrium si in tali rerum ordine collocaretur, acturum sit, & sic ipsum in tali ordine voluit collocare; & quod tunc certò sciat illum futurum eventum. Hoc suppositio, si tale futurum in tempore illo signato modò coëxistat realiter præsens æternitati. Dicant modo ex quo capite tollitur illius futuri actus libertas: ex eo quòd æternitas illud sibi sua æternitate præsens contineat, non certè, cum omnis ista coëxistentia præsupponat, tum libertatem secundarum causarum, tum libertatem ipsorum futurorum, & sit suppositio consequens ad futura ipsa. Igitur ipsi tenentur in sua propria sententia respondere, & dicere quòd coëxistentia in æternitate ex pura ratione coëxistentiæ talis, libertatem quam consequitur nullo modo impedit. Aliud ergo est agere de prima causa à qua futurum certò habet quod sit futurum; & aliud suppositio quod sit certò futurum, à quocunque hoc habeat, quòd æternitati coëxistat.

Unde ergo ex tali præcisa ratione coëxistentiæ tolletur libertas cum in ipsis terminis præsupponatur libertas?

Hoc

Digitized by Google

Hoc ergo oſtendant, unde læditur libertas, vel unde impeditur cum futura ipſa ſicut libera ſunt, ita & liberè æternitati coëxiſtant, & coëxiſtentia talis libertatem ipſorum conſequatur & illam præſupponat: neceſſitas autem conſequens, & nullo modo antecedens ſecundùm ipſos nullo modo libertatem impedit. Igitur manifeſtiſſimum eſt per coëxiſtentiam rerum in æternitate libertatem eorum nullo modo impediri.

Alia autem argumenta quæ multiplicantur à recentioribus contra coëxiſtentiam rerum in æternitate, quia ſufficientiſſime à diſcipulis S. Thomæ ſoluuntur 1. p. quæſt. 14. art. 13. nec noſtrum tangunt inſtitutum, hîc ſolvere non oportet. Illud notetur, quòd teſtante S. Proſpero ſupra relato etiam Maſſilienſes intelligere non valebant qualiter futura Deo in æternitate præſentia coëxiſterent, de quo à S. Proſpero confutantur.

Sed poteſt quis tandem opponere, in hac conſequentia (quæ ſine dubio bona eſt) Deus ſcivit Antichriſtum futurum: ergo Antechriſtus erit. Antecedens eſt neceſſarium abſolutè & ſimpliciter: ergo & conſequens eſt neceſſarium etiam abſolutè, atque ſimpliciter: ergo illud conſequens liberum non eſt, aut contingens, quia illud quod eſt ſimpliciter & abſolutè neceſſarium, liberum & contingens eſſe non poteſt. Quòd verò antecedens ſit neceſſarium abſolutè atque ſimpliciter ſanctus Thomas expreſſè docet tum 1. p. quæſt. 14. art. 13. ad 2. tum quæſt. 2. de verit. art. 12. ad 7. Et ratione probatur, quia illud antecedens eſt quodam dictum de præterito; ſed omne dictum de præterito, ſi eſt verum, eſt neceſſarium quia quod fuit non poteſt non fuiſſe: ergo eſt abſolutè neceſſarium. Quod autem conſequens debeat eſſe abſolutè & ſimpliciter neceſſarium patet, quia in bona conſequentia ſi antecedens ſit neceſſarium, conſequens debet eſſe neceſſarium, & ſi antecedens eſt abſolutè & ſimpliciter neceſſarium etiam conſequens debet eſſe abſolutè & ſimpliciter neceſſarium. Quod ſic probatur: quia dato oppoſito, quod videlicet conſequens non eſſet abſolutè neceſſarium, ſed abſolutè contingens, oppoſitum antecedentis abſolutè neceſſarij poſſeſt ſtare cum conſequenti: oppoſitum enim antecedentis abſolutè neceſſarij eſt eſſe abſolutè contingens, quod oppoſitum antecedentis optimè ſtaret cum conſequente illo, ſi illud non eſſet abſolutè neceſſarium: impoſſibile eſt autem quod in bona conſequentia oppoſitum antecedentis ſtet aut ſtare poſſit cum conſequenti.

Occaſione hujus tria diſtinctè & reſolutoriè diſcutiemus. Primum eſt, an illa propoſitio in antecedenti poſita, *Deus ſcivit Antichriſtum futurum*, (& idem eſt de omni alia ſimili de futuro contingenti) ſit neceſſaria abſolutè atque ſimpliciter, & ſi ita abſoluta dicenda ſit. Secùdum ſi illa eſt verè propoſitio de præterito, ut argumentum proponit. Tertiò dato quod verè de præterito non ſit, an ſit ita neceſſaria, ſicut illa quæ eſt de præterito.

Circa primum obſervandum duplicem eſſe propoſitionem abſolutè & ſimpliciter neceſſariam. Alia enim eſt neceſſaria abſolutè & ſimpliciter ex ſe, quæ ex rationibus terminorum neceſſaria eſt, nec aliquam ad ſui neceſſitatem requirit aut admittit ſuppoſitionem: unde nec aliqua potentia eſt aut fuit, aut potuit eſſe quę illam falſam reddere poſſit, qualis eſt iſta. Homo eſt animal: homo eſt rationalis & ſimiles, & iſtæ propriiſſimè ſunt, & dicuntur propoſitiones ſimpliciter & abſolutè neceſſariæ, ſolentque communiter condiſtingui contra omnes alias quæ ſunt neceſſariæ ex ſuppoſitione ut patet ex S. Thoma non ſemel citato, ſignanter ex quæſt. 23. de veritate art. 4. ad primo. Alia autem etiam cum proprietate licet non tanta, poteſt dici propoſitio ſimpliciter & abſolutè neceſſaria, quæ licet ad ſui neceſſitatem requirat aliquam ſuppoſitionem, tamen in ſeipſa habet illam neceſſitatem, & non dependenter ab alia priori propoſitione, ex qua inferatur: itaque abſolutè & ſimpliciter neceſſarium in hac ſecunda acceptione condiſtinguitur contra neceſſarium conditionatum, vel contra neceſſarium per illationem habitum. Et in hac acceptione idem omnino eſt neceſſitas abſoluta & neceſſitas conſequentis, & per oppoſitum idem omnino etiam eſt neceſſitas conſequentiæ & neceſſitas non abſoluta.

Hæc doctrina eſt Sancti Thomæ expreſſa 1. cont. gent. cap. 67. verſus finem ubi ſic habet. *Præterea, ſi unumquodque à Deo cognoſcitur ſicut præſentialiter viſum, ſic neceſſarium erit eſſe quod Deus cognoſcit, ſicut neceſſarium eſt Sortem ſedere ex hac quod ſedere videtur: hoc autem non neceſſarium eſt abſolutè vel ut à quibuſdam dicitur neceſſitate conſequentis ſed ſub conditione, vel neceſſitate conſequentiæ.* Quibus duo ſatis apertè docet. Alterum quod idem eſt neceſſarium abſolutè & neceſſarium neceſſitate conſequentis; parique ratione idem eſt neceſſarium non abſolutè, & neceſſarium ſub conditione vel neceſſitate conſequentiæ. Alterum quod iſta propoſitio illativa & conditionalis, ſi Petrus videtur ſedere, ſedet; vel iſta ſi Deus præſentialiter videt Antichriſtum, Antichriſtus eſt, non eſt abſolutè neceſſaria, nec eſt neceſſaria neceſſitate conſequentis, ſed tamen eſt neceſſaria neceſſitate conditionali, vel neceſſitate conſequentiæ.

Quo præhabito fundamento dicendum iſtas propoſitiones: Deus ſcivit Adam peccaturum; Chriſtum Dominum paſſurum; Antichriſtum futurum, & ſimiles omnes de futuro contingenti; non eſſe neceſſarias abſolutè & ſimpliciter in primo ſenſu; ea videlicet ſignificatione qua abſolutè neceſſarium vocatur id quod eſt neceſſarium ex rationibus terminorum, cujus proinde oppoſitum talem implicat contradictionem, ut per nullam potentiam id fieri poſſit. Nec id aliquando S. Thomas ſenſit, ſed totum contrarium ſemper docuit, affirmans illas propoſitiones eſſe neceſſarias ex ſuppoſitione immutabilitatis divinæ ſcientiæ & ex ordine ad ſcitum quod ponitur ſubjacere divinæ ſcientiæ, dum eſt; ut pleniùs ex Doctore Sancto ſtatim exponemus.

Præterea ipſe S. Doctor 1. par. quæſt. 14. art. 13. ad 2. ita habet: *Si dicam, Deus ſcivit aliquid, illud erit, conſequens intelligendum eſt prout ſubeſt divinæ ſcientiæ, ſcilicet prout eſt in ſua præſentialitate, & ſic eſt neceſſarium ſicut & antecedens.* Ubi docet neceſſarium eſſe conſequens ſicut antecedens; conſtat autem conſequens non eſſe neceſſarium abſolutè ex rationibus terminorum: ergo nec hoc modo eſt antecedens neceſſarium ſecundùm expreſſam S. Thomæ ſententiam.

Ita communiter Sancti Thomæ diſcipuli) uno excepto Cajet.) videlicet Ferrara, Capreolus, Conradus, Victoria, Soto, Cano, Dominicus Bannez, Deça Complutenſes. Magiſter Zumel, ſic etiam ſentit Franciſcus Suarez. Nec eſt facienda vis aliqua, ſicut illam Suarez facit in eo quod Sanctus Thomas non dicit prædictas propoſitiones eſſe ſimpliciter neceſſarias, ſed tantum abſolutè neceſſarias; tum quia quæſt. 2. de verit. artic. 12. illas vocat ſimpliciter neceſſarias, tum quia idem omnino eſt vocare illas abſolutè neceſſarias, & dicere ſimpliciter neceſſarias; imò ſtrictiùs quid importare videtur, eas appellare abſolutè neceſſarias.

Ratio pro hac concluſione manifeſta eſt: liberè

Digitized by Google

Deus voluit Antichristum v. g. esse futurum, ita quod potuit non velle illum futurum esse: ergo liberè Deus scivit illum esse futurum, itaque potuit non scire illum esse futurum: ergo illa propositio non est absolutè necessaria ex rationibus terminorum. Hæc ultima consequentia aperta est quia si esset illa propositio necessaria absolutè ex rationibus terminorum, non potuisset Deus absolutè & simpliciter aliud scire; sicut non potest simpliciter & absolutè scire hominem non esse rationalem, quia esse hominem rationalem necessarium est absolutè ex rationibus terminorum. Secunda verò consequentia etiam manifesta est, quia eadem necessitate vel libertate Deus scivit Antichristum, qua necessitate vel libertate voluit illum esse, cum illius scientia quatenus speculativa cognoscat speculativè Antichristum sicut ipse est productus extra suas causas per divinam voluntatem, quæ omnium prima illius causa est: ergo ita illa divina scientia eum cognovit, sicut illum in esse suo divina voluntas produxit. Antecedens primum de fide est certum, nimirum quod liberè voluit Deus Antichristum esse, & quod velle poterat quod ille non esset, quia Antichristum esse non est necessarium absolutè & simpliciter ex rationibus terminorum, cum sit futurum contingens.

Dicendum secundò prædictæ propositiones sunt in secundo sensu explicato absolutè & simpliciter necessariæ, id est ex seipsis necessariæ sunt, & non ex illatione aliarum, ex quibus necessitate consequentiæ inferantur. Unde sunt absolutè necessariæ ad differentiam illarum, quæ conditionalem habent necessitatem sicut sunt istæ, si video Petrum sedere, sedet; si Deus intuetur Antichristum, ille existit, & similes. Hæc patet ex doctrina S. Thomæ explicata. Cum ista autem necessitate absoluta atque simpliciter stat optimè quod illæ propositiones sunt in se ipsis necessariæ ex suppositione immutabilitatis actus divinæ scientiæ, & ex ordine ad scitum quod ut præsens objicitur divinæ immutabili cognitioni. Utrumque enim verum est, & quod sunt necessariæ absolutè & simpliciter modo prædicto; & quod sunt in se ipsis necessariæ ex suppositione immutabilitatis divinæ scientiæ & ex alia suppositione explicata: & utrumque Sanctus Thomas expressè docuit: Primum quidem 1. p. q. 14. art. 13. Secundum verò in 1. sent. dist. 38. q. 1. art. ultimo ad quartum. Imò ibi utrumque simul expressit, ejus enim verba sunt, postquam aliquorum sententiam refutavit: *Et ideo aliter dicendum est quod antecedens* (scilicet hoc est præscitum à Deo, quòd idem omnino est ac Deus hoc præscivit) *est necessarium absolutè, tum ex immobilitate actus, tum etiam ex ordine ad scitum: quia ista res non ponitur subjacere scientiæ divinæ, nisi dum est in actu, secundum quod determinationem & certitudinem habet, ipsum enim necesse est esse, dum est.* Ubi apertissimè Sanctus Doctor exponit in quo sensu apellet illam propositionem absolutè necessariam, idest in se ipsa, ex utraque illa suppositione prædicta, scilicet, immutabilitatis divinæ scientiæ, & existentiæ objecti in ordine ad illam. Idem docet 1. p. citato loco ad secundum cum dicit illam propositionem, *Deus scivit hoc contingens*, esse absolutè necessariam. Et simul secundò asseruit quòd consequens illius scilicet, illud erit, sic est necessarium sicut antecedens, reddens pro ratione, quia omne quod est, dum est necesse est esse. In his tribus enim manifestè docuit esse illud antecedens absolutè necessarium ex immutabilitate divinæ scientiæ semper immutabiliter cognoscentis rem præsentem, quia semper ei præsens est.

Dicendum tertiò. Illæ propositiones quæ pro antecedenti constituuntur in prædictis consequentiis sunt simpliciter & absolutè libere, & absolute atque simpliciter veritatem continent liberam. Itaque ista tria de illis propositionibus dicuntur & verificantur. Primo quod sunt absolutè & simpliciter necessariæ modo prædicto. Secundò quod sunt necessariæ ex suppositione. Tertiò quod sunt absolutè liberæ. Et quia duo priora probata sunt, hoc tertium manifestatur. Absolutè & simpliciter fuit liberum Deo velle Antichristum v. g. esse: ergo absolutè & simpliciter fuit liberum Deo ipsum sciviſse aut scire futurum: ergo hæc propositio Deus scivit Antichristum futurum, fuit absolutè libera in Deo & simpliciter veritatem continet liberam. Consequentia ultima manifesta est, & prima sequitur apertè ex antecedenti, ut dictum & probatum est supra. Antecedens etiam certum debet esse: quia absolutè liberè Deus voluit Antechristum producere, & absolutè liberè illum in tempore producet. Unde communiter à Theologis, & verè, dicitur quod quidquid est necessarium ex suppositione immutabilis divinæ liberæ voluntatis est absolutè & simpliciter liberum. Quam doctrinam ubique Sanctus Thomas tradit, quæ proinde non tam probanda est quàm supponenda.

Dices: si ista propositio est absolutè libera, cur S. Thomas ubicumque de illa tractat, reprobat illorum opinionem qui dicebant illam esse contingentem, ut prima par. q. 14. art. 13. ad secundum. q. 2. de verit. art. 12. ad quartum & 1. sent. dist. 38. & multis aliis locis in quibus docet in hac consequentia: *Deus scivit hoc futurum, ergo hoc erit*, antecedens non esse contingens ut à quibusdam ponebatur: si ergo illud antecedens est absolutè liberum, erit absolutè contingens; & sic non debuit hoc à Sancto Thoma refutari.

Ad hoc dicendum meritò negasse Sanctum Thomam illud antecedens esse contingens, quia Deus causa contingens non est, nec aliquid in ipso reperitur quod contingens sit; cum esse contingens sonet esse impedibile, ac per consequens imperfectionem importet, quæ Deo repugnat. Vel dicatur quod ideo qui id asserebant, à S. Thoma reprobantur, quia non explicabant necessitatem illius antecedentis, sed puram illius ad utrumlibet indeterminationem, qua poterat id Deus scire & nescire. Si autem ipsi assererent illud antecedens esse necessarium ex suppositione immutabilis divinæ scientiæ, & objecti illius secundùm quod illi presentialiter subest, quod dum sic presens est, necesse est quòd præsens sit, nunquam à Sancto Thoma impugnarentur; licet aliàs negassent illud antecedens esse absolutè necessarium, sed illud dicerent absolutè liberum esse: quia tunc de re constaret, nec de re controversia esset, sed tantùm de voce; an talis necessitas ex suppositione & absolutè libera, dicenda esset necessitas absoluta, nec ne. Quod parum aut nihil retulisset.

Circa secundum punctum dicendum, illam propositionem positam in illo antecedenti nec reipsa, nec quantùm ad modum per illam significatum qui verè transeat in præteritum, esse propositionem de præterito, sed tantùm in apparentia & quantùm ad vocem. Sic communiter & verè sentiunt Thomistæ contra Caietanum super illum art. 1. p. q. 14. Itaque reipsa idem est dicere Deus scivit, & Deus scit: nec illud verbum *scivit*, dictum de Deo aliquem modum importat qui verè transeat in præteritum. Sententia videtur expressè Sancti Thomæ illo art. 13. 1. p. q. 14. de verit. q. 2. art. 12. ad quartum & clariùs in primo dist. 38. Nam in his locis semper docet veritatem & necessitatem illius propositionis

Digitized by Google

propositionis esse ex suppositione actualis scientiæ Dei de præsenti considerantis præsens illud objectum. Unde ait quòd illa propositio non importat aliam necessitatem, quàm eam qua dicitur res dum est, necesse est esse: ergo docet illam esse reipsa & in veritate de præsenti non de præterito; quia ejus significatum de præsenti est licet vox de præterito sit.

Similiter ubique Sanctus Thomas docet quod si propriè loquamur, dicere non debemus. *Deus hoc scivit, sed Deus hoc scit*, ad tollendam illam apparentiam de præterito, quæ exteriùs in voce importatur. Igitur nec res significata, nec modus aliquis significandi in dicta propositione revera transit in præteritum. Unde verum non videtur asserere quod Sanctus Thomas non loquatur de scientia Dei secundum se, sed pro ut significatur per verbum præteriti temporis: quia absque dubio loquitur de scientia Dei in se, & secundùm se, & secundùm quod ipsa terminatur ad objectum ut præsens est, & secundùm quod de præsenti illud cognoscit, ut patet ex citatis locis. In quibus ut dictum est semper exponit illam propositionem quòd importet id quod habet scientia Dei in se ipsa, quod est nunquam transire in præteritum, sed semper de præsenti intueri objectum ut sibi actualiter præsens, affirmans quòd nihil aliud significat nisi necessitatem ex suppositione immutabilis & actualis scientiæ Dei, de præsenti semper considerantis objectum ut sibi semper actualiter præsens: ergo non sentit Sanctus Thomas illam propositionem esse de præterito, etiam quoad modum significandi qui re ipsa de præterito sit, sed solùm quantum ad apparentiam in sola voce.

Quod si dicas, quòd Sanctus Thomas quæst. 23. de verit. art. 4. ad quartum ait, istam propositionem, Deus voluit, postquam voluit, esse necessariam ex suppositione; sicut ista Sortes currit postquam ponitur cucurrisse: ergo sentit quod sicut ista est verè de præterito, ita & illa, Deus voluit, & idem est de ista, Deus scivit.

Ad hoc dicendum quod ibi Sanctus Thomas dicit quòd ista propositio. Deus vult, postquam vult; vel ista Deus voluit, postquam voluit, esse necessariam ex suppositione: sicut illa, Sortes cucurrit, postquam, cucurrit. Ubi idem omnino sentit de illa de præsenti significata, & de præterito, ad ostendendum quòd idem judicium est de utraque; quia revera semper de præsenti est: & docet quod sive una sive alia, est ex suppositione vera: sicut etiam est ex suppositione vera, Petrum cucurrisse postquam cucurrit. Non ergo illam de præsenti comparat huic de præterito quantùm ad hoc, quod illa de præterito sit, ut est apparentissimum; sed quantùm ad hoc, quod sit vera ex suppositione de præsenti, sicut alia est vera ex suppositione de præterito.

Unde nec dici potest illam propositionem esse simpliciter & absolutè necessariam ex rationibus terminorum, quasi omnino implicet contradictionem oppositum, ex eo quod quoad modum significandi sit de præterito: constat enim illam de præterito verè non esse; unde nec ob hanc rationem dicenda est necessaria primo illo modo à nobis exposito, scilicet ex rationibus terminorum: sed secundo illo modo est absolutè necessaria pro ut explicatum est. Imò nec dici debet quod propositio de præterito, etiam quando verè de præterito est, sit primo illo modo à nobis exposito absolutè necessaria, nimirum ex rationibus terminorum; ita quod omnino oppositum sit, semperque fuerit impossibile, ut arbitratur D. Cajetanus. Primò quia oppositum Sanctus Thomas docet q. 23. de verit. art. 4. Ad primum enim ait: *Necessarium verò ex suppositione est quod non est necessarium ex se, sed solummodo posito alio sicut Socratem cucurrisse: Socrates enim quantum est de se non se habet magis ad hoc, quàm ad ejus oppositum, sed facta suppositione quòd cucurrit, impossibile est eum non cucurrisse.* Idem docet solut. ad quartum. Secundò id ratio manifestat. Sumamus enim hanc propositionem de præterito, Adam fuit, & arguamus sic. Deus absolutè loquendo potuit non producere Adam, quia liberè illum produxit: ergo potuit absolutè non esse vera hæc propositio, Adam est: ergo ista de præterito, Adam fuit, quæ illam de præsenti præsupponit, potuit non esse vera: ergo non est necessaria de se, & ex vi terminorum. Hæc ultima consequentia constat, quoniam si esset de se vera ex rationibus terminorum, non posset esse non vera, sed semper ex necessitate vera esset.

Ad tertium punctum dicendum, quòd illa propositio (Deus scivit) & quælibet similis, quæ re ipsa de præsenti est (ut manet expositum) tantam necessitatem habet quantam alia quæ est de præterito; nimirum necessitatem ex suppositione, qua suppositione posita, implicat contradictionem quòd necessaria non sit; sicut implicat quòd necessaria non sit illa quæ est de præterito. Itaque ista. Petrus dum est, est, & quælibet similis, tam necessaria est, quam ista. Adam fuit, postquam fuit.

Probatur. Primò ex S. Thoma quæst. 23. de verit. ad quartum citatum, ubi comparat in necessitate ex suppositione hanc. Deus vult dum vult, cum hac Petrus cucurrit postquam cucurrit. Et ratione id ostenditur. Quia propositio de præterito est necessaria ex suppositione, taliter quod suppositione præsuppositа implicat contradictionem illam veram non esse, sicut implicat quod Adam postquam fuit non fuerit; sed etiam propositio de præsenti posita suppositione ita est necessaria quòd implicat contradictionem illam non esse: ergo tanta necessitas ex suppositione est in una ac in altera. Minor probatur quia ista & quælibet similis. Petrus dum est, est, ita est necessaria, quòd contradictionem involuit, quòd vera non sit.

Et per hæc patet ad argumentum à principio positum. Dicendum enim bonam esse illam consequentiam. Dicendum etiam antecedens esse absolutè necessarium, non illa necessitate quæ est de se & ex rationibus terminorum, vel illa absoluta necessitate quæ est non ex illatione alterius propositionis, sed ex aliqua priori suppositione: unde & consequens talem etiam necessitatem habet ex suppositione; & sic tanta necessitas est in antecedenti, ac in consequenti, nimirum in utroque ex suppositione, cum qua optimè stat libertas absoluta in antecedenti & consequenti. Sicut enim Deus necessitate ex suppositione scit Antichristum futurum, & absolutè liberè, quia absolutè liberè vult & scit illum futurum; ita Antechristus necessitate ex suppositione erit, vel potiùs est præsens divinæ æternitati & scientiæ, & absolutè ac simpliciter liber. Concedendum ergo quod in bona consequentia, si antecedens est necessarium, consequens est necessarium, & si antecedens est necessarium ex suppositione, consequens est necessarium ex suppositione, ut patet in consequentia allata, in qua si antecedens esset necessarium absolutè primò modo, ideſt, de se & ex rationibus terminorum, etiam consequens sic esset necessarium; nec aliqua salvaretur libertas vel in antecedenti

Digitized by Google

denti vel consequenti. Cæterum non sic est necessarium illud antecedens, ut dictum est.

Dicet tamen aliquis. Quare ergo cum illud antecedens sit necessarium absolutè secundo modo prædicto, consequens non erit necessarium etiam absolutè illo secundo modo. Respondetur: quòd tria habet illud antecedens. Primum esse necessarium ex suppositione. Secundum esse absolutè liberum. Tertium dici vel determinari per propositionem absolutam, ideſt non illatam ex alia: ex quibus duo priora sunt in consequenti. Est enim consequens necessarium ex suppositione, & absolutè liberum sicut suum antecedens; at id quod est proprium antecedentis, esse nempe inferens aliud, & non inferri ex alio, repugnat quod conveniat consequenti, quod essentialiter infertur ex antecedenti. Unde non potest dici necessarium absolutè, id est, non illatum, sicut non potest dici antecedens, cum consequens sit.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX RERVM
QUÆ CONTINENTVR IN SECUNDA PARTE THOMI PRIMI.

Primus numerus denotat paginam: ſecundus columnam.

ABEL.

DEUS noluit impedire Caïn, ne occideret fratrem ſuum, ut fieret honor Abel juſti. pag. 271. columna 1.

ABJURARE.

Dei potentiam abjurare æſtimantur, qui contendunt per ejus efficaciam quâ nos ad benè agendum movet, tolli aut lædi noſtram libertatem. 118. 1.

ABSIT.

Abſit aſſerere, parvulos reprobari propter aliena tantum demerita. 50. 1.

Abſit peccatum originale eſſe in parvulis, tantùm alienum demeritum. Ibid.

ABSURDUM.

Abſurdum intollerabile eſt, ponere in Deo tres ſcientias. 232. 2. vide *Impoſſibile.*

ACADEMIÆ.

Academiæ inſignes, quæ pro prædeterminatione & gratiâ efficaci ſtant. 102. 2. & 140. 1. quatuor in orbe florentiſſimæ. 103. 1.

Academia Lovanienſis graviſſima & in Sanctis Patribus fundatiſſima. 287. 2. decreta ejus de ſcientia media, ibid. & 288. 1. hæc doctiſſima Schola intulit quod ſi conſenſus liberi arbitrij, habeat infallibilem connexionem cum temperamento naturali, non eſt liber ſed naturalis. 245. 1.

Academia Pariſienſis antiquiſſima & florentiſſima quid docuerit in materia de prædeſtinatione & de ſcientia media, 288, 2.

Academia Salmanticenſis, & Duacenſis quid ſenſerint de ſcientia media. Ibidem.

ACTIO.

Actionem malam prædefinivit Deus quatenus actio eſt & quoad entitatem, nec propterea dici poteſt cauſa peccati. 99. 1. & 125. 1.

Actio quæ conſilium præſupponit & ad illud ſequitur non poteſt non eſſe libera, 121. 1. & 140. 2. vide. *Determinatio, Prædeterminatio Prædefinitio.*

ACTUS.

Ad omnem actum liberum divinæ voluntatis non requiritur realis mutatio ex parte creaturæ, ſed ſufficit quod creatura habeat aliquam rationem volibilis, vel abſolutè vel ſub conditione, ut actum illum terminet. 265. 1. & 2.

Actus determinatus non poteſt cognoſci in cauſa indeterminata niſi falsò cognoſcatur. 292. 1.

Actus morales boni prædefiniuntur à Deo, ut media ad fines. 123. 1.

Omnis actus voluntatis importat conjunctionem cum objecto volito; & tamen non facit ſenſum compoſitum. 167. 2.

Actum eſſe humanum eſt eſſe liberum. 106. 1. quinam requirantur ut voluntas de novo incipiat aliquid velle. 186. 2.

ADAM.

Adamo peccante nos cum illo peccavimus. 15. 1. & ſicut ille ita & nos fuimus vulnerati. Idid.

Nullo modo neceſſaria eſt ſcientia media ad determinandam hanc quæſtionem; an ſi Adam non pecaſſet Chriſtus Veniſſet? 292. 1.

ADJVTORIVM.

Adjutorium ſufficiens & adjutorium efficax explicantur ex S. Auguſtino. 123. 1. In primo parente erat adjutorium ſufficiens quo perſeverare poterat, & quod eſt adjutorium ſine quo, ſed non adjutorium quo perſeveraret. Ibid. vide *Auxilium Gratiæ.*

ÆQVIVOCATIO.

Æquivocatio periculoſa circa ſuppoſitionem antecedentem & conſequentem. 128. 2.

Æquivocationem nullam commiſſit Concilium Trid ntinum, ſumendo Verbum (*Poteſt*) aliquando in ſenſu diviſo, aliquando in ſenſu compoſito quia loquitur reſpectu diverſorum. 196. 1.

ÆTERNITAS.

Eſt duratio ſimplex infinita, indiviſibilis & tota ſimul, 331. 2. & 335. 1. & 339. 2. & ſeq. correſpondet tota toti tempori præterito, præſenti & futuro, & tota ſingulis ejus partibus, differentiis & punctis. 335. 1. & 340. 1. nihil eſt illi futurum. Ibid. & ſeq. nullam dicit cauſalitatem reſpectu futurorum, ſed ſolum continentiam. 349. 1.

Deus ex altitudine ſuæ æternitatis omne tempus videt ſimul, 329. 1. & omnes creaturas venientes per tempus ſimul in æternitate intuetur ſecundùm proprias earum exiſtentias. Ibid.

Præſentia rerum in æternitate eſt ratio à priori per quam Deus certò futura intuetur in ſeipſis. 345. 1.

Ex reali coexiſtentia rerum ad æternitatem, conſequitur manifeſtè illarum certa cognitio & viſio intuitiva. 341. 1.

Impoſſibilis eſt modus, quo res creatæ, ita dicuntur eſſe in æternitate præſentes, ut priùs per anticipationem

Digitized by Google

pationem habeant in illa proprium esse extra suas causas, quam sint illud habituræ in seipsis vel in tempore. 332. 2. & 345. 2.

Res creatas non esse ab æterno, aut æternas, aut in æternitate tanquam in propria mensura fide Catholicâ credendum est. 336. 2. unde ex eo quod sint realiter præsentes in æternitate, non sequitur quod sint æternæ vel ab æterno. 332. 1.

Cum dicuntur res creatæ; coexistere æternitati nihil aliud importatur quàm illas esse in sua propria temporis duratione, quę in æternitate continetur. Ibid.

Non ideo præcisè res creatæ coexistunt æternitati, quia continentur in ente per essentiam, sed solùm quia æternitas continet illarum durationes. 334. 2.

Neque existunt in æternitate tantùm secundùm esse cognitum vel secundùm veritatem objectivam. Sed secundum realem existentiam. 335. 1. & si coexistant Deo in æternitate, non coexistunt tamen inter se sibi ipsis, quia non coexistunt Deo in mensura ipsis rebus proportionata & adæquata. 345. & seq. Ideo solum futura habent esse in æternitate, quia sunt illud habitura in tempore 332. 2. nulla res potest Deo coexistere in æternitate, nisi Deus eam velit vel permittat. 293. 2.

Lumine rationis demonstratur Deum ex æternitate suâ omnia futura contingentia cognoscere antequam fiant. 295. 2.

Tripliciter formari possunt propositiones de existentia futurorum ad æternitatem. 346. 2.

Quando dicitur. *Futurum existit in æternitate: Ergo existit*: arguitur à superiori ad inferius affirmativè, & nulla est consequentia 347. 2. vide, *Futurum. Contingens. Scientia media, Propositio.*

ÆVVM.

Mensurat substantiam Angeli, non ejus cognitionem. 348. 1. vide *Angelus.*

AGENS.

Deus est agens intrinsecum & extrinsecum, 139. 2. propter quinque rationes dicitur agens intrinsecum. Ibidem.

Contra violentiam agentis creati statuitur influentia Dei, quæ violentiam non infert. Ibid. vide *Deus. Libertas. Causa. Voluntas.*

AGERE.

Agere ex necessitate naturæ, est agere secundùm ultimum potentiæ. 74. 1.

ALEXANDER.

Alexander Alexandriæ Episcopus testatur Arianos usos fuisse scientiâ mediâ, ad defendendos suos errores, 211. 2.

Alexander Alensis optimè explicat Sanctum Anselmum. 133. 2.

AMBROSIVS.

Sancti Ambrosij dictum notandum, quod *Deus quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* 114. 1. ejus mors. 46. 1.

AMOR.

Amore charitatis Deus amat reprobum existentem in gratia. 262. 1. & 264. 1.

ANGELVS.

Duodecim legiones Angelorum daturus erat ex decreto Pater æternus Christo Domino si illas petiisset. 262. 1. & 268. 1. & 277. 1.

Angelorum Ævum & tempus discretum, in æternitate, ut est duratio infinita, comprehenduntur. 331. 2.

Cognitiones, quas Angelus habet de creaturis mensurantur tempore discreto. 348. 1.

Angeli non possunt certò cognoscere futura contingentia. 313. 2. non mensurantur æternitate. Ibid.

Non ineptè diceretur Deum præscire Angelos futuros, quia futuri sunt. 325. 2.

ANIMA.

Anima humana est tota in toto corpore & tota in singulis partibus ejus. 335. 1.

Anima sanatur per virtutes Cardinales & Morales. 48. 2.

Corporis ad animam subjectio erat ex justitia originali & non naturalis. 35. 1.

Anima à Deo quæsita non potest ipsum non quærere, & tamen liberè quærit, 150. 2.

S. ANSELMVS.

S. Anselmus, S. Augustini discipulus. 132. 2. & 134. 2. prædefinitiones Dei respectu hominum & humanarum operationum prædicat. 100. 1. prædefinitiones sæculorum ex Apostolo, dicit esse prædefinitionem hominum. Ibid. ejus nomine aliqui periculosam doctrinam mundo proponunt à Sancto tamen alienam. 132. 2. docuit necessitatem ex suppositione antecedente, non tollere libertatem. 132. & 133. tradit regulam de futurorum præscientia. 134. 1. aurea ejus verba notanda. Ibid. mirabiliter explicat libertatem cohærere cum efficacia divinæ voluntatis. Ibid. notat eos qui totam efficaciam tribuunt libero arbitrio, & gratiæ sufficientiam solùm. 136. 1.

ANTICHRISTVS.

Hæc propositio, *Antichristus existit*; est falsa absolutè, sed si addatur, *in æternitate*, abstrahit à tempore præsenti & est vera. 346. 1. & 2.

Hæc *Deus scivit Antichristum futurum*, est necessaria ex suppositione, & absolutè libera; neque est de præterito, nisi solùm apparenter. 352. 2. vide *Propositio, Futurum*, &c.

APOSTOLVS.

S. Paulus Apostolus non ex congruo temperamento sed efficaciâ divinæ virtutis, conversus fuit, vocatio ejus efficacissima, est vocatio secundum Dei propositum. 284. 2.

Apostolus Paulus passim tradit prædifinitiones divinas, divinamque prædestinationem. 92. 2. argumento famosiori, contra divinas prædefinitiones respondet. 95. & 96. & 119. 2. quatuor solutiones ejusdem argumenti. Ibidem.

Apostoli Pauli verba hæc. *Iudicium ex uno in condemnationem*, explicantur. 51. 2.

Sanctus Petrus Apostolus respondet Simoni Mago circa præscientiam futurorum. 325. 1. libertatem arbitrij contra eundem defendit, & prædefinitiones divinas astruxit. 96. 2. solutio ejusdem Apostoli valde notanda. 97. 1. Tria elisit, alia tria concludens. Ibidem.

APPETIBILE.

Est objectum voluntatis, ut est sub apprehensione. 83. 2.

APPETITVS.

Appetitus inordinati superantes rationem, quare magis in uno homine, quam in alio insurgunt, cum omnes æqualiter contraxerint peccatum originale? 37. 1.

APPREHENSIO.

Apprehensio simplex intellectus, non est respectu potentiæ liberæ, sed respectu voluntatis ut naturæ. 187. 1.

ARBITRIVM.

Liberum Arbitrium non fuit extinctum, sed læsum per peccatum originale. 1. per tot. quantùm juvet hujus læsionis intelligentia, ad rectè differendum de justificatione, gratia, prædestinatione, reprobatione ibidem. non fuit tantùm spoliatum donis gratuitis, sed

Digitized by Google

Index Rerum.

ſed verè in naturalibus læſum. 11. 2. attenuatum & ad tria inclinatum. 27. 2.

Si arbitrium ſit ſuæ determinationis principium ponuntur duo prima principia, ſicut ponebant Manichæi. 122. 1.

Idem actus liberi arbitrij, dicitur aſſenſus per reſpectum ad gratiam excitantem, & cooperatio per reſpectum ad gratiam adjuvantem. 184. 1.

Arbitrium poſita illuminatione & inſpiratione Spiritus Sancti, non poteſt ſe movere ad juſtitiam ſine gratia Dei adjuvante. 185. 1. innatum eſt illi poſſe diſſentire cuicumque inſpirationi & excitationi, ſi ei placuerit. 173. 1. per hoc quod conſentiat Deo vocanti, non amittit potentiam quam habet ad diſſentiendum. 174. 2. poteſt conjungere diſſenſum ſuum cum Deo vocante & excitante ad conſenſum: ſed non cum ſuo conſenſu ibidem. Quomodo efficaciter adjutum retineat potentiam ad non conſentiendum. 184. per tot. Arbitrium liberum de medio tollunt, qui negant præmotionem Dei efficacem 68. 1. id explicatur pulchra comparatione de horologio. ibid.

Arbitrium etiam ſanum, quale fuit in primo parente ante peccatum non poteſt eſſe primum ſuæ determinationis principium. 57. 1. quòd homo benè utatur libero arbitrio ex Deo eſt, tanquam ex cauſa quæ efficaciter & antecedenter hoc facit. 135. 2.

Arbitrium non poteſt ſe movere, niſi prius à Deo moveatur in ſenſu compoſito, id eſt, non poteſt, hæc duo conjungere, quod ſe moveat, à Deo non motum. 68. 1.

ARGVMENTVM.

Argumenta S. Auguſtini ad probandum ignorantiam & infirmitatem non eſſe primordia naturæ conditæ, ſed naturæ vitiatæ. 21. 22. & ſequentibus.

Argumenta varia ex SS. Patribus græcis & latinis deſumpta ad negandas divinas prædefinitiones, proponuntur. 107. & 108.

Argumentum recentiorum contra præmotionem Phyſicam, quòd, videlicet, tollat libertatem; fuit antiquiſſimum Pelagianorum fundamentum. à SS. Patribus Conciliis, & ſummis Ppntificibus comminutum & contritum. 68. 1. & 117. 2. illi reſpondet Apoſtolus. 96. 2.

Argumenta proponuntur quibus aliqui conantur probare contingentiam & libertatem eſſe reducendam in humanam voluntatem, tanquam in primam radicem. 64. & 65. ſolvuntur. ibid.

Argumenta quæ fiunt contra divinas prædefinitiones, pugnant contra ipſos ſuos auctores. 122. 2.

Referuntur argumenta quæ videntur probare futura non eſſe præſentia in æternitate ſecundùm proprias exiſtentias. 330. & 231. Potiſſima argumenta quibus utuntur negantes divinas prædefinitiones ſunt hæc, quod lædatur arbitrium, quod deſtruatur gratia ſufficiens, & quod Deus ſit author peccati. 110. 1.

ARISTOTELES.

Ariſtoteles excuſatur ab errore circa præſcientiam futurorum contingentium. 296. 2. benè dixit contingens de ſe determinatum ad unum non eſſe contingens. 325. 2. idque demonſtrat. 243. 2. tradidit diſtinctionem ſenſus compoſiti & diviſi, quando dixit *potentia ſimul eſt ad utrumque oppoſitorum* (in quo eſt ſenſus diviſus) *ſed non oppoſita ſimul* (in quo eſt ſenſus compoſitus.) 161. 2.

ARTICVLVS.

Articulus pariſienſis damnans tanquam errorem ſententiam aſſerentem, falſum eſſe quod omnia ſint à deo præordinata, quia ſi ſic determinata eſſent omnium periret libertas. 119. 2. & 140. 1.

ASPECTVS.

Aſpectui divino ſubduntur quæ per totum tempus aguntur 338. 2. Vide *Conſpectus, Intuitus, Æternitas.*

ATHANASIVS.

Sanctus Athanaſius ſtat pro ſenſu compoſito & diviſo & pro prædeterminatione divina. 152. 1.

AVCTOR.

Auctor operis tripartiti impugnatur. 7. 2. & 17. 2. & ſequentibus. Duo notanda dicit quæ contra ipſum auctorem militant. 270. 1. Auctores qui de gratia Dei non rectè ſentiunt. 45. 1.

Auctores ſcientiæ mediæ convincuntur Deum tribuere ſolum poſſe, hominem autem velle & operari. 63. per totam.

S. AVGVSTINVS.

Magnus poſt Paulum Apoſtolum gratiæ deffenſor. 47. 1. & 294. 2. ejus doctrina per ſummos Pontifices & per Eccleſiam non ſemel approbata ibid. & 8. 2. & 131. 1. à qua recedere tutum non eſt. 8. 2. talis eſt in materia de gratia quod qui illam relinquunt cum Pelagio neceſſe ſit convenire. 294. 2.

S. Auguſtini Doctoris eximij laus magna, quòd ſententiam quam ante hæreſim Pelagij tenuit, poſtea efficaciter impugnavit. 273. 1. contra ejus mentem falsò & cum magna tanti Doctoris injuria dicunt aliqui, ipſum favere contendentibus peccatum originale poſt baptiſmum radi tantùm vel non imputari, & non totaliter tolli. 47. & 48. per tot. Tria dicit notanda in q. 2. ad Simplicianum. 280. 2. Item ſeptem dicit in eadem. q. quæ retractata ſunt in lib. cont. Pelagianos ibid.

Sanctus Auguſtinus perpetuus eſt in neganda ſcientia media. 214. 2. illam ſemper in Semipelagianis damnat. 217. 2. admittit præſcientiam conditionatam quæ ſupponat decretum divinum 216. 2. illam verò quæ dicitur illud antecedere ſemper impugnat ibid. & 222. 1. non ſolum quatenus ponitur cauſa prædeſtinationis vel reprobationis, ſed maximè quatenus ponitur certa ante decretum Dei. 223. 1. vocationi quæ iis temporibus congrua dicitur contradicit & admittit congruam ſolùm ex Deo & efficacem independenter ab humana voluntate. ibid. 2.

S. Auguſtinus mutavit ſententiam qua dixerat Chriſtum noluiſſe prædicare ſuum Evangelium illis, quos nec verbis, nec miraculis ſuis credituros præſciebat. 272. 2. Cuidam quærenti per quas rimas inter tot præſidia innocentiæ peccatum fuit ingreſſum? Reſpondet *quid quæris latentem rimam cum apertiſſimam habeat Ianuam.* 43. 1.

AVXILIVM.

Auxilium ſufficiens & efficax realiter diſtinguntur. 189. 1.

Habenti auxilium ſufficiens, nihil deeſt ex parte potentiæ, ſed ſolum ex parte applicationis. 123. 2. quod aliquis non habeat auxilium efficax, poſito ſufficienti, ejus culpa eſt, quia reſiſtit. 124. 1. Deus dando ſufficiens offert efficax, & dat, niſi homo reſiſtat. ibidem. Auxilium efficax nulli debetur, nec ullus poteſt illud mereri. ibid. Quomodo in iis quietari debeat intellectus. ibid. Auxilium eminenter ſufficiens & formaliter efficax. 184. 2.

Auxilium efficax propter hominis indignitatem & demeritum denegatur 276. 1. quibus datur miſericorditer datur, quibus negatur juſto judicio non datur ibid. Vide *Gratia, Adiutorium.*

AXIOMA.

Axioma commune quod naturalia in dæmonibus manſerunt integra poſt caſum. 4. 2.

Hoc axioma, *ſicut ſe habet actus ad actum, ita potentia ad potentiam* dupliciter limitari debet 194. 1.

Digitized by Google

Index Rerum.

Axioma tritum, *ſecunda cauſa mota movet, & non mota non movet* 122. 1.

Axioma tritiſſimum, *parvus error in principio fit magnus in fine.* 154. 1.

AZORIVS.

Joannes Azorius quomodo explicat peccatum Adæ fuiſſe poſteris voluntarium. 2. 2.

BAPTISMVS.

In baptiſmo delentur omnia peccata. 48. qui ad gratiam baptiſmi aſſerit poſſe aliquem per ſolum liberum arbitrium pervenire; negat liberum arbitrium fuiſſe per peccatum originale infirmatum. 49. 1.

Baptiſmi forma, falſa eſſet, ſi parvuli eſſent tantum denominatione extrinſecâ peccatores. 50. 2.

BASOLIS.

Baſolis Scoti diſcipulus ſtat pro prædeterminatione decretorum Dei contra ſcientiam mediam. 318. 1. & 2.

BEATVS.

Beati non ſunt deffectibiles, nec peccabiles. 33. 1. habent velleitates ſeu volitiones conditionatas, ſine triſtitia tamen. 266. 1.

BEATITVDO.

Beatitudini præmium promiſit Deus omnibus ſub conditione quod legem ſervarent. 262. 2.

Deus vult beatitudinem reprobo exiſtenti in gratia, etiam voluntate formali, ſed conditionatâ, ſcilicet ſi permanſerit in gratia. 264. 1.

BECANVS.

Quid ſentiat de radice libertatis. 82. 2. ejus argumenta debilia & nullius ſubſiſtentiæ. 83. 2. imponit Doctoribus Catholicis falſam intelligentiam de ſenſu compoſito & diviſo. 164. 2. & hanc diſtinctionem eo modo quo Calvinus explicat, ut illam reddat odioſam. 165. 1.

BELLARMINVS.

Cardinalis Bellarminus dicit hæreticam eſſe ſententiam quæ promittit parvulis ſine baptiſmo vitam æternam naturalem fœlicem. 54. 1.

BENEFICIVM.

Beneficium Dei maximè commendatur, ſi eripiat infantem in gratia à communibus periculis vitæ. 220. 1.

BERNARDVS.

S. Bernardus agnovit ſenſum compoſitum & diviſum. 148. 1.

BONVM.

Totius boni fons & origo divina voluntas. 213. 1.

Bonum rationis poſt peccatum homo facere non poteſt, ſicut in puris naturalibus poſſet. 28. 2.

Tria bona naturalia numerantur. 34. 1.

BRVTVM.

Bruta ideo abſolutâ neceſſitate moventur, quia voluntas Dei antecedens ſic vult quod moveantur juxta propriam naturam. 145. 2. non poſſunt moveri motione morali. 187. 1.

CAIETANVS.

Inter Cajetanum & Scotum difficultas de decreto producendi Antichriſtum reſoluitur. 165. per tot. & ſeq. quæ eſt ejus mens de vulneratione hominis lapſi facta per peccatum originale 41. 2. & ſeq.

CALVINVS.

Calvinus voce admittit & in pravo ſenſu diſtinctionem ſenſus compoſiti & diviſi, re autem illam negat. 153. & 154. illam venenavit malè intelligendo. 164. 2. negavit gratiam moraliter excitantem & objectivè attrahentem. 180. 1. poſuit indeliberatam excitationem quam Deus facit in nobis ſine nobis liberè. ſed ſolùm ſpontè & ſubitò concurrentibus. ibid. poſuit etiam liberum arbitrium extinctum quoad libertatem per peccatum originale. ibid. & 181. 2. non admittit auxilium ſufficiens ſed tantum efficax. ibid. negat gratiam verè adjuvantem, ne cogatur admittere liberum arbitrium quod adjuvetur ibid. 2. in quinque punctis hæretica comprehenditur ejus ſententia circa gratiam & liberum arbitrium. 181. 1. & ex hoc ſequuntur multi errores. ibid. in quo à Pelagianis differat, & in quo cum illis conveniat. ibid. Nullas admittebat motiones morales vel excitationes. 191. 1.

CANON.

Canones in quibus Concilium Tridentinum, verum divinæ, gratiæ adjutorium ſtatuendo errores extremos Pelagianorum & Calviniſtarum damnat. 189. 2.

Canon. 4. ſeſſionis 6. Concilij Trid. de juſtificatione, explicatur. 171. 1. & ſequētibus. Et fuſius 190. & 191. propoſitio hæc in eo contenta, *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum &c.* non importat ſenſum compoſitum, ſed diviſum. 171. 1. & 185. 2. debet dici ſimpliciter diviſa & ſecundum quid compoſita. 172. 2. & ſic ſemper traditur à Sacro Concilio. 175. 1. & 2. accipere illam propoſitionem in ſenſu compoſito, eſt dicere motionem Dei, prout ex Deo eſt eſſe inefficacem: quòd eſt contra Concilij mentem & litteram. 178. 2. ſi non intelligeretur de motione Dei efficaci, nihil definiret Concilium contra Calvinum 177. 1. Debet illa propoſitio dici ſimpliciter diviſa. 172. 2. & 173. quomodo ſit vera ibid. aliud eſt dicere liberum arbitrium poteſt diſſentire Deo vocanti & excitanti: & aliud Deo moventi. ibid. 2. primum dicit Concilium, ſed non ſecundum. ibid. & 174. 1. ſex notanda circa hunc canonem. 190. 2.

CAPREOLVS.

Capreolus ſemper negavit pronitatem ad malum eſſe naturalem homini, ſi in puris naturalibus conderetur. 40. 2. quid intelligat per ſimultatem potentiæ & potentiam ſimultatis 162. per tot.

CASSIANVS.

Fuit Semipelagianus. 28. 2. Dogma ejus de peccato originali. ibid.

CASVALE.

Caſuale reſpectu hominis à Deo volitum & prædefinitum eſſe oſtenditur. 105. 1.

CAVSA.

Sicut prima cauſa eſt prior ſecundâ; ita in ſua cauſalitate prior exiſtit. 322. 1. Nulla cauſa creata etiam voluntas habet ita effectum in ſua poteſtate, ut à primâ non dependeat; ſicut in eſſendo, ita & in cauſando. 68. 1.

Cauſæ ſecundæ repugnat eſſe primum liberum, vel primam radicem ſuæ contingentiæ. 74. 1. quæ movet mota, ſi moveatur motu ſimpliciter neceſſario, & non libero; neceſſariò etiam & non liberè movet. ibid. 2.

Cauſa contingens ſe habet ad oppoſita ex propriis meritis & ſecundum ſe. 315. 2. de ratione cauſæ liberæ eſt, quod poſita ſub quibuſcunque conditionibus poſſit non operari. 249. 1. unde definitur quæ præ requiſitis omnibus ad agendum etiam motione Dei efficaci, poteſt non agere, ſcilicet in ſenſu diviſo. 166. 2. Hæc definitio cauſæ liberæ, triplicem poteſt habere ſenſum, unum verum & duo falſa. ibid.

Quod cauſa in ſuo influxu non dependeat, de ratione primi liberi eſt, & contra rationem ſecundi. 139. 2.

Cauſa prima boni ex Deo; cauſa prima *mali ex nobis.* 113. 1. & 276. 1.

Qui cognoſcit cauſam ex qua certiſſimè procedit effectus, certò in illa cognoſcit effectum. 298. 2.

Cauſa ab eo habet operari, à quo habet eſſe. 105. 2.

Cauſa

Digitized by Google

Index Rerum.

Causa contingens duplex, alia contingens necessaria, alia contingens libera. 59. 1. Deus non potest dici causa contingens, est tamen prima radix contingentiæ & libertatis. 60. 2. Hoc probatur ratione fundamentali. ibid. estque Deus prima causa non solum substantiæ actus, sed etiam modi, conditionis & libertatis. 67. 1. & 69. 1.

Causa secunda non est nec potest esse prima radix contingentiæ. 60. 1. est tamen ejus ratio formalis, & proxima defectibilis. 65. 1. & 2. Hoc ipso quod secunda est, movet ut mota, & dependet à prima essentialiter. 61. 1.

Ex causa prima necessaria sequitur effectus necessarius, cum duplici limitatione. 66. 1. per secundam necessariam operatur effectus necessarios; & per contingentem, contingentes. ibid.

Idem est causam esse in actu respectu alicujus, & esse inclinatam & determinatam ad illud producendum. 301. 2.

Quando duæ causæ simul ad contraria tendunt, inferior cædit superiori & potentiori, & non è contra. 76. 2.

Demonstratio Theologica, aperta, ostensiva, palmaria, quâ probatur omnem influxum causæ secundæ esse verè physicè & efficienter à causa prima. 234. 2. Vide, *Deus. Voluntas. Principium.*

CEILA.

Quomodo intelligendum sit illud, quod viri Ceilæ tradidissent David Saüli, si ipse Saül descendisset. 269. 1.

CELESTIVS.

Celestius & similes hæretici dicebant parvulos debere baptizari, ut intrarent in regnum Cœlorum, non verò ad abluendam maculam peccati originalis. 45. 1.

CERTITVDO.

Certitudo moralis se tenens ex parte objecti, non repugnat divinæ cognitioni 259. 1.

Certitudinis prima ratio est in aliquod divinum decretum necessariò reducenda. 293. 2.

Certitudo divinæ scientiæ & veritas minimè tollit contingentiam & libertatem. 326. 2. Ridiculum est recurrere ad temperamentum & congruitatem loci, temporis, &c. ad fundandam certitudinem divinæ scientiæ. 246. 1.

Certitudo cognitionis divinæ circa futura contingentia, non sumitur primò, & originaliter ex reali illorum coexistentiâ in æternitate, sed ex decreto divinæ voluntatis. 311. 1. & 341. 1. Vide *Cognitio, Æternitas, Futurum.*

CHRISOSTOMVS.

S. Chrisostomum nihil dixisse contra divinas prædefinitiones ostenditur. 113. 1.

Agnovit distinctionem sensus divisi & compositi. 150. 1.

CHRISTVS.

Ad Christum nemo venit, nisi cui fuerit datum à divinâ electione. 273. Christus qua ratione de seipso dixit. *Filius à se non potest quidquam.* 105. 2. Usus est dialectica. 154. 2. ejus humanitas non fuit peccabilis aut defectibilis 33. 1. necesse fuit ipsum pati, quia id scriptum erat, & tamen passus est liberè. 132. 2. ejus mors divini Consilij statuto decreta fuit 309.

Christus certò præscivit eos, qui, & quando, & in quibus locis erant in eum crediturí si eis prædicatum esset Evangelium. 262. 1. præscivit etiam non credituros præscientiâ quæ supponit quidem decretum, non electionis, sed quo statuit non dare ut crederent. 216. 2.

Velle efficaciter mori, & velle non mori conditionatè; non fuit contrarietas voluntatum in Christo. 266. 2. & 276. 2. Deus decrevit efficaciter Christum Dominum pro redemptione generis humani passurum. 268. 1.

CICERO.

In quo miserè erravit & reprehenditur à Sancto Augustino. 238. 1.

CLEMENS.

De libris recognitionum Sancti Clementis quid sentiendum. 97. 2.

Clemens VIII. scientiam mediam appellavit humanum inventum ad accomodandum in apparentia omnia. 289. 2.

COGNITIO.

Cognitio facit rem esse, in esse cognito, objectivè præsentem. 335. 2.

Cognitio comprehensiva Patris æterni, quâ generat verbum, est intuitiva verbi. 344. 2.

Cognitio divina distinguitur in intelligentiam, Sapientiam & Scientiam 252. 1. non accipitur â rebus. 312. 1. & 344. 2. Mensuratur æternitate. 340. 2. & 312. 2. per ordinem ad creaturas, ut sunt in æternitate, dicitur scientia præsentium, per ordinem verò ad res, ut sunt in seipsis nobis futuræ, dicitur præscientia. 328. 2. utramque denominationem accipit respectu diversæ mensuræ. 329. 1.

Quod divina Cognitio accipiat certitudinem etiam moralem & quoad terminationem ab objecto creato, absurdum est & impossibile. 324. 2.

Infinita perfectio divinæ cognitionis se extendit ad omnia cognoscibilia 341. 1. Quomodo nostro modo intelligendi fiat totum negotiũ cognitionis futurorũ contingentium in Deo 311. 1. Efficax determinatio divinæ voluntatis reddit cognitionem divinam futurorum certam, quia per illam certò sunt futura: coexistentia verò in æternitate, reddit illam certam, quatenùs præsentialiter videntur à Deo in suis propriis existentiis. 341. 2. 311. 1. Vide *Æternitas, Futurum, Intellectus, Intellectio, Deus.*

COMPARATIO.

Pulchra comparatio inter abstinentiam à cibo & peccatum originale ad causandum languorem in substantia hominis. 24. 1.

COMPLEMENTVM.

Complementum est præstantius re quam complet quando magis participat de actu, ut ostenditur exemplis. 71. 1.

CONCILIVM.

Concilia plura damnant peccatum originale esse in nobis solam denominationem extrinsecam. 50. 2.

Concilia multa & summi Pontifices graviter increpant Pelagianos eo quod dixerint per auxilium Dei efficax negari liberum arbitrium. 66. 2.

Concilium magnum Ephesinum admittit prædefinitiones æternas. 93. 1.

Concilium Senonense quomodo intelligi debeat, quando dicit auxilium attrahentis Dei non esse tale cui non possit resisti. 169. 1. & 2.

Concilium Colonienſe expressis terminis utitur distinctione sensus compositi & divisi. 148. 2.

Concilium Arausicanum. 2. Damnat post peccatum originale, illæsam liberi arbitrij libertatem mansisse. 27. & sequentibus. Fuit celebratum contra Semipelagianos. ibid.

CONCILIVM TRIDENTINVM.

Docet hominem per peccatum originale non solùm fuisse spoliatum Sanctitate & justitiâ originali, sed etiam esse attenuatum & inclinatum. 25. c. 1. Damnat Pelagianorum, Lutheranorum & Calvini-

Digitized by Google

ſtatum diverſam de peccato originali opinionem & ſtatuit Catholicam. ibid. Docet quod liberum arbitrium à Deo motum & excitatum ſemper cooperatur aſſentiendo & quod impoſſibile eſt quod ſic motum & excitatum ad conſenſum, non conſentiat. 191. 2. & tamen damnat conſequens hæreticum Calvini, quòd ſcilicet motio Dei efficax, non relinquat in libero arbitrio libertatem. ibid. Non dicit lib. arb. poſſe diſſentire Deo moventi, ſed ſolùm Deo excitanti, atque vocanti. 193. 1. explicantur ſpecialiter hæc verba Concilij. *Diſſentire poteſt ſi velit.* 194. 2.

Concilium Tridentinum ſenſum compoſitum tradit 148. 2. & ſtatuendo gratiam Dei prævenientem, adjuvantem & moventem, errores omnes Pelagianorum, Semipelagianorum, Lutheranorum & Calviniſtarum ſimul deſtruxit. 182. 2. & 189. 1. arbitrium non ſolùm eſſe prævenienter excitatum, ſed & prævenienter motum & adjutum ut convertatur aſſeruit. ibid. potiſſimè contra Lutherum, Calvinum & ſequaces ordinat totam ſeſſionem ſextam tam in capitibus, quàm in regulis fidei, 179. 1. Vide *Dictum, Differētia.*

CONCVPISCENTIA.

Concupiſcentia eſt materiale peccati originalis. 18. 1. & ſeq. eſt fomes peccati & rebellio contra rationem. ibid. 2. & 32. 2. in ſtatu naturæ puræ eſſet concupiſcentia naturalis, ſed non contra rationem. ibid. Quid ſit concupiſcentiam tranſcendere limites rationis. 19. 2. Quomodo dicatur peccatum. 27. 1. Quid ſit in infidelibus. 48. 1.

Concupiſcentiam contra rationem homo non haberet ſi in puris naturalibus conderetur. 11. 1. & 38. 1.

CONCVRSVS.

Concurſus Dei indifferens & indeterminatus idem eſt ac non concurſus. 63. 2. Per illius poſitionem, non ſalvatur Deum dare *velle & operari.* Sed tantum dare, *poſſe.* ibid. 1. determinari non poteſt à cauſâ ſecundâ ibid. 2. ſi ab illa determinaretur, prima cauſa non eſſet prima radix contingentiæ, multaque fierent præter Dei voluntatem & intentionem. 64. 1.

Concurſum ſimultaneum non negaret Pelagius quia ſuo dogmati non contradicebat. 235. 2.

Aliud eſt quod concurſus divinus determinetur in cauſis ſecundis (videlicet à Deo) & aliud eſt quod determinetur ab ipſis cauſis ſecundis. primum enim verum eſt, ſecundum falſum. 64. 1.

Quod divinus concurſus ſit accomodabilis & proportionatus omnibus cauſis ſecundis juxta earum naturam: ex efficacia & virtute divinæ voluntatis provenit. 72. 1.

Ex concurſu Dei indifferenti ſequitur Deum eſſe cauſam malorum, ſicut & bonorum: niſi fiat diſtinctio inter actionem vel entitatem actionis, & defectum ſeu malitiam. 126. 1. & 2. Vide, *Cauſa, Deus Gratia.*

CONFIRMATVS.

Confirmati in gratia ita ſunt à Deo efficaciter præventi ut ſub quacunque conditione, temporis, temperamenti, &c. ponantur; ſemper infallibiliter & liberè benè operentur. 247. 1.

CONSILIVM.

Primum Conſilium ex Deo nobis eſt. 302. 2. conſentire importat in ſua actione conjunctionem cum determinatione Conſilij. 167. 2.

CONSPECTVS.

Conſpectui divino aſtare præterita, præſentia, & futura: eſt ex Deo per realem præſentiam coexiſtere. 337. 1. Vide *Æternitas.*

CONTINGENS.

Contingens & poſſibile idem ſunt. 57. 1. dupliciter ſumitur. ibid. 2. eſt illud quod ex ſuâ naturâ ſe habet ad utrumque; ad eſſe & non eſſe. 58 1. alia trimembris ejus diviſio. ibid. variæ aliæ diviſiones. ibid. Contingens dialecticè, phyſicè & moraliter in materia de libertate notandum. 58. 1. & 2.

Contingens generaliter dialecticè ſumptum, idem eſt ac liberum. 59 1. Vide *Deus Æternitas, Futurum.*

CONTINGENTIA.

Contingentia cauſarum in rebus inanimatis ex imperfectione & defectu eſt. 59. 1. in voluntate verò, ex ejus perfectione provenit. ibid. 2.

Contingentia eſt eminenter in Deo. 75. 1.

CONTRADICTIO.

Contradictiones multæ ſequerentur ſi Deo agente ex neceſſitate naturæ ad extra, daretur libertas in creaturis. 73. 2.

Variæ contradictiones inter aſſertores ſcientiæ mediæ, circa inventionem ejus, quidditatem, exiſtentiam, modum, nomen, objectum &c. 228. & 229.

CONVERSIO.

Ad converſionem duplex auxilium neceſſarium, excitans & adjuvans. 276. 2.

Efficacia converſionis non fundatur in congrua vocatione aut ſcientia media, ſed in potentia & efficacia virtutis Dei. 242. 1.

Deus ſolus habet Dominium ſuper humanas voluntates ut eas ſalva illarum libertate efficaciter quocunque voluerit convertat. 211. 1. Vide *Dominium.*

Converſio admirabilis cujuſdem philoſophi in Concilio Nicæno. 169. 1. non ex temperamento, ſed virtute divinâ facta eſt. 246. 1.

Converſio S. Pauli ſubitanea & inſtantanea. 186. 1. Vide *Apoſtolus. Exemplum.*

CONVITIVM.

Antiqua convitia quæ à Juliano & ſequacibus Sancto Aug. objiciebantur, à Conciliis & Summis Pontificibus contrita. 131. 1.

CORPVS.

Corpus Chriſti Domini eſt totum in tota hoſtia & totum in qualibet ejus parte etiam minima. 335. 1.

CVLPA.

Culpa quæ non lædit naturam avertens à Deo authore naturæ voce tantum culpa nominatur. 47. 1.

CYRILLVS.

Sanctus Cyrilles numerat inter errores Arrianorum quod Deus non habeat providentiam de minimis rebus. 115. 2. Sine fundamento, S. Cyrillo adſcribitur ſcientia media. 278. 1.

Idemque probatur de pluribus Sanctis. ibid. Vide *SS. Patres.*

DAVID.

Voluit Deus in poteſtate Davidis ponere Saülem inimicum, ut eſſet exemplum hominibus, de dilectione inimicorum. 278. 2.

DECRETVM.

Decretum liberum divinæ voluntatis eſt primum principium omnis futuritionis abſolutæ & conditionatæ, etiam ab humana voluntate pendentis. 250. 1.

Differentia inter decretum quo Deus vult bonum & decretum quo permittit malum. 293. 2. & ſeq.

Decreta Dei in quadruplici differentia. 260. 1. dantur aliqua reſpectu futurorum conditionatorum quæ numquam erunt. ibid. 2. varia ſcripturæ teſtimonia id probantia. 261. & ſeq.

Decreta futurorum quæ non erunt, ſunt in Deo, non ex voluntate adimplendi illa, ſed ex voluntate manifeſtandi ſuam bonitatem, juſtitiam &c. 266. 2. dantur decreta abſoluta ex parte actus & conditionata ex parte objecti, non ſolùm eminenter, ſed etiam formaliter. 263. & 264. & propter hoc dicuntur conditionalia. ibid. non ſunt in Deo in infinitum multiplū

Digitized by Google

multiplicanda, respectu omnium combinationum, quæ in infinitum procedunt: sed ea debemus recipere quæ in scriptura traduntur. 263. 2.

Sufficit unum decretum eminentissimum in Deo ponere, quo decrevit circa infinitas combinationes inutiles nihil statuere. 262. 2. & 263.

Ab eodem decreto Dei provenit quòd homo velit hoc, & quod possit non velle, vel velle aliud. 137. 1.

Decretum Dei de re futura dicit respectum rationis ad illam ut producendam priùs ratione, quàm sit extra causas producta. 316. 2.

Decretum absolutum non convertendi Tyrios, & decretum conditionatum illos convertendi, si illis prædicaretur Evangelium non opponuntur, quia non sunt de eodem objecto. 276. 2.

Ante decretum Dei, nullum contingens futurum quâlibet adhibitâ conditione est certò futurum. 219. 1.

DEFECTVS.

Defectus privativi perfectionis debitæ in esse, in moralibus actibus, nullo modo reduci possunt in Deum tanquam in primam radicem: benè tamen privationes naturales & defectus negativi. 66. 1.

DEVS.

Deus semper laudandus. 8. 2. impossibilia non jubet. 9. 1. licet creasset hominem cum ignorantia & infirmitate non propterea esset culpandus. ibid & 22. 2. & 23. 2. & 31. 1. non fuit conveniens ut conderet hominem in puris naturalibus. 29. 1. creavit hominem præcepti capacem & cum tanta scientia, ut rebus omnibus nomen congruentissimè imponeret. 33. 2. si resuscitaret hominem mortuum in peccato originali vel actuali, peccatum non attribueretur ei. Sed vel primo parenti, vel illi qui illud comiserat. 43. 2. benè tamen si hominem in pecccato crearet. ibid. quia est summa bonitas ipsi repugnat velle peccatum 293. 2.

Deus est causa prima, non mediata, sed immediatissima cuilibet effectui. 65. 2. ita est primum determinans, sicut primum movens, & ita repugnat ei ab alio determinari, sicut ei repugnat ab alio moveri. 64. 1. per idæas est causa rerum. 99. 1. omnibus dat gratiam, nisi iis qui impedimentum apponunt. 96. 1. aliter vult causas necessarias operari, aliter liberas. 97. 2. movendo, applicando & determinando liberum arbitrium creatum, facit ut operetur. 67. 1.

Deus habet nunc potentiam creandi mundum & non creandi sicut illam habebat ante creationem. 163. 2. In eo est potentia realis & physica non producendi Antichristum, etiam supposito quod decreverit efficaciter ipsum producere. 165. & 166.

Deus vult omnes homines salvos fieri. est dicere facit Sanctos velle ex D. Anselmo. 35. 1.

Supposito quod Deus voluit aliquid, potest absolutè, sive in sensu diviso, illud non velle, sed non in sensu composito. 165. 2. intimiùs est voluntati nostræ, quàm ipsa intima sit sibi ipsi. 139. 2. non potest desinere velle, aut voluisse volitum, nec mutari de volente in non volentem 142. 1. si vellet hominem necessariò & non liberè operari, necessariò operaretur, necessitate conditionatâ & ex suppositione, quod Deus ita vellet: non verò necessitate absolutâ. 143. 1. veriùs videtur quòd illa necessitas esset absolutâ. Ibid. 2.

Ex eo quod sit in Deo potentia faciendi contrarium ejus quod vult, non sequitur ipsum esse mutabilem. 166. 1.

Deus dirigit omnia, providet, & gubernat, secundum Sanctos Patres, sine scientia media. 247.

Deus potest sua omnipotentia movere voluntatem creatam ad actum necessarium si vult; ita quòd voluntas tunc absque libertate moveatur. 74. 1. quomodo id fieri possit. 84. c. 2. quod non solum det nobis possibilitatem volendi, sed etiam quod faciat nos hoc vel illud velle, in lumine rationis & Scripturâ Sacrâ apertissimum est. 62. 1. contendere quod creatum arbitrium ut salvetur ejus libertas, est prima radix suæ contingentiæ, est velle ipsum esse æquale Deo, in eo quod proprium Dei est. 67. 1.

Deus non habet curam de bobus quomodo intelligendum. 111. 2.

Deus si ex necessitate naturæ operaretur ad extra, nulla salvaretur in effectibus libertas vel contingentia. 72. & seq. tripliciter intelligi potest quòd Deus operetur ex necessitate vel ex determinatione naturæ. 72. 2. si ageret ex necessitate naturæ nunc stantibus causis liberis, istæ essent tantùm in potentia liberæ; in exercitio autem, impedirentur ab actuali libertate, per divinam motionem. 78. 2. & 86. per tot. Deus quia scivit hoc esse futurum, ita erit & non è converso. 35. 1. non cognoscit futura in comprehensione voluntatis creatæ, nec in ipsis rebus, nec in decreto quo vult concurrere ad producendum futurum. 238. 2. & licet infinito excessu comprehendat humanam voluntatem non potest tamen in illa cognoscere certum quod certum non est. 237. 2.

Deum confiteri, & negare ipsum præscium futurorum apertissima insania est. 237. 2. eodem modo cognoscit res esse nobis futuras, quo cognoscit illas esse sibi præsentes. 343. 1.

DIABOLVS.

Non appetivit æqualitatem cum Deo sed aliquam similitudinem. 241. 1.

DIALECTICVS.

Quid intelligant dialectici per propositionem facientem sensum compositum, quid per modalem compositam & modalem divisam. 154. 2.

Dialecticum principium receptissimum. *Propositio conditionalis vera, est necessaria, falsa, est impossibilis.* 251. 1.

DICTIO.

Dictio *si* in propositione conditionali dupliciter sumitur aliquando illativè, ex vi consequentiæ, aliquando concomitanter 251. 1. Vide *Propositio Conditionalis.*

DICTVM.

Triplex dictum quo explicatur, quandonam Concilium Trid. in materia de gratia & libero arbitrio loquatur in sensu composito vel in sensu diviso. 195. 2. Vide *Concilium Trid.*

DIFFERENTIA.

Differentia inter prædestinationem & reprobationem parvulorum intollerabilis. 51. 1.

Differentia inter interpretes canonis. 4. sess. 6. de justificatione Conc. Trid. in quo consistat. 177. 1.

DISSENTIRE.

An & quomodò dissentire importet compositio- & distinguatur à resistere, abjicere, vel etiam à consentire & assentire 167. per totam & 170. & seq. non ita propriè respicit efficaciter moventem; sed magis propriè suadentem & incitantem attendit. 170. 1.

Ad dissentiendum non est necessarius actus contrariè oppositus. V. g. actus odij non est necessarius ad dissentiendum amori, sed sufficit non velle amare. 168. 1.

Posse dissentire non respicit consensum jam elicitū nec componit cum illo. 171. 1. potest sumi in sensu componente cum Deo vocante & excitante; sed non cum Deo movente & adjuvante. 172. 1. & ideo cum motione Dei efficaci facit sensum divisum. Ibid.

Digitized by Google

Index Rerum.

DISTINCTIO.

Solemnis distinctio de sensu diviso & composito quomodo intelligenda. 144. 2. antiqua est & necessaria; cum dialectica Phylosophia, & Thelogia congenita. 146. 1. Concilia illam honorant ibid. & 148. 2. sine illa libertas arbitrij, cum infallibilitate Dei salvari non potest. ibid. 2. nec multa scripturæ loca explicari. 147. & 148. illam docent SS. Patres, sub nomine necessitatis absolutæ & conditionatæ. 149. 1. probatur ex S. Aug. ibid. 2. & seq. citantur Scholastici qui hanc celebrem distinctionem ut necessariam receperunt. 151. per tot. Magnam his temporibus patitur contradictionem. 153. & seq. diversimodè & sæpè male intelligitur a quibusdam recentioribus, ibid. illam piè invenerunt Sancti, ut conciliarent libertatem cum gratia præveniente. 157. 1.

Distinctio valde necessaria inter actionem vel entitatem actionis peccaminosæ, & malitiam, vel deformitatem quæ est peccatum, ut teneatur via media inter errores oppositos 125. & seq.

Distinctio notanda, *præmotio tollit libertatem Ciceronianam & Pelagianam. Concedo: libertatem Christianam Catholicam: nego* explicatur. 140. 1.

DOCTRINA.

Doctrinam quæ docet liberum arbitrium reddere gratiam sufficientem omnibus collatam, efficacem per bonum usum: peccato originali detrahere, ex multiplici capite ostenditur. 53. 1. & 2. tota substantia doctrinæ quæ his temporibus magna contentione defenditur; ab Origene tradita est. 330. 1. qui illum sequuntur tria advertere debuerant antequam præcipitarent sententiam. Ibidem.

Pelagianum esset dicere solam exteriorem legem atque doctrinam sufficere ad conversionem. 271. 2.

DOGMA.

Dogma primorum Pelagianorum. 31. 1.

Totum dogma Pelagij est quod Deus det nobis posse, non autem faciat nos velle, & operari. 61. 2. vide *Pelagius Pelagiani.*

DOMINIVM.

Dominium voluntatis creatæ in actum suum, præsupponit præoperationem seu præviam motionem causæ primæ. 67. 2. Deus solus habet dominium in hominum voluntates, ita ut solus possit eas interius efficaciter movere 150. 2.

DYONISIVS.

Sanctus Dyonisius quomodo intelligendus quando dicit naturalia mansisse integra post peccatum. 34. 2. & seq. rationes in divinâ mente præexistentes effectivas & prædeterminativas rerum constituit. 88. 2. & 98. 1.

S. Dyonisij scripta defenduntur. 98. 1. & 2. ostenditur ipsum docuisse, in Deo esse rerum omnium & bonorum prædefinitionem & prædeterminationem. 99. 1.

EFFECTVS.

Effectus non potest intelligi in seipso determinatus; nisi intelligatur produci à causa priùs naturâ & causalitate ad ipsum producendum determinata. 301. 1.

Actuale esse effectus, vel est in seipso, vel in sua causa determinata & non indifferenti. 302. 1.

Effectus divinæ voluntatis à nullâ causâ secundâ impediri potest 60. 2.

Effectus contingens physicè, dicit respectum ad causam defectibilem physicam. 59. 1. contingens verò moraliter in sua ratione importat ordinem ad causam moralem defectibilem. Ibid. alius est contingens naturalis, alius contingens liber. Ibid. alius est absolutè futurus, & alius conditionatus. Ibid.

EFFICACIA.

Efficacia divinæ voluntatis, & motionis non est in nostra potestate, sed ponit in nostra potestate actum ad quem movet. 145. 2. est omninò necessaria, ut voluntas creata liberè agat, & ex illa hoc provenit. 138. 1. est prima radix contingentiæ & libertatis creatæ. 72. 1. & 137. 2. illâ mutatâ mutatur humana libertas. 78. 1.

Impugnatur opinio quæ constituit efficaciam divinæ gratiæ in contemperata vocatione secundùm quòd homo majori vel minori tentatione afficitur. 249. & seq. vide *Libertas Contingentia.*

ELECTIO.

Consensus & electio quomodo distinguantur quando unum tantùm est medium quod placet. 167. 2.

Quicquid habet aliquo modo rationem entis, sive naturalis sive moralis, sive supernaturalis, est à divinâ voluntate prædefinitum. 104. & 105. nihil fit quod non sit à Deo volitum in particulari, vel permissum. Ibid.

EPISTOLA.

Epistola ad Demetriadem, quæ incipit. *Cum splendidissimè.* Sancti Prosperi est, & non sancti Ambrosij. 46. 1.

ERROR.

Maximus error affirmare Deum præscire aliquid boni esse ex hominibus ante divinam voluntatem illud tribuentem. 213. 1.

Errores exorti circa fidem occasionem dederunt Sanctis Patribus, ut ea quæ sunt fidei, majori cum circumspectione traderent. 280. 1.

ESSE.

Esse actuale rei, est esse existentiæ ipsius. 338. 2. esse rerum in tempore, & esse illarum in æternitate, non est duplex, sed unum & idem esse. 345. 12. quod fuit non potest non fuisse. 351. 1.

Esse scitum à Deo & esse prædestinatum, an sint separabilia à re scita & à prædestinato. 197. 2.

ESSENTIA.

Essentia divina est tota in toto universo & tota in qualibet ejus parte. 335. 1. habet rationem speciei intelligibilis. 342. 2. & 344. 1.

EVANGELIVM.

Evangelij prædicatio per Christum facta iis, qui crediturí erant, supponebat præscientiam; & hæc electionem eorum qui crederent, & quibus Evangelium prædicaretur. 222. 1.

Sicut qui credunt Evangelio meritò laudantur, quamvis datum sit eis ut credant: ita qui non credunt, meritò vituperantur, quia ex se resistunt. 275. 1.

EVENTVS.

Eventus rei non potest intelligi, nisi secundùm realem existentiam. 339. 2.

EXCITATIO INTERIOR.

Excitatio interior quæ non facit credere, non recedit à lege atque doctrina exteriori. 222. 2.

EXCVSATIO.

Recentiorum excusatio dicentium hominem esse primum determinans suam actionem, & tamen non esse primum liberum antiqua est, & à sancto Thoma in terminis refutata. 106. 1.

Excusationes auctorum scientiæ mediæ refelluntur. 214. 1.

EXECVTIO.

Executio determinationis æternæ divinæ voluntatis facta est in initio temporis. 337. 1.

EXEMPLVM.

Exempla quibus ostenditur indignè de Deo sentire, qui prædestinationem per scientiam mediam explicant

Digitized by Google

cant. 293. 1. quatuor exempla ad explicandum ex sancto Thoma quomodo peccatum originale non sit solum removens prohibens: sed vera causa inordinatæ dispositionis in natura lapsa. 37. 2. & seq.

Exempla quibus clarissimè explicatur Deum esse causam actionis quæ est in peccato non tamen ipsius peccati. 126. 1.

Exemplum de sole ex D. Thoma inductum, explicatur. 65. 2.

Exempla explicantia propositiones modales, & sensum compositum atque divisum. 151. 1. & 165. 2.

Exemplum evidens, *Sicut non bene sequitur*, materia prima habens unam formam, potest sibi conjungere aliam, ergo potest conjungere in se unam formam cum alia: *Ita non sequitur*, liberum arbitrium à Deo efficaciter motum potest sibi conjungere dissensum; ergo potest illum conjungere cum Deo efficaciter movente; quia in his propositionibus, antecedens facit sensum divisum, & consequens facit sensum compositum. 176. 1.

Exemplum efficaciæ divinæ voluntatis in dicto Spiridionis Episcopi alloquentis quemdam Phylosophum 169. 1. vide *Conversio*.

EXISTENTIA.

Facere ad existentias terminatur. 337. 1. Vide. *Esse Æternitas*.

EZECHIAS.

Circa Ezechiæ mortem Deus duo cognovit. 259. 1.

FALLACIA.

Quid sit fallacia compositionis & divisionis ex Sancto Thoma 151. 1. & 163. 1.

FAVSTVS.

Faustus Pelagianus docuit, ideo Deum præscire futura, quia futura sunt. 329. 2. & hoc ex Pelagio & Origene sumpsit. 329. 2.

FIDES.

Fidei nostræ aliquod falsum subesse non potest. 307. 1.

Initium fidei est donum Dei. 281. 1.

In definitione fidei, verba in proprio sensu sunt explicanda; nisi sequatur inconveniens. 17. 1.

Fides Catholica tenet hominem justificatum non posse in justitia perseverare, sine speciali Dei auxilio 148. 2. in sensu diviso potest. Ibid.

Fides semper docuit parvulos ex Adam procedentes seminali propagatione verè peccatores esse & formaliter, inimicos Dei, & Filios iræ. 50. 1.

Secundùm fidem datur in Deo talis voluntas cui non potest homo resistere. 94. 2. quomodo id intelligatur. Ibid.

Piorum fides habet, efficacissimam esse Dei voluntatem ad faciendum quod voluerit circa hominum voluntates. 284. 2.

Fides non minùs meritoria est, quàm sit demeritoria inconstantia in fide. 270. 2.

FIGMENTVM.

Figmentum est, dicere quòd Deus cognoscit bonum usum liberi arbitrij in veritate objectiva. 254. 1.

FILIVS.

Filij Dei perfecti sunt in patria ubi perfectè ex illo nascuntur, & hi peccare non possunt. 148. 1

FINIS.

Qui finem efficaciter præparat, & media efficaciter præparare debet. 120. 1. & qui vult eum efficaciter liberè, virtualiter liberè vult media. 188. 1.

De fine quoad specificationem, non datur consilium. 186. 1.

FOMES.

Fomes peccati quid sit. 43. 1.

FORMA.

Formæ reales actu inhærentes inseparabiliter complent & satiant totam capacitatem subjecti. 197. 2. quomodo intelligatur quod formæ inseparabiles, non patiuntur distinctionem sensus compositi & divisi ibid. 1.

FRVSTRA.

Frustra est potentia quæ non reducitur in actum, explicatur quatuor modis. 199. per totam.

FVLGENTIVS.

S. Fulgentius auctor libri Hypognosticon. 28. 1. admittit sensum compositum & divisum. 150. 2. est etiam auctor libri de fide, ad Petrum. 150. 2.

FVNDAMENTVM.

Fundamentum singulare in materia de concordia liberi arbitrij cum gratia efficaci, est hæc propositio Sancti Thomæ. *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni quod voluntas ad id non moveatur.* 175. 2.

Fundamentum, efficaciæ divinæ motionis valde inimicum; quod, hominem posse liberè motioni dissentiri sit ipsum conjungere posse dissensum contrarium cum motione efficaci. 157. 2.

Fundamentum totale novæ doctrinæ contra gratiam efficacem est scientia media. 200. 1. & 210. 2.

FVTVRITIO.

Futuritio rerum est cognoscibilis à Deo & verè cognoscitur. 343. 1.

FVTVRVM.

Nullum est futurum respectu Dei. 303. 1. & 355. 2.

Futura antequam fiant, jam à Deo facta sunt. 337. 2. existunt in se ab æterno non in ordine ad tempus præsens, sed in ordine ad æternitatem. Ibid. 1. non habent respectu Dei contingentiam sed præsentialitatem. 338. 2. ideo futura sunt quia Deus vult esse futura. Ergo ideo futura sunt quia Deus scit esse futura 322. 1. duo habent quando in tempore producuntur. 350. 1. si Deus voluisset nihil futurum esset. 297. 1.

Futura in æternitate præsentia sunt objectum secundarium cognitionis divinæ. 310. 2.

Futurum prædestinatur à Deo & præordinatur futurum, & tamen est liberè futurum. 135. & 136.

Futura sunt in duplici differentia respectu prædestinationis, alia veluti effectus, alia veluti subjectum 227. 2. nullum est determinatè futurum, nisi hoc habeat à sempiterna causa quæ est voluntas Dei. 122. 2. & 238. 1.

FVTVRVM CONTINGENS.

Futurum contingens ideo est absolutè futurum, quia Deus vult vel permittit ut sit futurum. 219. 1. ideo est conditionatè futurum, quia Deus vult, vel permittit, quod positâ tali conditione sit futurum. Ibid. & 240. 1.

Futura contingentia absoluta non cognoscuntur à Deo ante decretum absolutum; nec conditionata, ante conditionatum. 217. 2.

In rationibus idealibus ut determinatis per decretum, Deus cognoscit certò futura contingentia. 314. 2.

Futurum sub conditione posita conditione transit in absolutum. 224. 2. & 225. 1 & 253. 2.

Elucidatur sententia S. Thomæ de cognitione divina futurorum contingentium. 309. 310. 311. & 312. & seq.

Nullum futurum contingens ante decretum divinum habet veritatem objectivam, qua certò possit terminare divinam cognitionem. 300. 1. qui hanc veritatem objectivam defendunt antè decretum di-

Digitized by Google

vis voluntatis, convincuntur per Aristotelem negare libertatem. ibid. 2. imò & omnem providentiam circa talia futura negent, necesse est. ibid.

Futura contingentia cognoscuntur à Deo certò tripliciter, scilicet in ipso Deo ut in causa determinatâ per decretum, in causis proximis, ut primæ subordinatis; & in seipsis ut æternitati coexistunt. 309. 2.

FVTVRVM CONDITIONATVM.

Ad explicandam cognitionem Dei futurorum conditionalium recurrendum est semper ad decretum, quo Deus voluit talia futura, si tales conditiones adhiberentur. In quo veritatem futurorum Deus cognoscit. 249. 1.

Futura conditionata sunt in triplici differentia. 263. 2. aliquod exprimitur in scriptura de quo Deus non habuit decretum ut illud. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus.* 264. 2.

Quæ non habent necessariam connexionem, nisi ex suppositione liberæ voluntatis Dei, cognoscuntur à Deo per scientiam liberam. 254. 2. sicut & illa quæ in scriptura traduntur & revelantur futura, si aliquæ apponerentur conditiones; ut ista, *Sy in Tyro & Sydone facta fuissent &c.* & *si percussisses septies, percussisses usque &c.* ibidem.

Futurum conditionatum in ratione scibilis non est medium inter possibile & futurum absolutum, sed reducitur ad unum vel ad alterum illorum. 290. 1.

Futura conditionata quæ non supponunt decretum ad quatuor capita reducuntur. 264. 2. conditionatorum quæ sunt intrinsecè mala, non datur in Deo decretum ea causandi, sed ea permittendi tantùm. 266. 1.

Futura conditionata de conditione numquam ponenda, non sunt merè possibilia; quia supponunt decretum quo futura sunt, & ideo non cognoscuntur tantum ut possibilia; sed ut certò futura si poneretur conditio. 256. per tot. non cognoscuntur per scientiam naturalem. 257. cognitio quâ cognoscuntur reducitur ad scientiam visionis. 258. 1.

Defensores gratiæ & scientiæ mediæ impugnatores, certam in Deo futurorum etiam conditionatorum cognitionem semper confitentur. 251. 1.

Non est dicendum Deum cognoscere aliqua futura conditionata conjecturaliter. 269. 1. sed si in propositione conditionali de futuro bona sit consequentia, illud certò cognoscitur à Deo futurum; si consequentia sit mala, illud cognoscitur à Deo certò non futurum: hæc est regula certissima. 259. 2.

Futurum necessarium etiam conditionatum est futurum ante omne decretum. 219. 2. cognoscitur à Deo per simplicem intelligentiam. 253. 2. si sit necessarium ex vi illationis, ut istud, *si Petrus currat movebitur*: certò cognoscitur à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ, si verò sit certum ex vi determinationis divinæ voluntatis, ut istud, *si in Tyro & Sydone facta fuissent virtutes converterentur*: cognoscitur certò à Deo scientia visionis. 290. 2. nullum tamen futurum contingens subditur cettæ cognitioni secundùm se & ex propriis meritis, sed solùm prout est in causa determinata. 315. & 316.

GASPAR.

Gaspar Ram Professor dignissimus & veræ & antiquæ doctrinæ deffensor Zelantissimus. 336. 2. versatissimus in materia de auxiliis. 264. 1.

GENTES.

Gentium futuram pœnitentiam cognovit Christus in efficacia gratiæ. 273. 1.

GRAMMATICVS.

Grammatici Dialecticam horrent quia per illam cavillationes & sophismata suorum argumentorum deteguntur. 154. 2.

GRATIA.

Gratia perficit naturam & non destruit. 33. 1.

Qui secundum merita humana gratiam Dei dari contendit, non rectè de peccato originali sentit. 45. 2. si facienti quod in se est solis naturæ viribus gratia infallibiliter datur, sequitur non esse peccatum originale. 49. 1. quod gratiam Dei non habeamus, ex defectu nostro est quia impedimentum ponimus. 120. 2. & 124. 1. Gratia adjuvans & excitans realiter distinguntur sicut res à re. 188. 1. & seq. adjuvans veras vires efficaces tribuit voluntati ad actum liberum. ibidem. Est à solo Deo, & verum divinum auxilium. ibid. utraque est gratia prævenies ex Concilio Trid. 183. 1. Quomodo gratia excitans dici possit auxilium efficax. 184. 2. gratia adjuvans propriè & absolutè dicitur gratia Dei & gratia Christi. 185. 1. gratia excitans quomodo fiat, ad quod requiruntur octo. 186. & 187.

Prima causa collationis gratiæ est ex Deo, defectus verò gratiæ prima causa est ex nobis. 275. 1. Gratia antecedens quæ ex D. Augustino facit humanam voluntatem indefectibiliter, insuperabiliter, & indeclinabiliter operari, nullo modo lædit libertatem 130. 2. & seq.

Gratia efficax hoc facit quod cum liberum arbitrium possit dissentire, possit resistere, & cum Deo excitante dissensum conjungere, non dissentiat, non resistat, & talem dissensum non conjungat. 193. 2.

Non est distinguendum quod est ex gratia, ab eo quod est ex libero arbitrio, cum idem possit ex utroque esse. 224. 1. Gratia moraliter tantùm & objectivè movens non potest dici auxilium sufficiens. 179. 1. nullus tàm stultus umquam fuit, qui negaret gratiam tantùm moraliter prævenientem, non lædere aut impedire liberum arbitrium. ibid. 2.

Disputatio damnabilis ex Concilio Carthaginensi quæ dicit tolli liberum arbitrium per gratiam efficacem prævenientem 117. 2.

GRATIANVS.

Gratianus admittit distinctionem necessitatis in absolutam & conditionatam, & distinctionem sensus compositi & divisi. 149. 1.

GREGORIVS.

Sanctus Gregorius agnovit sensum compositum & divisum 150. 1.

Sanctus Gregorius Nissenus de infantibus qui præmaturè arripiuntur; tria notanda dicit. 278. 1.

HABILITAS.

Habilitas ad malum 20. 1.

Diminutio habilitatis ad bonum, pœna est hominis lapsi. 30. 1.

HÆRESIS.

Pelagianæ hæresis exordium. 46. 1.

Hæresis Lutheri & Calvini est, quod Deus prædefiniat peccatum 124. 2.

HÆRETICI.

Hæretici libidine contradicendi, nituntur vigorem Dialecticæ destruere, 152. 1. & 154. 1. maximè doctrinam de necessitate consequentiæ, & consequentis. ibid. nolunt esse subjecti Deo, ejusque potenti virtuti. 179. 2.

HENRIQVEZ.

Henricus Henriquez dicit hanc esse veram. S. Thomæ sententiam quod stante præmotione Dei efficaci, implicat in sensu composito liberum arbitrium non converti: & tamen liberè convertitur. 151. 2.

HILARIVS.

S. Hilarius expressè affirmat Semipelagianos usos fuisse scientia media. 212. 1. & 220. 2.

Digitized by Google

Index Rerum.

HOMO.

Homo cum sit ex nihilo essentialiter defectibilis est. 95. 2. non potest conqueri quod à Deo non conservetur, nec si permittatur cadere in peccatum. ibid. in statu innocentiæ erat mortalis. 199. 1. cum nequeat esse primum liberum, ita indiget antecedente voluntate Dei & ejus efficaciâ, ut si illa defecerit, numquam liberè operetur 138. 2. & qui dicunt oppositum, liberum arbitrium non defendunt, sed destruunt. ibid.

Non est de fide primum hominem fuisse in gratia justificante supernaturali creatum. 5. 2. magis tamen conforme est fidei & dictis Sanctorum Patrum, ibidem. gratiam gratum facientem, illum habuisse ante peccatum, certum est de fide: sicut & ipsum fuisse in justitia originali creatum. ibid. si non peccasset numquam moreretur. 6. 1. Homo si in puris naturalibus conderetur, utpotè ex contrariis compositus, per mortem dissolueretur. 7. 2. & 32. 1. crearetur perfectus in quantitate, & ratione & scientiâ. 39. 2. posset ad breve tempus, sed non diu, omnem legem naturalem implere. 7. 2. & cum auxilio extraordinario, ordinis tamen naturalis, posset usque in finem in bono rationis perseverare; & totam legem etiam collectivè implere. 8. 2. & diligere Deum ut authorem naturæ super omnia. 14. 1. licet esset in puris naturalibus conditus, esset tamen ad imaginem & similitudinem Dei. 25. 1 propriis viribus, cum generali concursu Dei posset vincere quamcumque gravem tentationem. 32. 2. quæ omnia non potest in statu naturæ lapsæ sine auxilio gratiæ. 7. 2.

Naturale est homini ut rationalis est, ut appetitus concupiscibilis feratur in delectabile, secundùm ordinem rationis. 42. 2.

Homo sine sua culpa damnari non potest. 8. 2. deterior est in natura lapsa, etiam seclusâ culpâ, quàm esset in puris naturalibus conditus. 11. 2. & 13. 1. & 16. 1. & seq.

Homo per peccatum originale verè aversus est à bono incommutabili. 14. 2. Quomodo dicatur inclinatus ad peccandum ex peccato originali. 15. 1. & quid sit esse inclinatum. 26. 2.

Homo si potest sine Deo suam actionem inchoare, poterit & illam sine Deo consummare. 106. 2.

Homo si dicatur primum principium suæ actionis liberæ convincitur esse primum simpliciter, & in sua essentia, ab alio independens. Ibid.

Homo *descendens ab Hierusalem in Ierico* exponitur ex SS. Patribus de Adamo, & de genere humano. 29. 2. & 42. 2. & 48. 1. & 2.

Homo recipiens per consensum liberum inspirationem, ideo eam sic liberè recipere vult, quia gratiâ adjuvante movetur & adjuvatur ut sic illam liberè recipiat. 175. 1.

Homo est liber in sensu composito; quia actualem suam libertatem, componit cum efficaci Dei motione. 198. 1.

HVMILITAS.

Qui anchoram humilitatis non tenuit, miserè naufragium fecit. 297. 1.

HYERONIMVS.

S. Hyeronimus dicit Pelagianos facere liberum arbitrium æquale Deo, quod superbiam diaboli videtur excedere. 241. 1.

Locus difficilis sancti Hyeronimi de providentia Dei exponitur 115. per tot.

Ex eodem S. Hyeronimo ostenditur eos negare libertatem, qui negant causam primam præmoventem. 118. 1.

IDEA.

Ideæ divinæ sunt cognitæ & termini cognitionis in Deo. 342. 2. Post determinationem divinæ voluntatis, ideæ sunt exemplaria & similitudines cujuscunque futuri liberi. 318. 1. illas non determinat coexistentia rerum in æternitate, sed hoc facit decretum divinæ voluntatis. 312. 1.

Idea divina non determinatur ad representandum aliquid vel illud causandum ex aliquo objecto creato, sed ex proposito divinæ voluntatis. 236. 2. representat futurum contingens post decretum Dei, non antè. 185. 1.

Futura non ideo futura sunt, quia per ideas repræsentantur, sed ideo repræsentantur, quia ut futura, in divinâ causalitate continentur. 344. 1.

Qui negat ideas esse in Deo, infidelis est, quia negat Filium esse. 101. 1.

IGNORANTIA.

Ignorantia antecedens tollit voluntarium. 144. 1.

Ignorantia non est natura hominis instituti, sed pœna damnati. 21. 1. & seq. magnum ignorantiæ & infirmitatis malum ex peccato. Ibid. 2.

Ignorantia & infirmitas non sunt primordia naturæ sed pœnæ peccati. 31. 1. & 45. 2.

Ignorantia ex peccato, non est puræ negationis, sed pravæ dispositionis. 39. 1.

ILLVMINATIO.

Illuminatio duplex, altera objectivè alliciens, altera effectivè transmutans voluntatem. 113. 1. hæc soli Deo propria est, ibid.

IMMENSITAS.

Immensitas respicit solùm locum præsentem & non futurum. 345. 1. differentiæ multæ inter immensitatem respectu locorum, & æternitatem respectu temporis. Ibid.

IMPLICATIO.

Implicatio est ponere scientiam inter naturalem & liberam mediam. 230. 2.

IMPOSSIBILE.

Impossibile est illud quod ex se est determinatum ad non esse. 58. 1.

Impossibile est, poni judicium indifferens in intellectu, & non poni libertatem in voluntate. 81. 1.

Ex impossibili sequitur quodlibet. 333. 1.

Impossibili posito, quòd essent causæ liberæ ut sunt, & quòd Deus ageret ex necessitate naturæ ad extra, daretur tantùm libertas potentialis in creaturis, & nullus esset effectus liber. 73. 2. & seq. sicut si Deus agens ex necessitate naturæ, non operaretur secundùm ultimum potentiæ (quæ duo sunt incompossilia) 74. 2.

Incompossibilia sunt hæc duo, Deus efficaciter movet liberum arbitrium, & liberum arbitrium non movetur. 193. 1. & 2.

INCOMPOSSIBILITAS.

Incompossibilitas apparens futurorum contingentium, quę ex duplici capite oriri videtur, scilicet ex efficacia divinæ voluntatis, & certitudine scientiæ Dei; ex utroque eodem capite cõciliatur, statuitur, firmatur, ac deducitur futurorum contingentia & libertas. 248. 2.

INCARNATIO.

Incarnatio Christi Domini ad gloriam Dei ut ad finem ordinatur. 227. 1. Deus voluit illam ut finem perficientem omnia, naturalia & supernaturalia. Ibid. 2.

Decretum Incarnationis præcedit in genere causæ finalis præscientiam peccati; sed non in genere causæ quasi materialis & occasionalis. 226. 2. & 227. 2.

Digitized by Google

INCLINATIO.

Inclinatio naturalis ad virtutem diminuta & læsa manſit in homine per peccatum originale. 14. 2. & 15. 2. Quomodò fiat hæc diminutio 18. 1. & ſeq. & 26. 2. & 30. 1.

INDETERMINATIO.

Indeterminatio cauſarum futurorum contingentium non poteſt impedire certam de illis divinam cognitionem & quare. 341. 1.

INDIFFERENTIA.

Indifferentia ex parte objecti eſt radix formalis libertatis. 80. 2. & ſeq.

Indifferentiâ rationis circa aliquod objectum poſitâ ex parte intellectus, de potentia Dei abſoluta fieri non poteſt, quod actus voluntatis qui ad illam ſequitur, non ſit liber. 181.

INDIVIDVVM.

Individua corruptibilia ſecundariò & minus principaliter & propter aliud ſunt à Deo prædefinita & præordinata. 117. 1.

INNOCENTIVS.

Innocentius primus definivit parvulos ſine baptiſmo decedentes non habere vitam perpetuam, & docentes oppoſitum baptiſmum annullare. 52. 2.

INTEGRITAS.

Duplex integritas fuit in primo parente. 12. 1. Item triplex naturæ humanæ integritas ex Caïetano explicatur. 42. 2.

INTELLECTVS.

Intellectus eſt vera cauſa ſive ratio à priori voluntatis, & quoad actum primum, & quoad actum ſecundum. 83. 2.

Intellectus divinus producit res quoad exercitium in virtute divinæ voluntatis. 69. 2. hæc illatio optima eſt, ideo intellectus divinus producit res, quia habet adjunctam voluntatem. 71. 2.

Intellectus divinus ſemper actu cognoſcens, actu cognoſcat, neceſſe eſt, quod ſibi offertur, eo modo quo eſt ſibi præſens 242. ejus infinitas habet cognoſcere omnem certam & infallibilem veritatem 299. 1. Intellectus divinus etiam practicus non poteſt eſſe prima radix libertatis, ſed hæc eſt efficacia divinæ voluntatis. 68. 2. & 106. 1.

Hæc duo ſunt incompatibilia, quod intellectus repræſentet unum voluntati, & quod voluntas appetat aliud. 82. 1.

INTELLIGENTIA.

Munus naturale intelligentiæ in quibuſdam majus, ut ſcilicet magis objectivè & exteriùs moveantur à prædicationibus & miraculis. 274. 2.

INTENTIO,

Intentio nequam per oculum deſignatur. 95. 2.

INTVITIO. VEL INTVITVS.

Aſſignatur Deo univerſalis modus cognoſcendi bona & mala, per intuitionem eorum exiſtentium in æternitate. 313. 1.

Intuitus divinus ſimplex fertur in omnia prout unumquodque, eſt in ſuo tempore. 339. 1.

Fuit ab æterno cognoſcens res omnes, ut ſibi præſentes. 340. 2. & 342. 2.

Aliud eſt Deum habere rationes rerum ſibi præſentes, & aliud intuitum divinum ferri in ſibi realiter præſentia. Ibid.

Primum enim denotat præſentiam tantùm objectivam, & ſecundum præſentiam realem & actualem. Ibid.

JOANNNES.

S. Joannis teſtimonium quo dicitur, *qui natus eſt ex Deo non poteſt peccare, &c.* Quadrupliciter exponitur. 148. 1. & 149. 2. & ſequentibus.

IRENÆVS.

S. Irenæus nihil omninò dicit contra prædefinitiones divinas, etſi contra illas citetur. 112. 1. imò & efficaciam gratiæ & divinam cauſalitatem prædicat ibid. 2. per ſuadelam intelligit gratiam effectivè operantem, & efficaciter trahentem ibid.

JUDEI.

Judæi ex malitia magis excæcati quam Tyrij & Sydonij 275. 1. propter majorem obdurationem, malitiam; & ingratitudinem ſeipſos magis indignos reddiderunt, quàm Gentiles ut converterentur. Ibid. 2. propter quod juſtè reprehenduntur comparatione Tyriorum. ibidem. & ſequentibus.

IVGVM.

Jugum grave non imponeretur hominibus niſi eſſet peccatum. 24. 2.

IVLIANVS.

Julianus apoſtata blaſphemavit, Deum invido animo eieciſſe primum hominem de paradiſo terreſtri; ne comedens lignum vitæ viveret in æternum. 178. 1.

IVSTIFICATIO.

Juſtificationis exordium ſumi ab illuminatione & inſpiratione qua Deus cor hominis tangit docet Concilium Trident. 184. 1. Valde notandum quod Authores qui apertè fatentur hominem eſſe primam cauſam ſuæ liberæ determinationis, concedere reformident ipſum eſſe initium ejuſdem ſuæ determinationis: ex hoc enim ſequeretur, ipſum eſſe ſuæ juſtificationis principium. 62. 1.

JVSTINVS.

S. Juſtinus diminutè & truncatè adducitur à negantibus divinas prædefinitiones. 112. 1. liber 146 quæſtionum non eſt ejus. Ibid.

LAYNEZ.

P. Laynez primus divulgavit ſcientiam mediam & doctrinam in eâ fundatam. 203. 1. fatetur Deum non cognoſcere certò, ſed tantùm conjecturaliter futura conditionata. 237. 2.

LEO.

Leo magnus prædefinitiones divinas multis in locis explicat. 100. 1. & 2. diſtinctionem ſenſus compoſiti & diviſi tradit. 151. 1.

LESSIVS.

Scientiæ mediæ acerrimus defenſor. 201. 1.

LIBELLVS.

Quidam libellus intitulatus memoriale Theologicum, docet ſcientiam mediam inter ſcientiam viſionis & ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, eſſe ſapientiam illam de qua loquitur Apoſtolus, quando exclamat. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, &c.* 204. 1. ſed hoc contra communem Scholaſticorum ſententiam. Ibid.

LIBERTAS.

Libertas non conſiſtit nec conſiſtere poteſt in hoc, quod poſſit conjungere contrarium diſſenſum, cum voluntate, vel motione Dei efficaci præveniente. 158. 1. duo enim illa ſunt inconjungibilia & incompoſſibilia. Ibid.

Admonemur libertatis noſtræ cum dicitur *nobis, Convertimini ad me &c.* 185. 1. & 2.

Libertas eſt perfectio ſimpliciter, non verò contingentia. 74. 2.

Divina libertas non poteſt eſſe exemplar imitabile à noſtrâ libertatè in eo quod eſt illi ſingulariſſimum, videlicet per ſeipſam abſque alio determinante ſe determinare. 241. 2. Vnde libertas creata non poteſt eſſe prima radix actuum liberorum, in ſuo genere. Ibid. neque conſiſtit in hoc quod ſe ſola ſuam determinationem incipiat. 234. 1. & hoc velle defendere, eſt liberum arbitrium præcipitare. Ibidem.

Digitized by Google

Index Rerum.

Libertas secunda per scientiam mediam aufertur ab eo cui convenit, & prima tribuitur ei cui repugnat, & sic ambæ evertuntur. 141. 1.

Mirabile est quod aliqui negant prædeterminationem physicam à Deo provenientem, tanquam destructivam libertatis, & admittant prædeterminationem physicam ortam ex temperamento naturali, quâ positâ non stet liberum arbitrium non consentire: nec videant hanc, nostram magis tollere libertatem, quàm illam. 245. 1.

Salvatur humana libertas cum efficacia antecedente divinæ voluntatis, quia efficax Dei voluntas antecedens vult utrumque. 77. 2.

Quare difficile est ex Sanctis Patribus libertatem humanam conciliare cum efficacia gratiæ & prædeterminationis, & prædestinationis. 84. 1.

Qui dicunt causam secundam liberam, esse primam radicem libertatis, quæ invenitur in actionibus humanis, omnem ordinem & subordinationem causarum secundarum ad primam evertunt; nec defendunt liberum arbitrium, sed præcipitant. 61. 2. hoc est proximum duplici errori. 138. 2. dicere Deum dare velle & operari, quia creat libertatem in homine & Angelo; est dicere divinæ voluntatis causalitatem sistere in creatione, & tribuere solùm possibilitatem, vel facultatem liberi arbitrij, non verò libertatem actualem. 62. 2.

Libertas in voluntate dimanat inseparabiliter ex indifferentiâ rationis. 83. 2. illa quæ est in operationibus creatis, reducitur tota in voluntatem creatam ut causam proximam, & tota in voluntatem Dei ut in primam radicem. 79. 1.

Malè aliqui putant efficacem Dei prædefinitionem idem esse, ac necessitatem tollentem humanam libertatem. 109. 1.

Libertatis concordia cum gratiâ efficaci, vel divinâ motione, in substantia consistit in hoc, quod Deus moveat unumquodque secundùm conditionem suæ naturæ, & sit causa non solum actionis, sed modi illius. 121. 1. & 132. 1. unde ea quæ fiunt liberè, ideo liberè fiunt, quia Deus vult efficaciter ea fieri liberè ex D. Thoma. Ibid.

Lumen naturale utrumque ostendit, videlicet & Deum esse primam causam efficacem, omniaque movere, & nos habere libertatem, licet modum conciliationis non ostendat. 138. 2.

Tria de libertate docet S. Thomas notatu digna. 211.

LOCVS.

Locus realis est. 337. 2. omnia quæ sunt in loco, in eo sunt secundùm reales existentias. Ibid. exponitur locus scripturæ *Va tibi corrozaim va tibi &c.* Et verus sensus illius traditur. 270. & seq. & 272. & sequentibus.

Locus medius non erit post judicium inter cœlum & infernum. 53. 1.

LVTHERVS.

Stultissimè docuit liberum arbitrium se habere merè passivè, & ut inanime quoddam, in negotio justificationis. 190. 2.

MACHINA.

Machina magna fundatur in scientiâ mediâ adversus divinam causalitatem & gratiam. 234. 1.

MAGISTER.

Magister sententiarum explicat sensum compositum & divisum Thomistarum. 152. 1. & 155. 1. & 162. 1. apertè docuit hominem per peccatum originale non solum fuisse gratuitis spoliatum, sed etiam in naturalibus læsum. 42. 2.

MALVM.

Mala ex peccato provenientia enumerantur ex S. Augustino 22. 2. duo mala pœnæ sive pœni peccanti. 20. 2.

MANICHÆVS.

Ponebat naturam hominis determinatam ad malum. 31. 1. & 40. 2.

MARSILIVS.

Cavendus est in eo quod dicit Parisiis notatam fuisse sententiam defendentem coexistentiam rerum in æternitate, secundum proprias reales existentias. 339. 2.

MASSILIENSES.

Intelligere non valebant quomodo futura contingentia, Deo in æternitate præsentia coexistunt. 351. 1.

MATERIA.

Materia seu potentialitas est radix proxima corruptionis & contingentiæ. 66. 1.

MERITVM.

Meritum hominis non est absque libera Dei ordinatione. 254. 2.

MODESTIA,

Quorundam authorum modestia in explicando modo quo Deus cognoscit futura contingentia. 297. 1.

MOLINA.

P. Molina asserit se invenisse scientiam mediam. 285. 1. & se esse primum concordiæ libertatis cum gratia per scientiam mediam inventorem. 221. & 228. 2. doctrina ejus de hac scientia expenditur. 201. & seq. negat causalitatem quæ voluntas Dei est respectu futuri contingentis & liberi. 201. 1. de novitate doctrinæ gloriatur. 228. 2. duo videtur intendere dum incompossibilia proponit. 237. 2. asserit modum quo Suarez vult futura contingentia cognosci per scientiam mediam tollere libertatem. 230. 1. ejus sententia circa læsionem liberi arbitrij per peccatum originale. 1. 2. & 30. 2. & 49. 2. quid de parvulorum damnatione sentiat. 51. 1. sex ejus assertiones. 2. 1. quam differentiam admittat inter hominem lapsum, & hominem in puris naturalis creatum. 35. 2. octo assertiones ejusdem circa eandem materiam. 44. 1. & seq. verba ejus summâ attentione consideranda. Ibid. rationes ejus discutiuntur. 44. & 45. quid de peccato originali sentiat. 46. & 47. promittit parvulis extra Regnum cœlorum vitam fœlicem perpetuam. 51. 1. & 52. 1. & seq. eodem modo explicat sensum compositum quo Thomistæ. 164. 1. primus divulgator illius sententiæ quæ dicit auxilium Dei esse efficax ex effectu, & quia liberum arbitrium vult. 178. 1. Videtur negare divinas prædifinitiones etiam post scientiam mediam. 89. 1. quâ veritate dicat prædifinitiones & prædeterminationes nullum habere fundamentum in scripturis, Patribus & Conciliis. 103. 2.

MORS.

Mors non ponitur vulnus naturæ, quia in statu naturæ puræ esset homini connaturalis. 32. 1.

MOTIO.

Motio Dei prævia adeò est necessaria ut impossibile sit voluntatem creatam exire in actum sine illa. 240. 2.

Rationes quibus ostenditur quod si motio quâ Deus movet voluntatem creatam ad operationem mutaretur de libera in necessariam, etiam operatio voluntatis creatæ fieret necessaria, expenduntur. 76. 77. & seq.

Motio moralis omnium prima consistit in primo judicio rationis, quo intellectus proponit voluntati finem hic & nunc esse liberè volendum. 187. 2.

Motionem moralem & excitationem potest liberum arbitrium abjicere, eique resistere, nec umquam illi

Digitized by Google

illi consentiet, sine alia gratia adjuvante. 192. 1. & 2. semper illi resistit nisi fortiùs adjuvetur. ibid. cum adjuvatur efficaciter non amittit potentiam ad illam abjiciendam. ibid. & sequentib. cum efficaci Dei motione optimè stat potentia liberi arbitrij, ad dissentiendum Deo vocanti & excitanti. 193. 1.

Motio Dei efficax quæ movet liberum arbitrium duo includit, scilicet excitationem, seu inspirationem, & motionem efficienter moventem. 170. 1.

Motionem Dei esse inefficacem reputat impossibile S. Thomas. 175. 2.

Motio quoad specificationem duplex. 187. 1. moralis movet suadendo & alliciendo. ibid. 2. moralis excitatio priùs naturâ est, quàm vera & efficax Dei motio. ibid.

MOTVS.

Motus primò primi in infidelibus semper sunt voluntarij in sua causa, scilicet in peccato originali. 245. 2.

Motus primò primi sunt absolutè necessarij, quia præveniunt, judicium rationis quod est radix libertatis. ibid.

Motus concupiscentiæ etiam vehementiores posset homo in statu naturæ puræ refrænare, & superare sine speciali gratiæ auxilio. 13. 1. quatuor modis considerari possunt. ibidem. 2. quomodo sint materiale peccati originalis. ibid.

MVTATVS.

Mutato priori mutatur semper posterius quod ab illo essentialiter dependet. 78. 1.

NATVRA.

Natura nostra per peccatum primi hominis corrupta, depravata, vulnerata, inclinata, attenuata. 2. 2. & 10. 2. & 13. 1. quatuor ejus vulnera. 32. 1. tripliciter intelligi potest naturam nostram non esse deteriorem nunc quàm si in puris naturalibus condita fuisset; si tamen culpam originalem detrahamus. 3. 1.

NATVRALE.

Nihil homini naturale potest esse perversum. 31. 1

Naturalia, vel status naturæ puræ, quomodo intelligantur. 11. 2. & seq.

Naturalia homini debita dupliciter consideranda. 29. 2.

NECESSARIVM.

Necessarium quid. 57. 2. non benè definitur illud quod semper erit. ibid. In bona Consequentia *si antecedens est necessarium, ita & Consequens.* 353. 2.

NECESSARIO.

Determinatè & necessariò idem sonant quando dicitur, quòd propositio de futuro contingenti est determinatè vera. 291. 2.

NECESSE.

Necesse est ut veniant scandala, quomodo intelligatur. 149. 1.

Si Deus prævidit hominem operaturum, necesse est, in sensu composito ipsum operari propter certitudinem providentiæ, & tamen liberè operatur. 157.

NECESSITAS.

Necessitas antecedens triplex est ex D. Anselmo. 134. 2.

Necessitas antecedens quæ tollit libertatem, illa est quæ antecedit divinum velle 133. 2. antecedens ex natura rei & absoluta, tollit libertatem; non verò necessitas orta ex suppositione antecedente. ibid.

Necessitas absoluta & conditionata, quæ sit. 140. 2. & 141. 2. antecedens & consequens quid sit. 127. 1. & 2.

Necessitas suppositionis antecedentis, non est necessitas simpliciter, nec tollit libertatem. 131. 2.

Necessitas infallibilitatis & certitudinis non est necessitas coactionis aut tollens libertatem. 131. 2. nec absoluta, sed conditionalis. 132. 1.

Necessitas consequentis & necessitas antecedens divinæ voluntatis omninò diversæ sunt & oppositæ. 141. 2.

Necessitas consequentiæ quomodo accipiatur in materia de gratia & libertate. 142. 2.

Necessitas immutabilitatis indefectibilis est, licet absolutè & simpliciter libera. ibid.

Necessitas in sensu composito non est sola necessitas consequens, sed verè antecedens hominis operationem, sive libertatem in materiâ prædestinationis, & prædeterminationis. 156. 1.

Necessitas in sensu composito, conditionata, ex suppositione, infallibilitatis & consequentiæ idem sonant. 147. 2. & 156. 2. hanc non lædere libertatem apertè tradit S. Augustinus. 149. 1.

Necessitatis intrinsecæ & extrinsecæ distinctio ex S. Thoma. 139. 2. Vide *Propositio.*

NEGATIO.

Sicut à negatione actus ad negationem potentiæ non valet consequentia; ita à negatione auxilij efficacis dantis actum, non valet consequentia ad negationem auxilij sufficientis dantis tantum posse. 123. 2.

NOTITIA.

Quando in materia de Trinitate verbum dicitur generari ex notitiâ intuitivâ, ipsius filij, propositio sumitur quasi materialiter. 320. 1. notitia intuitiva præsupponit in aliquo instanti rationis existens objectum quod intuetur. ibid.

OBIECTVM.

Objectum scibile debet esse certum, determinatum & necessarium. 236. 2. & 242. 2. quod ponitur esse objectum scientiæ mediæ est omninò incertum & fallibile. 239. 1. non est futurum sed confingitur futurum. 240. 1.

Objectum creatum non est principium divinæ cognitionis, nec ipsi tribuit certitudinem. 307. 1.

OMISSIO.

Omissionem semper antecedit humanus actus, qui omissionis culpabilis causa est. 96. 1.

OMNIPOTENTIA.

Divinæ omnipotentiæ facillimum est, facere volentes liberè ex priùs nolentibus. 72. 1.

OPERATIO.

Operationes liberæ sunt in nostra potestate, non tamen ita ut per hoc excludatur dependentia essentialis illarum à causâ primâ 79. 2. sunt magis in potestate Dei quàm in nostrâ. ibid.

OPVS.

Opus tripartitum Suaris impugnatur. 227. 1. falsò citat Cajetanum de modo quo Deus cognoscit futura contingentia in sententia S. Thomæ. 312. 2. Vide *Auctor.*

OPVSCVLVM.

Opusculum de præscientia & prædestinatione à recentioribus citatum, non est S. Thomæ. 228. 1.

ORATIO.

Orationis Christi efficacia significatur decreto Dei. 268. 1.

ORDO.

Essentialis ordo qui est inter intellectum & voluntatem permutari non potest. 81. 1.

ORIGENES.

Origenes Magister Pelagij & fons Arrianorum. 114. 2. malè exponit authoritates scripturæ, in quibus dicitur Deum dare nobis velle & operari. 61. 2. non est admittendus, nec nominandus, sed potiùs damnandus cum causa liberi arbitrij agitur & prædefinitionum Dei, vel prædeterminationum. 110. 2. erroris occasionem

Digitized by Google

occasionem Pelagio præbuit. 324. 1. & 329. 2. damnatus ut hæreticus in persona Pelagij. 230. 1.

ORIGINALIS IVSTITIA.

Justitia originalis fuit donum gratuitum divinitùs datum. 6. 1. à gratia justificante sicut à prima radice procedebat. ibid. & 7. 1. in quo tanquam in subjecto erat? ibid. quid sit? & ejus principalis effectus? ibid. 2. an sit donum supernaturale vel naturale? 6. 2. & seq. multa egregia attulit primo homini. 21. 1.

Originalis justitiæ privatio quid includat. 35. 2. dupliciter considerari potest, sicut & privatio gratiæ. 50. 1.

PAPA.

Papa non potest in sensu composito errare definiendo res fidei. 151. 1. & 164. 2.

PARVVLVS.

Parvuli sine baptismo decedentes nullam pœnam sensus, sed solùm pœnam damni habebunt; de qua non tristabuntur. 55. 1. verè tamen dicuntur perire, damnari, ire in æternam damnationem &c. 56. 1. non habent se in reliquis, sicut si in puris naturalibus conditi morerentur quicquid dicant recentiores. 51. 1.

Parvuli qui sunt in Lymbo, ibi post diem judicij manebunt. 53. 1. habebunt cognitionem & amorem imperfectum Dei, & aliquale gaudium. 55. 1. numquam Pelagiani dixerunt parvulos sine baptismo decedentes habere extra Regnum Cœlorum vitam supernaturalem; sed solum naturalem. 53. 2. & 54.

PATRES.

SS. Patres prædefinitiones æternas ac certas divinæ voluntatis tradunt, suscipiunt & venerantur. 96. & seq. quando dicunt Deum præscire futura, quia futura sunt, loquuntur de præscientiâ peccatorum. 326. 1. optimè conciliarunt libertatem cum gratia sine scientiâ mediâ. 294. 1. Patres Græci, quos in patrocinium suum trahunt, negantes prædefinitiones Dei, olim à Pelagianis & Semipelagianis objiciebantur. SS. Aug. Prospero, Hylario &c. & illos, isti secundùm propriam intelligentiam explicarunt. 100. 1. & 2. illos explicat etiam S. Thomas asserens eos negare tantùm prædeterminationes imponentes necessitatem. 111. 2. & 117. 2. Vide *Sanctus.*

PECCATOR.

Nullus est aut esse potest peccator quem Deus convertere non possit. 241. 2. imo & diabolum potest suâ omnipotentiâ ad se liberè convertere. ibid.

PECCATUM.

An in sententia S. Thomæ peccatum consistat in merâ privatione. 36. 1. & 43. 2. non est purum removens prohibens. 36. 1. inclinat ad bonum commutabile, non habitualiter, sed virtualiter. 43. 2.

Peccatum Deus permittit, ut inde bonum aliquod eliciat. 293. 2. volitio illud permittendi, tria includit. ibid.

Peccati permissio est à deo volita in ordine ad Christi prædestinationem. 227. 2.

PECCATVM ORIGINALE.

Peccatum originale non in sola privatione, sed etiam in inclinatione ad actum consistit. 17. 1. & 2. inhæret essentiæ animæ & inclinat potentias, & per prius voluntatem ad peccandum. Ibid. primò respicit essentiam animæ & secundò potentias, 34. 1. macula ejus in quo verè consistat. 36. 1. inseparabiliter conjungitur cum infirmitate in naturâ. 23. avertit à Deo non solùm ut authore supernaturali, sed etiam ut authore naturali. 31. 1. respectu quorum fuit tantùm removens prohibens. 10. 2. & quomodo. 36. 2. & seq. quomodo dicatur peccatum alienum. 50. 2.

Asserere peccatum originale non esse culpam, sed tantum pœnam error est ab Ecclesiâ perpetuò damnatus. 56. 1.

Ex confessione peccati originalis clarè convincitur gratiam Dei non dari secundum merita nostra. 45. 2.

In duobus errabat circa peccatum originale Pelagius. 24. 1. & 2. ejus fundamentum ad illud negandum destruitur. 23. 2. proloquium commune Theologorum de peccato originali. 29. 1.

Pœnæ peccati originalis aliæ corporales, aliæ spirituales. 38. 2.

Cum Pelagio convenit, qui peccatum originale dicit aliena tantùm demerita, & non propria demerita cujuscunque. 50. 1.

PELAGIANI.

Pelagiani acuti, & ideo contra illos acutum divina providentia destinavit S. Augustinum. 229. 1.

Quare olim condemnatam Pelagianorum hæresim, iterum Concilium Trid. confutavit. 189. 1.

Pelagianorum unicum ac singulare argumentum, ut gratiam negarent, fuit quod destruitur liberum arbitrium si à Deo moveatur ac determinetur. 66. 2.

PERSEVERARE.

Impossibile est quod homo in gratia perseveret, sine auxilio efficaci perseverantiæ. explicatur. 149. 1. & 2. Hæc propositio, *justificatus sine speciali Dei auxilio non potest perseverare*; sumenda est in sensu composito. 196. 1.

PERSVADERE.

Persuadere apud Sanctum Augustinum, idem est ac efficere & efficaciter movere. 283. 2. & 321. 1.

Suadet Deus per inspirationes moraliter invitantes: persuadet verò per efficacem & verè efficientem motionem. ibid.

PETITIO.

Petitio principij est dicere quod Deus videt voluntatem homini consensuram vocationi, quia est consensura. 239. 2.

PETRVS.

Petrus de Rivo docuit futura contingentia numquam habere determinatam veritatem, & tamen certò cognosci à Deo. 306. 2.

Ejus sententia; quòd scilicet omnis suppositio antecedens tollit libertatem, damnata est. 137. 2. & 140. 1.

POSSIBILE.

Possibili posito in esse non sequitur inconveniens, quomodo intelligendum. 198. 2.

POTENTIA.

Potentiæ rationales se habent ad opposita, non simul sed divisim habenda. 194. 1.

Per potentiam divinam fieri non potest, ut voluntas efficax non impleatur. 158. 1.

Potentia non potest ut causa principalis ferri extra latitudinem sui objecti. 80. 2.

Sicut se habet potentia ad potentiam, ita actus ad actum. 81. 1.

POTEST.

Verbum *potest* in scriptura sumitur in sensu diviso. 146. 1. aliquando etiam in sensu composito. 147. 2.

PRÆDEFINIRE.

Prædefinire quoad ipsam vocem est certò statuere, vel determinare aliquid antequam eveniat de facto. 87. 1.

Quædam sunt principaliter à Deo prædefinita & ex principali intentione; quædam verò secundariò. 228. 1.

PRÆDEFINITIO.

Prædefinitio divinæ voluntatis quid sit. 87. & seq. importat actum interiorem quo aliquid determinatur antequam

Digitized by Google

antequam fiat. Ibid. 2. est non solùm actus voluntatis sed maxime intellectus. 88. quomodo distinguatur à prædestinatione. 87. 2.

Rota prima & magistralis totius libertatis creatæ est divina prædefinitio. 121. 2.

Prædefinitio voluntatis est circa finem, prædefinitio verò intellectus, seu providentiæ dicit necessariò ordinem mediorum ad finem 88. 1. ad formalem prædefinitionis rationem pertinet quod antecedat eventus productionem, æternamque ejus præscientiam & causarum per quas debet produci applicationem. Ibid. & omnem usum libertatis humanæ. 92. 1.

Prædefinitio & prædestinatio solis nominibus differunt. 92. 2.

Triplex prædefinitio seu prædeterminatio, prima Manichæi & Calvini, & tollit libertatem. Secunda Pelagij expectans voluntatem, & tollens Dei causalitatem. Tertia media, quæ libertatem & causalitatem Dei simul conservat & defendit. 120 2.

Quod de prædefinitionibus Dei sentiunt Molina & Suarez efficaciter impugnatur. 92. per tot. non prædefinitio sed postdefinitio dici debet prædefinitio Dei, quam admittunt assertores scientiæ mediæ. Ibid. 2. & 98. 2.

Prædefinitiones esse, voce quidam confitentur, sed re negant 89. 2. & seq.

Prædefinitio vera & propria, prima & radix omnium est actus divini intellectus, supponens actum divinæ voluntatis absolutum ex quo originatur. 103. 2. datur de mediis sicut & de fine. 104. 1.

Prædefinitio divina non est in nostra potestate, bene tamen actus prædefinitus. 120. 2. hoc optimè explicat. S. Aug. contra Pelag. 121. 1.

Qui negant prædefinitiones, imponunt S. Clementi Papæ. 13. 2. & ideas divinas negare convincuntur. 100. & 101.

PRÆDEITINATIO.

Prædestinatio est primus actus liber divinæ voluntatis. 226. 2.

Prædestinati sunt à Deo principaliter & propter se & primariò prædefiniti & præordinati. 117. 1.

PRÆDETERMINATIO.

Prædeterminatio physica sæpius repetita habetur ex. SS. Dyonisio. Athanasio & Thoma. 99. 2. & 101. 1.

Modus connaturalis operandi libertatis creatæ optimè salvatur, imò & statuitur per prædestinationem Dei physicam 121. 2. quomodo causetur libertas per prædefinitionem & prædeterminationem terminis omninò æquivalentibus multoties tradiderunt. SS. Patres. 103. 1.

Prædeterminatio quantumvis efficax, non potest necessitare voluntatem, quamdiù supponit indifferentiam judicij ex parte objecti. 81. 2. sicut nec Deus id potest nisi impediat illam indifferentiam ibid. & 82. 2.

Prædeterminatio divinæ voluntatis antecedens prædeterminationem voluntatis creatæ recipitur & defenditur à Scotistis. 102. 2. latius patet quam prædefinitio. 87. & 88. duplex est, æterna, & temporalis ibid.

Negantes prædeterminationem, cum legunt in Scriptura vel in Sanctis Patribus, aliquid favens libertati, statim inferunt voluntatem Dei vel ejus causalitatem, non esse efficacem: quasi sacra Scriptura & SS. Patres utrumque non assererent. 114. 1.

Utrumque testamentum plenum est nominibus significantibus prædeterminationes, prædefinitiones &c. 93. 1.

PRÆDICATIA.

Auditâ Apostolorum prædicatione Tyrij & Sydones ad fidem conversi sunt. 271. 2.

Ideo Christus Dominus præscivit Tyrios & Sydonios conversuros si apud eos facta fuisset prædicatio Verbi Dei; quia decreverat se daturum illis auxilium efficax, & hoc certò sciebat. 272. 1. & quia ita decreverat illos convertere: si eis prædicaret. 222. 1. illos tamen noluit convertere nec illis prædicare, obalta suæ prædicationis mysteria 272. 2.

Pelagianum esset asserere externam prædicationem, vel miraculorum patrationem habere efficaciam ad convertendum peccatorem. 255. 1. Vide. *Conversio. Peccator.*

PRÆSCIENTIA ET PRÆSCIRE.

Præscientia futurorum antecedens consilium divinæ voluntatis, est cum notabili præjudicio ejusdem divinæ voluntatis consilij. 216. 1.

Præscientia Dei respectu futuri duplex. 218. 2. absoluta sequitur decretum absolutum: & conditionata sequitur propositum de objecto conditionato. 214. 2.

Præscientia conditonata antecedens decretum Dei inimica est divinæ causalitati & divinæ voluntati, definienti contraria. 91. 1.

Nullo modo concedi potest quod Deus præscivit liberum arbitrium cooperaturum quia cooperaturum est. Sed è contrà ideo cooperaturū est, quia Deus præscivit. 318. & seq. cōtraria opinio est Fausti hæresis Pelagianæ defensoris. Ibid. loquendo de præscientiâ purè speculativâ & intuitivâ concedi posset cum Origene, Deum præscire futura, quia futura sunt. Tunc enim particula *quia* non dicit causalitatem, sed conditionem sine quâ non. 320. 2. & ita explicandi sunt SS. Patres illud dicentes. 322. 2. & seq.

In præscientiâ futurorum conditionatâ, duo sunt semper distinguenda, scilicet quod sit; & quod sit certa ante decretum Dei: primum admittunt S. Aug. & S. Thomas: secundum verò damnant. 226. 1.

Præscientia futurorum nullo modo lædit eorum libertatem. 349. 2.

PRÆSENS ET PRÆSENTIA.

Rem esse objectivè præsentem non potest dicere ordinem futuri ad præteritum, quia semper dicit ab intrinseco ordinem præsentis objectivè cogniti ad præsentem cognoscentem. 339. 2.

Præsentia cognitorum, in esse tantum objectivo; non sufficit ad scientiam visionis sed requiritur coexistentia in esse reali & actuali. 339. 2. Vide. *Æternitas, Intuitus, Scientia.*

PRINCIPIVM.

Principia licet minima appareant; tamen quia principia sunt virtute magna judicari debent. 154. 2.

In vili principio tota scientiæ mediæ machina fundatur. 291. 2. Vide. *Scientia media.*

PROPHÆTIA.

Prophætiæ comminatoriæ, quomodo habeant veritatem. 259. 1.

PROPOSITIO.

Propositio objecti omninò necessaria, ut Deus moveat voluntatem. 85. & 86. propositio æternæ veritatis, *Ignis est à natura determinatus ad unum.* 143. 2.

Tres propositiones in materia de prædestinatione & gratia, debet semper præ oculis habere, qui vult medium tenere, inter hæreses Pelagianam, Lutheranam & Calvinianam. 159. 1.

Propositiones de præsenti vel præterito sunt determinatè veræ vel falsæ, etiam ante omne decretum. 303. 2. lex contradictoriarum non est quod una sit deter-

Digitized by Google

determinatè vera & altera determinatè falsa ; sed solum indeterminatè, ita quod si una sit vera determinatè, altera sit determinatè falsa. 206. 1.

Propositio absolutè & simpliciter necessaria duplex. 351. 1. quomodo istæ sint necessariæ. *Deus scivit Adam peccaturum, Antichristum venturum, Christum passurum, &c.* 351. 2. scilicet ex præsuppositione immutabilitatis divinæ scientiæ. 352. 1. non sunt de præterito nisi apparenter, sed revera sunt de præsenti.

PROPOSITIO MODALIS.

Propositio modalis duplex alteracomposita, altera divisa. 159. 1. & 2. prima de re, secũda de dicto appellatur. Ibid. modalis cõposita tunc est quando duæ formæ vel duo actus ; quorum unus se tenet ex parte subjecti, & alius ex parte prædicati, componuntur, & in eodem subjecto simul conjunguntur. 155. 2. & 161. 1. & 162. 2. tunc est divisa quando separantur, non à subjecto, sed inter se. Ibid.

Propositiones modales fusè explicantur. 159. 1. & 2. quid sit possibilis, quid necessaria ibid. & seq. Exempla quibus hæc valdè necessaria aperiuntur. 160. 1.

Propositio modalis quomodo reducenda ad suam de inesse. 198. 2.

Hæc modalis. *Liberum arbitrium consentiens gratiæ efficaci potest dissentire ; est divisa & vera.* 194. 2. si addatur, *dum consentit ;* est composita & falsa. 195. 1.

Neganda iterumque neganda est hæc. *Homo non habet libertatem in sensu composito.* 198. 1.

Hæc propositio, *Efficaci divinæ voluntati liberum arbitrium potest resistere ;* est composita ex terminis. 168. diversimodè formari potest. Ibid. quomodo sit vera. Ibid. & seq. hæc est absolutè vera : *Posita Dei efficaci voluntate potest liberum arbitrium dissentire.* Ibid.

Istæ modales sunt æquivalentes. *Impossibile est* non simpliciter, sed ex suppositione, *liberum arbitrium esse à Deo motum ad assentiendum, Deo vocanti, & quod dissentiat : & liberum arbitrium à Deo motum ad assentiendum Deo vocanti, non potest dissentire in sensu composito.* 174. 1. Sicut & istæ duæ *Homo potest conjungere dissensum contrarium, cum voluntate efficaci Dei qua vult hominem consentire : & potest homo dissentire in sensu composito.* 158. 2. & utraque est falsissima. Ibid.

Hæ duæ propositiones sunt valde diversæ. *Præsuppositа Dei motione efficaci ad consensum potest homo dissentire : & posita motione Dei efficaci potest homo cum illa conjungere dissensum.* 158. 2.

Hæc propositio *Res quæ est, necesse est esse* : non facit sensum compositum, bene tamen ista : *Res dum est, necesse est esse* ; & hæc est vera. 155. 1. & 159. 2. & 164. 1.

Quænam propositiones ex vi propriâ faciant sensum compositum & quænam divisum. 167. 1.

Hæc est verissima : *Liberum arbitrium à Deo efficaciter motum potest dissentire* : quia facit sensum, quod liberum arbitrium retinet potentiam ad dissentiendum. 164. 2.

Hæc, *suppositione facta gratiæ efficaci liberum arbitrium non potest non operari :* absolutè neganda est, quia absolutè prolata importat sensum divisum. 140. 1. Vide *Libertas. Sensus. Prædeterminatio.*

PROPOSITIO DE FVTVRO.

Sicut numerus ut sic est indifferens ad par vel impar, ita propositio de futuro contingenti ad verum vel falsum. 304. 1. Esto nullum sit instans reale in quo propositio de futuro contingenti non sit vera vel falsa est ; tamen instans rationis ante decretum Dei in quo nec vera, nec falsa est ibid.

Hoc disjunctum, *Antichristus erit vel non erit,* est verum confusè & disjunctivè, ante decretum Dei, sed non determinatè. 304. 2. hæc autem *Antichristus erit,* est vera ab æterno ; non ex propriis meritis, sed ex vi decreti voluntatis divinæ ibid.

Totalis significatio hujus propositionis *Antichristus erit* ante decretum Dei est, quòd Antichristus erit, vel non erit ; secundùm quod Deus disposuerit 291. 2.

Propositiones de futuro contingenti in signo rationis antecedente decretum Dei sunt propositiones propriè & significantes, non sunt tamen determinatè veræ aut falsæ. 291. 2.

Vocare propositionem aliquam de futuro contingenti & dicere illam esse determinatam ad unam, vel aliam contradictionis partem ; est simul implicatoria dicere. 291. 1.

Si propositio de futuro contingenti esset determinatè vera aut falsa ; non esset de contingenti sed necessaria, quia quod est determinatum naturâ suâ ad unam partem, est necessarium & non contingens, & hæc est ratio fundamentalis. Ibid.

Propositiones de futuro contingenti ante decretum, non sunt revera contradictoriæ, sed tantùm materialiter & in apparentia. 305. 1.

Hæc propositio, idem est Deum cognoscere futura in causa infallibili quæ est essentia divina ut idea ; & ea cognoscere in seipsis ; triplicem potest habere sensum. 343. 2.

PROPOSITIO CONDITIONATIS.

Quædam propositiones conditionales ex se disparatæ habent veritatem conjecturalem ex voluntate seu inclinatione humanâ, & ex decreto divino infallibilem illationem sortiuntur. 286. 1. & 2.

Hæc conditionalis est vera, *si in bona consequentia antecedens est in mea potestate, consequens erit in mea potestate,* non tamen è converso ; quia benè potest fieri quod antecedens non sit in mea potestate & tamen ponat in mea potestate consequens. 142. 2. illustratur hoc exemplis ibidem. Hæc etiam vera est, *si causæ secundæ existunt, sicut modò sunt & objecta eis proponantur, ut modò proponuntur sub indifferentia, licet Deus ageret ex necessitate naturæ, effectus causarum contingentium essent contingentes & liberi.* 86. 1.

Propositio conditionalis fundata in divina promissione est infallibilis. 251. 2.

Ad veritatem propositionis conditionalis sufficit quod conditio sit vel causa, vel effectus ; vel tantum conditio sine qua non, consequentis. 251. 2. Vide *Conditio, Suppositio.*

PROVIDENTIA.

Providentia, prædefinitio & præordinatio in Deo idem sunt ex D. Thoma. 116. 2.

Providentia divina est causa contingentiæ rerum, licet non sit prima radix. 68. 2. non est nisi prædefiniens. 116. 1.

Contra Majestatem & infinitatem divinæ providentiæ est, tribuere illi quòd observet & expectet quid factura sit creatura, si ponatur in talibus circunstantiis antequam aliquid decernat. 292. 2.

QVÆSTIO.

Præcipua quæstio inter Pelagianos & Catholicos erat, quòd illi constituebant præscientiam futurorum certam antè propositum divinæ voluntatis, Catholici verò, post. 213. 1.

QVANTITAS.

Quantitas est extensa per seipsam. 346. 1. sub-

Digitized by Google

ſtantia verò corporalis, eſt extenſa per quantitatem. 347. 1.

QVASI.

Gemina hujus particulæ explicatio. 329. 2. & 337. .

QVATVOR.

Quatuor pertinent ad modum agendi libertatis, & alia quatuor ad modum agendi cauſæ naturalis. 121. 2.

Quatuor propoſitiones diſtinguendę nec ad invicem confundendæ. 175. 2.

QVIA.

Particula *quia* ſæpè in Scripturis denotat cauſam tantùm conſequentiæ, ſive ſignum & effectum, & non cauſam in eſſendo. 321. 1. & etiam idem denotat apud ſanctos Patres. 325. 2.

RATIO.

Ratio ſuperior naturaliter poteſt refrænare inferiorem niſi ſit læſa per peccatum. 9. 1. & 31. 2.

REBELLIO.

Duplex rebellio in natura humana. 11. 1.

RECENTIORES.

Quidam recentiores in multis conveniunt cu Pelagio & Semipelagianis in doctrinâ. 182. 2. quorundam ſententia convenit in aliquo cum doctrinâ Calvini, ratione, & fine diverſis. Ibid. 1.

Recentiores volentes gratiam ſeu providentiam eſſe tantùm comitem vel ſubſequentem voluntatem hominis; quàm ſint SS. Patribus & Scholaſticis contradicentes. 156. & 157.

REGVLA.

Quinque regulæ ad veram intelligentiam ſenſus diviſi & compoſiti in materiâ de ſcientiâ Dei de providentiâ & de prædeſtinatione &c. 160. & ſeq. fuſa harum regularum explicatio. Ibid.

Aliæ quinque regulæ ad dignoſcendum quomodo futura cognoſcantur à Deo. 252. & ſeq.

Regula famoſa dialecticorum quod contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera. 307. 1.

Regula alia ſpecialis de ſenſu diviſo & compoſito obſervanda. 193. 2.

Regula generalis Theologorum, quod ad omnia illa ſe extendit divina prædefinitio, ad quæ ſe extendit cauſalitas Dei. 101. 1.

Regula certa juris quòd generi derogatur per ſpeciem, & quòd in generali conceſſione non veniunt illa, quæ in particulari negata ſunt. 141. 2.

RELATIO.

Relationes rationis quæ ſequuntur ad Dei operationem procedentem ſecundum modum intelligendi ad exteriores effectus, dicuntur de Deo ex tempore; ut relatio Creatoris, Domini, & Salvatoris. 340. 2.

Relatio rationis ſive denominatio conſequens operationem divini intellectus, quæ manet in operante dicitur eſſe ab æterno. 340. 2.

REPRÆSENTATIO.

Idearum repræſentatio non cauſat futurionem ſed eam præſupponit ut per divinam cauſalitatem efficiendam. 344. 1. omnis repræſentatio in Deo vel eſſentiæ divinæ ante determinationem divinæ voluntatis eſt ſimpliciter neceſſaria. 308. 2.

REPROBATIO.

In reprobatione parvulorum non ſolum agitur de donis gratuitis amittendis, ſed de punitione peccati originalis, per pœnam damni. 51. 1.

RESISTERE.

Reſiſtere in propria ſignificatione ſumptum quid efficiat. 171. 1.

Poſſe reſiſtere importat ſenſum compoſitum cum eo cui reſiſtitur. 193. 1. non eſt in homine potentia, ut Deo efficaciter moventi reſiſtat, nec in hoc conſiſtit libertas. 194. 1.

RVARDVS TAPERT.

Inſignis Lovanienſis Scholæ Doctor. 288. 1.

Ponit duas propoſitiones circa mala & miſerias naturæ humanæ. 4. 1. divinas prædefinitiones ac prædeterminationes ſapientiſſimè defendit. 102. 2.

SALAZAR.

Aſſerit peccatum originale non aliis quam ipſi Adamo voluntarium fuiſſe. 2. 2.

SANCTITAS.

Aliud eſt eſſe creatum in Sanctitate, & juſtitiâ; & aliud in eâ eſſe conſtitutum. 5. 2.

SANCTVS.

Sancti Patres ſoluunt præcipuam objectionem Pelagianorum dicentium tolli liberum arbitrium, ſi à Deo moveatur & determinetur. 66. 2. affirmant Deum omnia, regere, gubernare, definire &c. nulla facta mentione ſcientiæ mediæ. 92. 2.

Sancti palam dicunt nihil eſſe Deo futurum. 336. 1. nullus adducitur qui expreſsè ſcientiam mediam docuerit. 277. 1. in nullo Sanctorum invenitur quòd ideo Deus voluit hoc eſſe, quia hoc futurum eſt 323. 1.

Sancti Doctores & Scholaſtici per determinationem divinæ voluntatis, ſemper prædeterminationem intellexerunt. 317. 2. admittunt ideo res futuras quia Deus præſcivit. 323. 1. quando utuntur nomine præſcientiæ loquuntur de præſcientiâ quæ ſupponit divinæ voluntatis decretum: & quæ præcedit ſolùm creationem factam in tempore. 277. 2.

SAPIENTIA.

Sapientia eſt ſcientia, ſed habet aliquid ſupra alias ſcientias. 252. 2. dicitur in Deo ſapientia reſpectu attributorum ipſius, & ſcientia reſpectu creaturarum. Ibid.

SAVL.

Regnum Saülis figura fuit æterni Regni Chriſti. 261. 2.

SCIBILE.

Non minùs repugnat Deum certò ſcire quæ non ſunt ſcibilia, quàm repugnet illum facere quæ non ſunt factibilia. 300. 1.

SCIENTIA.

De ratione ſcientiæ ut ſic, eſt certitudo quæ haberi non poteſt de re incerta. 307. 1. aliquando ſumitur lato modo pro cognitione ſpeculativa, ut cùm dicitur quòd Deus habet ſcientiam, ideſt, *Cognitionem Speculativam* de ſeipſo. 253. 1.

Scientia ex propriis meritis neceſſaria, eſt niſi ſupponat libertatem. 323. 1.

SCIENTIA DEI.

Scientia Dei ſtrictè ſumpta adæquatè dividitur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: ſive naturalem, & ſcientiam viſionis: ſive liberam. 253. 1.

Prima præcedit decretum, ſecunda illud ſupponit, & eſt cauſa rerum. Ibid.

Scientia Dei ex propriis meritis habet menſurari æternitate. 342. 1. Scientia Dei eſt cauſa rerum, ut habet actum voluntatis annexum. 319. 1.

Per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, non poteſt Deus cognoſcere quid voluntas ſua ſit volitura. 257. 2. cognoſcit tamen per illam quod liberum arbitrium ſub quibuſcunque conditionibus poſitum abſque prævia Dei motione numquam operabitur. 259. 1. hæc ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſimpliciter neceſſaria eſt. 144. 1.

Scientia Dei libera certa eſſe non poteſt, niſi præceſſerint

Digitized by Google

eesserint divinæ prædefinitiones. 122. 2. Scientia simplicis intelligentiæ est causa rerum per modum dirigentis & in actu primo. 319. 2.

Scientia visionis propriè non est, nisi quatenus videt res in aliqua temporis differentia existentes. 258. 2.

Quid sit scientia approbationis secundùm quam oportet multa loca SS. Patrum intelligere. 324. 1.

Scientia quâ Deus cognoscit futura in suo decreto est libera. 314. 2.

Si res non haberent proprias existentias in æternitate scientia Dei non esset intuitiva, nec scientia visionis respectu illarum. 344. 2.

SCIENTIA MEDIA.

Quid sit scientia media? 110. 2. quodnam ejus essentiale objectum? ibid. ejus authores vel assertores enumerantur. 200. & 209. 2. ejus finis. 202. 1. novitas nominis, & tempus quo cæpit divulgari. 203. 1. scriptum de hac scientia Romæ oblatum. 202. 2. in tripliei casu potest hæc scientia confingi. 204. 1. illam adscribunt ejus auctores SS. Patribus. 206. & 207. & seq. & etiam Scholasticis. 209. 1. rationibus illam probare conantur. ibid. 2.

Scientiæ mediæ non meminerunt antiqui Scholastici. 284. 2.

Scientia media est impossibilis. 220. 2. & 293. 2. est contra authoritatem scripturæ & dicta SS. Patrum. 224. 1. si daretur esset omninò necessaria in Deo quia antecederet omnem libertatem, & tamen supponitur esse libera. En magna contradictio. 231. 2. videtur damnata in Semipelagianis eo quod certa constituebatur in Deo ante propositum divinæ voluntatis. 212. 2. ex potissimis ejus defensoribus ostenditur illius impossibilitas. 243. 2.

Mirabile est quod assertores scientiæ mediæ dicunt non esse in Dei potestate aliud per illam scire quàm scivit: esse tamen in potestate hominis facere quod Deus per illam aliud sciat. 231. 2.

Ex positione scientiæ mediæ sequuntur multa inconvenientia. Primò nullum aliud Dei auxilium esse necessarium ad perseverandum, quàm sufficiens omnibus commune. 246. 2. Secundò non fuisse in potestate libera Dei, quòd si verbum assumeret naturam humanam, v. g. non invitaretur ad nuptias. 231. 2. Tertiò verbum divinum generari, non ex cognitione Patris omninò necessariâ, sed partim liberâ. 232. 1. Quartò quòd productio verbi divini penderet ab aliquo contingenti. ibid. 2. Quintò quòd futuritio actus liberi, atque adeò aliqua creatura sit à Deo independens 233. 2. Sextò quòd Deus acciperet cognitionem à creaturis. 235. 2. Septimò libertatem divinæ scientiæ ortum habere, non ex indifferentia, quæ in Deo sit; sed ex indifferentia & libertate quæ in creatura est. 236. 2.

Scientia media ponitur merè speculativa. 233. 1. tollit libertatem. 235. 1. & 240. & à Deo certam futurorum contingentium cognitionem. 236. 2.

Datâ scientiâ mediâ eminenter, sive datâ cognitione eminentiali futurorum antecedente decretum Dei: sequuntur eadem inconvenientia, quæ sequerentur positâ scientiâ mediâ formali. 249. 1. & 2.

SCIRE.

Verbum *scivit* & *scit* respectu Dei sunt idem. 352. 2.

SCOTUS.

Scotus divinæ voluntatis æternam & absolutam prædefinitionem & prædeterminationem, ante omnem præscientiam futuri eventus tuetur, propter quod à Molinâ ut liberi arbitrij destructor impugnatur. 101. 2. & 102. 1. & 285. 2. de scientiâ verò mediâ, sub nomine præscientiæ, dicit quod simul tollit à Deo causalitatem & cognitionem. 240. 1. docet quod si Adam non peccasset Christus venisset in carne impassibili. 262. 2. Scoto falsò aliqui attribuunt sententiam de scientiâ mediâ. 285. 1. & 2. ipsum reprehendit Palatio, sed malè. 297. 1. & 2. citantur loca in quibus Scotus stat pro prædeterminatione divinæ voluntatis contra scientiam mediam. 317. & sequentibus.

Scotus dicit quod antecedenter ad omnipotentiam Dei, non est objectum intelligibile, nisi tantùm in esse possibili. 306. 1. falsissimum est Thomistas accepisse à Scoto sententiam de cognitione futurorum in determinatione divinæ voluntatis ut aliqui asserunt. 313. 2.

Scotus non dicit contrarium hujus propositionis: *Necessitas consequentiæ non ladit Libertatem.* 144. 1. explicat sensum divisum & compositum eodem modo quo S. Thomas. 163. 2.

SCRIPTVRA.

Scriptura sacra tradit expresè divinæ voluntatis prædefinitiones, seclusâ præscientiâ mediâ. 92. 1. & seq. Quomodo intelligendus sit Scripturæ locus: *Non est volentis neque currentis.* ibid. qui locus efficassimus est ad probandas prædefinitiones Dei. 93. 1. & 2. pulchra ejusdem loci expositio. ibid. & 120. 1. & 136. 1. evasiones eorum qui malè interpretantur hunc locum refutat Sanctus Augustinus. 94. 1. in illo duas solutiones tradit Apostolus argumento negantium prædefinitiones. 120. 2.

Explicatur alius Scripturæ locus scilicet. *Voluntati ejus quis Resistet.* 94. 2. de qua voluntate id intelligatur. 95. 1.

Exponitur alius Scripturæ locus. *O Homo tu quis es, qui sic Respondeas Deo?* 95. 1. & 2.

Scripturæ loca quibus probant scientiam mediam ejus assertores, referuntur. 204. 1. & 2.

Familiare est Scripturæ, ut Deus per illam revelet tanquam futurum quod certò futurum non est; sed ex dispositione causarum proximarum futurum esset, nisi per altiorem causam impediretur. 268. 2.

Scripturæ varia loca, alia in sensu diviso, alia in sensu composito explicanda. 147. per tot. Vide. *Locus Sensus.*

SEMIPELAGIANI.

Semipelagiani fraudulenter humanam naturam laudabant, existimantes non esse per peccatum originale in naturalibus læsam. 28. 2. contendebant frustra esse Sanctis hominibus laborandum, nec orationibus insistendum, si ex incommutabili proposito Dei, ante mundi constitutionem ponantur electi. 337. 1. totam suam pravam doctrinam adscribebant Sancto Augustino, attribuendo illi scientiam mediam sub nomine præscientiæ. 215. 1.

SENSVS.

Quid sit transire de sensu diviso ad sensum compositum, & è converso. 159. 1. quis verè & propriè sit sensus divisus & sensus compositus, clariùs explicatur. 161. 2. sensus divisus est superior ad sensum compositum & latiùs patet. 160. 2. eodem modo licet argumentari à sensu diviso ad sensum compositum, vel è contra, quo à superiori ad inferius, vel è contra, & non aliter. ibidem.

Quamvis verum sit quod liberum arbitrium motum & excitatum non potest dissentire in sensu composito, non tamen sequitur hominem non habere libertatem in sensu composito; imò contrarium infertur. 198. 1.

SENTENTIA.

Notanda sententia Synodi septimæ. 100. 2. damnata

Digitized by Google

nata est ab Ecclesia sententia, quæ præter vitam æternam, quam Beati habent per Christum in regno cœlorum; aliam parvulis non in Christo renatis per baptismum, tribuit. 54. 2. & seq.

Sententia Pelagianorum & Semipelagianorum dicentium quòd : *Necessitas ex suppositione divinæ voluntatis antecedente humanam voluntatem tollit ejus libertatem.* 137. 1.

Sententia Calvinistarum quòd *voluntas Dei efficax antecedens hominum voluntates tollat libertatem :* damnata est. ibid.

SIXTVS.

Sixtus quartus Summus Pontifex illationem, quâ aliqui inferunt quòd in bonâ consequentiâ, consequens non est liberum quando antecedens non est in nostra potestate, damnavit. 43. 1.

SOCIETAS.

Societatis Jesu Sapientissimi Doctores piè defendunt prædefinitiones, & prædeterminationes Dei; recedentes in hoc à communi aliorum ejusdem Societatis novâ opinione. 103. 1.

SOLVTIO.

Quædam solutiones argumentorum valdè notandæ & memoriter retinendæ. 61. 1.

SPIRITVS SANCTVS.

Sine Spiritus Sancti inspiratione atque adjutorio, non posse homines credere, sperare, diligere & pœnitere ut oportet, ostenditur. 188. 2.

STAPLETONIVS.

Optimè redarguit Calvinum ex eo quod corrumpit Scripturam Sacram. 205. 2.

STATVS.

Status innocentiæ, naturæ integræ, & justitiæ originalis unus est sub ratione diversa. 9. 1.

Sex status sub quibus considerari potest natura humana. ibidem.

Statui hominis lapsi quæ sint propria. 2. in eo facilia potest homo, sed non difficilia. 22. 2.

Status naturæ puræ, est status rationi consonus. 42. 1.

STOICI.

Negarunt causarum naturalium contingentiam. 59. 2.

SVAREZ.

Suarez dicit modum quo Molina vult futura cognosci per scientiam mediam esse impossibilem. 230. 1. aliquando docet decreta Dei prædeterminantia tollere libertatem, aliquando docet oppositum. 265. 2.

SVPPOSITIO.

Suppositio efficax ex decreto Dei absoluto libertatem non impedit. 263. 1. nec antecedens proveniens ex voluntate Dei, quia est causa actionis liberæ & modi ipsius. 145. 1. imò ex suppositione gratiæ vel voluntatis Dei efficaciter antecedentis cooperationem liberi arbitrij infallibiliter sequitur quòd liberum arbitrium liberè operetur. 131. 1. & 138. & 139. & sequentibus.

Doctores tria explicare intendunt per necessitatem ex suppositione & consequentiæ. 142. 2.

Suppositio antecedens & consequens quadrupliciter accipitur & explicatur. 129. per tot.

SYRIA.

Syriæ destructio dicitur futura in Scriptura Sacra, quia Deus per decretum sic disposuerat, ut si terra percuteretur à Rege, Syria devastaretur. 160. 2.

TEMPERAMENTVM.

Temperamentum vel humorum proportio, ex quâ juxta aliquos voluntas infallibiliter operatur; omninò destruit libertatem. 245. per tot. Vide *Voluntas.*

TEMPVS.

Temporis definitor Deus est. 99. 2.

Tempus præsens est quid reale. 337. 2. præteritum & futurum sunt differentiæ durationis; sed non loci. 345. 2. quædam sunt contradictoria in ordine ad tempus ut *Antichristus erit, Antichristus non erit,* quæ non sunt contradictoria in ordine ad æternitatem. 346. 1.

Quod in tempore Deus rectè facit, jam fuisse dicitur in Æternitate. 337. 2.

Ea est temporum miseria & doctrinæ libertas, ut etiam contra id quod manifestum apparet; aliud extortis explicationibus intelligi posse dicatur. 227. 1.

THEODORETVS.

Non est audiendus in materia de prædefinitionibus quia Origenem est sequutus. 111. 1.

THEOLOGVS.

Novi Theologi retunduntur argumento ex Suare desumpto. 115. 2.

Theologi alio modo, & alio modo Phylosophi debent loqui de futuro contingenti. 243. 2.

THEOLOGIA.

Theologia & Metaphysica specialiter & propriè sapientiæ vocantur. 204. 2.

THEOPHILACTVS.

Prædefinitiones & prædeterminationes efficaces & infallibiles admittit. 113. 1.

THESES.

Theses duasi defensæ. 47. 1. indignum est in re gravi theses juvenum in medium afferre, hoc enim non juvat. 287. 2. juvenes in Thesibus sæpè contra proprios præsidentes ostentatione ingenij plura non vera defendunt. ibid.

S. THOMAS.

S. Thomas ut Sanctus Doctor alios Sanctos doctores benè intellexit. 322. 2. Quare magis insistat in probando certitudinem divinæ cognitionis circa futura; ex coexistentiâ ipsorum in æternitate, quàm ex decreto divinæ voluntatis; cùm ex utroque capite probetur. 341. 2. & seq.

Reprehendit scientiam mediam, & qualitatis notâ gravissimâ taxat. 223. 2. referuntur ejus loca in quibus illam scientiam reprobat ut falsam & impossibilem. ibid. & sequentibus. docet futurum contingens certo cognosci non posse ante decretum Dei. 224. 2. & seq. infert manifestè perfectionem libertatis, ex voluntate Dei absolutâ & efficaci. 119. 1.

In Sancto Thoma ista reperiuntur evidenter. Quod Deus prædeterminat ad actionem quæ est in peccato, quatenus actio & entitas est, quod est causa illius influens agenti, esse, posse, & agere, quod oppositum sentire, est proximum duplici errori, & quod hinc nullo modo sequatur Deum esse causam peccati. 125. 1.

Aliqui S. Thomæ attribuunt scientiam mediam & tunc repugnantia loquuntur. 314. 1. & 320. 1.

S. Thomæ sententiæ, litteræ & intentioni sæpè fit violentia ab auctoribus novæ doctrinæ. 116. 1.

S. Thomas majori cum vi proponit sibi argumentum, quo dicitur determinationem Dei in causa secundâ liberâ, evertere libertatem : quàm faciant recentiores prædeterminationis physicæ adversarij, illudque perfectissimè soluit. 67. 1. & 2. & 119. 1. mirabili ordine ostendit à quibus pendeat contingentia seu libertas effectuum creatorum ascendendo gradatim ad divinam voluntatem. 69. 1. totus in explicandis & defendendis divinis prædefinitionibus versatur. 100. 2. 101. & seq.

S. Thomas perpetuus est in fundanda, defendenda & explicanda distinctione de necessitate absolutâ & condi

Digitized by Google

conditionatâ, & de ſenſu compoſito & diviſo. 151. 1. regulam celebrem tradit in hac materia. 162. 2. & 167. 1. & 2. quæ regula ſola ſequenda eſt ad dignoſcendam propoſitionem modalem & compoſitam, & diviſam. 168. 2. ſoluit argumenta, quibus in eadem materiâ, multi his temporibus convincuntur. 163. 1. tria argumenta ita efficacia ſibi opponit contra contingentiam & libertatem, ut ſtrictè omnia quæ modò in infinitum multiplicantur, contineant. 348. 1. DUM illa tria ſoluit, omnia arma inimicorum gratiæ conterit. Ibid.

S. Thomæ expreſſa ſententia eſt, non ſolùm peccatum actuale, ſed etiam originale nociuiſſe homini in naturalibus. 34. 2. quomodo intelligendus quando dicit in peccato originali non eſſe converſionem habitualem ad indebitum finem. 36. 2.

Loca S. Thomæ ex quibus Molina & alij inferunt quòd ablatâ juſtitiâ originali per peccatum, vel denegatâ homini in puris naturalibus conſtituto, eadem eſſet infirmitas, ignorantia & concupiſcentia atque rebellio. 4. 1. verba S. Thomæ notanda. 30. 1.

THOMISTÆ.

Diverſimodè ratiocinantur circa hanc propoſitionem: ſi DEUS ageret ex neceſſitate naturæ nulla eſſet libertas in effectibus creatis. 75 per tot. & ſeqq.

TRACTATVS.

Tractatus de prædeſtinatione DEI, qui citatur à recentioribus tanquam S. Auguſtini, non eſt ejus, ſed ſuſpecti authoris. 149. 1.

TRACTIO.

Tractio antecedens quâ homo liberè vult, conſentit, venit, &c. ex S. Auguſtino explicatur. 131. 2.

VANITAS.

Vanitati Philoſophorum tribuitur quòd libertatem creatam in cauſas ſecundas ultimatè reducunt. 60. 1.

VELLE.

Velle quod aliquid fiat abſolutè, & velle quòd contrarium fieret ſi poneretur talis conditio, non opponuntur. 266. 2.

VELLEITAS.

Velleitates ſunt in duplici genere. 266. 2.

VERBVM.

Per duo verba duos extremos errores Pelagij & Calvini damnat Concilium Trident. 190. 2.

VERBVM DIVINVM.

Verbum divinum procedere ex aliquo contingenti, concedendum non eſt. 232. 2. malè concedit Albertinus verbum divinum procedere ex cognitione futurorum contingentium. 233. 1.

VERITAS.

Veritas conditionalis regulatur per abſolutam quam ſupponit. 234. 2.

veritas objectiva futurorum contingentium intellecta ante decretum divinum non eſt contingens, ſed neceſſaria. 301. 2. & ſeq. impugnatur efficaciter. Ibid. illam habent futura contingentia poſt decretum DEI, ſed non ante. 302. 2.

Nullum eſt inſtans reale temporis in quo futura contingentia non habeant determinatam veritatem, quâ certò cognoſcantur à DEO. 306. 2.

Res ſecundùm hoc habent veritatem, ſecundùm quòd habent eſſe. 302. 1.

Nulla eſt veritas certa quam DEUS non cognoſcat ſemper certiſſimè. 303. 1.

Veritas à S. Auguſtino perpetuò publicata & defenſa contra Pelagianos, quòd *voluntas Dei, vel gratia, vel ſuppoſitio præveniens & antecedens nullo modo tollit libertatem, ſed conſervat, perficit, &c.* 129. 1.

Veritas patitur calumnias; ſed ſemper eas expugnat & vincit. 263. 1.

VERVM.

Quomodo verum & falſum comparentur ſano & ægro. 203.. 2.

VIA.

Nulla efficacior via negandi libertatem quam negare divinæ voluntatis prædefinitionem & efficaciam. 122.

VIOLENTIA.

Nulla eſt violentia in creaturis ex motu quo à DEO moventur quomodocunque ab illo moveantur. 84. 2.

VIRTVS.

Cum vitiis virtutes habitare non poſſunt. 48. 2.

VITA.

Vita DEI eſt viſio DEI. 54. 1.

VOCATIO.

Nihil congruentius aptari poteſt humanæ voluntati quam vocatio ex DEO efficax. 282. 1. per gratiam efficacem homines redduntur idonei efficaciter, ut vocationi obediant. Ibid. 2. nec habet homo in ſua poteſtate ut ſibi congruam vocationem faciat. Ibid.

Dicere quod voluntas creata infallibiliter ſe determinat ex congrua vocatione pendente ex cauſis naturalibus, ſcilicet ex loco, tempore, temperamento &c. eſt fatalem inducere neceſſitatem. 242. 2. & 245. 2.

Vocatio alta & ſecreta quâ DEUS ad ſe corda convertit. 149. 2.

Vocatio congrua cui aſſentimur Chriſtum ſequendo, non eſt in noſtra poteſtate. 137. 2.

VOLITIO.

Volitio ſecuta ex ſimplici apprehenſione finis, non eſt libera ſed indeliberata. 186. 1. & in ſolum DEUM refunditur. Ibidem.

Iſta volitio DEI: *Volo omnes homines ſalvos fieri* eſt de objecto conditionato. 262. 1.

VOLVNTAS.

Voluntas per indeliberatam finis volitionem, benè diſponitur ad acceptandam moralem motionem, ad liberè operandum. 187. 2. quando vult habet potentiam ad volendum & nolendum: & in hoc eſt libera. 163. 2. nihil omnino poteſt velle niſi ſub ratione boni & convenientis. 82. 2. licet libera, poteſt tamen reſpectu alicujus moveri ut natura. 79. 1. nec propterea tunc eſt propriè inſtrumentum, ſed verè cauſa principalis & vitalis ſuæ actionis. Ibid.

Impoſſibile eſt quod voluntas feratur neceſſariò & non liberè in objectum cum indifferentiâ propoſitum per rationem. 80. 2. & quod feratur in incognitum. Ibid. & 82. 1. & quòd non feratur neceſſariò in objectum ſine indifferentiâ, id eſt, cum omnimodâ bonitate propoſitum. Ibid. eſſentialis dependentia liberæ voluntatis, ex cognitione deſumitur. 81. 1. voluntatem cogi nihil aliud eſt quam illam velle aliquid contra propriam ſuam inclinationem. 82. non poſt neceſſitari, niſi mediante objecto repræſentato. 84. 2. & ſeq.

Voluntatem extrahi ex ſuo connaturali modo dupliciter intelligi poteſt. 85. 1. quando dicitur quòd ſola ſe determinat, intelligitur excluſio alterius cauſæ extrinſecæ creatæ cogentis & neceſſitantis. 136. 2. voluntas creata facit duas neceſſitates. Ibid. à nullo nec etiam à DEO cogi poteſt, aut violentiam pati, quoad actum elicitum. 78. 2. & 80. 2. & 84. 2.

VOLVNTAS DIVINA.

Divina voluntas ita eſt prima & univerſaliſſima cauſa, ut ſit magis proxima & immediata cuicunque

Digitized by Google

effectui causarum secundarum, quàm sint ipsæ causæ proximæ. 298. 2. causas contingentes pro effectibus contingentibus aptat & præparat. 60. 1. & 69. 1. est primum principium omnium quoad exercitium, 69. 2. tripliciter comparatur ad divinum intellectum in rerum productione. Ibid. illumque movet, determinat & applicat. Ibid. Tria de voluntate Dei valde notanda. Ibidem. est magis causa rerum simpliciter loquendo quàm sit intellectus divinus. 70. 2. & 71. 1. licet intellectus sit magis causa rerum quoad specificationem, non tamen quoad exercitium. 71. 2. quatenùs voluntas divina habet adjunctam libertatem, est prima radix contingentiæ & libertatis. 71. 2. & seq.

Voluntas Dei antecedens est velleitas. 105. 1. non potest intellectus divinus cognoscere in quam partem inclinanda sit divina voluntas, vel quid determinatè sit volitura, in signo rationis antecedente ejus decretum: quia tunc voluntas divina, concipitur ut indifferens. 308. 1. & 2. quidquid ad extra vult divina voluntas, liberè vult. Ibid. ante determinationem ejus nihil potest esse determinatè futurum. 263. 1.

VOLVNTAS HVMANA.

Cogitationes voluntatis humanæ, & omnes ejus operationes certò cognoscit Deus in sua voluntate, & in illarum causa. 310.

Coactio in humana voluntate semper neganda, quia contraria libertati. 114. 1.

VOX.

Voces quædam quæ ex propriâ suâ ratione significant, vel involvunt compositionem cum altero. 166. aliæ voces quæ non involvunt hanc compositionem explicantur. 168. 2.

VSVS.

Usus futurus liberi arbitrij cognoscitur certò à Deo in sua causa, id est, in efficacia auxilij, vel voluntatis divinæ. 254. 1.

VVLNERATIO.

Vulneratio naturæ humanæ triplex ex Caietano. 41. 1.

Vulneratio & spoliatio factæ per peccatum originale in natura humana distinguuntur. 29.

VVLNVS.

Quatuor vulnera hominis lapsi. 9. 2. Quæ non solùm cuilibet per peccatum actuale, sed etiam per peccatum originale, toti naturæ infliguntur, 11. 1. hæc vulnera sunt ignorantia, malitia, infirmitas & concupiscentia. Ibid. & 16. 1. & 17. 2. vulnus naturæ & impedimentum positivum, est pronitas ad malum. 35. 1.

ZVMEL.

Insignis defensor doctrinæ S. Thomæ. 75. 1. & 307. 2. impugnat scientiam mediam. 286. 2. & 307. 2.

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA

NOTABILIA QVÆ IN HAC SECVNDA PARTE TOMI PRIMI CONTINENTVR.

Pagina.	*Columna.*	*Linea.*	*Creatum.*	*Emendatum.*
7.	1.	33.	naturatæ	naturæ.
8.	2.	14.	quia S. P.	quia à S. P.
16.	1.	5.	habet	haberet.
23.	2.	7.	tracturi	tractaturi.
24.	2.	43.	non quod &c.	non quod volo bonum hoc ago sed quod odi malum.
26.	1.		condemnat	concludit.
ibid.		15.	damnat	determinat.
ibid.	2.	12.	in mortalitate	immortalitate.
30.	2.	16.	negant	dicit
33.	1.	60.	libero	libro.
37.	1.	67.	appositis	oppositis.
43.	1.	50.	captivantem	captivans.
61.	2.	34.	perjudicium	præjudicium.
69.	2.	27.	in electum	intellectum.
72.	2.	31.	effectus	in effectibus.
84.	2.	19.	multiplicetur	multipliciter
86.	2.	5.	secanda	secunda.
123.	2.	65.	ideo non operatur.	non ideo non operatur.
130.	1.	7.	sicut	sunt.
147.	1.	61.	operet	oportet. (supra positũ.
174.	2.	60.	motum supra excitatũ	motum & excitatum
195.	2.	65.	posse	potest.
196.	1.	51.	componentur	componente.
207.	1.	19.	onderentur	conderentur.
208.	2.	35.	particulari	particularis.
211.	1.	15.	superori	superioris.
212.	2.	36.	divina	divinæ.
214.	2.	1.	Sancto	Sancti.
ibid.	ibid.	2.	perseveranti	perseverantiæ.
216.	1.	18.	consilio	consilij.
237.	1.	29.	Ergo in	Ergo si in.
243.	1.	20.	Patrem	partem.
261.	1.	4.	decretorum	decretum.
262.	2.	44.	etiam si non si	etiam si non sit.
267.	1.	41.	prædefinitæ	prædefinita.
268.	2.	24.	moriens	morieris.
277.	1.	40.	aliquis aut,	aut qui.
290.	2.	ultima	.....	quæ sunt de præsenti.
301.	2.	3.	determinati	determinari.
ibid.	ibid.	46.	determinatis (creaturas	determinatas. (causas.
316.	2.	33.	educandum extra suas	educendam extra suas
319.	1.	50.	illum	illorum.
321.	1.	70.	humanarum	humanorum.
328.	2.	27.	absoluiè	absolutè.
329.	2.	54.	est deo est	ex deo est.
330.	2.	32.	eum	enim.
335.	1.	7.	æternitatis.	æternitas.
336.	1.	69.	tempore	tempora.
339.	2.	67.	æterni	æternitate.
342.	2.	32.	conardo	Conrado.
344.	1.	1.	suppositio	supposito.
346.	2.	17.	triplicer	tripliciter.
348.	1.	36.	coachæreat	cohæreat.
ibid.	ibid.	37.	intento	intentio.
ibid.	2.	69.	suma	summa.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google